The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

SEMINARY LIBRARY
PASSIONIST FATHERS

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

COLLECTANEA

S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE

SEU

DECRETA INSTRUCTIONES RESCRIPTA

PRO APOSTOLICIS MISSIONIBUS

VOL. I.

Ann. 1622–1866. NN. 1–1299.

WITHDRAWN

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

SEMINARY LIBRARY
PASSIONIST FATHERS

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
MCMVII.

MANUSCRIPTUM

Haec Collectio typographica proprietate gaudet
ad legum vigentium normam.

DEIPARAE VIRGINI IMMACULATAE

APOSTOLORUM REGINAE

QUAE SEDEM APOSTOLICAM IN MAGNIS TEMPESTATIBUS

BENIGNA RESPICIT

QUAE SEDENTIBUS IN TENEBRIS ET UMBRA MORTIS

MATUTINA STELLA REFULGET

QUAE CUNCTAS HAERESES IN UNIVERSO MUNDO

SOLA INTEREMIT

ATQUE EVANGELIZANTIBUS PACEM EVANGELIZANTIBUS BONA

BLANDO ARRIDENS VULTU

VIRES ADDIT DONA LARGITUR

OBSEQUII PIETATIS

MONUMENTUM ET PIGNUS

PRAEFATIO

Euntes docete omnes gentes. — MATTH. XXVIII. 19.
Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. — MARC. XVI. 15.

« Quod Apostolis omnibus a Christo Domino mandabatur ut praedicarent « Evangelium omni creaturae, id principaliter Petro incumbebat, qui omnibus « praestabat praerogativa principatus, et cui soli iniunctum fuerat a Domino « ut pasceret oves suas » (1). Idcirco, prout temporum ac locorum adiuncta postulabant et permittebant, idoneos viros ad praedicandum Evangelium mittere Romani Pontifices sategerunt, Apostolicis facultatibus et instructionibus munitos. Etsi autem ab Apostolica Sede pastorali vigilantia, ope, studio, et industria elaboratum semper fuisset « ne tam multae messi deessent operarii, et negotiatio « haec sancta non negligeretur, nihilominus ut maiori cum vigilantia, cura et « fervore opus prosequi posset » (2), tanti momenti negotium peculiari sollicitudini nonnullorum S. R. E. Cardinalium Gregorius XV sa: me: anno 1622 committendum censuit, qui in Congregationem convenirent, cui propagandae in universo mundo catholicae fidei et onus et potestas tributa est. Quae quidem Sacra Congregatio Apostolicarum Constitutionum vestigiis inhaerens, et Regularium praesertim Ordinum, qui opus Apostolicarum Missionum alacriter susceperunt, subsidio usa, evangelicorum operariorum labores iuvare numquam destitit sive facultatum *Formulis*, sive decretis et instructionibus, sive responsis ad quaestiones quae a missionariis sunt propositae. Huiusmodi vero decreta et rescripta, quae semper haud exiguae utilitatis in recta Missionum administratione fuerunt, in unum colligere atque evulgare valde opportunum visum est, uti prudentissimo consilio factum fuit anno 1880 a Presbyteris Parisiensis Societatis Missionum Exterarum quoad ea quae ad ipsos pertinent. Siquidem, ut scite aiebat cl. me. Verricellius, innumerae animi angustiae « apostolicos viros « peracerbe vellicant, torquent, discruciant; dubia siquidem ac difficillimae supra « gordianos nodos quaestiones passim oboriuntur, quas nullibi apud auctores

(1) Gregorius PP. XV in Constit. *Ineffabilis*, 22 Iunii 1622.
(2) Loc. cit.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 54, **169** — ne cogantur mulcta	ne cogantur mulctam
» 64, **189** — pro Missa Sinis	pro Missa in Missionibus Sinensibus
» 69, **201** — *19 Sept. 1871*	*19 Sept. 1671*
» 93, **286** — *17 Iunii*	*27 Iunii*
» 96, **296** — *4 Sept.*	*3 Sept.*
» 212, **369** — De contractis	De contractibus
» 215, **376** — Ex Const. *Anno vertente*	Ex Const. Benedicti XIV *Anno vertente*
» 266, **421** — *5 Aug.*	*1 Aug.*
» 294, **456**, *3* — in quibus Missae prohibentur	in quibus Missae defunctorum prohibentur
» 320, 2 linea 8 — esse	sese
» 321* lin. 26 — *13 Martii*	*15 Martii*
» 359, **568** — *6 Martii*	*18 Martii*
» 369, **593** — *27 Ianuarii*	*21 Ianuarii*
» 392, **643** — quos ... comitantur	quae ... comitantur
» 407, **683** — martulam	chartulam
» 465* lin. 19 — dum illis	dum illi
» 501* *in nota (3)* — (5 Febr. 1522)	(5 Febr. 1622)
» 520, **922** — *23 Maii*	*29 Maii*
» 554, **1022** — pro Iaponis conversione	pro Iaponiae conversione
» 568, **1054** — Candwic	Sandwic
» 605, **1132** — 19 Martii	18 Martii
» 635* lin. 10 — redimendi	reemendi
» 635* lin. 21 — repartitiones	reparationes
» 635* *prope finem* — censurat	censorat
» 636 lin. 39 — His supponitur	Hic supponitur
» 636* lin. 5 — servetur aequitas	servetur aequalitas
» 636* lin. 8 — S. Sedem olim	S. Sedem alias
» 636* lin. 11 — 1779	1778
» 655, **1198** — *3 Aug.*	*1 Aug.*

COLLECTANEA

SACRAE CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

I

Statuitur erectio Sacr. Congr. e Prop. Fide.

Ex Actis S. C. de Prop. F. *an. 1622.* — Sanctissimus in Christo Pater et D. Dominus Gregorius Div. Providentia PP. XV. animadvertens praecipuum Pastoralis officii caput esse propagationem fidei christianae, per quam homines ad agnitionem et cultum veri Dei perducuntur, et sobrie ac pie et iuste vivunt in hoc saeculo; erexit Congregationem 13 Cardinalium et duorum Praelatorum cum suo Secretario, quibus negotium propagationis fidei commisit et commendavit.

In die S. Hilarii 14 Ianuarii 1622 fuit prima Congregatio de Propaganda Fide in qua Cardinales et Praelati commendarunt SSmi zelum et pietatem in huiusmodi magnifica et digna Pontifice actione; deinde habito diligenti tractatu super modo tenendo, decreverunt ut infra sequitur:

1. Quod scribatur Nunciis Apostolicae Sedis ut referant statum religionis in provinciis et regnis eis demandatis; et captis informationibus ab huius rei peritis, S. Congregationi significarent media quibus posset in illis provinciis et regnis fides propagari. — 2. Quod componatur Bulla erectionis huius Congregationis cum suis facultatibus et privilegiis, prout per alios Pontifices in aliarum Congregationum erectione factum fuit.

2

Promulgatur erectio S. C. de Prop. Fide.

Litterae Encyclicae S. C. de Prop. Fide *15 Ianuarii 1622* (AD OMNES NUNTIOS APOSTOLICOS). — Abbraccia il sommo officio del Papa tutto quello che alla salute delle anime può appartenere, ma niuna cosa maggiormente che la cura della fede cattolica, essendo intorno ad essa due opere necessarie, l'una di conservarla ne' fedeli constringendoli etiandio con pene a ritenerla fermamente, l'altra di spargerla e propagarla negl' infedeli; perciò due maniere di procedere sono ancora state tenute nella Chiesa Santa, l'una giudiciale, onde l'officio della Santa Inquisizione si trova istituito, l'altra morale o piuttosto apostolica, onde le Missioni degli operaii fra i popoli, che più n'hanno bisogno, s'indirizzano del continuo; e quindi si son fatti vari seminari, e collegi, per ammaestrare coloro, che si hanno da mandare, e per andar sostenendo li nuovi convertiti. E comechè li Pontefici abbiano sempre alla sovrana cura di ambedue quest'opere atteso, come conveniva: non si è però giammai potuto stabilire in Roma un perpetuo governo per la seconda di esse al quale tutto ciò che si opera nella Christianità, si habbia da riferire, come si è fatto per la prima: perchè da Clemente Ottavo, e forse anche da Pio Quarto, e Pio Quinto, di felice memoria, ben si ordinò alcuna congregatione per tale effetto, ma non hebbono, che che se ne fosse la cagione, troppo felici avvenimenti. Hora che per divina misericordia pare, che si aprano per tutta la Christianità di ampie porte alla conversione degli heretici, et infedeli, N. S. che senza quiete veglia alla conservatione e propagamento della S. Fede, ha deliberato non solo di rinnovare, come à fatto, una congregatione di Cardinali con alcuni Prelati sopra di ciò: ma di allocarla sopra un sicuro fondamento, col quale sia per mantenersi perpetuamente, assignandole alcuna ferma entrata, oltr'a quello che da persone pie già le si offerisce di presente, e se le promette di lasciare nell'avvenire; acciocchè un'opera di tanta importanza alla gloria di Dio, et alla salute dell'anime, si avanzi ad un sublime e sicurissimo stato, perchè senza possedere rendite certe, onde si possano far le Missioni, e mantenere li poveri convertiti e gli allievi per l'istesse missioni, e sovvenire egualmente ai vicini, e lontani, non è da sperarne nè durevolezza, nè troppo frutto. Hieri dunque a laude di Dio, e della Beata Vergine, e de'Santi Apostoli Pietro e Paolo si diè felice principio alla Congregatione, e si ordinò, conforme anche a quello, che S. S. ha comandato, che se ne desse conto a tutti i Nuntii e ministri principali della Sedia Ap., et etiandio a quelli dei paesi, ne' quali, la Dio mercè, non è mestieri di opera tale, perchè potranno ben venir loro delle opportunità da giovarle molto. E si vuole che eglino per destro modo ne facciano parte

ai Principi, o alle Repubbliche, o ai Superiori de' popoli, appresso a' quali si truovano, acciocchè conoscendo l' utilità, anzi la necessità di sì grande officio, l' habbiano sempre a favorire, poichè egli non è altro, che il vero officio dell' Apostolato. Et avvegnachè del favor de' cattolici non si habbia da dubitare, tuttavia per togliere anche i leggieri sospetti, sarà convenevole di dichiarare acconciamente questa santa intentione, la quale non è di rizzar tribunali, o di esercitare giurisdizione temporale in luogo niuno, nè di tenere maniere violenti, o insolite; ma è di attendere per le vie soavi, e piene di carità, che son proprie dello Spirito Santo, alla conversione degl'infedeli, hora predicando, insegnando, e disputando, et hora ammonendo, esortando e pregando, et anche di tirarli dolcemente con l'oratione, co' digiuni, e colle limosine, e fin con le discipline, e le lagrime sparse per loro, alla luce della verità, alla via della salute, et amministrar loro i Santissimi Sagramenti, senza fare niun romore e per dir così con un soave silentio, poichè più la delicatissima untione della misericordia divina, che l'opera humana è quella, che fà l'effetto. E ciò si dice particolarmente per levar l' ombre a gli stessi Principi heretici, a' quali alcuna volta è stato dato a credere, che in tale Congregatione, o nell' altre adunanze che da essa dipendono, si tratti di congiurare contro le persone, e li stati loro, o di sollevar li popoli, o di altre materie politiche, onde par necessario di lasciarsi a pieno intendere perchè non habbiano a sospettarne. Vuole oltre a ciò N. S. che riguardando diligentemente le provincie, e popoli, alla sua Nuntiatura sottoposti, s' informi ciascuno, se vi si facciano missioni e quali, e ce ne dia conto minuto; o se vi si sieno fatte altre volte, e poi tralasciate; e perchè; e se vi sarebbe bisogno di destinarne delle nuove, e dove, e in qual maniera; e similmente d'instituir congregationi, compagnie, collegi, e seminari; et che in generale consideri attentamente tutto quello, che potesse utilmente farsi, così per la conversione degli heretici, o scismatici, o di altri infedeli, come per ritenere i popoli, che maggiormente non s'infettassero, et insieme per impedire i progressi ai ministri e predicatori heretici; cercando più tosto con ogni studio di guadagnare loro stessi; poichè l' acquisto di pochi traerebbe con seco la salvezza d' innumerabili. E oltr' a questo dovrà ciascheduno investigar diligentemente, quali altri rimedii potrebbono porsi per la conversione sopradetta, e metterceli in consideratione. E perchè i Vescovi e i Prelati devono avere grandissima parte in opera così apostolica, essendo eglino propiamente socceduti in luogo degli Apostoli, estima N. S. convenirsi, che ogni Nuntio debba dar conto distintamente di tutto ciò a quelli della sua Nuntiatura; perchè habbiano ad esser cooperatori con S. S., e con la Congregatione a porgerci non solamente l'occasione, e consiglio, ma l'aiuto e l'opera, proponendo all'istesso Nuntio, ovvero a noi quello che al medesimo fine parerà lor meglio, che si faccia. E nè più nè meno si dovrà farne parte a i superiori degli Ordini religiosi di ciascuna provincia, e massimamente a quelli, che per proprio instituto attendono ad una tanta impresa; non pretermettendo in somma niuna via, nè diligenza, nè ufficio, per corrispondere al santo zelo di S. S., e della Congregatione, e rimettere la nostra santa fede là dove è perduta, poichè altrimenti pare, che per li peccati nostri da i regni, e dalle provincie, già tanto cattoliche, con gran pericolo degli altri, sia per andarsi sempre più allontanando. Tutto ciò io (Secretario) scrivo a V. S., perch' ell' adempia quella parte dei presenti ordini, che alla conditione de' popoli al suo carico sottoposti, o in qualunque modo al suo officio può appartenere; anzi si allarghi anche oltr' alle nostre commissioni, perchè la carità non aspetta di essere pregata, nè il zelo richiede commandamenti in cose tali: ma, mentre habbia l'autorità, trapassa sempre i confini di quel che altri possa persuadersi. Et anche nelle provincie cattoliche trovansi degli hebrei, e vi capitano ne' porti, e nelle piazze, o sono ne' confini degli heretici, e scismatici, e degl'infedeli, co' quali non è chiuso il camino di fare guadagno. E di più si scuoprono di quegli, che vogliono dedicare le persone e le facoltà loro a questa gloria di Dio, li quali si potranno confortare e accendere maggiormente, et indirizzarli a questa volta, se farà di mestieri. E benchè io habbia per hora preso a scrivere a V. S. nondimeno nell'avvenire la Congregatione istessa con lettere sottoscritte dal Capo di Essa Sig. Card. Sauli, userà di scriverne a V. S., et agli altri, e S. S. vuole, che si ubbidisca agli ordini della medesima, come a i suoi propri. Ma se V. S. nondimeno darà conto anche a me (Secretario della S. C.) in sostanza di quanto le accaderà, bench' io intervenga nella Congregatione, potrò con tutto ciò più speditamente riferirlo a N. S. per consolatione di S. S., e per testimonio del merito di V. S. la quale però crediamo, che si proporrà in ciò per oggetto la gloria di Dio sopra ogni cosa, e la salute eterna. Et S. D. M. ne le accresca però. lo spirito, e la sua santa gratia.

3

Constitutio Gregorii PP. XV. (De erectione S. C. de Propaganda Fide), *22 Iunii 1622*. — Inscrutabili divinae providentiae arcano, ad Christi Ecclesiae regenda gubernacula, nullis nostris meritis a Spiritu Sancto vocati, praecipuas nostri pastoralis muneris par- Exordium.

tes esse intelligimus, sedulo invigilandi, et quantum nobis ex alto conceditur, intentis studiis adnitendi, ut oves miserabiliter errantes, ad Christi ovile adducantur, ac Dominum gregis agnoscant, et pastorem. Quo scilicet, divina adspirante gratia, desinant per infelicia pascua infidelitatis, et haeresum vagari, et aqua mortifera pestilentiae potari, sed in loco pascuae verae Fidei, ac salutaris doctrinae collocentur, et adducantur ad vitae fontes aquarum. Et vero quis non intelligit, omnem nostram sollicitudinem desiderare, omnemque conatum a nobis exigere, opus adductionis animarum ad Ecclesiam Christi? quippe quod tanti fecerit Deus mundi salutem, ut ipsum Unigenitum suum daret, Unigenitum illum, qui cum esset splendor gloriae et figura substantiae eius, portans omnia verbo virtutis suae, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ut sua nimia charitate servos, et malos servos, Dominus redimeret pretio Sanguinis sui. Inaestimabilis huius charitatis imitatores esse profecto omnes debent, qui christiano nomine fideliter gloriantur, et membra Christi effecti sunt, ut eius verbis factores sint non auditores tantum: nam et per sanctum Apostolum suum monet: *Estote imitatores sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Quod si haec ad unumquemque christianorum scripta sunt, quanto magis ad eos, qui in sortem, et militiam Christi vocati, positi sunt Episcopi regere Ecclesiam suam? quibus saepe per Prophetas suos gravibus verbis comminatur, si pascentes semetipsos, gregem non pascunt, et quod crassum est occidentes, infirmum non consolidant, aegrotum non sanant, confractum non alligant, abiectum non reducunt, perditum non quaerunt. Quae profecto voces ut omnes Ecclesiarum Rectores valde sollicitos habere debent, licet in partem sollicitudinis sint vocati, ita multo vehementius nos urgent, qui in plenitudinem electi, non solum universo gregi, sed etiam Pastoribus praepositi sumus. Quocirca quod Apostolis omnibus a Domino mandabatur, ut praedicarent Evangelium omni creaturae, principaliter Petro incumbebat, qui omnibus praestabat praerogativa Principatus, et cui soli iniunctum fuerat a Domino, ut pasceret oves suas. Quapropter et uni Petro vas illud quasi linteum ostenditur quatuor initiis de caelo submitti in terram, in quo erant omnia quadrupedia, et serpentia terrae, et volatilia caeli, quodque illa vox sequuta est: *Surge, Petre, occide, et manduca,* ut praefiguraretur Petri, et Successorum eius munus ex quatuor mundi partibus homines varia impietate insipientes congregandi, quo eos quasi occidendo, hoc est, veteri vita exuendo, et exutos manducando, idest in sua membra qui visibile erat caput Ecclesiae convertendo, etiam membra Christi redderet, invisibilis Ecclesiae capitis, atque ita adipiscerentur participationem generationis Christi, eamque adepti, quae Christi sunt saperent, quae Christi sunt operarentur, ac demum per gratiam Spiritus Sancti eius in aeterna pascua transferrentur, potandi torrente inexhausto voluptatis Dei. Quantum vero his calamitosis temporibus excreverit errantium, et dispersarum ovium numerus, qui Ecclesiam Sanctam eius Catholicam, Christi ovile, vel nunquam cognoverunt, vel cognitam satanae dolis deseruerunt, sine lacrymis commemorari non potest. Si enim mentis nostrae aciem convertimus ad innumerabilem populorum multitudinem, iam tot saeculis Agarenorum impurissima dementia captam, insanique erroris, ac mendacii tenebris obcaecatam, miseratione commoventur viscera nostra, cernentes tam multis, ac variis caelestibus donis olim celebres nationes, per ignorantiae, et pestilentis persuasionis stuporem, humanitatem in bestiarum naturam fere mutasse, atque ad aeterna incendia diabolo et angelis eius parata, ali ac propagari. Et licet inter eas aliquae sint gentes in iustitia detentae, quae Christi nomen invocant; tamen ita antiquarum haeresum veneno sunt infectae, ut sinceram veritatem paucissimae agnoscant, ac fere omnes, in multis nedum in uno peccantes, factae sint omnium reae. Ubi vero peccatis nostris facientibus, inimicus homo super bonum semen in Septentrionalibus partibus seminavit haeresum zizania ita dira contagia grassata sunt, ut animas innumerabiles iamdiu perdiderit, ac Provincias, et Regna Christo per summam iniuriam erepta, suae tyrannidi mancipaverit. Quamobrem, etsi a fel. rec. Romanis Pontif. praedecessoribus nostris, pastorali vigilantia, ope, studio, et industria elaboratum fuerit, ne tam multae messi deessent operarii, et negotiatio haec sancta non negligeretur, nihilominus Nos, ut maiori cum vigilantia, cura, et fervore, opus prosequi possimus, et in posterum successores nostri possint, nonnullorum Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium peculiari sollicitudini negotium committendum duximus, prout tenore praesentium committimus et demandamus. Volentes, ut in unum congregati, adhibitis etiam aliquot Rom. Curiae Praelatis, et religiosis viris, ac Secretario prout Nos hac prima vice eos adhiberi voluimus, et nominavimus, in commune consulant, tantaeque rei nobiscum invigilent, ac tam sancto, et divinae Maiestati maxime grato operi, quanto melius fieri poterit, incumbant; quod, ut commodius praestari possit, semel coram Nobis, ac bis saltem in domo antiquioris eorum, quolibet mense congregentur, omniaque et singula negotia ad Fidem in universo mundo propagandam pertinentia cognoscant, et tractent, et graviora quae in praedicta domo congregati tractaverint, ad

Pontifex erigit Congr. nonnullorum Cardd.

Quolibet mense semel coram Pontifice, bis autem inter ipsos praecipit congregari.

Facultates concedit ea gerendi, quae missionibus necessaria videbuntur.

Nos referant: alia vero per se ipsos decidant, et expediant pro eorum prudentia. Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium, et Catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituant, et mutent. Nos enim eis, tam praemissa, quam omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna etiam si talia fuerint, quae specialem, specificam, et expressam requirant mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi et exequendi plenam, liberam, et amplam facultatem, auctoritatem, et potestatem, Apostolica auctoritate, earundem tenore praesentium concedimus et impartimur. Ut vero res tanti momenti, in quam magnos sumptus fieri necesse est, per temporalium cum spiritualibus felicem commutationem, nullo retardato impedimento, facilius et clarius procedat, ultra ea, quae ex arca nostra privata suppeditari iam mandavimus et piorum fidelium liberalitate collata sunt, et in posterum non defutura subsidia in Domino confidimus, cum nostrum, et huius Sanctae Sedis proprium sit negotium, certos huic operi reditus ex Camera nostra Apostolica in perpetuum attribuemus, eorumque administrationem iisdem Cardinalibus committemus, prout in aliis nostris expedientes literis plenius continebitur. Cardinales autem, quos sancto huic negotio praefecimus, sunt qui sequuntur: Antonius Ostiensis Saulius, Odoardus Sabinensis Farnesius, Octavius Praenestinus, Episcopi; Bandinus Franciscus S. Praxedis de Surdis, Maphaeus S. Honuphrii Barberinus, Ioannes Garzias SS. Quatuor Coronatorum Millinus, Gaspar Sanctae Crucis in Hierusalem Borgia, Robertus S. Alexii Ubaldinus, Scipio S. Susannae, Petrus S. Salvatoris in Lauro Valerius, Itelius Fridericus S. Laurentii in Pane et Perna de Zolleren, Ludovicus S. Mariae Transpontinae Ludovisius, et Franciscus S. Matthaei, Titulorum Presbyteri Cardinales, Sacratus, nuncupati. Praelati vero, dilecti filii Io. Baptista Vives in utraque Signatura nostra Referendarius, et Io. Baptista Angucchius Secretarius noster, ac Sedis Apostolicae Notarius, et Dominicus a Iesu Maria Ordinis Carmelitarum Discalceatorum Professor, et Vicarius Generalis. Secretarius vero a Nobis pariter deputatus dilectus filius Franciscus Ingolus Presbyter Ravennas U. I. D. Decernentes praesentes litteras, ac omnia et singula in eis contenta, semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter perpetuo observari debere. Sicque et non aliter per quoscunque Iudices, ordinarios et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, ubique iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, quibusvis Ordinibus, Congregationibus, Societatibus et Institutis, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis, in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrorum commissionis, demandationis voluntatum, decretorum, concessionis, impartitionis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum. Dat. Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, decimo Kal. Iulii, Pontificatus Nostri Anno secundo.

Reditus eidem Congregat. ex Apost. Camera attribuendi.

Cardinales et Praelati iam deputati.

Clausulae pro huius Constitut. firmitate.

Clausulae derogatoriae.

Clausulae poenales.

4

Ex Const. *Romanum* **Greg. PP. XV.** *22 Iunii 1622.* — Emolumenta annulorum cardinalitiorum... cum omnibus et singulis iuribus et actionibus exinde dependentibus, praedictae Congregationi de Prop. Fide (ita quod liceat S. R. E. Cardinalibus nunc et pro tempore existentibus Congregationis huiusmodi, seu ab illis deputatis, vel eorum ministris emolumenta ab haeredibus Cardinalium, quos de cetero perpetuis futuris temporibus ab hac vita migrare contigerit, cuiusvis licentia desuper minime requisita, sed propria auctoritate, etiam per mandatorum ab antiquiore Congregationis huiusmodi Cardinali simpliciter et de plano ac sine ullo strepitu et figura iudicii ac manu regia decernendorum et relaxandorum vim, recipere, exigere, levare, ac illa penes Montem pietatis deponere, seu in tot locis Montium non vacabilium, aut alias quovis modo, arbitrio dictae Congregationis, ad effectum illa in pios usus et necessitates ipsius Congregationis, similiter eius arbitrio et prout ipsis melius videbitur, exponenda et eroganda investire) etiam perpetuo donamus, concedimus et assignamus.

Annulorum cardinal. emolumenta S. C. de Prop. Fide addicuntur.

5

Ex Const. *Cum inter* **Gregorii XV.** *14 Dec. 1622.* — ... Perpetuis futuris temporibus quaecumque patentes, seu alio quovis nomine nuncupentur litterae, chirographa, instru-

Documenta de rebus ad S. C. de Propag. Fide spectantibus gratis tradenda.

menta, testamenta, et aliae quaecumque scripturae, quocumque nomine censeantur, nec non quaecumque Litterae Apostolicae tam sub plumbo, quam in simili forma Brevis, earumdemque Litterarum Apostolicarum supplicationes super quibuscumque negotiis, rebusque et bonis tam mobilibus quam immobilibus ad ipsam Congregationem quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac demum quodcumque interesse eamdem Congregationem quovis modo et ex quavis causa concernentes, pro tempore conficiendae et registrandae; nec non similiter quaecumque litterae, quas ex omnibus mundi partibus eidem Congregationi scribuntur, ac illae quae eiusdem Congregationis nomine extra almam Urbem nostram mittentur, gratis omnino et absque ulla mercede, aut alicuius rei, etiam quantumvis minimae, solutione expediri, confici, registrari, relaxari, tradi et mitti debeant tenore praesentium concedimus et indulgemus.

6

Missionarii a C. approbandi.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *24 Iunii 1623.* Occasione petitionis per Generalem Minorum de Observantia factae, S. C. decrevit ut in omnibus Missionibus infrascriptus ordo perpetuo observetur:

1. Quod Generales et alii Superiores Regularium religiosos sibi subditos quos ad propagandam fidem in quascumque mundi partes mittere continget, Sacrae Congñi prius nominent, ad hoc ut priusquam mittantur ab eadem examinentur et approbentur.

2. Quod pro approbatis Patentes iuxta formulam alias a Congñe approbatam cum subscriptione Cardinalis Praefecti et Secretarii ac sigillo Congregationis expediantur.

7

Studia linguarum instituenda.

Decr. S. C. de Prop. Fide. *16 Octobris 1623.* Quoniam a Concilii Viennensis celebratione (1) usque ad praesens experientia comprobavit, Regulares, etiam si multoties fuerint commoniti, linguarum studia aut non instituisse, sicut illis praeceptum fuerat, aut instituta deseruisse, et novissime hoc idem compertum est ex iis quae contigerunt post Constitutionem f. r. Pauli Papae V (2) et decreta S. Congñis de Propaganda Fide promulgata et Gñalibus Ordinum intimata, eadem S. C. dolens opus ad animarum salutem simpliciter necessarium tam facile negligi ab iis qui ad illam procurandam praecipue a sanctis Regularium Ordinum fundatoribus a primaeva eorum institutione man-

---

(1) In Concilio Oecumenico Viennensi, quod anno 1311, Clemente V. Pontifice Maximo, celebratum fuit, statutum est ut in scholis et Universitatibus Romae, Parisiis, Oxonii, Salmanticae et Bononiae constituerentur catholici magistri, qui publice docerent linguam hebraicam, chaldaicam et arabicam.

(2) En Const. Pauli PP. V. *31 Iulii 1610:* « Apostolicae servitutis onere infirmitati nostrae a Domino, inscrutabili consilio eius, imposito assidue admonemur, sapientibus et insipientibus constitutos nos esse debitores, ut scilicet per ministerium nostri apostolatus, qui sapiunt, quod sanctus docet Bernardus, non desipiant, qui non sapiunt, sapiant; et qui desipuerunt, resipiscant: quibus verbis instrui nos satis perspicimus, ut fideles in fide et charitate conservare, infideles ab infidelitatis tenebris educere; et haereticos ac peccatores a perversitate erroris, ac servitute peccati liberare, adspirante gratia Dei, a quo omnis sapientia, pastorali sollicitudine procuremus.

1. Cum vero praeceptum Domini lucidum illuminet oculos, ac testimonium eius fidele sapientiam praestet parvulis, omni vigilantia procurare debemus, ut praedicatores et doctores verbi Dei ad opus Dei operandum instructi reddantur in dies magis, et partes suas, quantum cum Domino fieri potest, ad gloriam eius et utilitatem animarum quotidie melius et felicius adimpleant. Cui rei plurimum conducere satis constat linguarum cognitionem, hebraicae praesertim, graecae, latinae et arabicae: haec enim conversioni infidelium opportunissima esse dignoscitur, quando magna eorum pars aut arabice loquitur, aut intelligit: ac si unquam reliquarum trium linguarum notitia in Ecclesia Dei utilis fuit, diebus nostris profecto utilissima est: hostis enim humani generis linguarum scientia, singulari dono Dei hominibus tradita, ad ipsius largitoris contumeliam et fidei suae catholicae detrimentum nunc maxime abutitur.

2. Quamobrem felicis recordationis Clementis Papae V. praedecessoris nostri, quantum conditio temporis patitur, vestigiis insistentes, motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione nostris, deque apostolicae nobis attributae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione sancimus, statuimus et ordinamus, ut in cuiuscumque Ordinis et Instituti Regularium, tam mendicantium quam non mendicantium, etiam quomodolibet exemptorum et Apostolicae Sedi immediate subiectorum, studiis omnibus trium linguarum huiusmodi, hebraicae videlicet, graecae et latinae, in maioribus vero ac celebrioribus etiam arabicae, doctores, Regulares quidem et eiusdem Ordinis, si in illo harum linguarum sufficientem notitiam habentes sint, sin minus, saeculares, aut alterius Ordinis Regulares, qui illas actu et diligenter doceant, habeantur, si studia in urbibus et locis existunt, ubi linguarum praedicatu peritos conducendi facultas est: studiis vero locorum, ubi huiusmodi doctores desunt, cum primum in aliis studiis, ubi linguae huiusmodi docebuntur, scholares tantum profecerint, ut docendis aliis idonei sint, de iisdem scholaribus provideatur.

3. Quod ut citius et facilius fieri possit, et sperati fructus ex linguarum huiusmodi studio appareant, omnibus et singulis regularium superioribus, sub indignationis nostrae poena, eadem auctoritate, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, et, si ipsi negligentes fuerint, eorumdem Ordinum regularium apud nos et Sedem Apostolicam protectoribus iniungimus, eorum conscientias desuper onerantes, ut omni cura et sollicitudine quanto citius provideant, ut scholae linguarum huiusmodi quamprimum instituantur, ac doctores praedicti deputentur, earumdemque linguarum lectionibus scholares assignentur, qui illis sedulam et assiduam operam navent.

4. Hi vero scholares, ut alacrius huic studio incumbant, volumus et decernimus ut in promotione ad doctoratus gradus et ad alios sui Ordinis honores, illi caeteris paribus praeferantur, qui in cognitione trium saltem linguarum praedictarum profecerint, ita ut ad illas docendas apti sint.

Non obstantibus etc.

cipati sunt, cupiensque Concilium, Constitutionem ac decreta praefata omnino executioni demandari, ut evangelicos operarios linguis instructos habeat, quos cum necesse fuerit ad messem Domini amplissimam, Dei verbum sitientem mittere possit, praesenti decreto, Smo D. N. Urbano VIII annuente, iterum Regularium, et cuiusvis Instituti, Societatum et Congregationum Gñalibus, aliisque eorum superioribus praecipit ut linguarum studia, iuxta Concilii, Constitutionis et decretorum praefatorum praescriptum omnino instituant, institutaque conservent, et ubi fieri possit, ampliora efficiant....

Obligantur missionarii ad studia linguarum.

Ceterum quia non satis est Superiores Regularium suum in hac re praestare officium, si qui linguis studere debent, opus hoc vere pium detrectent et negligant, eadem S. Congregatio eodem Sanctissimo similiter annuente praecipit, ne deinceps Regulares ad magisteria vel alios gradus suarum Religionum, seu, ubi non sunt magisteria et gradus, ad dignitates a Superioribus eorum admittantur, nisi cum Theologia per biennium etiam uni saltem ex linguis, quae in dictis Concilio, Constitutione et decretis praescribuntur, operam dederint eamque perfecte calluerint; super quo a locorum Ordinariis praesentibus, quorum conscientiam Sacra Congregatio onerat, examinari debeant priusquam ad ea, eos, easve assumantur; quod si contra praesentis decreti dispositionem, ad magisteria, seu gradus, vel dignitates praedictas admissi fuerint, magisteriorum, seu graduum vel dignitatum praedictarum collatio nulla sit, et Superiores, qui transgressi fuerint, passiva voce perpetua privati existant. Quoniam autem multi praemio magis ad virtutes incitantur, quam poenis, eadem Sacra Congregatio mandavit eos quos praeter theologiam uni etiam ex dictis linguis per biennium operam dedisse, eamque perfecte callere, experimento ut supra facto, constiterit, ad magisteria suarum Religionum, seu alios gradus, ad quamlibet ipsorum petitionem statim promoveri, et in electionibus ad officia et dignitates regulares, coeteris paribus, iuxta dictam Pauli V Constitutionem, aliis omnino praeferri, alioquin electio aliter facta nulla sit et invalida. Non obstantibus etc.

Poenae in transgressores.

Praemia pro observantibus.

8

Facultas Episc. ruthenis dispensandi cum servis latinor. in festis et iciuniis.

S. C. de Prop. F. – C. G. (coram SSmo) *7 Febr. 1624* – Petente Archiepiscopo Chioviensi, an praxis, qua Episcopi rutheni uniti cum suis subditis latinis dominis inservientibus dispensant ut, dum in eo servitio permanent, possint festa celebrare iuxta calendarium gregorianum, et, si propriam culinam non habeant, ieiunia latinorum servare, esset legitima: SSmus de consilio, et assensu S. Congregationis de Prop. Fide respondit praxim praefatam, quoad causam dispensationis esse legitimam, et ideo Archiepiscopis et Episcopis ruthenis unitis hanc dispensandi cum suis subditis facultatem praedicta ex causa concessit.

9

De baptizand. natis ex patre turca.

S. C. S. Officii *8 Februarii 1624* – Filii infantes mulieris quae fuit apostata a fide et illos genuit cum patre turca, post absolutionem matris, si ipsa instat, baptizentur (1).

10

Privilegiis clericorum gaudent orientales.

S. C. de Prop. Fide C. G. *30 Aprilis 1624* – Ad petitionem Archiepiscopi Chioviensis S. Congregatio declaravit sacerdotes et clericos ruthenos unitos eisdem privilegiis, canonis videlicet, fori, immunitatis, et libertatis gaudere, quibus sacerdotes et clerici latini gaudent et potiuntur, iussitque scribi Poloniae Nuntio ut eos in praedictorum privilegiorum usum restitui, vel in eo manuteneri, nisi aliquid quod obstet rescribere ad Congregationem habeat.

11

De publicis disputationibus cum haereticis.

S. C. de Prop. Fide *8 Martii 1625* — S. Congregatio iussit publicas disputationes non fieri cum haereticis, quia plerumque vel ob loquacitatem vel audaciam aut circumstantis populi acclamationes veritas falsitate praevalente opprimitur; et si aliquando huiusmodi disputationes excusari non possent, primum de illis certior fiat S. Congregatio, quae iuxta temporis et personarum qualitatem quid agendum sit peculiariter praescribet.

12

Facultates missionar. tempore Iubilaei.

S. C. S. Officii *29 Aprilis 1625* — Facultates a S. Officio missionariis concessae, per Bullam Iubilaei anni sancti non suspenduntur.

13

Qualia in missionariis requisita.

S. C. de Prop. Fide *2 Maii 1625* — S. Congregatio... de speciali SSmi D. N. man-

(1) *S. C. S. Officii 12 Octob. 1600:* « An filii mu» lierum christianarum et patris turcae..... sint bapti» zandi, instante patre vel matre, cum pater progressu » aetatis illos instruat in secta mahumetana, et filii » timeant profiteri se esse christianos ».

R. Baptizentur. – Moneatur Episcopus ut diligenter curam educationis habeat, et exprimat si certum sit quod omnes efficiantur turcae, apostatent a fide et labantur in mahumetanismum: si non adsit certitudo apostasiae, baptizentur; si adest certitudo, iterum proponatur.

dato omnibus Generalibus et aliis Religionum Superioribus qui missiones ad Indias facere consueverunt, aut etiam in futurum facturi sunt districte praecipit ne deinceps Religiosos suos ad Indias Orientales vel Occidentales mittant nisi illis sufficienter constiterit quod viri sint fide, morum probitate, doctrina, regulari observantia et zelo propagandae Fidei catholicae praediti, alioquin sciant non solum sibi divini iudicii imminere vindictam, sed etiam Sanctitatis suae et Romanorum Pontificum successorum suorum subeundam esse censuram, si praeceptum hoc, quod animarum respicit salutem, contempserint vel neglexerint.

14

Facultas absolvendi ab haeresi non competit Regularibus.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *13 Iunii 1625* — An Regulares vigore suorum privilegiorum etiam per viam communicationis eis competentium possint absolvere ab haeresi, prout quidam religiosi de facto in vim dictorum privilegiorum absolvunt.

R. Regulares nullo modo posse in vim suorum privilegiorum etiam per viam communicationis eis competentium ab haeresi absolvere, et proinde qui huiusmodi facultatem sibi usurpant, eaque utuntur de facto, male facere.

15

Matrimonia Iaponiae coram duobus testibus tantum.

S. C. de P. F. – C. G. *13 Iunii 1625* — Quoad matrimonia Iaponiae in futurum contrahenda, S. Congregatio de speciali mandato SSmi D. N. censuit ut, non obstante decreto Concilii Trid. de Matrimonio iam pridem in ea insula publicato, matrimonia in praesentia duorum testium tantum valide contrahi possint, si tamen in loco ubi matrimonium contrahetur, vel in vicino ad quem sine periculo accedi possit, parochus vel alius sacerdos saecularis sive regularis non existat ab Episcopo deputatus; cui Episcopo S. Congregatio districte praecipiendo mandavit, ut, ad maiorem contrahentium commoditatem, in diversis Iaponiae locis sacerdotes saeculares vel regulares constituat cum facultate speciali assistendi matrimoniis.

16

De Missarum oneribus adimendis.

S. C. Concilii *21 Iunii 1625* — Cum saepe contingat in quibusdam ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus praescriptis nequeat satisfieri, et tamen nova onera Missarum in dies suscipiantur, indeque fiat ut depereant piae testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac christifideles, gravi scandalo affecti, plerumque a similibus charitatis operibus retrahantur; cumque his malis maximum inter caetera fomentum praebeat, aut quod ii qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri, aut quod ecclesiis, sorte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeo tenuis, ut non facile inveniantur, qui velint huic se muneri subiicere, et reditus ecclesiae aut monasterii adeo exigui, ut sacerdos, pro necessaria sua sustentatione, novis se oneribus obstringere compellatur; S. C. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, animadvertens facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac iustitiae maxime consentaneam, si pro viribus satagat hunc deterrimum abusum e christiana republica convellere atque eradicare, SS. D. N. Urbani divina providentia Papae VIII auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit.

Missar. onera nonnisi Ap. Sedes reducit.

I. Ac primo districte prohibet atque interdicit ne Episcopi in dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias, quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis aut moderandis vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin, reductiones, moderationes et commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

Tot Missae celebrentur quot eleemosynae.

II. Deinde ubi, pro pluribus Missis eiusdem qualitatis celebrandis, stipendia quantumcumque incongrua et exigua, sive ab una, sive a pluribus personis, collata fuerunt aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac Locis piis quibuscumque, tam saecularibus quam Regularibus, S. C., sub obtestatione divini iudicii mandat ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur.

Contraria privilegia revocantur.

III. Id vero ut deinceps observetur exactius, S. C. eadem auctoritate, revocat privilegia et Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis ac Locis piis, tam saecularibus quam Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus Collectis seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis, satisfiat.

Susceptam eleemosynam sacerdos integre alteri celebranti dare debet.

IV. Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.

Bona mobilia cum Missar. onere in immobilibus investienda.

V. Praeterea, ne in ecclesiis in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores ac segniores reddantur, quod onera huiusmodi cum nulla aut parva sint utilitate coniuncta, statuit atque decernit, ut pecunia ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus ac Locis omnibus, tam saecularibus quam Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda, a die realis acquisitionis statim deponi debeant penes aedem sacram vel personam fide et facultatibus idoneam ad effectum illa seu illorum pretium quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris quod illis annexum repetitur. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium, sub eadem poena ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilius itidem fructiferis, cum eiusdem oneris repetitione atque annexione, converti debeat. Ad haec S. C. quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus et Congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum ac piorum Locorum, tam saecularium quam Regularium, Superioribus, vel aliis ad quos pertinet, districte prohibet ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum, saeculares quidem sine Episcopi vel eius generalis Vicarii, Regulares vero sine Generalis vel Provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda; alioquin saecularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso; Regularis vero poenam privationis omnium officiorum quae tunc obtinebit, ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda, vocisque activae ac passivae absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus ante impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesiis cum inscriptione illa: *eleemosyna pro Missis,* vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

Quid observandum in accipiendis eleemosynis manualibus.

Quid cavendum antequam novor. onerum susceptio permittatur.

VI. Episcopus vero seu eius Vicarius, aut Generalis vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiae aut Loco pio incumbentibus; nec antea assensum huiusmodi aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo quam antiquis iam susceptis, satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut reditus, qui Ecclesiis et Locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adiunctis, secundum morem cuiusque civitatis vel provinciae, intelligantque, si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novissimo die huius praetermissi muneris rationem esse reddituros.

17

De validitate matrimoniorum sine parocho in Iaponia contractis.

S. C. de P. F. – C. G. *27 Iunii 1625* — In Iaponia, in qua supponitur publicatum decretum Concilii Trid. de Matrimonio, fuerunt plura matrimonia contracta sine parochi praesentia ob penuriam sacerdotum, maxime post persecutionem inchoatam anno Dñi 1614. Quaeritur an Papa possit in praedictis matrimoniis dispensare supplendo defectum substantialis illius solemnitatis, ita ut contrahentes non teneantur iterum contrahere, saltem secreto, praesertim cum difficillimum sit illa matrimonia fere innumerabilia eo modo revalidare, durante praesertim persecutione.

R. S. Congregatio censuit per SS. D. N. in casibus praedictis esse declarandum, Concilium, etiam publicatum, non obligasse in Iaponia, et propterea matrimonia ibi contracta sine parocho fuisse et esse valida, dummodo tamen saltem coram duobus testibus celebrata fuerint. – Die 2 Iulii 1625. SS. D. N. Urbanus VIII approbans sententiam S. Congr. declaravit praedicta matrimonia in Iaponia sine parocho, ut praefertur, contracta, fuisse et esse valida, iuxta declarationem Cardd. Concilii Trid. Interpretum pro Hollandis, Zelandis et Frisiis editam.

18

Collegiorum relationes a rectoribus exhibendae.

S. C. de Prop. Fide. *19 Sept. 1625* — Cum ex visitationibus Collegiorum pontificiorum per Nuntios Apostolicos de mandato SSmi D. N. Urbani VIII factis, Sacrae de Prop. Fide Congregationi innotuerit rectores praedictorum Collegiorum reprehensibilem commisisse negligentiam tum in reddendis, temporibus debitis, dati et accepti rationibus, tum in significandis Romano Pontifici alumnorum nominibus, eorumque post completa studia occupationibus; eadem S. C. de speciali eiusdem SS. D. N. mandato districte praecepit et praecipit singulis Collegiorum praedictorum rectoribus praesentibus et in posterum futuris, ut de cetero, singulis ad minus annis, rationes dati

et accepti reddant Apostolicis Nuntiis in quorum Nuntiaturis praefata existunt Collegia, eisque nomina alumnorum qui in dicta Collegia recepti et admissi fuerint, ac illorum, postquam ab eisdem Collegiis exierint, occupationes et praecipuas actiones significent; alioquin si per negligentiam aut alia causa praesenti decreto non obtemperaverint, provisiones quas Sedes Apostolica eorum Collegiis solvere consuevit, suspendentur, ipsique rectores arbitrio Suae Sanctitatis, et Romani pro tempore Pontificis punientur.

19

Iuramentum collegiorum a-mnis imposi-m.

S. C. de Prop. Fide - Cong. Gen. *24 Nov. 1625* — S. Congregatio de mandato speciali SS. D. N. Urbani VIII Rectoribus Collegiorum Pontificiorum nunc et pro tempore existentibus districte praecipit, ut ab alumnis, qui maiores quatuordecim annis in praefatis Collegiis in posterum recipientur, tempore admissionis eorum, vel, si minores fuerint, post quartum decimum annum completum, iuramentum iuxta subiectam formulam (1) omnino exigant; illudque, ut praefertur, exactum ac manu eorum subscriptum in Archiviis Collegiorum praedictorum diligenter asservent. Insuper eadem S. Congregatio declarat, quod per huiusmodi iuramentum praefatos alumnos ab aliis obligationibus, et iuramentis, quae forsitan ex Collegiorum praedictorum constitutionibus praestare consueverunt, eximere non intendit, nisi quatenus infrapositae formulae contraria extiterint, sed ea omnia firma et illaesa manere vult, ac in eodem robore persistere, ac si praesens decretum non emanasset. Praeterea de mandato similiter speciali eiusdem S. D. N. statuit, et decernit neminem deinceps praedictorum alumnorum contra infrascriptam iuramenti formulam in aliqua Religione, Societate et Congregatione Regulari a superioribus recipi, nec ad professionem admitti posse vel debere; alioquin receptio, et professio nullae sint, ac nullius roboris, et firmitatis, et qui ex antedictis superioribus alumnos huiusmodi contra subiectam iuramenti formulam receperit, vel ad professionem admiserit, activa et passiva voce praesentis decreti auctoritate careat. Non obstantibus Collegiorum fundationibus, ac decreto, die 9 Augusti 1624, de hac materia edito, et Rectoribus praedictis intimato (2), nec non Constitutionibus Apostolicis, consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis, et aliis quibuscumque in contrarium quomodolibet facientibus.

20

Acta Martyrum a Protonotario Apostolico scribenda.

S. C. de Prop. Fide - Cong. Gen. *6 Febr. 1626.* — Quoniam frequenter in Ecclesia Dei, et potissimum hac nostra aetate propter diversas haereses pessimorum hominum malitia exortas, catholici diris infidelium, vel haereticorum persecutionibus, exilia, carceres, aliasque poenas, et denique mortem ipsam fortiter sustinent pro Catholica Fide, et multoties contingit, ut in Sacra Congregatione de illorum confessionibus, gestis, ac martyrio fiat relatio, Patres, veterum Pontificum permoti exemplo, unanimi consensu censuerunt unum ex Protonotariis Apostolicis in ipsa Congregatione adscribendum esse, qui Confessorum et Martyrum gesta, quae in ea referentur, scribat, ut et tantorum virorum praestantissima virtus ad Dei gloriam, ipsorumque laudem, immortalitati consecretur, et posteris exempla verae fortitudinis ad imitandum relinquantur.

21

Licentia Missionariis induendi habitum saecularem.

S. C. de Prop. Fide - Cong. Gen. *3 Martii 1626.* — Licentia induendi saecularem habitum intelligitur concessa eo ipso quod Missionarii destinantur ad loca in quibus, sine evidenti periculo, religiosi in habitu religioso incedere non possunt.

22

A Missionum Praefectis annua relatio mittenda.

S. C. de Prop. Fide - Cong. Gen. *4 Maii 1626.* — S. Congregatio mandavit per Procuratorem Generalem Capuccinorum Praefectis Missionum suorum religiosorum praecipi ut, singulis annis ad minus, de eorum gestis, et in conversione haereticorum vel infidelium progressibus relationem ad Urbem mittant.

23

Missionarii in sui officii executione haud impediendi.

Decr. S. C. de Prop. Fide *24 Iulii 1626.* — Quoniam Sacra Congregatio non sine animi molestia certissime cognovit Superiores Regularium, partes orientales incolentium, diversis praetextibus, et praesertim ordinariae iurisdictionis sed Apostolico privilegio illis concessae, plurima impedimenta Missionariis, a se vel ab aliis auctoritate sua ad praedictas partes destinatis, procurare, quibus perterriti, non solum a munere suo cessare, sed etiam loca eis assignata deserere coguntur; simulque considerans quod frustra missiones ad orientis regiones tot expensis laboribus, ac periculis fie-

(1) V. Const. Alex. PP. VII *20 Iulii 1660,* ubi iuramenti formula cum additamentis praescribitur.

(2) In decreto cit. iuramenti ab alumnis praestandi formula aliquantum diversa praescripta fuerat.

rent, si Missionarii in eorum officii executione impedirentur, aut e locis, ad quae destinati sunt, deturbarentur; ad relationem Illmi D. Card. Marcomontii, censuit Missionariis quibuscumque tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis et Instituti, seu Congregationis et Societatis a se, vel ab aliis auctoritate sua ad praefatas regiones destinatis seu destinandis sufficere quod Literas Patentes suae missionis praedictis Superioribus, vel eorum Vicariis, aut Ministris, etiam ordinariam potestatem ex privilegio Sedis Apostolicae habentibus, ostendant, ut illis ostensis, sive obtenta sive non obtenta ab eis vel eorum quolibet licentia, possint libere ac licite suum officium et munus exequi. Denique praecipiendum esse censuit, prout praesenti decreto districte praecipit superioribus praefatis eorumque vicariis ac ministris, ne post illis ostensas Patentes praedictas, ullo modo impedire praedictos missionarios audeant quominus officium suum exercere possint ac valeant, alioquin pro modo culpae severe a SSmo D. N. punientur.

24

Indultum pro visitatione Ss. Liminum per procuratorem.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *28 Iulii 1626.* — SSmus D. N. in Congregatione de Propag. Fide iustis de causis animum suum moventibus, et de consilio Ven. Fratrum suorum eiusdem S. Congreg. Cardinalium, Episcopis in partibus infidelium constitutis qui ab eadem Congregatione stipendia habent, vel ab ipsa in negotiis occurrentibus diriguntur, indulsit, ut non obstante Constitutione fel. rec. Sixti V praedecessoris sui de Liminibus Apostolorum visitandis, Limina praedicta, temporibus in ea constitutis, per procuratorem etiam in Curia Romana existentem, specialiter singulis vicibus visitationis faciendae constituendum visitare possint ac valeant, mandavitque Congregationis Concilii Tridentini Secretariis pro tempore ut visitationes Liminum a praedictis Episcopis, ut praefertur, faciendas admittant, non obstante dicta Constitutione, et aliis quibuscumque in contrarium quomodolibet facientibus.

25

De facultate Regularium celebrandi in ecclesiis suorum Ordinum.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *28 Iulii 1626.* — Relata fuit declaratio S. Congnis Concilii Tridentini ad dubia proposita ab Episcopo Zacynthi, quae ad calcem praecedentis Congnis fuit registrata (1). Patres tamen SSmo D. N. approbante dixerunt declarationem praedictam intelligendam esse quoad Regulares peregrinos, qui in ea insula ecclesias suorum Ordinum habent. Ceterum quoad Regulares non habentes ecclesias suarum Religionum concedendam esse (prout concessa fuit) Episcopo praedicto facultatem eos prohibendi ne sine sua licentia Sacrum ibi celebrent.

26

De Inquisitionis munere a Praelatis Missionum exercendo.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *6 Nov. 1626.* — Quoad munus Inquisitionis exercendum per Praelatos Ecclesiarum Iaponiae, Synarum et Malacae, ubi non sunt Inquisitores, et praesertim in provinciis Regi Catholico non subiectis Sacra Congregatio dixit frustra id peti, cum de iure communi Praelati praedicti facultatem exercendi officium S. Inquisitionis habeant; ad maiorem autem cautelam illam eis posse concedi.

27

Facultates Protonotariis S. C. concessae.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *9 Nov. 1626.* — Relatis iis, quae Illmis Cardinalibus Bandino et Marcomontio inserenda visa sunt in peculiari Brevi expediendo pro R. P. D. Antonio Sanctacrucio Sacrae Congregationis Protonotario, SSmus mandavit, ut narrata breviter antiqua septem Notariorum Clementis Primi ad conscribenda Martyrum gesta, institutione, eidem R. P. D. Sanctacrucio, et in eius locum successoribus Protonotariis eiusdem Congregationis in perpetuum facultates infrascriptae concedantur:

1. Ut facilius et certius relationem in eadem Sacra Congregatione facere valeat de gestis Martyrum, qui quocumque in loco Orbis terrarum a die institutae Congregationis de Propaganda Fide, passi sunt, aut in futurum pa-

---

(1) In Actis Congregationis Generalis (de Propag. Fide) diei 14 Iulii 1626 haec habentur: « S. C. censuit instantiam Episcopi Zacynthi remittendam esse Illmis Patribus Sac. Concil. Trid. Interpretibus ut ab eis infrascriptum dubium discutiatur et diffiniatur, videlicet: *An Ordinarii locorum vigore Concilii Trid. de observandis et evitandis in celebratione Missae, possint, tamquam Sedis Apostolicae delegati, sub poenis et censuris prohibere ne regulares peregrini in ecclesiis suorum Ordinum in ipsorum Ordinariorum dioecesibus constitutis Missas celebrent sine eorum licentia;* et si fortasse huiusmodi dubium negative diffiniatur, S. C. censebat ob rationes ab Episcopo praedicto allegatas posse eosdem Illmos Patres cum SSmi beneplacito eidem Episcopo facultatem faciendi praedictam facultatem concedere ». Responsum autem S. C. Concilii ita refertur in iisdem Actis: « Ad dubia proposita ab Episcopo Zacynthi S. C. Concilii respondit ut infra: *Die 27 Iulii 1626. S. Congregatio Illmorum Cardinalium Concilii Trid. Interpretum respondit: Ad 1. Ordinarios locorum ex dispositione Sac. Concil. Trid. prohibere non posse ne Regulares peregrini in ecclesiis suorum Ordinum Missas celebrent absque eorum licentia. — Ad 2. Non esse concedendam Episcopo Zacynthi facultatem faciendi huiusmodi prohibitionem, nisi concurrat frequentia casuum cum negligentia non corrigibili Superiorum Regularium* ».

tientur, testes in Romana Curia repertos, aut reperiendos, de praefatis gestis informatos, recipere, et examinare possit, eorumque examina, seu processus in publicam, et authenticam formam redigere, et examinibus, ac processibus praefatis ab eo subscriptis, et subsignatis, plena fides, sicut praefatorum septem Notariorum a Clemente Primo praefato institutorum attestationibus et scripturis, habeatur.

2. Quod de praefatis gestis Martyrum scripturas quascumque undequaque Romam allatas examinare, et illas cum opus fuerit, in Curia recognosci facere per habentes notas manus et sigilla in eadem Curia repertos.

3. Quod quarumcumque scripturarum ad Martyrum gesta pertinentium, quae ad eius manus pervenient, transumpta conficere, illasque authenticare possit et valeat, transumptisque praefatis ab eo subscriptis et subsignatis plena fides, sicut originalibus penes ipsum existentibus, adhibeatur.

28

Medicinae exercium Missionas illicitum.

S. C. de Prop. Fide *20 Novembris 1626.* — S. C. mandavit per Episcopum Sophiensem praecipi Religiosis in capellis Bulgarorum constitutis ne de caetero medicamenta seu medicinas praesertim purgativas exhibeant infirmis sive fidelibus sive infidelibus, cum, iuxta Sac. Canonum dispositionem, sacerdotibus et in sacris constitutis huiusmodi professio sit omnino prohibita.

29

De Sacramento Confirmationis sine mitra conferendo.

S. C. de Prop. Fide – Cong. Gen. *7 Dec. 1626.* — Petente Ep. Sardonensi et Ecclesiae Bosnensis Administratore facultatem conferendi Sacram. Confirmationis sine mitra in oratoriis privatis, S. C. respondit eumdem posse privatim conferre Sacram. Confirmationis sine mitra, sola tantum adhibita stola.

30

Cooperatio in idolor. templis fabric. illicita.

S. C. de Prop. Fide. *7 Dec. 1626.* — Non posse Iaponios fideles, ut periculum mortis vel exilii evitent, altaria vel templa idolis fabricare aut eorum fabricae cooperari.

31

De absolutione relapsorum in haeresim.

S. C. S. Officii *21 Ian. 1627.* — Omnes quibus absolvendi ab haeresi facultas concessa est, posse absolvere relapsos qui non fuerint iudicialiter de haeresi vel relapsu accusati.

32

De conventuum erectione in Missionibus.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *30 Ianuar. 1627.* — S. C. ad instantiam Carmelitarum discalceatorum in hibernis Missionibus degentium declaravit Constitutiones Clementis VIII et SSmi D. N. Urbani VIII de novis conventibus sine certo numero Fratrum non erigendis non comprehendere missionarios, neque eorum mansiunculas seu hospitia.

33

Reiicitur petitio celebrandi Missam ritu romano linguâ armenâ.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *30 Ianuar. 1627.* — Petentibus Carmelitanis discalceatis facultatem celebrandi Missam ritu romano lingua armena, S. C. censuit eorum petitionem esse reiiciendam, quia per huiusmodi facultates summopere Ecclesiarum communicatio cum Ecclesia Romana impeditur.

34

De divinorum celebratione in ecclesiis haereticorum.

S. C. de Prop. Fide *21 Maii 1627.* — Non debere Missionarios divina celebrare in ecclesiis in quibus simul haeretici sua profana et sacrilega exercitia habent. Ut tamen catholicis fiat satis, super altaribus portatilibus, in privatis domibus positis, Sacrum peragendum esse.

35

De licentia libros imprimendi in typogr. S. C.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *21 Maii 1627.* — Petente S. Congregationis agente, cui typographiae cura demandata fuit, an pro licentia imprimendi libros, qui etiam de mandato eiusdem S. Congregationis fuerint recogniti, adeundi sint Vicesgerens et Magister Sacri Palatii, SSmus, annuentibus Patribus, dixit ministros praedictos pro dicta licentia adeundos esse, quia quanto a pluribus libri imprimendi recognoscuntur, tanto emendatiores in lucem prodibunt.

36

Nequeunt catholici in eadem ecclesia cum schismaticis divina celebrare.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *13 Augusti 1627.* — S. Congregatio mandavit scribi Archiepiscopo Iadrensi ut provideat ne in ecclesia S. Ioannis de Cartolla dioecesis Catharensis catholici cum graecis schismaticis divina celebrent; nam quamvis altaribus diversis utantur, tamen propter ecclesiae identitatem est comunicare cum schismaticis in divinis.

37

Declaratio quoad iuramentum alumnorum.

S. C. de Prop. F. – C. G. *24 Sept. 1627.* — S. C. declaravit illa verba iuramenti alumnis pontificiis praescripti *sine mora in provinciam meam revertar* intelligenda esse de regione in qua natus fuerit alumnus, vel in qua eius parentes, domicilio postea constituto, se transtulerint, et demum omnes illas provincias pro quibus erectum fuerit Collegium cuius fuit alumnus.

38

Quomodo liceat addere calendariis nova officia.

S. Rit. C. *8 April. 1628.* — 1. Non potuisse nec posse locorum Ordinarios tam saeculares quam Regulares, addere calendariis etiam propriis Sanctorum officia, nisi ea dumtaxat quae Breviarii Romani Rubricis, vel S. Rit. Congr. vel Sedis Apostolicae licentia conceduntur.

Quid attendendum quoad celebrat. Missae vel festi cum officio de Sancto.

2. Insuper vetuit et prohibuit celebrari per totam civitatem vel dioecesim, etiam de cuiuscumque Ordinarii auctoritate, Missam vel festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis vel Regularis, aut aliqua Reliquia: sed tantum in ipsius Sancti ecclesia titulari, seu ubi asservatur insignis Reliquia, et non alibi.

Quaenam sint insignes Reliquiae.

3. Insignes autem Reliquias declaravit esse corpus, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata.

39

De Missionariis approbandis et removendis.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *8 Maii 1628.* — S. C. stetit in decretis ut Religiosi non fiant Missionarii sine eorum Superiorum approbatione, illique, postquam fuerint approbati et missi ab eisdem Superioribus, sine consensu Congñis a Missionibus nullo modo removeantur.

40

Missionarii Regulares a subiectione suorum Superior. haud exempti.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *20 Iunii 1628* — S. C. mandavit significari P. Silvano Benedictino Praefecto Missionis Scotiae, missiones eiusdem S. C. non eximere Regulares a subiectione neque ab obedientia suorum Superiorum, sed tamen hoc efficere ut a Superioribus praedictis Missionarii non possint a missione revocari inconsulta eadem Sacra Congñe.

41

Missionarii ne discedant a Missione sine licentia.

S. C. de Prop. Fide *7 Iulii 1628.* — S. C. declaravit Missionarios nullo modo debere a Missione discedere sine expressa licentia Praefecti Missionis, cum ille sit verus superior ipsorum missionariorum dum in locis, ad quae missiones destinatae fuerunt, degunt.

42

Conditiones pro exercenda a Missionariis arte medicinae.

S. C. de Prop. Fide *4 Aug. 1628.* — Petente sacerdote Carolo Clemer, Collegii Anglicani Ducaei alumno, propediem in Missionem Anglicanam profecturo, dispensationem ut possit medicinae artem, cui operam ante sacerdotium dederat, exercere, quod huiusmodi praetextu facilior ei futurus sit aditus ad administranda Sacramenta catholicis anglis, et ad convertendos haereticos, praesertim in periculo mortis constitutos; S. C. de Prop. Fide censuit, si SSmo placuerit, petitioni oratoris annuendum esse, ita tamen ut medicinae artis exercitium medium esse deberet, et non principalis scopus, quem convenit esse missionariis ministerium. — Die 9 Augusti SSmus D. N. Congregationis decretum approbavit, additis duabus aliis conditionibus in dispensatione apponendis: 1. Ut orator gratis operam suam in medicinae arte praestet. — 2. Ut a sponte dantibus nihil recipiat ultra suam necessariam sustentationem.

43

Dependentia Regularium linguarum studiis addictorum.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *17 Oct. 1628.* — Instante Commissario Curiae Ordinis Minorum de Observantia S. C. declaravit lectores et studentes linguarum, a iurisdictione, potestate ac correctione Guardianorum et Provincialium, ac Generalis, seu Commissarii generalis non esse exemptos quoad disciplinam regularem; quo vero ad remotionem eorum a lectura et a studiis, lectores quidem inconsulta S. C. ab officio legendi amoveri non posse, quia illi sunt quodammodo ministri S. Congregationis, et ideo eorum nomina et officia in eius libris describi consueverunt, studentes vero a solo Generali vel Commissario generali mutari posse, et a studiis removeri (1).

44

Nefas catholicis occultare fidem.

S. C. de Prop. Fide – Cong. Gen. *24 Nov. 1628.* — Quoad dubium de occultis catholicis inter haereticos degentibus, iussit (S. C.) eidem Provincialis (Capuccinorum Burgundiae) significari sententiam Congregationis esse, eis non licere ob periculum vitae vel amissionis bonorum occultare catholicam fidem, contra Apostolum *ad Rom. 10.*

45

In SS. Sacram. expositione detecto capite concionandum.

S. Rit. C. *9 Dec. 1628.* — Indecens omnino esse ante SS. Eucharistiae Sacramentum publice expositum concionem vel sermonem habere capite cooperto: et consuetudinem contrariam, iuxta alias resoluta, respondit (S. C.): Non esse consuetudinem sed abusum tollendum et prohibendum, prout omnino tolli et prohiberi mandavit.

46

De dependentia Regular. in Missionibus.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *30 Ianuar. 1629.* — Regulares in Missionibus esse

(1) Hoc decretum confirmavit Urbano VIII Litteris Apostolicis « *Exponi Nobis* » 20 Decembris 1628.

subiectos iurisdictioni, visitationi et correctioni Provincialium, et aliorum suorum Superiorum quoad disciplinam regularem; quo vero ad eorum remotionem a Missione eosdem Regulares, inconsulta S. Congne, a locis Missionum per eorum Superiores revocari non posse.

47

Ne celebretur missa in eadem ecclesia cum haereticis.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *13 Februarii 1629.* — Quoad celebrationem Missae in eadem ecclesia cum haereticis, etiam mediante pariete divisa, S. Congregatio censuit praecipiendum esse Patri (Ignatio missionario in Rhetia) eiusque sociis ne id omnino faciant, sed altari portatili, quoties celebrari opus fuerit, iuxta privilegia Missionibus concessa utantur.

48

Quid attendendum in praecedentia Episcoporum diversitus.

S. C. de Prop. Fide *30 Maii 1629.* — Scribendum esse Nuntio Poloniae S. Congregationis Rituum sententiam, quam Illmus D. Card. Capponius retulit, videlicet quod in praecedentia Episcoporum non attenditur diversitas rituum graeci et latini, sed tempus promotionis eorum, et ideo Episcopos ruthenos praecedere debere suffraganeos latinorum, si ante illos ad dignitatem fuerint promoti episcopalem.

49

De Anniversario quotannis celebrando pro defunctis Missionariis.

S. C. de Prop. Fide *22 Iunii 1629.* — S. C. decrevit ut pro Missionariis qui in munere Missionis aut in itinere ad eam interficientur, aut alias morientur, singulis annis in perpetuum, Anniversarium a S. C. de Prop. Fide celebretur.

50

Prohibenda commercia catholicorum cum schismaticis.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *30 Iunii 1629.* — Quaerente Episcopo Alessii in Albania an liceret catholicis suae dioecesis tempore nundinarum et festi Patroni cathedralis ecclesiae, schismaticos consanguineos affines et amicos suscipere in domibus suis, et cum eis convivia facere, S. C. respondit Oratorem omnibus modis huiusmodi commercia debere prohibere catholicis; quod si id fieri non posset ob scandala et tumultus, qui verisimiliter ex huiusmodi prohibitione sequerentur, eumdem posse connivere, attento quod in dicta dioecesi schisma impune grassatur, et agitur de actibus civilibus et politicis, non autem de ecclesiasticis aut spiritualibus.

51

De prohibitione translationum S. Concilii tridentini de lingua in alias linguas.

S. C. Concilii *2 Iulii 1629.* — Proposito articulo de ordine SSmi D. N. a Congregatione de Prop. Fide remisso: « An translationes » S. Conc. Tridentini in alias linguas sint permissae, an potius comprehendantur in Con- » stitutione fel. rec. Pii IV prohibente illius » interpretationes et glossas »; S. C. Cardinalium Conc. Tridentini interpretum censuit translationes eiusdem S. C. Concilii Trid. de lingua latina in gallicam, vel alias linguas esse prohibitas, ideoque significandum S. Congregationi Indicis, ut omnino prohibeat translationes huiusmodi factas, quae absque speciali auctoritate huius S. Sedis Apostolicae impressae sint.

52

De celebratione festi Consecrationis Ecclesiarum.

S. Rit. C. *18 Aug. 1629.* — 1. Non posse celebrari festum Consecrationis illius ecclesiae quam certum est non fuisse consecratam, imo neque si est dubium.

2. Posse Episcopum constituere diem celebrationis festi Consecrationis ecclesiarum, quando certa dies ignoratur, dummodo constet fuisse consecratas; sed festum Consecrationis ecclesiarum, praeterquam cathedralis, celebrari debere in ea tantum ecclesia cuius dies festus consecrationis peragitur.

53

Sepulturae sub altaribus haud permittendae.

S. C. Epp. et Reg. *30 Novembr. 1629.* — Circa sepulturas in Macariensi dioecesi sub altaribus existentes, S. Congregatio censuit nullatenus esse permittendum ut defunctorum corpora deinceps sub altari sepeliantur, et siqua hactenus ibidem reperiantur sepulta, alio transferri oportere, saltem extra aram; alioquin non esse interea super huiusmodi altari celebrandum, et Episcopum pro pastorali eius sollicitudine ac prudentia invigilare debere ne quid hac in re fiat aut permittatur contra sacros canones et Conciliorum decreta, et universalis Ecclesiae usum.

54

Quid requiratur pro electione Patronorum.

Decr. S. Rit. C. *23 Martii 1630.* — Sacra Rituum Congregatio, annuente SSmo (Urbano VIII) quoad Patronos locorum in posterum eligendos, hunc ordinem servari mandavit: 1. Quod eligi possint in Patronos ii solum qui ab Ecclesia universali titulo *Sanctorum* coluntur, non autem beatificati dumtaxat. 2. Quod de Patrono civitatis electio fieri debeat a populo, mediante consilio generali illius civitatis vel loci, non autem ab officialibus solum; et quod accedere debeat consensus expressus Episcopi et cleri illius civitatis. Idemque servari debeat in Patrono Regni qui pariter eligi debeat a populo singularum civitatum provinciae, non autem a repraesentantibus Regnum nisi ad hoc habeant speciale mandatum, et pariter cum consensu Episcopi et cleri dictarum civitatum. 3. Quod causae electionis novorum

Patronorum debeant in S. R. C. deduci ac examinari; ac demum, causa cognita, ab eadem Congregatione approbari et confirmari.

55

Quomodo Missionarii uti possint facultate consecrandi calices et patenas.

S. C. de Prop. Fide *15 Aprilis 1630.* — S. C. mandavit scribi... Praefecto Missionum Orientalium saepius a Sede Apostolica fuisse declaratum sacerdotes Missionarios, quibus ab eadem Sede concessa est facultas consecrandi calices et patenas, illa uti non posse ubi sunt Episcopi, et proinde illum praecipere debere suis Missionariis Capuccinis insularum Maris Aegaei, et aliorum locorum Orientis ubi Episcopi existunt, ut ab usu praedictae facultatis abstineant.

56

Quomodo ab apostatis poenitentibus abiuratio facienda.

S. C. S. Officii *18 Iulii 1630.* — Miss. Tuneti — An apostatae a fide christiana ad poenitentiam redeuntes cogendi sint ad retractandum explicite et publice coram infidelibus cum periculo vitae, sicut negarunt fidem; an vero sufficiat coram fidelibus publice et explicite abiurare apostasiam in propriis balneis (quae sunt captivorum carceres) et implicite apud infideles abstinendo ab actibus infidelitatis et deponendo habitum.

R. SSmus censuit apostatas a fide redeuntes ad poenitentiam non teneri ad abiurandum apostasiam publice coram infidelibus, sed sufficere ut eam abiurent in balneo coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, et deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsae religionis; si vero sit aequivocus, posse illum deferre. Quod si ex illa delatione, ratione personae, aliqua oriretur suspicio, teneri aufugere cum primum poterunt.

57

Quomodo exigenda abiuratio ab apostatis in mortis articulo secreto absolvendis.

S. C. S. Officii *25 Iulii 1630.* — Miss. Tuneti — Quomodo se gerere debeat confessarius erga apostatas poenitentes in articulo mortis constitutos, cum ab illis secreto arcessitur ut secreto absolvat. Ratio difficultatis est quia in illo articulo solent ab infideli familia vel sacerdotibus falsis induci ad actus falsae religionis, nec possunt abnuere sine periculo mortis.

R. SSmus censuit confessarium debere absolvere apostatam poenitentem in articulo mortis constitutum, abiurata prius apostasia in foro conscientiae; et si per aliquod temporis spatium supervixerit, et si poterit, abiuret in balneo coram fidelibus; quod si non poterit, relinquat chirographum suae abiurationis, saltem signo crucis subscriptum; quod si neque hoc possit, committat confessario ut suam abiurationem fidelibus manifestet. Non tamen teneri apostatam poenitentem tunc in periculo vitae constitutum, etiam suadentibus turcis, cum periculo vitae, fidem catholicam, quam tunc abiurata infidelitate amplexus est, confiteri, sed eorum suasiones eludere vel non respondendo, vel aequivocis verbis utendo.

58

Nequeunt Missionarii uti ubique suis facultatibus.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *5 Augusti 1630* — Missionariis in itinere per aquam vel per terram occurrit saepius ut ob defectum aliorum sacerdotum cogantur audire confessiones vel comitum itineris, vel etiam habitatorum illarum regionum per quas transire necesse est, ut ad loca suarum missionum se transferant, propterea cupiunt declarari per S. C. an facultatibus illis concessis pro missionis locis possint uti in praedictis casibus in itinere occurrentibus.

S. C. declaravit non licere missionariis uti facultatibus illis concessis extra regna vel provincias aut loca ad quae destinati fuerint. *(V. S. C. de Prop. Fide 22 Martii 1669).*

59

De admittendis in collegia pontificia voto religionis adstrictis.

S. C. de Prop. Fide – Cong. Gen. *5 Aug. 1630.* — S. C. declaravit, stante formula iuramenti alumnis pontificiis praescripta, adolescentes qui voto Religionis adstricti sunt, non posse nec debere in Collegia Pontificia recipi vel admitti sine expressa licentia et speciali dispensatione SS. D. N., exceptis alumnis Collegii Graeci, si votum emiserint Religionis S. Basilii, quia illi iuxta formulam pro Collegio praefato editam iurant statum ecclesiasticum amplecti, et praesertim monachale S. Basilii.

60

An possit Episc. Reliquiis Sanctorum nomina imponere.

S. Rit. C. *24 Aug. et 6 Sept. 1630.* — Scardonen. – Episcopus Scardonen. narrans sibi ex Urbe transmissas nonnullas Reliquias Sanctorum sine nominibus, supplicavit pro licentia imponendi illi nomina bene visa.

R. Si Reliquiae sunt authenticae, posse concedi, facto verbo cum SSmo. — SSmus dixit: Episcopus illis posse uti, si sint authenticae in consecratione altarium sine alia denominatione.

61

De confessione per interpretem.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *6 Sept. 1630 (coram SSmo).* — S. C. approbavit et confirmavit decretum theologorum ab ipsa deputatorum ad examinandum dubium a Vic. Patriarchali Constantinopolitano propositum *de Confessione per interpretem,* nempe: « Quamvis

» docente Sac. Trid. Synodo nullo sit divino » praecepto mandatum, nec satis consulto lege » aliqua humana praecipi possit ut delicta, » praesertim secreta, publica confessione ape- » riantur, tamen visum est Patribus deputatis, » eidem SS. Synodo inhaerentibus, eos qui vo- » lent sponte per interpretem confiteri, nec aliter » possunt, non debere per Vicarium Patriar- » chalem prohiberi; cui sufficiet praecavere » abusus et scandala, et curare ut interpretes » admoneantur de obligatione ad observantiam » secreti ».

62

Ex Indis habi- rite ad sacros dines promo- ndi.

S. C. de Prop. F. *28 Nov. 1630.* — Omnino providendum esse ut qui ex Indis fuerint magis habiles, post diligentem et exactam eorum instructionem, morumque eorumdem per aliquot annos probationem, et in pietate christianaeque Religionis functionibus exercitationem, ad sacros Ordines usque ad Sacerdotium inclusive promoveantur. Huius rationes sententiae sunt: — 1. quia id factum fuisse ubique per Apostolos et in primitiva Ecclesia per Episcopos, satis ex Scriptura Sacra et historiis ecclesiasticis constat; — 2. quia indigenae maiorem habent apud suos fidem; — 3. linguas civium suorum, eorumque mores et inclinationes magis norunt.

63

addendis aut tandis in ca- ndariis.

S. Rit. C. *13 Ian. 1631.* — Urbis et Orbis. — Decreta S. R. C. ad tollendos abusus qui variis in locis irrepserunt: « Non potuisse nec posse locorum Ordinarios tam saeculares quam regulares addere calendariis, etiam propriis, Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat quae Breviarii Romani rubricis, vel S. R. C. seu Sedis Apostolicae licentia conceduntur: neque propria auctoritate quovis praetextu mutare ritum, qui habetur in calendario romano seu rubricis Breviarii, in altiorem ritum: neque extendere concessa Officia de loco ad locum ».

e celebratione ti alicuius ncti cuius ad- ecclesia vel iquia.

« Insuper vetuit et prohibuit celebrari per totam civitatem vel dioecesim, etiam de cuiuscumque Ordinarii auctoritate, Missam vel festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit ecclesia parochialis, vel regularis, vel abbatialis, aut aliqua Reliquia; sed tantum in ipsa Sancti ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus aut insignis Reliquia ».

Quaenam sint liquiae insign.

« Insignes autem Reliquias declaravit esse caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva, et legitime ab Ordinariis approbata ».

Quid de festis nctorum quae on sunt in Bre- ario.

« De sanctis Episcopis locorum, martyribus, civibus, et aliis de quibus in calendario romano seu rubricis Breviarii nihil habetur: uti etiam de Beatis nondum canonizatis, nihil propria auctoritate constituatur, sed consulatur omnino, ut par est S. R. C. ».

Missae et Officia haud approbata damnantur.

« Missas etiam quae circumferuntur a S. R. C. non approbatas S. Gregorii pro vivis et pro defunctis, quindecim Auxiliatorum, et de Patre Aeterno, et quascumque alias: exceptis iis quae sunt permissae quibusdam regularibus tantum, veluti Rosarii, Sanctae Mariae de Carmelo et alias; sicut etiam Officia ab eadem non approbata, prohibuit, reiecit omnino, et damnavit respective, et pro prohibitis, reiectis et damnatis haberi voluit ».

De Sanctis Patronis.

« Decretum nuper editum super electione Sanctorum in Patronos, (V. n. 54) omnino servetur ».

« Quae omnia decrevit, statuit et mandavit sub poenis contentis in Indice librorum prohibitorum ex decreto S. Concilii Tridentini edito ».

« Et ne praemissorum ignorantia possit ab aliquo allegari, neque oblivio ullo unquam tempore possit irrepere, eadem S. R. C. voluit et ordinavit decretum huiusmodi affigi in sacristiis omnium ecclesiarum tam saecularium quam regularium, etiam patriarchalium, metropolitanarum, cathedralium, collegiatarum, et aliarum quarumcumque, in eisque perpetuo asservari ».

Facta demum relatione horum decretorum SS. D. N. Urbano Papae VIII, ea laudavit, approbavit, atque ab omnibus ubique sub praedictis poenis servari praecepit, nec non in novis Breviariis, de ordine Sanctitatis Suae imprimendis, apponi mandavit.

64

Ne celebretur Missa sine cruce seu Crucifixi imagine.

S. C. de Prop. F. – C. G. *3 Febr. 1631.* — S. C. iussit admoneri P. Generalem Societatis Iesu ut Patribus suis in conversione gentilium laborantibus praecipiat ne in ecclesiis aut oratoriis quovis praetextu sine Cruce aut Crucifixi imagine sacrosanctum Missae sacrificium celebrent.

65

Quid servandum in typographia S. C. circa libros exteris linguis conscriptos.

Decr. S. C. de Prop. F. *3 Febr. 1631.* — Ad obviandum erroribus, et praecipue circa fidem vel dogmata catholicae religionis qui in translationibus librorum latinae aut italicae linguae in exteras, et praesertim orientalium linguas, ob incuriam aut inscitiam vel etiam malitiam interpretum occurrere solent, Emi Patres praecipiendum esse censuerunt, prout praesenti decreto districte praecipiunt, modernis et pro tempore S. Congregationis thypographis eorumque ministris, et denique ipsius typographiae superintendenti, ne de cetero libros ex italico vel latino sermone in exteras linguas

translatos in dicta typographia imprimant, aut imprimi faciant, nisi cum latino aut italico textu ex quo facta fuerit translatio. Idemque observetur si exterarum linguarum libri imprimendi erunt, ut videlicet non aliter typis dentur, nisi cum sua interpretatione latina vel italica, et praedicta sub poenis eiusdem S. C. arbitrio huiusce decreti transgressoribus pro modo culpae infligendis.

66

In Litaniis Sanctorum alii Sancti ne addantur.

S. Rit. C. *8 Martii 1631.* — In Litaniis non posse apponi alios Sanctos praeter descriptos in ipsis Litaniis.

67

De recipiendis attestationibus circa eos qui cum fama sanctitatis obierunt.

Litt. encycl. S. R. C. (Ad omnes Patriarchas, Archiep. et Epp.) *12 Martii 1631.* – Cum quotidie magis notum fiat quanta sinceritate mentis, et maturitate cognitionis incipere, et prosequi deceat eorum causas, qui diem ultimum obiere, non sine aliqua populis relicta opinione sanctitatis, et quam accurate, fideliterque in re tanti momenti adhiberi testes et in examen vocari conveniat, Sacra Rituum Congregatio (facto prius verbo cum Sanctissimo) ne aliquis subrepat abusus, iussit Amplitudinem Tuam hac peculiari epistola fieri certiorem de iis, quae adiuncto decreto continentur, nempe ut curet, ne imposterum ulla ex parte adversus illud a quopiam in tua dioecesi aliquid committatur, sed ab omnibus omnino inviolabiliter observetur, et quando apud Amplitudinem Tuam ab aliquo petitum fuerit, ut velit inquirere in sanctitatem vitae, et miracula alicuius, qui cum praedicta fama obiisse dicatur, quoniam nimia plerumque proclivitas, atque celeritas occasionem errori praebet, non prius generaliter super vitae sanctitate inquiri permittat, quam particulariter de alicuius virtutis eminenti gradu, aut peculiari aliquo miraculo, praecedat famae comprobatio, prout prudentiae tuae magis expedire videbitur. Quod per te ipsum exequi Sacra Congregatio summopere exoptat; sed si ob invaletudinem, sive ob legitimum aliud et grave impedimentum id conficere non valebis, super quo conscientiam tuam onerat eadem Congregatio, poterit Amplitudo Tua delegare Vicarium tuum generalem, vel alium in dignitate ecclesiastica constitutum, qui delegatus, sive ille sit Vicarius, sive cuiuscumque dignitatis cum aliis ad minus duobus doctis viris, altero scilicet magistro in theologia, altero vero graduato vel licentiato in iure canonico, rem totam ita peragere debeant, ut omnes sua nomina subnotent post subscriptionem cuiuscumque testis, antequam discedant a loco ipsius examinis. Curabit insuper Amplitudo Tua, ut testes omnes quaecumque habent, explanate, et per extensum deponant, nec se referant ad attestationes redditas neque ab eis recitentur quae alias ipsi deposuerunt. Postquam vero fuerint per Amplitudinem Tuam, vel per alios a Te ex causis supra narratis subrogatos, acta completa, secreto retineantur, praestito etiam iuramento a notariis et testibus se nemini promulgaturos quicquid ipsi scripserint, et respective deposuerint, vel de quibus interrogati fuerint. De his autem actis per te, aut iussu tuo confectis, certiorem statim reddere debebit Amplitudo Tua Summum Pontificem, eaque quanto citius poterit authentice transcripta ac sigillo obsignata ad S. Rituum Congregationem transmittere. Originalia vero eodem modo consignata, et in capsa clausa pluribus clavibus, quae diversis ad arbitrium tuum custodiendae tradantur, in Archivio episcopali conserventur. Notum tamen sit Amplitudini Tuae, neque per hanc epistolam, neque per aliquid in eo propositum voluisse Summum Pontificem, neque Sacram Rituum Congregationem tribuere, aut augere iurisdictionem seu facultatem, quae alias Episcopis competere posset. Atque ut hae litterae nulla in posterum oblivione deleantur, sed semper in recordatione vigeant et tua et tuorum deinceps successorum, dabit operam Amplitudo Tua, ut illae quanto citius tam in Curia tua episcopali, quam in Archivio Capitulari ad perpetuam rei memoriam asserventur.

Decretum – Cum in tota Ecclesiae gubernatione nihil maius, nihil sit augustius Beatificatione et Canonizatione Sanctorum, utpote homines iam demortuos, etiam cum fama sanctitatis ac miraculorum, declarare pro Sanctis, eosque uti tales colendos et venerandos decernere.

Sacra Rituum Congregatio, ut res haec plane amplissima atque gravissima rite sancteque conficiatur, prohibet omnibus et singulis personis ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus, etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Societatis Iesu, vel aliorum quantumvis speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se aut per alios capere informationes super sanctitate, aut miraculis alicuius defuncti, neque ullo modo exquirere, aut obtinere ad hunc effectum extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones sub poenis arbitrio S. Congregationis infligendis. Quod si superiori, sacristae, seu alteri officiali illius ecclesiae, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam ecclesiae, fuerint revelata aliqua miracula, seu prophetiae dona, possint ea recipere sub sigillo secreti ab ipsis tantum relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur; teneantur tamen quam primum commode poterunt, eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci cum expressa declaratione, quod revelationes sic, ut supra, receptae, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusvis longissimi temporis cursu.

Quod Decretum cum fuerit ad notitiam Sanctissimi D. N. URBANI Papae VIII deductum, Sanctitas Sua illud approbavit, ac imprimi, et ubique publicari mandavit.

68

De Baptismo collato per verum praeteriti temporis.

S. C. de Prop. F. – C. P. *27 Martii 1631.* — An Baptismus qui a chaldaeis sacerdotibus administratur maribus cum verbo *eemdat* in eorum Rituali posito, quod significationem habet praesentis imperativi, videl. *baptizare talis,* et significationem praeteriti videl. *baptizatus est talis,* sustineri possit, praesupposita in baptizante intelligentia dicti verbi in praeterito.

R. 1. Baptismus collatus per verbum praeteriti temporis ad significandam actionem praeteritam, et non etiam quae per ministrum exercetur tunc quando baptizat cum invocatione SSmae Trinitatis et aquae naturalis ablutione immersione vel aspersione, non est verus Baptismus.

2. Esset tamen verus Baptismus collatus per verbum indifferens ad praeteritum indicativi et praesens imperativi, si baptizans uteretur illo pro praesenti imperativi, si cetera adsint recta, nempe intentio, in aquam naturalem immersio, ablutio, vel aspersio cum Sanctissimae Trinitatis expressa invocatione.

3. Idem dicendum quando minister utens verbo indifferenti, ut supra, nihil cogitans de praeterito vel de praesenti, virtualem autem intentionem haberet utendi illo verbo eo meliori modo quo potest, etiam si crederet vocem significantem vel exprimentem actum qui per ministrum exercetur, esse praeteriti temporis, retenta tamen intentione faciendi quod Christus instituit vel observat Ecclesia christianusque populus, et non alligandi formae significationem suae privatae credulitati.

4. Si baptizans uteretur verbo praeteriti temporis ad significandum actum qui per ipsum ministrum exercetur quando baptizat, ceteraque requisita adessent, esset Baptismus, si apud nationem illam vel clerum esset usus accipiendi vocem illam praeteriti ad significandam actionem praesentem.

5. Est etiam Baptismus si quis ex ignorantia linguae infringendo verba absque animo introducendi errorem aut haeresim, proferat vocem praeteriti pro praesenti, si tanta sit inter vocem praeteriti et praesentis similitudo ut facilis sit lapsus ex una voce in aliam, prudentesque viri iudicent communiter baptizantem vocem praeteriti pro praesenti corrupte prolatam supposuisse, et prolata voce concipiant actionem praesentem sufficienter significari.

6. Ad tollendam tamen in huius tam necessarii Sacramenti administratione omnem ambiguitatem vel erroris occasionem admoneantur in posterum chaldaei dum baptizant uti verbo praesentis indicativi aut saltem imperativi; vel si velint uti verbo indifferenti ad praeteritum et praesens, accipiant illud in significatione praesentis.

69

A missionariis pro facultatum usu, Episcopi vere catholici adeundi.

S. C. de Prop. Fide – C. P. *7 Maii 1631* — 1. An a missionariis (in oriente) pro usu suarum facultatum petenda sit licentia ab Episcopis quos missionarii arbitrantur esse catholicos.

Missa in ecclesiis schismatic. haud celebranda, nec eorum paramenta adhibenda.

2. An missionarii celebrare possint in ecclesiis schismaticorum, eorumve sacerdotalibus vestibus et calicibus uti.

R. Ad 1. Affirmative, si tanta sit certitudo eorum rectae fidei, ut omnem schismatis ac erroris in illis partibus vigentis suspicionem excludat.

Ad 2. Negative, quia datur missionariis usus altaris portatilis et facultas benedicendi paramenta, et propterea non est necesse ut ipsi in praefatis ecclesiis celebrent vel praedictis vestibus utantur.

70

De festorum celebratione a latinis in oriente.

S. C. de Prop. F. – C. P. *7 Maii 1631.* Ad quintum (dubium) de diebus festis, ut scilicet in oriente a latinis uniformiter celebrentur Congregatio respondit: Festa ex generali praecepto Sanctae Rom. Ecclesiae indicta observari debere a latinis in oriente uniformiter. In festis vero ex devotione, consuetudinibus regionum ex quibus latini sunt oriundi deferendum esse, dummodo sancti quorum festa huiusmodi celebrantur, sint canonizati, vel a Sancta Romana Ecclesia recepti.

71

De facultate dispensandi in matrimoniis polygamorum.

S. C. de Prop. Fide – C. G. (coram SSmo) *5 Dec. 1631* — Referente Eminentissimo D. Cardinali Pamphylio, quae circa matrimonia gentilium polygamorum fuerunt considerata et resoluta in Congregatione particulari habita die 8 Octobris 1631, S. Congregatio:

1. Dixit missionariis Indiarum illa communicanda esse non ut Decretum huius S. C., sed ut sententiam theologorum et canonistarum.

2. Dixit corrigendum esse modum loquendi per negationem potestatis dispensandi in Summo Pontifice in conclusione et responsione adhibitum; et simpliciter, loco verborum *non posse concedi,* dicendo « non esse concedendam facultatem petitam »; et ita fuit correcta infradicta praefatorum theologorum sententia quae sic habet: — *8 Octobris 1631* — Fuit Congregatio particularis super facultate dispensandi cum

Indis gentilibus polygamis cui interfuerunt *etc.* In ea relata missionariorum ad Indos gentiles petitione facultatis dispensandi cum gentilibus polygamis conversis et convertendis ad fidem christianam, ut ex pluribus uxoribus in gentilitate assumptis illam post suam conversionem eligere possit quam, caeteris reiectis, maluissent, Congregatio dixit ut sequitur :

Sententia theologorum circa facultatem dispensandi cum Indis polygamis pro missionariis Indiarum.

Indi polygami qui cum omnibus uxoribus suis convertuntur ad fidem et baptizantur, tenentur dimittere omnes uxores praeter primam, quae sola est vera uxor, si illius in matrimonio nullum intervenit impedimentum iuris naturalis vel positivi conditi ab eorum Principe.

Verum si matrimonium cum prima uxore non fuerit unquam consummatum, poterit Pontifex in eo dispensare, secundum probabilem opinionem quae in praxi servatur, et docet Pontificem posse dispensare in matrimonio rato fidelium, ergo multo magis in non consummato infidelium.

Si vero idem matrimonium fuerit consummatum post Baptismum, sive illud sit Sacramentum, sive non; in quo diversi diversa sentiunt (apud Petrum de Ledesma in *Summa,* cap. 24. *De Sacramento Matrimonii*), omnino non poterit Pontifex dispensare. Communis est doctrina omnium theologorum et canonistarum, et ratio est quia iam illud est matrimonium fidelium consummatum, in quo non potest Pontifex dispensare.

Denique idem matrimonium si fuerit consummatum ante Baptismum, et nullo modo post, an possit Pontifex dispensare, dissident doctores. Affirmavit primus omnium Navarrus (l. 3 Consil. *De conversion. Infidel.* consil. 3 a num. 13), quem secuti sunt Thomas Sanchez (lib. 2 *De matrimon.* disp. 17) Valerius Reginaldus (in *Praxi fori poenitent.* lib. 31, cap. 4, n. 34) Paulus Layman (*De matrimon.* part. 2, c. 2 n. 6) Filiuccius (*De matrimon.* cap. 2 n. 38) qui testatur Pontifices aliquando dispensasse. Contra, in eo matrimonio non secus ac in consummato post Baptismum non posse Pontificem dispensare sentiunt Aegiudius Conench (disp. 26 *De matrimonio,* dub. 5, n. 66), Basilius Ponce (lib. 9 *De matrimon.* cap. 2), post Gabrielem Vasquez (disp. 2 *De matrimonio* cap. 6, n. 58) qui etiam testatur anno 1588 quosdam magnis studiis laborasse ut a Sixto V huiusmodi dispensationem obtinerent et repulsam passos esse, et dicit se pro ea dispensatione nunquam subscribere voluisse; sed quidquid sit de doctorum opinionibus, nemo, sive theologus, sive canonista, docuit Pontificem posse sine causa dispensare, aut legem universalem condere, qua omnia ea matrimonia irritet, aut in iis omnibus dispenset, sed ad summum dicunt tantum in hisce posse, quantum in ratis fidelium, in quibus sicut oportet subesse causam gravem ut rite Pontifex dispenset, ita et in istis.

An vero sufficiens causa dispensationis in matrimonio sit conversio polygami, qui alias aegre, aut nullo modo sit convertendus, Basilius Ponce ubi supra dicit, quod etiam si sequamur opinionem illorum qui dicunt Pontificem posse dispensare, non est tamen dicendum quod haec causa praecise sit sufficiens ad id faciendum, quia quantum facilitatis additur conversioni viri per hanc dispensationem, tantum difficultatis et odii adversus fidem augetur uxori; et quia religio christiana, quae est sancta et immaculata, fieret praetextus libidini; et quia qui non vult converti sine hac dispensatione, aut qui in conversione eam petit, non eo quo christianum decet animo convertitur.

Denique sicut Pontifex non dispensat cum clericis haereticis Germaniae ut ducant uxores licet ex ea dispensatione sperari possit eorum conversio, ita neque ob solam polygami conversionem est cum eo dispensandum, ut dimissa prima atque adeo vera uxore aliam ducat.

Ex quibus concludo non esse concedendam missionariis hanc facultatem ut dispenset cum quolibet polygamo converso ad fidem ut, relicta prima uxore pariter conversa, ducat aliam. Placeret insuper ut in extendendo Decreto praescinderetur a quaestione an Papa in casibus particularibus ex iusta causa possit dispensare necne, sed scriberetur missionariis, ut in quibuscumque casibus matrimonialibus dubiis consulant S. Congregationem. Itaque sic conciperem Decretum : — « In Cong. habita ut supra, responsum fuit petitam facultatem non esse missionariis concedendam; scribendum etiam esse iis ut, in singulis dubiis matrimoniorum particularium, in quibus nihil est hactenus a iure provisum, nihil proprio iudicio definiant, sed consulant Sedem Apostolicam ».

72

Ex Const. *Ex debito* **Urbani PP. VIII.** *22 Febr. 1633* — Religiosos... mittendos, ac etiam missos, et in praedictis locis (Indiarum Orient.) degentes, plurimum in Domino hortamur, ut in docendo populos, et praesertim de recenti ad fidem christianam conversos, uniformes sint, ne ob doctrinae diversitatem, praesertim in materiis moralibus, neophyti illi aliquod scandalum patiantur. Et, quia in hac re Generalium praefatorum curam et vigilantiam plurimum profuturam arbitramur, eisdem iniungimus, ut praedictos suos religiosos ad servandam praedictam conformitatem saepius adhortentur. Ut autem id facilius succedat, praefati religiosi in instruendis populis praedicto-

Religiosi missionarii utantur catechismo romano et doctrinâ christianâ Cardinalis Bellarminii in instruendis populis.

rum locorum Indiae Orientalis catechismum Romanum et doctrinam christianam parvam et magnam bonae memoriae Roberti Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis Bellarmini nuncupati, in linguas praedictorum populorum translata et impressa, si fieri poterit, omnino adhibeant.

Christianis in ponia, recipere osse sacramen- etiam paro- ialia a quo- umque sacer- ote, in persecu- one, concedi- ir.

Quoniam autem, sicut non sine animi nostri dolore intelleximus, in Iapone a pluribus annis contra christianos, et praesertim religiosos, acerrima persecutio fuit commota, eaque usque ad praesens perdurat et viget, omnibus et singulis christianis nunc in Iapone existentibus, et pro tempore futuris, ut a quibusvis sacerdotibus, ut supra a generalibus eorum illuc missis ac mittendis, quorum copiam habere poterunt, sacramenta (ordinem tamen episcopalem non requirentia) etiam parochialia, durante praesenti rerum statu, suscipere libere et licite valeant, concedimus pariter et indulgemus.

Religiosi missionarii mercaturam exercere prohibentur.

Coeterum quia a sacris canonibus, Conciliorum decretis, ac Apostolicis Constitutionibus, omnibus Religiosis, ac etiam aliis ecclesiasticis, praesertim in Sacris Ordinibus constitutis, mercatura, et negotiationes saeculares districte prohibentur, ac valde damnosum, indecorum, et indecens existit, huiusmodi personas divino cultui mancipatas, ac praecipue illas, quae ad praedicandum sacrosanctum Christi Domini Evangelium destinatae sunt, praefatis mercaturis, et negotiationibus se immiscere, aut operam dare; praedictorum Sacrorum Canonum, ac Decretorum, Constitutionumque Apostolicarum dispositioni inhaerentes, auctoritate Apostolica, earumdem tenore praesentium, Religiosis omnibus cuiuscumque Ordinis, et Instituti tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, eorumque singulis tam in praedictis locis nunc existentibus, quam in futurum ad illa mittendis, omnem et quamcumque mercaturam, seu negotiationem quocumque modo ab eis fieri contingat, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive Communitatis nomine, directe sive indirecte, aut quovis alio praetextu, causa, aut colore, interdicimus et prohibemus sub excommunicationis latae sententiae poena ipso facto incurrenda, ac privatione vocis activae, et passivae, officiorum, ac graduum, et dignatum quorumcumque, etiam inhabilitatis ad ea, et insuper amissionis mercium, et lucrorum ex eis factorum, quae omnia a Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes existent, reservanda erunt ad usum Missionum, quae eaedem Religiones habent, et habiturae sunt in futurum in praedictis Indiis, et non in alios usus; eisdem Superioribus districte praecipientes sub eisdem poenis, ut in hoc invigilent, et contra delinquentes ad praedictas poenas procedant, sublata eisdem facultate huiusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus et lucris, quantumvis minimum, remittendi aut condonandi.

73

De iure parochorum quoad Sacramenta parochialia.

S. C. de Prop. Fide – C. G. *13 Iunii 1633* — Referente Emo D. Cardin. S. Honufrii de impedimentis quae missionariis capuccinis Hollandiae fiunt a parochis circa administrationem Sacramentorum parochialium, S. C. dixit iusta esse impedimenta, nam huiusmodi Sacramenta a missionariis non sunt administranda nisi de consensu parochorum.

74

De forma Baptismi armenor. schismaticorum.

S. C. S. Officii *8 Sept. 1633* — Relata forma Baptismi armenorum schismaticorum, quae in eorum Ritualibus habetur ut infra, videlicet: *Baptizat nunc manus mea in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti;* vel: *Baptizet nunc manus mea in nomine Patris, baptizet nunc manus mea in nomine Filii, baptizet nunc manus mea in nomine Spiritus Sancti;* S. C. declaravit dictam formam Baptismi esse veram ac legitimam.

75

De ecclesiis cathol. ab haereticis occupatis.

S. C. S. Officii *13 Iunii 1634* — In ecclesiis catholicorum Rhetiae ab haereticis occupatis missionarii possunt sua exercitia continuare.

76

De iure Metropolitani in sedes suffraganeas.

S. C. Concilii *3 Iulii 1634.* KILMOREN. — 1. Utrum Metropolitanus, Episcopo suffraganeo et parocho renitentibus, possit alteri sacerdoti nullum ius verum aut coloratum in parochia habenti, et ab Episcopo prohibito ne ullos e parochianis ad suas Missas admitteret, concedere licentiam celebrandi Missam in dicta parochia. – 2. Utrum, Sede Metropolitana vacante, aliquod ius vel auctoritas in suffraganeas sedes repletas vel vacantes seniori suffraganeo competat praeter ea quae in Sacro Tridentino Concilio sunt expressa; aut quis tunc, nullo in Sedibus illis existente canonicorum capitulo, Vicarium Generalem constituere debet.

De iure suffraganei senioris in ceteras sedes, metropolitana vacante.

R. Ad 1. Metropolitanum non posse. – Ad 2. Suffraganeum seniorem posse supplere, sed esse casum extra dispositionem expressam S. Concilii.

77

Prooemium.

Const. Urbani PP. VIII. *5 Iulii 1634.* Caelestis Hierusalem cives, quorum gloriosis natalitiis sancta laetatur mater Ecclesia, sicut huius sanctae Sedis Apostolicae ministerio a

piis utriusque sexus christifidelibus venerantur in terris, ita Romanum decet Pontificem, militantis Ecclesiae regimini divina providentia praepositum, pro suo praecipuo honoris domus Dei zelo, invigilare ne quid in personarum cum sanctitatis aut martyrii fama vel opinione defunctarum memoriam sive cultum, inconsulta Sancta Sede praedicta, innovetur.

Referuntur decreta super imaginibus defunctor. nondum a Sede Ap. canonizatorum.

§ 1. Alias siquidem nos, sollicite animadvertentes abusus, qui irrepserant et irrepere non cessabant in colendis quibusdam cum sanctitatis aut martyrii fama vel opinione defunctis, qui, etsi neque canonizationis neque beatificationis honore insigniti essent ab eadem Sede, eorum tamen imagines in oratoriis atque in ecclesiis, aliisque locis publicis, atque etiam privatis, cum laureolis aut radiis seu splendoribus proponebantur, miracula et revelationes aliaque beneficia a Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrabantur, et ad illorum sepulchra tabellae, imagines et res aliae ad beneficia accepta testificanda, et lampades et alia lumina apponebantur; volentesque proinde huiusmodi abusibus pro debito officii pastoralis occurrere, re etiam cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalibus contra haereticam pravitatem in universa republica christiana generalibus inquisitoribus ab eadem Sede specialiter deputatis communicata et mature considerata ac discussa, de eorumdem Cardinalium consilio sub die XIII Martii MDCXXV declaravimus, statuimus et decrevimus, ne quorumvis hominum cum sanctitatis seu martyrii fama, (quantacumque illa esset) defunctorum imagines aliaque praefata, et quodcumque aliud venerationem et cultum praeseferens et indicans, in oratoriis aut locis publicis seu privatis, vel ecclesiis, tam saecularibus quam regularibus, cuiuscumque Religionis, Ordinis, instituti, congregationis aut societatis, apponerentur, antequam ab Apostolica Sede canonizarentur, aut Beati declararentur, et (si quae appositae essent) amoverentur, prout eas statim amoveri mandavimus; ac pariter imprimi de cetero inhibuimus libros eorumdem hominum, qui sanctitatis sive martyrii fama vel opinione, ut praefertur, celebres e vita migravissent, gesta miracula vel revelationes, seu quaecumque beneficia, tamquam eorum intercessionibus a Deo accepta, continentes, sine recognitione aut approbatione Ordinarii, qui in iis recognoscendis theologos, aliosque pios ac doctos viros in consilium adhiberet, et, ne deinde fraus aut error aut aliquid novum et inordinatum in re tam gravi committeretur, negotium instructum ad Sedem Apostolicam transmitteret eiusque responsum expectaret; revelationes vero et miracula aliaque beneficia supradicta, quae in libris horum hominum vitam gestaque continentibus eatenus sine recognitione atque approbatione huiusmodi impressa erant, nullo modo approbata censeri voluimus, mandavimusque. Ad horum hominum sepulchra vetuimus etiam ac inhibuimus tabellas atque imagines ex cera aut argento, seu ex alia quacumque materia, tam pictas quam fictas atque exculptas, appendi seu affigi, et lampades, sive alia quaecumque lumina accendi, sine recognitione ab Ordinario omnino, prout, supra, facienda, Sedique Apostolicae referenda ac probanda; declarantes, quod per supradicta praeiudicare in aliquo noluimus neque intendimus iis, qui, aut per communem Ecclesiae consensum, vel immemorabilem temporis cursum, aut per patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia praefatae Sedis Apostolicae vel Ordinarii, celebrantur. Cumque postea die secunda Octobris eiusdem anni MDCXXV a quibusdam revocari in dubium accepimus, an tabellas et imagines, quas imposterum offerri contingeret, recipere, et antea oblatas conservare liceret: nos (qui tantummodo voluimus, occurrendo abusibus qui irrepere videbantur, certiorem parare viam ad eorum in terris gloriam, quorum sanctimoniam divinae clementiae placuerit admirandis operibus illustrare), re prius cum eisdem Cardinalibus communicata, de simili eorum consilio, declaravimus, quod, sicut numquam prohibuimus, nec intentionis nostrae fuit prohibere oblationem, receptionemque tabellarum et imaginum huiusmodi, ita, ut deinceps nulli dubitationi locus relinqueretur, statuimus et decrevimus, ut quoties ad aliquam ecclesiam, aut oratorium, locumve alium publicum, saecularem seu regularem, tabellas et imagines, aliudve simile quispiam deferret, ac intercessione hominum inter Sanctos vel Beatos non adscriptorum, quamvis cum martyrii aut sanctitatis fama demortuorum, optata se impetravisse diceret, liceret ecclesiasticis personis, ecclesiarum locorumve praedictorum curae praepositis, tabellas et imagines, sive pictas sive ex quavis materia fictas, atque alia quaecumque collatae gratiae fidem facientia, simul cum deferentis, aliorumque, qui conscii fuissent, attestationibus recipere, atque, approbantibus Ordinariis, ad quos referre statim omnia tenerentur, in secreto aliquo seorsim ab ecclesia loco custodire, ibidemque iam amota collocare et asservare, ut, si quando Dominus talium virorum merita beatificationis seu canonizationis honore in terris decorare voluisset, extarent huiusmodi sanctitatis qualescumque probationes Apostolicae Sedis iudicio tunc examinandae. Demum vero, ut eiusmodi decreta observarentur indubie, ac omnimodam sortirentur exequutionem, cum eisdem Cardinalibus re pariter communicata, deque eorumdem consilio, praemissis addidimus, statuimus, decrevimus, atque declaravimus, ne ex tunc deinceps quispiam Ordinariorum aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatorum super alicuius utriusque sexus cum

De instituendo processu super alicuius defuncti sanctitate.

sanctitatis aut martyrii fama vel opinione defuncti miraculis, revelationibus, aliisve eiusmodi sanctitatem redolentibus, ex integro informationes quoquo modo reciperet, aut processum instrueret, vel hucusque receptas informationes, instructumve processum ulterius prosequeretur, nisi postulator prius per legitimas iuridice susceptas probationes circa personam eius, de cuius miraculis, revelationibus, aliisve rebus gestis sanctitatem praeseferentibus ageretur, praescriptam praefato in nostro decreto formam omnino servatam extitisse docuerit; et nisi postea successive idem Ordinarius, aut ab Apostolica Sede ad hoc specialiter delegatus, diligenti praehabita disquisitione circa eamdem personam, supracitato decreto nullatenus contraventum esse rite pronunciaverit; utique id inviolabiliter observetur, statuimus insuper ac decrevimus, ne transmissi ad Urbem undecumque huiusmodi processus a Congregationis sacrorum rituum secretario, minusve sanctae fidei promotore quomodolibet aperiantur, nisi prius in ipsa sacrorum rituum Congregatione, alio seiunctim oblato authentico processu, ex eo Ordinarium, aut ab Apostolica Sede specialiter delegatum, rite ac recte, ut praemittitur, cognovisse ac pronuntiasse praelibato decreto nequaquam contraitum esse, plene constiterit, ac deinde a nobis iudicialiter aperiendi eos processus facultas indulta fuisset; insuper longissimum tempus, illiusve immemorabilem cursum, de quo in praedicto decreto, intelligi declaravimus esse tempus centum annorum metam excedens: deque his atque infrascriptis omnibus, quae in his decretis disposita et ordinata sunt, aliqua suboriente difficultate, Ordinariis locorum et delegatis Apostolicis quibuslibet omnem omnino interpretandi facultatem ademimus, utque Sedem Apostolicam desuper consulerent, ab eaque responsum expectarent, mandavimus eisdem; et alias, prout in decretis desuper editis plenius continetur etc.

78

De ecclesiarum consecratione probanda et reconciliatione peragenda.

S. R. C. *19 Aug. 1634.* — OPPIDEN. — 1. (Quomodo probatur ecclesiam esse consecratam).

2. An per celebrationem Missae in ecclesia polluta, (haec) dicatur reconciliata.

3. An ecclesia reconciliata ab Episcopo non habente iurisdictionem in loco, dicatur bene reconciliata vel non.

R. Ad 1. Consecrationem probari concludenter ex signis deductis, et signa probari per testes deponentes de visu.

Ad 2. Negative; et ideo debere reconciliari iuxta formam praescriptam in Pontificali.

Ad 3. Affirmative.

De die consecrationis anniversaria statuenda.

Quo vero ad diem consecrationis cum ignoretur dies certus ipsius consecrationis, S. C. R. censuit: Episcopum constituere debere ex nunc certum diem qui deserviat quotannis pro anniversario consecrationis ecclesiae.

79

S. C. de Prop. F. – C. G. *10 Sept. 1634.* An missionarii possint dispensare in voto simplici castitatis, ex eo quia in eorum facultatibus excipiantur tantum vota ultramarina et Compostellae ac Liminum Apostolorum?

De speciali facultate dispensandi in voto castitatis.

R. Cum in facultatibus concedendis regulariter excipiantur vota simplicia castitatis et religionis, non posse missionarios, cum facultatibus eis concessis, in simplici voto castitatis dispensare, nisi expresse hoc fuerit in eisdem concessum.

80

Concilium Tridentinum circa residentiam episcopal. sess. VI., cap. 1. *De Ref.* multa statuisse memoratur.

Const. Urbani PP. VIII. *12 Dec. 1634.* (SUPER RESIDENTIA EPISCOPORUM). – Sancta Synodus Tridentina sub recolendae memoriae Paulo Papa III. praedecessore nostro, ad disciplinam ecclesiasticam restaurandam, provide statuit, ut omnes, quacumque dignitate, gradu et praeeminentia fulgentes, patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis quibuscumque, quovis nomine, titulo, praefecti, apud eas personaliter residere deberent; alias, si per sex menses continuos abessent, amissionis quartae partis fructuum unius anni poenam ipso iure incurrerent; quod si per alios sex menses in absentia perseverarent, tunc aliam quartam partem fructuum huiusmodi eo ipso amitterent; crescente vero contumacia, Romanus Pontifex suprema eius auctoritate in ipso absentes animadvertere, et ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere posset.

Et sess. XXIII., cap. 1., et sess. XXIV., cap. XII., *De Ref.* sub Pio IV., qui etiam addidit Constitutionem hic indicatam.

Deinde sub felicis recordationis Pio IV. praedecessore nostro eadem synodus declaravit, omnes eisdem patriachalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis praefectos, etiam si S. R. E. Cardinales forent, obligari ad personalem residentiam in suâ ecclesiâ vel dioecesi faciendam; nec abesse posse, nisi ob legitimas causas, in scriptis approbandas. Et in eorumdem concilii decretorum exequutionem idem Pius IV. praedecessor per suas sub plumbo sub datum VII. kalendas decembris MDLXIV. expeditas litteras monuit eosdem praefatis ecclesiis praefectos, in virtute sanctae obedientiae, ac, ultra poenas in eodem concilio contentas, sub privationis eorum a regimine et administratione ipsarum ecclesiarum ac amissionis facultatum testandi et disponendi aliisque poenis suo et Romani Pontificis arbitrio imponendis, mandavit eisdem, ut in ecclesiis praefatis omnino personaliter residere deberent. Denique, certior factus quod multi

eorumdem praefectorum erant inobedientes, motu suo proprio commisit camerae apostolicae auditori generali, ut contra illos usque ad sententiam procederet, et sibi deinde referret, ad effectum in eos privationis et depositionis sententiam in suo consistorio secreto pronuntiandi.

Et successive Gregorius XIII. declaravit etiam afficere S. R. E. Cardinales.

Successive alii etiam Romani Pontifices contra non residentes diversa edicta publicari fecerunt; ac piae memoriae Gregorius XIII. etiam praedecessor noster per suum decretum consistoriale declaravit, decreta eiusdem Concilii de personali residentiâ in ecclesiis praedictis faciendâ etiam in S. R. E. Cardinalibus locum habere, quocumque titulo illis praeessent, ita ut a reatu et poenis in dicto concilio statutis non excusarentur, nisi absentiae causa in scriptis approbata fuerit; scientiaque vel tolerantia non excusaret eosdem Cardinales nec alios Episcopos.

Clemens VIII. poenas inhabilitatis ad maiores dignitates addidit.

Similis quoque memoriae Clemens Papa VIII. etiam praedecessor noster per simile consistoriale decretum pro observantiâ residentiae personalis ab eodem concilio ordinatae addidit poenam inhabilitatis ad maiores dignitates et ecclesias obtinendas, prout in praefatis conciliis ac litteris apostolicis, consistorialibusque decretis latius continetur.

Pontifex edicta publicari unâ cum poenis iusserat contra non residentes, et eos monuerat ut ad residentiam pergerent.

Cumque etiam nos edicta contra non residentes saepius publicari fecerimus, et tamen praeteritis mensibus aliqui, etiam S. R. E. Cardinales, metropolitanis seu cathedralibus ecclesiis ex concessione apostolicâ praefecti, suae obligationis ad personalem residentiam in eis faciendam immemores, in grave animarum suarum detrimentum ac ovium sibi creditarum praeiudicium, ab eisdem ecclesiis abesse continuarent (etiam sub praetextu suorum titulorum cardinalatus, praesertim episcopalium prope Urbem seu in Urbis districtu respective consistentium, et quod in eâdem Urbe in conspectu et praesentiâ nostrâ moram traherent), nos, pro nostro pastorali debito, nedum animarum praefatarum, sed etiam ecclesiarum indemnitati providere volentes, in consistorio nostro secreto declaravimus, eosdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui illis ecclesiis, metropolitanis et cathedralibus praeerant, et apud eas non resederant nec residebant, non fecisse nec facere illarum fructus suos, etiam sub praetextu, quod alicui ex dictis ecclesiis episcopalibus, quibus Cardinales in ordine priores esse solent, praesideant, et ibi vel in Urbe commorentur, aut cuiusvis tolerantiae vel facultatis, praeterquam per Breve speciale nostrum, vel Romani Pontificis pro tempore existentis, sibi concessae: ideoque eosdem Cardinales monuimus pro primâ vice, ut ad residentiam huiusmodi statim se conferrent, sub amissionis fructuum eo ipso incurrendâ et aliis canonicis poenis, animo etiam procedendi ad ulteriora, si non paruissent, et prout in decreto nostro consistoriali plenius habetur.

Tamen quia omnes non obedierunt Concilio Trid. et constitutionibus apostolicis contra ipsos editis, ea approbat et confirmat, ac adversus praetensum non usum innovat et restituit.

Quia vero ab inde citra non omnes, prout tenebantur, paruerunt, sed aliqui adhuc contumaces existunt; nos, ut omnino debitum suum agnoscant, et animabus subiectis, quantum nobis ex alto conceditur, magis consultum sit, ulterius providere volentes, Concilii Tridentini decretis et litteris apostolicis, motuique proprio ac consistorialibus decretis praefatis inhaerentes, illorumque tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro plene insertis et expressis habentes, motu simili et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefata concilii decreta, literasque apostolicas, ac primodictum motumproprium, decretaque consistorialia praefata, et in eis contenta quaecumque, hac nostrâ constitutione perpetuâ confirmamus et approbamus, et, quatenus foret opus, adversus quemcumque praetensum non usum vel contrarium usum innovamus et plenissime restituimus.

Ac praecipit singulis Episcopis, etiam S.R.E. Cardinalibus sub gravissimis poenis, ut se conferant infra tempus hic assignatum ad residentiam.

Insuperque omnes et singulos ecclesiis patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, archiepiscopalibus et episcopalibus quocumque nomine seu titulo praefectos, etiam S. R. E. Cardinales, a praefatis suis ecclesiis absentes, in virtute sanctae obedientiae, ac sub interdicti ingressus ecclesiae, amissionisque tam fructuum earumdem ecclesiarum pro tempore, quo absentia duraverit, quam facultatum testandi et disponendi de bonis suis a Sede Apostolicâ sibi alias concessurum, eo ipso absque aliâ declaratione incurrendis, necnon privationis a regimine et administratione suarum ecclesiarum huiusmodi, aliisque poenis, nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis, districte praecipiendo monemus, ut omnibus postpositis, quantocitius, in Romanâ curiâ videlicet moram trahentes, intra unum, extra eum vero in Italiâ intra duos, extra vero Italiam existentes, intra quatuor menses, a die publicationis praesentium in locis infrascriptis faciendae computandos, quos pro tribus canonicis monitionibus peremptoriisque dilationibus et terminis respective eis assignamus et assignatos esse volumus, se itineri committere, et legitimis itineribus ad ecclesias seu dioeceses suas proficisci, et se personaliter conferre, ac ibidem, ut tenentur, residere debeant.

A qua non discedant, nisi de licentiâ Sedis Apostolicae.

Eisdemque praefectis, postquam personaliter ad residendum se contulerint, necnon quibuscumque aliis, apud suas ecclesias quandocumque personaliter residentibus, sub eisdem poenis etiam eo ipso respective incurrendis, iniungimus, ne ab eorum ecclesiis discedant, nisi prius obtentâ nostrâ et Romani Pontificis pro tempore existentis per Breve seu litteras missivas licentiâ.

Idem servandum a promotis ex nunc declarat.

Illos etiam, qui imposterum per nos seu Romanos Pontifices successores nostros alicui praefatarum ecclesiarum patriarchalium, primatialium, metropolitanarum, archiepiscopalium et episcopalium quovis nomine vel titulo praefecti fuerint etiam si S. R. E. Cardinales quandocumque fuerint vel sint, sub eisdem poenis, etiam eo ipso respective incurrendis, debeant, et quilibet ipsorum debeat, infra praefatum tempus, a die eorum promotionis ad aliquam ecclesiarum praefatarum inchoandum, quod eis pro tribus monitionibus et dilationibus ut praefertur ex nunc assignamus, pariter se itineri committere, et ad ecclesias sive dioeceses sibi commissas ad personaliter in eis residendum conferre; et respective, postquam residere inceperint, ab illis non discedere, nisi obtentâ prius a nobis et Romano Pontifice pro tempore existente licentiâ praefata.

Quodque non possint se excusare ex quacumque causâ hic descriptâ, excludendo nonnullos casus.

A quarum poenarum incursu nolumus posse aliquem se excusare praetextu et ratione cuiuscumque servitii quomodolibet praestiti et praestandi pro gerendis et tractandis negotiis quorumcumque principum, etiam imperatoris, et regum aut rerumpublicarum, regnorum ac provinciarum; nec ratione cuiuslibet iussionis vel mandati eorum vel earum quandocumque facti vel faciendi; nec etiam ratione prosequutionis seu defensionis quarumcumque litium seu controversiarum, etiam ecclesiasticarum; vel ineundi foederis, aut cuiuscumque alterius negotii, etiam gravissimi et speciali mentione digni, tractandi, vel distantiae locorum, aut brevitatis temporis (ob quam non videatur expectanda Sedis Apostolicae licentia praefata, antequam a suis ecclesiis et dioecesibus discedant), aut ratione cuiuscumque alterius causae vel occasionis, etiam publicae, vel aliâs favorabilis et aeque piae, etiam cuiuslibet utilitatis sive necessitatis ecclesiarum et personarum (praeterquam personalis interessentiae in synodis provincialibus vel congregationibus seu assembleis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire solent, vel ratione muneris aut reipublicae officii episcopatibus vel ecclesiis maioribus praefatis adiuncti, cuius ratione ad certum tempus occupari solent, et tunc pro tempore quo illa synodus, congregationes et assembleae, exercitiumque muneris seu officii publici ipsis ecclesiis adiuncti, actu duraverint; quibus finitis, recto tramite ad ecclesias praefatas sibi commissas se conferre debeant). Nec etiam a praedictâ residentiâ et poenarum praefatarum incursu volumus excusari S. R. E. Cardinales nunc et pro tempore existentes alicui praefatarum ecclesiarum praefectos seu praeficiendos, etiamsi tamquam in ordine priores aliquem ex dictis titulis episcopalibus prope Urbem vel in eius districtu consistentibus obtineant et imposterum obtinuerint, et in praedictis episcopatibus titularibus Urbi proximis resederint, vel in Romanâ curiâ in suis titulis respective, etiam nobis ac Romanis Pontificibus successoribus nostris scientibus, videntibus et quomodolibet tolerantibus moram traxerint, ita ut nullâ nostrâ ac Romanorum Pontificum successorum nostrum conniventiâ, taciturnitate, et ad quarumcumque functionum et actuum pontificalium etiam publicorum et solemnium celebrationem receptione et admissione unquam tueri se possint.

Executores deputat contra transgressores cum facultate procedendi usque ad sententiam exclusive.

Et pro praemissorum et intrascriptorum inviolabili observatione committimus et mandamus dilecto filio camerae apostolicae generali auditori nunc et pro tempore existenti, quatenus contra omnes et singulos praedictos, tam in Urbe quam alibi commorantes, et in suis ecclesiis seu dioecesibus non residentes, per affixionem ad valvas basilicae S. Petri, et in acie Campi Florae, et, quoad praesentes in Romanâ Curiâ, ad abundantiorem cautelam, etiam domi dimissâ copiâ, procedat; et, constito sibi, quantum sufficere videbitur, summarie, simpliciter et de plano, solâ veritate inspectâ, et manu regiâ, de contraventione et inobedientiâ praefatis, usque ad sententiam exclusive procedat; et deinde nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti referat, ut nos ac Romanus Pontifex pro tempore existens in consistorio ad sententiam declarationis incursus poenarum, ac respective privationis seu depositionis aliarumque punitionum praefatorum inobedientium valeamus, et ipse Pontifex Romanus pro tempore existens valeat procedere.

Tempus statuit Episc. ultramontanis pro visitatione limina Apostolor.

Volumus tamen Episcopos, Archiepiscopos, Metropolitanos, Primates et Patriarchas, etiam S. R. E. Cardinales, citra montes vel mare existentes, per quatuor, alios vero ultra montes vel mare degentes, per septem menses continuos a residentiâ in praefatis ecclesiis faciendâ ad effectum visitandi limina Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli iuxta sacros canones ac apostolicas constitutiones pro qualibet visitatione excusari; ita tamen, ut tunc, illis durantibus, visitationis huiusmodi munus explere teneantur, nec ad alios actus se divertant.

Indultum pro Cardinalib. in vacatione Sedis Apostolicae.

Cardinalibus vero nunc et pro tempore existentibus, qui in casu vacationis Sedis Apostolicae ad electionem Romani Pontificis faciendam accedere solent ad locum conclavis ad hoc designati, concedimus licentiam discedendi ab ecclesiis praefatis sibi commissis, habitâ tamen prius certâ notitiâ vacationis ipsius Sedis Apostolicae, et extra residentiam, in loco in quo electionem huiusmodi celebrari continget, commorandi et permanendi usque ad peractam electionem, ac etiam postea per duos menses, postquam Romanus Pontifex coronationis suae insignia susceperit: quo tempore elapso, praefati Cardinales, nisi illico, ut praefertur, ad ecclesias praefatas, quibus praesi-

dere eos contigerit, se contulerint, subiaceant poenis supradictis.

Clausulas huius constitutionis praeservativas addit.

Praesentes quoque litteras, omniaque et singula in eis contenta, de subreptionis obreptionis ac cuiuscumque nullitatis aut invaliditatis vitio, intentionisque nostrae ac quocumque alio defectu, quantumlibet substantiali (etiam ex eo quod in praemissis quomodolibet interesse habentes vel praetendentes, et praesertim iidem ecclesiis praedictis nunc et pro tempore praefecti, etiam eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemnitatesque, et quaevis alia servanda et adimplenda nullatenus servata et adimpleta, et causae, propter quas praesentes emanaverint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter aut etiam in aliquo iustificatae non fuerint), ac quocumque alio colore, praetextu, occasione, et causâ, etiam in corpore iuris clausis, et aliâ quacumque quantumvis rationabili, iustâ et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, a quoquam notari, impugnari, retractari, in ius, vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci non posse, nec sub quibuslibet similium vel dissimilium constitutionum sive dispositionum, etiam motu, scientiâ, et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros, ac etiam per nos, factarum et faciendarum, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet factis, comprehendi, sed semper ab illis excepta, perpetuoque valida, firmaque et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari;

Sicque, et non aliter, in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Nuntios et praedictae S. R. E. Cardinales, etiam de latere legatos, ac quoscumque alios quavis auctoritate et potestate fungentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi, interpretandi et definiendi facultate, ubique iudicari, interpretari, declarari et definiri debere (ita ut, si umquam aliquod dubium seu haesitatio super praemissis, seu eorum aliquo, oriri vel suscitari contingat, nullus, praeter nos ac Romanos Pontifices successores nostros, possit praesentes litteras quovis modo interpretari et declarare), ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari decernimus.

Non obstantibus etc.

81

Sacri celebrati cum solo vin haud tolerand

S. C. de Prop. Fide – C. G. *30 Ianuar. 1635.* — Non esse permittendum ad unionem cum S. R. E. venientibus ut cum solo vino sacrificium Missae peragant ob plures rationes: 1. quia licet huiusmodi mixtio aquae cum vino non sit de necessitate Sacramenti, sed tantum ex praecepto Ecclesiae, super quo dispensare potest Papa, nihilominus quia aqua in vino consecrando miscetur ex traditione apostolica, idque Christum fecisse ex testimoniis sanctorum Patrum creditur, nullo modo debet huiusmodi ritus sacrificandi tolerari, aut armenis permitti; 2. quia ritus huiusmodi armenorum aut involvit haeresim monophysitarum, aut saltem de illa est suspectissimus, nam Nicephorus lib. 18 suae historiae cap. 53 clare dixit armenos solum vinum consecrare ut per hoc ostendant unam esse tantum in Christo Dño naturam; 3. quia S. Concilium Florentinum in instructione ad armenos per verbum *decernimus* armenis unitis iubet ut parum aquae in vinum misceant in Sacrificio; 4. quia semper armeni petierunt a Sede Apostolica ut ritus huiusmodi eis permitteretur, et nihilominus id semper eis fuit negatum; nam Gregorius VII, ut in eius epistola prima lib. 8, Alexander III, Calistus III, Eugenius III, Eugenius IV in dicto Conc. Florentino, Ioannes XXII, Benedictus XI, et demum Paulus V in suis Apostolicis Litteris ad Melchisedech Patriarcham nuncupatum catholicum, qui hunc Archiepiscopum Leopoliensem consecravit, huiusmodi ritum permittere expresse renuerunt; 5. quia demum Lutherus huiusmodi ritum probavit, et calvinistae eumdem observant in sua Coena; et si armenis permitteretur praedictus ritus in Regno Poloniae, calvinistae, qui in eo non pauci reperiuntur, Romanam Ecclesiam calumniarentur, quod scilicet mutaverit sententiam, et cum eis sentiat. Et cum hac resolutione concordat Can. 24, Conc. Carthagin. III sub Siricio Papa; et cap. 1, 2 et 3 *de Consecrat.* distinct. 2.

82

De parochoru praecedentia exequiis.

S. C. Concilii *12 Maii 1635.* — In Hibernia ob prohibitionem exercitii catholicae religionis accidit multoties ut officium defunctorum seu exequiae in domibus ipsorum defunctorum qui habent vel eligunt sepulturam apud Regulares peragantur; quaeritur utrum in hoc casu praecedentia in officio seu exequiis celebrandis debeatur parochis, an vero Regularibus.

R. S. Congregatio, secundum ea quae proponuntur, censuit in funeribus quae extra Ecclesias Regularium intra fines parochiarum fiunt praecedentiam deberi parochis.

83

De dispensat. ab abstinentia cum haeretico converso.

S. C. S. Officii *19 Aprilis 1635.* — Nuncii Ap. apud Helvetios lectis litteris datis Lucernae 30 Ianuarii, quibus instat dispensari cum Ginacio rheto duce militum haeretico converso ad fidem catholicam, ut cibis a Romana Ecclesia vetitis quotidie indifferenter vesci possit, ne propaletur talis rhetis haereticis, SSmus noluit concedere, cum sit actus protestativus religionis, sed mandavit ei rescribi ut curet eumdem Ginacium bene instrui in rebus fidei catholicae ab aliqua persona pia, quae illi suadeat ut se quamprimum liberet ab occasione perversionis.

84

Nequit baptizari qui vult fidem occultare.

S. C. de Prop. F. *28 Maii 1635* (C. G.). — An possit admitti ad Baptismum mahumetanus qui cupit baptizari, sed vult propter vitae periculum christianus occultus esse et manere.

R. Non posse infidelem cum huiusmodi conditione admitti ad Baptismum, sed illum debere se transferre ad loca ubi possit publice christianam religionem profiteri.

85

De dependentia regularium et missionariorum.

S. C. de Prop. F. *30 Iulii 1635* (C. G.). — Religiosos Perae qui non sunt Missionarii teneri se subiicere examini Vicariorum Patriarchalium, cum (hi) sint in ea urbe et in tota dioecesi Constantinopolitana Ordinarii, et approbationem ad audiendas confessiones saecularium ab illis obtinere debere iuxta sacros canones, decreta Concilii Trid. et Summorum Pontificum Constitutiones; missionarios vero observare debere quae illis in eorum facultatibus praescribuntur, quae regulariter habent clausulam prohibitivam administrationis Sacramentorum parochialium sine licentia Ordinariorum vel parochorum, si ibi extiterint.

86

Illicitum mercatorib. christianis fraudare turcas.

S. C. de P. F. *16 Iunii 1636* (C. G.). — An liceat mercatoribus christianis in pondere et numero mercium decipere turcas, collusione facta cum publico moderatore turca.

R. Non licere.

87

Verbum Crucis and in praedicatione occultandum.

S. C. de Prop. Fide *21 Octobris 1636* (C. P.). — Nell' India vi sono religiosi che predicano (prima) Cristo glorioso, e poi crocifisso, e che invece di cominciare da questa predicazione di Cristo crocifisso, cominciano dalle scienze profane, cioè astronomia ed altre.

R. Verbum crucis neque ad tempus occultandum esse, et ad evitandum scandalum infidelium, et cuiuscumque prudentiae praetextu: sed oportere sine erubescentia doceri et praedicari non solum Christi posteriores glorias sed et passiones, ut Princeps Apostolorum dicit, concinente Doctore Gentium, cum ait: « Praedicamus Christum crucifixum, iudaeis quidem » scandalum, gentibus autem stultitiam »: Et iterum: « Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes ».

88

Sedis Apostol. prudentia in facultatum concessione.

S. C. de Prop. F. *1637* – (Praefatio Emi D. Cardinalis de Cremona in Formulas Facultatum). — Operosum semper, atque arduum fuit inter severitatem reservandi casus, et benignitatem concedendi facultates, eum tenere cursum, qui neque conscientiis hominum laqueos iniiceret, nec disciplinae ecclesiasticae rigorem imminueret. Nam intempestiva casuum reservatio ipsum salutis iter magis in angustum cogit, et concessio facultatum prodiga viam sternit ad peccandum latiorem. Sedes ergo Apostolica Spiritus Sancti instinctu ducta illud perpetuo ob oculos habuit, ut haec extrema, et quasi praecipitia declinaret. Et quidem ubi religionis cultus, ac canonum observantia viget, severitas nonnunquam exercenda est, ut hoc quasi fraeno a gravioribus homines sceleribus deterreantur. At ubi mores collapsi iacent, ubi vitia libere vagantur, ubi pietas ac religio exulat, et lumen omne Fidei fere extinctum est, aperiendi sunt benignitatis fontes ne desperatione, aut difficultate veniae peccatores a poenitentia revocentur, et in coeno turpissimorum facinorum insordescant. Quare Sanctae Inquisitionis Congregatio in formulis facultatum concedendis, quae ex communi consilio profectae sunt, nihil antiquius habuit, quam ut has vel temporum, vel locorum, vel populorum diversitates, et varios quasi religionis status accurate cognosceret, et morbis remedia opportuna accommodaret.

De facultatum Formulis.

At quoniam hominum mores non minus quam anni in orbem eunt, daturque sicut noctis, ac diei, ita plurimis in provinciis Fidei ac perfidiae quaedam vicissitudo, ideo humana mens non potest ita in futurum prospicere aut formulas facultatum ita numeris omnibus absolutas tradere, ut lapsu annorum nihil prorsus contineant quod pro loco aliquo particulari aut redundet, aut exile atque angustum sit. Nec propterea statim putandum est, aut ab initio fuisse minus appositas, aut confestim immutandas esse, ne crebrae vel additiones vel limitationes confusionem atque perturbationem pariant. Enimvero superioribus hisce annis usu venit, ut cum ob Episcoporum ac missionariorum querelas plurimae clausulae vel adiunctae, vel ademptae fuerint antiquis formulis, in

eam sensim multitudinem ac numerum excreverint, ut pro iisdem saepe locis variae ac plurimae existerent, nec tamen necessitatibus apte responderent.

Quae perturbatio cum ubique in dies incrementum caperet, SSmus D. N. Urbanus PP. VIII non sine divino instinctu Cardinales quosdam partim ex S. C. de Prop. Fide, Antonium scilicet Barberinum, Pamphilum, et Spadam, partim ex Sac. Congregatione Inquisitionis, S. Sixti nimirum bo: mem: et de Cremona selegit, ut communicatis inter se consiliis de rebus omnibus, quae vel ad gentilium superstitiones vel ad haereticorum errores pertinent, ac perpensis antiquis formulis, ac ratione, quam in his praescribendis Sac. Inquisitionis Congregatio prudentissime adhibuit, illud demum statuerent quod maxime opportunum ad incommoda praecavenda videretur.

Haec vero deliberatio non longitudine dumtaxat temporis, sed difficultate etiam rei propositae molesta fuit; Deo tamen duce, atque sub felici auspicio SSmi D. N. finem aliquando habuit, totumque negotium post graves et diuturnos labores conclusum, ac bis in Congregatione generali coram Cardinalibus de Propaganda Fide et iterum coram Sanctissimo die X. Februarii 1637 cum totius operis initio, progressu, exitu, difficultatibus, diligentiis, rationibus, ac fundamentis a Cardinali de Cremona enarratum, summo omnium applausu exceptum, atque ipsius Christi Vicarii sententia approbatum fuit. Quae Cardinalis Cremonensis narratio cum exactissimam totius rei comprehensionem, sive illa ad doctrinam, sive ad prudentiam in facultatibus concedendis spectat, sensumque Cardinalium, qui tot annis Congregationi particulari interfuerunt, contineat, illud solum reliquum videtur, ut quae universim ab iisdem Cardinalibus constituta, atque a SSmo D. N. comprobata fuerunt, ad particulares Provinciarum necessitates diligenti consideratione accommodentur. Sic enim fiet, ut singulares Formulae ex regulis ac normis stabilitis deductae, maiorem et auctoritatis vim, et diuturnitatis firmitatem acquirant.

89

De facultatum Formulis.

S. C. de Prop. Fide *1637* – (Praefatio R. D. Francisci Ingoli S. C. de Propaganda Fide Secretarii in Formulas Facultatum). — Cum ex multiplicatis opera et diligentia Sac. Congregationis de Prop. Fide in diversas orbis terrarum provincias Episcoporum et Religiosorum Missionibus innotuisset, formulas facultatum, quae a Sede Apostolica concedebantur, non sufficere, ac inspectis pro populorum diversitate necessitatibus, mancas et diminutas existere, Sanctissimus D. N. Urbanus Papa VIII pro suo pastorali munere, et catholicae religionis propagationis zelo providere volens, peculiarem ex Cardinalibus S. Officii et eiusdem S. C. de Prop. Fide, additis illius Assessore, et huius Secretario, Congregationem instituit, in qua cum per tres fere annos Formulae Facultatum veteres, quae a Romanis Pontificibus per litteras Apostolicas olim concessae fuerunt, et a S. Officio tam ante praefatae S. C. de Prop. institutionem, quam post expediebantur, accuratissime, ut gravissimum communicandae inferioribus supremae potestatis Pontificiae negotium postulabat, examinatae fuissent, tandem reiectis veteribus Formulis, quae, si pro diversitate regionum fuissent accommodandae, in infinitum propemodum multiplicari, et saepius pro mutatione religionum in populis immutari debuissent, Patribus praedictis visum fuit alia via in praefatarum Formularum compositione esse incedendum. In primis itaque illis placuit, ut regulae quaedam generales constituerentur, quibus, inspecta regionum diversitate ac qualitate, illarum a Sede Apostolica distantia, et prohibito vel permisso in eis catholicae religionis exercitio, ac ipsarum facultatum specie, et denique personarum dignitate ac officio, illarumque scientia ac morum praestantia, esset in concessione facultatum utendum. Dein eisdem Patribus visum fuit Formulas quasdam generales componere, quae cum regulis praefatis ad singulas orbis terrarum provincias modico labore accommodari possent.

90

An baptizandi infantes filii mahumetanorum et apostatarum.

S. C. S. Officii *28 Ianuarii 1637* – Circa dubia:

1. De filiis mahumetanorum qui baptizantur ab eorum ancillis christianis dum infirmi sunt.

2. De filiis apostatarum a fide qui petunt eorum filios baptizari.

R. Ad 1. Baptismum posse conferri infantibus in articulo mortis moraliter certo constitutis, si tamen id fiat sine scandalo.

Ad 2. Baptismum posse conferri dummodo adsit spes iusta et rationabilis separationis dictorum infantium a parentibus, ac transmissionis ad catholicos, et christianae educationis, de qua baptizaturus diligenter inquirat.

91

De Episcopi iurisdictione in ecclesiis Regularium et Confraternitatum.

S. C. de Prop. F. *22 Iunii 1637* (C. G.). — 1. Utrum teneatur Regularis concionaturus in Ecclesia sui Ordinis et Confraternitatis saecularium communi, petere benedictionem ab Episcopo dioecesano, qui in vestibus sacris assistit in Missa solemni ibidem per canonicum saecularem celebranda.

2. Utrum Ordinarius publicaturus sua edicta et decreta in Ecclesia Regularium et Con-

fratrum saecularium communi teneatur petere licentiam publicandi et affigendi ea in eadem Ecclesia a Superiore Regularium.

3. Utrum tempore Iubilaei possint confessarii absolvere interdictum solemniter ab Ordinario, eique sac. Communionem praebere antequam iuret de non contrafaciendo in posterum et solvat poenam incursam.

R. S. Congregatio examinatis diligenter praedictis casibus, et praesupposito quod ecclesia, in qua habent Regulares exercitia catholica, fuerit cuiusdam Confraternitatis, a qua illi eiusdem ecclesiae usum obtinuerint, Ad 1. respondet *affirmative;* Ad 2. *negative;* Ad 3. similiter *negative.*

92

Quomodo Missionarii uti possint suis facultatibus in itinere.

S. C. de Prop. Fide *11 Dec. 1637.* — S. C. censuit, si SSmo placuerit, omnibus missionariis concedendam esse auctoritatem exercendi in itinere facultates eis commissas in locis per quae transibunt, si ibi non fuerint sacerdotes catholici neque missionarii, per octo tantum dies: quia in partibus infidelium rarissimi sunt sacerdotes catholici, et missionarii, et in multis locis reperiuntur christiani, qui per annum, biennium, triennium et ultra non audierunt Missam, neque Sacramenta susceperunt, nec eorum infantes baptizarunt.

In Congregatione autem Generali de Propaganda Fide habita in Vaticano coram SSmo die 30 Ianuarii 1638, referente Emo Dño Cardinali Pamphilio supradictum Decretum, generaliter editum pro missionariis, ut facultatibus eis concessis certo modo uti possint in itinere, SSmus illud probavit.

93

Delatio SS. Sacramenti extra ecclesiam quando permissa.

S. R. C. *12 Iunii 1638* – Sulmon. — An licitum fuerit Vicario Capitulari facere processionem per vias cum SS. Sacramento extra dies praescriptos a sacris canonibus.

R. Delationem SS. Sacramenti extra ecclesiam non esse permissam nisi occasione solemnis processionis in festo et per octavam Corporis Christi, nec non occasione infirmorum, et orationis quadraginta horarum, iuxta sacrorum canonum decreta; et in praedictis casibus semper intervenire debere clerum cum cruce.

94

De pecuniae usu Missionariis Ordinis S. Francisci concesso.

Decr. S. C. de Prop. F. *20 Sept. 1638* (C. G.). — Referente Emo D. Card. Spada instantiam missionariorum ex Religionibus Sancti Francisci et Capuccinorum, ut declararetur quod eo ipso quod sunt facti missionarii, intelligatur eis concessus pecuniae usus tam in itinere quam in locis missionum quando non possunt habere copiam fidelis syndici; et simul rescriptum f. r. Honorii III ad Franciscanos in regno Marochii missionarios; S. C. censuit, si SSmo placuerit, dispensandum esse in casu defectus fidelis syndici cum Praefectis Missionum circa pecuniae usum iuxta petita, additis memorati rescripti conditionibus, videlicet quando urget necessitas ac invitat utilitas, doloque ac fraude cessante, eorum sinceritatem cupiditas non seducit; eisdemque Praefectis concedendam esse facultatem eodem modo et cum iisdem conditionibus dispensandi cum sociis Missionum eis bene visis. Non obstantibus etc. — Eodem die SSmus D. N. decretum S. Congnis probavit.

95

Iuramentum ab alumnis collegior. qua aetate praestandum.

S. C. de Prop. Fide *21 Martii 1639* (C. G.). — S. C. declaravit: 1. Iuramentum alumnis collegiorum pontificiorum praescriptum ab eisdem alumnis non esse praestandum ante completum decimumquartum aetatis annum. 2. Si ab aliquibus ex praedictis alumnis ante annum decimum quartum completum praestitum fuerit, iterum esse ab eis praestandum anno decimoquarto completo.

96

Quid agendum cum iis qui a latino ad graecum ritum illicite transierunt.

S. C. S. Officii *3 Aug. 1639.* — Se possono (i missionarî dell' Arcipelago greco) assolvere quelli di rito latino che sono passati al rito greco, e vivono in quello mangiando carne il sabato, e facendo tutti gli altri esercizî come gli altri greci. E *quid dicendum* di quelli di loro che, per essere accasati con altri di rito greco, o per altra cagione, hanno difficoltà di ritornare al rito latino?

R. Quoad primum, posse absolvi si non intendant perseverare sine dispensatione. Quoad secundum, petendam dispensationem; interim abstinendum nisi iusta causa excuset.

97

De clericorum privilegiis quoad graecos.

S. C. S. Officii *3 Augusti 1639* (Mission. Arcipelagi). — 1. Se i sacerdoti greci, massime cattolici, godano i privilegî che si godono dai latini e particolarmente del canone *Si quis suadente* etc.

2. Se i latini che li percuotono, o li tirano al foro laicale turchese si abbiano a schivare come scomunicati.

Quid agendum cum graecis presbyteris irregularibus.

3. Come si abbiano (i missionarî) a governare con i preti greci che sono incorsi in irregolarità *ex delicto, et maxime ex homicidio voluntario,* e con quelli che hanno procurato l' aborto *ad evitandam infamiam.*

R. Ad 1. Quoad privilegium Canonis, affirmative. Idem de similibus, sed posse excusari ex aliquo capite v. g. ignorantiae.

Ad 2. Quoad primum: affirmative, loquendo de iis qui sunt notorii percussores vel denunciati. Idem de aliis, si citra rationabilem causam id faciant et sint denunciati.

Ad 3. Cum iis qui irregulares sunt agendum ut cum latinis irregularibus, videlicet dispensando, si adsit facultas et causa, vel remittendo ad habentem facultatem.

98

Quid valeat Missionarior. facultas absolvendi ab haeresi.

S. C. S. Officii *3 Ian. 1640.* — Litteris Inquisitoris Meliten. rescribatur: — Missionarios deputatos a S. C. de Prop. Fide non habere facultatem absolvendi apostatas a fide christiana nisi in foro conscientiae, et absolutos a missionariis debere comparere sponte in Tribunali S. Off. vel Ordinarii, et denuo abiurare apostasiam et recipere fidem absolutionis, si velint esse tuti in foro exteriori; alias si denunciabuntur in S. Officio, Inquisitores vel Ordinarii locorum possunt in eos animadvertere.

99

Prohibetur erectio Instituto-rum sub tit. *De Prop. Fide.*

S. C. de Prop. Fide *3 Feb. 1640* (C. G.). — S. Congregatio de Propaganda Fide iustis de causis permota, S. D. N. Urbano VIII annuente et probante, censuit praecipiendum esse, prout praesenti decreto praecipit Superioribus cuiuscumque ordinis, Religionis, Congregationis, Societatis, aut Instituti sub poenis privationis officiorum, et vocis activae et passivae, et inhabilitatis ad ea, ne Monasteria, Conventus, Domos, Seminaria, Collegia, Hospitia, seu Oratoria sub titulo *de Propaganda Fide* construant, aut erigant, vel a suis subditis construi ac erigi permittant sine sua speciali licentia: Non obstantibus etc.

100

Facultatum tempus a qua die computandum.

S. C. de Prop. F. *2 April. 1640* (C. G. coram SSmo). — Ad quaesitum P. I. missionarii, SS. Dñus dixit tempus facultatum ad eum transmissarum computandum esse a die receptionis earum et non a die datae.

101

Regularium missiones S. C. de Prop. Fide subiectae.

S. C. de Prop. Fide *5 Dec. 1640* (C. P.). — Licet Generales omnes (Regularium Ordinum) habeant, vel peculiariter vel per commutationem, potestatem faciendi missiones et concedendi facultates diversas suis Religiosis, nihilominus Emi PP. censuerunt missiones iam factas, et in futurum ab eisdem Generalibus faciendas, esse S. Congregationi de Prop. Fide subiectas, vigore Constitutionis fel. rec. Gregorii XV de erectione S. Congregationis praedictae, quia per eam negotium propagationis fidei in universo mundo Cardinalibus illius spiritualiter committitur, et ut superintendant omnibus missionibus ordinatur, non obstantibus privilegiis (concessis) quibuscumque Ordinibus, Religionibus, Societatibus et Institutis quocumque nomine nuncupatis.

102

Vicarii in dioecesibus vacantibus nequeunt infra annum dimissorias concedere.

S. C. Concilii *16 Martii 1641.* — An Vicarii a Sede Apostolica deputati cum iurisdictione ordinaria in episcopatibus vacantibus qui non habent Capitula quae sede vacante succedant in iurisdictione, possint infra annum dimissorias concedere. Et quid in Vicariis ab Episcopis in partibus orientalibus tempore obitus nominatis vigore particularis privilegii a Sede Apostolica eisdem concessi.

R. Vicarios supradictos non posse infra annum concedere dimissorias si eisdem non fuerit specialis facultas per Sedem Apostolicam tributa.

103

De illicita habitatione super ecclesiis.

S. R. C. *11 Maii 1641.* — Deputati Seminarii Caiacen. supplicarunt declarari: an liceat clericis Seminarii habitare diu noctuque, et etiam dormire in domibus aedificatis super capellis dexterae navis ecclesiae cathedralis, in quibus quotidie celebratur.

R. Non licere, sed omnino prohibendum.

104

De illicita duarum Confraternitatum eiusdem tituli erectione.

S. R. C. *7 Dec. 1641.* — Religio S. Dominici supplicavit declarari, non licere contra dispositionem Bullae Clementis VIII erigere duas confraternitates in eodem loco sub eadem invocatione; et S. C. respondit: Duas confraternitates in eodem loco sub eadem invocatione erigi non posse, et ideo tam in civitate M... quam ubique locorum id esse prohibendum.

105

De vetita trium Missarum celebratione in nocte Nativit. Domini.

S. R. C. *7 Dec. 1641.* — Cum superioribus diebus consulta hac Sacra Rituum Congregatione: *An esset permittendum celebrari in media nocte Natalis Domini, post Missam decantatam, successive duas alias Missas, et in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus illam deposcentibus,* respondisset non esse permittendum, sed omnino utrumque prohibendum; nihilominus nonnulli Regulares asserentes hoc licere, supplicarunt audiri; et S. C. ipsis auditis cum procuratoribus et advocatis, ad relationem Emi Paleotti, stetit in decretis et respondit iterum prohibendum tam sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus media nocte ad ecclesiam et Communionem deposcentibus.

106

Quid Concil. Trident. statuerit circa sacras Imagines.

Constit. Urbani PP. VIII. *15 Martii 1642.* (De sacris Imaginibus). — Sacrosancta Tridentina Synodus optime agnoscens non leve scandalum afferre posse, si quid inordinatum aut praepostere accommodatum, vel profanum in ecclesiis appareat; statuit, nemini licere ullo in loco, vel ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam Imaginem ponere, vel ponendam curare, nisi ab Episcopo adprobata fuerit.

Cum autem, sicut accepimus, ex praedicti Decreti inobservantia varii abusus irrepserint; idcirco Nos abusus huiusmodi tollere, pro debito pastoralis Officii Nostri, volentes; re etiam cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus praepositis communicata, et mature considerata et discussa; inhaerendo dictae dispositioni Sacrosanctae Tridentinae Synodi, motu proprio, et ex certa scientia nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ne quis cuiuscumque gradus, qualitatis, ordinis, status vel conditionis, ac dignitatis et praeeminentiae etiam ecclesiasticae, etiam individua et speciali expressione dignae existat, Imagines D. N. I. C., et Deiparae Virginis Mariae, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum et Sanctarum quorumcumque sculpere, aut pingere, vel sculpi, aut pingi facere, aut antehac sculptas, pictas et alias quomodolibet effictas tenere, seu publico aspectui exponere, aut vestire cum alio habitu et forma, quam in Catholica et Apostolica Ecclesia ab antiquo tempore consuevit, nec etiam cum habitu peculiari alicuius Ordinis Regularis, tenore praesentium prohibemus; ac ut Imagines aliter pictae vel sculptae ab Ecclesiis et aliis locis quibuslibet amoveantur et deleantur, vel reducantur et reformentur ad habitum et formam in Ecclesia Catholica et Apostolica ab antiquo tempore consuetam: ut veneratio et cultus sic dictis Imaginibus augeatur, et quae oculis Fidelium subiiciuntur, non inordinata nec insolita appareant, sed devotionem pariant et pietatem; et ne exponantur in Ecclesiis, quibuslibet ac quomodolibet qualificatis, ac earum frontispiciis et atriis, imagines profanae, vel alias indecentiam et inhonestatem praeseferentes, cum Domum Dei deceat sanctitudo, praecipimus. Quocirca quibuscumque Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, ac Nostris et Apostolicae Sedis Nunciis, Legatis, etiam de Latere, sub obtestatione divini iudicii mandamus, ut praedicta inviolabiliter et exacte observent. Mandantes insuper omnibus Capitulis Ecclesiarum etiam Cathedralium et maiorum, Universitatibus etiam studiorum, Monasteriis, ac Collegiis, et personis quibuscumque etiam Ecclesiasticis, Saecularibus et Regularibus cuiuscumque Ordinis etiam Cisterciensis Instituti, Congregationis et Societatis etiam Iesu, etiam Militaribus, etiam Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, aliorumque Militarium, et ceteris quibuscumque, quomodolibet qualificatis, ac eadem individua expressione et speciali nota dignis, ac Monialibus, etiam Regularium gubernio subiectis, ac etiam Sedi Apostolicae immediate suppositis, ut in eorum Ecclesiis et locis omnia et singula praemissa observent, et observari faciant.

Quid stricte servandum ad sacras Imagines.

Quatenus vero ipsi, praesertim Regulares ac Moniales, praesentibus Literis ac omnibus in eis contentis parere neglexerint, possint et debeant Episcopi et locorum Ordinarii et Metropolitani, Primates et Patriarchae, Nuncii et Legati Apostolici de Latere missi, tamquam in hoc a Sede Apostolica specialiter delegati, contra omnes et singulos praedictos, et quoscumque alios quomodolibet inobedientes et transgressores procedere, et quacumque appellatione, recursu, reclamatione, aliisque iuris et facti remediis ordinariis et extraordinariis penitus et omnino remotis, ad omnimodam observantiam illos, praevia unica monitione, censuris ecclesiasticis et aliis eorum arbitrio, et praesertim quoad loci Superiores, etiam privationis Officii et vocis activae et passivae poenis compellere.

Poenae in transgressores.

107

S. R. C. *21 Feb. 1643.* — Iuxta antiquum morem huius S. C. relati fuerunt per me Secretarium duo abusus qui reformatione indigere videbantur:

Abusus in musica sacra reformandi.

1. Quod in multis ecclesiis, ad inserviendum lepori musices, alteratur notabiliter textus Sacrarum Scripturarum mutilando, anteponendo, postponendo et alterando verba et sensum illarum, et adoptando eas modulationi, ita ut non musica Sacrae Scripturae, sed haec illi inservire videatur.

2. Quod in Missis solemnibus concentus musicales, qui ad rem non pertinent, misceantur, et in tantum spatium protrahantur, ut sacerdotes otiosi diutius ad altare distracti haereant, et caeremoniarum ordo inflectatur, ita ut non musica Missae, sed Missa musicae famuletur.

Et S. R. C. censuit: Indigere reformatione, et quousque ratio congrua ineatur, iniungendum Emo Card. Vicario ut praedicta prohibeat, prout magis expedire cognoverit.

108

S. C. de Prop. F. *30 Iunii 1643* (C. G.). — De praescribendo tempore quo possint Missionarii (Regulares) obtinere a suis superioribus

Quando Regulares Missionarii possint a Missionibus recedere.

localibus obedientiam recedendi a Missionibus et ad suos conventus recta via se transferendi, S. Congregatio censuit missionariis in Europa post quinquennale servitium, et extra Europam post decennale, licentiam recedendi a suis Missionibus, et ad suos conventus recta via revertendi, si eam petierint a Superioribus Missionum, concedi posse.

109

Mission. Praefecti ad residentiam tenentur.

S. C. de Prop. F. *19 Ian. 1644* (C. G.). — Praefectos teneri ad residentiam in locis Missionum, ut missionarii in occurrentibus dubiis, difficultatibus, controversiis ac aliis eorum necessitatibus facilem ad eos habeant recursum.

110

Dominia suprema non vendenda haereticis.

S. C. S. Officii *28 Ianuar. 1644.* — (Ad Archiduciss. Claudiam de Inspruch). – Dominia suprema non posse vendi haereticis ob evidens periculum subversionis animarum.

111

De praecedentia in funeralibus.

S. C. Concilii *14 Maii 1644.* — Cui debeatur praecedentia in funeralibus : an proprio parocho defuncti, an vero Capitulo Collegiatae.

R. In associatione funerum, salva legitima loci consuetudine, deberi Capitulo Collegiatae supra parochum etiam proprium defuncti, sine praeiudicio tamen in reliquis iurium et praeeminentiarum eidem parocho de iure vel de consuetudine competentium.

112

De disputationibus catholicorum cum haereticis.

S. C. de Prop. F. *7 Febr. 1645* (C. P.). — 1. Colloquia et disputationes publicas catholicorum cum haereticis aliquando esse licitas, cum scilicet spes habetur maioris boni, et concurrunt aliae conditiones, quae a theologis recensentur, ut patet ex iis disputationibus quas habuit S. Augustinus contra Donatistas ac alios haereticos.

2. Sanctam Sedem Apostolicam et Romanos Pontifices, quod huiusmodi colloquia, disputationes et collationes plerumque sine bono, aut etiam cum malo exitu peracta fuerint, illa frequenter prohibuisse, ac suis ministris scripsisse ut illa impedirent; si vero non possent impediri, curarent ne fierent sine auctoritate Apostolica, insisterentque ut per viros doctos, qui possent et valerent defendere veritates catholicas id perageretur; et saepissime id ipsum S. C. de Prop. Fide rescripsit ad suos missionarios, eosque monuit ut a publicis disputationibus cum haereticis abstinerent.

113

Iuramentu alumnorum Co legior. in perp tuum obligat.

S. C. de Prop. F. *7 Aug. 1645* (C. G.). — An iuramentum quod praestant alumni Collegii de Propaganda Fide et aliorum Collegiorum Pontificiorum ad titulum Missionis promoti eos ad Missionem in perpetuum obliget.

R. Praedictum iuramentum ex vi huius formulae alumnos ad titulum Missionis promotos in perpetuum obligare.

114

An ius posi vum obliget nenses quoad iunia, confessi nem *etc.*

S. C. de Prop. Fide. *12 Sept. 1645.* — Sinarum — Infrascriptae propositiones a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad Sanctum Officium transmissae, fuerunt a Patribus Qualificatoribus eiusdem Sancti Officii qualificatae ut infra :

Primo. Utrum christiani chinenses sint obligati ad observantiam iuris positivi, quantum ad ieiunia, confiteri semel in anno, et Communicare, Festa servare, eo modo quo obligantur Indi in nova Hispania, et Insulis Philippinis, iuxta dispositionem Papae Pauli III pro Indiis Occidentalibus et Meridionalibus (1).

---

(1) En Const. Pauli PP. III, anno 1537. — « Altitudo divini consilii, quod humana nequit ratio comprehendere, ex suae immensae bonitatis essentia, aliquid semper ad salutem humani generis pullulans, tempore congruo et solo suo secreto ministerio, quod ipse Deus novit, opportune producit et manifestat : ut cognoscant mortales, ex suis meritis, tamquam ab ipsis, nihil proficere posse ; sed eorum salutem et omne donum gratiae ab ipso Summo Deo, et Patre luminum provenire.

» Sane cum sicut, non sine grandi et spirituali mentis nostrae laetitia, accepimus, quamplures incolae occidentalis et meridionalis Indiae, licet divinae sint legis expertes, S. Spiritu tamen cooperante, illustrati, errores, quos hactenus observarunt, penitus ab eorum mentibus, et cordibus abiecerint, ac fidei catholicae veritatem et S. Ecclesiae unitatem amplecti, et secundum ritum eiusdem Romanae Ecclesiae vivere desiderent et proponant; Nos, quibus omnes oves divinitus sunt commissae, cupientes, eas, quae extra verum ovile, quod est Christus, sunt, ad ipsum ovile, ut fiat ex illis unus Pastor et unum ovile, perducere, ac sanctissimorum Apostolorum, qui nobis verbo et exemplo pastoralis officii formam tradentes, nascentis Ecclesiae infantiam lacte, provectam vero eius aetatem solido cibo nutrierunt, vestigiis inhaerendo, novellas plantationes ipsius Ecclesiae, quas in dicta occidentali et meridionali India Altissimus plantare dignatus est, sic donec coalescant, ut non omnia, quae per orbem Ecclesia iam firmata custodit, illis custodienda mandemus, sed tamquam parvulis in Christo, aliqua paterno affectu indulgeamus confovere. Ac circa eorum regenerationes, nonnulla, ut etiam accepimus, suborta dubia primitus submovere volentes, matura sub hoc deliberatione praehabita, auctoritate Apostolica nobis ab ipso Domino Nostro Iesu Christo, per Beatum Petrum cui, et Successoribus sui apostolatus ministerii dispensationem commisit, tradita, tenore praesentium decernimus et declaramus : illos, qui Indos ad fidem Christi venien-

. Quoad ie-a.

Censuerunt, Ius positivum ecclesiasticum de ieiuniis absolute obligare chinenses christianos, et a Missionariis hoc esse illis enunciandum. Attenta vero Regionum et Personarum qualitate, locum esse, si Sanctissimo placuerit, dispensationi, quae fuit alias a fel. rec. Paulo III. Indis concessa, qua obtenta satagant Missionarii Sanctae Matris Ecclesiae pietatem illis patefacere, quibus ea, quae in universum indixit, magna ex parte benigne remittit et indulget.

Quoad Confionem.

Censuerunt etiam praefatos chinenses obligari ad Sacramentalem Confessionem semel in anno, et Missionarios huiusmodi obligationem debere eis notificare.

Quoad Communionem.

Idem prorsus censuerunt quoad Sacram Communionem semel in anno sumendam. Quo vero ad executionem tempore statuto, hoc est, in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum adsit impedimentum, aut grave periculum immineat. Curandum tamen ut infra duos, vel tres menses, ante, vel post, Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin minus alio quovis tempore infra decursum unius anni a Paschate inchoandi omnino communicent.

4. Quoad Festa.

Demum censuerunt chinenses ad fidem conversos teneri omnino Festa servare, Missionarios etiam teneri hoc eis notificare: locum tamen esse, si Sanctissimus annuat, limitandi eis numerum dierum festorum iuxta formam privilegii a Paulo III Indis concessi.

De ceremoniis Baptis. et Extr. Unctione quoad mulieres sinens.

Secundo. Utrum in praedicto Regno ministri evangelici, pro nunc saltem, in Sacramento Baptismi possint abstinere ab imponendo mulieribus Oleum Sanctum catechumenorum, sputum in auribus, et sal in ore. Insuper, et non administrare eisdem mulieribus Sacramentum Extremae Unctionis. Et ratio dubitandi est, quia chinenses, magno zelo ducuntur erga uxores, filias, et alias mulieres, et scandalum sument ex huiusmodi actionibus.

Censuerunt, et Sacramentalia in Baptismo mulierum esse adhibenda, et Extremam Un-

---

» tes, non adhibitis ceremoniis, et solemnitatibus ab » Ecclesia observatis, in nomine tantum SS. Trinita- » tis baptizaverunt, non peccasse, cum consideratis » tunc causis occurrentibus, sic illis bona ex causa pu- » tamus visum fuisse expedire. Et ut huiusmodi no- » vellae plantationes, quantae dignitatis sit lavacrum » regenerationis, quantumque ab illis lavacris, qui- » bus antea in sua infidelitate utebantur, differat, non » ignorent; statuimus, ut qui in posterum extra urgen- » tem necessitatem Sacrum Baptisma ministrabunt, ea » observent, quae a dicta Ecclesia observantur, onera- » tis super tali necessitate conscientiis eorum, extra » quam quidem necessitatem, saltem haec quatuor ob- » serventur. Primum, aqua sacris actionibus sanctifice- » tur. Secundum, Catechismus et Exorcismus fiat sin- » gulis. Tertium, sal, saliva, capella, et candela po- » natur duobus vel tribus pro omnibus utriusque sexus » tunc baptizandis. Quartum, Chrisma ponatur sin- » gulis in vertice capitis, et oleum Cathecumenorum » ponatur super cor viri adulti, puerorum et puellarum; » adultis vero mulieribus ponatur in illa parte, quam » ratio pudicitiae demonstrabit. Super eorum vero ma- » trimoniis hoc observandum decernimus, ut qui ante » conversionem plures iuxta eorum mores habebant » uxores, et non recordantur, quam primo acceperint, » conversi ad Fidem, unam ex illis accipiant, quam » voluerint, ut cum ea Matrimonium contrahant per » verba de praesenti, ut moris est; qui vero recordan- » tur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam re- » tineant. Ac eis concedimus, ut coniuncti etiam in » tertio gradu tam consanguinitatis, quam affinitatis, » non excludantur a Matrimoniis contrahendis donec » huic S. Sedi super hoc aliud visum fuerit statuen- » dum. Et circa abstinentiam ab illis suscipiendam » etiam statuimus, quod in Vigilia Nativitatis, et Re- » surrectionis Domini Nostri Iesu Christi, et omnibus » sextis Feriis Quadragesimae ieiunare teneantur, ce- » teros vero ieiuniorum dies eorum beneplacito pro- » pter novam ad Fidem eorum conversionem, et ipsius » gentis infirmitatem permittimus. Ita quod ieiunium » repugnans sanitati, vel non bene quadrans officio vel » exercitio alicuius non censeatur illi ab Ecclesia prae- » ceptum. Eisque etiam concedimus, quod quadragesi- » malibus et aliis prohibitis anni temporibus lacticiniis, » ovis, et carnibus tunc temporis dumtaxat vesci pos- » sint, cum ceteris christianis ob aliquod sanctum opus » obeundum similibus cibis vesci posse a Sede Apo- » stolica pro tempore fuerit concessum. Dies autem » in quibus eos volumus a servilibus operibus cessare, » declaramus esse omnes dies Dominicos, ac Nativi- » tatis, Circumcisionis et Epiphaniae, Resurrectionis et » Ascensionis, ac Corporis eiusdem Domini Nostri Iesu » Christi et Pentecostes; nec non Nativitatis, Annun- » ciationis, Purificationis, Assumptionis gloriosae Dei » Genitricis Virginis Mariae, ac Beatorum Petri, et » Pauli eius Coapostoli. Ceteros vero dies festos ex » causis supradictis illis indulgemus. Et insuper consi- » derantes maximam ipsius Indiae occidentalis et me- » ridionalis a Sede Apostolica distantiam, tam vobis, » qui in partem Apostolicae sollicitudinis assumpti estis, » quam iis, quibus super hoc vices vestras, auctoritate » per nos super hoc concessa, specialiter duxeritis com- » mittendas, omnes noviter conversos praedictos in qui- » buscumque Sedi Apostolicae reservatis casibus etiam » in Litteris in die Coenae Domini legi consuetis, ni- » hil nobis de illorum absolutionibus reservantes, au- » ctoritate Apostolica iniuncta eis poenitentia salutari » in forma Ecclesiae consueta, prout prudentiae Vestrae » videbitur expedire, absolvendi plenam et liberam ad » dictae Sedis beneplacitum facultatem concedimus. Et » postremo ne isti in Christo Parvuli malis exemplis » corrumpantur, quod aliquis Apostata in illas partes » se conferre non praesumat, sub Excommunicationis » latae sententiae poena, a qua nisi post suum istinc » recessum absolvi nequeat, decernimus; vobis nihilo- » minus iniungentes, ut ipsos apostatas, ex vestris dioe- » cesibus, omnino expellatis, et expellere satagatis, ne » teneras in fide animas corrumpere et seducere pos- » sint. Et quia difficile foret, praesentes litteras Nostras, » ad singula loca ubi opus fuerit, deferre, volumus, et » eadem auctoritate Apostolica decernimus, quod ipsa- » rum litterarum transumptis, manu alicuius notarii » publici subscriptis, et sigillo alicuius Episcopi munitis » eadem fides prorsus in iudicio, et extra iudicium adhi- » beatur, sicuti adhiberetur originalibus litteris, si forent » adhibitae, vel ostensae. Non obstantibus constitutio- » nibus ei ordinationibus Apostolicis, caeterisque con- « trariis quibuscumque.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incar- » nationis Dominicae 1537. Kalendis Iunii Pontificatus » Nostri anno tertio ».

ctionem esse mulieribus conferendam; nec sufficere motivum in dubitatione expressum, ut Missionarii (quantum in se est) ab his abstineant. Curandum ergo ut tam salubres ritus, et coeremoniae introducantur, et observentur; ac Missionarii tali circumspectione illa administrent, hominesque talibus instruant documentis, ut ab omni suspicione inhonestatis liberentur.

Quantum liceat sinensibus accipere in mutuo.

Tertio. In praefato Regno lege stabilitum est, ut in mutuo triginta pro centum accipiatur absque respectu lucri cessantis, aut damni emergentis. Quaeritur utrum chinensibus sit licitum pro pecuniarum suarum mutuo, licet non interveniat lucrum cessans, aut damnum emergens, praedictam triginta pro centum quantitatem, Regni lege taxatam, accipere; Et causa dubitationis est, quia in recuperanda pecunia est aliquod periculum, scilicet, quod qui accipit mutuatum fugiat, vel quod tardet in solvendo, vel quod necessarium sit coram iudice repetere, vel propter alia huiusmodi.

Censuerunt ratione mutui immediate, et praecise nihil esse accipiendum ultra sortem principalem: si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis, prout in casu, non esse inquietandos, dummodo habeatur ratio qualitatis periculi, et probabilitatis eiusdem, ac servata proportione inter periculum, et id quod accipitur.

De usuris vetitis.

Quarto. In universo Chinarum Regno domus publicas usuris deputatas reperiri res est usitata, in quibus usurarii publici, facta sub pignorum cautione, pecuniam suam, sumpto lucro, ad usuram dare solent; ea tamen conditione, ut pro uno ducato singulis mensibus tantum quid accipiant; et si tantis elapsis annis pignorum dominus pro iisdem recuperandis pignoribus, soluta principali pecunia cum lucro non redierit, actionem et dominium, quod habebat in suis pignoribus illico amittat. Istae autem domus, reipublicae necessariae sunt, et quamvis usurarii vitam usurariam dimittere velint, a non desistendo a praedictis usuris, iudicis auctoritate compelluntur. Quaeritur utrum, si huiusmodi usurarii converti velint ad fidem, possint baptizari manendo in suo statu usurario propter causam supradictam; vel quidnam in tali casu agendum sit.

Censuerunt, chinenses, in statu usurario permanentes, baptizari non posse: si vero iudicis auctoritate compellantur ad proprias pecunias mutuandas, posse aliquid accipere, etiam recepto pignore ultra sortem principalem, tum ratione oneris, quod subire coguntur, tum ratione curae in custodia pignorum, lucri quoque cessantis, et damni emergentis: tempore autem praestituto, si ex venditione pignorum aliquid supersit sorti principali, et lucro ex causis praedictis iuste acquisito, domino pignoris esse restituendum.

De restitutio ob usuras.

Quinto. Utrum praedictorum usurariorum filii, si quando in haereditatibus eorum succedunt, iam christiani existunt, teneantur ad restitutionem eorum, quae pater ex usuris accepit, in toto vel in parte, iuxta male acceptorum excessum; et si huiusmodi usurariorum filii haeredes, iam christiani, a republica, vel a iudice compellantur ad publicas usurarum domus patrum aperiendas, et substentandas, quid in hoc casu ministri Evangelii pro sanandis istorum conscientiis facere debent?

Censuerunt, filios haeredes usurariorum teneri, a patribus ex usuris illicite acquisita restituere, certis quidem dominis, si certi sunt; sin minus, iuxta regulas a doctoribus traditas: actualem vero restitutionem a doctis, piis, et prudentibus viris esse dirigendam. Quoad secundam partem huius dubitationis, iam responsum est in proxime superiori resolutione.

De contrit tionib. pro eth corum festivi tibus.

Sexto. In populis, et civitatibus illius Regni mos est imponendi quasdam distributiones, quae a populis vicinis exiguntur, ut in Pascha novi anni, in sacrificiis, et daemoniorum suorum idolatriis, et invitationibus, ac conviviis in eorumdem templis praeparatis, simulque in festivitatibus, aliisque indifferentibus pro populi laetitia demonstrationibus expendantur. Quaeritur utrum christianis, ac ministris eorum (a quibus etiam tamquam a populis vicinis postulant) licitum sit, pro nunc saltem, pro huiusmodi rebus contribuere; nam si christiani ad hoc non contribuerint, tumultus aliquis contra christianos inter gentiles fiet.

Censuerunt posse christianos chinenses pecunias contribuere dummodo per huiusmodi contributiones non intendant ad actus idololatricos, et superstitiosos concurrere, supposita causa quae narratur in dubio; praesertim praemissa, si commode fieri potest, protestatione, quod imposita tributa praestant in ordine tantum ad populi laetitiam, et ad actus indifferentes, vel saltem cultui religionis christianae non repugnantes.

De illicita co peratione ad c tum cuiusdam doli.

Septimo. In omnibus illius Regni civitatibus et villis, templa cuidam idolo *Chim-hoàm* dicto erecta, ac dicata reperiuntur, quod fingunt chinenses esse protectorem, regentem, et custodem civitatis, stabilitaque Regni lege ordinatur, ut omnes gubernatores civitatum, et villarum, (quos mandarinos vocant) quando regiminis possessionem assumunt, et anni decursu bis in mense, sub poena privationis ab officio, templa adeant praefata, ibique ante dicti idoli altare prostrati, genibus flexis, capiteque ad terram usque inclinato idolum illud adorent ac venerentur, eidem candelas, odoramenta, flores, carnes, vinumque in sacrificium offerant; et cum sui regiminis possessionem accipiunt, ante praedictum idolum iurent de recte administrando, et si contra fecerint, se submittant supplicio ab idolo infligendo, simulque

ab illo petant modum et normam bene gubernandi et alia huiusmodi. Quaeritur, utrum attenta istius gentis fragilitate, tolerari possit pro nunc, quod tales gubernatores christiani deferant quamdam crucem, quam occulte inter altaris idoli flores, vel in manibus propriis reponant, et facere (intentione, non ad idolum, sed ad crucem directa) omnes illas genuflexiones, reverentias et adorationes ante altare illud, exterius tantum et ficte; omnem cultum interius et in corde, ad crucem dirigendo. Quia si huiusmodi gubernatores cogantur ad hoc non faciendum, prius apostatabunt a fide, quam relinquant officium regiminis.

Censuerunt, nullatenus licere christianis, huiusmodi actus publicos cultus, aut reverentiae tribuere idolo, praetextu vel intentione crucis, quam vel manu gestant vel in altari inter flores abscondunt.

e illicito Con-ii cultu.

Octavo. In praedicto Regno habent chinenses quemdam magistrum in philosophia morali litteratum, qui olim discessit a vita, vocatum *Kúm-fú-ciù*, qui ob doctrinam, regulas et documenta, adeo in toto Regno acceptus est, ut tam reges, quam omnes alii cuiuscumque conditionis et gradus sint, sibi proponant imitandum et sequendum, saltem quoad speculativum; tamquam sanctum venerantur et laudant, in omnique civitate et villa, praefato magistro templa sunt erecta: gubernatores vero bis in anno tenentur in eius templo solemne sacrificium offerre, sacerdotis ipsimet gerentes officium; et sine solemnitate, in anni decursu, bis in mense, concurruntque cum illo aliqui ex litteratis pro administratione eorum, quae in tali sacrificio offerunt, quae quidem sunt: sus unus integer mortuus, capra una integra, candelae, vinum, flores, odores, etc. Item omnes litterati quando accipiunt gradum, debent ingredi templum istius magistri, et facere genuflexiones, et offerre ante eius altare ex candelis, et odoribus. Totus iste cultus, sacrificium et reverentia secundum omnium illarum gentium formalem intentionem, dirigitur in gratiarum actionem pro bonae ipsius relictis doctrinae documentis, atque ut ab eo impetrent ex ipsius meritis, optimi ingenii felicitatem sapientiae et intellectus. Quaeritur, utrum gubernatores, qui christiani sunt vel fuerint et litterati, vocati et coacti possint ingredi praefatum templum, facere tale sacrificium, vel assistere huiusmodi sacrificio, vel facere genuflexiones ante altare illud, vel accipere aliquid de idolothytis et oblationibus illis, maxime, quia putant illi infideles, quod quicumque manducaverit ex talibus idolothytis, habebit progressum magnum in suis litteris et gradibus; et si, portantes crucem in manibus, possint licite hoc facere eo modo, quo dubitatione superiori dictum est, quia si hoc illis prohibetur, erit tumultus in populo, ministri Evangelii in exilium mittentur, et conversio animarum impedietur et extinguetur.

Censuerunt, non licere, nec posse aliquo praetextu contento in dubio christianis permitti.

De superstitioso progenitorum cultu.

Nono. Inviolabilis observantiae mos est apud chinenses tamquam doctrina a supradicto magistro *Kùm-fú-ciù* tradita, quod in omnibus Chinae populis, templa constructa, habeant, avis et progenitoribus suis defunctis dicata; et in unoquoque eorum, omnes qui eiusmodi familiae sunt, bis in anno congregantur, ut praefatis suis progenitoribus solemnia sacrificia faciant magno coeremoniarum apparatu, et in altari multis candelis, floribus et odoribus adornato, imaginem, sive effigiem parentis, vel avi defuncti collocant, in quo sacrificio invenitur et qui facit sacerdotis officium et ministri illius, offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum etc. Hoc autem sacrificium ex communi illarum gentium intentione, dirigitur, ut praefatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem et reverentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta et ob illa, quae ab eis accipere sperant: unde ante altare prostrati deprecationes multas faciunt, postulantes sanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, prosperitatem magnam, et ut ab omnibus adversitatibus liberentur: quod quidem sacrificium in domibus suis et in sepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen solemnitate. Quaeritur, utrum christiani ficte et exterius tantum, ut supra dictum est, possint assistere huiusmodi sacrificio, vel exercere aliquod ministerium in illo cum infidelibus commixti, sive in templo, sive in domo, vel sepulchro, publice, vel privatim, vel quonam modo hoc poterit permitti christianis illis; ne si omnino prohibeantur hoc facere, fidem perdant, vel ut melius dicam, avertant se ab actionibus exterioribus christianorum.

Censuerunt, christianis chinensibus nullatenus licere, ficte, vel exterius assistere sacrificiis, in honorem progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuscumque ritibus superstitiosis gentilium erga ipsos; multo minus licere circa praefata ministerium aliquod exercere.

Decimo. Chinenses christiani asseverant, quod in oblationibus supradictis solummodo intendunt, progenitoribus suis defunctis illam exhibere reverentiam et illa offerre ac si iisdem viventibus exhiberentur, et in memoriam tantum ac reverentiam progeniturae et generationis; et si illi vivi extitissent, eadem illis praesentarent, ut illis oblatis vescerentur, vel sustentarentur, et ea offerunt absque alia intentione, vel rogativarum spe, cum sciant illos mortuos esse, eorumque animas in inferno sepultas. Quaeritur, utrum, si haec inter christianos tantummodo fierent absque alio gentilium con-

sortio, in templis, domibus, vel sepulchris, ponendo et collocando aliquam crucem in altari praefatorum defunctorum, dirigendo ad illam suam intentionem, ita tamen, quod progenitorum imagini nihil tribuant, nisi honorem et reverentiam filialem, quam (si vivi extitissent) illis comestibilibus et odoriferis rebus exhiberent, ut sic populo satisfaciant. Unde quaeritur, utrum hoc pro nunc, ut inconvenientia evitentur, tolerari possit.

Censuerunt, consequenter ad ea quae superius dicta fuerunt, praemissa non posse salvari sive per appositionem crucis, sive propter absentiam gentilium, sive per intentionem, actus de se illicitos et superstitiosos ad cultum veri Dei, dirigentem.

De tabellis superstitiosis.

Undecimo. Ad memoriam progenitorum suorum conservandam utuntur chinenses quibusdam tabellis, in quibus nomina suorum defunctorum scripta sunt, quas vocant esse animarum sedes, existimantes animas defunctorum venisse et assistere in illis tabellis ad recipiendum sacrificia et oblationes, et praefatae tabellae sunt collocatae in propriis altaribus cum rosis, candelis, lampadibus et odoramentis, et coram ipsis tabellis, genuflexiones, orationes et deprecationes faciunt, expectantque auxilium ab illis defunctis concedendum in suis necessitatibus et laboribus. Quaeritur, an christianis licitum sit, omnibus gentilitiis superstitionibus et erroribus postpositis, uti pro nunc praefatis tabellis, illasque inter Domini, Sanctorumque imagines, et in eodem altari collocatas habere, vel in alio separato cum ornatu supradicto ad hoc, ut gentilibus satisfaciant; vel possint facere supradictas deprecationes et sacrificia cum intentione supradicta.

Censuerunt, omnino non licere habere illas tabellas in vero et proprio altari maioribus dicato, multo minus deprecationes et sacrificia eis offerre, licet occulta et ficta intentione.

De quibusdam reverentiae signis erga defunctos.

Duodecimo. Quando in illo Regno aliquis mori contingat, sive christianus sit, sive gentilis, pro inviolabili more habetur, in domo defuncti quoddam altare praeparare, in eodemque imaginem defuncti, seu tabellam supradictam collocare cum ornatu odorum, florum et candelarum, retroque cadaver feretro inclusum ponere: omnes autem, qui ad condolendum domus illas ingrediuntur, coram praeparato altari et defuncti imagine, ter, vel quater genuflectunt, humi sese prostrantes, capitibus usque ad terram demissis, aliquas secum candelas asportantes et odoramenta, ut in praeparato illo altari, coram defuncti imagine consummentur et comburantur. Quaeritur, utrum licitum sit christianis et praecipue ministris sancti Evangelii, attento mutuo benevolentiae signo et amoris, supradicta facere, maxime quando defuncti sunt ex nobilioribus populi.

Censuerunt, posito quod mensa parata sit quaedam tabula, non autem verum et proprium altare, si coetera continentur intra limites obsequii civilis et politici, esse toleranda.

De illiceitat cultus superstiosi catechume nis declaranda.

Tertiodecimo. Quaeritur, utrum catechumenis paratis iam ad baptismum suscipiendum, debeamus ministri declarare, et aperte, et in singulari docere, esse illicita sacrificia et omnia supradicta, quamvis ex hoc sequantur inconvenientia, scilicet, desistere a susceptione baptismatis, persequutiones, mors, vel exilium ministrorum evangelicorum.

Censuerunt, ministros evangelicos teneri docere, sacrificia omnia, praeterquam soli Deo, esse illicita, cultum daemonum et idolorum esse relinquendum, et quaecumque huiusmodi cultum concernunt esse falsa et christianae fidei repugnantia. Ad singularia vero descendendum prout in catechumenis ingenii promptitudo aut ruditas exiget, aliisque circumstantiis, consuetudinibus, ac periculis perspectis.

De usu voci *King* ad nomi nandos Confu cium et reges.

Quartodecimo. Chinarum sermone haec vox *(King)* idem est quod Sanctus, Sancta, Sanctum; et in libris doctrinae christianae a quibusdam sancti Evangelii ministris praelo mandatis reperitur ista vox *(King)* ad nominandam Sanctissimam Trinitatem, Christum Dominum, Beatam Mariam et coeteros Sanctos. Quaeritur, utrum quando in praefatis libris sese offert occasio, ut nominetur magister Chinarum *Kùm-fú-çù* vocatus, vel mandatum Regis Chinarum, vel coeteri Reges, qui communiter in illo Regno ut sancti reputantur, cum sint infideles et idololatrae, possimus ne, et sit licitum nobis Christi ministris nominare supradictos hoc nomine *(King)*.

Censuerunt, non posse aliquid firmari circa vocem hanc, eiusve usum, nisi praehabita cognitione idiomatis, eiusque verae et propriae significationis: coeterum si eadem vox in Regno Chinarum habet latitudinem, posse ministros ea uti; si vero restringatur ad significandam veram et perfectam sanctitatem, nullatenus posse.

Qualis cultu erga Regem per mittatur.

Quintodecimo. In multis templis idolorum illius Regni invenitur una tabula deaurata et collocata super unam mensam, vel altare, et omnibus ornamentis candelarum, rosarum, odoramentorum munita et ornata, qua in tabula scriptae sunt litterae, vel characteres sequentes: *Hoàm ty ván sú y ván ván sú y.* hoc est: vivat Rex Chinarum ad multa annorum millia; et ante praefatam tabulam mos est inter illos idololatras sacrificare bis, vel ter in anno et facere genuflexiones in honorem et reverentiam illius. Quaeritur si ministri Christi Domini possimus in nostris ecclesiis collocare huiusmodi altare cum tabula et circumstantiis praedictis, et hoc ante altare, ubi sacerdotes Dei sacrificant oblationem immaculatam.

Censuerunt, exclusis sacrificiis et altari vere

precibus pro
unctis infide-
ius.

e Christi Cru-
xi praedica-
ne et cultu.

et proprie dicto, coetera, quae redolent tantummodo cultum civilem, aut possunt ad illum reduci, permitti posse.

Sextodecimo quaeritur, si in illo Regno licebit christianis orare et sacrificium facere Domino Deo nostro pro suis defunctis, qui in sua infidelitate ab hac vita discedunt.

Censuerunt, si vere in sua infidelitate decedunt, omnino non licere.

Decimoseptimo. Si tenemur praedicatores Evangelii praedicare in illo Regno Christum Crucifixum et ostendere eius sanctissimam imaginem, maxime in ecclesiis nostris. Causa huius dubitationis est, quod gentiles scandalizantur ex tali praedicatione et ostensione, et iudicant maximam esse stultitiam.

Censuerunt, nulla prudentia, aut praetextu differendam esse doctrinam Passionis Christi post Baptismum, sed omnino praemittendam: ad actualem vero praedicationem Christi Crucifixi licet non teneantur ministri evangelici in singulis concionibus, sed ad proponendum Verbum Dei, ac divina mysteria prudenter et opportune, et ad illa pro catechumenorum captu explicanda, non tamen a sermonibus Passionis Domini nostri abstinere tenentur ea ratione, quod gentiles inde scandalum sumant, aut stultitiam putent.

Censuerunt etiam conveniens esse ut in ecclesiis imagines habeantur Christi Crucifixi et ideo curandum, ut quoad opportune fieri potest exponantur.

DECRETUM

Sacrae Congregationis de Propaganda Fide habitae die XII Septemb. MDCXLV.

apra relata re-
onsa et reso-
iones appro-
itur.

Referente Eminentissimo D. Cardinali Ginetto, suprascripta quaesita una cum responsis et resolutionibus congregationis theologorum ad eorumdem quaesitorum examen specialiter institutae, Sacra Congregatio Eminentissimorum DD. Cardinalium de Propaganda Fide, praefata responsa et resolutiones approbavit: et eadem Congregatione supplicante, Sanctissimus Dominus Noster ad conservandam uniformitatem in praedicatione, eiusque praxi, omnibus et singulis missionariis cuiuscumque Ordinis, Religionis et Instituti, etiam Societatis Iesu, in Regnis Sinarum, aut Chinae pro tempore existentibus, vel extituris, sub poena excommunicationis latae sententiae, Sanctitati Suae et Sanctae Sedi Apostolicae specialiter reservatae, districte praecipiendo mandavit, quatenus praefata responsa et resolutiones diligenter observent, illisque in praxi utantur, ac ab aliis, ad quos pertinebit, observari et practicari faciant, donec Sanctitas Sua, vel Sancta Sedes Apostolica aliud ordinaverit *(V. n. 126)*.

115

In persecutionibus missionarii ne discedant.

S. C. de Prop. F. *12 April. 1646.* — An cum periculo vitae, persequentibus haereticis, missionarii in Missionibus suis permanere debeant.

R. Tempore persecutionis esse magis necessariam pastorum praesentia ne fideles pervertantur.

116

Ad Sacrament. non parochialia administranda non egent missionarii parochorum licentia.

S. C. de Prop. Fide *26 Aprilis 1647* (C. G.). — Missionarios in eorum facultatibus habere clausulam quod sine licentia Episcoporum vel parochorum, in quorum districtibus habent Missiones, parochialia Sacramenta administrare non possunt, cetera vero, post ostensas praedictis Praelatis vel parochis suas facultates, quod facere debent quamprimum ad loca Missionum pervenerint, administrare possunt, nec a dictis Praelatis vel parochis impediri debent.

117

De missionariis regularibus post triennium revocandis.

S. C. de Prop. F. *22 Iunii 1648* (C. P.). — S. Congregatio probavit sententiam Procuratoris generalis Capuccinorum ut Provinciales qui habent Praefecturas Missionum sub nomine proprio, post triennium, missionarios ad suos conventus pro eis in spiritu Religionis et disciplina regulari facilius conservandis revocare possint, substitutis tamen eorum loco aliis religiosis idoneis, S. Congregationi prius proponendis, ab eaque *Missionariis* declarandis.

118

De admittendis ad celebrandum in Regularium ecclesiis.

S. C. S. Officii *11 Aug. 1649.* — Emi PP. mandarunt intimari Superioribus Religionum quod mandent suis subditis monasteriorum et conventuum Superioribus ne admittant ad celebrandum in eorum ecclesiis, eorum vel alterius Religionis ceteros, vagos, seu peregrinos, nisi examinatis diligenter litteris obedientiae seu assignationis eorum Superiorum, et testimonialibus promotionis ad sacerdotium; quo vero ad sacerdotes saeculares, nisi visis litteris testimonialibus subscriptis a Vicario generali, seu foraneo Episcopi loci.

119

De vi ac valore decretorum S. C. de Prop. Fide.

S. C. de Propag. Fide *30 Iulii 1652* (Congr. Gen. coram SSmo). — Referente Emo D. Card. Cesio litteras Fr. Antonii a S. Maria Ord. strictioris observ. S. Francisci, et Praefecti Missionis Sinarum Ordinis eiusdem scribentis ab insulis Philippinis esse ibi aliquos religiosos qui parvipendentes decreta S. Con-

gregationis de Prop. Fide cum maximo animarum praeiudicio, spargunt per illas partes resolutiones et decreta praefatae S. Congregationis facere tantum opinionem probabilem, uti puram et simplicem Cardinalium declarationem unde posse etiam contrarium, defendi, SSmus D. N. (Innocentius X) confirmavit decretum S. M. Urbani VIII videlicet quod decreta S. Congregationis Generalis de Prop. Fide quotiescumque sint a Praefecto eiusdem firmata, a Secretario subscripta, et sigillo munita, vim et valorem habeant Constitutionis Apostolicae, ac ab omnibus et singulis inviolabiliter serventur.

120

Nequeunt missionarii censuris plectere delinquentes.

S. C. de Prop. F. *5 Maii 1654* (C. G.). — Referente Emo Praefecto libellum supplicem porrectum pro parte missionariorum Ordinis Praedicatorum Galliae ad Indos petentium: — An in exercendo munia parochialia possint etiam censuras fulminare pro correctione et poena delinquentium; placuit Emis PP. respondere: Negative.

121

An Regulares munia paroch. exercere queant.

S. C. de Prop. Fide *5 Maii 1654* (C. G.). — Singulos religiosos, etiam non missionarios, in locis ubi sunt catholici posse munia parochialia exercere, si tamen sint ab Ordinariis locorum ad id approbati.

122

De viatico alumnor. Collegii Urbani.

S. C. de Propag. Fide *3 Augusti 1654* (C. G.). — Emi PP. statuerunt in posterum nulli ex alumnis (Collegii Urbani) concedendum esse viaticum nec vestitum nisi completis studiis. Immo decreverunt nullo modo in futurum fore licitum memorialia proponere alumnorum, qui imperfectis studiis viaticum seu vestitum petere audebunt.

123

De Sacramentis a capellanis Oratorum administrandis.

S. C. de Prop. Fide - C. G. *27 Augusti 1655*. — S. Congregatio iustis de causis mota decrevit in posterum non licere quovis praetextu capellanis seu sacerdotibus Oratorum quorumvis Principum Sacramenta administrare, seu confessiones audire, praeterquam dictorum Oratorum, ac eorum consanguineorum et familiarium domi degentium (1) cum obligatione suis loco et tempore tradendi notulam praedictarum administrationum parocho loci sub poena suspensionis ab officio et beneficio.

124

Nullum opus typis mandandum absque S. C. licentia.

S. C. de Prop. F. *6 Dec. 1655* (C. G.). — S. Cong. iustis de causis mota deliberate decrevit nulli missionario apostolico cuiusvis gradus, conditionis, praeeminentiae, religionis statusque, imposterum licere aliquod opus proprium, seu alterius, sub quovis praetextu, per se vel per alium seu alios, typis mandare absque ipsius S. Congregationis expressa licentia in scriptis in forma solita etc. sub poena privationis officii, vocis activae et passivae, suppressionis eiusdem operis, et excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrendae, ac soli SSmo D. N. reservatae (2). Praecipiendo supradictis et cuilibet ipsorum ut, casu quo dictam licentiam obtineant, eamdem in ipsius operis initio imprimere teneantur sub iisdem poenis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, facultatibus, licentiis etc. etiam oretenus alias datis seu concessis, quae omnia et singula per praesens decretum revocata omnimode censeantur et pro revocatis habeantur.

125

Quid attendendum in erigendis Regularium missionibus.

S. C. de Prop. Fide *11 Ianuarii 1656* (Congr. Gen.). — Nullo modo imposterum licere, pro bono religionis catholicae et ad tollendas inter missionarios dissensiones et litigia, in locis, in quibus existunt missionarii apostolici unius Ordinis, novam Missionem aliorum religiosorum, etiam Societatis Iesu, fundare, vel illam sub quovis praetextu aut auctoritate exercere absque expressa licentia eiusdem S. Congregationis, sub poena privationis officii, privilegii et facultatis ipso facto incurrenda, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

126

De nonnullis ex dubiis cum responsis datis die 12 sept. 1645.

S. C. S. Officii *23 Martii 1656*. — Ab aliquibus in regno Sinarum missionariis proposita fuerunt, anno 1645, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide infrascripta et alia quamplurima quaesita *(V. n. 114)*, quae Sacrae Congregationi Supremae et Universalis Inquisitionis de mandato Sanctissimi transmissa, singula fuerunt a theologis qualificatoribus qualificata et unicuique suum responsum adaptatum in hunc qui sequitur modum:

Et *primo*. Utrum christiani chinenses sint obligati ad observantiam Iuris positivi, quantum ad ieiunia, confiteri semel in anno, et communicare, festa servare eo modo, quo obli-

(1) « An dicantur domi degentes familiares Orato- » rum qui mulieres extra palatium habent, ceteroquin » aliquoties in palatio dormiunt et saepe cibum su- » munt. - R. Negative » *(S. C. de Propaganda Fide 2 Maii 1707)*.

(2) Notum est in Constitutione *Apostolicae Sedis moderationi* Pii PP. IX (12 Oct. 1869) statutum esse, ex censuris latae sententiae ipso facto incurrendis, nonnisi illas quae in eadem Constit. insertae sunt robur exinde habituras.

gantur Indi in nova Hispania et in Insulis Philippinarum, iuxta dispositionem Papae Pauli III pro Indis occidentalibus et meridionalibus.

Censuerunt, ius positivum ecclesiasticum de ieiuniis absolute obligare chinenses christianos et a missionariis hoc esse illis enunciandum. Attenta vero regionum et personarum qualitate, locum esse (si Sanctissimo placuerit) dispensationi, quae fuit alias a fel. rec. Paulo III Indis concessa; qua obtenta satagant missionarii Sanctae Matris Ecclesiae pietatem illis patefacere quibus ea, quae in universum indixit, magna ex parte benigne remittit et indulget.

Censuerunt etiam praefatos chinenses obligari ad sacramentalem confessionem semel in anno et missionarios huiusmodi obligationem debere eis notificare.

Idem prorsus censuerunt quoad sacram communionem semel in anno sumendam. Quo vero ad executionem tempore statuto, hoc est, in Paschate, id esse intelligendum, nisi legitimum adsit impedimentum, aut grave periculum immineat. Curandum tamen ut infra duos, vel tres menses, ante vel post Paschati proximos, quatenus sine discrimine fieri possit, sin minus alio quovis tempore infra decursum unius anni a Paschate inchoandi omnino communicent.

Demum censuerunt chinenses ad fidem conversos teneri omnino festa servare, missionarios etiam teneri hoc eis notificare: locum tamen esse (si Sanctissimus annuat) limitandi eis numerum dierum festorum iuxta formam privilegii a Paulo III indis concessi.

Secundo. Utrum in praedicto Regno ministri evangelici pro nunc saltem in Sacramento Baptismi possint abstinere ab imponendo mulieribus Oleum Sanctum catechumenorum, sputum in auribus et sal in ore. Insuper et non administrare eisdem mulieribus Sacramentum Extremae Unctionis. Et ratio dubitandi est, quia chinenses magno zelo ducuntur erga uxores, filias et alias mulieres, et scandalum sument ex huiusmodi actionibus.

Censuerunt et sacramentalia in Baptismo mulierum esse adhibenda, et Extremam Unctionem esse mulieribus conferendam; nec sufficere motivum in dubitatione expressum, ut missionarii (quantum in se est) ab his abstineant. Curandum ergo ut tam salubres ritus et caeremoniae introducantur et observentur, ac missionarii tali circumspectione illa administrent, hominesque talibus instruant documentis, ut ab omni suspicione inhonestatis liberentur.

Octavo. In praedicto Regno habent chinenses quemdam magistrum in philosophia morali litterarum, qui olim discessit a vita, vocatum *Kùm fú ciù,* qui ob doctrinam, regulas et documenta, adeo in toto regno acceptus est, ut tam reges, quam omnes alii cuiuscumque conditionis et gradus sint, sibi proponunt imitandum et sequendum, saltem quoad speculativum et tamquam sanctum venerantur et laudant, in omnique civitate et villa, praefato magistro templa sunt erecta: Gubernatores vero bis in anno tenentur in eius templo solemne sacrificium offerre, sacerdotis ipsimet gerentes officium; et sine solemnitate, in anni decursu, bis in mense, concurruntque cum illo aliqui ex litteratis pro administratione eorum, quae in tali sacrificio offerunt, quae quidem sunt, sus unus integer mortuus, capra una integra, candelae, vinum, flores, odores etc. Item omnes litterati, quando accipiunt gradum, debent ingredi templum istius magistri et facere genuflexiones et offerre ante eius altare ex candelis et odoribus. Totus iste cultus, sacrificium et reverentia secundum omnium illarum gentium formalem intentionem, dirigitur in gratiarum actionem pro bonae ipsius relictis doctrinae documentis, atque ut ab eo impetrent ex ipsius meritis, optimi ingenii, felicitatem sapientiae et intellectus.

Quaeritur, utrum gubernatores, qui christiani sunt, vel fuerint et litterati, vocati et coacti possint ingredi praefatum templum, facere tale sacrificium, vel assistere huiusmodi sacrificio, vel facere genuflexiones ante altare illud, vel accipere aliquid de idolothytis et oblationibus illis, maxime, quia putant illi infideles, quod quicumque manducaverit ex talibus idolothytis, habebit progressum magnum in suis litteris et gradibus et si portantes crucem in manibus, possint licite hoc facere, eo modo, quo dubitationi superiori dictum est, quia si hoc illis prohibetur, erit tumultus in populo, ministri Evangelii in exilium mittentur et conversio animarum impedietur et extinguetur.

Censuerunt, non licere, nec posse aliquo praetextu contento in dubio christiani permitti.

Nono. Inviolabilis observantiae mos est apud chinenses tamquam doctrina a supradicto magistro *Kùm fú ciù* tradita, quod in omnibus Chinae populis, templa constructa habeant, avis, et progenitoribus suis defunctis dicata et in unoquoque eorum, omnes qui eiusmodi familiae sunt, bis in anno congregantur ut praefatis suis progenitoribus solemnia sacrificia faciant magno caeremoniarum apparatu et in altari multis candelis, floribus et odoribus adornato, imaginem, sive effigiem parentis, vel avi defuncti collocant, in quo sacrificio invenitur et qui facit sacerdotis officium et ministri illius, offeruntque carnes, vinum, candelas, odoramenta, capita caprarum, etc. Hoc autem sacrificium ex communi illarum gentium intentione, dirigitur, ut praefatis eorum progenitoribus gratias reddant, honorem et reverentiam exhibeant ob beneficia ab eis accepta et ob illa,

quae ab eis accipere sperant: unde ante altare prostrati deprecationes multas faciunt, postulantes sanitatem, longam vitam, abundantiam fructuum, filiorum multiplicationem, prosperitatem magnam et ut ab omnibus adversitatibus liberentur: quod quidem sacrificium in domibus suis et in sepulchris mortuorum etiam fit, minore tamen solemnitate. Quaeritur, utrum christiani ficte et exterius tantum, ut supra dictum est, possint assistere huiusmodi sacrificio, vel exercere aliquod ministerium in illo cum infidelibus commixti, sive in templo, sive in domo, vel sepulchro, publice, vel privatim, vel quonam modo hoc poterit permitti christianis illis, ne si omnino prohibeantur hoc facere, fidem perdant, vel ut melius dicam, avertant se ab actionibus exterioribus christianorum.

Censuerunt, christianis chinensibus nullatenus licere, ficte vel exterius assistere sacrificiis, in honorem progenitorum, neque eorum deprecationibus, aut quibuscumque ritibus superstitiosis gentilium erga ipsos; multo minus licere circa praefata ministerium aliquod exercere.

Novae ad praefata dubia responsiones.

Coeterum cum missionarii Societatis Iesu in praedicto regno tunc temporis auditi non fuerint, anno elapso 1655 eidem Sacrae Congregationi de Propaganda Fide praedicta quatuor quaesita proposuere, cum facti diversitate, quae unicuique quaesito est apposita etc. Re ad eandem Sacram Congregationem Supremae et Universalis Inquisitionis, iubente Sanctissimo Domino nostro, remissa, eadem Sacra Congregatio, auditis Qualificatorum votis, in sequentem sententiam respondit.

Quoad ieiunia.

Primo quaeritur. Utrum missionarii novis christianis, quamprimum baptizantur, debeant intimare ius positivum tamquam obligatorium sub peccato mortali, quantum ad ieiunia, festa servare, et confiteri semel in anno, ac communicare.

Quoad festa, Confessionem et Communionem.

Dubitandi ratio circa ieiunium est, quia sinenses inde ab infantia ter comedere consueverunt, ad quod levitas cibi cogit. Praefecti vero ieiuni tribunalia adire deberent, quae frequentant ab octava hora matutina ad secundam post meridianam, quod illis esset omnino impossibile.

Circa festa, Confessionem et Communionem dubitandi ratio est, quia maxima christianorum pars laborare debet, ut victum lucretur et saepe coguntur christiani ab infidelibus praefectis, festis diebus subire varios labores. Ipsi praefecti christiani tribunalia frequentare debent etiam diebus, qui apud nos festi sunt, sub poena privationis officii.

Missionarii sunt pauci numero, Regnum est vastissimum; ideo quamplures christiani Missam audire diebus festis, confiteri semel in anno et communicare non possunt.

Sacra Congregatio iuxta ea, quae superius proposita sunt, censuit: Ius positivum ecclesiasticum quoad ieiunia, observationem festorum, sacramentalem confessionem et Communionem semel in anno esse a missionariis sinensibus christianis notificandum, ut obligatorium sub peccato mortali; posse tamen simul explicare causas, propter quas excusantur fideles ab observatione praeceptorum. Si Sanctissimo placuerit, posse concedi missionariis facultatem dispensandi in casibus particularibus tantum, eorum arbitrio.

Quoad baptismum feminar. et Extr. Unctionem.

Secundo quaeritur: Utrum omnia sacramentalia in Baptismate foeminarum adultarum adhibenda sint. Quaeritur iterum: utrum sufficiat foeminis, petentibus tantum, Extremae Unctionis Sacramentum conferre.

Quaeritur iterum: Num etiam petentibus negandum cum incommoda et pericula christianitatis totius prudenter futura praevidentur.

Ratio dubitandi est, incredibilis apud Sinas foeminarum modestia, zelus et laudabilis earum ab omni virorum, non solum congressu, sed et aspectu fuga; qua in re, nisi magna adhibeatur a missionariis cautela, scandalum ingens Sinis datur, totaque christianitas evidentissimo periculo posset exponi.

Sacra Congregatio, iuxta ea quae superius proposita sunt, censuit: Ex gravi necessitate proportionata posse omitti quaedam sacramentalia in Baptismate foeminarum, ac etiam posse omitti ipsum Sacramentum Extremae Unctionis.

Quoad caeremonias in honorem Confucii.

Tertio quaeritur: Num accipiendorum graduum caeremoniam, quae fit in aula Confucii, christiani litterati licite agere valeant. Nam nullus intervenit sacrificulus, vel ex idololatrica secta ministellus, nihil omnino sit ab idololatris institutum, sed soli studiosi et philosophi conveniunt. Confucium tamquam magistrum suum agnoscentes, civilibus, ac politicis ritibus ex sua prima institutione ad merum cultum civilem institutis.

Omnes enim graduandi simul aulam Confucii ingrediuntur, in qua eos expectant cancellarii, doctores et examinatores, ibi simul omnes ante nomen philosophi, nihil omnino offerendo, illas faciunt caeremonias et inclinationes more sinico, quas omnes discipuli faciunt suis magistris vivis, atque ita cognito philosopho Confucio pro magistro, gradus accipiunt a cancellariis, ac discedunt. Praeterea aula illa Confucii gymnasium est et non templum proprie dictum, nam clausa omnibus est praeterquam studiosis.

Sacra Congregatio iuxta ea, quae superius proposita sunt, censuit permittendas sinensibus christianis praenomatas caeremonias, quia videtur cultus esse mere civilis et politicus.

Quoad alias caeremonias ethnicorum sinensium.

Quarto quaeritur: Num caeremoniae, quae sunt ex philosophorum placitis circa defunctos, christianis permitti possint prohibendo quidquid superstitiosum accessit.

Quaeritur iterum, num christiani simul cum infidelibus consanguineis easdem licitas caeremonias facere possint.

Quaeritur iterum, num adesse possint christiani, praecipue facta fidei protestatione, quando infideles etiam superstitiosa peragunt, non cooperando, aut auctorizando, sed quia valde notaretur si consanguinei tunc abessent, et essent inimicitiae causa ac odii. Sinenses nullam divinitatem animabus defunctorum concedunt, nihil ab illis sperant, aut petunt.

Triplex est modus, quibus defunctos suos honorant: Primus est, cum aliquis moritur, sive christianus sit, sive gentilis, pro inviolabili more habetur in domo defuncti quoddam altare praeparare, in eodemque imaginem defuncti, seu tabellam collocare, in qua eius nomen scriptum est, cum ornatu odorum, florum et candelarum, retroque cadaver pheretro inclusum ponere. Omnes autem qui ad condolendum domos illas ingrediuntur coram praeparata tabula et defuncti imagine ter vel quater genuflectunt, humi sese prosternentes capitibus usque ad terram demissis, aliquas secum candelas asportantes et odoramenta, ut in praeparato illo altari, seu potius tabula coram defuncti imagine consumentur et comburantur.

Secundus modus est, qui fit bis in anno, in avorum et primogenitorum suorum aulis, ita sinenses vocant, et non templa, hoc enim *T'sutang* sonat, quae vere familiarum memoriae, vel monumenta sunt, has soli habent magnates, aut ditiores consanguinitates, in eis nullus sepelitur mortuus, sed in montibus. Sola ergo intus nobilioris proavi imago, deinde supra gradus alios aliis altiores dispositae sunt tabellae ad palmi altitudinem, in quibus omnium in illa familia defunctorum nomina, qualitas, dignitas, sexus, ac aetas inscripta sunt, diesque mortis etiam infantium et puellarum. In hac ergo aula bis in anno consanguinei omnes conveniunt, ex quibus ditiores offerunt carnes, vinum, candelas, odoramenta. Pauperiores autem, qui has aulas habere non possunt, defunctorum suorum tabellas domi servant, vel in loco particulari, vel etiam supra altare, ubi sanctorum imagines, qui ob loci, ac domus parvitatem alium locum non habent, quas tamen nec venerantur, nec illis offerunt quidquam, sed ex defectu alterius loci ibi sunt: caeremoniae enim illae supradictae a sinensibus non fiunt, nisi in aula defunctorum, quam si non habent, etiam caeremonias omittunt.

Tertius modus est, qui fit ad mortuorum sepulchra, quae omnia in montibus sunt extra moenia iuxta Regni leges. Ad haec filii, aut affines accedunt semel saltem in anno circa initium Maii, herbas ac gramina circa sepulturas nata eradicant, purgant; plorant, deinde eiulantur, genuflexiones, ut in primo modo dictum est, faciunt, cibos coctos, vinumque disponunt. Mox finitis lacrymis edunt, ac bibunt.

Sacra Congregatio iuxta ea, quae superius proposita sunt, censuit, posse tolerari sinenses conversos adhibere dictas caeremonias erga suos defunctos etiam cum gentilibus, sublatis tamen superstitiosis. Posse etiam assistere tantum cum gentilibus, quando agunt superstitiosa, praesertim facta fidei protestatione et cessante periculo subversionis, et quando aliter odia et inimicitia vitari non possint.

Facta relatione suprascriptorum quaesitorum, una cum responsis et resolutionibus Sacrae Congregationis, Sanctiss. D. N. Alexander Papa VII praefata responsa, et resolutiones approbavit *(V. S. C. S. Off. 13 Nov. 1669)*.

127

De studiis alumnor. Collegii Urbani.

S. C. de Prop. Fide *5 Octobris 1657* (C. P.). — Omnes (alumni Collegii Urb.) quoad fieri potest in scientiis egregie excolantur, ne si qui fuerint sublimioris ingenii, ab eminenti doctrina assequenda ob institutionis defectum impediantur, cum praecipue inter haereticos atque etiam graecos, quorum plures in ea regione reperiuntur, qui in Academiis Venetorum in Italia, et in Anglia sua studia expleverunt, imo et inter sinas sit summa doctrina apprime necessaria; hebetiores autem et rudiores postquam scientiis minus apti comperti fuerint, ad studia faciliora iuxta uniuscuiusque captum applicentur.

128

Dimissio alumnor. non eos absolvit a iuramento.

S. C. de Prop. Fide *12 Ianuar. 1658*. — SSmus declaravit alumnos qui quacumque de causa, etiam ex propria culpa, fuerint quomodolibet dimissi, sive completis sive non completis studiis, nullatenus censeri absolutos a iuramento praestito.

129

Constit. Alexandri PP. VII. *18 Ianuarii 1658*. — De spirituali regimine christifidelium Goae et insularum adiacentium. — Sacrosancti apostolatus officii, quo divinâ disponente clementiâ, catholicae Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, praesidemus, sollicitudo nos monet, ut noxia quaecumque a dominico grege quantum nobis ex alto conceditur removere studeamus.

Abusus ecclesiasticorum tollendi.

Cum itaque ad aures nostras devenerint querimoniae christifidelium Goae atque in adiacentibus insulis degentium de nonnullis abusibus ecclesiasticorum, eorum praecipue penes quos ipsorum christifidelium spirituale regimen ac cura residet, nos, praedictis abusibus, quatenus irrepserint, quantocitius occurri,

aut saltem praecaveri ne illi in posterum contingant, volentes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ex Congregatione negotio Propagandae Fidei praepositâ, quibus querimonias hiusmodi discutiendas remisimus, consilio, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus praecipimus et mandamus sedulo, inviolabiliter et exacte servari ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in posterum spectabit, decreta infrascripta, videlicet:

Quoad operariorum mercedes.

I. Caveant parochi, aut ecclesiastici quicumque, sive saeculares, sive regulares, ne in posterum ullo pacto cogant pauperes ad operas seu laborem impendendum pro suis ecclesiis, non persolutâ iustâ mercede, nisi id sponte et ex pietate praestare voluerint, multoque minus audeant eos mulctare qui renuerint.

Quoad punitiones eorum qui catechesi non intersunt.

II. Cum iis qui Sacro aut catechesi doctrinae christianae non interfuerint (si mos sit eos, ut supponitur, aliquâ poenâ mulctare), eâ moderatione se gerant, ut nonnisi vere contumacibus et contemnentibus, eaque modica nec crebro irrogetur.

Populum docentes lenitatem adhibeant.

III. Instruant populum omni qua decet lenitate, abstinentes omnino a ferulâ et a verbis indecentibus, maxime si cum mulieribus, viris nobilibus, seu aetate provectis agatur.

In Seminarium etiam nobiles admittendi.

IV. Ad Seminarium (nisi eius institutio, seu fundatio obstet) locus etiam iis, qui ex nobili sunt genere et congrua (ni pauperes sint) persolverint alimenta, concedatur, ne a rectae educatiònis beneficio prorsus excludantur, habitâ tamen prudenti distinctione a reliquis, ut quieti consulatur.

Ad scholas quilibet admittatur.

V. Ad scientias addiscendas et scholas quilibet admittatur nullo habito nobilitatis seu generis discrimine, nisi ex aliquâ propriâ culpâ quis indignus censeatur.

A statu religioso neophyti haud excludendi.

VI. Neophytos Deo sub religionis iugo servire volentes sine rationabili causâ Regulares non respuant, sed pari charitate omnes, qui spiritu Dei aguntur et ad perfectionem anhelant, amplectantur.

A muneribus ecclesiasticis presbyteri saeculares minime arceantur.

VII. Presbyteri saeculares doctrinâ et moribus idonei a beneficiis curatis, et a quolibet alio ecclesiastico munere, sive praedicationis, sive administrandi Sacramentum Poenitentiae minime arceantur, attentâ praesertim indigentiâ tot animarum millium, quibus longe impares sunt pauci Regulares illuc ex Europa adventantes.

Ne se ingerant parochi in rebus politicis.

VIII. Caveant itidem parochi saeculares et regulares ullo modo sese ingerere in rebus spectantibus ad politiam saecularem, nec ullum ad officia publica proponant, quamvis aptior ceteris videatur, nec unquam intersint comitiis aut conventibus, ubi de rebus publicis agitur.

De concionibus in idiomate vernaculo.

IX. Ut maiori cum gaudio verbum Dei suscipiatur, altiusque radices agat et fructum afferat, concionentur omnino regulares pluries in anno idiomate vernaculo et patrio populorum; utque id ipsum facilius et frequentius praestetur, curet omnino Vicarius capitularis aut superior qui fuerit, ut etiam clerus saecularis eius regionis in verbi Dei praedicatione exerceatur.

De confessari indigenis.

X. Deputet Vicarius plures ex sacerdotibus saecularibus indigenis, quos idoneos repererit, ad confessiones excipiendas, quo facilius et libentius fideles Sacramentum Poenitentiae valeant frequentare, nec cogantur solis regularibus aut exteris sese subiicere.

Abusus eve lendi in excipie dis Confessio bus.

XI. Ut autem radicitus evellatur abusus, qui in praefatis regionibus, ut praefertur, irrepsit, excipiendi confessiones per interpretem, aut lecto poenitenti catalogo peccatorum, ut nutibus innuat, si quae fuerint ab eo commissa, districte praecipitur Vicariis capitularibus (graviter etiam onerando conscientiam ipsorum regularium, et quorumcumque ad quos pertinet), ut in posterum id nullo modo permittant, sed ab iis tantum audiantur confessiones, qui illius idiomatis sensum sufficienter percipiunt, et ad ipsorum numerum pro rei exigentiâ augendum promoveantur omnino sacerdotes saeculares eius regionis ad confessiones fidelium patrio idiomate excipiendas.

A sacra Syna rudes et ignol les haud reiicie di.

XII. Cumque audiatur maximum catholicorum numerum, contra praeceptum Domini qui voluit debiles et claudos admitti, sub praetextu ignobilitatis et rudioris ingenii reiici a sacrâ Synaxi, id eadem Sacra Congregatio omnino vetat ac prohibet, nisi prorsus eius mysterii sint incapaces.

Moribundis c iuscumque co ditionis Viat cum defere dum.

XIII. Aegrotis morti proximis, cuiuscumque sint conditionis, quamvis in sordido ac vili degant loco aut tugurio, sacrum Eucharistiae Viaticum deferatur, cum apud Deum nulla sit exceptio personarum, ac pro nostrâ salute nec stabulum nec crucis ignominiam exhorruerit.

A baptizan gentilitii mor omnino absin

XIV. Ne ob instructionis defectum, qui sacro Baptismate initiantur, immaculatam Christi legem profanis ac gentilitiis institutis ex ignorantiâ foedent, ac idololatriam cum orthodoxâ fide confundant, ut saepe inibi evenire enunciatum est, caveant ii, qui iisdem instruendis incumbunt, ne in posterum ullus ad Baptisma admittatur, qui, veterem hominem ac gentilitios mores prorsus exutus, Christum plene non induerit, et in fide sit sufficienter instructus.

Ethnici ad B ptismum sua ter inducendi.

XV. Quoniam vero (ut veritas ipsa docet) nemo potest venire ad Christum, nisi Pater caelestis eum traxerit, monentur ecclesiastici, tum saeculares, tum regulares, ceterique qui ethnicorum conversionibus dant operam, ut illos non vexationibus, pollicitationibus, aut vi, sed verbi Dei praedicatione et bonorum operum exemplo ad Baptismum inducant, perscrutantes praecipue diligenter quo fine et spiritu ducantur qui baptizari postulant.

o ecclesiasti- aviditatis su- io absit om- o.

XVI. Nihil prorsus, ne quidem sub praetextu pietatis, parochi tam saeculares quam regulares a suis parochianis quaestuent, et, si quid pro festorum celebratione sponte ab iis tribuatur, integre in eam causam insumant, et quidquid superest, pauperibus eiusdem parochiae dispensetur; ita ut quantumvis minima aviditatis suspicio a viris ecclesiasticis absit.

re temporali nfraternita- n ne se inge- t Regulares.

XVII. Pro temporali regimine confraternitatum existentium in ecclesiis regularium deputentur in posterum officiales saeculares, qui redituum administrationi incumbant, nullatenus regularibus eâ in re sese ingerentibus.

cclesiastici ca- verum com- stioni obsi- nt.

XVIII. Cum Goae et in adiacentibus insulis vetitum sit ethnicis ritus gentilitios publice exercere, districte prohibetur ecclesiasticis ne eisdem permittant, et maxime (quod nefas est) turpis lucri gratiâ, cadavera ethnicorum inde asportari, ut iuxta profanum eorumdem ritum comburantur.

auperum ca- era gratis se- ienda.

XIX. Cadavera pauperum fidelium gratis omnino posthac a parochis sepulturae tradantur, nec ad extorquendam aut emendicandam a vicinis vel affinibus eleemosynam publice exponantur.

Ethnicos in lesiis sacrifi- e nullatenus mittendum.

XX. Districte prohibetur, ne ethnicis ullo pacto permittatur in ecclesiis sacrificare, serio vicariis capitularibus iniungendo ut in contravenientes, et maxime ob lucrum, graviter animadvertant, curentque in posterum ne ecclesiis praeficiantur neophyti parum instructi.

egulares pa- hi regulari ervantiae stu- nt.

XXI. Similiter regularium superiores sedulo curent, ut parochi extra conventus in praedictis regionibus commorantes regularis observantiae specimen cunctis ubique praebeant, eosque idcirco ad claustra et regularem disciplinam revocent, ne, regulari instituto paulatim exsolescente, dum aliis incumbunt, se ipsos amittant ac demum in destructionem potius quam in aedificationem populorum missi videantur.

Decernentes ita in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

130

e Missa Or- ationis Qua- r Temp.

S. R. C. *26 Ianuarii 1658.* — In Ordinationibus quae fiunt Sabbato quatuor Temporum, tametsi occurrat aliquod festum duplex, Missam celebrari debere de feria cum oratione pro Ordinandis, et reliquis suffragiis, sine commemoratione Sancti currentis. — In Missa Ordinationum praedicta, etiamsi occurrat festum duplex, facienda consueta suffragia, ac Missam prout iacet, ac si non esset festum duplex, celebrandam.

131

De baptismo infantium filiorum infidelium.

S. C. de Prop. F. *13 Febr. 1658* (C. G.). *Relatio Secretarii:* — Nelle relazioni portate da un frate laico carmelitano scalzo delle missioni di quella Religione in Persia ed in Soria si dice che usano quei popoli, quando sono infermi, chiamare i Padri perchè li benedicano e gli leggano l'evangelo del quale sono molto divoti; e perchè di questi buona parte sono fanciulli e fuor di speranza di vita, hanno introdotto di battezzarli segretamente senza che i Padri se ne accorgano, e mandarli in paradiso; e l'istesso fanno anche quando vanno in giro per i villaggi, asserendo essersene in questa maniera battezzati parecchie migliaia. Ho avuto qualche dubbio se convenga di farsi, e particolarmente per quelli che talora guariscono e si fanno poi adulti.

R. Responderunt aliqui ex Em̃is ex S. C. S. Officii hoc dubium fuisse alias examinatum, et pro parte affirmativa resolutum, quod posset permitti.

132

Missionarii rite eligendi.

S. C. de Prop. F. *18 Febr. 1658* (C. G.). — Non eligantur deinceps missionarii, nisi praevia informatione de eorum vita et moribus non modo a suis superioribus aliisque eiusdem Ordinis, verum etiam ab Ordinariis locorum, in quibus per aliquod temporis spatium moram traxerint.

133

Missae celebrandae pro defunctis Missionariis.

S. C. de Prop. Fide *19 Augusti 1658* (C. G.). — S. Congregatio iussit celebrari in posterum per alumnos sacerdotes Collegii de Prop. Fide, duas Missas qualibet hebdomada pro suffragio defunctorum missionariorum Sacrae Congregationis, et, ne huius decreti observantia negligatur, mandavit affigi in Sacristia Collegii.

134

De matrimonii celebrat. coram ministro et populo acatholicis.

S. C. S. Officii *27 Augusti 1658.* — Cum in praedictarum (Belgii) Provinciarum aliquibus politica iubeant statuta, ut catholici omnes qui matrimonia inire volent, in templis haereticis coram praedicante et populo calvinistis contrahant sub hac formula sponsorum reciproca: *accipio N. N. in coniugem meam coram hac sancta communitate* quaeritur: 1. An id possit permitti. – 2. An possint a parocho catholico coniungi in matrimonium immediate postquam contraxerint coram praedicante et populo calvinistis cum illa verborum formula *coram hac sancta communitate* antequam de tali synagoga haeretica pro sancta agnita poeniteant.

R. Ad 1. Negative. – Ad 2. Qui contraxerunt coram tali communitate pro sancta cognita, ac denuo petunt coniungi coram parocho catholico, posse et debere coniungi antequam poeniteant. Ex charitate tamen esse monendos ut interius poeniteant, et, si fieri potest, prius confiteantur, et imponatur illis aliqua suavis poenitentia salutaris. Qui vero prius contraxerunt coram parocho catholico, monendos esse ne compareant ad contrahendum coram praedicante et populo haeretico cum illa formula *coram hac sancta communitate.*

135

De Missionariorum delectu.

Instr. S. C. de Propag. Fide *1659* – (AD VICARIOS APP. SOCIETATIS MISSION. AD EXTEROS). — Hoc in primis curandum vobis est ut inter plurimos, magno studio perquiratis ac secernatis viros aetate ac corporis valetudine sustinendis laboribus idoneos; tum vero, quod pluris est, non mediocri charitate ac prudentia insignitos; quas virtutes, non aliorum iudicium et coniectura, sed diuturnus rerum usus et experientia aliis in muneribus cum laude peractis probaverit; qui secretorum sint capaces tenacesque custodes, qui gravitate morum, comitate, mansuetudine, humilitate, patientia et omni virtutum exemplo, christianae fidei, quam ore profitentur, opere adstipulentur; qui denique ad Evangelicae charitatis normam efformati, aliorum sese ingenio ac moribus accommodantes, nec sociis quibuscum vixerint graves, nec exteris invisi ingratique reddantur, sed cum Apostolo fiant omnia omnibus.

De recta se gerendi ratione erga populos evangelizandos.

— Nolite ullo pacto molesti esse populo ob temporalia, memoresque estote paupertatis Apostolorum, quorum manus subministraverunt necessaria sibi et iis qui secum erant. Ut multo magis vos illorum aemuli et imitatores, victu et vestito contenti, abstineatis ab omni turpi quaestu, exigendis eleemosynis, corradendis pecuniis, donis atque muneribus; et si quid etiam renuentibus obtrudant, ipsis qui dedere inspectantibus, dispergite pauperibus, scientes nihil magis populis admirandum videri, eorumque oculos convertere, quam rerum temporalium despicientiam et Evangelicam paupertatem quae supra humana et terrena omnia sese extollens, thesaurizat in caelo..... Nullum studium ponite, nullaque ratione suadete illis populis ut ritus suos, consuetudines et mores mutent, modo non sint apertissime Religioni et bonis moribus contraria. Quid enim absurdius quam Galliam, Hispaniam, aut Italiam, aut aliam Europae partem in Sinas invehere? Non haec, sed fidem importate, quae nullius gentis ritus et consuetudines, modo prava non sint, aut respuit aut laedit, imo vero sarta tecta esse vult.

Et quoniam ea pene est hominum natura, ut sua, et maxime ipsas suas nationes, caeteris et existimatione et amore praeferant, nulla odii et alienationis causa potentior existit, quam patriarum consuetudinum immutatio, earum maxime quibus homines ab omni patrum memoria assuevere, praesertim si, abrogatarum loco, mores tuae nationis substituas et inferas. Itaque nunquam usus illarum gentium cum usibus europaeorum conferte, quinimo vos illis magna diligentia assuescite.

Admiramini et laudate ea quae laudem merentur; quae vero laudis expertia sunt, ut non sunt praeconiis, assentatorum more, extollenda ita prudentiae vestrae erit de his aut iudicium non ferre, aut certe non temere et ultro damnare; quae vero prava extiterint, nutibus magis et silentio quam verbis proscindenda, opportunitate nimirum captata qua, dispositis animis ad veritatem capessendam, sensim sine sensu evellantur.... Si quis regum, principum magistratuum, potentiumque, inspirante Deo, benevolam in vos mentem ostendat aut benignam erga Christianam Religionem propensionem exhibeat, grati estote; sed ad cavendam invidiam, nolite poscere privilegia, exemptiones, insueta tribunalia; eorum vero iurisdictionem nullo modo imminuite. Si quod obtinueritis quod nec odiosum sit, et in augmentum Religionis cedat, id non iure suo impetratum esse iactitate, sed ex mera Principum benignitate profectum; et hoc omnino fugite ut sibi, rebusque suis, vel minimum a vobis timeant; quare suspicionum omnium vel ipsas umbras evitandas esse arbitrandum est.

Tam longe semper abeste a rebus politicis negotiisque Status, ut civilium rerum administrationem, nequidem rogati et enixis precibus fatigati, suscipiatis: quam semper rem Sacra haec Congregatio, et serio, ut districte prohibuit et porro prohibebit. Quare vobis et vestris idipsum est diligentissime cavendum; et hoc vobis certissime persuasum sit rem S. C. molestissimam facturum eum quicumque se rebus huiusmodi ingesserit, aut etiam immisceri se siverit; neque id modo, cum res cedit in detrimentum Religionis et in distractionem Missionariorum, verum etiam tum quoque cum certissima spes affulget inde Religionem augendi, et fidem longe lateque propagandi.

Neque vobis, hac in parte, quidquam suffragabitur aliorum licet religiosorum hominum exemplar, quod fortasse in excusationem vestram adduxeritis: vos e contra illis exemplo praeite, ut ex vobis et illi et populi S. Sedis mentem ediscant. Verbum enim Dei non his artibus, sed caritate, rerum humanarum contemptu, modestia, frugalitate victus, patientia et oratione, aliisque virorum apostolicorum virtutibus disseminandum est. Imo vero data opera curate ut intelligant omnes, quam longe absint a S. Congregationis mente similia, et quam districte et serio suis Missionariis prohibeat,

quove stomacho excipiantur, si quae huiusmodi ex missionariorum relationibus advenerint.

Itaque noverint atque depraedicent vos ac vestros a similibus plurimum abhorrere nihilque praeter spiritualia animarumque salutem intendere; vestrosque labores, desideria et mentem, ad celestia dumtaxat, omnibus aliis exclusis, directam esse.

Quod si quem ex vestris in absurditatem eiusmodi prolabi senseritis, nulla interposita mora, ex missionibus dimittite atque expellite; nihil enim in vestram perniciem aptius, et ad Dei causam, quam prae manibus habetis, doctrina excogitari potest.

Si tamen Principes consilia quandoque vestra exquisierint, nonnisi multoties rogati, et prohibitionem hanc nostram causati, dabitis ea quae fidelia sunt et iusta, aeternitatemque sapientia; mox vero curiam aulamque relinquite et in dioeceses vestras discedite, functionibus sacris vacaturi; et potius quam illic remaneatis fingite omnimodam rerum politicarum insipientiam et civilis administrationis ineptitudinem, ut, bona ipsorum venia, quam ocissime egrediamini ex loco periculis pleno.

Populis vero praedicate obedientiam erga Principes, etiam discolos, pro quorum prosperitate et salute, tam privatim quam palam, Deum ex animo orate, illorumque actiones, etiam persequentium, nolite carpere, nec severitatem arguite, nec quidquam in eis reprehendite; sed in patientia et in silentio tempus consolationis a Domino praestolamini.

Factiones ullas in eorum regionibus, sive Hispanorum, sive Gallorum, sive Turcarum, sive Persarum similiumve, nolite ullo pacto seminare; imo vero omnes huiusmodi contentiones, quantum in vobis est, radicitus tollite.

Quod si quis vestrorum missionariorum haec monitus, non tamen a similibus abstinuerit, nulla interposita mora, in Europam dimittite, ne sua imprudentia negotia Religionis tanti momenti in periculum adducat..... In praedicatione verbi Dei et in administratione Sacramentorum, nolite ullam tumultus et rebellionis suspicionem creare ex concionis et coetuum frequentia; sed hoc curate diligenter ut christiani, ad sacra vobiscum facienda, conveniant magna cum modestia, nec in eorum conventibus quidquam nisi sacrum pertractari sinitote et omnino prohibete ne de rebus ad publicam rem spectanctibus illa occasione agatur.... Nec vos, nec vestri, ullius lateri continenter adhaereatis, aut ita obnoxii sitis cuiquam, maxime ex potentioribus, ut illi uni, non toti provinciae, subservire videamini; quare, nolite vos sinere nimiis, sed insidiosis beneficiis devinciri quae non modo communi bono officiant, sed etiam libertatem loquendi et vitia ipsius benefactoris reprehendi impediant.

Scholas ubique summa cura et diligentia erigite, et iuventutem illarum regionum gratis docete linguam latinam et doctrinam christianam vernaculo idiomate, et conemini quoque ut nullus catholicus tradat filios infidelibus erudiendos, sed vobis vestrisque.

De cleri et Missionariorum regimine.

Clerum missionariosqoe optimos et semper habetote, et tales conservate omni cura et sollicitudine; eorum vero cuique suum munus in provincia adsignate, et vineam suis limitibus distinctam in qua laborandum est. Extra hanc nequaquam licitum sit cuiquam egredi absque vestra in scriptis obtenta facultate quae quidem haud facile concedenda est, nisi legitima et urgentissima causa impellat; tunc vero praescripto brevissimo tempore, alteroque subrogato qui absentis defectum suppleat. Iam vero si missionarius quispiam in alienam provinciam ingressus nolit legitimum ordinem servare, primo quidem corripite hominem, ut, si resipuerit, fratrem lucremini; si vero in sua stultitia perseveraverit, tunc fugiant ii quorum ius laeditur cum huiusmodi contendere, sed cedentes iure suo, certiores vos reddant eorum quae acciderint omnium. In Europam nolite quemquam amandare nisi pura puta necessitas et urgentissimae causae non modo id suaserint sed pene invitos coegerint. Causae porro esse possunt: mala hominis vita, scandalosi mores, perversa doctrina, ingenium turbidum, rixosum et aliorum impatiens, et maxime negotiis saecularibus politicis et temporalibus sese immiscens, aut demum, si necessitas poscat, S. Cong. fieri certiorem de summa rerum, et totius Missionis omniumque provinciarum statu.

136

Subsidia quae Missionariis dantur non sunt stipendia.

S. C. de Prop. Fide *5 Aprilis 1659.* — S. Congregatio declaravit subsidia quae Missionariis largiuntur non esse stipendia sed eleemosynas, subsidia vero pro subventione necessitatum Missionariorum, ac proinde pro praeteritis nullum remanere debitum in Sacra Congregatione.

137

De cultu Beatorum non canonizatorum.

Decr. S. Rit. C. *27 Septembr. 1659.* — Ad aures EE. PP. S. R. C. plures devenerunt qui patrantur indultorum excessus in materia praestationis cultus Beatis adhuc non canonizatis. Quamobrem eos eliminare, ac ne in futurum inducantur providere studentes, ad infrascripta devenerunt decreta:

1. Quod Beatorum imagines, etiam non principaliter, et uti supplices appositae, simulacra, picturae, tabellae, aut scripturae eorum praeclara gesta repraesentantes aut referentes, in ecclesiis, sacrariis et oratoriis quibuscumque, et praesertim in quibus Missae Sacrificium vel alia divina officia peraguntur, inconsulta Sede Ap. nullo pacto exponantur.

2. Ubi indultum fuerit per Sedem Ap. imagines, simulacra, pictasque tabellas, in ecclesiis poni et coli posse, in pariete tantum, non autem super altari collocandi facultas censeatur.

3. Si concessa fuerit per eamdem Sedem Ap. altarium erectio, non tamen ob id Missam et Officium de praedictis Beatis celebrandi, vel recitandi facultas tradita praesumatur; etenim specifica et expressa concessio super his praecedere debet.

4. Ubi in uno loco cultus fuerit concessus, non extendatur, inconsulto Pontifice, ad alium locum, quavis alia occurrente auctoritate.

5. In locis ubi Beatos praedictos ab omnibus coli permissum fuit, non inde publica Officii recitatio permissa censeatur, sed tantummodo privata, nec satisfactoria praecepto recitationis, nisi quoad illos, quibus Sedes Ap. de hoc indulserit.

6. Missae pariter quae fuerunt indultae certis personis, nempe presbyteris regularibus, vel saecularibus alicuius loci vel monasterii, seu presbyteris alicuius ecclesiae servitio praecipue addictis, a confluentibus sacerdotibus, quavis dignitate, etiam Cardinalatus, insignitis minime celebrentur.

7. Dies festi in Beatorum eorumdem memoriam non celebrentur, nisi speciali indulto Ap. provisum fuerit.

8. Eorumdem nomina in calendariis non apponantur, nisi illius tantum loci, eorumque personarum, in quo, et a quibus cultus cum Officio et Missa celebretur.

9. In quibusvis ecclesiasticis precibus etiam in oratoriis privatis, recitandis, particularia eorumdem suffragia non apponantur, vel recitentur.

10. Publicis in precibus, praeter indultas et a Sede Ap. approbatas, iidem Beati non invocentur.

11. Eorumdem Reliquiae in processionibus minime circumferantur.

Sacra Rituum Congr. praesentibus declaratione et iussione removere non intendit cultum Beatis per communem Ecclesiae consensum vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel temporis centum annorum metam excedentis scientiam, ac tolerantiam Sedis Ap. aut Ordinariorum hactenus praestitum, ac certis modo et forma ab eo tempore eis exhibitum. Verum si a centum annis citra cultus huiusmodi aliqua ex parte constiterit auctus et extensus, eo casu Sacra eadem Cong. eumdem in pristinum reduci iubet; prout quemvis cultum extra casus praedictos ad expressa tantum verbaliter in Apostolicis Indultis omnino revocari mandat sub poenis etc. Firmis quoque remanentibus decretis, nempe ne Beati in Patronos eligantur; ne eorum natalia cum Octavis celebrentur, et aliis quibuscumque a S. C. hactenus emanatis, quae praesenti decreto renovantur. — SSmus (Alexander VII.) approbavit.

138

De confessionalibus in ecclesiis.

S. C. de Prop. Fide *22 Februar. 1660* (C. G.). — Iniungatur Archiepiscopo (Sophiae) ut in ecclesiis amplioribus omnino faciat construere confessionalia stabilia et non amovibilia pro confessionibus excipiendis: ubi vero ecclesiae sunt angustiores, sive in ipsis, sive extra, cum frequentior est populus, excipiantur, prohibeat omnino sub gravioribus poenis ne fiat absque aliqua tabula amovibili, saltem intermedia, cum parva crate inter confessarium et poenitentem, praesertim pro mulieribus.

139

De modo servandi aquam Baptismatis ubi Fons non permittitur.

S. C. de Prop. Fide *23 Februar. 1660* (C. G.). — In Sofia (Bulgaria) non si tiene fonte battesimale, ma battezzano coll' acqua benedetta comune: e perchè non può praticarsi di tenervi il Fonte per non esservi chiesa, ma celebrarsi in una casa privata, donde bisogna talora per cagione dei turchi levar via in fretta i quadri e l' altare, perchè non sia riconosciuta per chiesa, si potria ordinare che conservassero almeno in un vaso amovibile l' acqua del Battesimo benedetta nel Sabato Santo.

R. Ubi Fons non permittitur, asservetur in aliquo vase decentiori et amovibili aqua Baptismatis rite benedicta.

140

De festis, officiis, et Missis in honorem Beatorum.

S. Rit. C. *17 April. 1660.* — 1. An ubi indultum fuerit ut Missa de aliquo Beato celebretur, liceat eius imaginem et simulacrum, nec non votivas tabellas super altari exponere.

2. An §. *Dies festi in Beatorum honorem non celebrentur (V. n. 137. § 7)* extendatur festa devotionis.

3. An indulta recitandi Officium cum octava vel sine octava, et celebrandi Missam de Beatis fuerint revocata per dictum decretum S. C. *(27 Sept. 1659).*

4. An in ecclesiis in quibus Officium et Missa de Beatis recitari ac respective celebrari possunt, liceat eorum Reliquias exponere.

5. An Episcopi Regulares, qui ex indulto Sedis Ap. gaudent privilegiis suae Religionis, de quibus sunt capaces pro eorum conditione, possint de Beatis suae Religionis recitare Officium, et in propriis cathedralibus Missam celebrare et altare Beatis praedictis erigere.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2 et 3. Negative.

Ad 4. Affirmative.

Ad 5. Negative.

141

ir Beatis non n cultus prae- dus ac San-

S. Rit. C. *12 Iunii 1660.* — S. Congregatio.... cultum publicum ubique Sanctis canonizatis praestandum, Beatis fieri communem vetat; alias nulla daretur distinctio inter sanctos et beatos, et frustra (quod absit opinari) Ecclesia ad solemnia canonizationis procedere quodammodo videretur, si causa huiusmodi effectus novos minime produceret.

142

Declarationes :a iuramen- i ab alumnis legior. Ponti- or. praestan- n.

Constitutio Alexandri PP. VII. *20 Iulii 1660.* — Cum circa iuramenti vinculum, quo Pontificiorum Collegiorum alumni Sedis Apostolicae (a qua maximis sumptibus educantur) servitio reperiuntur adstricti, variae fuerint hucusque a nonnullis excogitatae interpretationes, quibus eiusdem Sedis in hoc eludatur intentio, et Dei gloriae, ac servitio, cui huiusmodi institutum dirigitur, non niminum detrahatur: Nos opportune hac in re providere cupientes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super hoc a nobis specialiter deputatorum, qui rem diligenter ac mature discusserunt, consilio, ac inhaerendo decretis alias circa praedicti iuramenti formulam emanatis, eaque, quatenus opus sit, innovando, auctoritate Apostolica, tenore praesentium declaramus praedictos alumnos non ad triennium tantum, ut gratis aliqui interpretantur, sed perpetuo quoad vixerint, in quocumque statu permanserint, Sedis praedictae servitio fuisse hactenus et futuros in posterum adstrictos, ut alias, et signanter die VII Augusti MDCXLV. a fel. rec. Innocentio PP. X. Praedecessore nostro fuit declaratum; huiusmodi autem servitio minime satisfacturos, etiamsi in salutem animarum operam suam quoquo modo impendant, nisi illud ad praescriptum Sedis Apostolicae expleverint. Praeterea si contingat aliquem ipsorum incorrigibilitatis, vel malae valetudinis, aut alia qualibet ex causa Collegiis eiici, aut sponte sua quandocumque discedere, etiamsi nondum completis studiis: aut sacris Ordinibus fuerit initiatus, non idcirco censendum a iuramento ulla ex parte solutum tam circa servitium praestandum in Missionibus, quam circa prohibitionem ingrediendi Religionem; imo ne hoc, vel alio quovis praetextu dictae Sedis mens forsan eludatur, prohibemus, ne etiam elapso triennio quovis tempore possit quilibet alumnus ad Religionem admitti, nisi de expressa nostra, seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei Praepositorum in scriptis habenda licentia, sub poena nullitatis professionis ipso iure, si aliter fuerint ingressi; et quod ab eadem Cardinalium Congregatione, non obstante professione, ad primaevum statum revocari possint. Insuper declaramus, quod concessa alumnis, ut supra, licentia ingrediendi Religionem, non idcirco censendi sunt a iuramento absolvi ex praesumpto tacito consensu, eo quod praedicta Congregatio illorum opera forsan non uteretur. Ad haec nullo pacto licere alumnis contra formam iuramenti vel Religionem ingredi, vel alteri statui perpetuo se addicere eo sub praetextu, quod quilibet teneatur sibi ipsi ratione aliqua stabili consulere, eo quod haec Sancta Sedes alumnis, postquam fuerint dimissi, non provideat; cum memorata Congregatio neminem ex iis, qui ad Missionis titulum ordinati sunt, quique suo instituto pro viribus incumbunt, consueverit unquam destituere. Quod si secus aliquando forsan contingat, hoc eorum culpae adscribendum est, qui postquam fuerunt dimissi, eiusdem Sanctae Sedis, a qua enutriti fuerunt, ac eius, quod professi sunt, instituti prorsus obliti, de se suoque statu eamdem monere negligunt omnino. Quia vero, ut praefertur, non desunt aliqui, qui non intelligentes gravitatem muneris sacerdotum saecularium ad Missiones Apostolicas admissorum, quidve sanctae fidei propagationi, et universalis Ecclesiae bono, attenta praesertim temporum ac rerum circumstantia magis conducat, audeant adhuc asserere huiusmodi iuramentum in ea parte, qua cuiuslibet Religionis ingressum prohibet, invalidum omnino esse, tamquam impeditivum maioris boni, eoque praetextu excusationem suae contumaciae obtendentes, iuramentum quoad hanc partem negligere praesumant: Nos volentes deinceps huiusmodi ausui opportune occurrere, eosque qui contraire praesumpserint, ad statum, cui ex praedicto iuramento reperiuntur obstricti, revocare; praecipimus omnibus alumnis, ut postquam e suis Collegiis vel sponte egressi, vel dimissi fuerint, sive in statu et habitu saeculari permanserint, etiamsi in sacris non fuerint, sive etiam postquam alicui Religioni fuerint adscripti, donec vixerint, quolibet anno, si intra fines Europae fuerint, vel si extra, quolibet biennio, de se, suoque statu, et loco ubi maneant, et quibus studiis, et exercitiis operam navent per litteras praedictam Congregationem certiorent; litteras autem huiusmodi viciniori Sedis Apostolicae Nuncio transmittere, atque etiam eo usque iterate teneantur, donec pet eiusdem epistolam certi fiant, quod ad ipsum pervenerint. Utque id omnino observetur, praecipimus, ut iuramento ab eisdem alumnis praestando addatur infrascripta clausula: *Item voveo et iuro, quod sive Religionem ingressus fuero sive in statu saeculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno; si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius meique status et*

Aliae clausulae iuramento addendae.

exercitii et loci ubi moram traxero, Sacram Congregationem de Propaganda Fide certiorabo. Praecipimus itidem, quod id ipsum praestent eorum Superiores Regulares quoad eos, qui Religionem fuerint ingressi. Praefectis vero Missionum sacerdotum saecularium iniungimus sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, ut quolibet anno diligenter perquirant de statu singulorum, qui fuerunt alumni, et ad eam Missionem vel ratione originis, vel nationis, aut alio quovis modo pertinent, sive Religionem fuerint ingressi, sive non: deque ipsis, eorumque statu, exercitiis, ac locis eamdem Congregationem omnino moneant. Praeterea praecipimus praesentes literas ad singula Collegia transmitti, eorum Superioribus iniungentes, ut adamussim illas observari curent, expositasque habeant in loco patenti singulisque obvio, ne ullo tempore illarum ignorantia a quopiam praetendi possit: et ut quovis anno in publico refectorio bis legantur, nimirum prima Dominica Ianuarii, et prima Iunii, nec non etiam immediate ante praestationem iuramenti clara voce alumnis mox iuraturis legantur. Ac ne quis ab earum exequutione excusari valeat, ipsius iuramenti formulae eam, quae sequitur, clausulam superaddi mandamus: *Denique voveo, et iuro, me praedictum iuramentum, eiusque obligationem intelligere, et observaturum iuxta declarationes factas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide et Brevi Apostolico roboratas sub die XX. Iulii MDCLX.* Quia vero in tanto alumnorum numero, quos haec Sancta Sedes ad fidei ministerium maximis sumptibus enutrit, ac instruit, quotidiana experientia comperitur ex defectu huiusmodi ministrorum opus Dei multoties praetermitti, et quod maxime dolendum est, plurimas regiones, quae albae sunt ad messem, ea de causa misere deperire, districte praecipimus Superioribus Collegiorum sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, ut qualibet vice nomina singulorum, qui ad Collegium admittuntur, necnon eorum qui dimittuntur, vel sua sponte recedunt, statim ipsimet Congregationi praedictae, vel ipsius Secretario transmittant, expressis singulorum aetate, patria, studiis, ordinibus, habilitate, ac locis ad quae diriguntur, quove die iuramentum praestiterint, ut in actis eiusdem Congregationis redigi possit. Iniungentes alumnis sub poena eiectionis a Collegio, ne iuramenti praestationem ultra aetatem in decreto rec. me. Urbani PP. VIII praedecessoris Nostri die XXIV Novembris MDCXXV. *(V. n. 19)* praescriptam differant, Superioribus vero sub eadem poena suspensionis, ne ullam hac in re dilationem permittant, nisi ex gravi causa per ipsammet Congregationem supradictam Romae, extra vero per Nuncios Apostolicos in scriptis approbanda. Demum districte prohibemus, ut nullus omnino cuiusvis dignitatis, et conditionis extiterit, audeat praedictum iuramentum, ac praesentes literas, seu declarationes tam in totum, quam secundum singulas sui partes declarare, aut interpretari; sed si quid forsan dubitari contigerit, teneatur eamdem S. Sedem consulere, ab eaque responsum in scriptis expectare, sub poena violationis iuramenti, si secus facere praesumpserit. Decernentes easdem praesentes litteras etc.

De relatione circa alumnos a Superiorib. Collegior. mittenda.

143

FORMULA IURAMENTI AD PRAESCRIPTUM SUPERIORIS BREVIS PRAESTANDI AB ALUMNIS.

Formula iuramenti pro alumnis Collegiorum Pontificiorum.

« 1. Ego *N.* filius *N.* dioecesis N. plenam habens Instituti huius Collegii notitiam, legibus et constitutionibus ipsius, quas iuxta Superiorum explicationem amplector, me sponte subiicio, easque pro posse observari promitto.

» 2. Insuper spondeo, et iuro, quod dum in hoc Collegio permanebo, et postquam ab eo quocumque modo, sive completis, sive non completis studiis exiero, nullam Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem sine speciali Sedis Apostolicae licentia, vel Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, ingrediar, neque in earum aliqua professionem emittam (1).

» 3. Spondeo pariter et iuro, quod, volente Sacra Congregatione de Propaganda Fide, statum ecclesiasticum amplectar, et ad omnes sacros, etiam Presbyteratus, Ordines, cum Superioribus visum fuerit, promovebor.

» 4. Item voveo et iuro, quod sive Religionem ingressus fuero, sive in statu saeculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno; si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius, meique status, exercitii, et loci, ubi moram traxero, Sacram Congregationem de Propaganda Fide certiorabo (2).

» 5. Voveo praeterea, et iuro, quod iussu praedictae Congregationis de Propaganda Fide sine mora in Provinciam meam revertar, ut ibi perpetuo, in divinis administrandis, laborem meum ac operam pro salute animarum impendam: quod etiam praestabo, si cum praedictae Sedis licentia Religionem, Societatem, aut Congregationem Regularem ingressus fuero, et in earum aliqua professionem emisero.

» 6. Denique voveo, et iuro, me praedictum iuramentum, eiusque obligationem intelligere et observaturum iuxta declarationes factas a Sacra Congregatione de Propaganda Fide, et Brevi Apostolico roboratas sub die

(1) V. infra n. 144.

(2) V. n. 144.

» 20 Iulii 1660. Sic me Deus adiuvet, et haec » Sancta Dei Evangelia ».

144

S. C. de Prop. Fide *8 Aprilis 1661.* — DECLARATIONES, AC RESPONSA NONNULLORUM EMINENTISS. CARDINALIUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE A SANCTISSIMO D. N. ALEXANDRO VII. SPECIALITER DEPUTATORUM DUBIIS PROPOSITIS SUPER INTELLIGENTIA AC OBSERVANTIA BREVIS AB EADEM SANCTITATE SUA SUB DIE 20 IULII 1660 EMANATI CIRCA IURAMENTUM PRAESTITUM HACTENUS, AC PRAESTANDUM IN POSTERUM AB ALUMNIS COLLEGIORUM PONTIFICIORUM.

laratio circa iuramenti.

I. An declaratio de non satisfaciendo muneri per iuramentum iniuncto, nisi illud expleatur ad praescriptum Sedis Apostolicae, censeatur derogare Bullis fundationum Collegiorum, in quibus plerisque innuitur modus, quo alumnis servire licet.

R. Sanctissimo D. N. mens nullatenus est Collegiorum alumnos a propriis uniuscuiusque Collegii institutis retrahere, quinimo ad eorumdem observantiam ipsos adigere, praefixis terminis, ne ab instituto, mediisque praescriptis ad finem fundationis assequendum quovis colore divertant; quoties igitur alumni ad praescriptum Bullarum pro suis Collegiis editarum inservient, ad praescriptum Sedis Apostolicae inservire censebuntur.

irca § 2.

II. An prohibitio de non assumendo habitum Regularem deroget iis Bullis fundationum in quibus id expresse permittitur.

R. Quidquid de seipsis statuant Collegiorum Pontificiorum alumni, subordinatum semper esse debet eorum fini principali, spiritualis scilicet earum Provinciarum salutis, quibus, ex vi instituti, sunt simpliciter et omnino obstricti, nec alio sensu Pontifices Religionem ingredi permiserunt, alias enim suummet evertissent principium; quoniam vero idipsum, prout experimento compertum est, in universali Nationum bono aliquando quidem expedit aliquando vero non, iuxta temporum, locorum et personarum circumstantias, non vetat Breve quominus Regulares fiant, sed Sedis Apostolicae iudicio reservat, quando id congruat, nec ne. Excipiuntur tamen ab hac regula Ordo S. Basilii pro Collegio Graecorum, et S. Antonii pro Collegio Maronitarum, iuxta peculiare iuramentum ab Urbano VIII alumnis eorumdem praescriptum, cum unusquisque ex iis Collegiis possit absque licentia in eos Ordines adscribi intra terminos earum Provinciarum ac locorum, ad quae redire tenentur.

irca eumdem

III. Utrum Sanctitatis Suae mentis sit, alumnis ingressum in Religionem prohibere, etiamsi de patrum spiritualium consilio eorum saluti maxime conducere censeatur.

R. Dictum est Breve non vetare Alumnis quominus Regulares fiant, sed Sedis Apostolicae iudicio reservare rationes ac momenta expendere, quando congruere censendum sit, nec ne, inter quas ea profecto potissima est, an scilicet publicum bonum peculiari bono alumni, iis in circumstantiis praeferri debeat; ea nimirum ratione, qua aliquibus Ordinibus concessum est, ne eorum religiosis etiam ad arctiorem transire liceat sine propriorum Superiorum licentia.

IV. Supplicatur pro aliqua declaratione circa perpetuam subiectionem alumnorum S. Sedi, etiam postquam, obtenta licentia, fuerint aliquam Religionem ingressi, quia alioquin aegre a superioribus excipientur. Circa § 5.

R. Vinculi continuatio applicandi seipsos in auxilium animarum, etiamsi cum Apostolicae Sedis licentia, aut post triennium sine dicta licentia, Religionem fuerint ingressi, reperitur expressa in Formula Iuramenti edita iussu sa. me. Urbani VIII quod ab eo tempore semper ab alumnis praestitum est, neque idcirco Religionum superiores abstinuerunt ab iisdem admittendis, vel ex eo praecipue, quod uno aut duobus exceptis, nullus fere sit hodie Regularium Ordo, in quo munus huiusmodi iuvandi animas, cui sese addixerunt, explere non possint; quod si alumni Religionem aliquam ingredi voluerint, quae huic muneri minime vacet, vel, quantumvis vacaverit, aut munia in fundatione Collegii praescripta in ea exercere, aut Nationibus, quibus se devoverunt prodesse non concedatur, aequum prorsus erit ut ab ea excludantur.

V. An alumni, qui, licentia obtenta, Religionem ingressi fuerint, et de eorum superiorum mandato vigore privilegiorum Ordinis in Missionibus laboraverint, censendi sint ad praescriptum Sedis Apostolicae inservire. Circa eumdem § 5.

R. Affirmative, si ad praescriptum fundationis Collegii, in quo fuerunt educati, id praestiterint.

VI. Cum omnium, aut saltem aliquorum Collegiorum instituto minime repugnet, quod eorum alumni ad Episcopatus, aliasque dignitates, quae statum perpetuum habent annexum, assumantur; supplicatur pro aliqua declaratione super prohibitione eisdem facta, ne statum perpetuum sibi eligant. Circa eumdem § 5.

R. Status quicumque licet perpetui, qui instituto, et fundationi proprii Collegii non adversentur, vel saltem illud non impediant, minime prohibentur; ubi autem experientia docuit, modum aliquem, aut limitationem esse apponendam, expressa sunt tam in iuramento san. mem. Urbani VIII quam in Brevi Sanctissimi, iisque omnino parere debent.

VII. Utrum alumni teneantur ex vi iuramenti singulis annis S. Sedi scribere, ac de ipsis, suoque statu rationem reddere, etiam Circa § 4.

postquam ad aliquam dignitatem ecclesiasticam, seu Episcopatum fuerint assumpti.

R. Cum obligatio impendendi operam, quoad vixerint, saluti animarum, ac fidei catholicae propagandae alumnis semper inhaereat ex vi Instituti, cui se iuramento devoverunt, in quocumque statu reperiantur, consequens est, ut in quolibet statu Sedem Apostolicam de laboribus in huiusmodi munia impensis, et qualiter instituto, quod professi sunt, satisfecerint, edocere teneantur. Quia vero Episcopi idipsum praestant, dum relationem suarum dioecesum statuto tempore ad S. Sedem transmittunt, indulget S. Congregatio, ut, cum id praestiterint, praefato iuramento, quoad hanc partem, satisfacere censeantur, etiamsi quotannis scribere praetermittant.

Circa eumdem § 4. VIII. An iis, qui de S. Sedis licentia ad statum Regularem transierunt, teneantur quotannis per epistolas eamdem de se, suoque statu ac laboribus quibus incumbunt, per seipsos monere, an vero sufficiat, ut id a superioribus Ordinum praestetur.

R. Tenentur per seipsos.

Circa eumdem § 4. IX. An teneantur alumni quotannis ad Sedem Apostolicam scribere, ubi ob graves persecutiones hostium fidei, interdictamque quamlibet cum hac S. Sede communicationem, idipsum praestare nequeunt, nisi cum magno vitae, fortunarumque non modo sui, verum etiam hospitum, penes quos degunt, aliorumque catholicorum discrimine.

R. Consulant conscientiae suae, an, et quando metus, et periculum tale sit, ut ab iuramenti observantia sufficienter excuset; admonentur tamen, ne tam facile cuivis difficultati acquiescant, cum saepius id tuto praestari possit, si prudens cautio adhibeatur.

Circa eumdem § 4. X. An alumni, qui ter, vel quater literas Sedis Apostolicae Nunciis transmiserunt, nullo ab eis reportato responso, suae obligationi iuxta mentem Brevis censeantur satisfecisse.

R. Ipsorum conscientia hac in re oneratur, cum scilicet teneantur eam moralem diligentiam adhibere, quam adhiberet qui vere vellet literas a se conscriptas ad Sedem Apostolicam pervenire.

Circa eumdem § 4. XI. An Alumni qui in Missione reperiuntur, satisfaciant obligationi scribendi ad Sedem Apostolicam, si id praestent per literas Praefectorum.

R. Negative; quod si, ut supra dictum est idipsum sine magno discrimine per seipsos explere nequeunt, tunc saltem per Praefectos proprium defectum supplere curent.

Circa §§ 2 et 4. XII. Quoniam in iuramento, quod hactenus praestiterunt alumni, nulla adest prohibitio ingrediendi Religionem post elapsum triennium, aut obligatio scribendi quotannis ad Sedem Apostolicam, quae modo de novo iniunguntur, nec eas alumni ullo pacto praeviderunt, quaeritur, an ii qui semel iuramentum iuxta formam hactenus observatam emiserunt, aut qui licet, non emiserint, nihil tale suspicantes, ad Collegia se contulerunt, cogendi sint ad novum iuramentum praestandum, vel ad eorum observantiam: Idemque quaeritur circa perpetuitatem servitii, quae licet ex formula prioris iuramenti possit colligi, nihilominus bona fide secuti sunt opinionem, quae in contrarium invaluerat, nulla habita notitia Decreti Innocentii idipsum expresse declarantis.

R. Alumnos qui, antequam Breve Sanctissimi prodierit, iuramentum hactenus servatum emiserunt, Sanctitas Sua nec ad novum iuramentum praestandum, nec ad eius in praemissis observantiam compellit; quod etiam ex benignitate extendit ad perpetuitatem iuramenti, si bona fide ita existimaverint, sed hortatur in Domino, ut nihilominus singula contenta in hoc ultimo Brevi Suae Sanctitatis adamussim observent; ii vero, qui ante promulgationem Brevis non iurarunt, licet bona fide, et cum ignorantia eiusdem ad Collegia se transtulerint, iuxta novam formam in praefato Brevi contentam omnino iurare tenentur.

Circa § 5. XIII. An alumni ad perpetuum S. Sedis servitium adstricti censeantur, licet ipsis ab eadem certum, et stabile non decernatur stipendium ad suimet substentationem.

R. S. Sedis servitium quantum ad alumnos pertinet, non ad ipsius Sedis commodum, sed ad Nationum, quibus sponte suam operam devoverunt, salutem dirigitur, eique ex vi instituti, quod professi sunt, educationis, atque instructionis, ac demum iuramenti, non iure stipendii, tenentur quoad vixerint; nec eis ullo pacto licet alteri statui ab huiusmodi Instituto alieno sese addicere, quotiescumque intra proprii Instituti latitudinem, sive ex proprio, sive ex alieno congrue vivere poterunt; si vero status licet perpetuus ab Instituto alienus non sit, eum amplecti minime prohibentur, salva tamen quoad statum Regularem modificatione superius expressa. Quod si necessitate vivendi ad statum aliquem, S. Sede inconsulta, capessendum adigantur, in quo vel ratione Nationis, cui sese addixerunt, vel ratione ipsius muneris, propriae obligationi satisfacere non valuerint; vel, etiamsi id concedatur, illi tamen absque S. Sedis licentia sese addicere nequibant, declarat S. Congregatio illi statui nequaquam addici potuisse, nisi revocabiliter: sibique facultatem reservat eosdem (si status id patiatur) ab eo quandocumque revocandi, necessario tamen illis assignato stipendio pro eorum congrua substentatione, si alia ratione eorum necessitati consultum non esset, iniungens idcirco iisdem sub poena periurii, ut illico S. Congregationem de statu suscepto edocere non praetermittant.

Quoad alumnos dimissos, XIV. An censeantur a iuramento absoluti

alumni, qui e Collegio dimissi fuerint tamquam discoli, vel inhabiles, vel ex mala valetudine, cum ex iisdem rationibus illud explere non valeant.

R. Consulant singuli S. Congregationem, quae perpensis causis inhabilitatis uniuscuiusque, ac muniis, quibus aliquo modo vacare possunt, vel eos diriget, vel dispensabit. Nullus autem in posterum e Collegiis, quae in Italia sunt, quovis titulo aut colore eiiciatur absque licentia in scriptis Eminentissimi Protectoris, extra Italiam vero Sedis Apostolicae Nuncii.

sponte discedentes.

XV. An § *Praeterea si contingat* ubi declaratur, dimissos, vel sua sponte discedentes ante completa studia, aut Ordines susceptos, a iuramento absolutos non censeri, et § *Insuper declaramus,* in quo excluditur tacitus consensus circa eos qui ad Religionem legitime admittuntur, respiciant tantummodo alumnos futuros, an vero extendantur etiam ad praeteritos.

R. Respiciunt utrosque, perpetuitas tamen intelligitur iuxta dicta in praecedentibus.

de alumnis qui inhabiles adscunt.

XVI. Cum plures ex alumnis non tam ex proprio defectu, quam ex carentia institutionis sese inhabiles ad salutem animarum promovendam agnoscant, eo quod in Collegiis, in quibus enutriti fuerunt, vel linguarum peritiam vel controversias, aut concionandi artem minime fuerint edocti, nec demum in iis, quae ad praxim spectant curae animarum exerciti fuerint, supplicatur pro aliqua declaratione.

R. Cum in salute animarum procuranda plura sint munia, ac officia pro diversis operariorum talentis, ac habilitate, ad Sacram Congregationem pertinet singulorum expendere capacitatem, et de eorum obligatione iudicium ferre.

Circa relationem de alumnis S. C.

XVII. An Praefecti Missionum teneantur monere S. Congregationem, nedum de alumnis praesentibus, verum etiam de praeteritis, et de iis qui erunt deinceps.

R. Tenentur de omnibus.

an ad eamd. relationem teneantur Missionum Procuratores.

XVIII. An obligatio imposita Praefectis diligenter perquirendi nomina, ac status eorum, qui ad eam Missionem pertinent, eorumque notulam S. Congregationi transmittendi, extendatur ad Procuratores Missionum.

R. Sanctitas Sua Procuratoribus id non praecipit, sed ad ipsum praestandum hortatur.

De notula alumnorum a rectoribus exhibenda.

XIX. Cum in Brevi iniungatur Rectoribus ut exhibeant nomina eorum, qui e Collegiis discedunt, quaeritur quando eam exhibere teneantur.

R. Eam omnino exhibeant antequam alumni discedant, et, si Collegia fuerint in Urbe, ultra notulam, eosdem alumnos ad Secretarium de Propaganda Fide transmittant, vel ad Sedis Apostolicae Nuncios, si ibi Collegia fuerint ubi Nuncii degunt; eorum vero qui ad Collegia admittuntur, transmittant notulam statim ac pervenerint.

De aetate qua iuramentum praestandum.

XX. Cum in Decreto iussu Urbani VIII. edito praescribatur aetas 14 annorum ad iuramentum praestandum, quaeritur, an si quis eam aetatem expleverit antequam effluxerint sex menses a die ingressus in pluribus fundationibus concessi ante iuramentum, sit expectandum donec sex menses expleantur.

R. Servetur Decretum Urbani.

De interpretationib. circa iuramentum.

XXI. Utrum prohibitio interpretandi Breve et iuramentum, extendatur etiam ad interpretationes privatas, et ut dici solet, inter domesticos parietes.

R. Interdicitur quaelibet interpretatio, quae tradatur aut usurpetur tamquam sufficiens ad securitatem conscientiae, cum ad hanc consequendam, debeat unusquisque in dubiis emergentibus S. Sedem consulere, ab eaque, ut in Brevi cautum est, responsum in scriptis expectare, adeo ut quantumvis circumferantur responsa S. Sedis nomine, aut per quemlibet, cuiusvis dignitatis extiterit, asseratur interpretationem aliquam a S. Sede promanasse, eidem acquiescere non liceat, nisi de eadem legitimis documentis constiterit. Quamobrem ubi in ipsamet iuramenti formula, aut alibi dicitur illud ab alumnis iuxta superiorum explicationem recipi, ac observatum iri, non aliter quam in praesenti decreto, ac declaratione disponitur, est intelligendum; quod si casus necessitatis urgeat, ita ut S. Sedis responsio expectari nullatenus possit, caveant ab aliquo actu irretractabili, eamdemque S. Sedis mentem quamprimum exquirere teneantur.

Quae praedictorum Eminentissimorum responsa ad se relata Sanctissimus D. N. in omnibus approbavit, ac sua auctoritate firmata esse voluit, et in eodem loco ubi Breve expositum habetur, affigi mandavit.

145

Circa puerorum institutionem.

S. C. de Prop. F. *22 Aug. 1661* (C. G.). — Rigorose prohibeatur missionariis ne puellas ac pueros in domibus particularibus doceant.

146

De residentia Episcoporum.

Decr. Alexandri PP. VII. *26 Iulii 1662* (Super Residentia Episcoporum Regularium) — Quia Ecclesia N. N. inter schismaticos constituta non sine magna rei catholicae iactura a pluribus annis Pastoris solatio destituta reperitur, eo quod illius Episcopi, licet saepissime, ac serio moniti, canonicisque remediis pluries ac diversimode excitati in ea minime resederint adeoque illius status deplorabilis evaserit, ut nisi extremis et efficacioribus remediis huiusmodi malo succurratur, quod reliquum est ibi

catholici nominis vestigium prorsus abolitum iri pertimesci posset, Sanctissimus Dominus Noster volens ex debito Pastoralis officii, ac sibi impositae universalis omnium Ecclesiarum sollicitudinis, sui muneris in tanta necessitate partes omnes explere, matura desuper habita deliberatione censuit, ubi ordinaria remedia nequaquam profecisse compertum est, etiam extraordinaria adhibere, malumque magis praecavere, quam expectare curandum; quamobrem praesenti decreto ultra poenas a sacris canonibus contra non residentes constitutas, poenam quoque suspensionis ab executione Ordinis Episcopalis, etiam in propria dioecesi ipso facto, et absque alia declaratione incurrendae vigore praesentium futuris pro tempore eiusdem Ecclesiae Episcopis imposuit, atque imponit, a qua nullius etiam rationabilis atque legitimae causae, vel impedimenti allegatio eosdem praeservare, ac excusare valeat, nisi a Sede Apostolica, vel eiusdem in regno Nuncio residente fuerit in scriptis approbata. Decernit insuper, ac declarat, Sanctitatis Suae mentem nequaquam esse, eosdem Episcopos, si Regulares fuerint, ab obligationibus professioni regulari quam emiserunt annexis, per adeptionem dignitatis, ac muneris episcopalis nullatenus absolvere, ac eximere, nisi quatenus eiusdem muneris, ac curae pastoralis exercitio impedimenti sint, ideoque quotiescumque ex ipsorum culpa (quod absit), sive ex alia qualibet causa, aut impedimento, quantumvis iusto ac legitimo in praedicta Ecclesia, aut saltem dioecesi residere, excepto tempore a Sac. Concilio Tridentino praefinito, aut noluerint, aut nequiverint, minime absolutos esse ac censeri ab obligatione, quam per professionem regularem contraxerunt de vivendo intra claustra, et sub obedientia superiorum eiusdem Religionis, observandoque omnia, et singula, quae a Regularibus intra claustra degentibus sive ex voto sive ex praescripto Regulae, et Constitutionum suae Religionis quomodolibet, et qualitercumque observari debent ac solent, adeo ut quandocumque hac in parte defecerint, nec a Sancta Sede licentiam, seu dispensationem in scriptis obtinuerint, nec statim ad claustra suae Religionis sese contulerint, ad omnes illas poenas, quae contra Regulares extra claustra degentes a sacris canonibus, atque Apostolicis Constitutionibus prolatae sunt, astricti censeantur; superioribus Ordinis, ad quos spectat iniungendo, ut ad claustra eos revocent ad praescriptum Apostolicarum Constitutionum contra Regulares extra Claustra degentes emanatarum..... Pro eo vero tempore, quo, ut praefatum est, ultra tempus Concilii non resederint, nullatenus eisdem liceat proventus ullos, aut fructus Ecclesiae, tametsi alioquin beneficia legitime ipsis fuerint collata, percipere, aut illis uti, et frui, etiam sub spe dispensationis obtinendae, ad quos fructus et proventus Sanctitas Sua ex nunc eosdem pro eo tempore incapaces declarat, atque inhabilitat, nec non ad poenam restitutionis, aliasque contra usurpatores et iniustos detentores bonorum ecclesiasticorum latas teneri declarat. Quod si demum ex aliquo ingruente bellorum, aut alterius cuiuslibet gravis causae impedimento, et per Sedem Apostolicam, ut praefatum est, in scriptis approbando, alicui ipsorum minime residere permissum fuerit, saltem in loco aliquo proximiori, et per eamdem Sanctam Sedem in scriptis designando residere omnino teneantur sub eisdem prorsus poenis, quae superius de residentia in dioecesi dictae sunt. Praesens autem decretum idem Sanctissimus cuilibet ex praefatis Episcopis pro tempore, ante propositionem in Consistorio ad Ecclesiam notificari mandavit, ut ad omnium in eo contentorum observationem per iuramentum in manibus Reverendissimi Cardinalis praefatam Ecclesiam in Consistorio proposituri, et sub rogitu Notarii Sac. Congregationis de Propaganda Fide praestandum sese adstringant, eiusdemque decreti, ac iuramenti tenorem in decreto Consistoriali, et in Bullis inseri mandavit.

Declaratio circa Episcopos Regulares.

147

S. Rit. C. *5 Aug. 1662.* — S. Congregatio, ut Missalis Rubricae inviolatae serventur, districte praecipit omnibus et singulis sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus, cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti etiam necessario exprimendi, ut in posterum omnino dictam Rubricam servent, ita ut Missas privatas pro defunctis seu de *Requiem* in duplicibus nullatenus celebrare audeant vel praesumant. Quod si, ex benefactorum praescripto, Missae huiusmodi celebrandae incidant in festum duplex, tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii iuxta mentem eorum benefactorum, curentque ecclesiarum rectores, sacristae, aliique ad quos pertinet, ut huiusmodi decretum inviolate servetur, et in sacristia affixum retineatur, ubi commode ab omnibus celebrare volentibus conspici ac legi possit. In eos autem qui contra facere ausi fuerint, vel praemissa adimplere neglexerint, locorum Ordinarii, tum saeculares, tum regulares, pro modo culpae animadvertant. — Et facta de praedictis SSmo relatione, Sanctitas Sua annuit, et cum applicatione sacrificii satisfieri, ac benefactorum mentem impleri voluit.

De Missis defunct. non celebrandis in duplicibus.

148

S. C. de Prop. F. *18 Dec. 1662.* — De conferentiis et publicis congressibus seu dispu-

De disput. cum haereticis et de interventu eorum concionibus.

tationibus missionariorum cum haereticis monetur Generalis (Capuccin.) ut omnino prohibeat, cum S. Sedes plurimis experimentis edocta semper eas prohibuerit; quo vero ad interventum concionibus haereticorum, hoc etiam prohibeatur, sicut a S. C. S. Officii semper fuit prohibitum, nec omnibus indifferenter absolute expediat; quod si aliquis adsit insignioris doctrinae et prudentiae, supplicet in particulari pro licentia.

149

De publicatione Decreti *Tamet* Conc. Trid.

S. C. Concilii *18 Ianuarii 1663* (AD EP. TRICARIEN.) 1. Ubi decretum Concilii Trid. Cap. 1. sess. 24 de Reformat. Matrim. non est publicatum in parochia, valere matrimonia contracta absque observatione formae in Concilio praescriptae.

Quando praesumatur eadem publicatio.

2. Publicationem praesumi ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilii observatum.

Decretum etiam haereticos comprehendit.

3. Haereticos quoque, ubi decretum dicti Capitis primi est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.

Quid de observantia Decreti Concilio absente vel latente.

4. Ubi etiam constet decretum Concilii esse publicatum, vel aliquo tempore in parochia tanquam decretum Concilii observatum, sed parochialis ecclesia, utpote vacans, proprio parocho careat, et cathedralis itidem Episcopo atque capitulo habentibus a Concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius sit ibi qui vices parochi vel Episcopi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata tamen in eo in quo potest forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus.

5. Si extent quidem parochus et Episcopus, sed, nullo constituto vicario, uterque metu haereticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum esse matrimonium contractum absque forma, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus.

150

De institutione alumni indigenae.

S. C. de Prop. F. *22 Febr. 1663.* — Pro Ordinatione Indorum, curandum ut sacerdotum nationalium numerus inibi et in omnibus regionibus instituatur et promoveatur, ut per totam regionem et per domesticas domos diffusi, fides firmius agat radices, nec facile sit persecutoribus eos et cum ipsis fidem pro libito ablegare. Atque idcirco modis omnibus procuretur ut, statim ac res politicae id permiserint, Collegium alumnorum indigenarum ibi instituatur, qui ad sacros Ordines suscipiendos instruantur.

151

De administratione Baptismi ubi Fons non adest.

S. C. S. Officii *28 Febr. 1663.* — An in locis ubi non adest ecclesia parochialis neque fons baptismalis conferri possit Baptisma cum omnibus solemnitatibus et caeremoniis Ecclesiae consuetis.

R. Posse, imo teneri uti illis caeremoniis quibus possint uti.

152

De qualitatibus promovendorum ad Episcopatum.

S. C. de Prop. F. — NOTIONES AC QUAESTIONES CIRCA QUALITATES QUAE NECESSARIAE SUNT IN PROMOVENDIS AD EPISCOPALE MUNUS AC DIGNITATEM. — 1. Nomen, cognomen, aetas, patria candidati.

2. Cuius Dioecesis sit ac Provinciae ecclesiasticae.

3. Ubinam studiis theologicis vacaverit, et quo profectu.

4. An gradus assecutus fuerit et quos.

5. An professor extiterit, et cuius facultatis.

6. An et ubi missiones sacras obiverit, et quam in eis experientiam obtinuerit.

7. Quot linguas celleat, et quas.

8. Quibus officiis sit perfunctus et quo successu.

9. Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus et agendi ratione.

10. An sit corpore sanus, frugi, patiens, atque in administratione rerum temporalium versatus.

11. Utrum sit propositi tenax, an ingenio mutabilis.

12. Num gaudeat fama honestatis, et an fuerit unquam in eo quid contra mores.

13. An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum aedificatione, rubricarum studiosus observator.

14. An habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus gravitatem ac religionem praeseferat.

153

De Cruce in altari dum celebratur Missa.

S. Rit. C. *17 Iunii 1663.* – ROSSANEN. – 1. An parva crux cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum ligneum in quo inclusum servatur SS. Sacramentum in altari, sit sufficiens in adimplementum rubricae volentis quod in altari dum celebratur Missa, debeat apponi crux in medio candelabrorum.

2. Similiter si in altari in quo adest magna statua SS. Crucifixi sit ponenda alia crux in medio candelabrorum.

R. Ad 1. Non est sufficiens, sed poni debet alia crux in medio candelabrorum.

Ad 2. Est sufficiens, et non indiget alia cruce.

154

De Imaginibus tempore Passionis tegendis.

S. Rit. C. *4 Aug. 1663.* – DALMATIARUM – An in primis Vesperis Dominicae Passionis non solum cruces et imagines Salvatoris, sed etiam omnes imagines Sanctorum, quae super altari reperiuntur, tegi debeant.

R. Debent tegi omnes imagines in primis Vesperis.

155

De gentilitia celebratione initii novi anni.

S. C. de Prop. Fide *4 Sept. 1663* (C. G.). — Costumandosi (nel Tonkino e nella Cocincina) di solennizzare i primi tre giorni dell'anno nuovo lunare, si domanda che si possa mangiar carne quando cadranno in Venerdì o Sabato, o nella Quaresima; e che in tali giorni si possa concedere indulgenza a chi visiterà la chiesa, farà limosina o altra opera pia.

R. Cum asserta solemnitas nihil habeat Ecclesiae, nec aliquod christianae fidei mysterium repraesentet, nullatenus expedire aut concedendum esse.

156

De facultatib. missionarior. circa casus reservatos.

S. C. de Prop. Fide *4 Febr. 1664* (C. G.). – COSTANTINOP. – 1. I missionari pretendono di non soggiacere all' Ordinario circa i casi riservati sotto pretesto di avere la facoltà da Roma.

Quid exigendum a graecis antequam eorum confessiones excipiantur.

2. Venendo talora (in Costantinopoli) i greci per schivar l' avarizia dei loro ministri, o per altro fine, a confessarsi dai missionari latini, stimano alcuni di questi che basti l' indurli a dire che credono quello che credevano i loro SS. Padri, senza specificare la fede della Chiesa Romana o il primato del Pontefice, il che par che meriti riflessione rispetto alla ignoranza crassa dei penitenti.

De observatione festorum iuxta ritum graecum.

3. Le donne latine santificano non solo le nostre feste, e nel proprio giorno, ma anche le feste del rito greco, e le communi ne' giorni dei greci. Per contrario i greci non osservano mai le feste secondo il nostro rito, e così si stabiliscono nella loro falsa credenza di primato.

De matrimon. consensu indebite expresso.

4. Nel celebrare i matrimoni, dopo la triplicata interrogazione sopra il consenso, la sposa non risponde, ma standole una donna dietro, le mette la mano in capo e glielo fa chinare quasi che consenta violentemente.

R. Ad 1. Quoad casus reservatos moneantur missionarii ut omnino abstineant, cum per concessionem casuum reservatorum, quae habentur in facultatibus, concedantur quidem casus Pontificii, non autem episcopales.

Ad 2. Moneantur missionarii, ad excipiendas confessiones graecorum minus sufficere si profiteantur se credere quod eorum Sancti Patres crediderunt, nisi exprimatur fides romana; et ne fiat error in nomine *Romae,* quo nomine etiam Constantinopolim appellant, explicandum est de Roma antiqua et de Summo Pontifice.

Ad 3. De observatione festorum iuxta ritum graecum videtur tolerandum, dummodo non celebrent festa virorum damnatorum.

Ad 4. Quoad abusum de consensu in matrimoniis (de quo agitur), videtur tolerandum cum non valeat inde inferri defectus consensus.

157

S. C. Concilii. *5 Iulii 1664. – Ad sequentia decreta Episcopi Syrensis:* De Regularium exemptione.

1. Che non vadano i Cappuccini a predicare l'Avvento prima di chiedere al Vescovo la benedizione.

2. Che non tengano nella loro chiesa, sotto pena d' interdetto personale, il cataletto, convenendo solamente ai parrochi.

3. Che non debbano celebrare Messa in sagrestia o in altre stanze.

R. Ad 1. S. C. censuit non esse probandum.

Ad 2. Hoc decretum esse reprobandum, salvis iuribus parochialibus.

Ad 3. Capuccinos posse in sacrario vel in alio loco decenti intra monasterium ad id destinato celebrare.

158

S. C. de Prop. F. *18 Dec. 1664* (C. G.). — Hollandiae catholicos saeculares non posse conferre beneficia; si autem sint de iure patronatus praesentent coram Vicario Ap. qui instituat. Beneficia ecclesiastica a laicis non conferenda.

159

S. C. de Prop. F. *13 Ian. 1665* (C. P. PRO SIN.). — Exponente D. MISSIONARIO AD REGNUM COCINCINAE, christianos plurimos Episcopatuum ab haereticis, mahumetanis et gentilibus occupatorum, in alias provincias, bella et persecutiones fugiendo, profectos esse et proficisci, et praesertim ex Episcopatibus S. Thomae, Malacae et Iaponiae; et petente ut, attenta difficultate recurrendi ad Vicarios generales seu gubernatores dictarum dioecesium pro dimissoriis, liceat Vicariis Apostolicis Chinae, Cocincinae et Tunkini eos, si ecclesiasticam vitam amplecti velint, sine dimissoriis clericali charactere insignire, et ad omnes etiam sacros, presbyteratus quoque, Ordines promovere; S. C. petitam facultatem concedendam censuit et benigne concessit. Facultas conferendi Ordines sine dimissoriis.

160

tatio alio licita nariis.

S. C. de Prop. Fide *13 Ianuarii 1665* (C. P. pro Sin.) — 1. Se i missionarii possano portare una parte dei viatici in corallo, che è più comodo del denaro, senza che ciò sia contro le proibizioni di far mercanzie. Portandoli tutti in oro ci perderebbero, per essere stimato poco, e l'argento riesce d'incomodo, non così il corallo che possono poi venderlo con guadagno.

usu solius in Missa, rificat. et ne.

2. Se i sacerdoti (nelle Missioni della Cina) possono servirsi nella Messa di acqua solamente, per la purificazione ed abluzione, attesa la scarsezza del vino nella China, per la quale si esporrebbero spesso a non poter celebrare, se adoperassero il vino tanto nell'una come nell'altra.

R. Ad 1. Posse per modum permutationis, et in hac specie tantum.

Ad 2. Affirmative.

161

centia displi a Missus.

S. C. de Propag. Fide *2 Martii 1665* (C. G.). — Non licere Praefecto licentiam missionariis concedere redeundi, etiam completo tempore suarum facultatum, nisi prius Sacra Congregatione praemonita, ac expectato adventu in Missionem aliorum missionariorum per eamdem S. Congregationem deputandorum.

162

nonnullis in ecclei conseeragendis.

S. Rit. C. *31 Iulii 1665*. — 1. An consecrari possit ecclesia quae non potest circumdari tota ab extra per Episcopum.

2. An consecrari possit quamvis non consecretur altare maius, et an loco illius possit consecrari aliud.

translatioanniversarii crat. eccle.

3. An transferri possit dies consecrationis propter anniversarium in aliam diem diversam ab illa in qua facta fuit consecratio.

R. Ad 1. Potest consecrari, et circumdari per illas partes in quibus est aditus.

Ad 2. Debet cum ipsa omnino consecrari altare maius, nam istud est principale, et si hoc tantum sit in ecclesia, sufficit: alia vero sunt accessoria, pro quibus datur consecratio distincta, sine ecclesiae consecratione.

Ad 3. Potest transferri dummodo sit deputatus dies anniversarii ab Episcopo in actu consecrationis ecclesiae.

163

enam alio licita clenercatura.

S. C. de Prop. Fide *23 Novemb. 1665*. — 1. Cum SSmus D. N., ex voto S. C., Vicariis Ap. in regnis Sinarum facultatem largitus fuerit clericos promovendi ad sacros, etiam presbyteratus, Ordines, quamvis necessarium patrimonium non habeant; quaeritur, an huiusmodi promoti possint ad sui sustentationem mercaturam exercere, pecunias suas mercatoribus dare, et cum ipsis societatem inire, maxime cum non habeant illis in partibus aliam rationem se sustentandi.

Indultum circa horam celebrandi Missam.

2. Quoniam (in Sinis) magistratus gentiles prohibent christianis religionem catholicam exercere, ipsi coguntur Missas audire, Confessiones facere, et SS. Eucharistiae Communione se reficere, noctu, ut priusquam dies illucescat ad suas domos possint tuto redire: ideo supplicatur pro facultate sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandi tribus horis ante auroram.

R. Ad 1. Toleratur ad sustentationem propriam dumtaxat, modo tamen contractus sit ex sua natura licitus, et tantum solummodo impendant quantum honestum patrimonium constituat.

Ad 2. S. Congregatio annuit.

164

De Missae celebratione coram acatholicis.

S. C. S. Officii *26 Novembr. 1665*. — Chios. — Se sia lecito ai latini di celebrare in presenza dei greci scismatici, e quando sopravvengono, di continuare a dire la Messa.

R. Posse.

165

Usque quo Praefectus Miss. maneat in officio.

S. C. de Prop. F. *2 Martii 1666* (C. G.). — Se il Prefetto possa continuare nel governo della Missione sino all'arrivo del successore, benchè sia spirato il tempo delle sue facoltà.

R. Praefectus permaneat in gubernio Missionis usque ad adventum successoris qui a S. C. destinatus et approbatus fuerit.

166

Tempore Missae parochialis haud vetita celebratio Missarum in aliis ecclesiis.

S. C. de Prop. F. *26 Ian. 1668* (C. P.). — Relata instantia Patris Guardiani Ierosolymitani ut missionarii S. C. in locis suae iurisdictioni subiectis prohibeantur Missas in eorum capellis diebus festis celebrare, nisi prius celebrata Missa in ecclesia parochiali, S. C. mandavit servandas esse infrascriptas declarationes S. Congregationis Concilii Tridentini videlicet:

a) « *Baren. Iunii 1597* — Congregatio censuit presbyterum in sua ecclesia Missam celebrantem non teneri differre celebrationem donec in ecclesia parochiali Missam parochus celebraverit.

b) « *Die 6 Octobris 1625*. — An Ordinarius ad instantiam rectoris ecclesiae parochialis possit praecipere rectoribus aliarum ecclesiarum non parochialium ne Missas celebrent antequam absoluta fuerit Missa conventualis, quae in ipsa parochiali quotidie celebratur. — Congregatio censuit Ordinarium non posse id prohibere ».

167

De remotione missionariorum a Missionibus.

S. C. de Prop. Fide *16 Mart. 1668* (C.G.) — S. Congregatio providere cupiens damnis spiritualibus quae ex missionariorum remotione a locis Missionum catholicae fidei graviter inferuntur, cum, eadem S. Congregatione inconsulta, ab eisdem Missionibus per Praefectos et Superiores removeantur, vel ipsimet missionarii ad proprias provincias vel conventus redeant cum maximo catholicorum praeiudicio qui operariorum auxilio hac de causa saepius privati remanent; districte praecepit Praefectis Missionum qui a S. Congregatione expediuntur, ut a Missionibus ipsis assignatis, absque licentia S. Congregationis missionarios eorum Praefecturis subiectos nulla causa removeant vel dimittant; ipsis vero iniunxit ne a Missione discedant nisi prius a S. C. obtenta licentia redeundi, quamvis tempus residendi in Missione iuxta eorum decreta integre compleverint, quod etiam per lapsum facultatum expirare non censeatur, et in hoc tempus itineris non comprehendatur. Si vero Praefectis aliquis remotione dignus visus fuerit, teneantur prius consulere S. C. de causa ob quam removendus erit, responsumque expectare antequam missionarium removeant, aut a Missione suspendant vel dimittant, excepta causa publici scandali, quo casu liceat eisdem, adhibito consilio duorum missionariorum seniorum, removere; debeant tamen S. Congregationem statim certiorare ut alios operarios quamprimum subdelegare possit, sub poena inhabilitatis et incapacitatis ad munia et gradus per S. C. vel eiusdem intuitu, missionariis dari solitos, aliaque arbitraria; et ita servari mandavit.

168

Episcopi ne Romam petant sine venia S. C.

S. C. de Prop. F. *10 Iulii 1668* (C. G.). — Inhibeatur Episcopis S. Congregationi subiectis ne Romam sub quovis praetextu veniant absque licentia S. Congregationis.

169

Illicitum catholicis proles haereticis baptizandas offerre.

S. C. S. Officii *26 Sept. 1668.* — An catholicis (in Hollandia) liceat proles suas haeretico baptizandas offerre, ne cogantur mulcta 25 florenorum solvere.

R. Non licere.

170

Conversi ab haeresi, et haereticorum filii, irregulares sunt.

S. C. S. Officii *28 Nov. 1668.* — An alumni collegiorum pontificiorum qui vel ab haeresi sunt conversi, vel sunt haereticorum filii, et ideo irregulares, qua irregularitate (quod apparet) non sublata, ad Ordines etiam sacros promoti fuerunt et promoventur, num rite et canonice promoti fuerint et promoveantur; an vero indiguerint et indigeant dispensatione ab irregularitate iam dicta.

R. Alumnos praedictos indiguisse et in posterum indigere dispensatione quoad praedictam irregularitatem. Petentibus vero relaxandam dispensationem.

171

Accessus ecclesias schismaticorum illicitus.

S. C. S. Officii *5 Dec. 1668.* — Episcopus Tribuniensis mandet catholicis sibi subiectis ne accedant ad Missas et alia officia divina in ecclesiis schismaticorum eosdemque moneat, in casu carentiae Missae catholicorum non teneri praeceptum Missam audiendi.

172

De Missae celebratione in domibus infirmorum.

S. C. de Prop. F. *14 Dec. 1668.* — Cum sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum a christianis infirmis expetitur, quaeritur: 1. An missionariis, in praedictorum infirmorum domibus, sacrificium Missae celebrare liceat.

2. An hoc procedat etiam cum mortis periculum urget, sed Viaticum, saltem occulte, deferri potest.

3. An licitum saltem sit, quando neque publice neque occulte deferri potest.

R. Ad 1. Non licere.

Ad 2. Non licere.

Ad 3. Tali casu licere, vel in domo infirmi, vel saltem in viciniori domo, si locus decens sit, ne infirmus Viatico privetur.

173

Circa aliquas obligationes alumnorum Collegii Pontificiorum.

Litt. S. C. de Prop. F. *29 Decem. 1668* (AD RECTORES COLLEG. GERMAN. ANGL. GRAEC. MARONIT. ILLYRIC.) — Fu risoluto nella Congregazione (20 Decembre 1668) tenutasi sopra i Collegi Pontificî che si liberassero gli alunni dall' obbligo di scrivere ciaschedun anno a questa S. C. e che si desse facoltà ai Sigg. Cardinali Protettori di ciaschedun Collegio di concedere la facoltà agli alunni di quei Collegi che sono sotto la loro protezione (dopo però che saranno da quelli usciti, e avranno dimorato fuori di essi per lo spazio intiero di tre anni) di entrare e far professione nella Compagnia di Gesù, od in altra Religione. Questa determinazione riferita da Mons. Segretario alla Santità di N. S., si è Sua Beatitudine degnata di approvarla.

174

De voto obedientiae quoad catechistas.

S. C. de Prop. Fide *28 Ian. 1669* (C. P. PRO SIN.). — S. C. concedit facultatem Vi-

cariis Ap. (Tunkini) publica significatione manifestandi Regularibus eiusdem S. Congñis mentem, iisdemque Regularibus intimandi ut abstineant ab usu, seu verius abusu catechistas voto obedientiae erga se ipsos privative quoad Vicarios Ap. a S. Congregatione deputatos obstringendi.

175

irurgiae e-itium ali-lo licitum onariis.

S. C. Concilii *9 Febr. 1669.* — Tunkin. 1. Utrum missionarius ad conservandam vitam alicuius patientis posset aliquam corporis partem incidere.

2. Cum ad praeservandum brachium teneretur digitum amputare, an incurrerit irregularitatem.

R. Ad 1. Posse devenire ad incisionem in casu necessitatis.

Ad 2. Non incurrisse.

176

De transitu mulierum ad ritum graecum.

S. C. S. Officii *13 Febr. 1669.* — An Sacramenta ministrari debeant mulieribus, quae occasione matrimonii, ad ritum graecum transierunt, et in eo persistere volunt aut ob gravem metum sibi a maritis incussum, aut ob alias causas quae facile superari possunt. Et quid si sint constitutae in articulo mortis?

R. Satagendum esse ut servetur Constitutio 34 Clem. VIII (1) qua sancitur ut maritus latinus uxoris graecae ritum non sequatur, et latina uxor non sequatur ritum mariti graeci;

---

(1) Constit. Clementis VIII 31 Aug. 1595 ita se habet: « Presbyteri graeci baptizatos Chrismate in fronte » non consignent; et ideo ab ipsis in ordine Baptismi » apud eorum Euchologium, praetermittantur quae se- » quuntur post illa verba καὶ μετὰ τὴν εὐχὴν etc. usque » ibi εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς χῆμα κύκλου, hoc est: et *post* » *orationem* etc. (ubi habetur forma huius consigna- » tionis) usque ad verba, *Postea facit Sacerdos figu-* » *ram circuli* etc.

» Episcopi latini infantes, seu alios baptizatos a pre- » sbyteris graecis de facto chrismate in fronte consi- » gnatos confirment: et tutius videtur, ut cum cautela » et sub conditione id faciant (videlicet N. *si non es* » *confirmatus, ego consigno te signo Crucis ✠ et con-* » *firmo te Chrismate salutis ✠ in nomine Patris et Fi-* » *lii et Spiritus Sancti*) praesertim vero cum verisimi- » liter dubitari potest, quod ab Episcopis graecis fue- » rint baptizati.

» Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quod » pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut sal- » tem quindecim renovetur.

» Non asservetur idem Sacramentum toto anno; si » tamen asservatum fuerit, saltem in fine anni su- » matur.

» Tollatur abusus tundendi, vel miscendi sacro oleo, » ac iterum coquendi, vel alias exsiccandi species Sa- » cramenti S. Eucharistiae feria quinta Coenae Domini, » ut deinde illud asservent.

» Si Graeci velint accipere altaria portatilia ab Epi- » scopis latinis consecrata, bene erit; sin minus, tole- » rentur eorum thioni, sive throni, super altaria lapi- » dea ponendi, cum celebrant.

» Corporalia, uti latini, habeant, nisi thionis etiam » pro corporalibus utantur.

» In casu necessitatis presbyteri graeci catholici pos- » sint latinos absolvere.

» Utantur formâ absolutionis in generali Concilio » Florentino praescripta et postea, si voluerint dicant » orationem illam deprecativam, quam pro forma hu- » iusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

» Tollendus abusus, ubi est, ut vir atque uxor si- » mul et eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

» Aqua ex ritu graeco in die Epiphaniae, vel pri- » mo die mensis benedicta, conservetur in ecclesia, ut » illa fideles aspergantur.

» Non sunt cogendi presbyteri graeci Olea sancta, » praeter Chrisma, ab Episcopis latinis dioecesanis ac- » cipere, cum huiusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum » et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu confi- » ciantur seu benedicantur. Chrisma autem, quod non- » nisi ab Episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici » potest, cogantur accipere. Prohibeantur vero ab Epi- » scopis graecis externis schismaticis, seu Sanctae Ro- » manae Ecclesiae communionem non habentibus illud » accipere, vel eo uti.

» Ordinati ab Episcopis schismaticis, alias rite or- » dinati servata debita forma, recipiunt quidem Ordi- » nem, sed non executionem.

» Proinde ipsi ordinati ab Episcopis schismaticis, » correcti, vel emendati, reconciliandi sunt et absol- » vendi cum poenitentiis salutaribus, dummodo erro- » res, vel saltem schisma ordinatoris abiurent in iudi- » cio, vel publice, vel secreto pro qualitate facti. In » Ordinibus autem per eos, alias rite susceptis, mini- » strare non permittantur, nisi cum ipsis, super irre- » gularitate huiusmodi occasione contracta, aucto- » ritate Sanctae Sedis Apostolicae fuerit dispensatum.

» Non sunt admittendi Episcopi schismatici, sive » pro Ordinibus, sive pro aliis Sacramentis conferen- » dis, sed detinendi quoad Sancta Sedes Apostolica » desuper consulatur, et responsum habeatur.

» Graeci sine literis dimissoriis Episcopi latini dioe- » cesani, ad sacros Ordines promoti, suspensi sunt et » si suspensi in suis Ordinibus ministraverint, effi- » ciuntur irregulares, sicut et latini.

» Super huiusmodi autem et similibus irregularitati- » bus dispensandi facultatem a Sancta Sede Apostolica » obtineri oportet.

» Si Episcopus latinus graecum aliquem ordinare » voluerit, qui a presbytero graeco in baptismo Chri- » smate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum » antea confirmare, saltem sub conditione, videlicet N. » *Si es ordinatus etc.* ut supra.

» Presbyteri vidui, seu uxoribus orbati, habitum de- » ferant diversum ab aliis.

» Curent Ordinarii locorum, ut decretum sacri ge- » neralis Concilii Tridentini de reformatione matrimo- » nii vertatur in linguam graecam vulgarem et in lo- » cis et parochiis graecorum et albanensium evulge- » tur et publicetur.

» Matrimonia inter coniuges graecos dirimi, seu di- » vortia, quoad vinculum, fieri nullo modo permittant, » aut patiantur: et si qua de facto processerunt, nulla » et irrita declarent.

» Maritus latinus uxoris graecae ritum non sequatur.

» Latina uxor non sequatur ritum mariti graeci.

» Graeca vero uxor sequatur ritum mariti latini.

» Quod si id fieri non possit, quisque coniugum in » suo ritu, catholico tamen, manere permittatur.

» Proles sequatur patris ritum, nisi praevaluerit ma- » ter latina.

» Presbyter graecus coniugatus ante sacrum sacrifi- » cium, seu sanctam Missam celebrandam, vel per » hebdomadam, vel per triduum abstineat ab uxore.

» Graeci credere tenentur etiam a Filio Spiritum » Sanctum procedere, sed non tenentur pronunciare;

graeca vero uxor sequatur ritum mariti latini: quod si fieri non possit, quisque coniugum in suo ritu catholico tantum permaneat.

177

De Episcopis consecratis ab acatholicis, vel ab uno tantum Episcopo.

S. C. S. Officii *13 Martii 1669.* — 1. An Episcopus ritus graeci consecratus ab Episcopo schismatico et haeretico simul, sit valide consecratus.

2. An ab uno tantum Episcopo consecratus sit valide consecratus.

3. An in utroque casu denuo consecrari debeat sine conditione, vel debeat sub conditione consecrari.

R. Ad 1. Esse valide sed illicite consecratum, et ideo indigere relaxatione quoad suspensionem, et dispensatione quoad irregularitatem.

Ad 2. et 3. Non esse iterum sub conditione consecrandum, sed sequendum praescriptum Brevis sa: me: Pii IV dat. 11 Augusti 1562 (1).

178

De facultatibus et iurisdictione Vicarior. App.

S. C. de Prop. Fide *22 Mart. 1669* (C. P.). — Quesiti che si propongono da Mons. Vescovo d'Eliopoli Vic. Ap. del Tonchino tanto a nome suo quanto di Mons. Vescovo di Berito Vic. Apost. di Cocincina:

1. Se alli Vicarî Apostolici sia permesso di celebrare senza rocchetto, anello, e senza la croce episcopale.

2. Se possano amministrare il Sagramento della Cresima senza mitra e piviale.

3. Se i detti Vescovi *simpliciter* come Vicarî Apostolici ed Amministratori nelle Provincie alla loro cura commesse, abbiano la medesima autorità e giurisdizione che hanno, in conformità dei sacri Canoni, i Vescovi nelle proprie diocesi, e se in esse possono farvi tutto quello che ponno fare i Vescovi nelle proprie diocesi.

4. Se abbiano non solo la facoltà ordinaria, ma quella anche dei decreti de' Concilii conceduta ai Vescovi come delegati della Sede Apostolica.

5. Se i Vicarî Apostolici possano, anzi sian tenuti di richiedere i Regolari che dimoreranno nei loro Vicariati ad esibire le proprie patenti con privar dell' uso delle facoltà quelli che ricuseranno di mostrarle.

6. Se i Regolari e particolarmente quelli che senza partecipazione della S. C. sono colà dai

---

» nisi subesset scandalum, praesertim si degant inter » latinos, aut necessitas postularet confitendi fidem » catholicam: quia tunc oporteret etiam pronunciare.

» Nunquam monachis graecis, seu calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate, vel alia » iusta causa.

» Presbyteri saeculares graeci, abiuratis schismate » et erroribus, atque in fide catholica bene instructi, » in parochialibus seu curatis ecclesiis graecorum instituti possunt.

» Tolerandus est apud graecos usus carnium die » Sabbati, ubi sine scandalo fieri potest: in locis tamen ipsorum et inter eos tantum.

» Item tolerandum est, ut ad ieiunium eodem die » Sabbati in quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

» In ieiuniis biduanis, vel triduanis, vel alias a dioecesanis, vel in Iubilaeis a Summo Romano Pontifice indictis, dies Sabbati in eis comprehensus, vel praescriptus, in alium diem, pro plebibus graecis, ab ipsis dioecesanis, Apostolica auctoritate SS. D.N.D. Clementis divina providentia Papae VIII permittitur commutari.

» Si ipsi graeci ad observationem ieiuniorum et vigiliarum latinae Ecclesiae induci possent, optimum esset, sed non cogantur, cum ipsi qualibet hebdomada et feria quarta et feria sexta ieiunent.

» Graeci existentes inter latinos, dies festos de praecepto eiusdem latinae Ecclesiae servare teneantur.

» Insuper idem Sanctissimus Dominus Noster constituit Romae habendum esse Episcopum graecum catholicum, qui graecos Episcopis latinis Italiae et Insularum adiacentium subiectos, ab Episcopo graeco ordinari volentes, cum illorum dimissoriis, ad id tantum concedendis ritu graeco ordinet ».

(1) In alleg. Brevi ita legitur: « Hispaniarum rex catholicus nobis nuper exponi fecit quod in Orientalibus Indiis novoque Hispaniae Regno, propter recensionem illius populorum ad fidem orthodoxam conversionem, rarae Sedes episcopales in tanta terrarum amplitudine adhuc institutae reperiuntur: unde fit ut post electionem Praelatorum ad illas vacantes facta, sufficiens Episcoporum numerus ad munus consecrationis illis exhibendum infra tempus de consecrandis Episcopis a iure statutum coadunari nequeant. Quare praefatus Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit quatenus in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur sacrorum canonum aequitatem a nemine ultra quam praestari possit exigere perpendentes, ac omnes et singulos Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos in Indiis praefatis constitutos, qui hactenus munus praedictum, numero Praelatorum competenti ad id non adhibito, alias tamen rite suscepe-runt, ab huiusmodi excessu, et suspensionis aliisque ecclesiasticis poenis, auctoritate Apostolica, tenore praesentium absolventes, secumque super irregularitate, si quam inde contraxerint, et quod munere praefato sic per eos suscepto, suisque etiam presbyteratus Ordinibus ac officio pontificali uti, et in illis etiam in altaris ministerio ministrare, ac suis etiam Metropolitanis et Cathedralibus ecclesiis praeesse libere et licite valeant, de specialis dono gratiae dispensantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, universis et singulis quos ad Cathedrales et Metropolitanas Ecclesias in Indiis praefatis nunc et pro tempore institutos, illarum vacatione occurrente, canonice eligi et assumi contigerit, ut deinceps perpetuis futuris temporibus post eorum electionem et assumptionem huiusmodi, nullo alio sibi obstante canonico impedimento, a quocumque maluerint catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente: accitis, et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus in dignitate ecclesiastica constitutis seu Cathedralis, aut Cathedralium aut Metropolitanarum ecclesiarum canonicis, praefatum consecrationis munus recipere valeant; ac eidem Antistiti ut idem munus, illius auctoritate praefata, impendere libere possit plenam et liberam auctoritatem et facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus *etc.* ».

loro Generali mandati a predicare o ad amministrare i Sacramenti, ovvero che nei luoghi delle missioni ricevono dai Prefetti la comunicazione dei privilegi e facoltà respettivamente debbono essere per tal officio approvati dai Vicarî o loro Provicarî.

Occorrendo alle volte che i Vicarî Apostolici non hanno sacerdoti secolari ai quali possano commettere la cura delle anime, ed all' incontro i Regolari per mantenersi esenti dalla giurisdizione dei Vicarî ricusano di accettare l' officio di parrochi, si domanda:

7. Se i suddetti Regolari siano in tal caso obbligati ad esercitare la cura delle anime non solo a titolo di carità ma di giustizia, mentre sono mandati in quei luoghi per questo fine.

8. Se questi Regolari li quali esercitano la cura dell' anime con solo titolo di missionarî siano sottoposti quanto alle funzioni parrocchiali alla visita e correzione dei Vicarî o dei loro Provicarî.

9. Se i Vicarî possono richiedere i Regolari e dar conto della esecuzione delle pie volontà, delle quali sono alle volte deputati esecutori.

10. Se sia permesso ai Regolari senza licenza de' Vicarî, anzi contro la loro volontà, fabbricare ed aprire chiese ed oratorî:

a) In quei luoghi dove già l' hanno.

b) Dove si trovano missionarî d'altr' Ordine o preti secolari parimenti missionarî.

c) In tutti gli altri luoghi nei quali niun missionario risiede.

R. Ad 1. Posse cum gravi et urgenti causa.

Ad 2. Posse gravi et urgente causa.

Ad 3. et 4. Negative.

Ad 5. Affirmative, sed intra limites facultatum Vicariis Ap. concedendarum in Regulares.

Ad 6. Non posse Regulares uti suis facultatibus nisi prius obtinuerint licentiam a Vicariis Apostolicis.

Ad 7. In defectu sacerdotum saecularium conceditur Vicariis facultas deputandi Regulares ad exercendam curam animarum, ipsosque cogendi ad hoc munus explendum.

Ad 8. Affirmative.

Ad 9. Concedatur facultas.

Ad 10. Non posse nisi de licentia Vicarii Apostolici.

179

Sacramenti amministrazione extra terras Missionis.

S. C. de Propag. Fide 22 *Martii 1669* (Congr. Part.). — Ritrovandosi i missionarî in viaggio verso le loro Missioni, e ritornando in Europa per servizio delle medesime, essendo alle volte necessitati a fermarsi in alcuni luoghi ne' quali sono i parrochi, vien loro fatta istanza d' amministrare i Sagramenti a quei cristiani che vi dimorano; perciò domandano:

1. Se nel caso suddetto e nei luoghi dominati da infedeli possano farlo ad istanza o con licenza de' parrochi, senz' aver ottenuta l' approvazione e la giurisdizione dai Vescovi per esser troppo distanti.

2. Se nel caso e luoghi come sopra, possano farlo senza la licenza de' medesimi parrochi, concorrendovi grave ed urgente necessità.

3. Se nell' uno e l' altro caso possano servirsi delle facoltà concedute loro dalla S. C. che concernono il foro interno.

R. Ad 1. Posse ea tantum administrare quae parochus potest.

Ad 2. Non posse, sed concedendam esse facultatem in casu gravis et urgentis necessitatis, et in partibus infidelium.

Ad 3. Ut ad proximum (praecedens).

180

Facultas Vicariis App. utendi opera alienorum missionariorum.

S. C. de Prop. Fide 7 *Maii 1669* (C. P.). — Quoniam in litteris patentibus pro missionariis qui Vicarios Apostolicos comitati sunt expeditis, unicuique eorum missionariorum specialiter iniuctum est cui ex Vicariis pareant, et quoniam in Vicariatu inservire debeant; et quoniam Episcopus Heliopolitanus asserit huius mandati praxim difficillimam esse, attento quod et aeris temperies aliaeque rationes efficere possunt ut missionarius in provincia sibi destinata commode residere nequeat; et demum quoniam prudentia et Dei obsequium nonnunquam postulare possunt ut Vicarii quempiam ex missionariis dimittant qui in alio Vicariatu cum fructu operam collocet, idcirco Episcopus Heliopolitanus (Vic. Ap. Tunkini) supplicat pro facultate eisdem Vicariis concedenda opera missionariorum indifferenter in suis Vicariatibus utendi.

R. Sacra Congregatio, attenta locorum distantia, et ne missionarii aut otiose, aut sine fructu in Vicariatibus sibi assignatis degant, ut iidem Vicarii dictos missionarios in Europam remittere cogantur, aliosque exinde evocare magnis cum expensis, facultatem petitam concedendam censuit, hac tamen adiuncta conditione ut similes mutationes non fiant absque causa et ut, quotiescumque accidunt, certioretur de eisdem S. Congregatio.

181

Exordium.

Const. Clementis PP. IX *17 Iunii 1669*. Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae per universum Orbem diffusae regimini per ineffabilem divinae sapientiae atque clementiae abundantiam praesidemus, Nos stimulat, ut ea, quae christianae religionis, catholicaeque fidei propagationi remoram vel impedimentum iniicere, ac in virorum in sortem Domini vocatorum, et praesertim Religiosorum, qui semetipsos abnegarunt, et mundana omnia contem-

pserunt, ut Christum lucrifacerent, eiusque obsequiis mundo corde et mente tranquilla unice intenderent, honestatis gloria maculam ponere possent, salubri sanctione e medio tollere, atque radicitus evellere studeamus. Dudum siquidem fel. record. Urbanus Papa VIII praedecessor noster, considerans per sacros canones, Conciliorum decreta, et Constitutiones Apostolicas omnibus Religiosis, ac etiam aliis ecclesiasticis, praesertim in sacris Ordinibus constitutis, mercaturam, et negotiationes saeculares districte prohiberi, ac valde damnosum, indecorum, ac indecens existere huiusmodi personas divino cultui mancipatas, ac praecipue illas, quae ad praedicandum sacrosanctum Christi Domini Evangelium destinatae sunt, mercaturae, et negotiationibus huiusmodi se immiscere, aut operam dare, per quandam suam in simili forma Brevis die 22 Februarii 1633 emanatam Constitutionem, inter alia, Religiosis omnibus cuiuscumque Ordinis et Instituti tam non Mendicantium, quam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, eorumque singulis tam tunc in insulis, provinciis, regionibus, et Regnis Indiae orientalis, ac Chinae, et Iaponum existentibus, quam in futurum ad illa mittendis, omnem et quamcumque mercaturam, seu negotiationem quocumque modo ab eis fieri contingeret, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive communitatis nomine directe, sive indirecte, aut quovis alio praetextu, causa, vel colore, interdixit, et prohibuit sub excommunicationis latae sententiae poena ipso facto incurrenda, ac privationis vocis activae et passivae, officiorum, ac graduum, et dignitatum quarumcumque, et inhabilitatis ad ea, ac insuper amissionis mercium, et lucrorum ex eis factorum, quae omnia a Superioribus Religionum, ex quibus delinquentes existerent, reservanda essent ad usum Missionum, quas eaedem Religiones habebant, et in futurum habiturae erant in Indiis praedictis, et non in alios usus; ac eisdem Superioribus districte praecepit sub eisdem poenis, ut in hoc invigilarent, et contra delinquentes ad praedictas poenas procederent, sublata eisdem facultate huiusmodi delinquentibus aliquid ex dictis mercibus, et lucris quamtumvis minimum, remittendi, aut condonandi, et alias prout in dicta Urbani praedecessoris Constitutione, cuius tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem (sicut non sine gravissimo animi nostri dolore accepimus) multi ex iisdem Religiosis, et personis ecclesiasticis, propriae professionis, iniunctique sibi gravissimi ministerii immemores, ab eiusmodi mercatura, et negotiationibus saecularibus non abstineant, sed sese a debita praedictae Constitutionis Urbani praedecessoris observatione sub variis praetextibus, coloribus, et subterfugiis eximere conati fuerint, et satagant de praesenti, in deplorandam animarum suarum perditionem, perniciosum quoque exemplum, et scandalum plurimorum: Nos salutaribus Doctoris Gentium praeceptis edocti, quod nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit, tam grande, tamque exitiosum ab Ecclesia Dei malum Apostolici zeli vigore propellere, scandalorumque inde nascentium occasiones recidere, ac saluti animarum, et christianae religionis, catholicaeque fidei propagationi quantum Nobis ex alto conceditur, salubriter consulere, omnemque lucrorum mundanorum spem personis coelesti militiae adscriptis, praesertim ad infidelium conversionem, et Evangelii praedicationem destinatis, et in futurum destinandis, quas sicut bonos Christi milites laborare, et ministerium suum honorificare oportet, ut eo studiosius, ac impensius adspirante superni favoris auxilio horrea Domini novis semper frugibus locupletare satagant, omnino adimere decrevimus. Itaque sacris canonibus, ac decretis, et Constitutionibus praedictis inhaerentes, illaque, et praesertim memoratam Urbani praedecessoris Constitutionem in iis, quae praesentibus literis non adversantur, approbantes, et innovantes, et circa praemissa de novo disponentes, et statuentes; Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnibus et singulis personis ecclesiasticis tam saecularibus, quam Regularibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, et qualitatis, ac cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti tam Mendicantium, quam non Mendicantium, etiam Societatis Iesu, et earum cuilibet, quae ad Insulas, Provincias, et Regna Indiarum Orientalium, et praesertim in Provinciam Societatis Iesu de Iapone nuncupatam, ac in partes Americae tam Australes, quam Septentrionales a Sede Apostolica, vel Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum, aut ab earum Superioribus sub nomine missionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore missae fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, sub excommunicationis latae sententiae, ac privationis vocis activae, et passivae, et officiorum, dignitatum, et graduum quorumcumque per eas obtentorum; et inhabilitatis ad illa, et alia quaecumque in posterum obtinenda, nec non amissionis mercium et lucrorum omnium ipso facto incurrendis, ac aliis Nostro, et Romani Pontificis pro tempore existentis vel praedictae Cardinalium Congregationis arbitrio imponendis poenis, tenore praesentium districte prohibemus pariter et interdicimus, ne mercaturis, et negotiationibus saecularibus huiusmodi quovis praetextu, titulo, colore, ingenio, causa, occasione, et forma, etiam semel, per se, aut mediantibus ministris, seu aliis personis subsidiariis, directe, vel in-

Urbanus VIII prohibuit ecclesiasticis negotiationem.

Pontifex confirmat et innovat Urbani VIII prohibitionem.

Urbani VIII Constitutio a multis non observata.

directe, tam nomine proprio, quam suarum respective Religionum, seu Congregationum, aut Societatum, etiam Iesu, vel aliorum quorumlibet, et alias quovis modo, et qualitercumque se ingerant, vel immisceant. Ac ex nunc prout ex tunc, et e contra postquam casus evenerit, merces, et lucra quaecumque, quae ex huiusmodi mercaturis, et negotiationibus provenerint, et provenient, in usus et commodum pauperum, Hospitalium, Seminariorum ecclesiasticorum, ac Operariorum, (non tamen Religionum, Congregationum, et Societatum, etiam Iesu, seu Instituti eorum, qui in praemissis, vel circa ea deliquerint) sed aliorum non delinquentium harum serie applicamus, qui teneantur consignare merces, et lucra huiusmodi locorum Ordinariis, seu eorum Vicariis, in spiritualibus, generalibus, aut Officialibus, vel Apostolicis Vicariis, seu Provicariis. Hi vero tamquam dictae Sedis Delegati illa ut praefertur, et non in alios usus distribuere, et erogare debeant; super quibus eorum conscientiam districte oneramus. Et quia in praemissis, et circa ea delinquentes, ut plurimum, praetextu necessitatis pro eorum Missionibus se excusare praesumunt; excusatione huiusmodi eis, eorumve cuilibet nullo modo suffragari posse, vel debere decernimus et declaramus. Insuper eisdemmet censuris et poenis innodamus, et innodatos fore declaramus Superiores immediatos, ac Provinciales, et Generales praedictorum Ordinum, Congregationum, et Societatum, etiam Iesu, qui eorum respective subditos in praemissis, vel circa ea, etiam pro unica vice quomodolibet delinquentes, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti non puniverint; a sententia vero excommunicationis huiusmodi per Superiores, vel alium, seu alios quoscumque, etiam quavis facultate suffultos, nemo ex praedictis delinquentibus absolvi possit, praeterquam in mortis articulo constitutus, nisi lucris huiusmodi prius restitutis. Decernentes *etc.*

cra ex hu-
di merca-
provenien-
cis piis ap-
rdis.

enae in Su-
res inobser-
am non pu-
es.

182

urisdictione
riorum A-
olicorum.

S. C. de Prop. Fide *13 August. 1669* (C. P. PRO SIN.). — PETITIONES VICARII AP. TUNKINI: 1. Che tanto esso che gli altri Vicarî Apostolici nelle provincie alla loro cura commesse siano dichiarati primi direttori e superiori delle cose spirituali sotto la Santità di N. S. e di questa S. C. senza però minimo pregiudizio o lesione dei privilegi e delle grazie concedute dalla Sede Apostolica ai Regolari.

2. Che a loro appartenga di verificare e pubblicare tutte le Bolle, Costituzioni ed altri mandati Apostolici, e tutti gli ordini di questa S. C.

3. Che giudizialmente possano visitare tutti gli oratorî, cappelle, chiese, ed altri luoghi pii, e provvedere a quello che giudicheranno necessario per servizio di Dio, con darne poi parte a questa S. C.

4. Che a loro appartenga il determinare ciò che giudicheranno a gloria di Dio circa l'osservanza delle feste, digiuni, e riti ecclesiastici, secondo però i decreti de' Sommi Pontefici, la qualità de' luoghi e la circostanza dei tempi.

5. Supplica della facoltà di creare notarî apostolici per autenticare le scritture che fosse loro necessario di fare stendere.

6. Che abbiano tutte quelle facoltà che si concedono dal Concilio di Trento agli Ordinarî sopra i Regolari circa l'ascoltare le confessioni, predicare la parola di Dio ed esercitare l' officio di parroco.

7. Che si attribuisca loro quella facoltà conceduta agli Ordinarî dalla s. m. di Papa Urbano nella sua Costituzione sopra le Missioni dei Religiosi al Giappone e ad altre parti delle Indie Orientali (Const. *Ex debito* 22 Februarii 1633) cioè: Che nascendo controversie tra Religiosi, gli Ordinarî come Delegati della Sede Apostolica le decidano e determinino, ma quando fossero di materie gravi, ne debbano dar parte a questa S. Sede, ed attendere da quella i necessarî provvedimenti.

R. Ad 1. Non licere Vicariis Apostolicis sub quovis praetextu intra suorum Vicariatuum fines uti aliis facultatibus quam quae ipsis specialiter a Summo Pontifice et a S. C. concessae fuerunt.

Ad 2. Annuerunt (Emi PP.).

Ad 3. Posse, sed respectu missionariorum Regularium tantum in iis quae concernunt curam animarum et Sacramentorum administrationem.

Ad 4. Concesserunt.

Ad 5. Possint creare sex notarios.

Ad 6. Negative.

Ad 7. Concesserunt.

183

S. C. de Prop. Fide *13 August. 1669* (Congr. P. PRO SIN.). — *Relatio:* Fu rimesso dall'EE. VV. al P. Maestro del S. Palazzo et al P. Leuria l' appresso dubbio:

De Oleis sacris consecrandis.

1. Se li Vescovi siano obligati di rinnovare ogni anno gli Olî Sacri, e ad abbrugiare quelli che sono consecrati, quando l' olio che hanno per nuovamente consecrare è ugualmente vecchio che quello che si ha da abbrugiare. — Et in caso che si risponda per l' affirmativa:

2. Se siano tenuti d' abbrugiarli anche in quel caso che la penuria dell' olio e la difficoltà d'averlo fa moralmente dubitare, che, se abbrugiano il consecrato, resteranno privi dell'olio sufficente per il tempo avvenire.

Quanto al 1. hanno li detti Padri risposto

affermativamente, fondati nel Can. *Litteris de Consecrat. dist. 4* dove per ragione si assegna che siccome annualmente deve celebrarsi la solennità del Giovedì Santo, così deve ogni anno, e nel medesimo giorno consecrarsi l'olio et abbrugiarsi il vecchio; nè ciò farsi perchè questo sia nuovo o vecchio, ma per la rinnovazione del Sacramento, o del misterio; il qual precetto vien confermato nella Costitut. 13 § 5 d' Innoc. IV.

Quanto al 2. hanno risposto che, se in caso di necessità o di pericolo non può consecrarsi il nuovo Crisma, non deve abbrugiarsi il vecchio, perchè la rinnovazione del Crisma per la validità del Sacramento della Confermazione *non est de necessitate Sacramenti sed ministri;* che perciò tanto è valida la Confermazione col Crisma vecchio che col nuovo, benchè illecita, se ve ne potesse havere del nuovo. Il che cavano dal suddetto Can. *Litteris.*

Sono però di parere che per uso del Crisma e degli altri olii è espediente di concedere ai missionarii il privilegio altre volte conceduto dai seguenti Sommi Pontefici, riferito dal Verricelli quest. 98, § 34, cioè: – *Leone X.* Che si possano usare gli olii vecchi, il Crisma e l'Olio Santo insino al terzo anno, quando con grave difficoltà può aversi l'olio, o il balsamo. — *Gregorio XIII.* — Che si possano adoprare gli olii antichi sino a quattr' anni; e Clemente VIII concede il medesimo privilegio in caso che il Crisma e gli altri olii non si possino havere dell' istesso anno.

Anzi il Verricelli tiene che senza il privilegio, in caso di necessità, se fatta la diligenza non si trova l'olio novo consacrato, può adoprarsi il vecchio, essendo più decente di conferire il Sacramento coll' olio antico, che lasciare morire i fedeli senza Sacramento.

R. Concedatur Vicariis Apostolicis, ad formam privilegiorum alias a Summis Pontificibus concessorum, facultas utendi oleis veteribus; et pro ea iusserunt adiri S. Officium.

184

Indultum altaris portatilis pro missionariis.

S. C. de Prop. Fide *13 Augusti 1669* (C. P. pro Sin.). — Relata instantia R. D. Episcopi Heliopolitani, ut missionariis qui tam ipsum quam alios Vicarios Apostolicos, ad Regna Sinarum ab hac S. Sede missos, secuti sunt, et in futurum sequentur, concedatur facultas celebrandi sacrosanctum Missae sacrificium super altari portatili in itinere tam eundo ad suas Missiones quam ab eis redeundo, et in locis infidelium, ac ubi ecclesiae apertae non inveniuntur, ne diutius beneficio et solatio spirituali huius sacrificii destituti remaneant, et ad hoc ut, tali medio, christifidelibus qui in praedictis locis infidelium reperiuntur, adiutorio esse possint:

R. Censuerunt (Emi PP.) supplicandum SSmo ut gratiam petitam concedere sua benignitate dignetur. — Quo decreto relato per Secretarium SSmo D. N., Sanctitas Sua (Clemens IX), precibus supradictis annuendo, facultatem petitam concessit.

185

Poenitenti Sacramentum catholicis administrare non cet.

S. C. S. Officii *28 Aug. 1669.* — Mesopotamiae. – 1. Se possa permettersi o tollerarsi ai sacerdoti nestoriani che si fanno cattolici di confessare coll' autorità del loro Ordinario i loro nazionali ed in specie quelli che sono eretici o scismatici, ponendo in considerazione che, quando facessero il contrario, oltre che verrebbero a manifestarsi per cattolici, sarebbero sottoposti ad avanie, e perderebbero tutte le contribuzioni che sono il loro sostentamento.

Haeresiarchas nominare in divinis officiis omnino illicitum.

2. Se possa permettersi ai diaconi di proferire ad alta voce nell' Officio divino in chiesa i nomi di Dioscoro, Nestorio, Barsuma ed altri eresiarchi con intenzione d'invocare i santi del medesimo nome, o pronunciandoli come nomi indifferenti, detestandoli però nell' interno assicurando non esser possibile che facciano di vantaggio. In caso che si rispondesse per la negativa, assolutamente ne seguirebbero degl' inconvenienti.

R. Negative, facto verbo cum SSmo. Et Sanctitas Sua approbavit.

186

Exordium.

Const. Clement. PP. IX. *13 Sept. 1669.* (De dependentia missionariorum regularium a Vicariis App.). — Speculatores domus Israel, quae est sancta Dei Ecclesia, in terris a Domino constituti, ad illa praecipue caritatis atque vigilantiae Nostrae pastoralis studia convertimus, quae christianae religionis, catholicaeque fidei propagationem concernunt; ut illis certam atque prudentem, ex solita huius S. Sedis prudentia et rectitudine, normam tradamus, et sublatis dubiis atque controversiis, quae inter operarios in vineam Domini missos, in eaque sedulo laborantes, enasci, illorumque labores et laborum fructus turbare vel impedire possent, omnia pie sancteque (quantum Dominus donare dignatur) disponere satagamus, quo optati surgant, benedicente Domino, fructus, ac ad maturitatem perducantur, sanctaque mater Ecclesia uberioribus atque laetioribus in dies gaudeat incrementis.

Expositio.

Cum itaque, sicut Venerabilis Frater Franciscus Episcopus Heliopolitanus, Vicarius Ap. in regno Tunchini cum administratione provinciarum Sinae huic regno adiacentium, videlicet Ianuam, Queicken, Hauquang, Sucenen, Quengsii et Laos, a fel. rec. Alexandro Papa

VII., praedecessore nostro constitutus ac deputatus, tam suo quam Venerabilis pariter Fratris Petri Episcopi Berytensis, Vicarii Apostolici Cochinchinae cum administratione infrascriptarum provinciarum Sinae, videlicet Cechiang, Forchien, Quantimg, Chiemsii, insulae Haynaum, et aliarum insularum, atque etiam Episcopi Metellopolitani consecrati aut mox consecrandi, Vicarii Apostolici Nanchini in Sina cum administratione provinciarum Pechuin, Kiansii, Kantingz, Honan, Kensii, Coreae et Tartariae ab eodem Alexandro praedecessore pariter constitutorum, cum extensione administrationis dicti Episcopi Metellopolitani ad civitatem Juthiae totumque Siami regnum a Nobis nuper factâ, nominibus, Nobis exponi fecit, in dictis regnis et provinciis reperiantur diversorum Ordinum Religiosi, tam a suis respective Superioribus generalibus, quam a Congregatione Venerab. Fratr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Prop. Fidei praepositorum, destinati, qui missionibus ibidem sub directione suorum respective Praepositorum aut Praefectorum operam navant; eorumque nonnulli, ut necessarios operarios multiplicarent, aliquos ex ferventioribus neophytis catechistas effecerint, illosque sibi suaeque directioni quibusdam votis adstrinxerint; praedicti vero Episcopi, Vicarii Apostolici, humiliter a Nobis postulaverint ut auctoritate Nobis a Domino tradita decernere atque declarare dignaremur: — 1. An aliqua sit inter Vicarios Apostolicos et Regulares praedictos subordinatio, et in quibus hi ab illis dependere debeant. — 2. An catechistae per vota Regularibus facta eximantur a iurisdictione eorumdem Vicariorum Apostolicorum.

ependentia tur.

Nos attendentes eo potissimum fine in Sinam, Tunchinum, Cochinchinam, Siamum et alia vicina regna missos, ibique constitutos esse Episcopos Vicarios Apostolicos, ut ex christianis indigenis seu incolis illarum partium instituerentur clerici et sacerdotes, ac crescente fide fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim introduceretur; considerantesque ex independentia plurimorum operariorum in iisdem locis, praecipue cum ab hac Sancta Sede valde sint remota, oriri facile posse dissensiones, rixas, divisiones et schismata, in christianae religionis detrimentum atque perniciem eruptura, nisi illis mature occurratur: de memoratorum Cardinalium consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium, decernimus, statuimus et ordinamus quod praedicti Episcopi Vicarii Apostolici, ab omnibus et singulis Religiosis cuiuslibet Ordinis, Congregationis et Instituti, etiam Societatis Iesu, in praedicta regna et provincias, sive a suis Superioribus missi sint, sive a Nobis, aut Congregatione eorumdem Cardinalium specialiter deputati, exigere possint et debeant ut suas patentes, seu alias quascumque eorum missionis, destinationis, constitutionis et deputationis litteras, exhibeant; iisque qui illas exhibere recusaverint, tanquam Sedis Apostolicae delegati, prohibere ne facultates sibi per litteras huiusmodi concessas exerceant; ipsique Regulares licentiam exercendi suas facultates petere teneantur ab iisdem Episcopis Vicariis Apostolicis, quam ipsi denegare non debeant, nisi in casu gravis causae dictae Congregationi communicandae.

Porro dicti Regulares, in defectu sacerdotum saecularium, non solum titulo caritatis, sed etiam iustitiae, curam animarum teneantur exercere, et quatenus id facere recusent, a Vicariis Apostolicis ad tale munus obeundum cogi possint. Quotiescumque vero Regulares sub titulo missionariorum, curam animarum exercebunt, subditi sint quoad functiones parochiales visitationi et correctioni Vicariorum Apostolicorum, aut Provicariorum eorumdem iuxta Constitutionem recolendae mem. Gregorii Papae XV, praedecessoris pariter nostri, quae incipit: *Inscrutabili Dei Providentia,* etc., anno Incarnationis Dominicae 1622 nonis Februarii editam nec sine licentia eorumdem Vicariorum Apostolicorum, et multo minus contra eorum voluntatem, liceat Regularibus aedificare et aperire ecclesias, in locis ubi ipsi, vel alii missionarii alterius Ordinis, seu presbyteri saeculares similiter missionarii, ecclesias habent; ubi vero apertae non sint, possint ad formam privilegiorum et facultatum ipsis concessarum.

De aliis iurisdictionem Vicariorum Ap. spectantibus.

Cum autem prae multitudine neophytorum in una provincia aut civitate, vel prae nimia earum amplitudine, unus aut alter qui eis praesunt missionarii non sufficiunt, aliique suppetunt sacerdotes saeculares aut Religiosi, licet alterius Ordinis, quorum tamen subsidium nec illi quaerunt, nec oblatum recipiunt; tunc habito dumtaxat respectu ad christianorum necessitatem, possint et debeant Vicarii Apostolici praedicti operarios multiplicare, parochias dividere, aliaque eiusmodi facere iuxta praescripta a sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis; possint quoque iidem Vicarii Apostolici exigere a Regularibus rationem executionis piarum voluntatum, quatenus ad illas exequendas illis deputentur.

Praeterea, iuxta Constitutionem rec. mem. Urbani PP. VIII, praedecessoris pariter Nostri quae incipit: *Ex debito pastoralis officii*, etc., si forte aliquae controversiae inter Religiosos dictarum partium (quod Deus avertat) oriantur, memorati Vicarii Apostolici, tanquam Sedis Apostolicae delegati, illas decidere et terminare possint et debeant. Si vero graviora quaedam negotia occurrerint, ea ad Nos et Romanos Pontifices successores Nostros quanto citius ab iisdem Vicariis Apostolicis referantur, ut quod in illis statuendum fuerit, matura consultatione adhibita, decernatur.

Notanda circa vota catechistarum.

Ad haec, quoad vota catechistarum, statuimus pariter et ordinamus votum obedientiae, quo nonnulli Regulares eos obstringunt, eisdem non impedire sui officii exercitium, sub directione dictorum Vicariorum Apostolicorum eorumque Provicariorum, nec istud impediri posse a Regularibus, tanquam eis vigore dicti voti catechistae omnimode subditi sint; quinimo votum huiusmodi in hac circumstantia nullum esse declaramus. Volentes ab iisdem Vicariis Apostolicis posse dictos catechistas compelli ut sub eorum directione et dependentia sua munia exerceant; et quatenus Regulares de facto adstringerent catechistas ad similia vota et alias obligationes, quibus a Vicariis Apostolicis independentes remanerent, posse eosdem Vicarios Apostolicos, publica significatione, manifestare Regularibus atque iis intimare ut abstineant ab usu, seu verius abusu, catechistas voto obedientiae erga seipsos, privative quoad Vicarios a Sede Apostolica deputatos, obstringendi.

Aliae Vicariorum App. faculates.

Insuper volumus ut ad Vicarios Apostolicos intra fines suorum Vicariatuum, praecipue spectet, maxime in cursu visitationis, ea inspicere quae spectant ad fidem, bonos mores et administrationem Sacramentorum Baptismi, Matrimonii, et aliorum ad cultum divinum, ad preces publicas, ad imaginum, reliquiarumque cultum competat quoque dictis Vicariis Apostolicis facultas super novis miraculis et Martyribus processum instituendi, et ad memoratam Cardinalium Congregationem transmittendi; necnon circa observationem festorum, rituumque ecclesiasticorum, statuendi quaecumque opportuniora videbuntur secundum decreta Romanorum Pontificum, locorumque circumstantias. Ac ad eosdem Vicarios Apostolicos etiam spectet verificare et publicare quascumque Litteras Apostolicas, Constitutiones et Rescripta Romanorum Pontificum quae locorum Ordinariis dirigi solent, iubilaea quoque, indulgentias, Sacrarumque Congregationum ordinationes. Porro unicuique memoratorum Vicariorum Apostolicorum sex Notarios Apostolicos creandi et instituendi facultatem, dicta auctoritate, harum serie tribuimus et impertimur.

Caeterum has omnes facultates dictis Vicariis Apostolicis ita elargimur et concedimus, ut extra eorum limites excurrere ipsis nullo modo liceat, quod quidem omnino vetamus et prohibemus: salva semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalinm negotiis Propagandae Fidei praepositorum.

Poenae contra inobedientes.

Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque Nostro seu dictae Cardinalium Congregationis arbitrio, imponendis poenis, omnibus et singulis Regularibus praedictis, aliisve quibuslibet ad quos spectat et pro tempore quovis modo spectabit, ut omnia et singula praemissa exacte, inviolabiliter et inconcusse observent et adimpleant. Ac decernentes easdem praesentes Litteras firmas, validas et efficaces etc.

187

Const. Clementis PP. IX. *13 Sept. 1669* Prooemium. (Contra nonnullos abusus ecclesiasticorum in Indiis Orientalibus). — In excelsa Sedis Apostolicae specula, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam constituti, vigilantiae nostrae oculos per universas christiani orbis partes iugiter circumferimus, et sollicitis studiis providere satagimus ut divinus cultus ubique floreat, populorum devotio excitetur et foveatur, ac omnium christifidelium, praesertim in remotissimis partibus degentium, quieti et animarum saluti opportune consulatur. Hoc consilio ea, quae pro salubri illorum directione a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, eorumque iussu, pie prudenterque decreta atque constituta fuisse comperimus, ut firmius subsistant et serventur exactius, Apostolici muniminis nostri patrocinio corroboramus, ac opportune extendimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae honorem, spiritualemque eorumdem christifidelium aedificationem et consolationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

Litterae Apostolicae Alexandri VII.

Dudum siquidem emanarunt a felicis recordationis Alexandro Papa VII praedecessore nostro litterae in simili forma Brevis tenoris qui sequitur, videlicet: « *Alexander Papa VII, ad futuram rei memoriam.* — Sacrosancti apostolatus officii, quo divina disponente clementiâ *etc. (V. n. 129).*

Et subinde Congregatio tunc existentium S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praeposita, alia nonnulla decreta die 22 iulii 1658 edidit tenoris sequentis, videlicet:

« Ad melius et facilius occurrendum necessitatibus spiritualibus christifidelium in Indiis Orientalibus degentium Sacra Congregatio de Propaganda Fide decrevit:

Decr. S. C. Prop. Fide.

Ut parochi non naturales illarum partium, sive regulares sive saeculares sint, teneantur omnino habere apud se capellanum natalibus et origine indum pro confessionibus audiendis et diebus festis hortationibus ad populum lingua vernacula habendis, ne, tali auxilio destituti, in ea qua initiati sunt orthodoxâ fide langueant ac paulatim deficiant, iisque pro sustentatione et labore, ubi populus ipse id sponte non praestiterit, congruum suppeditent stipendium.

Praecepit iisdem parochis, ceterisque quarumcumque ecclesiarum superioribus, ut nedum sacerdotes indigenas in eorum ecclesiis celebrare volentes non arceant, verum etiam perurbaniter excipiant, quo frequentius illuc redeant ad omnipotenti Deo immolandum, sen-

tiantque christianam charitatem omnes aequis officiis amplexari.

Ut vero fides adhuc in iis regionibus pubescens litterarum alimento coalescat, et pueri reddantur idonei ad res ecclesiasticas percipiendas, iisdem parochis et maxime pagorum et villarum iniungit, ut eos vel per se vel per capellanos naturales, si tales ipsi non sunt, ultra fidei christianae rudimenta, grammatices etiam institutionem, ceterasque artes liberales, quoad fieri poterit, edoceant.

Decrevit, quoniam, ut auditum est, in processionibus solemnibus, etiam SS. Corporis Christi, ex gentilium moribus ritus aliqui sive actus irrepserunt, qui, licet honoris et maioris cultus gratia exhibeantur, maiestatem nihilominus christianae religionis non minimum dedecent, Sacra Congregatio vetuit ne in posterum permittantur, et arceatur omnino quidquid ludicri aut minus gravis speciem aliquam habuerit: nullo modo autem liceat ecclesiasticis et praecipue regularibus, praetextu dignitatis, gradus aut officii, umbellam in iis gestare: sed, quo maiori praefulgent dignitate, eo demissius divinae maiestatis obsequium praestare, aliosque christianos humilitatis exemplo praeire nitantur.

Datum Romae die 22 Iulii 1658 ».

Nunc autem nos, spiritualibus christifidelium non solum Goae et in insulis adiacentibus sed etiam in universis Indiarum Orientalium regnis, provinciis et regionibus degentium necessitatibus prosperisque in via Domini progressibus pastorali sollicitudine atque charitate salubriter consulere cupientes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, litteras Alexandri praedecessoris, et subinde emanata decreta praeinserta, omniaque et singula in eis respective contenta et expressa, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, perpetuo approbamus, confirmamus et innovamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illa omnia et singula ad omnia Indiarum Orientalium regna, provincias et regiones extendimus et ampliamus, ibique locum habere decernimus, ac per quascumque personas etiam regulares, cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti, tam Mendicantium quam non Mendicantium, etiam Societatis Iesu, Goae et in insulis adiacentibus ac in universis Indiarum Orientalium regnis, provinciis et regionibus huiusmodi nunc et pro tempore degentes, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis et praeeminentiae existant, ad unguem inviolabiliter et exacte observari, eadem auctoritate, harum serie, itidem perpetuo praecipimus, volumus et mandamus.

188

Const. Clementis PP. IX *23 Sept. 1669.* (De Altaribus privilegiatis). — Cum fel. rec. Alexander PP. VII praedecessor noster dubia in diversis mundi partibus occasione decreti Congregationis nunc existentium S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum die 5 Augusti 1662 emanati, et ab ipso Alexandro praedecessore approbati, de non celebrandis Missis defunctorum in festis ritus duplicis, exorta dirimere cupiens, aliud eiusdem Congregationis decretum in una Novarien. die 22 Novembris 1664 editum approbaverit, quo declaratum fuerat Anniversaria et Missas defunctorum cantu, ex dispositione testatorum, quotannis recurrente ipsorum obitus die, celebrandis, tametsi dies obitus huiusmodi in festum ritus duplicis maioris incideret, non comprehendi in primo decreto; ac ulterius quod altaria privilegio Apostolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, et in quibus proinde quotidie etiam in festis ritus duplicis celebrandae essent Missae defunctorum ex obligatione, declaraverit per celebrationem Missarum de festo currenti satisfieri iniunctis obligationibus, et indulgentias per eiusmodi privilegia Apostolica concessas, animabus fidelium defunctorum in Purgatorio existentibus suffragari proinde ac si celebratae fuissent Missae defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, et alias, prout in eiusdem Alexandri praedecessoris Literis desuper in simili forma Brevis die 21 Ianuarii 1667 expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur; cumque, sicut ad aures nostras pervenit, etiam dubitetur utrum dictarum Literarum dispositio quoad altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadae diebus, et ad quae Missae non ex obligatione, sed ex sola fidelium devotione celebrantur, locum habeat; hinc est quod Nos dubitationes huiusmodi ex iniunctae Nobis caelitus pastoralis sollicitudinis munere dirimere pariter atque decidere cupientes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, declarationem a memorato Alexandro praedecessore, sicut praemittitur editam, ad altaria, ut praefertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadae diebus, nunc et in futurum quandocumque privilegiata, auctoritate Apostolica tenore praesentium extendimus. Et proinde ut Missae quae ibidem de festo currenti, in quo Missae defunctorum celebrari non possunt, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur, ita ut animae christifidelium pro

Decreta S.R.C. de celebratione Missarum defunctorum.

Declaratio circa altaria privilegiata.

Extensio praefatae declarationis.

quibus celebratae fuerint, indulgentias et privilegia huiusmodi concessas consequantur in omnibus et per omnia perinde ac si Missae defunctorum ad formam eorumdem privilegiorum celebratae fuissent, auctoritate et tenore praedictis concedimus et indulgemus. Decernentes pariter easdem praesentes literas etc.

189

Decretum S. C. de Propag. Fide a. 1645 pro Missa Sinis non fuit circumscriptum per decr. S. Off. an. 1656.

S. C. S. Officii *13 Nov. 1669.* — An in suo robore permaneat praeceptum et mandatum... de observantia responsorum et resolutionum factarum, die 12 Septembris 1645, in S. C. de Prop. F. et a s. m. Innocentio X approbatarum, et an iuxta exposita in iisdem dubiis, ab omnibus et singulis missionariis cuiuscumque Ordinis, Religionis et Instituti, etiam Soc. Iesu, in Regnis Sinarum aut Chinae pro tempore existentibus, seu extituris, in praxi diligenter observandae sint donec Sanctitas Sua, vel S. Sedes Apostolica aliud ordinaverit; non obstante alio decreto a S. C. emanato sub die 23 Martii 1656, super aliquibus quaesitis propositis a PP. Societatis Iesu apud Sinas missionariis diversimode et cum aliis circumstantiis conceptis.

R. Decretum S. C. de Prop. F. datum sub die 12 Septembris 1645 *(V. n. 114)* secundum tunc exposita in dubiis, esse in suo robore, neque per decretum S. C. S. Off. latum sub die 23 Martii 1656 *(V. n. 126)* fuisse circumscriptum, sed omnino, secundum quaesita circumstantias et omnia in dictis dubiis expressa, esse servandum ut iacet; quemadmodum servandum declaravit decretum S. C. S. Officii latum, ut supra, die 23 Martii 1656 iuxta quaesita, circumstantias et omnia in eis expressa.

190

Circa publicationem decreti *Tametsi* Concilii Tridentini.

S. C. de Prop. Fide *7 Iulii 1670* (C. G.). — Tunkin. – 1. An publicatio Tridentini circa matrimonium differri debeat in locis ubi de novo conversio est facta, donec magis sint in fide firmati, et in locis ad quos Patres (missionarios) pervenire difficile est, aut ob loci distantiam, aut quia ab illius loci domino gentili Patres sunt in exilium missi.

2. In locis in quibus Decretum Tridentinum circa matrimonium publicatum est, an possint fideles vicissim matrimonium contrahere sine parochi praesentia, cum aut ob maximam distantiam aut ob exilium, illis locis adesse nequeat, et an coniugia illa vera sint, et sine peccato fiant.

3. An qui in propria parochia Concilii Decretum circa matrimonium audivit, possit in aliis locis, in quibus non est publicatum Decretum, sine parocho matrimonium contrahere.

4. An, ut vere Concilii Decretum dicatur publicatum, necesse sit ut in omnibus ecclesiis vicorum quae inter se valde proximae sint publicetur, cum et aliqui vici ob incolarum commoditatem duas ecclesias habeant.

5. Cum in aliquo dominio perpaucae ecclesiae sint, cum tamen in posterum multae sint erigendae, an, publicato Decreto Concilii in illis paucis ecclesiis, in toto dominio censeatur publicatum, vel potius in quolibet vico in quo deinceps ecclesia erigenda est, congregatis christianis in aliqua domo decenti, ut solet fieri in Missae celebrationibus, ibi fieri debeat publicatio, ita quod interim, cum in singulis vicis non fit publicatio, possint sine parocho et testibus matrimonium contrahere.

R. Ad 1. Posse concedi dilationem publicationis Decreti Concilii Tridentini.

Ad 2. Missionarii exequantur Decretum S. C. Concilii ad Episcopum Tricariensem circa matrimonia Batavorum, ut infra *(V. n. 148)*.

Ad 3. Licere iuxta Decretum eiusdem S. C. Concilii, modo non fiat in fraudem.

Ad 4. Esse necessariam publicationem in singulis et solis parochiis iuxta Decretum S. Concilii Tridentini, sess. 24, c. 1, *De reform. matrimonii*.

Ad 5. Sufficere publicationem iam factam, nisi novi accedant populi et incolae, et pro eis novae erigantur paroeciae.

191

A quo die cipiant curr missionarior facultates.

S. C. de Prop. Fide *13 Aug. 1670.* — Facultates missionariorum currere a die quo perveniunt ad locum Missionis.

192

De testium c mine ad stat liberum prob dum in ordin matrimonium

Instr. S. C. S. Officii *21 Augusti 1670.* (De statu libero comprobando). — Cum alias per S. C. S. Off. iteratis Instructionibus ab eadem emanatis de anno 1658 et 1665 locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit ut praescriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secludatur aditus iis qui, adhuc vivente altero coniuge, aut alias impediti, ad secunda illicita vota transire satagebant; videns nihilominus SSmus D. N. quamplures locorum Ordinarios, vel eorum vicarios et deputatos ad excipiendas testium depositiones, necnon parochos et notarios in casibus expressis, aut omittere, aut non observare earumdem Instructionum tenorem, et, licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus: ideo volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature considerata cum Emis et Rmis DD. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, praesenti de-

creto perpetuis futuris temporibus duraturo iterum iniungit omnibus vicariis seu deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, necnon parochis, notariis et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus arbitrio S. C., ut Instructionem infrascriptam ad unguem observent....

Instructio. 1. Imprimis testis moneatur de gravitate iuramenti, in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana maiestas laeditur ob rei de qua tractatur importantiam et gravitatem, et quod imminet poena triremium et fustigationis deponenti falsum.

2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio et habitatione.

3. An sit civis vel exterus, et, quatenus sit exterus, a quanto tempore est in loco in quo testis ipse deponit.

4. An ad examen accesserit sponte, vel requisitus: si dixerit accessisse sponte, a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax: si vero dixerit accessisse requisitum, interrogetur a quo vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.

5. Interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum vel ablatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.

6. Interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cuius qualitatis vel conditionis existant. Si responderit negative, testis dimittatur; si vero affirmative:

7. Interrogetur, an contrahere volentes sint cives vel exteri. Si responderit esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per litteras Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu, de eo tempore quo permanserunt in sua civitate vel dioecesi. Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus quo volunt contrahere, admittantur testes idonei qui legitime et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum in quibus contrahere volentes moram traxerunt. Si vero responderit contrahere volentes esse cives:

8. Interrogetur sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de praesenti. Item an ipse testis sciat aliquem ex praedictis contrahere volentibus quandoque habuisse uxorem vel maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus sacris, Subdiaconatum scilicet, Diaconatum vel Presbyteratum vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium. Si vero testis responderit non habuisse uxorem vel maritum, neque aliud impedimentum ut supra:

9. Interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile quod aliquis ex illis habuerit uxorem vel maritum vel aliud impedimentum etc., et quod ipse testis nesciat. Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc. Si vero responderit negative:

10. Interrogetur de causa scientiae, ex qua deinde iudex colligere poterit an testi sit danda fides. Si responderit contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos:

11. Interrogetur de loco et tempore quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse coniuges, et nunc esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel, si fieri potest, a duce illius cohortis in qua descriptus erat miles. Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.

12. Interrogetur, an, post mortem dicti coniugis defuncti, aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota. Si responderit negative:

13. Interrogetur, an esse possit quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota absque eo quod ipse testis sciat. Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter. Si vero negative:

14. Interrogetur de causa scientiae, qua perpensa, iudex poterit iudicare, an sit concedenda licentia vel non. Si contrahentes sunt vagi non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum se esse liberos; et in aliis servata forma Concilii Tridentini in cap. *Multi* Sess. 24.

Fides, aliaque documenta quae producuntur de partibus, non admittantur nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes qui habeant notam manum et sigillum, et attente consideretur quod fides seu testimonia bene et concludenter identificent personas de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis quam exteri; nec admittantur vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio: et notarius exacte

describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula *mihi bene cognitus*; sin minus examen non recipiat, nisi, una cum persona testis, aliqua alia compareat cognita notario, et qui attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum. Ex huiusmodi examinibus debet interesse in Urbe, ultra notarium, officialis specialiter deputandus ab Emo Vicario; si extra Urbem, vel Vicarius Episcopi vel aliqua alia persona insignis et idonea ab Episcopo specialiter deputanda: alias puniatur notarius arbitrio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii praecipiant omnibus et singulis parochis in eorum dioecesibus existentibus ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis nisi certiorato Ordinario, a quo, vel eius Generali Vicario prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium etc. Contravenientes autem severe punientur.

193

Supplices libelli reiecti haud reproponendi.

S. C. de Prop. Fide *10 Nov. 1670.* — S. C. mandavit ut in posterum non proponantur supplicationes alias a S. C. reiectae nisi contineant nova motiva vel novas causas validas pro obtinenda gratia.

194

An rebaptizandi baptizati ab haereticis.

S. C. S. Officii *27 Maii 1671.* — Ministri haeretici, prolem fasciis suis involutam baptizaturi, aquam a suggestu ita communiter effundunt, ut fascias, raro autem ullum infantis membrum contingat: quo casu Baptismus est nullus. Quaeritur proinde, an non monendi sint catholici ministri ut sub conditione semper rebaptizent ab haereticis baptizatos.

R. Si sit certum quod quis sic fuerit baptizatus ut aqua nullo modo partem corporis principalem, sed vestes tantum tetigerit, is est absolute baptizandus; si vero sit dubium probabile quod tetigerit, est sub conditione iterum baptizandus.

195

An famuli haereticorum possint edere cibos vetitos et frequentare haereticas conciones.

S. C. S. Officii *27 Maii 1671.* — In dioecesi Sylvaeducensi plerique rustici et mecanici tenuioris fortunae (sunt), et tamen ad gravium onerum solutionem compelluntur. Hinc ut media acquirant oneribus istis et victui opportuna, multa millia utriusque sexus quotannis in Hollandiam, Angliam aliaque loca proficiscuntur, et operam suam locant talibus etiam dominis et heris qui diebus ieiunii Veneris et Sabbati solummodo vetitos cibos apponi sinunt, iisque operarii catholici in defectu aliorum vescuntur. Quaeritur an licite.

2. Qui officio aliquo funguntur saepe nequeunt sua stipendia obtinere nisi probent a se subinde frequentatas conciones haereticas; et ideo iis aliquando intersunt sine scandalo, ut aiunt, cum satis superque constet tam orthodoxis quam heterodoxis se esse catholicos, et solummodo pro forma sese in concionibus ostendant; ac insuper sine erroris aut haeresis periculo, cum non attendant ad verba concionantis, vel aures gossypio obturent. Quaeritur an tales dum ad Sacram. Poenitentiae accedunt, et conciones evitare non proponunt, sacramentaliter valeant absolvi.

R. Ad 1. Si domini seu heri cibos illos parant servis catholicis eosque adigunt ad illos comedendos in contemptum catholicismi, neque cum protestatione est licitum de illis comedere. Si vero non in contemptum catholicismi, sed ratione oeconomiae domini id faciant, et alii cibi non suppetant, in ea necessitate possunt servi de vetitis cum protestatione comedere; et hoc dummodo non inveniant alios dominos qui sinant illos servare Ecclesiae praecepta.

Ad 2. Non licere, neque testimonium frequentationis concionum haereticalium exhibere, neque ritus illos observare: et nisi ab iis abstineant, non sunt dispositi ad Sacram. Poenitentiae.

196

Dè coniugat qui, coniugibu in captivitate abductis, aut liis de causis, alias nupti transierunt.

S. C. S. Officii *23 Iunii 1671.* — Vicarius Apostolicus Transylvaniae scribit quod cum multi coniugati fuerint in captivitatem ab hostibus abducti, coniuges qui remanserunt, non habentes a captivis responsum, transierunt ad secundas nuptias, qua de causa haec contigerunt:

1. Quod fuit iudicatum a clero permitti debere, ut tales, si nullum responsum habuerunt de vita aut morte coniugum captivorum, transeant ad secundas nuptias, potius quam per ministros haereticos copulentur, ac pervertantur, quod plerique facere tentarunt. At cum hac conditione clerus id permisit, ut si isti secundo copulati aliquid resciant de priorum coniugum vita, recedant a secundis coniugibus sub poena ducentorum florenorum.

2. Significat (Vic. Ap.) quod ex his nullis matrimoniis multa separavit, et refert numerum eorum et loca in quibus acciderunt separationes, et quod aliquos ex his coniugibus ad virgas damnavit, et quod 389 sunt sic invalide coniugati; 45 separati; qui ad priscos coniuges redierunt, novem; ad virgas et catastas damnati quatuordecim.

3. Dicit quod uno redeunte a captivitate, et

repetente uxorem, secundus vir noluit restituere, paratus potius calvinista effici quam mulierem illam dimittere, in quo casu ipse Vicarius cum clero videntes quod praefatus delinquens cum adhaerentibus, si cogantur uxores illas dimittere, introducent haeresim, quae numquam in eam regionem penetravit, iudicarunt potius patiendum illum dominum cum muliere illa perire, quam tot millia animarum naufragari, et idem pariter faciendum cum aliis sic male copulatis, qui separati, postea ad praefatum coniugium redierunt; ipse tamen apud clerum protestatus est se nolle aliter sentire, nisi ut Ecclesia Romana, et Pontifices decreverunt.

4. Quod circa matrimonia isti alii casus occurrunt: Quidam qui per annos plures cum suis coniugibus habitarunt, postea separati, ad secundas nuptias transierunt eo praetextu quod numquam ex amore cohabitassent cum primis; quidam habitaverant per annos 27 alii per 20 alii per 16 cum magno Regni scandalo.

5. Consilium petit de hoc casu. In praedictis casibus, et difficultatibus eorum, qui nec de morte, nec de vita possunt quidquam certi de suis coniugibus audire, nec est modus quaerendi inter barbaros, nec volunt vidui vivere, et est periculum ne transeant ad haereticos, quid facto opus sit, consilium Sacrae Congregationis expetit Vicarius Apostolicus.

R. Ad 1. Non potuit clerus decretum illud positivae permissionis talium coniugiorum efficere, cum et ipse et clerus hoc facto ad polygamiae et adulterii peccatum concurrant, et quoniam iniquum est, S. Cong. illud abolevit et pro abolito habere decrevit, et hoc populis omnibus significari mandat, et monendos esse sic invalide copulatos esse, in statu peccati, eisque cohabitationem omnimode prohibendam.

Ad 2. Laudandus est Vicarius Apostolicus de zelo, diligentia, pietate ac iustitia.

Ad 3. Licet clerus ad evitandum maius malum indicaverit connivendum, non puniendo transgressores, debuit tamen omnino abstinere ab iniquo illo decreto quod S. Cong. abolevit; ideo Vicarius Ap. curet, ut supra, per parochos moneri populum quod eiusmodi copulati sunt in statu peccati mortalis, et copulatis prohibeat cohabitationem, et nisi timeat probabiliter malum perversionis populi, deveniat etiam ad punitionem.

Ad 4. Sicuti in 3.; si timetur probabiliter perversio populi, et haeresis introductio, abstinere possunt a punitione, non vero a prohibitione cohabitationis.

Ad 5. Non potest dari aliud responsum, nisi ut servetur id quod praescribitur in Cap. *In presentia, De sponsalibus, et matrim.* atque in Capite 2. *De secundis nuptiis* cum non sit in mundo potestas dispensandi super polygamia et adulterio.

197

Circa observantiam voti paupertatis quoad missionarios capuccinos.

S. C. Concilii *8 Augusti 1671.* — Dubia ex S. C. de Prop. Fide transmissa fuere infrascriptis verbis concepta:

« Li Missionarî Cappuccini di Piemonte per poter con maggior quiete delle proprie coscienze esercitare il ministero impostogli, umilmente supplicano l'Eminenze Vostre del loro oracolo circa i dubbî seguenti:

» 1. Se, supposto che le Missioni de' Cappuccini ritrovandosi in Valli infette di eresia, o in luoghi molto poveri e miserabili, sia necessario ai missionarî mantenersi per mezzo di pecunie, quali spendonsi per mano di persone rustiche, incapaci, e per l'estrema povertà poco fidate, sia lecito al missionario intervenire talora con lo spenditore alla compra delle cose necessarie all' economia della casa, dire il suo parere, ed ordinare ciò che deve spendere, ed eseguire.

» 2. Se, mancando l'elemosine necessarie al missionario, sia lecito al medesimo indifferentemente ricorrere fuori del distretto della sua Missione procacciandosi altri aiuti tanto di grano, che di vino, ed altre robe necessarie per mantenimento e sostegno tanto di esso missionario, o compagno, che di poveri cattolici e cattolicizzati, per mezzo di Messe, o altra via di mendicità.

» 3. Se delle suddette elemosine indifferenti procurate *ex industria* sia lecito al missionario, senz'altra dichiarazione del dante, servirsene in far pagare medicine, chirurgi, operai, pedoni, vestir poveri, massime cattolicizzati, e soccorrerli ne' loro estremi bisogni, impiegandole anche in simili opere pie, essendo questa una predica efficacissima in faccia degli eretici restandone sommamente edificati.

» 4. Occorrendo che i benefattori rimettano crediti sopra la Comunità, o persone particolari, esistenti in grano, per li bisogni della Missione in genere, sia lecito al missionario ricevere tal grano nella propria specie, o in altra, eziandio di pecunia, o di altre robbe, che riescono di minor scommodo ai debitori e vicendevolmente esistendo tali crediti rimessi in pecunia, se sia lecito al missionario riscuoterli in quella specie oppure in robbe, conforme riuscirà più commodo alla Missione, ed alli debitori.

» 5. Se delle medesime elemosine, stante la penuria de' luoghi, sia lecito al missionario far comprare talora robbe commestibili per far la carità a forestieri tanto Regolari, che secolari, e mandar anco di quando in quando a monasteri, a conventi circonvicini, da' quali ricevono non ordinarii aiuti, e beneficî, qualche cosarella conforme alla condizione del paese, come anco ad altre persone eziandio secolari,

che s'impiegano caritativamente nei vantaggi ed interessi della Missione, e poveri cattolici.

» 6. Se sia lecito al missionario far comprar libri, imagini, corone, e simili cose di devozione a nome della Sacra Congregazione per distribuire a quelli che frequentano la dottrina cristiana delle scuole.

» 7. Occorrendo, che quegli che a nome della S. Congregazione spende il danaro, non possa per qualche causa legittima tener tal danaro sicuro in casa propria, se *ad tempus* possa tenerlo, ed assicurarlo in qualche Cassa, o Banchino della Missione, purchè il medesimo ritenga appresso di sè la chiave; e se sia lecito al missionario di rivedere i conti delle spese fatte dall' istesso, e, quando non si trovasse tal persona fidata, sì per tenere che per spendere le limosine, sia lecito al missionario tenerli sotto chiave come sopra; e, dovendosi pagare qualche creditore, se sia lecito di assistere a tal pagamento per se stesso, senza però contrettare il danaro, ma involto in carta, o in straccio, o qualunqne altra cosa, possa presentarlo al medesimo, acciò si pigli da se la dovuta soddisfazione ».

Ex eadem S. C. una cum his dubiis transmissa fuit doctrina, et responsiones Procuratoris Generalis Capuccinorum tenoris sequentis:

« Ut morem geram Emis Dñis meis, votumque meum circa dubia exposita sincere exponam, suppono Religiosos, qui e Regularium claustris ad diversas Orbis partes propagandae fidei ac religionis causa mittuntur, non esse omnino a propriae Regulae observantia exemptos, quin potius eiusmodi observantiae semper obstrictos manere, haud secus ac ii, qui ex iisdem Regularibus ad munus parochiale, aut etiam episcopale assumuntur, ut est de mente omnium. Suppono nihilominus eiusmodi missionarios quantum ad paupertatis votum spectat, eo ipso censeri dispensatores bonorum, quorum dispensatio ad munus missionariorum exequendum necessaria, aut simpliciter, aut secundum quid existit, prout etiam assumpti ad munus parochiale, sive episcopale dispensatores bonorum ecclesiasticorum sive ad Episcopatum attinentium secundum omnium intelligentiam existunt: quibus suppositis, possem utique uno verbo omnibus dubiis satisfacere dicendo, missionarios qui de novo ad ea loca, in quibus Missiones iamdiu viguerunt, divertunt, optime facturos si se conforment modo vivendi antiquorum missionariorum, a quibus facile omnem vivendi rationem intelligere possunt; sic enim et ipsi tuti in conscientia erunt quoad se, et quoad alios, omnis amputabitur perturbationis occasio quae non raro inter missionarios inde oriri solet, quia accedentes de novo reformationem introducere praetendunt. Quod si missionarii ipsi in Missione ab antiquo tempore iam commorati sunt, optimum pariter erit si a priori, et antiqua vivendi ratione minime recedant; hoc, inquam, unico responso posset, ac fortasse expediens foret huic missionario satisfacere, ut nimirum tam ipse, quam alii eam in omnibus vivendi rationem teneant, quam alii ante ipsos, aut ipsimet a principio Missionis per aliquot annos sequentes tenuerunt. Veniendo tamen etiam ad dubia particularia:

» Ad 1. respondeo licere missionario in casu, de quo in dubio proposito, intervenire cum ipsa persona, quae debet necessaria ad victum, et gubernationem domesticam expendere, suumque simpliciter proponere, sive exponere iudicium, quia ii non sunt actus dominii proprii, sed simplicis dispensationis quam non esse prohibitam missionariis ex praesuppositis liquet.

» Ad 2. respondeo pariter licitum esse missionario sibi aliunde providere necessaria non solum pro se, et socio, sed etiam pro catholicis, quorum saluti etiam corporali, in quantum conferre potest saluti spirituali, sive fidei, ac religionis propagationi consulere optimum est, ita tamen ut, ad cavendam omnem perturbationem, non se extendant extra districtum suae Missionis absque licentia alterius missionarii, aut etiam Superiorum Religionis eius districtus, in quo talia procurare intendit.

» Ad 3. similiter respondeo licitum esse, talibus uti eleemosynis absque dantis alia declaratione, quia dantes, eo ipso, quo non determinant, in quibus eleemosynae ab ipsis datae impendi debeant, dare censentur cum plena libertate, ut scilicet impendantur in iis, in quibus Missionarii expendi debere iudicaverint.

» Ad 4. similiter respondeo licitum esse dummodo missionarii nullum dominii actum circa praecedentia exerceant.

» Ad 5. item affirmative respondeo, quia haec omnia censentur facere tanquam dispensatores eleemosynarum, et in commodum sive utilitatem Missionis.

» Ad 6. eodem modo, nam eo ipso quod talia emuntur nomine Congregationis, nullum exercetur dominium, sed simplex actus dispensationis, et iuxta intentionem Sacrae Congregationis.

» Ad 7. respondeo missionarios, quantum fieri potest, omnino abstinere debere a recipiendis pecuniis per se ipsos, aut etiam ab iisdem intra proprias domos sive hospitia retinendis, vel conservandis, sive etiam ab excipiendis pecuniis, sive quomodolibet contrectandis per se ipsos; si tamen vere casus venerit, prout supponitur in dubio, existimo non esse illicitum missionario facere, ut pecunia intus propriam domum reservetur; ita tamen ut interventu alicuius personae reponatur, ac inde quoties opus fuerit ad necessaria procuranda

extrahatur in casu in quo nullo modo invenire posset personam, cui talia committantur, quod vix unquam accidere posse existimo; quia tamen res est facti potius, quam iuris, ideo prudenti missionarii arbitrio sive iudicio totum quod in hoc ultimo dubio proponitur relinquendum censeo, quem socii saltem super his consilium, aut etiam consensum requirere optimum erit; ac ulterius suo tempore Praefectum Missionum consulere posset, cuius consilium, si possit haberi, longe tutius, et consultius foret ».

Ut possit igitur Sacrae Congregationi de Propaganda Fide huius Sacrae Congregationis sententia referri, dignabuntur Emi PP. ad dubia superius proposita respondere.

Die 8 Augusti 1671. Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum in omnibus iuxta responsiones praedictas respondendum censuit, prout respondit.

198

catholicoii, absente o, a schisa baptizari .

S. C. S. Officii *20 Aug. 1671.* — Se, assente il parroco, possano i monaci scismatici battezzare i figli de' cattolici.

R. Non permittat (Episcopus) schismaticis administrare Sacram. Baptismatis nisi in casu necessitatis, et deficiente quacumque alia persona catholica.

199

officio pauoad Res.

S. C. S. Officii *3 Sept. 1671.* — Iuste per Episcopum Beryti (Vicarium Ap. Concincinae) damnatam fuisse propositionem: « Omnes reli» giosos et sanctimoniales posse sine causa, sine » Superiorum suorum aut Ordinariorum licentia » esse in Confirmatione patrinos ».

200

baptismo m ex parca et maristiana.

S. C. S. Officii *17 Sept. 1671.* — 1. Si può dare il Battesimo ai figliuoli dei turchi allorchè il padre rinnegato e la madre cristiana domandano il Battesimo per il loro figliuolo, ma si dubita che il padre non voglia educarlo nella religione turca?

2. Si può dare il Battesimo ai figliuoli di padre turco e di madre cristiana, qualora questa voglia che il suo figlio sia battezzato, benchè non vi consenta il genitore?

R. Ad 1. In casu proposito debere baptizari.

Ad 2. Posse.

201

baptismo is admio, id pais infideliaud recto tentibus.

S. C. S. Officii *19 Sept. 1871.* — Quando i turchi fanno battezzare i loro figliuoli con uno scopo diverso da quello di farli cristiani, si domanda se, nel caso che questi figliuoli cresciuti in età chiedessero il Battesimo, debbasi loro novellamente conferire, ovvero basti il primo battesimo ricevuto.

2. Il Battesimo ricevuto con fine superstizioso è vero Battesimo? Fa d'uopo conferirlo di nuovo *sub conditione?* Ecco il caso: Una donna trovandosi di avere più figliuole, per non averne altre ebbe ricorso ad una persona dedita alle superstizioni la quale dissele di far battezzare l'ultima figlia; il che venne eseguito dalla donna non *intuitu Baptismi* ma per superstizione.

R. Ad 1. Non esse iterum baptizandos.

Ad 2. Iuxta primum.

202

An Sacramenta administranda christianis coniugibus cum infidelibus coniunctis.

S. C. S. Officii *19 Sept. 1671.* — Albaniae — 1. Coniuges christiani cum infidelibus coniuncti, et cum iisdem permanere volentes, non sunt admittendi ad Sacramenta si matrimonium contractum sit in statu impedimenti disparitatis cultus, et lex huiusmodi impedimentum inducens non fuit invincibiliter ignorata. Si vero agatur de matrimonio contracto ante conversionem alterius coniugis, possunt absolvi, nec cogendus est christianus deserere infidelem, nisi adsit periculum perversionis.

2. Coniuges catholici possunt permanere cum infideli apostata, vel se ab ipso separare, prout periculum perversionis et contumelia Creatoris, iudicio prudentis confessarii, exegerint; et his possunt Sacramenta administrari.

203

An unum Capituli membrum possit, sede vacante, Vicarium eligere.

S. C. Concilii *12 Martii 1672.* — Nella provincia Armacana *(in Hibernia)* in diverse diocesi nelle quali vi è un solo membro di Capitolo v. g. il decano o arcidiacono, questo solo membro del Capitolo pretende *sede vacante* d'aver l'autorità o potestà di eleggere il Vic. Generale (Capitolare); *hinc dubium:* An redacto Capitulo ad unum tantum membrum possit, sede vacante, per se solum eligere Vicarium, de quo in Cap. 16. sess. 24. Conc. Trid.

R. Affirmative dummodo non eligat seipsum.

204

De facultate missionariorum haereticos absolvendi.

S. C. S. Officii *28 Sept. 1672.* — Missionarii in foro conscientiae tantum possunt iuxta suas facultates, et in locis suarum Missionum absolvere haereticos. In foro vero exteriori post instructionem debent conversos pro absolutione remittere ad Episcopos locorum, vel ad Inquisitores et eorumdem vicarios.

205

An baptizandus natus ex matrim. mixto, parente acatholico curaturo ut ab haereticis baptizetur.

S. C. S. Officii *29 Nov. 1672.* — HIBERNIAE. — 1. An liceat parocho in istis haereticorum partibus infantem coniugum, quorum alter fidem catholicam profitetur, baptizare de consensu alterutrius, etiamsi sciat alterum coniugem, videlicet haereticum, postea curaturum ut infans baptizètur a ministro haeretico.

De parentibus consentientibus ut baptizati infantes ab haereticis rebaptizentur.

2. Uxor catholica privatim curat baptizari infantem per parochum suum, qui infans postea in templo baptizatur per ministrum haereticum, parentibus in id consentientibus ad evitandam gravem mulctam pecuniariam; forsan enim unica vice auferetur tota parva substantia quam habent. Peccantne et quo peccato parentes sic assentientes?

De coniugibus catholicis qui rursum coram ministro haeretico coniunguntur.

3. Catholici qui matrimonio iuncti sunt coram parocho ac testibus catholicis, in pluribus locis (ita invaluit consuetudo) solent coram ministro haeretico seu protestante rursus coniungi ad evitanda gravia damna, neque potest consuetudo haec a clero corrigi. Peccantne, et quo peccato catholici sic denuo coniuncti coram ministro haeretico, et quomodo se gerere debeat erga illos Ordinarius loci?

R. Ad 1. Licere, sed coniux catholicus tenetur coniugem haereticum monere, filium iam esse legitime baptizatum.

Ad 2. Non licere, et peccare mortaliter parentes consentientes, ideoque monendos.

Ad 3. Quatenus minister assistat matrimoniis catholicorum uti minister politicus, non peccare contrahentes; si vero assistat uti minister addictus sacris, non licere, et tunc contrahentes peccare mortaliter et esse monendos.

206

De Missa celebranda cooperto capite.

S. C. de Prop. Fide *31 Iulii 1673* (C. P. PRO SIN.). — Si domanda che si dia licenza ai Vicarî Ap. (della Cina) di potere, come fanno i gesuiti per decreto di Paolo V emanato l'anno 1615, celebrare a capo coperto, e di tradurre la Scrittura Sacra, il Messale ed il Breviario in idioma cinese affinchè i sacerdoti del paese possano fare le loro funzioni ecclesiastiche nella lingua naturale.

R. Quoad caput coopertum in celebratione Missarum, annuerunt (Emi PP.) ad formam Brevis Pauli V (1) et supplicetur SSmo. — In reliquis nihil. — SSmus (Clemens X) approbavit (2).

207

De facultatibus Vicarior. Ap. circa Ordinationem alienor. subditorum.

S. C. de Prop. Fide *5 April. 1674* (C. P. PRO SIN.). — 1. Utrum possint Vicarii Apostolici (Sinarum et Regnorum adiacentium) eorumque missionarii uti privilegiis suis erga subditos alterius dioecesis, qui ad dictos Vicarios Apostolicos ab Ordinariis mittuntur ordinandi.

2. Utrum possint Vicarii Apostolici eorum-

---

(1) Breve Pauli PP. V. *(27 Iunii 1615)* ita se habet: « Romanae Sedis Antistes, in qua dispositione incommutabili divina altitudo universalis ecclesiae constituit principatum, auctoritatem a Christo per Beatum Petrum Apostolorum culmen ad aedificationem sibi traditam intelligens, sacrorum canonum custodiae ita providentiae moderamine invigilat ut quoties eorum rigorem ecclesiae Dei publicae utilitati non conducere, si tunc observetur, cernit, illum indulgendo temperet et relaxet, prout in Domino conspicit salubriter expediri. Cum itaque dilecti filii clerici regulares Societatis Iesu in florentissimo et amplissimo regno Sinarum commorantes ac inibi conversioni illarum gentium operam dantes Nobis nuper exponi fecerint, quod cum in illis regionibus divino auxilio non parvum ostium evangelicae praedicationi apertum sit, conversioni autem animarum non modicum praebeat impedimentum quod sacrosanctum Missae sacrificium tecto capite, ac tam sacrificium Missae huiusmodi quam divina officia Sinarum lingua celebrari, sacraque Biblia in eandem Sinarum linguam transferri non possint; quae si Apostolicae Sedis indulgentia permitterentur, impedimentum huiusmodi amoveretur, et innumerabilis populi qui Deum nondum noverunt et nomen eius non invocaverunt conversioni magnopere consuleretur. Quare Nos, qui licet immeriti eius vices gerimus in terris, qui propter nimiam charitatem qua dilexit mundum, de summo coelo descendere, et in forma servi mortem et mortem crucis subire dignatus est, pro Nostro officii debito animarum salutem quantum ex alto conceditur, operari cupientes, matura deliberatione praehabita cum Venerabilibus Fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus haereticae pravitatis generalibus inquisitoribus, gravissimis de causis, ac de eorumdem Cardinalium consilio, nunc et pro tempore existentibus dictae Societatis Iesu regularibus in dicto regno Sinarum conversioni illarum gentium operam dantibus, et aliis catholicis sacerdotibus ibi existentibus, ut quotiescumque a Sede Apostolica aliter declaratum non fuerit, in sacrosancti missae sacrificii celebratione caput contectum habere pileo non communi tamen et vulgari quo utuntur passim seu ordinarie, sed alio huius sacri mysterii proprio eiusque coloris cuius sunt paramenta caetera, et si id commode fieri non poterit, saltem illo quo uti solent in praedicatione verbi Dei et aliis sacris functionibus. Praeterea regularibus praefatis ut sacra Biblia in linguam Sinarum, non tamen vulgarem, sed eruditam et litteratorum propriam transferre illisque sic translatis uti, ita tamen ut in huiusmodi translatione summam et exquisitam adhibeant diligentiam ut translatio fidelissima sit. Insuper personis nationis Sinarum quae ad fidem catholicam venerint ut postquam canonice fuerint ad sacros ordines promotae, sacrosanctum missae sacrificium praefatum, ac divina officia horarum canonicarum, nec non postquam ab habente auctoritatem idoneae repertae et admissae fuerint, sacramenta ecclesiastica ministrare, et alias quascumque ecclesiasticas functiones lingua similiter Sinarum erudita et litteratorum propria iuxta ritum tamen Ecclesiae Romanae celebrare, recitare ac ministrare et peragere respective possint et valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. Volumus autem et decernimus quod si unquam contigerit in illis partibus constitui Episcopos seu Episcopum, ex hac permissione non censeatur praeiudicari muneri et iurisdictioni episcopali. Non obstantibus etc. ».

(2) Litteris Ap. *Romanus Pontifex* Clementis PP. X 23 Dec. 1673.

que missionarii uti privilegiis suis erga subditos qui sunt multum ab Ordinariis suis distantes, et quos habent Vicarii Apostolici potestatem ordinandi absque litteris dimissoriis Ordinariorum sicuti sunt subditi Episcopatuum Malacae, Meliapor, ut aliorum qui sunt sub potestate haereticorum et infidelium.

R. Ad 1. EE. PP. annuerunt dumtaxat respectu ordinandorum qui suorum Ordinariorum dimissorias exhibent.

Ad 2. Gaudeant impetratis.

208

dmittendae Sacramenta s apostata-

S. C. S. Officii *20 Martii 1675.* — Il Prefetto delle Missioni de' Cappuccini in Mesopotamia espone: 1. Che uno dei coniugati, v. g. il marito, 'apostatando dalla nostra s. fede, ed abbracciando la setta di Maometto, la moglie continua ad abitare con esso, e ne nascono dei figli i quali per forza dicono essere maomettani; ciò dice (il d. Prefetto) parergli ingiuria al Creatore e disonore della fede, mentre la moglie ancor cristiana non dubita di accostarsi al Sagramento dell' Eucaristia; tanto più che non viene ciò proibito dai sacerdoti orientali, e trovandosi poi in punto di morte, domandano tali donne cristiane l' assoluzione ai missionarî.

2. Che una moglie non consentendo di abitare col marito apostata, si marita con un altro cristiano.

R. Ad 1. Non esse admittendas ad absolutionem nisi in articulo mortis cum vera poenitentia.

Ad 2. Non esse licita nec valida huiusmodi matrimonia, et sic contrahentes non esse capaces Sacramentorum nisi Poenitentes dimittant, etiamsi convaluerint, secundam praetensam uxorem, et nisi in articulo mortis cum vera poenitentia.

209

eputatione i Gen., E- o exsule, appellatio- Archiepi- absente.

S. C. Concilii *20 Iunii 1676.* — TUAMEN. Dum Archiepiscopus Tuamensis in Hibernia ob ultimam persecutionem protestantium contra catholicos exsulat a dioecesi, Episcopus Elphinensis antiquior illius suffraganeus praetendit deputationem Vicarii non ad Archiepiscopum ita absentem, sed ad Capitulum pertinuisse, argumento Cap. III. *de supplend. negl. Praelat. in 6.*; ideo per viam S. Congregationis de Proganda Fide supplicat declarari:

1. An valeat institutio seu deputatio Vicarii Generalis facta ab Episcopo quando a Regno exsulat.

2. An appellationes quae fieri solent coram tribunali Archiepiscopi a subditis suffraganeorum, in eius absentia sint faciendae coram eius Vicario Generali, aut coram Episcopo seniore provinciae, cum ipse in aliis suppleat vices Metropolitani.

R. S. C. ad 1. respondit affirmative.

Ad 2. censuit dictas appellationes faciendas esse coram Vicario Generali.

210

De Regularibus parochis Indulgentias sui Ordinis annuntiantibus.

S. C. de Prop. Fide *5 Oct. 1676.* (C. G.). — Se i religiosi parrochi nella provincia di Bosnia possano annunziare ai popoli le indulgenze plenarie per le feste del loro Ordine nelle parrocchie dei Vescovi.

R. Posse cum licentia Episcopi.

211

Haud licet acatholicis patrinos fieri catholicis, et hosce vicissim illis.

S. C. S. Officii *14 Octobris 1676.* — BOSNIAE. — 1. An debeant schismatici haeretici qui catholicorum sunt hostes infensissimi ratione alicuius particularis amicitiae et familiaritatis permitti ut patrini fiant catholicis, in Sacramento Baptismi et Confirmationis, et catholici vicissim illis.

An baptizandae proles ex matre occulte catholica et patre infideli.

2. Quaedam feminae (fidem catholicam interne ac secreto profitentes) proles quas ex marito turca generant, praecipue eas quas singulari amore prosequuntur, clam ad baptismum deferunt, quod nedum contra intentionem mariti faciunt, sed si is hoc resciret, ecclesiam ob id everteret, et christianos ac Religiosos in innumera suorum bonorum discrimina et in eiusdem suae vitae periculum impelleret. Praeterquam quod ipsaemet proles, postquam creverint, turcice vivent, et vix christianae, etiam secreto, uti mater, quamvis illis ab ea revelaretur quod fuerint baptizatae. An igitur ad matris intentionem et preces, quae reprobari non possunt sine eius, et adstantium gravi scandalo, sint hae suae proles baptizandae, committendo earum vitae et mortis eventum divinae providentiae.

R. Ad 1. Non posse.

Ad 2. Remittendum conscientiae Episcopi.

212

De facultate Episcopi quoad translationem SS. Reliquiarum.

S. C. Indulg. *17 Nov. 1676.* — An Episcopus clero et populo cupienti sanctorum Martyrum corpora, quae in altari satis honorifice reposita sunt, pretiosiorem in loculum, seu capsam condere, ac super eodem altari collocare, vel extra dioecesim transferre, possit eius rei tribuere facultatem.

R. Posse quidem licentiam concedere Sanctorum corpora perpetuae data sepulturae transferendi ad locum decentiorem in eadem ecclesia: sed alienandi, aut extra dioecesim transferendi, sine Romani Pontificis auctoritate non posse.

213

De funeralibus in feriis V, VI, et Sabb. Maioris Hebdomadae.

S. R. C. *16 Ian. 1677.* — Hispalen. — Quae ratio vel forma servanda sit in funeralibus alicuius defuncti, tam adulti quam parvuli in feriis V. VI. et Sabbato Maioris Hebdomadae; hoc enim in Rituali Rom. nullatenus expressum invenitur.

R. Non debet alterari usus communis; alias enim omissa non fuisset regula. In psalmis tamen qui dicuntur pro parvulis posset omitti v. g. *Gloria Patri* etc., pro conformitate temporis.

214

Regularibus haud est facultas sodalitia erigendi.

S. C. de Prop. Fide *21 Martii 1678* (C. P. pro Sin.). — Non licere religiosis cuiusque Ordinis et Instituti, etiam Societatis Iesu, sodalitia seu confraternitates sub quovis praetextu erigere absque permissione Vicariorum Apostolicorum.

215

Vetitum missionariis apud magnates aut alios morari.

S. C. de Prop. Fide *19 Iulii 1678.* — S. C. iustis de causis decrevit quod in posterum nullus missionarius possit apud magnates seu alios moram facere absque expressa licentia in scriptis eiusdem S. Congregationis; sed cum debita diligentia ad missionis officium continuo et assidue semper incumbere, oneravitque non solum Superiores Religionum respective, sed etiam Episcopos Ordinarios, aliosque ministros S. Sedis ut praesens decretum ab omnibus ad unguem observari faciant.

216

De facultatibus pro Episcopis indigenis.

S. C. de Prop. Fide *7 Aug. 1678* (C. P. pro Sin.). Petitiones Vic. Ap. Tunkin. — 1. Ut Episcopis naturalibus (i. e. indigenis) eligendis concedatur usus Pontificalium pro celebratione divinorum officiorum pro administratione Sacramentorum, pro consecratione Olei Sancti, altarium, et sacrorum Vasorum, ordinationes vero exercere non possint nisi de consilio Vicarii Apostolici europaei illius Regni ita ut non possint quemquam ad sacros Ordines promovere nisi approbationem habeat in scriptis eiusdem Vicarii. Concedatur etiam eiusdem Episcopis naturalibus iurisdictio episcopalis in utroque foro, et in constitutione eorum deputationis declaretur omnes missionarios tam saeculares quam regulares cathechistas, et alios operarios ipsis subesse non secus ac disponit pro Vicariis Apostolicis europaeis Bulla *Speculatores* etc. cum hac tamen restrictiva ut literae Patentales dictorum omnium operariorum etiam Regularium recognoscendae sint a Vicario Apostolico europaeo ita ut ante recognitionem praedictam non possint Episcopi naturales audiendi confessiones nec verbum Dei praedicandi eis licentiam impertiri etc.

2. Ut dictis Episcopis naturalibus non communicentur quatuor facultates concessae Vicariis Apostolicis in Bulla *Speculatores* etc. praedicta, sed eisdem Vicariis Apostolicis reserventur, quae sunt:

Processus fabricandi pro miraculis et Martyribus.

Disponendi circa observantiam festivitatum et Sacrorum Rituum.

Publicandi Literas Apostolicas, Iubilaeum, Indulgentias, et Decreta Sacrarum Congregationum etc.

Creandi Notarios Apostolicos.

3. Ut Vicariorum Apostolicorum arbitrio relinquatur potestas communicandi Episcopis naturalibus omnes facultates a S. Congregatione Sanctae Inquisitionis ipsis impartitas, ut facilius eorum amorem, et aestimationem sibi captare possint reservando tamen illas solum Vicariis Apostolicis Synarum elargitas, nempe deputandi duodecim sacerdotes cum facultate consecrandi altaria, calices et patenas cum oleo ab Episcopo benedicto; dispensandi in secundo gradu etiam quoad matrimonia futura, et in impedimento disparitatis cultus.

4. Ut dicti Episcopi naturales nominentur administratores, et non Vicarii Apostolici, eorumque deputatio fiat a Vicario Apostolico europaeo illius regni cum multis clausulis exprimendis in litteris deputationis.

5. Ut dicti Episcopi naturales teneantur in dubiis tam circa interpretationem literarum quam in aliis casibus recurrere ad Vicarios Apostolicos, eorumque decisiones observare, omnibusque aliis praeferre.

6. Utrum dicti Episcopi naturales possint in privatis congressibus concedere decreta et leges pro suis Provinciis, easque publicare sine approbatione Vicarii Apostolici.

Facultates V cariis App. sup Episcopos ind genas.

7. Utrum Vicarii Apostolici cogere possint eos Episcopos naturales ad personaliter interessendum eorum Synodis, vel saltem per procuratorem.

8. Utrum in certis et gravibus casibus iidem Vicarii Apostolici possint mutare de una in aliam Provinciam dictos naturales Episcopos.

Facultates V cariis App. cir ordinationem.

9. Ut permittatur Vicariis Apostolicis quod promovere possint ad omnes Ordines sacros ad titulum Missionis et absque dimissoriis Ordinariorum omnes instructos ab iisdem Vicariis vel eorum ministris in eorum seminariis et qui solitum iuramentum emiserunt.

Alia circa i risdictionem V cariorum App

10. Ut declaretur ad Vicarios Apostolicos dumtaxat spectare eligere administratores etiam laicos pro ecclesiis etiam privatis, ludimagistros constituere atque approbare, aliaque facere gubernium tam ecclesiarum quam christifidelium concernentia, et hoc ad tollendas du-

bitationes, cum in Bulla *Speculatores* nulla de iis fiat mentio.

R. Ad 1. Affirmative iuxta petita, cum clausula *donec a S. Sede aliter fuerit determinatum,* quam quidem clausulam Emi Patres intelligendam esse voluerunt semper, et in omnibus facultatibus concessis etiam in praecedentibus Congregationibus, et in futuris concedendis tam duobus delegatis quam aliis Episcopis et Vicariis Apostolicis.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Facultates concedantur solis Vicariis Apostolicis europaeis cum solita facultate illas vel in totum vel in parte Episcopis naturalibus communicandi in locis tantum eorum Missionis seu Vicariatus.

Ad 4. Episcopus Heliopolitanus extendat formulam per extensum, et mittatur per manus Emorum.

Ad 5. Episcopi naturales in difficultatibus, quae occurrant circa interpretationem Literarum Apostolicarum seu Constitutionum consulant Vicarios Apostolicos europaeos, quorum opinionem sequi teneantur donec a S. Sede Apostolica de eisdem certiorata responsum acceperint.

Ad 6. Non posse nisi praevia approbatione Vicariorum europaeorum.

Ad 7. Posse concedi.

Ad 8. Posse concedi tantum duobus delegatis Apostolicis Heliopolitano scilicet et Beritensi.

Ad 9. Affirmative.

Ad 10. Affirmative.

217

potesta-cariorum licorum.

S. C. de Prop. Fide *28 Aug. 1678.* (C. P. PRO SIN.). — 1. Declaretur ad Vicarios Apost. pertinere in locis eorum Missionum decidere dubia, et formam modumque praescribere qualiter concionatores et confessarii se gerere debeant cum populo et poenitentibus in materiis moralibus.

2. Utrum Vicarii qui ex Bulla *Speculatores* facultatem habent creandi sex notarios apostolicos, possint in locum demortuorum alios subrogare.

R. Ad 1. Annuerunt (Emi PP.) donec a Sancta Sede aliter decernatur.

Ad 2. Annuerunt, dummodo simul non sint amplius quam sex.

218

ntiae pro iis *Amatorum Crucis.*

S. C. de Prop. Fide *28 Augusti 1678.* (C. P. PRO SIN.). — *Petitio:* Ut Confraternitatibus a Vicariis Ap. erectis in Tunkino et Cocincina sub nomine *Amatorum Crucis* concedantur solitae Indulgentiae, et signanter Plenaria pro die ingressus, pro die festivo a Vicario Ap. declarando, et in articulo mortis, aliaeque Indulgentiae particulares pro festivitatibus Epiphaniae, Annunciationis, SS. Petri et Pauli, Angeli Custodis, ac etiam pro cunctis officiis et operibus pietatis, quae a confratribus dictarum Confraternitatum exerceri solent.

R. Dentur Indulgentiae petitae, et ad Secretarium cum Secretario S. C. Indulgentiarum.

219

De frequenti accessu ad SS. Eucharistiam percipiendam.

Decr. S. C. Concilii *12 Febr. 1679.* — Cum ad aures SSmi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam dioecesibus vigere usum quotidianae Communionis etiam in feria sexta Parasceve, et simul affirmari eandem quotidianam Communionem praeceptam esse a iure divino, quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui non in ecclesia, sed in privatis oratoriis, domi, imo cubantes in lecto, et non laborantes ulla gravis infirmitatis nota, sumant sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt sacerdotes saeculares aut regulares, aliique in Communione accipiant plures formas ac particulas grandiores solito, ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Dum autem haec Sanctissimus consideranda commiserit sacrae Congregationi Cardinalium Conc. Trid. interpretum, eadem sacra Congregatio praevia matura discussione super praedictis, unanimi sententia ita censuit: Etsi frequens quotidianusve SS. Eucharistiae usus a SS. PP. fuerit semper in Ecclesia probatus, nunquam tamen, aut saepius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus aut hebdomadibus dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum praescripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil praecipiens, qui cuperet tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem sacrosancta Synodus ut singulis Missis fideles adstantes sacramentali Eucharistiae perceptione communicarent:* idque non immerito; multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variae ob negotia spiritus alienationes, multae contra gratiae et Dei dona parvulis concessa; quae cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cuiusque dignitate atque integritate, et consequenter de frequentiori aut quotidiano vitalis panis esu, potest constitui.

Et propterea, quod *Negotiatores* ipsos attinet, frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus, confessariorum secreta cordis explorantium iudicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate, et frequentiae fructu, et ad pietatem processu, laicis negotiatoribus et coniugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.

In *Coniugatis* autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apostolus *nolit eos invicem fraudari, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacent orationi,* eos serio admoneant, tanto magis ob SS. Eucharistiae reverentiam continentiae vacandum, puriorique mente ad coelestium epularum communionem esse conveniendum.

In hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non ut a frequenti aut quotidiana S. Communionis sumptione, unica praecepti formula, aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis permittendum, per se, aut parochos, seu confessarios, sibi decernendum putet; illudque omnino prohibeat, ut nemo a S. Convivio, seu frequenter seu quotidie accesserit, repellatur, et nihilominus det operam, ut unusquisque digne, pro devotionis et praeparationis modo, rarius aut crebrius, Dominici Corporis suavitatem degustet.

Itidem *Moniales* quotidie S. Communionem petentes admonendae erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto praestitutis communicent; si quae vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignae frequentiori aut quotidiana SS. Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur.

Proderit etiam, praeter parochorum et confessariorum diligentiam, opera quoque concionatorum uti, et cum eis constitutum habere, ut cum fideles, ad SS. Sacramenti frequentiam (quod facere debent) accesserint, statim de magna ad illud sumendum praeparatione orationem habeant, generatimque ostendant eos, qui ad frequentiorem aut quotidianam salutiferi cibi sumptionem devoto studio excitantur, debere, sive laici negotiatores sint, sive coniugati, sive quicumque alii, suam agnoscere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti ac divini iudicii formidine discant coelestem mensam, in qua Christus est, revereri et, si quando se minus paratos senserint, ab ea abstinere, seque ad maiorem praeparationem accingere.

Episcopi autem, in quorum dioecesibus viget huiusmodi devotio erga SS. Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentiae et iudicii temperamento, alere debebunt; et ab eorum officio postulari sibi maxime persuadebunt, nulli labori aut diligentiae parcendum, ut omnis irreverentiae et scandali suspicio in veri et immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque et dona in sumentibus augeantur. Quod abunde continget, si ii, qui devoto huiusmodi studio, divina praestante gratia, tenentur, seque SSmo Pane frequentius refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore et charitate assueverint; quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum et se pretium in morte tradidit, atque in coelesti regno se praemium est daturus, precatur S. C., ut suam opem ad dignam praeparationem et sumptionem largiatur. Porro Episcopi et parochi seu confessarii redarguant asserentes, Communionem quotidianam esse de iure divino; doceant, in ecclesiis, seu oratoriis privatis ex dispensatione seu privilegio Pontificis, de manu sacerdotis sumendam sanctissimam Eucharistiam, nec eam deferendam ullo modo in crumena, aut secreto ad existentes domi, vel cubantes in lecto, praeterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca praedicta accedere non valeant, et ad eos, si ab ecclesia deferatur, publice et cum pompa iuxta formam Ritualis Romani; si vero ab oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa communionem in feria sexta Parasceve Missalis Rubricae et Ecclesiae Romanae usus serventur. Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiae formas seu particulas, neque grandiores, sed consuetas (1). Non permittant ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. Si parochi, et confessarii, etiam regulares, aut quicumque alii sacerdotes secus egerint, sciant Deo Opt. Max. rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum et Ordinariorum iustam, ac rigorosam animadversionem in contrafacientes, etiam regulares, facultate ipsis Episcopis, et Ordinariis per hoc decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributa.

Et facta de praemissis omnibus, ac de verbo ad verbum, relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac praesens decretum typis dari, ac publicari voluit.

De sume SS. Euch. i ratoriis priv

De modo rendi SS. Eu ristiam.

De Commun in Fer. VI. rasceve.

Nulli trade plures aut g diores part lae.

Illicita co sio etiam ve lium apud sa dotem non probatum.

220

S. C. S. Officii *5 Iulii 1679.* — DALMATIAE — 1. An sacerdotibus qui latinam et illyricam linguas callent permittendum sit ut Mis-

De Missae lebratione lin illyrica.

(1) In rem Benedictus XIV. *De Sacros. Sacrif. Missae lib. III. c. XX.*: « Ad hanc rem mirifice faciunt verba Canonis *Ubi pars* dist. 2 de Consecrat: *Ubi pars est corporis, est et totum. Eadem ratio est in Corpore Domini, quae in manna quod in eius figura praecessit, de quo dicitur:* Qui plus collegerat non habuit amplius, neque qui minus paraverat invenit minus. *Non est omnino quantitas visibilis in hoc aestimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis.* Consentit S. Thomas 3. p. q. 79. a. 7. ad 3um. Legendus est etiam Thiers tom. 2. tract. de superstit. edit. 3. lib. 3. c. 2. n. 14. qui multis rationibus et auctoritatibus morem illum improbat qui in illustrioribus Galliarum monasteriis quarumdam sanctimonialium invaluerat, ut maioris devotionis gratia plures acciperent particulas; quam consuetudinem testatur sibi licuisse omnino abolere ».

sam utraque lingua, prout ipsi placuerit, celebrare possint.

2. An iis sacerdotibus qui ad presbyteratum promoti fuerunt, tamquam periti in lingua latina, quique eadem lingua Missam per non modicum tempus celebraverunt, permittendum sit ut lingua etiam illyrica Missam celebrare possint.

3. An iis sacerdotibus qui ad presbyteratum promoti fuerunt tamquam periti in lingua illyrica, quique eadem lingua Missam per non modicum tempus celebraverunt, permittendum sit ut lingua etiam latina, nempe nobiliori, Missam celebrari possint, si ceteroquin in ea periti reperiantur.

R. Episcopus relinquat arbitrio sacerdotum illyricorum celebrare Missam illyrico vel latino idiomate ad normam Constitutionis sa: me: Urbani VIII. Commendet tamen idioma latinum cum iis qui linguam callent, nihil innovando in hac materia.

221

atrimonio intentione cto.

S. C. S. Officii 2 *Dec. 1680.* — Bosniae – An sit validum matrimonium contractum inter catholicum et schismaticum haereticum cum intentione foedandi vel solvendi matrimonium.

R. Si ista sint deducta in pactum, seu cum ista conditione sint contracta, matrimonia sunt nulla; sin aliter, sunt valida.

222

ministran- acramenta ibus qui fi- acatholicis ent.

S. C. S. Officii *1681.* — Albaniae. – An tuto possint Sacramenta administrari parentibus filiam turcis vel schismaticis ob aliquem finem in sponsam promittentibus, absque eo quod amplius valeant retractare promissionem nisi cum vitae bonorumque periculo.

R. Non licere missionariis ministrare Sacramenta istis personis quia sunt in statu peccati mortalis. Si vero eos poeniteat de facto, et nolint, quantum in se est, attendere promissum, sunt capaces.

223

onsecran- aribus si- Rcliquiis.

S. C. S. Officii *14 Maii 1681.* — Tunkin. – An possint consecrari altaria portatilia sine Reliquiis Sanctorum, eo quia: 1. In Tunkino fervet persecutio; multa iam altaria ab infidelibus capta execrata sunt, sacrae Reliquiae conculcatae etc.

2. Quia si ideo crassa fiant et spissa ut in eis Reliquiarum sepulchrum possit incidi, maior creabitur molestia iis qui sacram supellectilem ab uno in alium locum transferunt. Nam in Tunkino tum missionarii apostolici, tum indigenae parochi, raro in uno pago tres quatuorque dies subsistunt, sed quotidie ferme post celebrationem Missae ab uno plerumque ante lucem in alium pagum demigrant.

3. Quia data est facultas celebrandi in altari sine Reliquiis, ergo et illud sine Reliquiis consecrandi; quod si nondum concessum sit, petitur ut concedatur.

R. Attentis motivis deductis, supplicetur SSmo pro dispensatione. – SSmus annuit.

224

De altarib. ex ardesia seu *lavagna*.

S. C. S. Officii *14 Maii 1681.* — An ex ardesia seu *lavagna*, ut dicitur, fieri possint altaria portatilia ut in iis celebretur.

R. Posse fieri.

225

De exorcismis et suppletione caeremon. Baptismi in haereticos obsessos ad fidem redeuntes.

S. C. S. Officii *17 Sept 1681.* — Saepe accidit in Regno Scotiae ut daemon aut obsideat aut possideat nonnullos haereticos eosque vexet molestiisque variis affligat. Hi plerumque ad sacerdotes catholicos aut amandantur ab haereticis ipsis, aut sponte accedunt. Sacerdotes porro antequam super eos exorcismos solitos Ecclesiae recitent, eos in fide instruunt, et in gremium Ecclesiae rite admittunt; tum exorcismos ad eos liberandum adhibent; et dignatur saepe divina bonitas eos a daemonibus liberare, ita ut non sentiant posthac praefatas molestias. Nonnunquam tamen non liberantur, etiam adhibitis et recitatis exorcismis post instructionem in fide et receptionem in numerum fidelium ritissime factam. Quod cum evenit, solent sacerdotes missionarii supplere caeremonias solitas fieri in Ecclesia tum cum confertur Sacramentum Baptismi, sed non baptizare, nam haereticorum baptisma validum agnoscunt, nec aliud supplent quam solitos tali occasione Ecclesiae catholicae ritus et caeremonias. Quibus suppletis, saepe dicti obsessi et possessi a molestiis et vexationibus dictis liberantur et remanent immunes, et magna quiete reliquum vitae degere solent, magno cum haereticorum stupore, et plurium etiam conversione ad fidem, et catholicorum solatio et gloria. — Quando vero neque exorcismis, neque suppletione caeremoniarum Baptismatis liberantur a dictis daemonis molestiis, dubitare incipiunt sacerdotes an taliter molestati fuerint valide baptizati, et pro quantulocumque indicio quod habeant sacerdotes dictae invaliditatis praefatae collationis Baptismi, sub conditione conferunt dictum Sacramentum vexatis ut supra a daemone, adhibentque eodem tempore omnes caeremonias solitas Ecclesiae tali occasione consuetas usurpari. Neque hucusque est ullum exemplum taliter baptizatos amplius vexari ullo pacto a daemone. Quaeritur:

1. An dicti sacerdotes et missionarii possint et debeant continuare praedictas praxes in talibus saltem occasionibus.

2. Generaliter an dicti sacerdotes possint supplere defectum caeremoniarum Baptismi toties quoties haeretici ad fidem convertuntur; quas caeremonias haeretici nunquam adhibent inter baptizandum.

3. An saltem dicti sacerdotes supplere possint dictas baptismi caeremonias quoties dicti haeretici post suam ad fidem conversionem illas suppleri postulant, etiamsi ceteroqui non vexentur aut molestentur ullo pacto a daemone.

R. Ad 1. Missionarios et sacerdotes posse adhibere praefatas praxes circa obsessos, excepta illa praxi iterandi Baptismum sub conditione quantulocumque indicio quod possessi non fuerint valide baptizati.

Ad 2 et 3. Posse supplere defectum caeremoniarum Baptismi in utroque casu.

226

De prorogatione facultatum missionariis.

S. C. de Prop. Fide *13 Ianuar. 1682.* (C. G.). — Se il Prefetto possa comunicare i suoi privilegi ad un missionario che abbia terminato il tempo prescritto nella sua patente, senza domandare proroga e conferma.

R. Affirmative, dummodo missionarius maneat in Missione.

227

An suspensa Episcopi iurisdictio ab haereticis detenti.

S. C. Concilii *7 Aug. 1683.* — HIBERNIAE — Quaeritur an casu quo Episcopus ab haereticis captus detineatur, non ita tamen arcte custoditus ut ipsi eiusque dioecesanis facile non sit saltem per litteras inter se agere, eiusdem Episcopi iurisdictio intelligatur suspensa et ad Capitulum ecclesiae cathedralis devoluta.

R. Iurisdictionem non esse suspensam.

228

An et quoties a Missae celebratione vacare queant qui ad eam quotidie tenentur.

S. C. Concilii *18 Sept. 1683.* — 1. An sacerdotes obligati ratione Beneficii, Capellaniae, legati aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare; et quatenus affirmative,

2. Quando et quoties a dicta celebratione vacare possint,

3. An diebus licitae vacationis possint Missam pro se ipsis vel aliis praeterquam pro fundatoribus celebrare; et quatenus affirmative,

4. An pro aliis celebrando possint stipendium pro huiusmodi celebratione percipere.

5. An sacerdotes, ut supra, obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare.

R. Ad 1 et 2. Affirmative, concurrente aliqua rationabili causa.

Ad 3. 4. et 5. Negative.

229

De alumn missionarior in Seminariis carior. Apost corum.

S. C. de Prop. Fide *20 Martii 1685.* (C. P. PRO SIN.) 1. Quaenam exercitia requiruntur, et quantum temporis in Apostolicorum Vicariorum seminariis transegisse debent missionarii, maxime europaei, ad hoc ut possint dici instructi et alumni dictorum seminariorum, et ordinari absque litteris dimissoriis?

2. Utrum tempus quod Parisiis in Apostolicorum Vicariorum seminario a S. Sede approbato agunt missionarii, ut ibi de sua vocatione fiant certiores, et ad obeunda missionariorum munia se disponant, ipsis possit inservire ad hoc ut in Indiis sub nomine instructorum et alumnorum comprehendantur, postquam saltem aliquamdiu ibi in seminario Vicariorum Ap. pietati ét studio litterarum operam dederint.

3. Petitur ut in locis dictis Vicariis App. commissis eadem indulgentia cum recens ad fidem conversis utatur circa ieiuniorum ac festorum dierum observantiam, qua olim cum neophytis in Indiis occidentalibus s. m. Paulus PP. III usus est per Constitutionem quae incipit *Altitudo divini consilii* datam apud S. Petrum anno 1537 *(V. n. 114)*.

R. Ad 1. Donec idonei redditi fuerint ad munia Missionum obeunda.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Annuerunt (Emi PP.) addita circa observantiam festorum die Nativitatis S. Ioannis Baptistae.

230

De captivi nigrorum a rumque sy strium.

S. C. S. Officii *20 Martii 1686.* — *Propositiones:*

1. Licitum est nigros aliosque sylvestres nemini infensos vi aut dolo captivare.

2. Licet nigros aliosque sylvestres, nemini infensos, vi aut dolo captivatos emere, vendere, et de illis alios contractus facere.

3. Cum nigri aliique sylvestres, iniuste captivati, sunt permixti aliis iuste vendibilibus, licet omnes emere, sive, ut dicunt, bonos et malos.

4. Emptores nigrorum aliorumve sylvestrium non tenentur inquirere de titulo eorum servitutis, sintne iuste vel iniuste mancipia, licet sciant plurimos eorum esse iniuste captivatos.

5. Possessores nigrorum aliorumve sylvestrium nemini infensorum, vi aut dolo captorum, ad eos manumittendos non tenentur.

6. Captores nigrorum et aliorum sylvestrium, nemini infensorum, vi aut dolo captorum, emptores, possessores, non tenentur ad eorum damna compensanda.

7. Licet possessoribus nigrorum aliorumque

mancipiorum ex privata auctoritate manifesto mortis periculo exponere, vulnerare, cremare, occidere.

8. Licet nigros aliosque infideles, doctrinae fidei capaces, absque instructione mysteriorum fidei ad salutem necessaria baptizare, item eosdem baptizatos absque ea relinquere.

9. Domini nigrorum et aliorum mancipiorum non tenentur impedire ne vivant in concubinatu.

10. Licitum est captivos post Baptismum in servitute retinere, sint vel non sint iuste mancipia.

11. Licitum est ab haereticis emere nigros mediate vel immediate, et post emptionem seu donationem, aut quemlibet alium contractum ipsorum, mancipia remanere, et similiter vendere illis.

R. Ad 1, 2, et 3. Non licere.

Ad 4, 5 et 6. Tenentur.

Ad 7. Non licere.

Ad 8. Non licere, praeterquam in articulo mortis.

Ad 9. Teneri.

Ad 10. Negative, si iniuste.

Ad 11. Negative, existente mala fide.

231

parochoxamen.

S. C. Concilii *24 Augusti 1686* MIDEN. (*Meath* in Hibernia). — I. Decretum synodi dioecesanae quoad examen parochorum reformandum iuxta dispositionem S. Concilii cap. 16, sess. 21 *de Reformat.* et decreta desuper edita tenoris sequentis: PAMPELONENSIS EXAMINIS. Dubitationes, ut infra, ad verbum descriptas supplex proponit huic S. C. Rmus Episcopus Pampilonen.

1. Quaeritur utrum Episcopus possit examinare parochos et rectores semel approbatos ad curam animarum exercendam, quando ex rationabili et legitima causa habetur vehemens suspicio de illorum imperitia ad Sacramenta ministranda et munus suum adimplendum, ut clarius cognita illorum illitteratura, detur illis coadiutor benemeritus cum assignatione alicuius portionis fructuum pro eius congrua sustentatione.

2. An possit hoc examen facere non solum in actu visitationis, sed etiam extra illam respectu alicuius parochi, de cuius imperitia habetur certa notitia.

3. Utrum ad huiusmodi examen faciendum requiratur quod imperitia talis parochi examinandi probetur iuridice per testes deponentes, an vero sufficiat talem imperitiam constare Episcopo extraiudicialiter vel quia expositum fuit illi per personas fide dignas quae nolunt iuridice deponere propter metum, respectum, vel aliam rationem, vel puta ipsemet Episcopus ex rumore vel ex aliquibus actionibus, quas videt et notat in ipso parocho, et ex verbis quae ab illo audit, et ex aliis accidentibus quae occurrant facit coniecturam fere evidentem de imperitia illius. His igitur scrupulis anxiatus supplicat pro declaratione.

Die 15 Ianuarii 1667 S. Congregatio:

Ad 1. Censuit posse.

Ad 2. Itidem posse.

Ad 3. Censuit ad eiusmodi examen faciendum haud necesse esse ut iudiciales probationes praecedant.

PAMPELONENSIS IURIS DECIMANDI: Cum sub die 15 Ianuarii 1667 ad instantiam Episcopi Pampilonen. ab hac S. C. resolutum fuerit:

1. Posse Episcopum examinare parochos et rectores semel approbatos ad curam animarum quando adest vehemens suspicio de illorum imperitia. — 2. Posse ad huiusmodi examen procedere etiam extra visitationem. — 3. Ad dictum examen faciendum haud necesse est ut iudiciales probationes imperitiae praecedant; nunc supplicat Episcopus ipse per eamdem S. C. ulterius declarari: An in actu visitationis dioecesis possit Episcopus examinare parochos quotquot visitat, etiamsi contra illos vel aliquem ipsorum non vigeat suspicio imperitiae.

Die 22 Sept. 1668. S. C. respondit: Negative.

De promovendis ad sacros Ordines non servatis interstitiis.

II. Decretum (eiusdem synodi Midensis) quo edicitur *neminem in posterum sive saecularem sive regularem in hac dioecesi, non servatis interstitiis, nec sine diligenti Ordinarii examine, ad sacros Ordines promovendum nisi utilitas aut necessitas Ecclesiae aliud Episcopo suadeat; et hoc iudicium etiam quoad Regulares non spectare ad Superiores Regulares sed ad Ordinarium,* reformandum esse quoad illos qui contrarium habent privilegium concessum post Concilium; et in reliquis danda et servanda esse decreta tenoris sequentis: — I. NULLIUS *die 30 Iunii 1597.* S. Congregatio (declaravit) remissionem interstitiorum, etiam quoad Regulares, ex causis tantum a Concilio (Trid.) expressis faciendam, pertinere ad Episcopum ordinantem; eum tamen hac in re debere, quoad causas, deferre iudicio et attestationi Superioris Regularis ordinandi. — II. *Die 30 Sept. 1609.* S. Cong. etc. saepius declaravit remissionem interstitiorum ex causis a Concilio expressis pertinere ad Episcopum ordinantem, etiam quoad Regulares ab eo Ordines suscipientes, non autem ad Superiores Regulares; ipsum tamen Episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere ac deferre testimonio Superioris Regularis.

232

An teneantur obstetrices denunciare baptismata collata filiis haereticorum in periculo mortis.

S. C. S. Officii *28 Augusti 1687.* — An obstetrices catholicae (in Helvetia) baptizando infantes natos ex mulieribus haereticis quando sunt in periculo mortis, tenentur referre

ministro haeretico iam illos baptizatos esse, cum secundum ritum sectae zuinglianae solum minister haereticus baptizare possit. Additur quod pro tali notitia dictis obstetricibus partui mulierum haereticarum assistendi omnino prohiberetur, et ob hanc causam dicti infantes baptismo carerent, si octo ante dies obirent, cum nisi post octo dies dicti haeretici illos non baptizent.

R. Obstetrices de quibus fit quaesitus non tenentur denunciare baptismata per ipsas collata infantibus haereticorum in periculo mortis.

233

De celebratione Missae in altaribus privilegiatis.

S. Rit. C. *3 Aprilis 1688.* — Cum alias s. m. Alexander VII de consilio S. Rit. C. sub Brevi dato die 5 Augusti 1667 declaraverit ut in diebus impeditis a festo duplici, quibus Missae de Requiem celebrari non possunt, celebrando Missas de festo currenti in altaribus privilegiatis quotidianis perpetuis, eadem Indulgentia lucretur ac si Missa de Requiem secundum privilegiorum formam celebraretur: et deinde cum eadem declaratio, praecedente etiam voto eiusdem S. C., a s. m. Clemente IX. alio Brevi sub die 23 Septembris 1669 extensa fuerit omnibus altaribus privilegiatis non perpetuis nec quotidianis, ita ut, favendo privilegio, suffragetur celebratio Missae in illis de festo currenti; nunc ortum est dubium: *An supradictae declarationes Alexandri VII et Clementis IX intelligantur etiam in diebus Dominicis et infra octavas Paschatis, Pentecostes, et Corporis Christi.*

R. Supradictas declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus quibus iuxta Rubricas non potest dici Missa de Requiem.

234

De obligatione missionariorum exhibendi litteras patentes.

S. C. de Prop. Fide *23 Nov. 1688.* — Missionarios teneri exhibere Litteras Patentes Vicariis App. et, ipsis absentibus, eorum Provicariis, et ab eis licentiam pro suis facultatibus exercendis postulare, quae negari non debet nisi in casu gravis causae S. Sedi communicandae.

235

De laurea doctoratus a missionariis consequenda.

S. C. de Prop. F. *4 Sept. 1690* (C. G.). — Munus missionarii non esse concedendum iis (Regularibus) qui in Secretaria S. Congregationis non producant authenticum documentum, praevio rigoroso examine more Religionis faciendo, fuisse idoneos declaratos pro ingrediendo aliquo ex collegiis Religionis, in quibus post moram aliquot annorum adsit privilegium obtinendi lauream doctoratus; et quatenus talia documenta non producant, sciant privilegium laureandi post sexennium non esse consecuturos.

236

De observan in impressi Officiorum Sanctis.

S. Rit. C. *19 Oct. 1691.* — Cum in dies nonnulla Sanctorum officia sub praetextu quod a S. Rit. C. concessa fuerint cum lectionibus et orationibus propriis, et aliquando etiam cum hymnis, responsoriis et antiphonis, et passim sub maiori forsan ritu per universalem Ecclesiam aut loca particularia recitanda, impressa conspiciantur, quamvis S. C. antea non concesserit, aut in aliquibus tantum peculiaribus locis, non autem in universa Ecclesia ea recitari posse indulserit: eadem S. Rit. C. huiusmodi attentatis provida sollicitudine consulere volens, mandavit: Ut dictae Officiorum concessiones, lectiones, orationes, antiphonae et responsoria respective aliaque huiusmodi imposterum a typographo camerali dumtaxat imprimantur; inhibendo omnibus impressoribus seu typographis tam in Urbe quam extra, ubique locorum, dicta Officia imprimi sub quovis praetextu, causa et quaesito colore, nisi facultate in scriptis accepta ab Inquisitoribus haereticae pravitatis, si inibi fuerint, sin minus a locorum Ordinariis, qui quidem facultatem huiusmodi non prius concedant quam Originale Sacrae eiusdem Congregationis, vel exemplar typographi cameralis authenticum manu Secretarii ipsius Sacrae Congregationis firmatum et sigillo obsignatum ipsis exhibeatur; quod exemplar in nihilo prorsus immutatum, nihilque ei additum sive detractum in eo imprimi debeat. Et si quae ausu temerario contra praesentis decreti tenorem extra Urbem impressa fuerint, ultra poenas ab eadem S. C. infligendas, omni prorsus fide carere voluit et declaravit, mandans propterea omnibus et singulis praedictis haereticae pravitatis Inquisitoribus, Patriarchis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis, ut in sua quisque dioecesi vel provincia sedulo pervigilent ne quidquam contra superius disposita fiat vel attentetur. — SSmus approbavit.

237

Circa indul recitandi Of Sanctorum ra ne insignis liquiae.

S. Rit. C. *19 Octobris 1691.* — Cum S. Rit. C. innotuerit quamplures abusus irrepsisse circa recitationem Officii sub praetextu decreti ab eadem Congregatione evulgati anno 1630 et in Breviario Romano impressi, in quo permittitur posse in Ecclesia recitari Officia et Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora aut Reliquiae insignes in ea asservantur; Emi PP. S. Rit. C. praepositi, eisdem abusibus evellendis praecipue intenti, inhaerendo decretis alias in similibus editis, declararunt: Praedicta Officia Sanctorum, ratione

Corporis seu insignis Reliquiae recitanda, intelligi debere de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate Corporis seu Reliquiae insignis illius Sancti qui reperitur in Martyrologio Romano descriptus; de ceteris autem Sanctis in praedicto Martyrologio non descriptis, aut pro quibus a S. Sede non fuerit specialiter concessum, Officia recitari et Missas celebrari vetuerunt, non obstante quod ipsorum Corpora vel insignes Reliquiae in ecclesiis asserventur: quibus tamen ab Ordinariis locorum approbatis, debitam fidelium venerationem (prout hactenus servatum est) exhibendam esse censuerunt, sed absque Officio et Missa, sub poenis de non satisfaciendo praecepto recitandi Officium, aliisque in Constitutione B. Pii V contentis. – SSmus approbavit.

238

teris te-
libus ab
lis exhi-

Ex Const. *Speculatores* **Innoc. PP. XII** *4 Nov. 1694.* — Decernimus et declaramus nulli Episcopo seu cuiusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quemdam, ac si ratione originis, seu domicilii, iuxta modum inferius declarandum, legitime contracti, non subditum, ad clericalem tonsuram promovere, cuiusvis beneficii ecclesiastici ei statim ac tonsura huiusmodi insignitus fuerit conferendi, seu ad quod is a patronis iam praesentatus seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi beneficium praedictum de novo ea expresse adiecta lege fundatum fuisse constiterit ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur; praeterea clericum qui iam legitime a proprio Episcopo ad eamdem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cuiuscumque beneficii in illius dioecesi obtenti, ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorum susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi tam originis quam domicilii super suis natalibus, aetate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit, eosque Episcopo ordinanti in actis illius curiae conservandis exhibuerit. Licet vero clericus ratione cuiusvis beneficii in aliena dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius Episcopi in cuius dioecesi beneficium huiusmodi situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo eiusdem subiectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium praedictum eius sit reditus ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam synodalem, sive, ea deficiente, iuxta morem regionis pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret: ac Episcopus sic ordinans tam de praedictis testimonialibus litteris quam de reditu beneficii huiusmodi in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

Quis subditus ratione originis.

Ceterum subditus ratione originis is tantum sit ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea dioecesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cuiusvis alterius temporalis morae seu permanentiae eius patris in illo loco; quo casu nullatenus eiusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut praemittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo ordinanti, per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas, praesentare teneatur. At si pater in alieno loco, ubi eius filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de iure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime ut praefertur contractum pro ordinatione eiusdem filii attendi debet.

Quis subditus ratione domicilii.

Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet. Si quis autem a propriae originis loco in ea aetate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suae originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum litteris facienda erit.

De subditis ratione familiaritatis.

Ad haec nullus Episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros seu minores Ordines vel etiam primam tonsuram promovere seu ordinare praesumat absque eius proprii, originis scilicet seu domicilii, Praelati testimonialibus litteris, ut supra, et nisi, ad praescriptum Concilii Tridentini praefati, sess. XXIII, cap. IX *de Reform.*, familiarem praedictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; beneficium insuper,

quod ei ad vitam sustentandam, iuxta modum superius praefinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factae ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis huiusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis ac litterarum praedictarum mentionem facere teneatur.

De Episcopi auctoritate in suos subditos ab alienis Episcopis ad Ordines promotos.

Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino praecludatur, volumus et Apostolica auctoritate statuimus atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis sive domicilii subditos clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris, promotos, nedum ad formam Conc. Trid. supradicti, sess. XIV, cap. III *De Reform.*, quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen recognoscere, ac diligenter perquirere an quoad illos praesentis Constitutionis forma et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de eiusmodi adimplemento, ita ut, quos eo termino elapso id minime praestitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita et quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in altari aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

Poenae in contravenientes.

Ita vero praemissa omnia et singula perpetuo et inviolabiliter observari atque adimpleri volumus, ut, si quid in iisdem praemissis seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis, pro modo culpae, nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subiaceat.

239

De consecratione episcopali sine duorum Episcoporum assistentia.

S. C. de Prop. F. *18 Maii 1695* (C. G.). — Illicitam sed non invalidam efficere Ordinationem (Episcopi) deficientiam duorum Episcoporum cum consecratore (1).

240

Paschalis Communio de iure parochorum.

S. C. de Prop. F. *9 April. 1696* (C. G.). — Referente Emo Card. De Abdua instantiam... Plebani ecclesiae cathedralis Sylvaeducensis, petentis confirmationem decreti provisionalis R. P. D. Basseri, olim Vicarii Ap. Sylvaeducensis, emanati sub die 28 Febr. 1686, quo reservatur parochis cleri saecularis, privative quoad omnes missionarios regulares, Communio paschalis, ac benedictio puerperarum; S. Congregatio, re mature discussa et auditis partibus, censuit Communionem paschalem spectare privative ad parochos sive saeculares sive regulares.

241

Decreta S. Concilii auctoritate Urbani VI die 21 Iunii a 1625 edita sup Missarum cel bratione.

Const. Innoc. PP. XII. *23 Dec. 1697.* — Nuper a Congr. Vener. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardd. Concilii Trid. interpretum prodierunt decreta tenoris infrascripti, videlicet:

« Alias super celebratione Missarum ac prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Ap. licentia, nec non super earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, et religiosorum numero ultra redditus et consuetas eleemosynas locorum regularium non habendo, emanarunt ab hac S. C. S. R. E. Cardd. Concilii Trid. interpretum, auctoritate per felicis recordationis Urbanum PP. VIII. illis specialiter attributa, quamplura decreta tenoris sequentis: — « Cum saepe contingat *etc. (V. n. 16).*

Dubia S. Co gregationi Co cilii proposi circa relata d creta.

« Excitatis autem super praemissorum decretorum intelligentia seu interpretatione infrascriptis dubiis, prodierunt a memorata Congregatione, simili auctoritate illi a praefato Urbano PP. VIII specialiter attributa, responsiones seu declarationes inferius apponendae:

De 'reductio Missarum.

« 1. Super *primo* S. C. decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur ne Episcopi in dioecesana Synodo aut Generales in Capitulis generalibus, vel alias quoquomodo, reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita aut in limine fundationis, quaeritur: quid, si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi iniunctum subire, et, si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis? Et quid, si permittatur Episcopo in fundatione ut possit huiusmodi onera moderari?

De praescript numero Missa rum pro data leemosyna.

2. Super *secundo* eiusdem Cong. decreto, quo cavetur ut celebrentur tot Missae quot ad rationem tributae eleemosynae praescriptae fue-

(1) Bened. XIV. De Syn. dioec. Lib. XIII, cap. 13. n. 7 haec habet: « .... Animadvertimus sicuti valida est sed illicita Episcopi consecratio, quam unus peregerit Episcopus duobus assistentibus sacerdotibus, dum Apostolicum non praecessit indultum, quo ita fieri permissum fuerit, non absimili ratione validam haberi debere, et tantummodo illicitam episcopalem consecrationem, quam peregerit unus Antistes, uno assistente presbytero, quamvis in obtenta dispensatione seu indulto ea lex adscripta fuisset ut duo adstarent presbyteri; utroque enim casu omnia concurrunt ad actus validitatem necessaria, et utroque casu aliquid desideratur quod ad eiusdem actus solemnitatem et praescriptorum rituum observantiam pertinet: quandoquidem in prima facti specie deest Antistitum praesentia a sacris canonibus statuta, in altera vero desideratur praesentia duorum sacerdotum quos Pontifex adhibendos voluit ».

rint, quaeritur: an verba illa: *praescriptae fuerint*, intelligenda sint de praescriptione facta ab offerente vel ab Ordinario?

3. An, cum Ordinarius praescripserit eleemosynam congruam, iuxta qualitatem loci, personarum ac temporum, sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente praescriptas celebrare?

4. An sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu cappellae, legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis aut defunctorum recipere, et unico Missae Sacrificio utrique oneri satisfacere?

5. Posito quod testator relinquat ut celebrentur pro eius anima centum Missae, absque ulla praescriptione eleemosynae, quaeritur: an liberum sit haeredibus eleemosynam sibi benevisam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?

6. Super *tertio* Congregationis decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur ut certarum Missarum vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat, quaeritur: an verba *in futurum suscipiendis*, intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?

7. Super *quarto* eiusdem Congregationis decreto, quo prohibetur sacerdoti qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat, quaeritur: an permittendum sit administratoribus ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis manutentionis ecclesiae, altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiae et similium?

8. An hoc decretum habeat locum in beneficiis quae conferuntur in titulum, id est, an rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem reddituum beneficii?

9. An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram eleemosynam iis quibus Missas celebrandas committunt: an vero satis sit ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

10. Super *quinto* eiusdem Congregationis decreto, quo inter caetera statuitur in haec verba: *Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, et capsulas auferant*, etc., quaeritur: an hoc decretum prohibeat absolute quominus accipiant novas eleemosynas ii qui acceptis non satisfecerunt, et quid, si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

11. Quid, si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat ut sacerdos Missam celebret cum primum poterit?

12. An poena interdicti et aliae appositae in eodem decreto, afficiant tam eos qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi praescriptam, quam eos qui non auferunt capsulas ab ecclesiis, ut ibidem praecipitur.

13. An in hoc decreto comprehendantur illae capsulae, quae apponi solent in ecclesiis in die Commemorationis omnium defunctorum et vulgo dicuntur *Casse de' Morti*.

14. An administratores ecclesiae magnae devotionis et concursus possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias cultus ecclesiae, et devotio ac concursus fidelium, ut aiunt, minuantur.

15. Quia prohibitio dicti decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, necnon omnibus et singulis ecclesiarum, piorum locorum, tam saecularium quam regularium, superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali: *et aliis ad quos pertinet;* supplicatur pro opportuna declaratione.

. . . . . .

Declarationes seu responsiones ad supradicta dubia.

Sacra Congr. Cardd. Concilii Trid. interpretum, auctoritate sibi a SS. D. N. attributa, ad singula dubia superius proposita ad hunc modum respondit, videlicet: Ad 1. Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi, ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quae absque ulla impensa id statuet quod magis in Domino e re esse iudicaverit; verumtamen, si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam et observandam.

Ad 2. Esse intelligenda de praescriptione facta ab eo qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario; quod si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non praescripserit, tunc tot Missas celebrari debere quot praescripserit Ordinarius, secundum morem civitatis vel provinciae.

Ad 3. Teneri.

Ad 4. Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu capellae, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.

Ad 5. Censuit (S. C.), ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae

respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem civitatis vel provinciae.

Ad 6. Ita esse intelligenda.

Ad 7. Permittendum non esse ut ecclesiae ac pia loca, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum, ullam utcumque minimam portionem retineant, ratione expensarum quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint; et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae; et nihilominus, eo etiam casu, curandum esse ut ex pecuniis quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad 8. Non habere locum, sed satis esse ut rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.

Ad 9. Debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Ad 10. Non prohibere absolute; ac propterea, etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere (1).

Ad 11. Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione id sciat et consentiat ut illae tunc demum celebrentur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit: decretum non prohibere quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iisdem Missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.

Ad 12. Has poenas non habere locum nisi in suscepturis onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi vel eius Vicarii generalis, aut Generalis vel Provincialis.

Ad 13. Comprehendi.

Ad 14. Non posse, nisi de consensu eorum qui eleemosynas tribuunt, ut supra in responsione ad undecimum.

Ad 15. Comprehendi etiam privatos sacerdotes.

Causae novorum decretorum auctoritate Innocentii XII die 23 Nov. an. 1697 editorum.

Cum autem super praemissis diversi irrepserint abusus, illorumque occasione quamplures querelae et recursus ad Apostolicam Sedem pervenerint, cupiens eadem Congregatio Cardinalium Conc. Trid. interpretum huiusmodi detestabiles abusus e christiana republica pro viribus evellere, ac opportune providere, ut, sublatis fraudibus, ac emendata negligentia, piae disponentium seu benefactorum voluntati fides illibata servetur, defunctorum animabus integra et prompta praestentur suffragia itidemque Deo maior gloria et ecclesiis praestantior cultus reddatur, praevia auctoritate per SSmum Dominum Nostrum Innocentium divina providentia Papam XII ei specialiter attributa, infrascripta decreta, prius in particulari nonnullorum ex praefatis Cardinalibus per Sanctitatem Suam deputata, et postea in generali huiusmodi Cardinalium Congregatione mature et accurate discussa, recognita, examinata edidit.

1. In primis praeinserta decreta cum praemissis illorum declarationibus plenissime et amplissime approbat, confirmat et innovat, omniaque et singula ibidem contenta et expressa iterum omni meliori modo decernit, statuit, ac ab omnibus et singulis etiam speciali et individuali nota seu expressione dignis penitus observari, et omnimodae executioni demandari decernit, sancit et praecipit.

De condonatione, reductione compositione nerum Missarum.

2. Insuper ut in re tanti momenti consultius, ac maiori, ut par est, circumspectione procedatur, si qui forsan fuerint vel sint, suis pravis et erroneis intentionibus seu opinionibus blandiri volentes, Missarum celebrationem omittunt sub malitiosa vel irrationabili spe earumdem condonationem vel reductionem a Sede Apostolica, vel compositionem a reverenda fabrica S. Petri de Urbe obtinendi; Congregatio praefata tum eosdem, tum quoscumque alios, qui posthac in adeo detestabiles abusus ausi fuerint offendere, certiores fieri et monitos esse voluit, praefatas condonationes et reductiones ab eadem Sede nonnisi ex rationabili causa seu aequa commiseratione, compositiones vero a dicta fabrica, utente suis facultatibus et privilegiis, nonnisi ex causa pariter rationabili, et cum clausulis opportunis, et praesertim cum illa: *Dummodo malitiose non omiserint animo habendi compositionem, alias gratia nullo modo suffragetur,* admitti consuevisse et solere. Quapropter, ut locus omnis in posterum hisce praetextibus praecludatur, memorata Congregatio tales intentiones, opiniones seu spes, ac eleemosynarum sive in toto sive in parte versiones in alium quam praefatarum Missarum usum seu satisfactionem, et quascumque alias, directas vel indirectas, immediatas vel mediatas contraventiones seu circumventiones, declarat prorsus irrationabiles, iniustas et illicitas, illasque omnino reprobat, clamat et interdicit.

De recepti et tabula one Missarum.

3. Cumque huiusmodi absurda ex eo plerumque proveniant, quod onera Missarum supra vires suscipiantur, caveant omnes et singuli rectores, superiores et ministri quarumcumque tum saecularium tum regularium ecclesiarum,

(1) *Infra modicum tempus* intelligi *infra mensem* declaravit eadem S. C. Concilii (17 Iulii 1755).

seu earum capitula, ne onera, seu Missas, tum perpetuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satisfactioni impares fuerint, quoquomodo suscipiant. Utque id ipsum, quoad fieri poterit, pateat, teneantur iidem conficere, semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium, litteris perspicuis et intelligibilibus descriptorum; quorum implemento si moraliter et intra praescriptum seu breve tempus satisfacere non posse, seu illa dumtaxat et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint; alias Missas, sive perpetuas, sive temporales, sive manuales per se vel per interpositas personas, quoquomodo recipere seu acceptare omnino desistant seu abstineant; et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant sese propterea aliis Missis acceptandis et celebrandis impares esse.

duobus liierum Mis-

4. Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem Missas manuales, et tam illorum quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte et diligenter annotare et annotandas seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes et singulas rationes huiusmodi in praefatis respective libris, simili distinctione et diligentia, tam praefati a quibus rationes debent reddi, quam superiores quibus reddendae erunt, describere seu annotare sive describendas vel annotandas respective curare.

capsa eleemarum Mis-

5. Quibus semper salvis, debeant ulterius Regulares praedicti omnes et quascumque eleemosynas tum manualium tum perpetuarum et temporalium Missarum reponere in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una penes superiorem localem, altera vero penes alium a capitulo conventuali deputandum retineatur, ac de iisdem eleemosynis et celebratione Missarum coram patribus discretis seu consiliariis, vel alio simili modo nuncupatis, singulis mensibus districtam rationem exigere et respective reddere.

nae in conientes cirædicta.

6. Quod si praedicti, ad quos iura tabellae, capsae et librorum praefatorum respective pertinet seu pertinere debet, suam operam praemissis, ut praefertur, minime navaverint, et superiores tum saecularium tum regularium ecclesiarum rationem praedictam non exegerint, seu non invigilaverint quod praefati, qui in curam tabellarum et librorum incumbunt, suo muneri, ut praefertur, satisfaciant, in singulis respective casibus saeculares poenam suspensionis incurrant, regulares vero voce activa et passiva ac gradibus et officiis, quae obtinent, ipso facto et absque alia declaratione privati sint et intelligantur, necnon ad huiusmodi gradus et officia obtinenda similiter inhabilitentur, et inhabilitati sint et intelligantur.

De publica expositione et lectione praefatorum decretorum et declarationum.

7. Porro, ne ullo unquam tempore omnia et singula decreta praedicta in oblivionem seu desuetudinem abeant, rectores, superiores, seu capitula ecclesiarum saecularium illa retineant publice exposita in eorum sacrario; superiores vero locales cuiuscumque monasterii, conventus ac domus regularis curare et efficere teneantur, sub poena privationis officiorum quae obtinent vocisque activae et passivae, ipso facto incurrenda, ut in perpetuum sexto quoque mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, et feria sexta post octavam Corporis Christi, omnes et singulae praemissae tum insertae seu confirmatae tum in praesens factae ordinationes, una cum dictis declarationibus, in publica mensa perlegantur.

De cura Ordinariorum circa executionem praemissorum.

8. Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis et in ecclesiis quoquomodo etiam in vim decretorum Conc. Trid. sibi subiectis Missae ea qua par est fide et diligentia celebrentur, et cuncta et singula decreta huiusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum iustitiam recurrentibus seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus, tum in aliis actibus et modis quos expedire et convenire toties quoties iudicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversetur.

De eadem cura Superiorum regularium.

9. Caveant etiam respective omnes regulares tum subditi tum superiores quicumque, nedum locales, sed etiam provinciales et generales, ne Missarum celebratio et omnium decretorum praemissorum executio, cum pernicie propriarum animarum, cum praeiudicio illarum quibus Missae sunt applicandae, et cum magno christifidelium scandalo, quoquomodo omittantur, differantur, negligantur seu pervertantur, alioquin ultra propriae conscientiae onerationem, poenam privationis vocis activae et passivae, ac graduum et officiorum quae obtinent, nec non inhabilitationis ad huiusmodi gradus et officia obtinenda prorsus incurrant.

De fide celebrationis Missarum a Superioribus in Capitulis exhibenda.

10. Curent propterea praefati superiores regulares in omnes et singulos contravenientes debitis poenis diligenter et prompte etiam per inquisitionem animadvertere; et insuper teneantur omnes et singuli superiores locales in provincialibus capitulis seu congregationibus exhibere attestationem seu fidem ab omnibus sacerdotibus conventus, monasterii, seu cuiuscumque domus regularis subscriptam et iuratam, quod omnibus et singulis tum perpetuis tum manualibus Missarum oneribus seu obligationibus, ad limites et tenorem praesentium decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino et integraliter satisfactum, vel, deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam huiusmodi residuali implemento Missarum distincte referendarum intra breve tempus moraliter satisfieri, ea adiecta et omnino adimplenda con-

ditione, quod ante praefatae attestationis exhibitionem quicumque superiores locales praedicti vocem activam seu passivam in memoratis capitulis seu congregationibus omnino habere non valeant.

De attestatione provincialium, vicariorum, et visitatorum, quod suo muneri satisfecerint circa praemissa.

11. Praeterea provinciales, vicarii et visitatores provinciarum seu congregationum debebunt, in fine eorum regiminis, superioribus generalibus in forma probante ostendere quod executioni praesentium decretorum sedulo invigilaverint, et ad eorum tenorem in omnibus et singulis conventibus seu monasteriis vel domibus regularibus provinciae seu congregationis de omnibus et singulis oneribus et obligationibus ac insimul satisfactionibus Missarum exactam et diligentem rationem exegerint, ac contra delinquentes ad declarationem et executionem respective poenarum in decretis contentarum processerint, et de adimplemento, circa ea quae in praemissis ad ipsos spectant, legitime docuerint; alias ad vocem activam et passivam in capitulis generalibus nullatenus admittuntur.

De executione praemissorum quoad superiores et officiales locorum piorum.

12. Ceterum, quia etiam ad quamplures archiconfraternitates, confraternitates, societates, congregationes, hospitia, altaria, cappellas, oratoria et ecclesias, ac alia loca et opera pia quomodolibet nuncupata (quae cuicumque curae seu regimini aut administrationi vel directioni laicorum cuiuslibet gradus, status, conditionis et praeeminentiae etiam speciali et individuali nota dignorum dumtaxat, vel quorumcumque ecclesiasticorum et laicorum huiusmodi mixtim commendata, annexa seu quomodocumque commissa vel attributa sunt) onus seu cura celebrationis Missarum, sive manualium, sive ad tempus, vel in perpetuum pertinent; hinc, salvis semper iis, quae in praeinsertis decretis continentur, omnes et quicumque huiusmodi archiconfraternitatum, societatum, congregationum, hospitalium, altarium, cappellarum, oratoriorum et ecclesiarum, ac aliorum locorum et operum piorum rectores seu administratores vel directores, et alii huiusmodi officiales, necnon ii, ad quos cura tabellae et librorum in praemissis spectat, tabellarum libros, et haec decreta respective, iuxta modos superius expressos, similiter retinere, necnon de oneribus ac celebrationibus et eleemosynis dictarum Missarum singulis annis rationem exigere, et respective iis, ad quos pertinet, reddere sub poenis arbitrio, et, in subsidium, excommunicationis, teneantur.

Interdicitur omnibus facultas interpretandi et dispensandi.

13. Postremo omnibus et quibuscumque tam ecclesiasticis personis, cuiuscumque ordinis, status, gradus, regulae, congregationis, societatis, conditionis et dignitatis existant, quam laicis quocumque honore et potestate praeditis, omnia et singula praemissa decreta interpretandi, necnon ecclesiasticis praedictis poenas in huiusmodi decretis relaxandi, seu quoquomodo circa praemissa dispensandi, omnis et quaecumque facultas sit penitus interdicta.

Praedicta de ta confirma

Quocirca, cum dilectus filius noster Ioseph titulo S. Mariae Transpontinae S. R. E. presbyter Cardinalis Sacripantes, memoratae Congregationis Praefectus, praefata decreta nobis retulerit, nos considerantes eadem et singula omnia decreta, ea qua decet maturitate digesta et examinata, ac in vim apostolicae auctoritatis, eidem Congregationi specialiter ut praefertur attributae, peracta, perutilia fore censentes, illaque propterea perpetuo et inviolabiliter observari, nec non Constitutionis nostrae munimine roborare volentes, motu proprio, non ad cuiusquam nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis plenitudine, inserta decreta, omniaque et singula in eis contenta, tenore praesentium, auctoritate apostolica, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis robur et efficaciam adiicimus; quin imo, motu, scientia, deliberatione ac potestatis plenitudine similibus, omnia et singula, in supradictis decretis contenta, de novo statuimus, decernimus et ordinamus, ac ab omnibus et quibuscumque, etiam speciali et individua nota dignis, omnino exacte et perpetuo servari volumus, sancimus et mandamus.

Clausulae.

Decernentes, praesentes litteras etc.

Non obstantibus etc.

242

Missionarii sunt veri pa chi.

S. C. de Prop. Fide *28 Apr. 1698.* — 1. An in Missionibus qui sunt magis antiqui missionarii, parochi in tali Missione censeantur, maxime si capellam seu sacellum, aut ecclesiam et sepulturam habent publicam.

De Missiona rum, qui par censentur, re tione.

2. An ubi sic missionarii parochi censentur, novis missionariis advenientibus, Vicarius Apostolicus vel Episcopus loci possit ad libitum parochiam ab iis amovere, ut novis missionariis concedat.

R. Ad 1. Non esse veros parochos.

Ad 2. Non posse nisi ex gravi causa et consulta prius S. Congregatione.

243

De matrim ab apostatis to post apo siam a fide.

S. C. S. Officii *23 Iulii 1698* – Mission. Capuccin. — 1. An matrimonium inter apostatas a fide, et antea rite baptizatos, post apostasiam, publice more gentilium vel mahumetanorum initum, sit vere matrimonium et sacramentum.

2. An post matrimonium sic initum, si tales duo coniuges iterum ad fidem convertantur et disiungi postulent, possint cum alio vel alia nubere, maxime si contendant quod hoc matrimonium fuerit nullum.

3. An post supradictum matrimonium, si

repudium ante conversionem fecerint, et alteruter coniugum secundum matrim., sicut in usu est, cum alio item baptizato vel baptizata inierit, et si ambo in secundo matrimonio revertantur ad fidem, altero in infidelitate permanente: an, inquam, primum vel secundum matrimonium valeat, et separari debeant qui convertuntur.

4. An, supposito quod matrimonium, ut supra, post apostasiam initum sit, si tamen coniugum alter convertatur, possimus cum illo dispensare, sicut possumus cum infidelibus conversis.

5. An si duo coniuges non baptizati convertantur, et simul habitare renuant, possit cum illis dispensari ut simul nubant.

R. Ad 1. Si adsit pactum dissolubilitatis, non esse matrimonium neque sacramentum; si vero non adsit, esse matrimonium et sacramentum.

Ad 2. Hoc pendet a resolutione et distinctione primi dubii, scilicet negative, si in contractu matrimonii pactum dissolubilitatis non fuerit.

Ad 3. Ut ad proximum, nempe si est validum primum matrimonium iuxta distinctionem praedictam, separandum esse secundum matrimonium.

Ad 4. Negative, supposita validitate primi matrimonii iuxta distinctionem ut supra.

Ad 5. Si dictio *simul nubant* intelligitur quod possint ambo novum matrimonium inire cum aliis, respondendum *negative*, supposita validitate, ut supra. Si vero intelligitur quod possint continuare in matrimonio, *affirmative* etiam sine novo consensu, neque indigere dispensatione.

244

ctoritate rum App. lares.

S. C. de Prop. F. *8 Aug. 1698* (C. P. pro Sin.). — Non licere Vicariis App. eripere ecclesias Regularibus; posse tamen ex legitima causa aliquem regularem removere, dummodo alius restituatur eiusdem Ordinis deputandus a Superiore regulari, et a Vicariis App. approbandus; neque hac in re adversari Breve Clementis IX *(V. n. 186)* iuxta quod licet iisdem Vicariis parochias dividere et multiplicari operarios tum saeculares tum regulares iuxta sacros canones.

245

uantitate ynaeMis-

S. C. Concilii *19 Nov. 1698* – Aprutina. – 1. Quanta debeat esse eleemosyna Missarum manualium.

2. Quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatoribus.

R. Ad 1 et 2. Censuit (S. C.) attendendam esse consuetudinem loci, vel legem synodalem, quatenus adsit; sin minus statuendam esse per Episcopum eleemosynam competentem eius arbitrio.

246

De occultatione fidei catholicae.

S. C. S. Officii *29 Iulii 1699.* — Vir primae nobilitatis in Anglia ab infantia educatus in haeresi calviniana, agnito nuper errore, catholicam fidem amplecti decrevit. Gravissimis vero de causis etiam religionem et statum in isto Regno vere et summopere concernentibus vellet conversionem suam manere secretam. In his autem circumstantiis versatur: numerosam habet familiam, totam haereticam; ministrum quoque haereticum, de more magnatum istius gentis, domi alit, et, cum sit viduus, liberos habet sub haereticis tutoribus constitutos. Igitur ne prodatur eius conversio, quousque saltem occasio affulgeat secure disponendi res suas, quaeritur:

1. An familia sua haeretica conveniente ad preces domesticas haereticas, quas praeelegit dictus minister, possit nobilis ille haerus in eumdem locum convenire, legendo privatim preces catholicas.

2. An possit tuta conscientia liberos suos relinquere sub tutoribus haereticis, dum eos retrahendo proderet fidem suam.

R. Ad 1 et 2. Non posse.

247

De tempore impartiendae indulgentiae plenariae constitutis in mortis articulo.

S. C. S. Officii *Ianuar. 1700.* — Iuxta indultum a S. Sede concessum, missionarii omnes habent, per communicationem, facultatem elargiendi indulgentiam plenariam in articulo mortis constitutis. Verum cum raro inveniant fideles praecise in articulo mortis constitutos, inde fit ut alii dictam Indulgentiam elargiantur ubi tantum est mortis periculum, licet proxime admodum non videatur imminere; alii vero iuxta rigorem verborum non applicant nisi quo tempore agonia videtur proxima; et tunc, quando non observant tam proximum mortis periculum, sive ope medalliorum quibus, auctoritate S. Sedis, huiusmodi Indulgentiae adnexae sunt, quaeque fidelibus dant, sive invocatione SS. Nominis Iesu, prout concessum est a pluribus Summis Pontificibus, monent fideles ut conditiones apponant, quibus tantum beneficium consequi mereantur. Si S. C. determinare censeat cui pacto potius adhaerendum, omnes quotquot sumus praesto erimus S. Sedis iudicio.

R. Ad id quod inter missionarios controvertitur de tempore impertiendae Indulgentiae plenariae constitutis in mortis articulo, S. C. censuit eam temporis circumstantiam satis esse ut rite conferatur, quae sufficit Extremae ipsi Unctioni conferendae, cum nempe infirmus vi

morbi cernitur ad interitum vergere. Neque proximius agoni tempus expectandum esse, quo aegrotus vix sui compos, ad eos plane animi motus edendos impar est, quos Rituale Romanum efflagitat, ut tanti beneficii, sicut Extremae Unctionis, fructus uberius percipiatur. Quamobrem e missionariorum debito fore, post adhibitam infirmo sacramentalem unctionem, eumdem excitare ad ea animo concipienda quae in eodem Rituali libro leguntur, mox vero tam insigni beneficio plenariae remissionis eumdem communire; idque tunc potissimum praestare cum se haud reversuros praevident.

248

Declarationes circa crimen sollicitationis.

S. C. S. Officii *28 Apr. 1700.* — 1. Se per le parole *simulantes confessiones audire* (in Bulla contra sollicitantes) si ricerchi copulativamente la sollecitazione e la confessione vera o simulata a segno che, non concorrendovi queste due circostanze, non vi sia l'obbligo di denunziare.

2. Se quando il confessionario dei monasteri serve anche di collocutorio al confessore, in caso che seguano ivi sollecitazioni, vi sia obbligo di denunziare.

R. Ad 1. Sufficere concursum alterutrius.

Ad 2. Affirmative.

249

De Praefectorum facultatibus.

S. C. de Prop. Fide *30 Aug. 1700* (C. G.). — Se le facoltà del Prefetto (di Missione) debbono durare sino a tanto che saranno ottenute le nuove del successore.

R. Affirmative.

250

De usu pluvialis in processione SSmi Sacramenti.

S. Rit. C. *22 Ian. 1701* – Congregationis Montis Coronae. — 1. An liceat non habentibus usum pluvialis in die et infra octavam Corporis Christi peragere processionem cum SSmo Sacramento, et illud sine pluviali exponere.

De palla in Missa.

2. An in Sacrificio Missae adhiberi possit palla a parte superiori drappo serico cooperta.

De cingulo.

3. An sacerdotes in Sacrificio Missae uti possint cingulo serico.

De luminibus ante SS. Reliquias.

4. An ante sacras Reliquias expositas unica solum lampas continuo ardere debeat an plures.

De floribus ante Tabernaculum.

5. An ante ostiolum Tabernaculi SSmi Sacramenti retineri possit vas florum, vel quid simile, quod praedictum occupet ostiolum cum imagine Dñi Nostri in eodem insculpta.

R. Ad 1. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Congruentius uti cingulo lineo.

Ad 4. Omnino oportere ut super altare saltem ardeant duo lumina; alias Reliquiae non exponantur.

Ad 5. Negative; posse tamen in humiliori et decentiori loco.

251

Circa facultem medicin exercendi.

S. C. de Prop. F. *27 Iunii 1701.* — Se, attesa la restrittiva circa *adustionem et incisionem* posta nel rescritto di facoltà di esercitare la medicina, sia anche proibito di usare adustioni leggere, e cose simili.

R. Non prohibetur, nisi adsit periculum vitae aut mutilationis membrorum.

252

De missionarum depender ab Episcopis

S. C. de Prop. F. *5 Sept. 1701* (C. G.). — Missionem (Valstanensem in dioecesi Eporedien.) esse manutenendam, et missionarios non teneri se subiicere examini Episcopi pro audiendis confessionibus in locis suae missionis; debere tamen se abstinere a parochialibus absque parochorum vel Episcopi licentia.

253

De circumsptione iuris ctionis Vicarum App. et scoporum.

S. C. de Prop. Fide *14 Febr. 1702.* — Nullus Vicarius Ap. iurisdictionem aliquam exercere possit nisi intra limites provinciae seu territorii sibi in Brevi suae deputationis a Sede Ap. demandati. Contra vero nullus Episcopus aut alius Ordinarius, quantumvis metropolitana, seu primatiali, aut alia quacumque dignitate praefulgens in praefatis locis Vic. Ap. curae commissis, ullo modo se ingerere possit aut debeat. Missionariis autem sive saecularibus, sive regularibus, etiam Societatis Iesu, non liceat, etiam vigore suorum privilegiorum, Sacramenta administrare aut alia munia parochialia obire, nisi de licentia praefatorum Ordinariorum seu Vic. Apost. in quorum respective provinciis aut dioecesium eosdem missionarios commorari contigerit.

254

De filiis infi lium inconsi rate baptizati

S. C. S. Officii *25 Ianuar. 1703* – Quebec. — 1. Quid faciendum incumbat missionario qui imprudenter et inconsiderate baptizasset omnes Missionis suae infantes, quorum patres et matres adhuc infideles essent.

Circa Baptis adultis morib dis confere dum.

2. Quaeritur utrum antequam adulto conferatur Baptisma, minister teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius. An non sufficeret si moribundus promitteret fore, ut ubi e morbo convalescet, instruendum se curet, ut in praxim redigat quod ei praescriptum fuerit.

R. Ad 1. Teneri per se vel per alios, quan-

tum fieri potest, instruere filios infidelium imprudenter et inconsiderate baptizatos, cum ad usum rationis pervenerint, monitis etiam ceteris missionariis, imo et Episcopo, quatenus opus fuerit.

Ad 2. Non sufficere promissionem, sed missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.

255

ptizandis adultis, bus invi-

S. C. de Prop. Fide *3 Martii 1703.* — Possunt baptizari, etiam invitis parentibus, pueri adulti qui Baptismum desiderant: adultus autem censetur qui septennium complevit, regulariter loquendo.

256

a Baptis- t alia Sa- ta barba- ltis mori- conferen-

S. C. S. Officii *10 Maii 1703* – Quebec. – 1. Quaeritur an missionarius possit conferre Baptisma, aliaque Sacramenta infirmo barbaro cui explicata sunt religionis mysteria, quique pollicitus est observaturum se mandata; missionarius autem certus est quod non promiserit ea servaturum nisi hoc tantum motivo, scilicet, quod nolit ei contradicere. Multae ipsi supersunt rationes dubitandi, num moribundus sit bene instructus, quia missionarius, linguae barbarae rudis fere atque imperitus, non potuit nisi obiter explicare mysteria sublimia excedentia captum barbarorum, et quamvis moribundus affirmet se omnia capere, exteriora tamen et exiguitas devotionis persuadent id moribundum dicere ex complacentia, ita ut si alius ad eum accederet qui diceret, quod omnia quae dicta sunt ei nihil sint nisi merae fabulae, *etiam, sunt fabulae,* responderet barbarus complacendi gratia. Hoc autem oriri potest ex duobus principiis: Primum quia non capit, quae ei dicuntur; ex. gr. animi levitate, ita ut eo ipso momento, quo dicit: *credo et faciam,* credat revera, et exequi velit, sed minima ratione contraria sententiam mutabit; quod tamen constat quod barbarus nollet uri in inferno, et sic affirmatio eius possit esse vera et ex intimo cordis, difficultas est, utrum credat esse unum Deum et utrum credat esse infernum, an vero audiat quae dicta sunt ei tamquam historiam sibi narratam, quae vera et falsa esse potest.

2. An possit baptizari adultus rudis et stupidus, ut contigit in barbaro, si ei detur sola Dei cognitio, et aliquorum eius attributorum praesertim iustitiae remunerativae et vindicativae, iuxta hunc Apostoli locum *accedentem ad Deum oportet credere quia est et remunerator sit,* ex quo infertur adultum barbarum in certo casu urgentis necessitatis posse baptizari quamvis non credat explicite in Iesum Christum.

3. Utrum missionarius teneatur barbaris adultis baptizatis aut baptizandis omnia praecepta legis positivae divinae intimare, praesertim ea omnia quibus sese submittere difficultatem haberent, ut eiusmodi barbari securitate conscientiae fruantur, licet ea praecepta non observent quae ignorant, eo nitentes iuris axiomate: *Lex non obligat nisi fuerit promulgata.*

4. An sit necessarium ut adulto baptizando explicetur Eucharistiae mysterium.

5. Utrum missionarius ita teneatur baptizandum adultum ad contritionis vel attritionis actum impellere, ut omisso contritionis vel attritionis actu, iure illum baptizare non possit, etiamsi missionarius instrueret eum tam ad eliciendum actum amoris Dei, quam actum resolutionis seu propositi non reiterare peccata commissa. Multo facilius est missionario, qui discit linguam barbarorum, instruere barbaros ut duos postremos actus eliciant quam primos; difficilius enim est facere illos exprimere motivum doloris de peccatis commissis, quia Deo displicent infinite, et quia infinite bonus est, et quia peccatum meretur infernum.

6. Utrum baptizari possit barbarus adultus morti proximus, qui plures secum habens mulieres, pollicetur se nonnisi unam servaturum, si pristinae sanitati restituatur, sed qui dimittere non vult alias; an teneatur missionarius compellere, et insistere ut barbarus dicat quam ex omnibus foeminam electurus sit in coniugem, vel utrum sufficiat barbarum promittere se nonnisi unam habiturum.

7. An possit baptizari barbarus adultus qui permittit, imo qui desiderat ut medici et parentes adhibeant certas caeremonias superstitiosas ad sanitatem procurandam quae ad minimum vanae sunt et inutiles, sed adhuc ignoratur utrum absolute sint contra religionem catholicam; quaeritur autem utrum missionarius illum baptizare possit, antequam certo sciat quid significent tales caeremoniae et cui dirigantur.

8. Utrum conferendum sit Viaticum aut Extrema Unctio moribundis adultis, quos aliquando Baptismi capaces credimus, non autem Communionis aliorumque Sacramentorum.

R. Ad 1. Non licere, si missionarius sit moraliter certus, prout in dubio asseritur, barbarum infirmum non sufficienter iuxta proprii captus mensuram intellexisse mysteria religionis christianae sibi explicata, aut ea sufficienter non credere, et ex solo motivo non contradicendi promittere se servaturum mandata eiusdem religionis.

Si vero missionarius prudenter credat infirmum barbarum, quando dicit: *credo et faciam,* revera tunc sufficienter credere serioque promittere se servaturum, ut supra, debere baptizari.

Si autem de praedictis missionarius dubitet, et tempus non suppetat illum melius instruendi,

immineatque periculum mortis, debere itidem baptizari sub conditione.

Ad 2. Missionarium non posse baptizare non credentem explicite in Dominum Iesum Christum, sed teneri illum instruere de omnibus iis quae sunt necessaria necessitate medii iuxta captum baptizandi.

Ad 3. Teneri omnia praecepta legis positivae divinae intimare.

Ad 4. Quoad adultum extra mortis periculum, per se loquendo, teneri, nisi tale in contrarium urgeat motivum ut expediens prudenti missionario iudicetur dilatio post baptismum. Quoad moribundum, pariter teneri, nisi vel tempus non suppetat, vel tanta praevideatur in eo animi perturbatio, ut a susceptione Baptismi distrahere valeat.

Ad 5. Teneri missionarium inducere baptizandum adultum ad eliciendum actum contritionis vel attritionis.

Ad 6. Non licere si ex illis mulieribus una sit uxor legitima et ceterae concubinae, nisi prius eiectis concubinis; si vero habuerit omnes tamquam legitimas uxores, pariter non licere, nisi eiectis omnibus praeter primam, si cum ea valide contraxit, et velit secum cohabitare absque Creatoris iniuria. Si tandem vel omnes simul et unico actu acceperit in uxores, vel omnes habeat ut concubinas, non licere nisi eiectis omnibus ante susceptionem Baptismi.

Ad 7. Stante certitudine quod caeremoniae illae ad minimum sint vanae et inutiles, et sub dubio an sint contra religionem catholicam, non licere.

Ad 8. Non esse administrandum Viaticum neophyto moribundo nisi saltem discernat cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in sacra hostia praesentiam Christi Domini. Non esse pariter conferendum Sacramentum Extremae Unctionis neophyto moribundo quem missionarius capacem Baptismi credidit, nisi saltem idem habeat aliquam intentionem recipiendi Sacram Unctionem in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam.

257

De matrim. proclamationibus quoad barbaros.

S. C. S. Officii *14 Iunii 1703* – Quebec. – Utrum barbaris danda sit dispensatio generalis a proclamationibus matrimonii.

R. Negative.

258

De loco residentiae Vicariorum App.

S. C. de Prop. F. *20 Iunii 1703* — Quebec. — Licere Vicariis App. degere ubi voluerint in suo districtu (1).

259

An baptizandi filii infidelium barbarorum.

S. C. S. Officii *24 Aug. 1703* Quebec. — Quaeritur utrum baptizare liceat infidelium seu barbarorum liberos qui rationis usum nondum attigerunt, praesertim parvulos alkonkinorum aliorumque barbarorum qui, licet baptizati, nullum fere nostrae religionis actum exercent, sed per nemora vagantur, superstitiones pristinas sequuntur, quorumque liberi, cum adoleverint, imitatores fiunt.

R. Non licere si sint filii infidelium et in potestate eorum relinquendi, secluso tamen mortis imminentis periculo; licere vero si sint filii barbarorum baptizatorum. Curandum tamen per missionarios ac per ipsosmet parentes ut, cum ad annos discretionis pervenerint, a se vel ab aliis instruantur, praesertim si in illis regionibus non praevideatur in promptu suo tempore adfuturos ministros evangelicos qui in hoc parentum commode supplere possint defectum.

260

In scholas Collegii Urbani haud admittendi extari.

S. C. de Prop. F. *3 Dec. 1703* (C. G.). — Conquerentibus huius Collegii Urbani alumnis, externorum ad scholas admissione, praeceptores ab ipsorum diligenti institutione non parum distrahi indeque eorum profectum plurimum impediri, Emi PP. huic incommodo occurrere, simulque exactiori alumnorum disciplinae, quae saecularium consuetudine detrimenti aliquid capere facile posset, providere volentes, decreverunt arcendos omnino esse exteros a scholis praedicti Collegii.

261

De dependentia Confraternitatum a parochi

S. Rit. C. *12 Ian. 1704* – Urbis et Orbis (Iurium parochialium, functionum et praeeminentiarum inter parochos et confraternitates laicorum earumque cappellanos et officiales). — Ad debitum imponendum finem controversiis, quae inter Parochos et Confraternitates saeculares earumque cappellanos et officiales super iuribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis, nonnullisque praeeminentiis seu praerogativis frequenter exoriri solent, in S. R. C. ab Emo et Rmo D. Card. Colloredo propositis infrascriptis dubiis, videlicet:

1. An Confraternitates laicorum legitime erectae in ecclesiis parochialibus habeant dependentiam a Parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus?

---

(1) In Litt. S. C. de Prop. F. *8 Oct. 1723* ad Vic. Ap. Tunkin. declaratur: Licere Vicariis App. pro tempore degere in suo Vicariatu ubi maluerint cum facultate constituendi sibi peculiarem districtum in ambitu Sedis in qua suum ipsi figent domicilium. Quod si ibi alius fuerit missionarius, Vicarius Ap. alium illi districtum assignet.

2. An dictae Confraternitates erectae in cappellis vel oratoriis tam publicis quam privatis, adnexis parochialibus ecclesiis et ab eis dependentibus, habeant dictam dependentiam a parocho quoad dictas functiones?

3. An Confraternitates erectae in aliis ecclesiis publicis habeant quoad easdem functiones aliquam dependentiam a Parocho, intra cuius parochiae limites sitae sunt ecclesiae?

4. An Confraternitates erectae in Oratoriis tum publicis tum privatis seiunctis ab ecclesiis parochialibus, quoad dictas functiones ecclesiasticas habeant dictam dependentiam a parocho?

5. An benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum sint de iuribus mere parochialibus?

6. An benedictiones mulierum post partum, Fontis Baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium sint de iuribus mere parochialibus?

7. An functiones omnes Hebdomadae Sanctae sint de iuribus mere parochialibus?

8. An celebratio Missae solemnis Feria V in Coena Domini sit de dictis iuribus parochialibus?

9. An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto sit de dictis iuribus parochialibus?

10. An celebratio Missarum solemnium per annum, sive pro vivis sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus?

11. An expositio quadraginta horarum et benedictio, quae fit super populo, sit de dictis iuribus mere parochialibus?

12. An expositio, quae fit cum Reliquiis et Sacris Imaginibus, et benedictio quae cum eis fit super populo, sit de dictis iuribus parochialibus?

13. An functiones in praecedentibus octo dubiis, videlicet a dubio 5 ad 12 expressae, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente parocho?

14. An in dictis oratoriis privatis Confraternitatum per confratres statis horis recitari possint horae canonicae cum cantu vel sine cantu, absque alia licentia parochi?

15. An in dictis oratoriis privatis sit licita celebratio Missae privatae, assentiente Ordinario loci, et contradicente parocho?

16. An cappellani Confraternitatum possint populo denunciare festivitates et vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia parochi?

17. An parochus, invitis confratribus, docere possit doctrinam christianam in praedictis ecclesiis et oratoriis publicis vel privatis, a parochiali divisis et separatis?

18. An in dictis ecclesiis publicis Confraternitatum possint haberi publicae conciones, etiam per totum cursum Quadragesimae vel Adventus, cum licentia Ordinarii et absque licentia parochi?

19. An in eisdem ecclesiis possit celebrari Missa sive lecta sive cantata, ante Missam parochialem sive lectam sive cantatam?

20. An ad parochum spectet facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in dictis ecclesiis et oratoriis publicis Confraternitatum?

21. An intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri possint processiones, iuxta cuiusque Confraternitatis institutum absque interventu vel licentia parochi?

22. An eaedem processiones fieri possint extra ambitum dictarum ecclesiarum, absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeundum est?

23. An in dictis processionibus cappellani Confraternitatum possint deferre stolam?

24. An Episcopo accedenti ad ecclesias publicas Confraternitatum quae non sint Regularium, neque proprium rectorem beneficiatum habeant, porrigendum sit aspersorium a Parocho, in cuius territorio sunt sitae dictae ecclesiae?

25. An earumdem ecclesiarum et Confraternitatum rectores et cappellanos possit parochus, cessante speciali ac legitimo titulo et ex solo iure parochiali, compellere invitos ad assistendum functionibus ecclesiae parochialis?

26. An in dictis ecclesiis Confraternitatum, neque parochialibus neque regularibus, retineri possit SS. Eucharistiae Sacramentum sine speciali indulto Sedis Apostolicae?

27. Praesupposita facultate retinendi, an possit infra annum publice exponi sine licentia Ordinarii?

28. An possit parochus se ingerere in administratione oblationum, eleemosynarum in dictis ecclesiis collectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere?

29. An in ecclesia parochiali confratres vel eorum cappellani immiscere se valeant, invito parocho, in eiusdem ecclesiae functionibus, sive parochialibus sive non parochialibus?

30. An Confraternitates, sive sint erectae in ecclesia parochiali sive extra illam, possint pro libitu et iuxta uniuscuiusque peculiaria statuta congregationes suas facere, absque interventu vel licentia parochi?

31. An possint propria bona administrare ac de illis disponere, absque ulla dependentia a parocho?

32. Quando parochus eisdem congregationibus intersit de mandato Ordinarii, et tamquam eius delegatus, an possit suffragium decisivum ferre? et quatenus affirmative,

33. An etiam suffragium duplex?

S. R. C., re mature discussa, respondendum esse censuit:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Negative.
Ad 4. Negative.
Ad 5. Negative.
Ad 6. Negative; sed benedictionem Fontis Baptismalis fieri debere a Parochis.
Ad 7. Negative, prout iacet.
Ad 8. Negative, prout iacet; sed spectare ad parochos.
Ad 9. Negative, prout iacet, sed spectare ad ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X n. 22, § 14.
Ad 10. Negative, prout iacet; sed licere confratribus dumtaxat in festivitatibus solemnioribus eiusdem ecclesiae vel oratorii.
Ad 11. Negative.
Ad 12. Negative; et quoad benedictiones cum Reliquiis et imaginibus serventur decreta.
Ad 13. Satis provisum in superioribus.
Ad 14. Affirmative; nisi aliter Ordinarius statuat ex rationabili causa.
Ad 15. Affirmative.
Ad 16. Affirmative.
Ad 17. Negative.
Ad 18. Affirmative.
Ad 19. Negative, nisi aliter Episcopus disponat.
Ad 20. Affirmative, quando tumulandus est subiectus parocho, intra cuius fines est ecclesia vel oratorium.
Ad 21. Affirmative.
Ad 22. Negative, nisi adesset licentia Episcopi.
Ad 23. Negative extra propriam ecclesiam.
Ad 24. 25. 26. 27. 28. 29. Negative.
Ad 30. Affirmative, dummodo non impediant functiones et divina Officia.
Ad 31. Affirmative.
Ad 32. et 33. Negative.

Et ita, salvis tamen conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis et a S. Sede approbatis, Indultis, Constitutionibus synodalibus et provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis, declaravit ac decrevit (Die 10 Dec. 1703), *Si SSmo D. N. videbitur.* — SSmus laudavit benigneque approbavit, et publicari et, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus, servari mandavit.

262

De exercitio facultatum missionarior. usque ad discessum a Missione.

S. C. de Prop. F. *12 Febr. 1704.* — Cum alias sub die 16 Martii 1668 *(V. n. 167.)* S. C. missionariis apostolicis iniunxerit ne a Missione discedant nisi prius ab eadem S. C. obtenta licentia redeundi, quantumvis tempus residendi in Missione iuxta eorum decreta integre compleverint, quod etiam per lapsum facultatum expirare non censeatur, et in hoc tempus itineris non comprehendatur; eadem S. C. declaravit missionarios praedictos donec confirmationem missionis, seu licentiam ut supra discedendi a Missione obtinuerint, facultates suas exercere posse ut antea, etiamsi tempus earum lapsum fuerit.

263

De facultate tendi Oleis sanctis veteribus.

S. C. S. Officii *14 Febr. 1704* — Aethiopiae. — Se il missionario, non avendo commodità dei nuovi olî santi, possa usare li vecchi e per quanto tempo.

R. Factis debitis diligentiis, si nova olea non suppetant, posse missionarium ex privilegio Clementis VIII uti veteribus oleis per quatuor annos et ultra.

264

De accessu ecclesias schismaticorum.

S. C. S. Officii *10 April. 1704* – Aethiopiae. — Se almeno nelle feste principali dell' anno possano i convertiti, per evitare le persecuzioni alle quali soccomberebbe, come altre volte, la religione cattolica, comparire nelle chiese degli scismatici, e trattenersi poco tempo, quando specialmente gli scismatici celebrano, e recitano i divini officî, senza veruna cooperazione e consenso al rito eretico ma solamente baciare la porta della chiesa, fare tre adorazioni alla SS. Trinità, venerare le sacre imagini, e recitare privatamente qualche salmo, *Pater, Ave* o altre simili orazioni.

R. SSmus decrevit: Negative.

265

Dè facultà missam celebrandi in templis catholicorum.

S. C. S. Officii *12 Apr. 1704.* — SSmus Dominus.... ad facilius promovendam schismaticorum et infidelium conversionem illosque alliciendos ad fidem catholicam amplectendam sacrarum caeremoniarum intuitu, benigne indulsit P. Praefecto seu Vice-Praefecto missionariorum pro tempore in Aethiopia existentibus ut pro eorum arbitrio et conscientia dispensare possint cum eisdem missionariis, eisque facultatem concedere celebrandi sacrosanctum Missae sacrificium catholico romano ritu super altaribus in templis haereticorum seu schismaticorum in Aethiopia, ita ut eadem altaria non inserviant nisi pro nudis tabulis, et more catholicorum disponantur cum sacrato lapide, mappis, SSmi Crucifixi imagine, candelabris, et aliis necessariis supellectilibus ad usum ssmi Missae sacrificii ritu praedicto; numquam tamen generaliter, sed in casibus particularibus, in quibus alia loca commodiora non suppetant, et urgens sit necessitas ad facilius dictam conversionem promovendam, et insuper ad catholicorum consolationem, aliisque iustis et urgentissimis de causis indicandis ab iisdem P. Praefecto seu Vice Praefecto missionariorum, super quibus eorum conscientiam oneravit.

266

S. Rit. C. *12 Iulii 1704.* – Urbis. — 1. An cruces altarium seu processionum sint benedicendae de praecepto.

2. An, si non de praecepto, possit simplex sacerdos eas benedicere private et non solemniter.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative.

267

S. C. S. Officii *7 Aug. 1704.* — 1. An decretum quo prohibetur catholicis schismaticorum Missis et eorum orationibus interesse, intelligatur etiam pro locis in quibus non reperiuntur sacerdotes catholici, et de orationibus in quibus nihil contra fidem et ritum catholicum habetur.

2. An sacerdos armenus schismaticus factus catholicus aliquo modo possit in celebratione Missae dispensari ab aqua in calicem publice effundenda, dummodo in sacristia eam secreto infundat.

R. Ad 1. SSmus censuit: Affirmative.

Ad 2. Negative.

268

S. C. de Prop. F. *4 Maii 1705* (C. G.). — Emi PP. censuerunt expedire ut alumni (Collegii Urbani) qui admittuntur completo aetatis anno decimoquarto, antequam iuramentum praestent, expectent sex menses a die admissionis; qui vero admittuntur ante completum annum decimumquartum, expectent adhuc sex menses postquam compleverint eumdem annum decimumquartum.

2. Pariter expedire ut Sanctitas Sua dignetur remittere arbitrio S. Congregationis prorogationem termini ad iuramentum praestandum in casibus particularibus, ubi fuerit necessarium.

Quibus omnibus per R. P. D. Secretarium Sanctissimo D. N. relatis, Sanctitas Sua benigne annuit, et ita in posterum servari mandavit, quibuscumque non obstantibus.

269

S. R. C. *20 Martii 1706.* – Urbis et Orbis. — 1. An cum multis Congregationibus vel Religionibus, sive Ecclesiis vel nationibus concessum sit a S. Sede Ap. ut semel vel pluries in singulis hebdomadis vel mensibus celebrentur varia Officia *per annum*, ex. gr. de SSmo Sacramento, vel de Sanctis in diebus non impeditis aliquo festo duplici vel semiduplici, liceat eiusdem Officia facere etiam diebus Quadragesimae, Adventus, Vigiliarum, et Quatuor Temporum, etiamsi de iis diebus nulla sit facta specialis mentio in aliquibus Officiorum concessionibus.

2. An Regulares absque speciali privilegio, sed sola communicatione privilegiorum aliarum Religionum possint addere nomen S. Fundatoris in litaniis et *Confiteor*, itemque recitare Officia et Missas concessas aliis Religionibus. Circa additionem nominum Sanctorum Fundatorum in litaniis et *Confiteor*.

R. Ad 1. Negative; et huiusmodi indulta non habere locum in feriis Adventus, Quadragesimae, Quatuor Temporum, et Vigiliarum, sive cum ieiunio sive absque ieiunio, nec in feria II Rogationum, nec in illa feria, in qua secundum rubricas sit reponendum Officium Dominicae.

Ad 2. Negative in omnibus.

270

S. C. S. Officii *22 Iul. 1706* — Aethiopiae. — Utrum liceat celebrare cum vino facto ex uvis passis. De vino ex uvis passis in Missa.

R. Licere, dummodo liquor ex colore et gusto dignoscatur esse vere vinum.

271

S. C. de Prop. Fide. — *22 Febr. 1707.* — Decretum quo rigorose prohibetur missionariis ne puellas et pueros in domibus particularibus doceant *(V. n. 145)*, esse extendendum ad omnes Religiosos. De loco pueris instituendis.

272

S. C. Ep. et Reg. *4 Iun. 1707.* — Potest Episcopus per seipsum vel per suum delegatum intervenire et assistere congregationibus Confratrum, etiamsi fiant in ecclesiis et oratoriis Regularium, in quibus reperiuntur societates erectae, absque eo quod possit excludi; votum tamen dare non debet. De dependentia Confraternitatum ab Episcopo.

273

S. C. de Prop. F. *4 Oct. 1707* (C. G. coram SSmo). — Cum actum sit an expediat eos qui a S. C. in varias mundi regiones missionarii designandi sunt, postquam de eorum vitae morumque integritate constiterit, examini subiicere quoad doctrinam antequam ipsis Litterae Patentes et facultates solitae concedantur..., statutum fuit tres ex Emis S. Congregationis Cardinalibus esse deputandos, inter quos Emus Praefectus, qui, una cum D. Secretario pro tempore, eiusmodi missionariorum examen ut supra, coram se instituant, adhibitis ad hoc lectoribus S. Theologiae controversiarum Collegii Urbani, qui examinandos interrogent super materiis, quae locis Missionum ad quas transmittendi erunt, congruant, praecise vero super usu ac praxi facultatum quae ipsis missionariis communicari solent, relicta tamen Emis Depu- De missionariorum examine.

tatis plena facultate pro eorum arbitrio omittendi aliquando cum aliquo notae virtutis viro hoc examen, aut illud in forma minus solemni instituendi, prout ipsi melius iudicaverint, eorum in hoc conscientia onerata, non sine tamen spe fore, ut ipsi serio reputent quanti referat eos qui missionarii designantur, praeter vitae exemplaritatem morumque sanctimoniam, ea doctrina praeditos esse oportere quae iis necessaria est qui Christi praeceptum illud implere debent: *Euntes ergo docete omnes gentes* etc. Ea autem facultas, atque arbitrium Emis Deputatis vigore huius decreti concessum quoad missionarios qui ex Romana Curia in Missiones mittendi sunt, conceditur etiam Nunciis Apostolicis et Episcopis dioecesanis quoad eos qui e locis extra Curiam mittentur.

274

De facultate ordinandi extra tempora.

S. C. S. Officii *31 Maii 1708.* — Quomodo intelligi debeat § 13 in facultatibus Form. III contentus sonans: *ordinandi extra tempora;* utrum Episcopus ordinare possit quoscumque etiam alterius dioecesis absque expresso indulto Apostolico; utrum in hac subdelegare possit alium Episcopum.

R. Negative.

275

De absolutione defunctorum post Missam.

S. Rit. C. *4 Augusti 1708.* - Picena. - An diebus quibus fit de festo duplici, cum non possit dici Missa de *Requiem* nisi in die obitus, anniversarii etc., possit, cantata Missa de Sancto, fieri in fine huius Missae absolutio circa lecticam collocatam in plano ecclesiae, canente choro: *Libera me Domine* etc.

R. Negative.

276

De communicatione in divinis cum acatholicis.

S. C. S. Officii *15 Maii 1709.* — Non licere catholicis communicare cum haereticis et schismaticis, et eorum confessiones audire, nec coram illis emittere, nec iis sacram. Eucharistiam conferre.

277

Circa facultatem dispensandi *cum haereticis conversis.*

S. C. S. Officii *26 Sept. 1709.* — Circa facultatem *dispensandi in 2. gradu cum haereticis conversis* quaeritur: An hoc liceat in casu quod una pars contrahentium sit talis, et instet pro gratia, an vero ambo debeant esse conversi.

R. Vel res est de duobus haereticis quorum unus tantum conversus sit ad fidem catholicam, altero remanente in statu haeresis, vel de duobus quorum unus tantum sit haereticus, alter vero catholicus natus. In primo casu requiri quod ambo sint ad fidem catholicam conversi; at in secundo satis esse quod unus tantum sit conversus.

278

De ordinatis a Episcopis acatholicis.

S. C. S. Officii *21 Nov. 1709.* — Bisognando qualche ministro per servigio delle chiese degli armeni cattolici, tanto in Aspaan quanto in Giulfa, per non esservi vescovi armeni cattolici, si mandano ad ordinare ed a prender gli ordini sacri da qualcuno dei vescovi scismatici ed eretici.

R. Nullo modo licere; et ordinati ab huiusmodi Episcopis sunt irregulares, ac suspensi ab exercitio Ordinum.

279

De pontificiis Constitutionibus *contra sollicitantes.*

S. C. S. Officii *13 Iunii 1710.* — Le Costituzioni pontificie emanate *contra sollicitantes* comprendono tutte le nazioni, ed in conseguenza così obbligano i greci come gli armeni.

280

Circa tempus sacros Ordines conferendi.

S. C. S. Officii *5 Mart. 1712.* — Elphinen. — An Episcopus in Hibernia, cogente temporum necessitate, possit omnes sacros Ordines conferre die Dominica, et duobus festis duplicibus in eadem vel sequenti hebdomada occurrentibus, cum collatio Ordinum sacrorum tali modo facta possit fieri sine periculo, ac maiori cum securitate.

R. Affirmative in tribus festis de praecepto non continuis sed interpolatis, iuxta formam Constitutionis s. m. Innocentii XII.

281

Circa facultatem dispensandi in affinitate consanguinitatis.

S. C. S. Officii *19 Octobr. 1712.* - Miss. Tibet. — An facultas *dispensandi in 3 et 4 consang. et affinit. simplici et mixto tantum, et in 2, 3, et 4 mixtis, non tamen in 2 solo quoad futura matrimonia* etc. quaeritur an ista facultas dispensandi in gradibus affinitatis includat affinitatem illicite contractam, nec ne. Et si responsio affirmative se habeat, quomodo a dictis missionariis dispensari possit si semper attingit primum gradum; et si est negativa, supplicatur pro ista facultate licet attingat primum gradum; et: An ista facultas dispensandi in gradibus consanguinitatis et affinitatis intelligatur etiam pro catholicis, cum dicat privilegium: *cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam.*

R. Quoad primum dubium, in quo quaeritur *an facultas dispensandi in gradibus affinitatis includat affinitatem illicite contractam, nec ne;* respondendum esse: *Affirmative.* In reliquis vero respondendum esse: *Negative.*

282

Circa baptisum foetus abortivi.

S. C. S. Officii *5 Aprilis 1713.* — In casibus propositis (nempe de baptismo foetus abortivi) si suppetat rationabile fundamentum dubitandi an foetus ille sit animatus anima rationali, tunc potest et debet baptizari sub conditione; si vero non suppetat rationabile fundamentum nullatenus potest baptizari. Ad videndum autem an sit rationabile fundamentum talis dubii, consulendi sunt medici et theologi in facti contingentia, sive in casibus particularibus.

283

e baptizandis ultis in itinere.

S. C. S. Officii *22 Maii 1713.* — Se i missionarî viaggiando possano conferire il santo Battesimo agli adulti, se si presentano per domandarlo, senza precedente istruzione, se non quanto in quell'angustia di tempo si può loro suggerire, dei misteri di nostra fede, e dell'essenza di quel Sagramento, essendovi persone che si obblighino di pienamente istruirli secondo la loro capacità.

R. Negative.

284

patrinis puecs aetatis.

S. Rit. C. *23 Aug. 1713.* — Naxivan. — Per lo più e quasi sempre nel battesimo fanno l'officio di patrini piccoli figliuoli di nove o dieci anni, poco più poco meno; e sinora non ho veduto uomo di perfetta età a far simile officio: pare che se ne vergognino. Non so se possa tollerarsi.

R. Ad mentem; et mens est quod Archiepiscopus, attentis locorum et personarum circumstantiis, moneat, dispenset et licentiam concedat, prout suae prudentiae visum fuerit.

285

e confirmatioet extensione creti de Epporum resintia.

Decr. S. C. de Prop. F. *17 Iun. 1715.* — S. C. censuit supplicandum SSmo pro confirmatione et renovatione decreti s. m. Alexandri VII 26 Iulii 1662 *(V. n. 146)* et eiusdem extensione ad omnes Regulares a S. Sede Ap. etiam ad nominationem seu supplicationem S. Congr. Prop. Fidei ad officia Vicarii Ap. seu Ecclesiae alicuius Administratoris seu Visitatoris promovendos cum charactere episcopali.... Censuit etiam S. C. iuramentum de huiusmodi decreto observando, quod alias praestari deberet in manibus Emi Cardinalis Ecclesiam in Consistorio proposituri, posse praestari coram Emo Praefecto seu Secretario eiusdem S. Congr. ante consecrationem eiusdem Episcopi seu Archiepiscopi; transmittendum vero decretum s. m. Alexandri VII cum extensione, ut supra, ad Secretarium Brevium, ad D. Auditorem SSmi, et ad magistros caeremoniarum qui Emo Episcopo consecranti, ante ipsam consecrationem affirment eiusdem iuramentum fuisse praestitum eaque de re in suis registris faciant mentionem. — SSmus approbavit.

286

De Sacram. Poenitentiae quoad adultos sub conditione baptizandos.

S. C. S. Officii *17 Iun. 1715.* — An plena fides sit adhibenda Carolo Wipperman de Rostoch in ducatu Muxlembourg praedicanti, et lectori theologiae lutheranae quietisticae, superintendenti, et doctori primario sectae lutheranorum quietistarum, S. Fidei Catholicae reconciliato in S. O. Parmae, et circa nonnullos errores detectos in eius Baptismo: an ipsi credendum sit circa ea quae enarrat. Et quatenus affirmative: tum ut ipsius saluti, tum etiam ut caeterorum illius sectae seu religionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur, quaeritur: an dictus Wipperman sit rebaptizandus; et quatenus affirmative: an absolute vel sub conditione; et quatenus affirmative: an teneatur confiteri omnia peccata praeteritae vitae; et quatenus affirmative: an confessio praeponenda sit vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione.

R. Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione, et collato Baptismo, eius praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur.

287

Circa facultatem absolvendi haereticos.

S. C. S. Officii *25 Iunii 1715.* — Episcopus Constantien. obtinuit ab hac Sacra Congr. S. O. facultatem absolvendi haereticos poenitentes, id est:

1. Recipiendi haereticos illosque absolvendi dummodo sincere coram notario et testibus abiuraverint, et iuramentum praestiterint a similibus in posterum abstinere: et haec facultas in solidum conceditur Episcopo et eius Vicario in spiritualibus generali: et quidem absolvendi in utroque foro.

2. Pariter in utroque foro absolvendi legentes libros prohibitos haereticorum.

3. Dispensandi super irregularitate cum haereticis poenitentibus in utroque foro.

4. Ut, cum singulares casus occurrerint, vel expedire videbitur, possit Episcopus 18 sacerdotes subdelegare, qui haereticos, abiuratis prius verbo in ipso Sacramento Poenitentiae haeresibus, praestitoque iuramento in illas amplius non incidendi, in foro dumtaxat conscientiae, citra ullam habilitatem et dispensationem, valeant absolvere.

5. Deputandi alios 18 sacerdotes, qui valeant absolvere poenitentes (in foro dumtaxat

conscientiae) ab omnibus casibus reservatis etiam in bulla Coenae, de praeterito et usque in diem datae praesentium tantum incursis.

Ultimo, quod talis facultas valeat ad quinquennium, ab infra data proxime futurum.

Circa talem facultatem proponit Episcopus quaedam quaesita, et petit:

1. An haeretici poenitentes de necessitate coram notario et testibus abiurare debeant.

2. Utrum ubi impune grassatur haeresis, non sufficiat eos abiurare coram Poenitentiario in foro interiori.

3. An iurare debeant de necessitate, quod a similibus abstinere velint.

4. Utrum propter periculum periurii non expediat remittere tale iuramentum.

5. Quomodo intelligendus sit numerus 18 sacerdotum delegandorum.

6. Utrum propter frequentes casus, maxime in dissitis dioeceseos locis, possit alios delegare, in casu quo 18 fuissent delegati.

7. An Episcopi ultramontani, et maxime in Germania, expleto quovis quinquennio, debeant pro confirmatione talis facultatis instare.

8. Utrum tamquam perpetui Inquisitores haereticae pravitatis gaudeant dicta facultate perpetuo, iuxta Conc. Tridentinum.

9. An saltem ad annos regiminis cuilibet intranti Episcopo concedenda sit ista facultas.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Non sufficere, si velint absolvi in foro externo: sufficere autem, si tamen in foro interno absolvant, dummodo Poenitentiarius sit delegatus ab Episcopo iuxta formulam facultatis.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Non expedire, nec licere.

Ad 5. Debere intelligi ut vel omnes simul in diversis dioeceseos locis deputentur, ut praesto sint poenitentium indigentiae; vel secundum casuum contingentias singillatim deputentur, ita ut, uno vel altero casu expleto, subdelegati cesset facultas.

Ad 6. Negative.

Ad 7. Affirmative.

Ad 8. et 9. Negative.

288

Pro dispensationib. matrimonialib. nihil recipiendum.

S. C. de Prop. F. *14 Ian. 1716* (C. G.). — Naxivan. — Se per le dispense matrimoniali che concede (l'Arcivescovo), e per le quali gli vien proibito di esigere cosa alcuna, sia anco proibito il ricevere *sponte oblata*.

R. Transmittatur Decretum S. C. Concilii 3 Iulii 1634 (1).

289

De missionariorum remotione.

S. C. de Prop. Fide *28 Febr. 1716* (C. P. pro Sin.). — Missionarios S. C. non posse removeri nec alio transmitti sine licentia S. Congregationis.

290

De spoliis missionariorum.

S. C. de Prop. F. *4 Mart. 1716* (C. G.). — Quatenus praetendant (Superiores Regulares in Tunkino) spolia missionariorum S. Congregationis, ad eamdem recurrent; et interim Praefectus seu Superior Missionis retineat spolia consignanda cui S. Congr. mandabit.

291

Item de spoliis missionariorum.

S. C. de Prop. F. *10 Nov. 1716* (C. G.). — Spolia rerum omnium tempore missionis acquisitarum non modo a missionariis, sed etiam ab Episcopis Regularibus, aere et sumptibus eiusdem S. Congr. in Missione degentibus, post eorum obitum ad S. C. spectare, et in utilitatem Missionis eroganda.

292

De spoliis Episcoporum.

S. C. de Prop. F. *22 Dec. 1716* (C. G.). — 1. Se i predetti decreti *(V. nn. 290. 291.)* si devono anche estendere alli spogli dei Vescovi Regolari mantenuti dalla S. Congregazione.

2. Se i spogli dei Vescovi dipendenti dalla S. C. spettino alla medesima, che a tali Vescovi ha somministrato i sussidî, o siano provvisioni annue, ad effetto però di erogarli in beneficio delle Missioni, e specialmente della Chiesa nella quale il Vescovo è morto.

R. Ad 1. et 2. Affirmative.

293

De irregularitate ob bigamiam.

S. C. S. Off. *2 Iun. 1718* – Graeco-Melch. — Non esse admittendos bigamos ad sacros Ordines, praeterquam in casu dispensationis concessae a S. Sede Apostolica, seu ab eius delegatis ad id specialem facultatem habentibus.

294

Indulgentiae numismatum, coronarum etc. non transeunt ab una ad aliam personam.

S. C. Indulg. *23 Febr. 1721.* — An ratione aliqua fieri possit quod rustici quibus

(1) S. C. Concilii *3 Iul. 1634:* « Utrum Episcopi « Hiberniae, aut alii dioecesium superiores, qui hoc « tempore nullam aliam habent sustentationem, quam « quaedam subsidia quae a suae dioecesis parochis re- « cipiunt, possint mulctam pecuniariam, quam impo- « nunt ob concessas dispensationes, iuxta SSmi pote- « statem ad id factam, in impedimentis canonicis, in « suum usum convertere. — R. Non posse quid mi- « nimum recipere ».

ab oratoribus numismata traduntur (1), eadem suis aut consanguineis aut amicis absque indulgentiae detrimento deferre valeant. — Verba formulae quibus statuitur ut numismata aliis tradita indulgentiis careant, sunt quae sequuntur: *In distribuendis huiusmodi coronis crucibusque etc. eorumque usu SSmus servari iubet decretum fel. rec. Alexandri VII editum sub die 6 Februarii 1657, nimirum ut coronae, cruces, rosaria, numismata, quae vulgo* medaglie *nuncupantur, et sanctae imagines cum praefatis indulgentiis benedictae, non transeant personas illorum quibus a Sanctitate Sua concessae sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur, neque commodari aut precario dari possint, alioquin careant indulgentiis iam concessis* (2).

R. Servetur formula decreti fel. rec. Alexandri PP. VII.

---

(1) Hoc postulatum fecerunt nonnulli qui, ut rusticos ad pias cohortationes audiendas divinorumque praeceptorum explicationem percipiendam allicerent, sacris quibusdam munusculis utebantur.

(2) *Indulgentiae quas summus Pontifex, vel ab eo delegatus benedicendo Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, Numismata,* Medaglie *vulgo nuncupata, impertitur christifidelibus, qui secum habentes, vel apud se retinentes aliquod ex praefatis, infrascripta pia opera implebunt:* (*)

Utriusque sexus christifideles in primis admonitos vult Sanctitas Sua, ut quis consequi valeat Indulgentias, quas in praefata benedictione concedit, necessario requiri aliquod ex enunciatis Numismatibus, Coronis etc. secum habere, aut apud se retinere.

Item orationes, devotasque preces infrascriptas, uti conditiones pro Indulgentiarum consecutione requisitas, unumquemque teneri recitare, vel secum deferendo Coronam, Crucifixum etc. vel si quis secum non habeat, eadem in cubiculo vel alio decenti loco suae habitationis retinere, et coram eis respectivas preces recitare debebit.

Praeterea ab huiusmodi benedictione Sanctitas Sua reiicit Imagines sive impressas sive depictas, necnon Cruces, Crucifixos, parvas Statuas Numismata vulgo *Medaglie* nuncupata, quae ex ferro, stanno, plumbo, vel ex fragili alia materia, facilisque consumptionis conficiuntur.

Vult denique Sanctitas Sua Imagines et Icones benedicendas repraesentare Sanctos vel iam canonizatos, vel in Martyrologio Romano descriptos.

His pro clariori intelligentia praenotatis, Indulgentiarum series, quas quis consequi potest, nec non piorum operum implendorum elenchus recensetur, prout infra, videlicet:

Quicumque semel in singulas hebdomadas Coronam Domini, aut Beatissimae Virginis, vel Rosarium, eiusque tertiam partem, aut Officium sive divinum sive parvum eiusdem Beatissimae Virginis vel Defunctorum, aut septem Psalmos Poenitentiales vel Graduales recitabit; aut rudimenta fidei tradere, aut detentos in carcere, vel alicuius domus hospitalis aegrotos visitare. aut pauperibus subvenire, aut Missam audire vel, si sacerdos est, celebrare consuevit, si vere poenitens, et sacerdoti per Ordinarium approbato confessus sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum diebus festis Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi; tum diebus Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis Beatae Mariae Virginis, necnon diebus Nativitatis S. Ioannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Iacobi, Ioannis, Thomae, Philippi et Iacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Iudae, Mathiae, Sancti Iosephi, sponsi B. Mariae Virginis, atque omnium Sanctorum, piasque ad Deum preces fuderit pro haeresum atque schismatum extirpatione, Fidei Catholicae propagatione, pace et Christianorum Principum concordia, ceterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus, in unoquoque praefatorum dierum plenariam Indulgentiam consequetur.

Qui eadem in aliis festis Domini, aut B. Virginis Mariae peregerit, in quolibet eorum participet Indulgentiam septem annorum, ac totidem quadragenarum: qui vero quavis Dominica vel alio anni festo, Indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum. Qui demum in alio quocumque anni die ea praestabit, indulgentiam centum dierum.

Quicumque saltem semel in hebdomada recitare consuevit Coronam aut Rosarium aut Officium B. Masiae Virginis vel Defunctorum, aut Vesperas, vel unum saltem ex Nocturnis et Laudes, aut septem Psalmos Poenitentiales cum Litaniis earumque precibus, quo die id egerit, Indulgentiam centum dierum acquiret.

Quisquis animam suam Deo in articulo mortis devote commendans, ipsamque mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus, et vere poenitens, confessus ac sacra Communione refectus, si valeat, alioquin contritus, nomen IESU ore, si potuerit, sin minus saltem corde invocaverit, plenariam indulgentiam consequetur.

Quicumque ante Missae celebrationem, vel sumptionem Eucharistiae, aut recitationem divini Officii vel parvi B. Mariae Virginis, aliquam devotam praeparationem praemiserit, quinquaginta dierum Indulgentiam, qualibet vice id egerit, percipiet.

Qui detentos in carcere, aut aegrotos in nosocomiis visitaverit, eos aliquo bono opere adiuvando, aut doctrinam christianam in ecclesia vel domi filios aut propinquos aut famulos docuerit, toties Indulgentiam biscentum dierum consequetur.

Qui ad pulsum campanae alicuius ecclesiae mane aut meridie aut vespere consuetas preces *Angelus Domini* etc. dicet, vel si eas ignoret, semel *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam*, vel dato signo sub horam noctis orandi pro Defunctis Psalmum *De profundis*, aut si hunc nescit, *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* recitabit, centum dierum Indulgentiam qualibet vice adipiscetur.

Eamdem pariter consequetur Indulgentiam qui feria sexta devote cogitaverit de Passione ac Morte Domini Nostri Iesu Christi, terque *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* recitaverit.

Quisquis vere poenitens peccata commissa emendare firmiter proponat, conscientiam suam excutiat, ter *Oratione Dominica* et *Angelica Salutatione* devote repetitis in honorem Sanctissimae Trinitatis, et ob reverentiam quinque Vulnerum Iesu Christi *quinquies* devote eamdem *Orationem* et *Salutationem* recitet, eamdem Indulgentiam consequetur.

Omnes et singulas antedictas indulgentias unusquisque memoratis diebus poterit aut pro seipso adipisci, aut fidelibus defunctis per modum suffragii applicare.

(*) Easdem indulgentias ex Brevi Innocentii PP. XI *Unigeniti Dei Filii* 28 Ian. 1688 lucrantur christifideles secum habentes cruces et coronas quae loca Terrae Sanctae et sacras Reliquias ibi existentes tetigerunt.

295

De bonis Missionum servandis.

S. C. de Prop. F. *28 Iul. 1721* (C. P. *ab Innocentio PP. III specialiter deputata).* — Referente R. P. D. Carafa Secretario, Emi PP. ad melius regimen comparandum Missionum atque ad consulendum earum indemnitati, aliisque iustis ac rationabilibus causis moti, statuendum censuerunt ne ullus missionarius aut Praefectus Missionum pro tempore audeat sub quovis praetextu aut quaesito colore oppignorare et distrahere, seu in superfluos usus impendere bona et pias oblationes earumdem Missionum sine praevia licentia S. Congregationis. Insuper quod quotiescumque contigerit aliquem missionariorum ex hac vita discedere, missionarius antiquior illius stationis in qua erit spolium defuncti de omnibus pecuniis, mobilibus et rebus quibuslibet ab eo relictis, statim post eius mortem clarum atque distinctum inventarium fideliter conficere teneatur, illudque Patri, Missionum pro tempore Praefecto, transmittere, omnia interea sub vigili custodia servando, tradenda missionario praedefuncti successori, qui ea in legitimos Missionis usus impendat. Ii vero qui praesenti S. Congr. decreto quoquo modo contravenerint, aut minime paruerint, poenam inhabilitationis perpetuae ad missiones exercendas ac ad quaelibet munia obeunda, nec non privationis vocis activae et passivae, aliasque per eamdem S. Congr. pro rerum circumstantiis ac transgressionum qualitate infligendas incurrant.

296

Graeci SS. Eucharistiam in fermentato recipiant.

S. C. S. Officii *4 Sept. 1721.* — Se i missionari debbano communicare in azimo i cattolici di rito greco, ovvero ordinare che si comunichino in fermentato.

R. Nihil innovandum et ad mentem. Mens est quod rescribatur missionariis ut citra ullam innovationem graecis insinuent quod in fermentato iuxta eorum ritum communicent, et ulterius scribendum per S. C. de Prop. Fide pro informatione an in partibus illis adsint sacerdotes catholici ritus graeci a quibus catholici eiusdem ritus s. Communionem recipere valeant, et invigilet an et quomodo missionarii, quibus praesens responsum transmittitur, illud exequantur, ac S. Congregationem certioret.

297

An possit a Vic. Capitulari dioecesis visitatio fieri.

S. C. Concilii *13 Sept. 1721* Dalmatiae. — An Vicarius Capitularis Scardonensis (in Dalmatia) facere possit visitationem civitatis et dioecesis.

R. Affirmative, dummodo elapsus sit annus visitationis peractae ab Ordinario.

298

De facultate dispensandi in matrim. cum impedimento scienter contractis.

S. C. S. Officii *22 Dec. 1723.* — Relata instantia a S. C. de Prop. Fide ad S. Off. remissa..... Vicariorum Capitularium dioecesis Tuamensis in Irlandia, qui dubium proposuerunt, an cum habeant facultatem dispensandi in 3 gradu, illa uti possint ad favorem illorum qui matrimonium iam contraxissent scienter inter gradus prohibitos, et in fraudem legis, contra expressam prohibitionem Conc. Trid., vel requiratur nova particularis dispensatio huius S. Officii; (Emi) Dñi, audito voto DD. CC. decreverunt: Rescribendum quod in Formula facultatum distinguitur facultas dispensandi ab impedimentis pro contrahendis matrimoniis, et pro contractis, quae restringitur ad conversos ab haeresi; et pro contractis scienter cum impedimento specialis facultas requiritur.

299

Circa testimonium de Baptismo collato.

S. C. S. Officii *5 Ianuar. 1724* — Si testimonium (de Baptismo collato) sit ab homine incerto, in re adeo gravi, ignoto testimonio deferri non potest: quare tunc rebaptizandus

---

Declarat insuper Sanctitas Sua concessione praefata Indulgentiarum nullo modo derogari Indulgentiis, quas alii Summi Pontifices praedecessores iam concessere pro nonnullis ex supra indicatis piis operibus, volens easdem suorum Praedecessorum concessiones in suo robore permanere.

In distribuendis autem huiusmodi Coronis, Crucibus etc. earumque usu Sanctissimus Dominus Noster servari inbet *Decretum fel. recor. Alexandri VII.* editum *sub die 6 Februarii 1657,* nimirum, ut Coronae, Cruces, Rosaria, etc. ut supra benedicta, quoad Indulgentias non transeant personam illorum, quibus concessa sunt, aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari altera ullo modo possit, quacumque concessione aut privilegio in contrarium non obstante; nec non eadem commodari, aut precario dari non possint pro Indulgentiarum communicatione, alioquin amittant Indulgentias iam concessas: tum etiam praefata post Pontificiam benedictionem vendi non possint, iuxta dispositionem *Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum* editi *die 4 Iunii 1721.*

Insuper Sanctitas Sua confirmat Decretum *fel. recor. Benedicti XIV. datum die 19 Augusti 1752.* quo expresse declarat Missas ad Altare (in quo aliqua ex praefatis sive Crucifixi sive Numismatis Imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a sacerdote huiusmodi Imaginem secum habente celebratas, vigore dictae Imaginis nullo prorsus gaudere privilegio.

Praeterea vetat ne quisquam, quem infirmis morti proximis assistere contigerit, Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in articulo mortis, vigore huiusmodi Imaginis, illis impertiri audeat sine speciali facultate in scriptis obtenta, quoniam ad huiusmodi effectum in Constitutione *Benedicti XIV.* incipien. *Pia Mater,* satis provisum iam fuit.

est infans sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto Baptismate a collo suspensam ferat, ut pro expositis utitur in locis quibusdam.

300

s altari privi-
ato in eccle-
patriarchali-
metropoli-
s et cathedra-
is.

Litt. Ap. Bened. PP. XIII *20 Aug. 1724.* — Omnium saluti paterna charitate intenti, sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini nostri Iesu Christi eiusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adiutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant.

Volentes igitur omnes et singulas patriarchales, metropolitanas et cathedrales totius orbis catholici ecclesias, in quibus altare privilegiatum quotidianum perpetuum forsan non reperitur concessum, et in eis altare, per Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos respective locorum gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes semel tantum designandum, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis, Congregationis, seu Instituti regularis Missam defunctorum pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut eiusdem Domini nostri Iesu Christi, ac beatissimae Virginis Mariae, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus: praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

301

De servandis
nnibus cacre-
oniis in cate-
umenorum ba-
ismo.

S. C. S. Officii *28 Sept. 1724* – Sutchuen. — 1. An (Vic. Ap.) debeat desistere ab usu et institutione quatuor graduum catechumenatus qui recensentur a Cardd. Bellarmino et Bona antiquitus in primitiva Ecclesia usitati, antequam adultos baptizet.

2. Quatenus negative, num exorcismi et caeremoniae praescriptae in Baptismo adultorum in fine quando baptizandus est catechumenus debeant repeti, vel sufficiat eas semel et divisim administrare sine alia repetitione.

R. Sanctitas Sua decrevit quod praevia necessaria sufficienti instructione catechumenorum pro tempore necessario et opportuno iuxta qualitatem et capacitatem personarum, omnes caeremoniae et exorcismi iuxta ordinem praescriptum a Rituali Romano serventur.

302

De SS. Com
munione quoa
moniales.

S. C. Concilii *14 Apr. 1725.* — 1. An et de cuius licentia sacram Eucharistiam recipere debeant moniales, quae eam recipere volunt ultra dies statutos a Constitutionibus vel a consuetudine monasterii, ut in illis omnes moniales communicent?

De clavi parva
fenestrae ad Eu
charistiam su
mendam.

2. Quomodo se gerere debeat superiorissa monasterii circa retentionem clavis parvae fenestrae, per quam sumitur a monialibus Eucharistia in casu?

R. Ad 1. De licentia confessarii ordinarii, et non directorum, praevia participatione Praelati ordinarii.

Ad 2. Servandum esse decretum S. C. Ep. et Reg. diei 15 Sept. 1617, nempe « *quod duae adsint ianuae huius parvae fenestrae, una interior et alia exterior, et quod clavis ianuae interioris semper retineatur ab Abbatissa seu Priorissa, et clavis ianuae exterioris a confessario, et quod parva dicta fenestra numquam aperiatur, nisi occasione sumptionis Eucharistiae vel dandi habitum seu velum alicui novitiae, aut consecrationem alicui moniali aut Confirmationem alicui personae in clausura degenti* ».

303

De missionario
rum spoliis.

S. C. de Prop. Fide *28 Sept. 1725* (C. P. pro Sin.). — Sit regula generalis, et perpetuis deinceps temporibus omnino servanda, scilicet, quod spolia Episcoporum, Vicariorum App. et missionariorum S. Congregationis ad eam pertineant, et ad Procuratorem pro tempore eiusdem S. C. in Sinis morantem fideliter atque integerrime transmitti debeant.

304

De absolution
apostatarum.

S. C. S. Officii *29 Nov. 1725.* — Relato folio a S. Congr. de Prop. F. remisso, in quo continentur infrascriptae ordinationes factae a defuncto R. P. D. Episcopo Laranden., Vicario Apostolico in Regno Tunkini, tenoris sequentis, videlicet: *Ordinationes tempore persecutionis:*

1. Omnes ministri huius Vicariatus poterunt absolvere illos christianos qui chirographum abiurandi fidem non fecerunt, neque aliquid ad religionem pertinens gentilibus tradiderunt, nec imaginem percusserunt, nec idola adoraverunt, neque legem Dei negaverunt.

2. Omnes illi qui tale chirographum fecerunt hoc modo, scilicet: *Omnes nos usque modo legem servavimus et cultum Deo coeli tribuimus; nunc autem videmus edictum regium quo lex lusitanorum prohibetur; illi obedientiam praestamus, dicentes quod nos legem lusitanorum non observamus, vel nos quid sit lex lusitanorum nescimus.* Hoc modo chiro-

graphum conficientes, si alias res ad religionem pertinentes mandarinis non tradiderint, nec imaginem conculcaverint, vel reverentiam idolis non fecerint, tales ad Confessionem admitti poterunt.

3. Omnes illi qui chirographum fecerunt fidem abnegando, vel illud fecerunt, nullam mentionem facientes de cultu ab ipsis vero Deo praestito, sed absolute legem lusitanorum se habere negaverunt, et simul illi qui res, licet minimas, ad religionem pertinentes tradiderunt, vel imaginem conculcaverunt, vel reverentiam idolis praestiterunt, tales ad Confessionem nondum admitti debent; debent tamen a ministris admoneri ut totis viribus procurent lacrymis et suspiriis ad suorum peccatorum magnum dolorem et contritionem se excitare; quo supposito, ipsis de remedio providebitur; et interim moneant tales peccatores ut interim haec observent:

I. Per trium mensium spatium, quatuor diebus ieiunent in quolibet mense. Si autem sint officiales, qui gravi labore occupantur, ita ut ieiunare non possint, in tali casu illis concedetur ut ad satietatem manducent, sed orizam tantum cum sale adhibito.

II. Tribuant aliquam eleemosynam pecuniariam, quae servetur, distribuenda postea pauperibus temporibus calamitatis.

III. Insuper intra spatium sex mensium, tales peccatores debent singulis diebus recitare quinquies *Pater* et *Ave*, quolibet illo tunc debent se in terram prosternere, illamque osculari, enixe Deum deprecantes ut ipsis peccata sua condonare dignetur.

IV. Quando fideles in ecclesia congregantur, tales poenitentes debent adesse, et prostrati ante altare, toto corde totisque viribus Deum exorare ut sibi peccata condonare dignetur, in veritate promittentes se non peccaturos de caetero.

Haec omnia supradicta promittentes ad Confessionem denique admitti poterunt, quinque tamen vel sex mensibus ad minus transactis. Haec omnia supradicta intelligantur in foro exteriori, quibus non obstantibus in foro interiori confessarii aliam salutarem poenitentiam ipsis imponant. Si forte intra tempus praefatae poenitentiae, aliquis praedictorum infirmetur et confiteri velit, debet illi imponi poenitentia pecuniaria iuxta suum posse, et coram christianis verbalem sui peccati detestationem faciat; quibus peractis, ad Confessionem admittatur. Si autem convaluerit, ad omnes illas poenitentias adimplendas cogatur.

R. SSmus D. N. auditis votis EE. et RR. S. R. E. CC., decrevit quod neophyti tunkinenses pro publica apostasia teneantur tantum semel abiurare coram christifidelibus, et abiuratione peracta, admittantur ad confessiones sacramentales, iniunctis poenitentiis salutaribus arbitrio confessarii, et servetur Decretum ab hac S. C. editum die 18 Iulii 1630, tenoris sequentis: *S. C. censuit apostatas a fide redeuntes ad poenitentiam, non teneri ad abiurandam apostasiam publice coram infidelibus, sed sufficere ut eam abiurent in balneo coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsae religionis; si vero sit aequivocus, posse illum deferre; quod si ex illa delatione, ratione personae aliqua oriretur suspicio, teneri aufugere quamprimum potuerint.*

Instructio. — Essendo state esaminate le ordinazioni del defunto Mons. Vescovo Laradense Vic. Ap. della parte occidentale del regno di Tunkino fatte per osservarsi nel tempo delle persecuzioni, si è stimato espediente ordinare che si osservi l'accluso decreto conforme ad altro decreto sino dall'anno 1630 emanato. Si avverte però che dovranno eseguire detto decreto, ed abiurare l'apostasia non solo quelli che faranno quanto si contiene sotto il num. 3. di dette ordinazioni, ma ancora quelli che faranno il chirografo nella forma descritta sotto il n. 2., mentre vengono a negare anche questi di continuare nella professione della fede cattolica, dicendo: *Omnes nos usque modo legem servavimus, et cultum Deo coeli tribuimus; nunc autem videmus edictum regium quo lex lusitanorum prohibetur; illi obedientiam praestamus dicentes quod legem lusitanorum non observamus;* perchè in quelle parti per *legem lusitanorum* s'intende *legem christianam,* ed il senso è chiaro che protestano di recedere dalla legge che *usque modo servavimus,* e dal culto che *Deo caeli tribuimus.*

305

De facultate missionar. circa dispensat. matrim. et absolutionem a censuris.

Ex Instr. S. C. de Prop. Fide *14 Ianuar. 1726* (ad Missionarios Congi) — 1. Avvertano essi missionari non esser loro lecito, nè aver la facoltà di concedere dispense matrimoniali, nè di assolvere dalle censure in foro esterno nei luoghi ove sono i Vescovi, e dove si estendono le diocesi e giurisdizioni dei medesimi.

2. Assolvendo essi missionarî nel foro interno taluno degl'incorsi nelle censure riservate alla S. Sede, e dichiarati incorsi dai Vescovi per pubblica sentenza, o in altro modo giudicialmente, sono tenuti d'avvertire gli assoluti che fin a tanto non saranno stati assoluti nel foro esterno dal Vescovo, devono reputarsi e contenersi come se non fossero stati in alcun modo assoluti, e però non esser lecito ai medesimi di conversare, intervenire nella chiesa, ricevere i Sacramenti etc.

3. Neppure è lecito ai missionari di assolvere in foro interno ad ogni semplice richiesta

delli scommunicati, ma solamente nell'attuale sagramental confessione de' peccati, e purchè vi concorrano le debite disposizioni, e specialmente di soddisfare la parte offesa, di esser pronti ad ubbidire, e di ricorrere al Vescovo per l'assoluzione *in foro externo* subito che possano.

306

citum sacer-ib. latinis ce-rare in altari-non lapideis ecorum.

S. C. S. Officii *7 Iun. 1726.* — Se sia lecito ai sacerdoti latini di celebrare secondo il loro rito, ma senza l'altare portatile di pietra, nelle chiese ed altari dei greci uniti, che sono di tela consagrata dal Vescovo greco con unzioni e con reliquie, mentre dai greci si celebra liberamente nelle chiese ed altari di pietra dei latini.

R. Non licere.

307

e iuramento nstit. *Ex illa* a sacerdotib. oque sinensi-s praestando.

S. C. de Prop. Fide *4 Oct. 1726* (C. P. PRO SIN.) — Se i sacerdoti nativi cinesi, tunchinesi, di Cocincina ecc. siano tenuti ex vi Constitutionis *Ex illa die* a fare il giuramento dalla detta Costituzione prescritto. La ragione di muovere questo dubbio si è che in detta Costituzione pare non vengano indicati che i soli missionari europei.

R. Omnes etiam presbyteros indigenas, sinenses, cocincinenses, tunquinenses etc. teneri emittere iuramentum praescriptum in Const. *Ex illa die* (1).

308

De denuncia-one in casibus llicitationis.

S. C. S. Officii *22 Ian. 1727.* — Mulieres sollicitatas non teneri ad denunciationem, si ministri Inquisitionis et Vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeunt.

309

De servanda stinentia Sab-ti quoad grae-os.

S. C. S. Officii *13 Mart. 1727.* — 1. An liceat graecis Romae degentibus (saltem ob scandalum) comedere carnes die Sabbati.

2. An liceat graecis habere latinos in suum servitium, et die Sabbati dare eis carnes edendas.

3. An liceat graecis praefata die pueris et iuvenibus latinis, qui eorum servitio non sunt addicti, exhibere carnes edendas.

R. Ad 1. Non licere, et servetur Instructio Clementis VIII in qua sic habetur: « Tolerandus est apud graecos usus carnium die Sabbati, ubi sine scandalo fieri potest, in locis tamen ipsorum, et inter eos tantum ».

Ad 2 et 3. Latinos famulos graecorum teneri ritum latinum servare, et ideo peccant graeci apponere famulis cibos vetitos tempore quo ab illis debent abstinere.

310

Circa relatio-nem de statu Mis-sionum.

S. C. de Prop. Fide *12 Ian. 1728* (C. G.). — Iniungitur singulis Procuratoribus Generalibus vel Procuratoribus Missionum Ordinum Regularium qui Missiones habent, ut quolibet anno relationem de statu eorum respective Missionum S. Congr. omnino exhibeant.

311

De communi-catione in divi-nis cum haereti-cis et schismat-cis.

Instr. S. C. de Prop. Fide *1729* (PRO MISSIONARIIS ORIENTIS). — Cum saepe ac diu varii, sub variis utilitatis, necessitatis, periculorum, vexationum, atque etiam persecutionis a fidelibus subeundae circumstantiis, casus huic S. Congr. propositi fuerint a missionariis ac Praelatis Orientis quoad communicationem in divinis catholicorum cum haereticis et schismaticis; cumque ab hac S. C. constanter uniformiterque rescriptum fuerit: *non licere;* concepta spes erat, missionarios Orientis satis ac facile intellecturos, posse quidem *speculative* casus aliquos excogitari, in quibus communicationem aliquam in divinis tolerare liceret, sed *practice*, circumspectis omnibus facti circumstantiis, difficillime casus inveniri, in quibus ea communicatio liceat, ac moraliter etiam impossibile esse ut alia praescribatur regula generalis cuique hominum generi, cuique regioni, cuique tempori accommodata, quam quae iteratis a missionariis Orientis quaesitis data est ab hac S. C. in Instructione edita anno 1719, eo nimirum doctrinae principio nixa quod communicatio in divinis cum haereticis et schismaticis ut illicita regulariter habenda esset in praxi, vel ob periculum perversionis in fide catholica, vel ob periculum participationis in ritu haeretico et schismatico, vel denique ob periculum et occasionem scandali; quae quidem circumstantiae quemadmodum regulariter communicationi in divinis cum haereticis et schismaticis connectuntur in praxi, ita universim vetitae sunt iure naturali ac divino, in quo nec ulla potestas est quae dispenset, nec ulla conniventia quae excuset; adeo ut nullus relictus locus fuerit nova dubia fingendi ac proponendi: proinde in ea Instructione diserte praescriptum est: *Missionarii instruendi erunt quod omnino abstinere debent ab actibus protestativis falsae sectae, a communicatione in ritu schismatico et haeretico, a periculo perversionis, et ab occasione scandali.*

Addita quidem in praedicta Instructione

(1) Haec Const. Clementis PP. XI legitur in Const. Benedicti PP. XIV (11 Iulii 1742) quae incipit: *Ex quo.*

haec verba sunt: *hisce semper firmis et salvis et prae oculis habitis, si ulterius aliquod grave dubium occurret, doctores theologos, et missionarios diu versatos in illis regionibus consulant.* Quae quidem aliqui contra mentem S. huius Congr. interpretati, ius sibi arrogarunt casus omnes definiendi, ac scriptis etiam regulas generales tradendi in hac materia adeo implexa prriculosas; ex quibus et missionariorum discissa studia, distracta consilia, et opiniones minime cohaerentes quaestionem, licet toties definitam, magis ac magis implicarunt, non sine detrimento conscientiarum, et scandalo offensioneque bonorum; quare haec S. C. opportunum duxit praedictam Instructionem iterum inculcare, ac singulis missionariis omnino praescribere ut regulis in ea traditis sese omnino conforment, et obtemperent.

Cordi sit ergo singulis Praelatis, missionariis, sive directoribus animarum fideles edocere atque excitare ad haec evitanda pericula, quae regulariter, aut omnia aut aliqua, subeunt in communicatione *in divinis* cum haereticis, et schismaticis Orientis, qui licet adhuc substantiam ac valorem Sacramentorum plerumque conservent, non sinunt tamen ut ea, quae debent, catholici improbationis et segregationis signa exterius edant; ex quo fit, ut exterior illa conformatio in eodem cultu, et reverentia in pseudoministros liturgiae catholicum quemque, quamvis in fide firmissimum, et ritus haereticos vel schismaticos, quibus eorum cultus inficitur, exhorrentem, periculo tamen scandali liberare non possit.

Id ex eo etiam confirmatur magis quod vix ullus sit ritus apud heterodoxos, qui aliquo errore in materia fidei non maculetur: nam in eorum ecclesiis, vel dedicatio est in memoriam schismatici alicuius, quem ut sanctum venerantur; vel extant imagines, vel coluntur reliquiae vel festa celebrantur eorum, qui in schismate mortui, veluti sancti vulgo habentur, vel denique commemoratio fit viventium Patriarcharum, et Episcoporum schismaticorum, et haereticorum, qui ut *fidei catholicae praedicatores* commendantur. Qua de re, qui in ea ritus et orationis et cultus celebratione conveniunt in his facti circumstantiis catholici quique, reatu perversae communicationis, aut saltem perniciosi scandali purgari non possunt. Nec eos excusat assistentiae mere materialis praetextus; facto enim ipso excluditur, quo qui functionibus hisce haereticorum, aut schismaticorum intersunt, satis cum ipsis convenire in unitate orationis, in unitate cultus, in unitate venerationis et obsequii erga perversos ministros haereseos schismatisque praeseferunt.

Patescit id etiam ex eo quod orientales ipsi quotidie oculis vident, auribus audiunt, ore confitentur, nullum nempe sectarium obfirmatum in schismate accedere, interesse, convenire in ecclesiis catholicorum, sive ut Missam audiat, sive ut Sacramenta suscipiat, ea nimirum de causa, quod fidelium conventus veluti perversae communionis blasphemantes, perniciosum et illicitum putent commercium hoc, ritumque damnabilem. Cum vero videant ad eorum ecclesias accedere, eorum ritibus interesse, de eorum Sacramentis participare catholicos, an non credendum, aut saltem timendum erit, ne ex hoc ipso magis in suis erroribus confirmentur, ac se in recto salutis tramite ambulare sibi etiam hoc exemplo persuadeant? Ex quo sequitur difficillime vitari posse periculum scandali perniciosi schismaticis, et haereticis ipsis: ac proinde catholicum tutum in conscientia non esse, si cum iis in divinis in hac facti specie communicet.

Haec sane fidelibus documenta tradenda sunt, atque ideo haec S. Congr. Praelatis, missionariis, et singulis animarum directoribus in Oriente serio iniungit, ut unanimes hoc ipsum dicant omnes, et in eodem sensu ac sententia maneant, nec contrarium doceant, aut per modum consilii, aut per modum dispensationis: sed magis hortentur fideles pro re nata, ut a communicatione *in divinis* cum schismaticis et haereticis prorsus abstineant, et si quando ab ea regula deviarint, eos hortentur ac doceant ut peccatum hoc aperiant in Sacramento Poenitentiae, quo veniam a Deo obtineant, et in posterum cautiores evadant.

In excipiendis vero confessionibus, missionarii, sive directores circumstantias casus, quae magis, vel minus gravem poenitentium culpam efficiunt, diligenter examinent, eorumque oculis subiiciant; in id semper intenti, nequid laxam hac in re eorum conscientiam efficiant, sed opportunis documentis et monitis timidiorem potius et cautiorem, ne communicando *in divinis* cum schismaticis et haereticis animam in salutis discrimen adducant.

Consuetum quidem est causam persecutionis afferre, quam a schismaticis et haereticis subeunt catholici, qui ab eorum ecclesiis ac functionibus abstinent. At curent missionarii ac directores, ut quique cognoscant vanum plerumque metum esse, imo vero etiam necessarium omnino esse persecutioni non cedere, eo vel quia persecutio ipsa aequivalet interrogationi fidei: atque id etiam ostendant tum exemplis tot fortissimorum ac firmissimorum in fide catholicorum, qui huiusmodi vexationibus minime succumbunt, tum antedictae doctrinae principio ab ipsa etiam Ecclesia Orientali suscepto, tum denique catholici nominis dignitate, quae minime patitur ut ipsi inimicis animarum et fidei unionis, quam profitentur cum Romana Ecclesia, sese subiiciant ac demittant; quin etiam attendant non alio spectare artem hanc vexandi fideles, quam ut ab iis agnoscantur heterodoxi veluti verorum rituum,

verae fidei, verae Ecclesiae ministri, atque ita facile catholicos, aut a fide praevaricatores, aut saltem errorum approbatores facto ipso efficiant; licet dictitent semper se eorum communionem exigere tantum pro conservatione ritus et eleemosynarum. Quae quidem omnia, si serio ac graviter et iteratis monitis impressa fidelium mentibus fuerint, sperandum sane est, ex se ipsis promptiores et alacriores in dies ferendis iniuriis factos, firmiores quoque ac constantiores futuros in unione et communione verae unius Ecclesiae, quam profitentur.

Facile sibi persuadet haec S. C. omnes et singulos Praelatos et directores animarum in Oriente, maxime vero missionarios Instructionem hanc veluti normam in praxi servandam habituros, disputationibus hac de re prorsus omissis: nec aliud sive in agendo, sive in docendo, semotis dissidiis, secuturos. Quod si praeter spem aliter acciderit, noverint omnes, qui catholico nomine gloriantur, Sacram hanc Congregationem contra transgressores validiora remedia paraturam, eosque ut minime idoneos directioni animarum, et Missionibus Orientis habituram.

312

Acceptum deretum deputaonis ad missioes omnino exeiendum.

S. C. de Prop. F. *12 Sept. 1729* (C. G.). — Inhaerendo decretis alias latis quoad eos (Regulares) qui post obtentum decretum suae deputationis ad exercendum munus missionis sibi commissae, illud exequi renuunt, contra huiusmodi renuentes poena statuitur privationis vocis activae et passivae, et inhabilitationis ad quaecumque officia eorum Ordinis, ita quod quilibet Religiosus qui nedum post editum, ut supra, decretum suae deputationis, verum etiam post expeditas solitas litteras pro eorum examine, recedat a suscipiendo munere missionis absque legitima causa per S. C. cognoscenda et approbanda, ipso facto praedictam privationem incurrat, ad beneplacitum eiusdem S. C. duraturam.

313

Contra abusum aponendi sibi omina turcica.

S. C. S. Officii *29 Nov. 1729.* — Dalle relazioni de' Vescovi, e de' missionarî capitate dall' Albania si ha che alcuni di quei cristiani affine di sottrarsi da molte angarie, e specialmente dal pagare il tributo ai turchi, fra i quali essi cristiani vivono, al qual pagamento sono obbligati tutti coloro, che essendo d'altra religione si trovano fra i turchi, hanno per costume d' imporsi un nome turco, come *Asan, Visan,* ecc. Ond' è che coprendo con tal nome la religione cristiana, che essi professano, evitano per lo più le angarie, ed il pagamento del tributo. Presupposto tal fatto, si domanda dai Vescovi, e dai missionarî dell' Albania se possa permettersi ai cattolici l' uso del nome turco per lo fine suddetto, o se debbano negarsi, ovvero concedersi i Sagramenti a coloro che ciò praticassero.

La Sagra Congregazione è stata sempre, è presentemente, e sarà in avvenire costantissima non solamente a non permetter mai ai cattolici azione alcuna, ovvero uso di qualunque segno (consista questo in fatti, o in parole) che sia protestativo del maomettismo, o d'altra falsa religione, ma anche in proibir loro assolutamente quei segni, ovvero usi, che si dicono equivoci, sempre che vi sia alcuna delle seguenti circostanze: 1. che valendosi di tali segni, o usi equivoci, si costituisca la persona cattolica in pericolo prossimo di negare la vera fede benchè solo esternamente; 2. quando dal valersi di tali segni, o usi equivoci ne siegue grave scandalo del prossimo; 3. quando chi pratica tali segni, o usi equivoci, lo fa con animo e con positiva intenzione di persuadere ai circostanti, ch' egli sia veramente turco, o d'altra falsa religione; 4. finalmente in quei rincontri, nei quali obbliga il precetto affermativo di confessare la vera fede. In tutte e quattro queste circostanze, siccome comunemente i dottori insegnano, ed ha più volte la S. C. deciso, non è lecito in modo alcuno di valersi di segni ed usi equivoci; onde il valersene in qualunque di queste quattro circostanze sarebbe gravissimo peccato, quantunque si conservasse nel cuore la vera credenza.

Presupposta questa vera dottrina, ne siegue, che per lo più non sarà lecito a cristiani cattolici il servirsi del nome turco per lo fine sopradetto; poichè par cosa difficile il pratticarlo senza mettersi in pericolo di negar la fede, e senza scandalo de' fedeli, e senza aver positiva intenzione di imprimere la falsa opinione di esser turco, ed in circostanze, in cui non corre l' obbligo di confessare la fede. Sicchè quando i Vescovi e missionarî, ben esaminate le circostanze de' fatti particolari, conoscano che effettivamente non possono schivarsi da quei cristiani, che s' impongono il nome turco per lo fine mentovato, tutti e quattro li suddetti incontri, non debbono in modo alcuno permetter loro tal pratica, e son tenuti per conseguenza di negare ad essi i Sagramenti, tuttavolta che i medesimi a qualunque costo anche della vita lasciarla non vogliono.

Ma perchè poi, assolutamente parlando, potrebbero le suddette quattro circostanze in riguardo d'alcuni tutte cessare, ed il valersi del nome turco non paia per se stesso segno protestativo del maomettismo, ma sì bene segno equivoco, poichè i nomi proprî di sua natura sono bensì ordinati a significare gl' individui, ed a distinguere una persona dall' altra, come si costuma, ed è necessarissimo in tutte le na-

zioni per la società e per lo commercio civile, ma non sono propriamente ordinati a distinguere le sette, e però il valersi dei nomi turchi è lo stesso come vestire alla turchesca, usar navigando bandiere turchesche, e simili; perciò a fine di sapere come i Vescovi, ed i missionarî debbano in tal congiuntura condursi, quattro casi fa di mestieri distinguere nella presente materia.

Il primo è di quei cristiani, che hanno già usato il nome turco, e se ne sono altre volte valuti nelle fiere, e quando sono stati richiesti del tributo per pagarlo; ed in questo caso può domandarsi se, quando non vi concorra niuna delle quattro circostanze, possano i detti cristiani continuare tal pratica, non solo per esimersi dal tributo, ma per sottrarsi da gravissimi mali, a cui certamente soggiacerebbero, se manifestassero ai turchi il passato inganno.

A questo primo caso si risponde, che potranno i Vescovi, e missionarî tollerare in tali cristiani la continuazione, di che si tratta, senza escluderli dai Sagramenti, poichè supponendosi gravissimo il male, a cui soggiacerebbero manifestandosi cristiani quali sono, rendesi loro lecito per questa cagione il segno equivoco di nome turco. E benchè i turchi prendano tal nome per segno protestativo della loro setta, quando i cristiani non abbiano tal positiva intenzione d' ingannare i turchi, ma solo di nascondere la religione cristiana, l'inganno è dei turchi che se lo prendono per essere poco avveduti, siccome accade quando dai cristiani si alzano bandiere turche solo a fine di sottrarsi da pericoli, i quali temono. Devono bensì dai Vescovi e dai missionarî essere avvertiti tali cristiani di non praticare altri segni equivoci assolutamente non necessarî a sottrarsi dai mentovati gravi pericoli, come è particolarmente il mangiar carne insieme coi turchi nei giorni proibiti dalla S. Chiesa, poichè, anche presupposto che l' astinenza dalla carne in essi giorni non debba usarsi per precetto divino, il quale obblighi a professare con siffatta astinenza la fede cattolica, il solo precetto ecclesiastico circa tal materia nè tampoco può trasgredirsi per il solo motivo di scansare il pagamento del tributo. E perciocchè il contenersi nei suddetti limiti riuscirà difficile nella pratica, dovranno i medesimi Vescovi, e missionarî, ed altri sagri ministri esortar caldamente simili cristiani ad andarsene in luoghi, ove non siano astretti da tal necessità, per essere cosa molto facile ad incorrersi, in progresso di tempo, in alcuna delle quattro notate circostanze.

Il secondo caso, che può accadere è, quando vi siano dei cristiani, i quali non abbiano ancora assunto il nome turco, ma vivono con animo di assumerlo per sottrarsi dal pagamento del tributo, e si domanda se possa loro ciò permettersi.

Ed a questo secondo caso si risponde assolutamente, che non possa permettersi; non ostante che possa tollerarsi, colle condizioni prescritte, il continuar l' uso del nome turchesco in coloro che già l' assunsero, poichè a quelli, che già l' assunsero, sovrasterebbero mali gravissimi dai turchi, quando dalla deposizione del nome turchesco scorgessero essi turchi il passato inganno; il che può rendere scusabile il ritenerlo. Ma per assumerlo non resta altro motivo, che il voler esimersi dal tributo, e questo non è bastante a rendere scusabile l' assunzione di simili nomi, quando infatti sono nell' Albania moltissimi cristiani anche poveri, i quali anche senza quest' uso di nomi turchi vivono tra i turchi medesimi, e soggiacciono di buon grado al pagamento del tributo. Onde i Vescovi, i parrochi, ed i missionarî, i confessori ed altri, a cui spetti, dovranno nelle prediche, nelle conferenze e nei catechismi insegnare, e persuadere ai popoli non esser lecito in alcun modo d' imporsi tali nomi in avvenire, ed esser obbligati ad astenersene onninamente.

Il terzo caso può essere di quei cristiani, i quali avendo apostatato dalla fede cattolica, ed abbracciato il maomettismo, sono poi pentiti ritornati alla fede cattolica, e si domanda se questi possano continuare a valersi del nome turco, che assunsero apostatando, per esimersi non solo dal pagamento del tributo, ma da altri gravissimi mali, a cui scoperti soggiacerebbero.

E a questo terzo caso si risponde, che avendo tali cristiani con atti veramente protestativi della setta maomettana dato fondamento ai turchi di credere con prudenza, che essi veramente siano della setta di Maometto, continuando a viver tra turchi co' nomi medesimi, che assunsero apostatando, può dirsi che il nome turco, benchè di sua natura equivoco, dagli atti protestativi precedenti resti quasi che affatto determinato a significare, che duri ancora la professione del maomettismo; quindi è che tali cristiani se non hanno coraggio di manifestare a' turchi la loro conversione, sono tenuti certamente di allontanarsi dal vivere tra i turchi con portarsi ad altri paesi, ove sotto nome cristiano possano sicuramente vivere. Nè basta che la loro conversione sia nota ai soli fedeli, ma di più è necessario, che almeno in progresso di tempo sia notificata o da essi, o da altri ai turchi medesimi, siccome determinò questa S. Congregazione ai 18 Luglio 1630, presso l' Albizzi I. Parte, Cap. 8. n. 29. Sicchè a' cristiani di questo terzo caso non può permettersi, se non per qualche tempo, che nelle occasioni si valgano del nome turco; siccome non può loro permettersi, se non parimente per qualche

tempo, che non manifestino a' turchi il ritorno che hanno fatto alla religione cattolica.

Il quarto caso, che può accadere in tal materia si è di coloro, che essendo stati per lo passato sempre turchi, e professori della setta di Maometto, essa di poi abiurata, si sono fatti cristiani cattolici, e si domanda se tali cristiani che irremissibilmente sarebbero fatti morire, se si scoprissero, possono continuare a valersi del nome turco che avevano, per esentarsi, non che dal tributo, ma dalla morte.

A questo quarto caso si risponde che simili cristiani siano di tutti gli altri più tollerabili ritenendo il nome turchesco nel tempo che trattano e vivono coi turchi. Imperocchè tal ritenzione di nome, il quale, come s'è detto, è meramente equivoco, ma non già di sua natura protestativo, non è che una mera industria, con cui nascondono ai turchi la conversione loro al cattolicismo, nè essi, come gli apostati, hanno dato, con alcun atto volontario, fondamento a' turchi di poter giudicare prudentemente che tuttavia siano turchi. E però se questa, e somiglianti industrie furono anche praticate dai primi cristiani convertiti dal gentilesimo per sottrarsi dalle persecuzioni dei tiranni, senza che fossero in essoloro dagli antichi Padri condannate, nè tampoco saranno esse condannevoli nei cristiani, di cui si tratta, che le usano per evitare la morte. Vero è sì bene, che non riconoscendosi da' sacri Pastori in questa sorte di cristiani coraggio bastevole a tollerare il martirio in caso che fossero scoperti, dovrebbero altresì caldamente esortarli a fuggire il commercio de' turchi, con andarsene ne' luoghi dei cristiani.

Sicchè a ridurre le risposte di sopra date in compendio, si dice che il chiamarsi col nome turchesco non è mai lecito ai cristiani quando ciò da loro si prattichi con intenzione positiva di persuadere ai turchi, che essi eziandio siano turchi, poichè l'intenzione di dare a credere il falso, e non già di nascondere solamente il vero, sarebbe in questa materia un voler simulare falsa setta, il che è sempre grave peccato. Non è parimente lecito quando che ne riceve il prossimo grave scandalo, come sarebbe, quando i fedeli ne prendessero occasione o di mancare, o di vacillare nella credenza, essendo comune sentimento de' dottori che in congiuntura di grave scandalo si pecchi gravemente con dissimulare la vera religione. Inoltre non è lecito in circostanze, in cui corra l'obbligo di professare esternamente la nostra fede, intorno al qual obbligo si suppone essere bene istruiti i Vescovi, ed i missionarî dell'Albania. Di più non è lecito (com'è chiaro) e si pecca gravemente in valersi del nome turchesco, quando vi sia pericolo di negare, benchè solo esternamente, la fede. E finalmente de' quattro casi addotti non è tollerabile una tal prattica di valersi del nome turchesco, che in tre, cioè in quei cristiani, che già si trovano indotti nell'uso di essersene valuti, e temono prudentemente di mali assai gravi scovrendosi; in coloro, che da cristiani fattisi turchi, e da turchi cristiani, possono per qualche tempo in tal maniera tenersi nascosti; ed in coloro per ultimo, che da turchi fatti cristiani sono moralmente certi di perder la vita quando che i turchi ciò risapessero.

Resta pertanto che i Vescovi, i missionarî ed i confessori dell'Albania, i quali soli possono ben sapere le circostanze de' fatti particolari circa la presente materia, in conformità di esse circostanze, e di ciò che di sopra si è detto, ad altri vietino costantemente l'uso introdotto dei nomi turcheschi, escludendoli dai sagramenti quando non vogliano obbedire; in altri direttamente lo tollerino, ammettendoli ai sagramenti, e tutti esortino con vero zelo a trovar modo di evitare la necessità di valersi del nome turchesco, ed avvertano a procedere in ciò senza impegno di partito, senza pregiudizî di proprio sentimento, e senza spirito di contenzione, riflettendo che non meno il soverchio rigore, che la troppa indulgenza, sarebbero in tal materia di notabilissimo pregiudizio alle povere anime.

314

Circa facultatem dispensandi super defectu aetatis cum ordinandis.

S. C. S. Off. *21 Ian 1734.* — Se in virtù della facoltà (Form. III. n. 13.) *dispensandi super defectu unius anni ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint,* possa (l'Arciv. di Colonia) dispensare con le dette condizioni per gli Ordini del diaconato e suddiaconato, come inferiori al sacerdozio. — R. Negative.

315

Circa tumulationem Regularium missionariorum.

S. C. de Prop. Fide *19 Martii 1735.* — S. Congr. ad tollenda iurgia et dissensiones quae non raro oriri solent in partibus Syriae et Palaestinae occasione tumulationis cadaverum missionariorum Ordinum Regularium, confirmavit et renovavit decreta super huiusmodi re alias edita, et praesertim anno 1692, itemque confirmata anno 1702, per quae sancitum fuit quod deferatur private cadaver a propriis Religiosis. In coemeterio autem adesse debeat parochus cum stola et cruce, et dicat orationes iuxta formam praescriptam in Rituali, permittendo postea ut reliquae orationes dicantur a Superiore Religionis, et per ipsum ac suos Religiosos dari sepulturam.

316

Circa privilegia Regularium post novennium missionis.

Ex Decr. S. C. de Prop. Fide *20 Iunii 1735.* — S. Congr. decrevit ac declaravit

quod novennium missionis praescriptum (missionariis Ordinis Minorum Conventualium) per Breve Apostolicum s. m. Clementis PP. XI incipien. *Crediti Nobis* editum die 21 Ianuarii 1710, ad hoc ut assequi possint privilegia sub § 20 eiusdem Brevis statuta, incipere debet a die dumtaxat qua eorum quisque ad Missionem et Dioecesim sibi designatam pervenerit, et in ea patentes litteras seu decretum suae deputationis Episcopo eiusdem dioecesis exhibuerit, non vero a die expeditionis praefati decreti.

317

Circa facult. dispensandi in consanguin. et affinitate.

Litt. S. C. S. Off. *13 Mart. 1736.* — Doversi rispondere per istruzione di Monsignor Arcivescovo di Corfù che in virtù delle parole *(Form. II, n. 6) dispensandi in 3o et in 4o consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2o, 3o et 4o mixtis, non tamen in 2o solo, quoad futura matrimonia* (1) può esso dispensare con tutti i suoi diocesani. Quanto poi all'altra parte del detto § 6 contenuta in quelle parole *quo vero ad praeterita* (matrimonia) *etiam in 2o solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum,* può il suddetto Monsig. Arcivescovo dispensare solamente con quelli che dall'eresia o infedeltà si convertono alla fede cattolica, avvertendo inoltre il soprannominato Mons. Arcivescovo che in pratica lo scisma è congiunto all'eresia.

318

Prooemium.

Litt. Ap. Clementis PP. XII *16 Martii 1736.* — Pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divina dispositione praesidemus, debitum exigit, ut ad ea potissimum curam et sollicitudinem nostram intendamus, quae ad augendam fidelium religionem et animarum salutem in primis conducere in Domino conspicimus.

De Indulgentiis pro catechismi explicatione in Italia.

Alias siquidem uberes fructus ac spiritualium christifidelium aedificationem, quae ex assiduo usu et explicatione catechismi sive doctrinae christianae provenire noscebantur, paternae dirigentes considerationis nostrae intuitum, diversas ordinationes a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad promovendum hoc pium fidelique populo adeo necessarium opus, quo ille fidei catholicae rudimentis ac mysteriis christianisque virtutibus instruitur, salubriter editas per edictum die 15 Novembris 1730 iussu nostro promulgatum, confirmavimus ac etiam ampliavimus, et subinde christifideles tam almae Urbis nostrae, quam universae Italiae ac Insularum adiacentium pro tempore existentes, ut operae huiusmodi ferventius incumberent, excitare volentes, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quae a quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus quoque nostris praefatum catechismum seu doctrinam christianam iuxta decreta Conc. Trid. in ecclesiis et oratoriis pueros docentibus, aut eidem, dum traditur, interessentibus, eatenus concessa reperiebantur, ad adultos Urbis, Italiae et Insularum praedictarum ipsi catechismo seu doctrinae christianae interessentes extendimus.

Aliae Indulgentiae conceduntur.

Praeterea eisdem adultis, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti eiusmodi pio exercitio devote intervenirent, qua vice id agerent, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxavimus; qui vero illud assidue frequentarent, eumdem catechismum doctrinamve christianam docentes vel addiscentes, ac vere similiter poenitentes et confessi sacraque Communione refecti, pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effunderent, in Nativitatis D. N. Iesu Christi, Paschatis Resurrectionis Dominicae, nec non SS. Petri et Pauli Apostolorum festis diebus, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessimus, et alias, prout in nostris in pari forma Brevis die 27 Iun. 1735 desuper expeditis litteris, quas perpetuis futuris temporibus valere statuimus, quarumque tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Extensio concessionum ad universos christifideles.

Nunc autem nos memorati catechismi doctrinae christianae usum et frequentiam tantopere commendabilem ac salutarem, ne fideles circumferantur tamquam parvuli fluctuantes omni vento doctrinae, sed firmo fidei fundamento adhaerentes, coaedificentur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto, ubique locorum ac gentium propagari, magisque in dies augeri enixe cupientes, supplicationibus etiam plurimorum ex Venn. Fratribus Archiepiscopis et Episcopis extra Italiam huiusmodi existentibus, nec non dilectorum filiorum officialium et confratrum Archiconfraternitatis Doctrinae Christianae in Urbe praefata dudum auctoritate apostolica erectae nomine, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem indulgentiarum

(1) Art. 6. Form. I et II ita se habet: « Dispen- » sandi in 3° et 4° consanguinitatis et affinitatis simplici » et mixto tantum, et in 2°, 3° et 4° mixtis, non tamen » in 2° solo quoad futura matrimonia; quod vero ad » praeterita etiam in 2° solo, dummodo nullo modo » attingat primum gradum, cum iis qui ab haeresi vel » infidelitate convertuntur ad fidem catholicam, et in » praedictis casibus prolem declarandi legitimam ».

et peccatorum remissionem poenitentiarumque relaxationem docentibus et adultis addiscentibus catechismum seu doctrinam christianam in Urbe, Italia ac Insulis adiacentibus a nobis factam, sicut praemittitur, expeditasque desuper litteras nostras praedictas, ad universos christifideles ubicumque locorum nunc et pro tempore existentes, eumdem catechismum doctrinamve christianam similiter docentes et adultos addiscentes, servata earumdem litterarum nostrarum forma et dispositione, auctoritate apostolica, tenore praesentium, in perpetuum extendimus similiter et ampliamus.

Non obstantibus etc.

319

tca causas dinsandi in imdim. *disparis cultus.*

S. C. S. Officii *5 Sept. 1736* – TUNKIN. ORIENT. — 1. Utrum per haec verba *gravibus tamen de causis* (in concessione facultatis dispensandi in impedimento disparitatis cultus) intelligi possit, tamquam causa gravis et sufficiens, salus animae illorum qui in tali matrimonio iamdiu contracto absque contumelia Creatoris vixerunt, praesertim si filios genuerint, vel iisdem difficillimum sit ab infideli coniuge separari.

le sacramentali nfessione apotarum post iurationem.

2. Cum sub die 29 Novembris 1725 decretum fuerit a S. Congr. S. Officii quod *neophiti tunkinenses pro publica apostasia teneantur tantum semel abiurare coram christifidelibus, et, abiuratione peracta, admittantur ad confessiones sacramentales, iniunctis poenitentiis salutaribus arbitrio confessarii;* modo quaeritur utrum per illa verba *ad confessiones sacramentales* intelligatur confessio prout est pars Sacramenti tantum, vel intelligatur integrum Confessionis Sacramentum complectens etiam absolutionem.

R. Ad 1. Causam expositam in quaesito esse gravem et sufficientem ad impertiendam dispensationem de qua agitur.

Ad 2. Per illa verba *admittantur ad confessiones,* intelligendum esse de confessionibus sacramentalibus complectentibus absolutionem.

320

De contributio- pro aedificans templis idorum.

S. C. S. Officii *5 Sept. 1736.* — Mos est in Regno Tunkini ut ad aedificationem templi idolorum aliaque superstitiosa concurrere debeat tota communitas, sicut etiam ad alia opera publica, pecuniam vel alia contribuendo; quod si quis recuset, inevitabiliter et violenter de bonis eius communitas multo plus accipiet quam sit summa illi praefixa, vel ei mulctam multo graviorem imponet, vel etiam accusabit apud magistratus cum periculo quoad christifideles abnegandae fidei, carceris, aliorumque pergravium damnorum. Quaeritur:

1. An id sit licitum.

2. An saltem id sit licitum praemissa protestatione qua fidelis declaret se contribuere tantummodo ad evitandum grave damnum imminens etc.

3. An licitum sit fidelibus quando coguntur ligna caedere in sylvis, aut etiam ea ad locum templi aedificationi destinatum deferre, ea peragere.

4. An sit licitum fidelibus, quando coguntur cibos coquere, aut orizam contribuere pro substentatione opificum, ea peragere.

R. Ad 1, 2, 3, 4. Non licere, sive praemissa sive non praemissa protestatione.

De contributio ne pro sacrificii idololatricis.

Item mos est ut aliquoties in anno comestibilia sacrificentur, seu offerantur idolis, et tota communitas congregetur ad comedendum; coguntur autem aliquando christiani pecuniam contribuere pro emptione victimae, aliquando vero talium eduliorum partem praeparare, eamque ad locum sacrificii, ubi etiam ordinarie epulantur, deferre; hinc quaeritur:

1. An licitum sit praedicta peragere, praemissa protestatione quod solummodo intendant fideles concurrere ad convivium laetitiamque communem, vel reddere vicem iis, quorum impensis antea epulati sunt.

2. An licitum sit praedicta peragere in casibus in quibus talia edulia offeruntur, sed non ibidem in communi comeduntur, praemissa protestatione quod talem pecuniam contribuant, vel talia edulia illuc deferant tantummodo ad evitandum grave damnum inevitabiliter imminens, vel consimili alia protestatione emissa.

Ad 1. Non licere, sive praemissa protestatione, sive non praemissa.

Ad 2. Ut ad proximum *(i. e. proxime anteced.).*

321

De dilatione ab solutionis sacra mentalis, et d immoderatis sa tisfactionibus.

Instr. S. C. de Prop. F. *3 Oct. 1736* (AD VISITATOR. AP. TUNK. OCCID.). — Duo sunt perniciosa inconvenientia in administratione Sacramenti Poenitentiae in Tunkino Occidentali quae huic S. C. relata sunt: Primum atque praecipuum est quod passim reis graviorum criminum, fornicationis, ebrietatis, superstitionis, differatur ad menses integros et amplius absolutio sacramentalis; parentibus vero qui matrimonio filiorum cum disparitate cultus vel alio impedimento dirimente contracto, consensum dedere, etiamsi deinde non sit amplius in eorum potestate matrimonium rescindere, denegant absolutionem per plures annos, et quandoque usque ad exitum vitae, interim impositis ieiuniis, orationibus, aliisque pietatis operibus, ut maiorem illi criminum horrorem concipiant, et ita ad recipiendum absolutionis beneficium disponantur. Alterum est in excessu satisfactionum quas imponunt, plurium rosa-

riorum, videlicet usque ad numerum etiam tercentenarium, totidem litaniarum cum ieiuniis, ciliciis aliisque afflictivis operibus, statutis diebus, per hebdomadam, aut menses aut annos integros. Ad evellendos igitur intolerabiles huiusmodi abusus, operae pretium visum est per theologos ad hunc effectum deputatos Instructionem hanc dirigere, ex SS. Patribus, Conciliorum et Romanorem Pontificum decretis excerptam, cui confessarii praedicti in Tunkino Occidentali sese subiicere et omnino adhaerere teneantur.

1. Quoad absolutionem.

Quod attinet ad primum, multi profecto dantur casus in quibus denegatio et dilatio absolutionis medicamen est opportunum et subinde necessarium; *Videat,* inquit S. Carolus Borromaeus in Instructionibus Poenitentiae, *confessarius ne quem absolvat, qui vel odium inimicitiamve deponere nolit, vel restituere pro facultate recuset alienum, vel a statu peccati mortalis paratus non sit discedere, occasionemve similis peccati vitare.* Hinc Sedes Apostolica adversus mollem, et praeposteram nonnullorum casuistarum in concedenda absolutione facilitatem, miro zelo semper insurrexit, ut ex propositionibus ab Alexandro VII, Innocentio XI aliisque Romanis Pontificibus iure meritoque damnatis, cuique legenti exploratum est. Valde autem prolixum foret, casus huiuscemodi enumerare, sed videri possunt apud S. Carolum Borromaeum in Instructione confessariorum, et a sanctis istis regulis, totius Ecclesiae consensu firmatis, non sinant confessores se abduci falsa misericordia erga poenitentes.

Verum, praemissis casibus exceptis, promiscua et passim adhibita cuiusque peccati mortalis retentio, causa concipiendi maiorem adversus crimina horrorem, et acquirendi meliorem dispositionem ad beneficium absolutionis obtinendum, non est profecto medicina nec castigatio congrua unquam invitis poenitentibus adhibita ab Ecclesia, sed a solis rigidis et imprudentibus confessariis contra omne fas usurpata, et a tribus Romanis Pontificibus proscripta. Hanc nimirum severam et imprudentem (ne quid peius dicam) praxim inducere primum tentavit Petrus de Osma ea propositione: *Non sunt absolvendi poenitentes nisi peracta prius poenitentia eis iniuncta,* merito damnata in Concilio Complutensi, et a Xisto IV, anno 1579, in Bulla quae incipit: *Licet ea.* Eamdem exitialem praxim, post apostatam Marcum Antonium de Dominis, lib. 5 *De Republ. eccles.* cap. 7, et Antonium de Arnaldo, lib. *De frequenti Communione,* part. 2, cap. 8, apud Belgas et aliquot Gallos rigorismi sectatores invaluisse constat. Ex quorum libris, Alexander VIII, inter reliquas, has duas propositiones iusto anathemate confixit: — *16. Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia nec institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.* — *17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo Poenitentiae est inversus.* Crudelem hanc praxim quoad substantiam, subdolis et aequivocis terminis inducere iterum tentavit Quesnellus hisce duabus propositionibus: — *87. Modus plenus sapientia, lumine et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum poenitentiae et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere iustitiae Dei antequam reconcilientur.* — *88. Ignoramus quid sit peccatum, et vera poenitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum quibus nos peccatum expoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem,* iure meritoque in Bulla *Unigenitus* a Clemente XI damnatis. Profecto praxis ista severa plurimam animis affert perniciem, praesertim attritis aut, si mavis, amare incipientibus, S. Leone et Augustino (epist. 180 ad Honoratum) docentibus: *plurimos perire defectu Sacramenti qui eius subsidio ad superna evolassent.* Aeternae igitur damnationis periculo manent expositi, monente nos sapientissimo Salvatore, ut semper vigilemus in iustitia, quia *qua hora non putamus Filius hominis veniet.*

Sed demus rigidis directoribus, ut huiusmodi attriti supervivant usque ad absolutionem; dilata his absolutione, manent illi Dei hostes, incapaces omnis meriti et satisfactionis; eorum enim opera iuxta S. Thomam, in 4, dist. 15, cum sine charitate fiant, non sunt satisfactoria: *Impossibile enim est,* inquit, *quod aliquis Deo satisfaciat, nisi Deo placeat; ideoque ut sit conveniens satisfactio, oportet esse informatam gratia sanctificante.* Et in Supplemento, quaest. 14, art. 2: *Sine charitate opera facta non sunt satisfactoria.* Quaecumque igitur proposita fuerit indulgentia, nullam peccator consequi poterit absolutione destitutus; suspiciones, detrimenta famae, scandala, ex promiscua absolutionis dilatione oriuntur. *Validum adversus peccatum frenum est confitendi pudor,* ut habetur ex canone 88 *De Poenitentia.* Quid quod repulsi poenitentes abiiciunt saepe cogitationem de salute desperando?

Missos faciant igitur praeposteros Ecclesiae reformatores, et adhaereant potius Concilio Trident., sess. 6, cap. 14, *De lapsis et eorum reparatione,* ubi habemus absolutionem praeviam satisfactioni, et peccatorum culpam cum poena aeterna remissam Sacramento Poenitentiae ante satisfactionem, qua solum poena remittitur temporalis post absolutionem residua. Haec autem praxis prudens et benigna non est a Tridentino primum instituta, sed est, teste Catechismo Romano, antiquissimus Ecclesiae usus, Scriptura et Patrum auctoritate compro-

batus. Filio prodigo redeunti iubet pater evangelicus proferri cito stolam primam, nec eum remittit ut pascendo porcos maiorem concipiat adversus peccata horrorem, et ut ad paternum amplexum disponatur. Inter articulos ob quos Chrysostomus a quibusdam Episcopis perperam depositus, sed auctoritate Apostolica restitutus fuit, hic erat: *Si iterum peccasti, poeniteat te iterum, et quoties peccasti, veni ad me et ego te sanabo.* Basilius in admonitione ad filium spiritualem: *Quando,* inquit, *te peccatis obnoxium senseris, ad poenitentiam cito te converte ne confundaris.* Lex Clementina *Dudum, De sepulturis,* mandat sacerdoti ut *Confessiones audiat, poenitentias imponat, et absolvat.* Decretum Bonifacii Episcopi Moguntini statuit ut *curet unusquisque presbyter, statim post acceptam confessionem poenitentium singulos, data oratione, reconciliare.* Infinitus essem si omnia Patrum documenta pro tali Ecclesiae praxi afferre velim; sed allegata sufficiant.

Praxis ergo ista, prudens et benigna, tot testimoniis munita, absolvendi statim peccatores, vel attritos vel contritos, viget in tota Ecclesia catholica ubi copia est confessorum, ubi nullum persecutionis periculum: quanto magis ergo in Tunkino Occid. necessario servanda est, ubi multae et continuae contra catholicos persecutiones vigent, et ubi quidem messis multa est, sed operarii paucissimi. Nec vos decipiant novatores, qui sub zeli umbra crudelitatem exitialemque socordiam in corde nutriunt; ne vos, inquam, decipiant Scripturae testimoniis *Ezechielis 13,* et *Ierem. 6,* quibus passim abutuntur; nihil enim magis ex illis colligere possumus, quam quod dispositione necessaria carentibus non sit impartienda absolutio, non autem quod dispositione illa praeditis sit deneganda, neque ullum in antiqui foederis oraculis invenietis locum, iuxta quem poenitentibus dilata fuerit, vel differenda sit cum Deo reconciliatio. Vix David confessus fuerat delictum dicens: *Peccavi Domino,* cum Nathan mox Dei nomine denuntiat: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris.* Nec vos iterum seducant testimoniis Cypriani, Rom. Cleri, Innocentii primi, aliorumque Patrum, quibus pariter abutuntur; lectis enim testimoniis istis non detruncatis, sed ex integro, cuique ingenue attendenti apparebit loqui illos de quibusdam peccatis publicis eo tempore publica poenitentia plectendis; quamvis probati auctores putent in ipsa poenitentiae publicae impositione peccatores regulariter a culpae reatu fuisse absolutos, hoc enim erat *accipere impositionem manus in poenitentiam,* absolvi a reatu culpae et accipere modum satisfactionis publicae. Quinimo ipse Morinus, summae apud novos theologos auctoritatis, lib. 6, cap. 24, quamvis criminum publicorum absolutionem etiam sacramentalem putet dilatam fuisse usque ad canonicae poenitentiae adimpletionem, quoad alia peccata nobis consentit; sic enim lib. 9, cap. 14, ait: *Crimina omnia et peccata, quae illis saeculis non expiabantur per publicam poenitentiam, statim aut paulo post editam sacerdoti confessionem remittebantur, pauculis exceptis, quae cum publica erant, communionis ecclesiasticae privatione nonnumquam a Canonibus castigabantur.* Idem eodem lib. cap. 1 docet, quod Catechismus Romanus, consuetudinem absolvendi *statim* post confessionem *esse ab ipsis Ecclesiae incunabulis, si enormia quaedam crimina excipias, pro quibus debebatur poenitentia publica.* Imo cap. 14 ostendit in Orientali Ecclesia a duodecim saeculis hucusque servatum morem etiam a peccatis publicis absolvendi statim; quod sub operis finem fusius probat ex libris graecorum poenitentialibus.

Quoniam vero ex Conc. Trid. vigere debet usus infligendi poenitentiam publicam peccatis publicis et scandalosis; hinc descendendo ad particularem casum a Visitatore Apostolico (Tunkini) relatum de parentibus qui consensum praebent matrimonio filiorum cum disparitate cultus, certum videtur quod quamdiu in eorum potestate est matrimonium rescindere, atque de eo moniti renuunt rescissionem, non esse capaces nec dispositos ad beneficium absolutionis recipiendum. Verum si ex parte praestiterunt quidquid possunt, et non sit amplius in eorum potestate filios ab invalido contractu revocare, nulla ratio est ut illi contriti et confessi, per annos integros, aut usque ad exitum vitae sacramentali absolutione priventur; ne vero aliis exemplo sint ut similia matrimonia perpetrentur, possent, confessi iam et absoluti, vel Eucharistiae communione (privari), vel alia publica poenitentia, arbitrio prudentis et discreti Episcopi, mulctari.

Modus igitur plenus sapientia et charitate est animas peccatrices citissime ex peccati statu, iuxta praxim universalis Ecclesiae, in Christi Evangelio fundatam, eripere, ut cito accipiant stolam primam, nec protrahere, sed quantum fieri potest accelerare spiritum poenitentiae, iuxta formam quam Conc. Tridentinum saluberrime praescripsit, ut ante reconciliationem proponant, ut post illam tutius ac salubrius in statum gratiae repositi, satisfacere satagant.

2. Quoad satisfactionem.

Quod vero pertinet ad secundum excessum in imponenda satisfactione plurium rosariorum, litaniarum, ieiuniorum, etc., duo quoque extrema vitanda sunt. *Confessor prudens,* inquit S. Carolus Borromaeus in Instructionibus Poenitentiae, *pro imponenda poenitentia, nec ita levem adhibeat ut clavium potestas inde contemnatur, et ipse peccatorum alienorum evadat particeps, nec ita etiam gravem aut diuturnam,*

ut poenitentes ei obsequi recusent, aut acceptam ex integro non exequantur. Non est cur ad evitandum primum ex his extremis immoremur; sufficit enim Concilium Tridentinum audire, sess. 14, cap. 8: *Debent sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones iniungere: ne, si forte peccatis conniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Ad mitigandum tamen secundum excessum qui in sacerdotibus tunkinensibus viget, pauca quidem afferimus, solida tamen illa, sapientiae et prudentiae plena documenta, quibus sedulo attendere debent, ut et muneri suo et poenitentium utilitati respondeant. Attendant igitur ad hanc S. Thomae Aquinatis doctrinam (*Quodlibeto* 3, quaest. 13, art. 1): *Videtur satis conveniens quod sacerdos non oneret poenitentem gravi pondere satisfactionis, quia sicut parvus ignis a multis lignis superpositis de facili extinguitur, ita posset contingere quod parvus affectus contritionis in poenitente nuper excitatus, propter grave onus satisfactionis extingueretur, peccatore totaliter desperante; unde melius est quod sacerdos poenitenti indicet quanta poenitentia esset sibi pro peccatis iniungenda, et iniungat illi nihilominus aliquid quod poenitens tolerabiliter ferat, ex cuius impletione assuefiat ut maiora impleat, quae etiam sacerdos iniungere non attentasset; et haec quae praeter iniunctionem expressam facit, accipiunt maiorem vim expiationis culpae praeteritae ex illa generali iniunctione qua sacerdos dicit: Quidquid boni feceris sit tibi in remissionem peccatorum.* Eamdem doctrinam repetit idem Angelicus Doctor in 4, dist. 2, quaest. 1, art. 2, quaestiuncula 2, ad 3: *Sacerdos,* inquit, *minorem condigno poenitentiam iniungens, non semper peccat....., quia quandoque, etiam ex industria minorem poenitentiam imponens, plus prodest poenitenti quam noceat, qui forte magnitudine poenitentiae posset a poenitentia peragenda impediri propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatae; et ideo negligit minus damnum ut maius evitet, et interim paulatim confortatus in eo divinus amor ad plura poenitentiae opera peragenda ipsum incitabit propria sponte, quam sacerdos eidem secundum gravitatem peccatorum iniungere potuisset.*

Attendant et perpendant monitum S. Caroli Borromaei in Instructionibus Poenitentiae; *In poenitentia imponenda adhibebit et prudentiam et pietatem et iustitiam. Habebit rationem status, conditionis, sexus, aetatis, etc. Quamobrem talem imponat qualem ab eo praestari posse iudicet; proinde aliquando, si ita viderit expedire, illum interroget an possit anve dubitet poenitentiam sibi iniunctam peragere, alioquin eam mutabit aut minuet. Considerabit item animum mentemque poenitentis, ac fletum, gemitum et lacrymas intimi doloris indices..... Pauperibus eleemosynam non imponat, nec iis qui ex proprio labore victum quaerunt ieiunium indicatur, quod et in aliis poenitentiis observandum.*

Attendant tandem ad consilium S. Francisci Salesii in monitis pro confessariorum instructione scriptis, cap. 8: *Satisfactiones intricatas et in variis operum generibus, aut diversarum orationum magno numero compositas, imponere non expedit, eo quod illa diversarum orationum congeries aut piorum operum varietas, oblivionem poenitentiae impositae inducat, indeque anxietatem et scrupulos pariet in animis poenitentium; deinde remittitur et tepescit plerumque devotio, dum poenitens magis cogitat quas orationes recitare vel quid agere debeat et quotidie, quam attendat ad preces ipsas quas fundit, aut ad opera ipsa quae facit.*

Si haec et ad reliqua S. Caroli Borromaei monita et consilia sedulo attendant, mitigabunt profecto nimium quem hucusque exercuerunt rigorem, et animarum saluti et propriae obligationi consulent.

322

S. C. S. Officii *1 Aug. 1737.* — 1. An Patres Oratorii Goani, qui missionariorum munere funguntur in insula Ceylan, possint indifferenter baptizare omnes filios catholicorum, qui sub dominio hollandorum haereticorum in dicta insula Ceylan nascuntur, etiamsi certo sciant ipsos pueros, si vivant, a parentibus fidelibus esse deferendos, ut a ministro haeretico baptizentur tempore ab haereticis statuto, non quia dicti parentes credant licitum esse vel validum secundum baptismum, sed quia ob metum persecutionis et poenarum ab haereticis infligendarum, omnino negaturi sunt filios suos esse a catholicis baptizatos.

An baptizandi infantes quos iterum haeretici baptizabunt.

2. An possint permittere, vel saltem non prohibere expresse, dictis parentibus fidelibus deferre parvulos filios suos, etiam rite baptizatos, tempore quo sub poenis gravissimis coguntur, ut baptizentur ab haeretico ministro, non quia reiteratio baptismi liceat aut valeat; sed quia non sponte id faciunt sed ob metum gravem, et ne sequatur persecutio, bona fide hactenus existimant id sibi licere.

An permittendum est ut parvuli baptizati deferantur ad haereticos ut rebaptizentur.

R. Ad 1. Affirmative, et moneantur missionarii quod docere debent fideles ut sciant se administrasse Sacramentum Baptismi.

Ad 2. Negative, et quod missionarii teneantur monere suos subditos de illicita cooperatione ad iterationem Baptismi.

323

a facultates fect. Missio-

Instr. S. C. de Prop. Fide (AD PRAEF. MISSION. PERNAMBUCI) *31 Aug. 1737.* — Avendo fatta istanza a questa S. C. il Padre Giuseppe da Calvatone missionario cappuccino di cotesta Prefettura di Pernambucco per l'opportuna decisione di cinque dubbî contenuti nell'annesso foglio (1), sono questi stati rimessi per la risoluzione a quella del S. Officio, la quale tenutasi, secondo il consueto, avanti la Santità di N. S., ha ordinato che io come Prefetto della S. C. di Prop. Fide manifesti direttamente a V. P. conforme eseguisco, per modo d'istruzione, le determinazioni della medesima in ordine ai detti dubbî, senza darsi veruna risposta al religioso che li ha proposti, giacchè non si dee dare adito che ogni missionario si faccia lecito di fare simili quesiti appartenenti alla Missione, dovendo ciò praticarsi per se stesso nelle occorrenze dal solo P. Prefetto con la previa partecipazione di tutti i missionarî della Prefettura, senza ch'egli possa neppur dar licenza ai missionarî particolari di proporli.

icultates missnariorum dinsandi etc. n respiciunt um externum.

Or venendo all'istruzione sopra i mentovati dubbî, rispetto al primo è chiara la disposizione dell'articolo quarto delle facoltà, quali si concedono dalla Santa Sede Apostolica al Rev. Prefetto, communicandole ai proprî religiosi missionarî, in ordine alle dispense matrimoniali, che possono usarle nel foro interno di coscienza indefinitamente, e non già *in utroque foro* ove sono i Vescovi, ivi: *Hae vero matrimoniales dispensationes, videlicet 4, 5, 6 et 7, non concedantur in utroque foro, ubi erunt Episcopi, sed in foro conscientiae tantum;* perlochè portando il quesito se possono i missionarî dispensare *cum debita solemnitate, vivente et residente Episcopo,* è indubitato che non possono servirsi di tal facoltà *cum solemnitate,* cioè nel foro pubblico, venendo questa proibita a' missionarî, ma solo riservata ai Vescovi, i quali però possono delegarla; nè le facoltà per le dispense matrimoniali, secondochè si riconosce dalla formola di esse, si restringono solo agli indiani, ma complettano indistintamente tutti di qualsivoglia condizione, benchè vengano limitate con clausole, gradi, e spiegazioni di matrimonî contratti, ovvero *contrahendi,* le quali si devono impreteribilmente osservare.

An aliquan possint missi narii uti dic facultatib. in f ro externo.

Quanto al secondo dubbio nelle facoltà che si danno ai Vescovi di coteste parti si esprime che possono communicarle (a riserva però di quelle che richiedono il carattere episcopale) ai sacerdoti idonei, e particolarmente in tempo di morte, ivi: *Praedictae facultates communicandi, non tamen illas quae requirunt ordinem episcopalem, vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis qui in eorum dioecesibus laborabunt, et praesertim tempore sui obitus, ut sede vacante, sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quamprimum fieri debebit per delegatos, vel per unum ex eis, alio modo provideat.* — Pertanto col supposto che il Vescovo sia assente dalla diocesi, e che abbia lasciato i suoi sostituti in persona del Vicario Generale, o d'altri sacerdoti per l'uso delle predette facoltà nel foro esterno, in tal caso resta vietato ai missionari di usarle in detto foro esterno. Quando poi il Vescovo sia uscito di vita, il Capitolo non succede allora nell'uso di dette facoltà, ma bensì quello, o quelli, ai quali le avrà communicate il Prelato *tempore sui obitus,* in virtù della potestà che gliene dava la citata formola, e perciò neppure potranno esercitarle i missionarî nel foro esterno. Nell'opposto però, se una tale communicazione non fosse succeduta, in tale evento potranno i missionarî usarle anche nel foro esterno, attesochè la mente della Santa Sede si è che, vi sia nella diocesi chi possa supplire in caso di vacanza del Vescovato, conforme si riconosce e raccoglie dell'enunciata formola. Tuttavolta quando il Vescovo sia uscito di vita senza aver prima communicate le facoltà ad alcuno, dovrà intanto prontamente il Padre Prefetto renderne ragguagliata la Santa Sede, e da questa attendere le provvide ed opportune deliberazioni (2).

Praefectus ne quit communi care facultates a lienis missiona riis.

Rispetto al 3° e 4° dubbio, il P. Prefetto di una Missione non può comunicare le facoltà ai missionarî di un'altra, venendo ciò chiaramente proibito nella Formola delle facoltà che si concedono ai Prefetti; senza che la pretesa consuetudine in contrario possa in veruna maniera suffragare.

An missionari uti possint facul tatib. explet tempore eorun missionis.

E finalmente quanto al 5° dubbio, se pos-

(1) *En dubia:* 1. An vivente et residente Episcopo, Praefectus Missionariorum Capuccinorum, sive de eius licentia, quisvis alius missionarius possit licite et valide dispensare ante factum in impedimentis matrimonii, ad normam privilegiorum, non tantum Indos Missionum sed etiam cives cuiuscumque gradus et conditionis cum debita solemnitate. — 2. An saltem possint eodem modo, vel absente Episcopo, vel sede vacante. — 3. An Prefectus unius Missionis possit concedere facultates, vel in toto vel in parte, missionariis alterius Missionis, dum ratione itineris, vel alia quavis ratione, transeunt et aliquo tempore morantur in Missione ipsiusmet Praefecti, saltem supposito usu; non obstante restrictione quae legitur in fine privilegiorum. — 4. An suppositus usus, vel aliquis alius possit praescribere contra decreta S. Congregationis. — 5. An, supposita licentia Praefecti, possint missionarii propriae Missionis uti facultatibus nedum durante spatio septem annorum, uti concedunt decreta S. Coñgnis, sed etiam completo septennio, etiamsi habeant obedientiam redeundi in Italiam, et nolint vel nequeant.

(2) V. Decr. S. C. S. Off. 24 Nov. 1897, quo statuitur facultates omnes speciales, habitualiter a S. Sede Episcopis concessas, non suspendi etc.

sano i missionarî continuare con la permissione del Prefetto nell' esercizio della missione e delle facoltà, benchè terminato il tempo prefisso nella loro Patente ossia decreto; dovrà sopra di ciò osservarsi la disposizione del decreto di questa S. C. dei 12 Febbraro 1704, il quale dichiara « *missionarios, donec confirmationem missionis seu licentiam discedendi obtinuerint, facultates suas exercere posse ut antea, etiamsi tempus earum lapsum fuerit* ». Ma perchè nel dubbio presente si suppone che i missionarî abbiano già avuto la licenza di partire, ma per qualche motivo ragionevole non possono, ovvero per loro propria volontà non vogliono eseguirla; nel primo caso potranno continuare nell' uso della facoltà con la permissione del Prefetto, ma nel secondo, essendo la loro ulteriore dimora volontaria contro la licenza ottenuta dalla S. C. che nel medesimo tempo ingiunge il regresso alle proprie Province in Europa, questo ritardo senza causa necessaria è delitto, onde non devono più reputarsi questi tali per missionarî nell' esercizio delle facoltà di essi.

324

An liceat aliquando deferre Viaticum sine stola, et illud sine superpelliceo administrare.

S. C. de Prop. Fide *20 Sept. 1739* (C. P. PRO SIN.). — Un missionario di Xensi supplica che si conceda a favore de' missionarî la dispensa o indulto che possano portare il Viatico agli infermi senza la stola, essendo che spesse volte accade che l' infermo dimora lontano venti o trenta stadî, cioè tre, quattro o più miglia, ed essendo molto sottili e trasparenti le vesti del missionario, facilmente ne può trasparire agli occhi de' gentili la stola pendente dal collo dello stesso missionario, non senza pericolo di tradimento del missionario medesimo, e di privazione del Viatico in riguardo all' infermo. Inoltre domanda se nelle case, nelle quali i cristiani vivono misti coi gentili, si possa amministrare il Viatico senza cotta, ma colla sola stola. Il motivo.... si è che hanno (i gentili) per cattivo augurio il vestire vesti bianche nelle proprie case.

R. Quoad 1. dubium: In casu necessitatis licere. — Quo vero ad 2.: Orator aliique missionarii, quibus idem dubium subeat, recurrant in casibus particularibus pro directione ad Vicarium Ap.

325

De usu aquae benedictae in Baptismo.

Ex Litt. S. C. S. Officii *6 Apr. 1741*. — Intorno al dubbio esposto dal missionario cappuccino nella diocesi di Trebigne, rimesso dalla S. C. di Prop. Fide a questa del S. Officio, se sia conferito lecitamente il battesimo coll' uso dell' acqua benedetta, questa Suprema Inquisizione è stata di sentimento che sia conferito validamente, ma che in deficienza del Fonte dell' acqua preparata al battesimo, debba far uso dell' acqua naturale.

326

Circa nonnullos cophtorum ritus.

S. C. S. Officii *14 Iunii 1741*. — Dal P. Remigio da Trento Min. Rif. missionario nell' Egitto e Presidente nell' Ospizio di Achmim sono stati proposti alcuni dubbî attinenti al rito dei copti, quali lo tengono in molta agitazione.

De ministranda Communione Sanguinis infantibus.

1. Venendo praticato il dare la Comunione del Sangue ai bambini nati di fresco di otto giorni in circa, pare al detto Religioso un tal uso assai disconvenevole, non solo perchè i detti fanciulli sono esposti alla facilità del vomito, ma perchè, ciò seguendo, e cadendo il vomito sopra le vesti di chi sostiene il bambino, le medesime si lavano poi senza verun riguardo come gli altri panni usuali, gettandosi l' acqua in luoghi immondi. Oltre di che avendo esso ed altri missionarî del suo Ordine conferito in Achmim il Battesimo senza la detta Comunione, e senza che dai parenti del bambino, o da altri fosse loro fatta istanza di comunicarli come sopra, crede che un tal uso potrebbe togliersi, a tenore della dottrina di diversi autori i quali, approvando per una parte la detta Comunione, vi aggiungono la clausola *nisi aliter cum prudentia introduci possit latinus usus*.

R. Emi DD. decreverunt quod nihil innovetur, iuxta Instructionem Rmi P. Commissarii.

INSTRUCTIO. — Rappresenta il P. Remigio esser uso e pratica dei copti in Egitto di dare la Comunione del Sangue ai bambini nati di fresco di otto giorni in circa, il che dà causa al seguente inconveniente, poichè essendo questi bambini esposti alle facilità del vomito, non di rado succede che, cadendo il vomito sopra le vesti dei padrini, che li sostengono, si lavano poi queste cogli altri panni usuali, gettandosi l' acqua in luoghi immondi, laddove non usandosi tal cerimonia dai missionarî latini, non ne risulta alcuna irriverenza al Sagramento, e niuno di quel paese si lagna, e nemmeno fa istanza che sia a' loro bambini amministrato il Sagramento suddetto, come viene usato dai copti: dal che può presumersi che facilmente potrebbe la S. C. togliere quest' uso ed ordinare che s' introducesse l' uso latino, cioè che anche i copti lasciassero di dare la Comunione del Sangue prezioso alli bambini dopo celebrato il Battesimo.

Sopra la rappresentanza di tale inconveniente, deve esser ben noto al P. Remigio ricorrente che tale cerimonia di comunicare i bambini dopo il Battesimo, e nella stessa funzione del Battesimo, è antichissima nella chiesa greca,

ed è registrata nel Rituale chiamato *Euchologium* di cui ancora si serve la Chiesa dei copti, come membro della Chiesa greca, tanto che deve dirsi rito, e non semplice uso di quella Chiesa.

È notissimo che la S. Sede in varie occorrenze si è dichiarata di permettere, ed approvare tutti i riti e consuetudini della Chiesa greca *quae animae periculum non parerent, hec honestati Ecclesiae derogarent;* anzi ha sempre voluto che se ne mantenesse l' osservanza col comandare ed imporre a tutti i greci orientali ed occidentali di osservarne l' uso e la pratica come si può vedere nell' Epistola prima di Papa Leone IX *ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum, et Leonem Archidiaconum;* e così successivamente da Alessandro IV, da Innocenzo IV, e da tutti i successori Sommi Pontefici, inerendo al Canone del Concilio generale Lateranense (al Can. cap. 4 riferito in cap. *Licet, De Baptismo*) adunato da Innocenzo III, de' quali tutti si possono vedere li scritti e costituzioni stampate da Leone Allazio nel suo opuscolo *De interstitiis, et aetate Ordinandorum,* dove se ne vede la raccolta più piena ed esatta. Anzi Innocenzo IV nella sua Costituzione « *Apostolicae* » trasmessa al Legato di Cipro per dar rimedio ad alcuni abusi, non volle però derogare alli riti e consuetudini della Chiesa greca, benchè, massime nell' occasione del Battesimo dei bambini, occorresse qualche disordine, onde rescrisse nel 2. e 3. articolo come segue: *Quod mos ungendi per totum baptizandorum corpus, si tolli absque scandalo non possit, toleretur. Non referre sive in aqua frigida, sive calida baptizent.*

Anche Clemente VIII fece rispondere all' Arcivescovo di Monreale in Sicilia, per gl'Italo-greci di quel Regno, colle seguenti parole riportate dal Card. Albizi *fol. 310,* in risposta al sesto quesito: « *Ad sextum.* È bene istruire i greci che farebbero meglio se non dessero la S. Comunione a' fanciulli che non hanno l' uso di ragione: ma se non si acquietano, si può tollerare il rito loro, massime che il S. Concilio di Trento nel Cap. IV e nel Can. IV della Sess. XII non riprova l' uso degli antichi, ma insegna non esser necessario ». Da tutto ciò può comprendere il P. Remigio da Trento non essere intenzione della S. Sede di togliere, o molestare i greci nei loro riti, ma solo istruirli, quando occorre, perchè siano esercitati colla dovuta decenza e riverenza, e con quelle cautele che sono proprie per prevenire qualunque inconveniente o disordine; e ciò massime in Egitto dove la maggior parte de' copti sono scismatici, e che malamente intenderebbero ogni innovazione che si facesse contro il loro rito antico; onde solo dovrà il P. Remigio opportunamente esortare i copti cattolici perchè usino le dovute cautele nella Comunione del Sangue ai bambini, e nella lavanda dei panni per la dovuta riverenza al Sagramento.

De administrando Baptismate per immersionem.

Inoltre il P. Remigio rappresenta essere rito dei greci e dei copti conferire il Battesimo con immergere tre volte i bambini totalmente nell' acqua fredda. Da ciò ne segue che le madri per non esporre i proprî parti al pericolo di morte, come alle volte è accaduto, differiscono due o tre mesi a farli battezzare, con pericolo di farli morire senza il Battesimo, e benchè si trovi scritto nei libri copti, che in caso di pericolo il sacerdote debba prendere tre volte l' acqua colle mani e porla sopra il capo del battezzando, con tutto ciò il detto P. Remigio asserisce non essere in uso tal rimedio, onde dimanda quid agendum.

Sopra tal richiesta deve esser noto al P. Remigio, che anche questo rito è antichissimo nella chiesa greca, e trovasi descritto nel rituale greco *Euchologion,* che la S. Sede non ha voluto sino ad ora mutilare.

Ed il rito di dare il Battesimo *per immersionem* non solo è rito antico della Chiesa Greca, come dimostra il Card. Cozza nelle sue vindicie delle opere di S. Dionigio Areopagita, ma ancora è uso e consuetudine di alcune chiese latine occidentali.

Che poi nell' Egitto di clima così caldo possa l' acqua fredda portar pericolo di morte alli bambini, può essere che venga dalle indisposizioni dei medesimi più che dal freddo dell' acqua, potendo ciò accadere anche nel bagno dell' acqua tiepida: nondimeno dovendosi anche rimediare al disordine che si procrastini dalle madri il Battesimo alli bambini col pericolo che questi muoiano senza battesimo, dovrà il P. Remigio, senza pretendere di atterrare il rito dei copti, per le ragioni di sopra dette, esortare i ministri del Battesimo a servirsi della cautela posta nei loro libri stessi, cioè di dare il Battesimo o coll' uso dell' acqua tiepida, o per *trinam aspersionem* almeno nel caso, che siano portati li bambini d' infermiccia complessione, e nello stesso tempo dovrà predicare, ed esortare le madri a non differire il Battesimo de' loro bambini, dimostrandogli la crudeltà verso dei medesimi, se per timore della morte temporale espongono i loro parti a maggior pericolo di perdere in eterno l' anima.

327

De Missarum eleemosynis.

Litt. Encycl. Bened. PP. XIV *30 Iunii 1741* (DE MISSARUM ELEEMOSYNIS). — Quanta cura adhibenda sit ut sacrosanctum Missae Sacrificium non solum omni religionis cultu ac veneratione celebretur, verum etiam ut a tanti Sacrificii dignitate cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam

postulationes, aliaque huiusmodi quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex catholicae fidei cultoribus qui ignoret.

Abusus seu mercimonium circa Missarum eleemosynas.

Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri moerore undique accepimus, nonnullorum, sive ecclesiasticorum sive laicorum avaritia, quae est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem seu stipendia propter Missarum celebrationem, iuxta locorum consuetudines, vel dioecesanarum synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscuiusque sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus descripta, colligant; Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynae seu stipendia, vel consuetudine vel synodali lege, pro singulis Missis attibuta sunt minoris pretii quam illic, ubi accipiuntur, darentur.

Eiusdem reprobatio et damnatio.

Id quam absonum sit atque alienum ab ipsa, sive expressa sive tacita, pia offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam, religionis et pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiae suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subiacet, haud immune, in causa est ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura huiusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant.

Execrabilem huiusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Praedecessores Nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium Universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium Conc. Tridentini interpretum, decretum voluerunt, nimirum a quolibet sacerdote, stipendio seu eleemosyna maioris pretii a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti Missam huiusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti Missam celebranti et consentienti se maioris pretii eleemosynam accepisse indicasset.

Adhortatio ad Episcopos.

Eapropter Vos, Venn. Fratres, in apostolici ministerii et sollicitudinis Nostrae partem adscitos, rogamus et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris, enitamini ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice mala omnia germinant, quam quidam appetentes erraverunt a fide, inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quae conceptam apud omnes sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia opibus Deum posthabere, ac servire mammonae docens, efficit ut avari haereditatem non habeant in regno Christi et Dei. Quod si haec in laicis hominibus minime toleranda, atque adeo legibus coercenda, quid ecclesiasticis viris qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid quod non per mundana lucra sed per altaris ministerium tam sordide, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum sacerdotalis characteris dedecore, in avaritiam praecipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, Venn. Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum ut, verbo et exemplo praeeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, ut populi vestigia vestra sequantur; verum etiam ut ecclesiasticos viros primum, deinde laicos viros ab infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad caeleste ovile currere doceatis.

Poenae irrogandae.

Quoniam autem ita comparatum est ut praesentis poenae metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per edictum in vestris dioecesibus proponendum affigendumque, universis notum facite, quemcumque qui eleemosynas seu stipendia maioris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens, Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu saecularem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam; clericum vero, sive quemcumque sacerdotem, poenam suspensionis ipso facto incurrere; a quibus nullus per alium quam per nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus ut unusquisque memor conditionis suae, posthac bene consultum velit animae suae, nec tam salutares leges censurasque ecclesiasticas parvipendat. Interea *etc.*

328

De observantia ieiunii.

Litt. Ap. Bened. PP. XIV 22 *Aug.* 1741 (AD OMNES EPP.). — In suprema universalis Ecclesiae procuratione, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam ut orthodoxae fidei assertores, sic etiam ecclesiasticae disciplinae custodes ac vindices constituti, quadragesimale praesertim ieiunium, quod inter praecipua orthodoxae disciplinae capita semper et ubique ab ipso Ecclesiae exordio numeratum esse nemo ex catholicis inficiatur, ab hodierna ieiunantium corruptela vindicare, et in pristinam, quantum, benedicente Domino, fieri posset, observantiam revocare cupientes, per alias nostras in simili forma Brevis literas ad Fraternitates vestras die XXX

Litterae Apost. alias emanatae.

proxime elapsi mensis Maii currentis anni datas eximium Fraternitatum Vestrarum zelum excitandum curavimus, ut adlaborare studeretis ne hac in parte et optatum Apostolicae nostrae sollicitudinis angoribus levamen, et salutare abolendae sacratissimi ieiunii corruptelae remedium deesset. Quoniam autem paternae pontificiae caritatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, atque etiam cum infirmantibus infirmari, non immemores, quemadmodum a ieiunio aliquando legitima causa, aut gravissima urgentique necessitate exigente, dispensandum esse ex apostolica benignitate censuimus; ita inter caetera praescripsimus unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas. Quaestio exorsuper earum sensu. Hinc factum esse accepimus, quod non defuerint qui per humanas et hominibus a christiana poenitentia abhorrentibus dumtaxat dignas illationes, sibi aliisque persuadeant, unicam potissimum comestionem servari, atque epulas licitas et interdictas minime apponi debere cum multitudini quidem indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, non vero singulis ob legitimam causam et utriusque medici consilio dispensatur. Quam sane persuasionem a sententia nostra alienam ut ex omnium animis penitus evellamus, Nos quibuscumque, quacumque occasione, sive multitudini indiscriminatim ob urgentem gravissimamque necessitatem, sive singulis ob legitimam causam et de utriusque medici consilio, dummodo nulla certa et periculosa affectae valetudinis ratio intercedat, et aliter fieri necessario exigat, in Quadragesima, aliisque anni temporibus, et diebus, quibus carnium, ovorum, et lacticiniorum esus est prohibitus, dispensari contigerit, ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comestionem servandam, et licitas atque interdictas epulas minime esse apponendas, tenore praesentium declaramus et edicimus; quemadmodum per singulas nostras in pari forma Brevis litteras singulis utriusque sexus christifidelibus, ob corporis infirmitates, quibus obnoxii reperiuntur, in sacratissima Quadragesima, aliisque ieiunio consecratis diebus vescendi prohibitis licentiam dantes, unicuique expresse praescribimus atque praecipimus. Eapropter Fraternitates Vestras rogamus, atque in Domino obsecramus, ut populos vestrae curae commissos ad tam opportunum sanandis vulneribus, quibus per humanam infirmitatem quisque sauciatur, sanctissimi ieiunii remedium alacriter adhibendum cohortantes, sedulo ac paterne moneatis, rem agi non quidem exiguam, sed longe gravissimam de observando sustinendoque ieiunio purificandis animis corporibusque salutari. In spem igitur illos erigite coelestium praemiorum, quibus assequendis non sunt condignae passiones huius temporis; imo leve ac momentaneum non tribulationis, sed modicae abstinentiae nostrae incommodum magnum gloriae pondus operatur in coelis. Ab omnibus se abstinent qui in agone contendunt, ut corruptibilem coronam accipiant; pudeat tam imbelles ac delicatos christianae militiae milites refugientes a consortio crucis Christi, qui coronam legitime certantibus propositam sperare praecipit incorruptam; ad cuius auspicium et pignus Fraternitatibus Vestris Apostolicam benedictionem etc.

Declaratio.

Adhortatio ad episcopos.

329

S. Rit. C. *2 Sept. 1741.* – AQUEN. — Debetne fieri in tota dioecesi Officium cum octava Titularis ecclesiae cathedralis, aut Patroni?

De festo Titularis eccles. cathedr. aut Patroni.

R. Affirmative.

330

S. Rit. C. *2 Sept. 1741.* – AQUEN. — Si Episcopus non sit primum consecratus pro Ecclesia cui praeest, sed pro alia a qua ad praesentem fuerit translatus; Missa quae habetur in Missali dicendane erit die consecrationis, vel die nominationis seu translationis?

De Missa diei consecrat. aut nominat. Episcopi translati.

R. De Episcopo translato celebranda est Missa in Ecclesia cui fuit ultimo loco praepositus, recurrente die quo Papa eum tali Ecclesiae praefecit. Exemplum habetur in electione Summi Pontificis; et festum huiusmodi erit annuntiandum cum termino *Translationis*.

331

S. C. de Prop. Fide *20 Sept. 1741* (C. P. PRO SIN.). — Moneantur omnes Vic. Ap. et missionarii S. Congr. ut singulis annis ad eam mittant catalogum conversorum, baptizatorum, et Sacramentorum quae quisque in sua Missione administraverit.

De catalogo conversorum etc. a missionariis mittendo.

332

Const. Bened. PP. XIV *2 Nov. 1741.* — (DE IUDICIIS CAUSARUM MATRIMONIALIUM). — Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt, et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus subnascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legis servetur auctoritas.

De causis matrimonialibus.

Exordium.

Siquidem matrimonii foedus a Deo institutum, quod, et quatenus naturae officium est,

Matrimonium iure naturali et divino indissolubile.

pro educandae prolis studio aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum et indissolubile esse convenit, et quatenus est catholicae Ecclesiae Sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam ecclesiasticis curiis inconsulta nimis iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos iudices humanae naturae conditione, et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum Matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis parens praemonuit inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea,* et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

De abusu matrimoniorum dissolutiones admittendi.

Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam, et secundam, ac tertiam, quam duxerant, uxorem, ob nimiam iudicum praecipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter foeminarum, quae post primum, secundum, et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo, et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni, et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore, intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus Apostolicae Nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri anno ad Episcopos illarum partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis litteris, graviter conquesti sumus de huiusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

De causis eiusdem abusus.

Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum iudicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest iudex, ad cuius tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia dissolvenda, atque eadem matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita, ac invalida declarant; partim etiam ex facto coniugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolat; vel ambobus coniugibus in iudicium venientibus, alter qui pro matrimonio, alter vero qui contra agit, sententia de nullitate matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem iudicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quae pro validitate matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a iudice sententia contra matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus ac causam post primam sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat.

De iis quibus causae matrimoniales committendae.

Quod autem ad iudices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro litigantium commodo causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis litteris ad venerabiles fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri, providere curavimus, in quibus ea praescripsimus, quae sacris canonibus, et Concilii Trid. decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae non nisi personis congrua iuris peritia, et necessario probitatis spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis litteris constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus; quod, quamvis Concilii Trid. decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt Decani, Archidiaconi, et aliorum inferiorum iudicio, et Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de Archidiaconis, Decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant; idcirco minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus ac mandamus iis, ad quos huiusmodi commissionum, seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis, praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex

legitima causa commode committi possit, tum commissio, et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis litteris praescriptum pro iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

efensor matoniorum in ulis dioeceis eligatur.

Quod vero ad ordinem, et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus, ac iubemus, ut ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia, pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi, vel remanendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

efensoris manoniorum ofa.

Ad officium autem defensoris matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit in iudicium venire, quotiescumque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

idem defensor mper adsit in dicio.

Et demum defensoris huiusmodi persona, tanquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio, sive unus ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate, in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis, ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

uramentum aestet, et citer in omnibus tibus.

Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitabitur, et existentibus in iudicio vel uno ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur, si a iudice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, postquam iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronunciaverit; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit, adhaerens parti quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem iudicem provocabit.

Contra vero, si pro nullitate pronunciatum fuerit.

Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris et partium interposita, si ambo, vel unus ex coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur quae adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes matrimonium huiusmodi omnibus poenis contra poligamos a sacris canonibus, et constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia, ac potestate simili rursus statuimus, decernimus, ac renovamus.

Post primam sententiam, appellatione interposita vel non, illicitus transitus ad novas nuptias.

Posteaquam vero, appellationis beneficio, ad alterum iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quaecumque coram iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet iudicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue ac pro viribus tuebitur; et si iudex in secunda instantia fuerit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem iudex in secunda instantia erit iudex commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario in cuius dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

De defensoris officiis, et de illius electione in secunda instantia.

Instructo autem in hunc modum iudicio,

ion appellabit sententia pro atrimonii validate prolata.

Novas nuptias contrahere licet post duas sententias conformes, sed non semper.

si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta intelligatur, et locum habeat, salvo semper et firmo remanente iure, seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam, sed si nova res, quae non deducta vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei, salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe iu quolibet iudiciali actu, citato et audito defensore matrimonii, qui a iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

De salario defensoris, si illud petat.

Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causae iudice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus a iudice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas, in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt iudices commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius dioecesi iudex commissarius iuxta Sedis Apostolicae mandatum iudicium exercebit.

De servandis in causis matrim. quae Romae disceptantur.

Hactenus quidem quoad causas matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe eiusque suburbiis et districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur citato et audito defensore matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur: tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et executione Concilii Tridentini, vel in causarum Palatii nostri Auditorio, dummodo Nobis, et Romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, defensor matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis, si vero in Palatii nostri Auditorio, ab Auditore decano praefati tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a persona eiusdem Congregationis digniore deputetur.

Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in Palatii nostri Auditorio, unica sententia super eadem nullitate pronunciata minime sufficiat ad tribuendam liberam coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi; sed, si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris matrimonii instantiam reproponatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in Palatii nostri Auditorio iudicata sit, a praefato defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur: si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus Auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut ullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata, vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint; quod si secus factum fuerit, et novum initum matrimonium, Nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis ut supra statutis submittantur.

Instantiae pro dispensatione matrim. rati et non consummati Summo Pontifici exhibendae.

Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quae ut pluri-

mum prò voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii interpretum, vel nonnumquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent: ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi, vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

lausulae.

Demum volumus ac decernimus, easdem praesentes litteras semper firmas etc.

333

atrimonia mi-, Tridentina ma non ser-a, valida de-antur.

Declaratio Bened. PP. XIV *4 Nov. 1741* (DE MATRIMONIIS IN BELGIO ET HOLLANDIA). — Quod spectat ad ea coniugia quae in foederatis Belgii Provinciis absque forma a Tridentino statuta contrahuntur a catholicis cum haereticis, sive catholicus vir haereticam feminam in matrimonium ducat, sive catholica femina haeretico viro nubat, dolens imprimis quam maxime Sanctitas Sua eos esse inter catholicos qui, insano amore turpiter dementati, ab hisce detestabilibus connubiis, quae Sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit, ex animo non abhorrent, et prorsus sibi abstinendum non ducunt; laudansque magnopere zelum illorum Antistitum qui, severioribus propositis spiritualibus poenis, catholicos coercere student, ne sacrilego hoc vinculo sese haereticis coniungant; Episcopos omnes, Vicarios Apostolicos, parochos, missionarios, et alios quoscumque Dei et Ecclesiae fideles ministros, in iis partibus degentes, serio graviterque hortatur et monet, ut catholicos utriusque sexus ab huiusmodi nuptiis in propriarum animarum perniciem ineundis, quantum possunt absterreant, eisdemque nuptias intervertere atque efficaciter impedire satagant. At si forte aliquod huius generis matrimonium, Tridentini forma non servata, ibidem contractum iam sit, aut in posterum (quod Deus avertat) contrahi contingat, declarat Sanctitas Sua matrimonium huiusmodi, alio non concurrente canonico impedimento, validum habendum esse, et neutrum ex coniugibus, donec alter eorum supervixerit, ullatenus posse, sub obtentu dictae formae non servatae, novum matrimonium inire. Id vero debere sibi potissime in animum inducere coniugem catholicum, sive virum, sive feminam, ut pro gravissimo scelere quod admisit poenitentiam agat ac veniam a Deo precetur, coneturque pro viribus alterum coniugem a vera fide deerrantem ad gremium Catholicae Ecclesiae pertrahere, eiusque animam lucrari, quod porro ad veniam de patrato crimine impetrandam opportunissimum foret, sciens de caetero se istius matrimonii vinculo perpetuo ligatum iri.

334

De honorificentiis erga Galliae consules in oriente.

S. C. de Prop. Fide *1742* (REGOLAMENTO PER GLI ONORI DA PRESTARSI AI CONSOLI DELLA FRANCIA IN LEVANTE). — 1. Si canti il *Te Deum* all' ingresso del Console nella sua carica.

2. Vi sia nella chiesa un luogo distinto pel medesimo.

3. Il Prefetto manderà un servo ad avvisare il Console all' ora della Messa.

4. Il Console non dovrà prendere l' aspersorio dalle mani del sacerdote, ma (il sacerdote) nel passare si avvicini al Console coll' aspersorio, e questi stendendo il braccio prenderà colle dita l' acqua santa nella sommità della spongia, ritenendo il sacerdote l' aspersorio nelle mani.

5. Il celebrante dopo aver fatta la genuflessione avanti e dopo la Messa all' altare, faccia al Console un inchino.

6. Non si ammetta il Console al bacio del Vangelo.

7. Il Console sia incensato distintamente, e gli si porga a baciare con distinzione la Pace.

8. Il Console seguiti la Processione colla torcia alla mano, presentatagli da un ministro dell' altare.

9. Nelle diverse espresse occasioni si dica nella chiesa l' orazione per il Re Cristianissimo.

335

De iuribus Patriarcharum orientalium.

Ex Const. *Apostolica* **Bened. PP. XIV** *14 Febr. 1742.* — Pro tempore existens Patriarcha (Maronitarum) sacra Olea gratis omnino transmittat sive distribuat, et nihil penitus vel pecuniae vel alterius cuiuscumque rei etiam a sponte dantibus recipiat aut exigat...: Ius habeat... singulis trienniis singulas dioeceses per se ipsum visitandi; decimas consuetas (decimâ tamen decimarum singulis Antistitibus in suis respective dioecesibus relictâ) in iisdem dioecesibus colligendi; et emolumenta dispensationum, quae ad Patriarcham spectant, exigendi....; sacra Olea consecrandi, et in singulas septem dioeceses privative distribuendi et, ut ante statutum est et non aliter, mittendi.

336

De facultate retinendi sibi partem eleemosyn. pro Missis quarum celebratio aliis sacerdotibus committitur.

S. Poenitentiaria Ap. *6 Apr. 1742.* — Missionarii, et Pastores catholici in Hollandia, aliisque regionibus haereticorum, et infidelium ditioni subiectis, cum osculo pedum Sanctitati Vestrae humiliter exponunt ad eorum notitiam devenisse Breve exemplare Sanctitatis Vestrae apud S. Mariam Maiorem editum die 30 mensis Iunii 1741 incipiens « *Quanta cura adhibenda est* », in quo clericis et sacerdotibus quibuscumque recipientibus eleemosynas, seu stipendia pro Missis celebrandis, districte prohibetur, ne, retenta sibi partem earumdem eleemosynarum, sive stipendiorum, aliis sacerdotibus committere possint celebrationem earumdem Missarum cum minori eleemosyna seu stipendio, adiuncta poena suspensionis reservatae Sedi Apostolicae ipso facto incurrenda, prout latius in eodem Brevi exemplari continetur. Quoniam vero, Pater Sancte, in illis regionibus sub haereticorum, vel infidelium iugo nulla adsunt Beneficia ecclesiastica, seu certi redditus ad vitae substentationem, Pastoribus et missionariis catholicis a piis fidelibus dari solent pinguia Missarum stipendia et eleemosynae pro earumdem Missarum celebratione, ut ex ipsis stipendiis, et eleemosynis sustentationem recipiant in defectum, ut supra, Beneficiorum, sive certorum reddituum ecclesiasticorum. Quandoque vero eadem stipendia, et eleemosynae dantur ratione quidem particularis affectionis, vel gratitudinis erga illos missionarios, et Pastores, sed non sine respectu ad supradictam sustentationem; multoties etiam, praecipue in exequiis, anniversariis, et maioribus festis, supradicta stipendia, et eleemosynae Missarum dantur per modum unius honorarii, quod occasione Sacramentorum Poenitentiae, et Sacrae Communionis ex pia devotione fideles conferre solent. Quae cum ita sint, Pastores et missionarii nullum habuerunt scrupulum retinendi sibi ipsis partem stipendiorum et eleemosynarum, et demandare aliis sacerdotibus indigentibus, et Missarum celebrationem committere qui sub nomine *Sacellani,* sive *Coadiutores* assistunt, et vicem eorumdem missionariorum, et Pastorum gerunt, quando sunt absentes, vel morbo impediti, aliisque in similibus necessitatibus; quod si missionarii et Pastores tenerentur totam deinceps tradere eleemosynam receptam pro celebratione Missarum sacerdoti substituto qui Sacrificium offert, vel ipsi missionarii et Pastores congrua substentatione privarentur, vel si partem et portionem dicti stipendii sive eleemosynae dare nequirent sacerdoti celebranti, praecipue pro sacellanis et coadiutoribus ut supra necessariis, huiusmodi subsidium deficeret in illis regionibus, in quibus redditus certi, ac Beneficia pro ministrorum ecclesiae sustentatione deficiunt.

His igitur, aliisque particularibus circumstantiis sedulo perspectis, licet devotissimi S. V. oratores pro certo habeant, quod in Brevi exemplari supra commemorato pro celebratione Missarum nullatenus comprehendantur, quominus tuto servare possint morem, et praxim usque adhuc observatam, nempe in dictis casibus retinendi sibi partem, sive portionem stipendii accepti pro celebratione Missarum, et cum minori eleemosyna aliis sacerdotibus Missas celebrandas committere, nihilominus veluti obedientissimi Catholicae Ecclesiae filii, et metu suspensionis ipso facto incurrendae perculsi, demississime supplicant Sanctitati Vestrae pro opportuna declaratione.

R. SSmus D. N. Benedictus d. p. PP. XIV vivae vocis oraculo benigne declaravit in prohibitione contenta in superius enunciato Brevi non comprehendi praedictos casus: et insuper mandavit hanc suae mentis declarationem praedictis oratoribus, aliisque, quibus opus fuerit, per Officium S. Poenitentiariae esse significandum.

337

Facultate dispensandi cum fidelibus in ieiuniis et abstinentiis nequeunt missionariis ut pro seipsis.

S. C. S. Officii *12 Apr. 1742.* — Praefectus S. Dominici *(S. Domingo)* supplicat pro declaratione an posito quod attentis rationibus etc. iudicetur dispensandum (in ieiuniis et abstinentiis) cum aliis fidelibus, ipse et sui commissionarii ea dispensatione uti possint, quia etsi corporaliter minus fatigent, non firmiori quam ceteri utuntur valetudine.

R. Negative, et orator recurrat ad sui Ordinis superiores.

338

De graecis in Italia domiciliun habentibus.

Const. Bened. PP. XIV *26 Maii 1742* (De dogmatibus et ritibus ab italo-graecis tenendis et servandis). — Etsi pastoralis Romani Pontificis vigilantia ad omnes christifideles longissimis etiam locorum intervallis distantes, ac vitae, rituum et linguarum genere inter se maxime differentes paterna caritate sese extendat, omnemque curam ac studium adhibeat, ut ubique terrarum catholicae fidei integritas, ecclesiasticae disciplinae nitor probitasque morum sarta tecta serventur; maioribus tamen pontificiae sollicitudinis studiis in eos intendit, qui in ditione ecclesiastica et in reliquis Italiae partibus eiusque Insulis adiacentibus sive orti sive aliunde advecti incolae commorantur. Cum itaque factum sit ut, grassantibus iamdudum per totum Orientem tum barbarorum infidelium immanitate, tum etiam schismaticorum perfidia plurimi ex Graecia, Epiro, Albania, aliisque Asiae regionibus ad Italiam eique adiacentes insulas tamquam ad fidei et tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes ac domicilium

Specialis cur Rom. Pontifici pro Italiae inco lis.

De italo-grae corum origine.

collocaverint, et tam ipsi quam eorum filii graecorum mores, instituta, ritus et consuetudines a graecis progenitoribus sibi traditas studiose enixeque servare pergant, ita tamen ut debitam Romanae Ecclesiae obedientiam ac devotionem omnino profiteantur; hinc est quod nos, qui ineffabili Dei clementia, meritis licet imparibus eius vicem gerimus in terris, apud quem non est graecus et iudaeus, barbarus et Scytha, (omnes enim unum sunt in Christo Iesu), graecos et albanenses graeci ritus tam in ditione nostra ecclesiastica et utraque Sicilia, quam in reliquis Italiae partibus et insulis adiacentibus in dioecesi latinorum Episcoporum commorantes, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, omnia et singula, quae laudabiliter provida Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum ordinatione graecis et albanensibus praedictis, tum quoad rituum graecorum sive consuetudinum observantiam, tum quoad privilegia, immunitates, exemptiones, favores, indulta et gratias, concessa, statuta, ordinata, indulta et facta dignoscuntur, ut pleniorem roboris firmitatem obtineant, eoque firmius et stabilius illibata inconcussaque perdurent, quo saepius sunt in genere et specie Sedis Apostolicae praesidio communita, per praesentes nostras litteras innovamus, confirmamus et approbamus, illisque nostrae approbationis, confirmationis et innovationis robur adiicimus, ut iisdem privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indultis, gratiis, favoribus, perinde ac clerici latini tam saeculares quam regulares, eorumque ecclesiae, monasteria et bona in iisdem locis, ubi italo-graeci commorantur, utuntur, potiuntur et gaudent, uti, potiri et gaudere libere possint ac valeant, ut privilegiis ac gratiis huiusmodi sibi concessis in Domino plene gaudentes, in tranquillitate pacis conquiescant, et per semitam mandatorum Dei gradientes ferventiori erga Apostolicam Sedem devotione perseverent. Quoniam vero pro diversis rerum ac temporum circumstantiis plures ac diversae editae fuerunt ab iisdem praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus, et a nonnullis Venn. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationibus circa eosdem graecos et albanenses, eorumque ritus, consuetudines, instituta, debitamque latinis Praesulibus, in quorum dioecesi degunt, subiectionem apostolicae constitutiones, ordinationes, responsa, edicta et decreta; eamque ob causam tam de ritibus ipsorum graecorum et albanensium, quam de eorumdem sacerdotum potestate, et latinorum etiam Praesulum atque parochorum iurisdictione et auctoritate saepe obortae sunt et oboriri solent quaestiones et controversiae; nos pro nostra pastoralis officii sollicitudine, quantum in nobis est, hisce malis opportunum remedium adhibere, causasque omnium litium, iurgiorum, dissidiorum, contentionum, quaestionum et controversiarum amputare, certamque super rebus huiusmodi tum praefatis graecis et albanensibus graeci ritus, tum latinis Episcopis et parochis regulam, normam et instructionem, cui potissimum sese in posterum conformare, et in singulis occurrentibus dubiis et casibus inhaerere debeant, tradere cupientes, omnia et quaecumque per eosdem Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac praesertim Innocentium IV, Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Iulium etiam III, Pium IV et V, Gregorium XIII, Clementem VIII, et forsan alios Romanos Pontifices circa memoratos graecos et albanenses eorumque ritus et consuetudines ordinata et constituta fuisse comperimus, ut, quo saepius fideles ipsi illa perspicient innovari, eo ferventius ac promptius ad illorum observantiam excitentur, in aliis omnibus, praeterquam in iis quae praesentibus nostris adversantur, confirmanda et innovanda, nostroque auctoritatis munimine roboranda esse censemus, et confirmamus atque innovamus, aliaque insuper motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine hac nostra perpetuo valitura sanctione et constitutione disponimus, constituimus, ordinamus, decernimus et declaramus, prout in Domino conspicimus expedire.

ores et prii italo-graeoncessa conntur.

nfirmatio titutionum tolic. circa graecos.

§ I.

De Fide Catholica.

Ac primo quidem, cum catholica fides sit eiusmodi, ut, nisi eam quisque integram inviolatamque servaverit, salvus esse non possit, quaecumque credit ac docet sacrosancta Romana Ecclesia, ea omnia et singula iidem graeci et albanenses graeci ritus integre, firmiter indubitanterque credere atque affirmare tenentur; prout in sacra oecumenica Synodo Florentina super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definitum et declaratum fuit, et in professione orthodoxae fidei a graecis iussu Gregorii Papae XIII praedecessoris nostri emittenda continetur, videlicet:

Quid credere italo-graeci teneantur.

I. Quod Spiritus Sanctus a Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul et Filio, et ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit: et quod, ea verborum illorum « *Filioque* » explicatio, veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuit apposita. Etsi autem graeci teneantur credere, etiam a Filio Spiritum Sanctum procedere non tamen tenentur in Symbolo pronunciare; contraria tamen consuetudo ab albanensibus graeci ritus laudabiliter recepta est, quam ab iisdem albanensibus aliisque quibuscumque in ecclesiis, ubi ea viget, servari volumus; quin etiam

De processione Spiritus Sancti a Patre et Filio.

a graecis presbyteris aliarum quarumcumque regionum commorantibus in Italia eiusque insulis adiacentibus, si ab Ordinariis locorum, vel ob suspicionem haeresis, vel ob scandalum, vel ob aliam iustam causam requisiti fuerint, particulam illam « *Filioque* » in Symbolo pronunciari praecipimus, ac mandamus.

De pane azymo et fermentato.

II. Item profiteri tenentur, tam in azymo quam in fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici; et sacerdotes in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suae Ecclesiae sive Occidentalis sive Orientalis consuetudinem.

De Purgatorio.

III. Item, si vere poenitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis et omissis satisfecerint, eorum animas poenis Purgatorii post mortem purgari; et, ut a poenis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiae instituta.

De beatifica Dei visione.

IV. Illorumque animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, tum illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutae corporibus, prout superius dictum est, sint purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum Trinum et Unum sicuti est, pro diversa tamen meritorum ratione aliam alia perfectius.

De iis qui in peccato mortali decedunt.

V. Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali, decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas.

De Romani Pontificis primatu.

VI. Item Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur.

De ceteris a S. Rom. Ecclesia definitis et declaratis.

Cetera item omnia quae a sacris canonibus et oecumenicis conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo et a Gregorio XIII praedecessore nostro in professione praedicta orthodoxae fidei a graecis emittenda, tradita, definita et declarata fuerunt, indubitanter recipere et profiteri debent, simulque contraria omnia, et schismata atque haereses quascumque a s. catholica et apostolica Ecclesia Romana omnium ecclesiarum matre et magistra damnatas, reiectas, anathematizatas, pariter damnare, reiicere, anathematizare et abiurare omnino tenentur.

§ II.

De Sacramento Baptismi, pueris baptizatis, ritusque in Baptismate suscepti mutatione.

Confirmatio simul cum Baptismo ne conferatur.

I. Presbyteri graeci baptizatos Chrismate in fronte non consignent; et ideo ab ipsis in ordine baptismi apud eorum Euchologium praetermittantur quae sequuntur post illa verba, καὶ μετὰ τὴν εὐχήν etc. usque ibi, εἶτα ποιεῖ ὁ ἱερεὺς σχῆμα κύκλου: hoc est, *et post orationem etc.*, ubi habetur forma huius consignationis, usque ad illa: *postea facit sacerdos figuram circuli etc.*

De Baptismi forma.

II. Cum presbyteris graecis in Euchologio haec Baptismi forma praescribatur: *baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (quae latinae formae *ego te baptizo in nomine etc.* aequivalet), trinaque aquae immersione seu aspersione in eo conferendo utantur, non sunt his super rebus a latinis locorum Ordinariis inquietandi.

De variis in Baptismate unctionibus.

III. Etsi graecis in regno Cypri commorantibus Innocentius IV praedecessor noster olim iniunxerit, ut in unctionibus, quae circa Baptisma fiunt, morem Ecclesiae Romanae teneant et observent; si tamen presbyteri albanenses ritum ungendi pectus et dorsi medium, aures, pedes atque manus in Euchologio descriptum servare voluerint, ubi non est contraria consuetudo, non sunt impediendi.

De ritu ungendi per totum baptizandorum corpora.

IV. Ritus autem seu consuetudo, quam habere dicuntur graeci orientales, ungendi per totum baptizandorum corpora, si alicubi tolli vel removeri sine scandalo non potest, cum, sive fiat sive non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum non multum referat, in iisdem toleretur.

De usu aquae calidae in Baptismo.

V. Nec refert etiam utrum frigida vel calida aqua baptizent, cum in utraque Baptismum habere parem vim atque effectum, affirmare ac tenere dicantur.

De adhibenda aqua graeco more benedicta.

VI. Si in eadem ecclesia infantes utriusque ritus baptizentur, graecus parochus subditis suis aqua per ipsum graeco more benedicta rite Baptismum confert; ac propterea molestandus non est, si non utatur aqua baptismali, quae a parochis latinis iuxta morem Romanae Ecclesiae adhibetur: curent tamen Ordinarii, ut adsit aqua baptismalis latine consecrata, quam omnino (praeter casum urgentis necessitatis) sacerdos latinus adhibeat, quoties ei occurrerit latinos pueros ad Baptismum excipere.

SS. Eucharistia ne ministretur infantibus.

VII. Cum administratio Sacramenti Eucharistiae, quod sub una vel sub utraque specie infantibus in Baptismo, et pueris in Missa, solent graeci exhibere, nihil contra orthodoxam fidem bonosque mores contineat (dummodo iidem graeci credant firmiterque teneant Communionem huiusmodi non esse necessariam ad salutem, et Baptismum sine Communione va-

lide ac licite posse ministrari); quia tamen ad decentiam et reverentiam sacramenti magis expedit, si illud eisdem denegetur; propterea ne graeci vel albanenses graeci ritus Eucharistiae sacramentum sub una vel sub utraque specie infantibus rationis usu carentibus in Baptismo nec pueris in Missa ministrent, interdicimus ac prohibemus.

ritu quo in- ss baptizari ent.

VIII. Infantes nati ex patre et matre graecis, ritu graeco, nisi aliter parentes, accedente Ordinarii consensu, voluerint, baptizari debent.

IX. Nati vero ex patre latino et matre graeca, latinis sunt caeremoniis baptizandi; proles enim sequi omnino debet patris ritum, si sit latinus.

X. Si vero pater sit graecus et mater latina, liberum erit eidem patri, ut proles vel ritu graeco baptizetur, vel etiam ritu latino, si uxor latina praevaluerit, idest si in gratiam uxoris latinae consenserit graecus pater, ut latino ritu baptizetur.

e parochorum isdictione in antes alteru- ritu baptiza- .

XI. Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent, cuius ritu sunt baptizati, cum per Baptismum fiat suscepti ritus graeci vel latini professio; ita ut ad latinum ritum spectent qui latinis caeremoniis baptizati fuerint; qui vero ritu graeco sacramentum Baptismi susceperint, in graecorum numero sunt habendi: adeoque si ante usum rationis decesserint, a proprio, cuius ritu baptizati sunt, parocho et in propria parochia sunt iure communi sepeliendi, nisi iis Baptismus collatus fuerit vel ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint nec haberi potuerit proprii parochi vel ritus copia, vel ex dispensatione apostolica, cum videlicet facultas data fuerit, ut latine quidem baptizentur, sed in suo ritu graeco permaneant: in his enim casibus non censentur a proprio ad alium ritum transiisse. Post usum autem rationis idem dicendum, nisi quis in alieni ritus ecclesia sepeliri cupiat. Si quis enim graeco ritu baptizatus, in latina ecclesia, vel latine Baptismate initiatus, in ecclesia graeca sepulturam eligat, iuris regulae sunt servandae: nimirum cadaver extra propriam parochiam a proprio parocho esse associandum, quarta funerali ei minime imminuta, et ubi tumulandum est cadaver, ibi a parocho illius ecclesiae, sive latinae sive graecae, sunt exequiae celebrandae.

XII. Quando vero infantibus praedictis seu etiam adultis exequiae ritu graeco et in ecclesia graeca, ut praefertur, iure communi sunt celebrandae, tunc nullum ius habet latinus parochus interessendi cum graeco parocho, nec partem aliquam stolae percipiendi: similiter nullum ius competit parocho graeco, quando exequiae in ecclesia latina, et per latinum parochum sunt peragendae: sed servanda sunt utrobique statuta de iuribus parochorum circa sepulturam eorum qui ad propriam parochiam spectant.

De transitu ab uno ad alterum ritum.

XIII. Quem ritum semel in baptismo sunt professi, sive latinum sive graecum, in eo institui et educari debent, nec ad alium possunt transire si latinum semel susceperint: ritus enim latinus propter suam praestantiam, eo quod sit ritus sanctae Romanae Ecclesiae omnium Ecclesiarum matris et magistrae, sic supra graecum ritum praevalet, maxime in italicis regionibus, ubi latinis Episcopis graeci subiecti sunt, ut non modo ab ipso ad graecum transitus nullatenus permittatur: verum etiam a graecis semel assumptus absque apostolica dispensatione deseri nequeat.

XIV. Quod si infans graecum ritum in Baptismate susceperit, tunc requirendus est primum patris graeci consensus, deinde Episcopi latini licentia, ut possit mater latina filium suum graece baptizatum ad latinas caeremonias traducere. Adultis autem, si quidem sunt ecclesiastici in quocumque ordine minori vel etiam maiori constituti, saeculares vel regulares, a ritu graeco ad latinum sine expressa Sedis Apostolicae licentia transire non liceat: si laici, ut ad ritum latinum transire possint, Episcopus dioecesanus pro sua prudentia permittere valeat: non tamen communitati graecorum sive albanensium huiusmodi sine Sedis Apostolicae licentia, sed solum privatis personis, attenta uniuscuiusque necessitate.

§ III.

De Sacramento Confirmationis.

De Confirmatione collata baptizatis a graecis presbyteris.

I. Episcopi latini infantes, seu alios in suis dioecesibus baptizatos a presbyteris graecis, absolute Chrismate in fronte consignatos confirment; cum neque per praedecessores nostros neque per nos graecis presbyteris in Italia et insulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit aut concedatur; quinimo usque ab anno 1595, a fel. rec. Clemente VIII, praedecessore nostro fuit presbyteris italo-graecis expresse interdictum, ne Baptizatos Chrismate consignent.

Praedicta collatio aliquando fiat sub conditione.

II. Secus sub conditione et cum cautela eos confirmare debent, de quibus verosimiliter dubitari potest, utrum ab Episcopis graecis, ordinem Baptismi iuxta eorum Euchologium servantibus, fuerint baptizati.

Confirmatio conferenda ordinandis a graeco presbytero baptizatis.

III. Idem dicendum, si Episcopus latinus ex dispensatione apostolica graecum aliquem ordinaverit, qui a presbytero graeco in Italia vel adiacentibus insulis fuerit baptizatus, nec constet, illum ab aliquo Episcopo sive latino sive graeco Chrismate in fronte fuisse consignatum: debet nimirum illum antea absolute confirmare; sub conditione autem, si verosimiliter

dubium esse possit, an ab Episcopo graeco fuerit baptizatus.

Confirmati a simplici sacerdote Confirmationem suscipiant ab Episcopo.

IV. Quamvis confirmati a simplici sacerdote cogendi non sunt eiusmodi Confirmationis sacramentum ab Episcopo suscipere, si ex tali coactione scandala oriri possent, cum sacramentum Confirmationis eiusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo salvus quis esse non possit; monendi tamen sunt ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri si, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt.

Curandum ut ab Episcopo graeco, si adest, graeci ritus fideles confirmentur.

V. Ubi graecus catholicus Episcopus haberi potest, prout habetur constitutus in Collegio Corsino italo-graecorum in Calabria, curent omnino latini Ordinarii, ut ab illo potius graecis caeremoniis iuxta graecum Euchologium, quam a se latino ritu, sacramentum Confirmationis subditis suis graeco ritu viventibus Chrismate a latinis Episcopis accepto ministretur, ne scilicet ecclesiarum ritus, quoad fieri potest, misceantur.

§ IV.

De Oleo Sancto Chrismatis, Catechumenorum, et Infirmorum.

Chrisma a respectivis latinis Episcopis cogantur graeci accipere, non autem alia sancta olea.

I. Non sunt cogendi presbyteri graeci olea sancta, praeter Chrisma, ab Episcopis latinis dioecesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum et sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur aut benedicantur; nisi tamen contraria consuetudo introducta sit, quam servari volumus, ac mandamus. Chrisma autem, quod nonnisi ab Episcopo, etiam iuxta eorum ritum, benedici potest, cogantur accipere.

Nefas accipere Chrisma ab Episcopis schismaticis.

II. Non audeant tamen ab Episcopis graecis externis schismaticis, seu S. R. Ecclesiae communionem non habentibus, illud accipere vel eo uti.

Chrisma accipiendum nonnisi a proprio Ordinario latino.

III. Item abstineant Chrisma accipere a quocumque alio Episcopo latino seu graeco catholico, praeter suum Ordinarium latinum cuius iurisdictioni subiiciuntur.

§ V.

De Sacramentis Poenitentiae, et Extremae Unctionis.

Poenitentiae satisfactio ne sit aliqua unctio.

I. Nulli per sacerdotes vel confessarios pro satisfactione poenitentiae unctio aliqua solummodo iniungatur.

Extrema Unctio infirmis exhibenda.

II. Infirmis vero, iuxta verbum Iacobi Apostoli, Unctio exhibeatur Extrema.

Per unum aut plures Extr. Unctio fieri potest.

III. Nec refert, utrum eadem Extrema Unctio per unum vel plures presbyteros fiat, ubi huiusmodi viget consuetudo; dummodo credant et asserant, illud sacramentum, servata debita materia et forma, ab uno presbytero valide et licite confici.

Qui ungit, idem formam proferat.

IV. Idem sacerdos materiam adhibere formamque pronunciare respective debet: ac propterea qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, et alius formam pronuntiet.

Absolutionis forma adhibenda in Concilio Florentino praescripta.

V. In casu necessitatis presbyteri graeci catholici possunt latinos absolvere; utantur tamen forma absolutionis in Concilio generali Florentino praescripta, postea vero, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma huiusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.

Possunt graeci, Ordinario approbante, latinorum confessiones audire.

VI. Extra vero casum necessitatis, si quos ex presbyteris albanensibus peritos et ad confessiones omnium audiendas idoneos Ordinarius latinus iudicaverit, ut non solum graecos sed etiam latinos ad se accedentes possint absolvere, id eorumdem Ordinariorum prudentiae et arbitrio relinquitur.

Officium parochiale exercentes possunt parochianorum confessiones audire.

VII. Sacerdotes quoque coniugati aliique, quibus parochiarum cura vel ecclesiarum parochialium regimen per Episcopos suos committitur, licite et libere possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque poenitentiam iniungere pro peccatis; quia cui licet vel conceditur quod est maius, competit quoque nec negari convenit quod est minus.

Quinam parochiarum regimini praeficiendi.

VIII. Ecclesiarum parochialium regimini praeficiant Ordinarii latini, si habere possunt, eos, qui in seminariis italo-graecorum erectis, altero quidem Panormi, altero autem in Calabria in oppido S. Benedicti Ullano, vel in Collegio Graecorum in Urbe, trium ad minus annorum spatio versati sunt studiisque litterarum incubuere, dummodo cetera ad curam animarum exercendam requisita non desint, atque Episcopi eiusdem seminarii praesidis seu respective rectoris litteras exhibeant, quae de recta eorum vitae ratione, deque in graecis latinisque scientiis progressu testimonium ferant.

Possunt parochis coadiutores adiungi.

IX. Liberum tamen sit ipsis Episcopis, viros alios idoneos coadiutores et cooperatores parochis graecis, si opus fuerit, adiungere in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis ac ceteris quae ad salutem pertinent animarum, ipsisque in his per eorum dioeceses absque sacerdotum ipsorum praeiudicio et gravamine, committere vices suas, cum propter occupationes multiplices et occasiones varias possit contingere, ut nequeant per easdem dioeceses officium suum exequi per seipsos.

Monachi ne sint parochi.

X. Nunquam monachis graecis seu calogeris animarum cura committatur, nisi ex necessitate vel alia iusta causa.

Conversi a schismate parochi esse possunt.

XI. Presbyteri saeculares graeci ex Albania vel aliis Orientis partibus advenientes, abiuratis schismate et erroribus, atque in fide catholica bene instructi, in parochialibus seu curatis ecclesiis graecorum institui possunt.

XII. Tollendus abusus, ubi est, ut vir atque uxor simul et eodem tempore eidem presbytero confiteantur.

XIII. Aqua ex ritu graeco in die Epiphaniae vel primo die mensis benedicta conservetur in ecclesia, ut illa fideles adspergantur.

§ VI.

De Sacramento Eucharistiae, et Missae Sacrificio.

I. Sacerdotes ad Poenitentiae sacramentum frequenter accedant, ut cum divinum mysterium peracturi sunt, nulli coram Deo crimini sint obnoxii, sed cor habeant omni pravitate vacuum, mundum, quoad fieri potest, ac purum: indignum enim ac auribus plane horrendum est ut, qui animum habet aliquo scelere foedatum, Sanctum impuris manibus contrectet, et placare Deum attentet qui, in peccatis existens, ipsius Dei furorem et iracundiam provocat.

II. Item permittitur eisdem, facta iam consecratione antequam sacerdos communicet, iuxta ritum in liturgia praescriptum, aquam ferventem seu tepidam in sacrum calicem infundere.

III. Tollatur abusus tundendi, vel etiam miscendi sacro oleo, ac iterum coquendi vel alias exsiccandi species sacramenti sacrae Eucharistiae feria quinta Coenae Domini, ut deinde illud asservent.

IV. Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus aut saltem quindecim renovetur.

V. Non asservetur idem sacramentum toto anno: si tamen asservatum fuerit, in fine anni sumatur.

VI. In celebratione solemnium et aliarum Missarum, et de hora celebrandi eas, dummodo in confectione vel consecratione formam verborum a Domino expressam et traditam observent, et celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur: ita tamen ut ieiunii lex de unica comestione in die religiose servetur, et si alicubi viget consuetudo producendi ieiunium cum Missa usque ad vesperam, minime aboleatur, sed in suo robore ac firmitate permaneat.

VII. Si inter graecos, qui in Italia et insulis adiacentibus degunt viget abusus, quem in Orientalibus regionibus vigere perhibent, ut monachi Eucharistiae particulam suspensam ad collum, vel aliter secum deferant, necnon in privatis domibus, ubi eos commorari contingat, retineant, ut eo auxilio freti, liberi a quibuscumque periculis evadant, vel cum in longiora itinera se committunt, ea refici valeant, eum omnino aboleri volumus et expresse mandamus: praefatisque monachis, ne id in posterum facere audeant, severissime prohibemus. Obsequium enim ac reverentia, qua singuli fideles augustissimum hoc Sacramentum prosequi debent, non patitur ut privatim ac latenter cuiuscumque arbitrio et voluntate domi illud retineatur, aut in itineribus ac peregrinationibus asportetur.

De celebratione unius tantum Missae in ecclesiis parochialibus.

VIII. Cum in parochialibus ecclesiis ipsorum graecorum, ex antiquissimo et hactenus servato ritu, nonnisi semel in die per unum sacerdotem celebrare liceat, permittitur quidem presbyteris graecis suum, si velint, morem hac in parte servare: interdicitur autem latinis sacerdotibus, ne Missas et alia divina officia in dictis graecorum ecclesiis et super eorum altaribus maioribus extra casum alicuius necessitatis et aliorum altarium ecclesiarumque defectus, et nisi ex parochi graeci consensu, quem nullatenus huiusmodi in casibus negare possit, celebrent.

Latini sacerdotes ne celebrent in ecclesiis graecorum.

Indultum pro celebratione plurium Missarum.

IX. Quia tamen ipsi graeci et albanenses presbyteri nobis humillime supplicarunt, ut sibi liceat pro sacerdotum numero plures in diem in suis ecclesiis Missas celebrare; nos ipsorum precibus annuere volentes, per praesentes nostras concedimus ac indulgemus, ut in suis parochialibus vel aliis ecclesiis praeter altare maius alia etiam minora altaria seu cappellas sacris indumentis graecorum seu latinorum more ornata seu ornatas erigant, in quibus latini vel graeci presbyteri respective suo quisque ritu celebrare valeant.

Prohibentur latini celebrare ritu graeco, et graeci latino.

X. Cum in sacro generali Florentino Concilio praescriptum sit, ut unusquisque sacerdos Eucharistiam iuxta Ecclesiae suae ritum, sive latinae sive graecae, in azymo seu fermentato conficere debeat, vetitumque a summis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ne latinus sacerdos graeco ritu, aut graecus latino utatur; districtius inhibemus, etiam sub poenis perpetuae suspensionis a divinis, ne presbyteri graeci latino more, et latini graeco ritu, sub quovis licentiarum et facultatum Missas et alia divina Officia, graeci latino more, et latini graeco ritu celebrandi ab Apostolica Sede, vel eius legatis ac etiam maiori Poenitentiario pro tempore existente obtentarum praetextu, Missas et alia divina officia celebrare vel celebrari facere presumant.

Illicitum tum latinis servare Eucharistiam in fermentato, tum graecis in azymo.

XI. Eadem quoque ratione, tam ubi sunt duae parochiae, latina altera, et altera graeca, quam in una eademque parochiali latinorum vel etiam graecorum ecclesia, in qua, ut praemittitur, praeter altare maius, quod pro solis graecis sacerdotibus erectum est, minora quoque altaria pro latinorum sacerdotum usu extructa conspiciuntur, statuimus et decernimus, ut neque latinus parochus pyxidem in Ciborio cum particulis sub specie fermentati pro communione graecorum, neque parochus graecus sub specie azymi pro communione latinorum, in

quocumque ecclesiae suae altari retineat ; sed unusquisque sacerdos nonnisi in suo, sive graeco sive latino ritu, Eucharistiam fidelibus porrigere debeat.

Illicita latinis Communio in fermentato.

XII. Ne laici autem latini Communionem a graecis presbyteris sub specie fermentati recipiant, prohibemus omnino et interdicimus.

Licita nonnunquam graecis Communio in azymo.

XIII. Graecis tamen laicis permittimus ut, ubi parochiam graecam non habent, possint, si velint, in ecclesia latina Eucharistiam sub specie azymi a latinis sacerdotibus sumere.

Consuetudo contraria ab Ordinariis tollenda.

XIV. Quod si in locis, in quibus graeci et latini simul moram trahunt, et sunt utriusque ritus ecclesiae, latini quidem in fermentato et graeci in azymo sacram Eucharistiam quandoque sumere soleant ; si quidem haec consuetudo sine populi offensione animorumque commotione removeri non potest, Ordinarii curam suam suavissimis modis impendant, ut latini semper in azymo, graeci autem, ubi propriam parochiam habent, in fermentato communicent.

De Communione sub utraque specie.

XV. Ut autem iidem laici graeci eucharistica sub utraque specie Communione refici valeant, permittimus in illis dumtaxat locis, in quibus eiusmodi ritus introductus est, et ad praesentem usque diem servatur ac viget : ita tamen ut sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi firmiter credant, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia ad salutem necessaria eos fraudari, qui unam speciem solam accipiunt : ubi vero praefatus ritus consuetudine hactenus receptus non est, Episcopis, quorum iurisdictioni graeci subiiciuntur, curae sit, ne in posterum admittatur.

Indultum pro celebratione Missarum integrarum in quadragesima, non omisso ritu praesanctificatorum.

XVI. Volentes autem specialem ipsis graecis et albanensibus presbyteris gratiam facere, tenore praesentium, ut tempore ieiunii quadragesimalis quo, exceptis dominicis, sabbatis et nonnullis solemnioribus festivitatibus, ex antiquo more nonnisi Missa praesanctificatorum celebratur, graeci et albanenses praedicti, servato tamen nec praetermisso in parochialibus ecclesiis praesanctificatorum ritu, in aliis altaribus seu ecclesiis sive cappellis, pro sua ac fidelium populorum devotione, Missas integras quibuslibet hebdomadae diebus, ac praesertim cum dies festi de praecepto latinae Ecclesiae occurrunt, quos observare tenentur, excepto postremo maioris hebdomadae triduo, celebrare possint et valeant, concedimus et indulgemus.

Circa altaria portatilia et antimensia.

XVII. Si graeci velint accipere altaria portatilia ab Episcopis latinis consecrata, bene erit; sin minus, tolerentur eorum antimensia sive throni super altaria lapidea ponendi cum celebrant.

De corporalibus et thronis.

XVIII. Corporalia ut latini habeant, nisi thronis etiam pro corporalibus utantur.

Illicitum latinis celebrare super antimensiis.

XIX. Latinis presbyteris latino ritu in graecorum catholicorum ecclesiis celebrantibus, si careant proprio altari portatili lapideo, super antimensiis seu thronis graecorum Sacrum facere non licet.

De sacris utensilibus.

XX. Unusquisque sacerdos in aureo vel argenteo solum aut saltem stanneo calice sacrificet, habens thronos seu corporale de lino candidum et nitidum, et altare mundis vestimentis opertum vel decenti paratu ornatum.

Mulieres ab altaris ministerio repellendae.

XXI. Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.

§ VII.

De Sacramento Ordinis.

Graeci a proprii ritus Episcopis ordinentur.

I. Romani Pontifices praedecessores nostri necessitatibus italo–graecorum occurrere volentes, ut commode possent a proprii ritus Praesulibus ad Ordines promoveri, simulque caventes, ne si ab Ordinariis latinis ad graecos Antistites in Graeciam vel Epirum aut alias Orientis partes cum dimissoriis remitterentur, ad schismaticos Episcopos pro ordinatione confugerent, constituerunt, Clemens quidem VIII. anno 1595, Romae habendum esse Episcopum graecum catholicum qui graecos Episcopis latinis Italiae et adiacentium insularum subiectos sacris Ordinibus initiaret; Clemens vero XII. 1735, ut italo–graecorum in utraque Sicilia commorantium commodis consuleret alterum eiusdem graeci ritus Episcopum in Seminario Corsino a se in Calabria erecto propter graecorum huiusmodi ordinationes, manere iussit, quorum laudatissimum institutum nos quoque per praesentes nostras perpetuo valituras litteras confirmamus et innovamus.

De Ordinationis titulo.

II. Ne quis clericus saecularis ritus graeci, quamvis alias sit idoneus moribus scientia et aetate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum ecclesiasticum beneficium vel patrimonium, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere : ac propterea, deficiente titulo beneficii, per legitima documenta Ordinarium suum certiorem reddere debet de sufficienti patrimonio, ut valeat sacris Ordinibus initiari: loco autem dicti patrimonii, nec clericus uxoris suae dotem assignare presumat, nec Ordinarius eam recipere audeat.

Ordinandos oportet fuisse Seminariorum alumnos.

III. Quemadmodum etiam nemo ex Graecia seu albanensibus in Calabria et Sicilia commorantibus ad sacra ministeria assumatur, qui trium saltem annorum spatio graecis latinisque litteris non dederit operam in altero ex Seminariis italo–graecorum, vel in Collegio graecorum in Urbe.

De ordinandorum examine.

IV. Promovendi ad sacerdotium et presbyteri, qui praeficiendi fuerint ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si praecipue de horis canonicis et Missarum officiis secundum distinctionem temporum exequendis

sint sufficienter instructi, ut ad haec nonnisi digni admittantur.

V. Sacerdotes et quicumque sunt in sacris Ordinibus constituti horas canonicas more suo dicant; et priusquam Missam celebrent, officium matutinale recitare curent.

VI. Episcopi graeci in Ordinibus conferendis ritum proprium graecum in Euchologio descriptum servent, in quo, etsi nonnulli de minoribus Ordinibus praetermissi videantur, eos tamen vel nunquam habuisse, vel eorum exercitium aliis Ordinibus esse adnexum iidem graeci affirmant.

VII. Inde tamen dubitationes quandoque oriri solent, quinam nimirum Ordines supplendi sint ab eo, qui primum ritu graeco aliquibus Ordinibus fuit initiatus, deinde ritu latino ad reliquos est promovendus. Quas controversias ut de medio penitus tollamus, certamque tradamus regulam in posterum servandam, ita decernimus. Si quis ritu graeco clericus et lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apostolicae obtinuit, ut maiores Ordines latinis caeremoniis sibi conferantur, is, antequam subdiaconus ordinetur, tres minores Ordines omissos debet ritu latino suscipere. Si vero praeter lectoris Ordinem ad subdiaconatum etiam graeco ritu ascendit, et ex dispensatione itidem apostolica, facultas sibi facta sit ceteros Ordines ritu latino suscipiendi, antequam inter diaconos cooptetur, ex minoribus Ordinibus Exorcistatum tantummodo supplere cogitur, cum per Subdiaconatum graeco ritu collatum Acolythatum et Ostiariatum recepisse censeatur. Idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus Ordinibus Diaconatum aut etiam Presbyteratum graece suscepit, et latino postea ritu ad sacrum Presbyteratus respective Ordinem aut Episcopatum promovendus sit ex apostolica concessione; nimirum Exorcistatus Ordinem in ipso, antequam presbyter ordinetur aut Episcopus consecretur, esse supplendum.

VIII. Graeci sine litteris dimissoriis Episcopi latini dioecesani, nullatenus ad primam tonsuram vel aliquem Ordinem recipiendum admittantur.

IX. Promoti ad primam tonsuram vel ad alium quemcumque ordinem sine dimissoriis latini Ordinarii suspensi sint; et si suspensi in sacris Ordinibus ministraverint, efficiuntur irregulares sicut et latini.

X. Super huiusmodi autem et similibus irregularitatibus dispensandi facultatem a S. Sede Apostolica obtineri oportet.

XI. Non sunt admittendi Episcopi schismatici sive pro Ordinibus sive pro aliis Sacramentis conferendis, sed impediendi, quoad S. Sedes Apostolica desuper consulatur et responsum habeatur.

XII. Quos vero communionem S. R. Ecclesiae habere constiterit, eis pontificalia exercendi facultatem Ordinarii latini in suis dioecesibus libere concedere possunt.

De ordinatis ab Episcopis schismaticis.

XIII. Ordinati ab Episcopis schismaticis alias rite ordinatis, servata debita forma, recipiunt quidem Ordinem, sed non executionem.

XIV. Proinde ipsi ordinati ab Episcopis schismaticis, correcti vel emendati, reconciliandi sunt et absolvendi cum poenitentiis salutaribus dummodo errores, si quos amplexi fuerint, sin minus schisma ordinatoris, abiurent in iudicio, vel publice vel secreto pro qualitate facti.

XV. In Ordinibus autem per eos alias rite susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate huiusmodi occasione contracta, auctoritate S. Sedis Apostolicae fuerit dispensatum.

Facultas ordinandi non servatis interstitiis.

XVI. Cum ex Ecclesiae disciplina a graecis olim recepta, promoti ad aliquem Ordinem sacrum, si per aliquod temporis intervallum in eo non fuerint versati, ad altiorem gradum ascendere non possint, quo nimirum ordinandorum fides morumque probitas eo temporis spatio cognosci valeat; qua lege graeci seu albanenses in Italia et insulis adiacentibus commorantes procul dubio tenentur: nihilominus cum praedicti graeci seu albanenses Ordinarios suos, quibus, subiiciuntur, habeant latinos, a quibus tanquam alieni ritus sacris Ordinibus initiari prohibentur, ac proinde cum Romam vel in Calabriam, ubi sunt Episcopi a S. Sede Apostolica ad Ordinationes ritu graeco exercendas deputati, repetitis vicibus, non sine quamplurimis incommodis et expensis, ad sacros Ordines iuxta temporum intervalla suscipiendos sese conferre deberent; nos, eosdem graecos seu albanenses gratiis et favoribus prosequi, eorumque incommodis consulere volentes, de apostolicae plenitudine potestatis, praefatis Episcopis graecis Romae et in Calabria pro tempore degentibus licentiam et facultatem impertimur, ut graecos seu albanenses huiusmodi ex longinquis regionibus accedentes, qui minoribus sive maioribus Ordinibus initiari cupiunt, ad omnes Ordines promovere in posterum valeant tribus diebus festivis, non autem continuis, sed aliquo temporis intervallo Antistitis ordinantis arbitrio separatis, non servata interstitiorum lege, nec requisita ad hoc ab iis, qui initiantur, suorum respective Ordinariorum latinorum licentia sive dispensatione.

XVII. At cum illis graecis sive albanensibus, qui domicilium habent seu alias commorantur in ea provincia, in qua Episcopus ritus graeci solet sacras Ordinationes exercere, ad quem propterea sine gravi incommodo per temporum intervalla accedere possunt, ab interstitiorum lege minime dispensamus, praeterquam cum alumnis et convictoribus ritus graeci Collegii graeci Urbis, et italo-albanen-

sium in Calabria et Sicilia, si eorumdem Collegiorum necessitas vel utilitas arbitrio S. R. E. Cardinalis administratoris et protectoris praefati Collegii graecorum Urbis, et Episcopi praesidentis seu rectoris utriusque Collegii italo-albanensium praedicti respective pro tempore existentium, exegerit, ut praefati alumni et convictores absque temporis intervallo tribus diebus festivis, non tamen continuis, ut praefertur, ad Ordines promoveantur; quo casu eos sic initiari posse, plenam facultatem facimus atque concedimus.

XVIII. Illis autem, qui non servata interstitiorum lege sunt hactenus bona fide ordinati, ex apostolica benignitate etiam concedimus, ut in susceptis Ordinibus ministrare, et ad maiores etiam servatis servandis ascendere absque alia dispensatione valeant.

De ordinandorum aetate.

XIX. Quod tamen de aetate ordinandorum a sacrosancto Tridentino Concilio praescriptum est, omnino servari volumus. Nullus proinde ex praedictis graecis seu albanensibus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum suae aetatis annum absque apostolica dispensatione promoveatur. Praefatorum autem graecorum Praesulum conscientiam oneramus, ut dignos dumtaxat, et quos litteris, et iis quae ad Ordines exercendos pertinent bene instructos esse noverint, ad sacra ministeria assumant.

Ritus promiscuitas in Ordinationibus tollatur.

XX. Ut in Ordinibus conferendis quaelibet rituum confusio et commixtio penitus tollatur, et unius ritus Antistes alterius ritus clericos initiare in posterum minime valeat; sub perpetuae suspensionis a divinis poena prohibemus, ne latinus quicumque Episcopus etiam subiectos suae iurisdictioni graecos, neque graecus quilibet Antistes latinos quovis praetextu, sine speciali Sedis Apostolicae licentia ad primam tonsuram, vel ullum Ordinem sive minorem sive maiorem promovere praesumat; alioquin tam ordinans quam ordinatus perpetuam, ut praefertur, suspensionem subituros intelligant.

Latini nullatenus iuxta graecum ritum ordinentur.

XXI. Maxime autem neque permittendum neque ullo modo tolerandum, ut latini ex latinis progeniti ac latino ritu educati, qui continentiam profiteri nolunt, iuxta ritum graecum sub spe retinendi uxores, ad sacros Ordines a quocumque Antistite quavis auctoritate fulgente promoveantur, tam in locis, in quibus non sunt populi graeco ritu viventes sed latini, quam in locis, in quibus sunt populi, qui a graecis antiquitus fuerint oriundi seu a graecis originem ducant, vel alias retroactis temporibus ritum graecum servaverint, seu apud illos vel in eorum aliquibus ecclesiis ritus huiusmodi ab antiquo hactenus fuerit observatus.

Circa italo-graecorum per latinos Praesules ordinationes.

XXII. Cum iis tamen italo-graecis, qui ad hanc diem vel propter antiquam consuetudinem, vel propter quaedam sibi, ut aiunt, a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa privilegia, quibus permittebatur Episcopis latinis, ut graecos sibi subiectos vel ipsi ordinarent, seu ab aliis tam graecis quam latinis Episcopis ordinari facerent, ab Episcopis latinis bona fide et absque dispensatione apostolica ad clericalem tonsuram, vel minores seu maiores ordines sunt promoti, cum animo tamen proprium graecum ritum retinendi et absque actuali latini ritus in susceptis Ordinibus exercitio, per praesentes nostras hac vice tantum dispensamus, ut eis liceat in suo graeco ritu permanere, in eoque ad ulteriores Ordines (dummodo per suum Ordinarium approbati fuerint) a graeco Episcopo promoveri: per easdem nostras expresse prohibentes, ne quid huiusmodi de cetero vel a graecis ipsis vel a latinis Episcopis, inconsulta S. Sede, attentetur.

XXIII. Insuper ut omnibus, circa praefatas italo-graecorum huiusmodi per latinos praesules ordinationes controversiis ac dubiis opportuna ratione obviemus, hac nostra Constitutione decernimus et declaramus, quod si Episcopus latinus, sive Ordinarius, italo-graecis primam tonsuram, vel Ordines minores ritu latino conferat cum dispensatione apostolica, ita ut ordinati ab illo in suo graeco ritu ministrare debeant, (quod ex defectu graecorum Praesulum per Sedem Apostolicam concedi solet) licite possit idem latinus Ordinarius litteras dimissoriales italo-graecis huiusmodi a se vel ab alio latino Praesule, ut praemittitur, ordinatis concedere, ut ad sacros Ordines graeco ritu absque alia dispensatione apostolica promoveantur.

XXIV. Si vero absque apostolica dispensatione Italo-Graeci huiusmodi a latino Episcopo ad aliquos Ordines ritu latino promoverentur, (id quod illicite tam ab ordinante quam ab ordinatis fieret, utpote huic nostrae constitutioni contrarium) graeci clerici huiusmodi sic latino ritui alligantur, ut ab eo ad graecum redire amplius non liceat sine apostolica dispensatione, neque latino Episcopo seu Ordinario amplius fas sit, graecum clericum, a se, ut praemittitur, latino ritu in minoribus Ordinibus constitutum, cum litteris dimissorialibus ad graecum Antistitem remittere, ut ab eo ad sacros Ordines graece promoveatur, sine dispensatione apostolica; sed debeat illum potius, si quidem idoneum iudicaverit, post obtentam absolutionem a suspensione, vel ipse ritu latino ad graecum, ut praediximus, nec transire nec redire fas est absque dispensatione apostolica.

XXV. Hinc eaedem litterae dimissoriales potiori iure denegandae sunt italo-graecis, qui quamquam baptizati ritu graeco, non modo primam tonsuram et minores Ordines latino ritu susceperunt sed etiam latine vixerunt, et

postea ad maiores Ordines ritu graeco provehi cupiunt; nam latinus ritus semel assumptus ut praefati sumus, absque speciali Sedis Apostolicae auctoritate deseri nequit. Ut igitur italo-graeci huiusmodi ad ritum graecum redeant, indigent apostolica dispensatione, ut vero ad maiores Ordines ritu latino ascendant, dispensatione non indigent.

retinendis bus ante sa- m Ordinum eptionem

XXVI. Etsi expetendum quam maxime esset, ut graeci, qui sunt in sacris Ordinibus constituti, castitatem non secus ac latini servarent; nihilominus, ut eorum clerici subdiaconi, diaconi, et presbyteri uxores in eorum ministerio retineant, dummodo ante sacros Ordines virgines non viduas neque corruptas duxerint, Romana non prohibet Ecclesia. Eos autem, qui viduam vel corruptam duxerunt vel ad secunda vota, prima uxore mortua, convolarunt, ad Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyteratum promoveri omnino prohibemus.

nandum et m matrimo- post sa- Ordinatio- contractum.

XXVII. Praeterea si quis subdiaconus, diaconus, vel presbyter, post sacram Ordinationem, uxore mortua, aliam duxerit, vel si uxorem non habebat, ducere praesumpserit, nedum excommunicationis latae sententiae poena aliisque nostro et successorum nostrorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis, severissime punietur; verum etiam statim ab Ordine erit deponendus, et ab illegitima uxore separandus. Matrimonium enim post recensitos Ordines contractum nullum irritumque declaramus.

presbyteri m celebra- continentia.

XXVIII. Presbyter graecus coniugatus, antequam ad sacrum sacrificium seu sanctam Missam celebrandam accedat, vel per hebdomadam vel per triduum ab uxore curet abstinere.

§ VIII.

De Sacramento Matrimonii.

etum Con- ridentini candum.

I. Curent Ordinarii locorum, ut decretum sacri generalis Concilii Tridentini de reformatione Matrimonii vertatur in linguam graecam vulgarem, et in locis et parochiis graecorum et albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur et publicetur.

ortia quoad lum omni- amnanda.

II. Matrimonia inter coniuges graecos dirimi seu divortia quoad vinculum fieri nullo modo permittant aut patiantur. Et si qua de facto praecesserunt, nulla et irrita declarent.

secundis et oribus nu-

III. Quia vero secundum Apostolum mulier, mortuo viro, ab ipsius est lege soluta, et nubendi cui vult in Domino liberam habet facultatem, secundas, et tertias, et ulteriores etiam nuptias graeci non condemnent, sed illas tanquam legitimas et validas approbent inter personas, quae alias licite de iure ad invicem matrimonio iungi possunt.

bigamis.

IV. Secundo tamen nubentes presbyteri nullatenus benedicant: nec ipsos bigamos ad sacros Ordines sine speciali dispensatione apostolica promoveri liceat.

De gradibus consanguinitatis et affinitatis.

V. Et quoniam apud graecos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se, iuxta eorum computationem, octavo gradu, qui secundum computationem, et distinctionem graduum, quam latini faciunt, apud hos quartus habetur; ne id praesumatur deinceps, firmiter prohibemus; ac districte praecipimus, ut, cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in praedicto quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu copulari ulterius non praesumant; statutum, quoad hoc, generalis Concilii observantes.

De cognatione spirituali.

VI. Item in cognationis spiritualis, quae in Baptismo et Confirmatione contrahitur, gradibus servetur id quod in Tridentina Synodo definitum est. In Baptismo videlicet inter suscipientem, et baptizatum et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem, et baptizatum baptizatique patrem et matrem tantum, cognationem contrahi; eamque rursus, quae ex Confirmatione oritur, confirmantem et confirmatum illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egredi; omnibus inter alias personas spiritualis huius cognationis impedimentis matrimonii sublatis.

De ritu coniugum.

VII. Maritus latinus uxoris graecae ritum non sequatur.

VIII. Latina uxor non sequatur ritum mariti graeci.

IX. Graecus maritus potest, si velit, ritum uxoris latinae sequi: item graeca uxor potest, si velit, sequi ritum mariti latini, post cuius obitum ad ritum graecum redire nequeat.

X. Quod si nolint, unicuique coniugum in suo ritu, catholico tamen, manere permittatur.

XI. Matrimonium inter maritum latinum et graecam mulierem latine coram parocho latino contrahatur: inter maritum vero graecum et mulierem latinam potest contrahi vel graece coram parocho graeco, duobus vel tribus testibus praesentibus, vel latine coram latino, ubicumque maritus graecus voluerit.

XII. Eius autem loci ac ritus parochus debet assistere, ubi et quo ritu matrimonium contrahitur.

§ IX.

Ritus graecus qua ratione in Italia et insulis adiacentibus servandus; de graecorum seu albanensium subiectione Episcoporum latinorum iurisdictioni.

Ritum graecum observare italo-graeci permittuntur.

I. Quoniam Orientalis Ecclesiae ritus, utpote non minima ex parte a SS. Patribus profecti vel a maioribus traditi, sic animis graecorum aliorumque insederunt, ut praedecessores nostri Romani Pontifices satius consultiusque

duxerint, ritus huiusmodi, qua in parte nec fidei catholicae adversantur, nec periculum generant animarum aut ecclesiasticae derogant honestati, approbare seu permittere, quam illos ad romanarum caeremoniarum normam reducere; idcirco graecis ipsis et albanensibus ritus graeci inter latinos degentibus tam praelatis, parochis et presbyteris saecularibus, quam regularibus et laicis, ut suis ritibus atque observantiis sive consuetudinibus uti, ac illos et illas observare, Missasque et alia divina officia secundum eorum antiquam consuetudinem celebrare libere ac licite possint, concedimus et indulgemus. Nec super his a quoquam latino Ordinario illos vel illorum quemlibet molestari vel inquietari permittimus: inhibentes omnibus et singulis praelatis, aliisque, ne quis ritus et caeremonias graecorum in Concilio Florentino vel alias approbatas blasphemare aut reprobare seu improbare audeat.

In nonnullis debent italo-graeci ritum latinum sequi.

II. Sic vero dictis graecis et albanensibus in suis ritibus permanere concessum esse atque indultum declaramus, ut quae a fidelibus in dioecesi ubi ipsi habitant, universim et sine ullo personarum ac rituum discrimine, iuxta sacros canones servanda sunt, ad eadem etiam ipsi, non obstante rituum diversitate, obligati censeantur.

Calendarium gregorianum sequantur italo-graeci.

III. Huiusmodi sunt in primis Kalendarii Gregoriani observatio, iuxta quod iidem graeci et albanenses tenentur universalis Ecclesiae ieiunia et festa celebrare, ut, puta, ieiunium quadragesimale, Pascha, Ascensionem Domini, Pentecosten, Natalem Domini, Circumcisionem, Epiphaniam, et cetera huiusmodi, quae in latina et graeca Ecclesia aeque celebrantur.

De commemoratione Romani Pontificis et Ordinarii loci in Missis ac divinis officiis.

IV. Deinde summi Romani Pontificis et Ordinarii loci in Missis ac divinis officiis commemoratio, non Patriarcharum neque Antistitum Orientalium, quibus nulla est in Italia et adiacentibus insulis iurisdictio: ubi tamen graeco catholico Antistiti, ex licentia Sedis Apostolicae vel Ordinarii loci pontificalia exercere permittitur, eius quoque nomen iuxta graecorum morem post Summum Romanum Pontificem et Ordinarium loci commemorare liceat.

Subiectio Constitutionib. pontificiis contra sollicitantes.

V. Tum subiectio omnibus et singulis Romanorum Pontificum constitutionibus, contra sollicitantes praesertim in confessione, editis, quae in singulas nationes universim vires suas extendunt, ac latinos aeque ac graecos sua amplitudine comprehendunt.

De diebus festis de praecepto.

VI. Demum dies festos de praecepto latinae, ubi degunt, Ecclesiae servare tenentur.

De ieiuniis et abstinentiis.

VII. Ad observationem autem ieiuniorum et vigiliarum eiusdem latinae Ecclesiae, si tota loci illius graecorum communitas vel potior laicorum pars cum parochis et presbyteris coniuncta induci posset, optimum esset; idque absque alia Sedis Apostolicae dispensatione arbitrio Ordinariorum relinquimus latinorum: non tamen ad id cogi debent, si velint ritum suum in ieiuniis sequi, cum ipsi qualibet hebdomada feria quarta et feria sexta, ut asseritur, soleant ieiunare; neque privatis personis fas sit, ubi parochiam graecam habent, ibi contra proprium ritum, latinorum more ieiunia et vigilias servare; sed omnes vel graece cum graecis vel latine cum latinis ieiunent. Ubi vero propriam parochiam non habent, ibi libere et licite possunt in omnibus latino ritui sese conformare, sive laici sint sive presbyteri, excepto graeco ritu, qui in Missis ac divinis officiis a presbyteris est servandus.

VIII. Hinc ubi parochiam graecam habent, tolerandus est apud graecos esus carnium die sabbati, si sine scandalo fieri potest; in locis autem ipsorum et inter eos tantum.

IX. Prohibentur tamen graeci suis famulis latinis cibos vetitos apponere, sive die sabbati quando praefatis graecis carnes comedere licet, sive alio quocumque tempore quo latini debent ab illis abstinere; latini enim famuli graecorum latinum ritum servare tenentur.

X. Item tolerandum est, ut ad ieiunium eodem die sabbati in quadragesima, excepto uno Sabbato Sancto, ex antiqua traditione non teneantur, sed dumtaxat ad abstinentiam.

XI. In ieiuniis quoque biduanis vel triduanis, vel alias a dioecesanis, vel in Iubilaeis a summo Pontifice Romano indictis, dies sabbati in eis comprehensus vel praescriptus, in alium diem pro graecorum plebe ab ipsis dioecesanis apostolica auctoritate permittitur commutari.

XII. Verum, quia pro parte dilectorum filiorum graeci ritus in Corsica habitantium nobis nuper humillime preces porrectae fuerunt ut auctoritate apostolica declararemus, ipsos non teneri ad abstinentiam a piscibus sanguinem habentibus, oleo et vino tam in quadragesima, quam in quartis et sextis feriis, et in aliis anni ieiuniis; vel, si ad abstinentiam huiusmodi tam ex praecepto quam ex consuetudine Ecclesiae graecorum, ut nobis exponitur, tenerentur, cum iis eadem auctoritate dispensare dignaremur, ut piscibus, oleo et vino, in dictis quartis et sextis feriis, et in quadragesima, aliisque per annum occurrentibus ieiuniis vesci ipsis liceret; nos paternae pontificiae caritatis, quae novit imbecillitates infirmorum sustinere, non immemores, tam dictis graecis in Corsica habitantibus, quam omnibus et singulis albanensibus et graecis, qui in Italia et insulis adiacentibus commorantur, tenore praesentium, ut ad instar latinorum in quorum dioecesibus degunt, in memoratis quadragesima, quartis et sextis feriis, et reliquis anni ieiuniis, vino, oleo et piscibus cuiuscumque generis possint uti, concedimus et indulgemus. Atque litteras Clementis Papae XII. praedecessoris nostri in forma Brevis datas ad abbatem et monachos monasterii Ordinis S. Basilii Magni ritus graeci orientalis

terrae Dimidii Iussi Panormitanae dioecesis, pro monachis graecis et Epirotis eorumdem Ordinis et ritus fundati, quibus concessit, ut piscibus sanguinem habentibus libere et licite nonnullis anni quadragesimis vesci possint non obstantibus ritus graeci ordinationibus, hac nostra constitutione confirmamus ac roboramus.

Plebibus graeci ritus ne praeficiantur sacerdotes ritus latini.

XIII. Cum autem Sedi Apostolicae semper curae fuerit graecum ritum custodire, illiusque abolitionem nunquam intenderit, aut in animo habuerit; hinc nos praedecessorum nostrorum exemplo, quantum cum Deo largiente possumus, conservationi rituum graecorum intenti, neque expedire ducimus, neque facultatem facimus, ut latini Ordinarii iuxta ritum latinum ad sacerdotium promoveant aliquem italo-graecum dioecesanum, qui graecorum more baptizatus fuerit, atque etiam vixerit, ut scilicet graecorum plebi latino ritu ipse ministrans praesit: praesertim quia id graecis plebibus nullam utilitatem affert, quibus magis acceptus parochus esse solet, si eumdem cum ipsis ritum graecum colat, quam si latinum sequatur.

XIV. Sed in terris seu locis et casalibus graecorum et albanensium, seu in quibus fuerint graeci vel albanenses, sive sint indigenae, sive ex Graeciae provinciis et insulis, vel ex Epiri et Albaniae partibus, aut alias undequaque advenerint, graeco ritu in praesentiarum usque viventes, ad illorum ecclesias, seu curam animarum exercendam, non latini, neque latinis orti parentibus, aut latino more viventes, ad eumdem ritum graecum initientur, sed graeci vel albanenses ritus graeci respective, catholici tamen et alioquin idonei et sufficientes, atque alias qualitates a sacris canonibus habentes, sive sint indigenae, sive in defectu indigenarum etiam advenae, ordinentur, et eorumdem graecorum seu albanensium animarum curae praeficiantur.

Presbyteri latini ne sacris functionibus graecorum sese immisceant.

XV. Ceterum ad tollendam omnem rituum commixtionem et confusionem, presbyteri et clerici latini in ecclesiis graecorum neque Missas celebrare, neque funeribus, nuptiis, ac baptismis et aliis graecorum actibus publicis et privatis interesse, aut sese immiscere, nisi ad haec specialiter per ipsos graecos vocati fuerint, audeant vel praesumant.

In ecclesiis latinorum graeci divina officia solemniter, inconsulto Episcopo, ne celebrent.

XVI. Nec presbyteri et clerici graeci in ecclesiis latinorum, inconsulto Episcopo cui illae subiiciuntur, vel eius in spiritualibus vicario generali, Missas et alia divina officia cum solemnitatibus et cantu celebrent. Ut autem praefatus Episcopus sive vicarius generalis praefatam licentiam rite concedere valeant, nulla praecisa necessitas pro causa requiritur, sed satis est ut aliqua spiritualis utilitas inde speretur.

Quid debeat attendi circa praecedentiam inter graecos clericos et latinos.

XVII. Cum inter latinos graecosque clericos in processionibus, sessionibus aliisque ecclesiasticis solemnitatibus, quas ex consuetudine aut proprio arbitrio et voluntate promiscuo usu peragere solent lites quandoque et controversiae, quibus caritas et mutua animorum concordia violatur, ob praecedentiae ordinem exoriantur quia graeci latinis, et latini graecis praecipuum locum dare renuunt, has in posterum dirimere atque amputare volentes, praecipimus, ut in praecedentiis huiusmodi, nisi consuetudo aliter obtineat, non attendatur ritus graeci et latini diversitas, sed tempus Ordinationis praedictorum clericorum, vel qualitas ecclesiasticae dignitatis, si aliqui eorum ea insigniti reperiantur, vel ceterae qualitates, quae iure suo in praefatis solemnitatibus principem locum sibi vindicare solent.

De libris liturgicis.

XVIII. Quia in ecclesiasticis graecorum libris nonnulli errores irrepsere, quibus primaevam Ecclesiae graecae puritatem, fraude potissimum ac dolo schismaticorum corruptam esse orthodoxi dolent; ideo pastoralem latinorum Ordinariorum, in quorum dioecesibus iidem graeci et albanenses degunt, vigilantiam per praesentes nostras litteras excitamus, ut omni ope et studio curent, non aliis graecos ipsos seu albanenses tam praelatos ac presbyteros saeculares, quam regulares, ecclesiasticis libris in Sacramentorum administratione, et Missis divinisque officiis celebrandis uti, nisi iis, qui per Congregationem a S. Sede Apostolica emendationi librorum huiusmodi deputatam correcti typisque impressi fuerint.

De italo-graecorum subiectione Episcopis latinis.

XIX. Ita autem graecos seu albanenses in suo ritu, ut praefertur, permanere, graecasque caeremonias custodire permittimus, ut latinorum Episcoporum, in quorum dioecesi degunt, iurisdictioni subiecti censeantur. Itaque graeci seu albanenses ritus graeci, tam ecclesiastici et regulares, quam laici, in utraque Sicilia vel aliis Italiae partibus insulisque adiacentibus commorantes, cum suos Ordinarios graecos non habeant, non obstantibus quibuscumque exemptionibus aliisque privilegiis dictis graecis eorumque praelatis, rectoribus, abbatibus, et aliis tam S. Basilii et alterius Ordinis regularibus, qui privatam vitam ducunt, nec in congregationem sunt redacti, quam saecularibus ac etiam laicis personis quocumque nomine nuncupatis, per fel. rec. Leonem X, Paulum III, Iulium etiam III, et alios forsan Romanos Pontifices et Sedem Apostolicam, in genere vel in specie hactenus concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, ita latinis Ordinariis locorum, quae habitant, debent esse subiecti, ut ipsi locorum Ordinarii quascumque eorumdem graecorum et albanensium ecclesias, monasteria, prioratus, et alia pia loca, tam secularia quam cuiusvis Ordinis regularia, eorumque praelatos, etiamsi episcopali, archiepiscopali ac maiori dignitate praefulgeant, necnon abbates, rectores, ministros et quasvis alias eiusdem nationis personas in suis civitatibus et dioecesibus consistentia, quoties opus fuerit visitare, ac in

illis suam ordinariam iurisdictionem, plenamque et omnimodam auctoritatem in iis, quae Dei cultum, Sacramentorum administrationem, ac animarum salutem, haeresumque extirpationem concernunt, exercere et sequi libere et licite valeant; reliquis ipsorum graecorum et albanensium in divinis celebrandis aliisque ritibus a Sede Apostolica approbatis, necnon privilegiis et gratiis apostolicis intactis remanentibus: nec ipsis graecis et albanensibus clericis, vel laicis, eorumve praelatis, ecclesiis, coenobiis, aut aliis piis locis dictas exemptiones seu privilegia in aliquo suffragari; sed illos omnes, et singulos locorum, in quibus moram traxerint, Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, iurisdictioni et omnimodae auctoritati in praemissis subesse, illisque tanquam superioribus suis suarumque animarum pastoribus humiliter obedire.

Quid servandum circa iurisdictionem ubi sunt duo Episcopi, latinus unus, graecus alter.

XX. Ubi vero duo essent Episcopi eiusdem loci a S. Sede Apostolica deputati, unus latinus, alter graecus, (quemadmodum in Calabriae partibus et in Sicilia olim fuisse perhibentur, et nunc in quibusdam Graeciae insulis existunt) Episcopus latinus de personis ecclesiasticis et saecularibus graecis, ac de iurisdictione Episcopi graeci vel aliis quibuscumque ad Episcopum graecum quomodolibet spectantibus, nullatenus se intromittere praesumat; sed Episcopus latinus latinorum, Episcopus vero graecus graecorum dumtaxat curam, regimen et iurisdictionem respective habeant, et exerceant. Id quod de Episcopis graecis pro ordinatione italo-graecorum, Romae vel in Calabria per Sedem Apostolicam, ut supra diximus, constitutis, minime intelligendum esse declaramus: cum ii facultatibus Ordinariorum careant, nec quemquam ex iis, qui non sunt alumni Collegii graecorum Romae, et Collegii italo-graecorum seu albanensium in Calabria ad primam tonsuram aut ullum Ordinem sive minorem sive maiorem, nisi cum dimissoriis sui Ordinarii, promovere valeant.

De constituendo ab Episcopis latinis vicario graeco pro suis dioecesanis graecis.

XXI. In dioecesi ubi latini et graeci inhabitant, et solum Archiepiscopum sive Episcopum latinum Ordinarium habent, dictus Archiepiscopus sive Episcopus circa negotia et causas dictorum graecorum Vicarium graecum ipsis graecis gratum, eligendum (ex quo graecus vir melius graecos mores novit, quam latinus) ipsorum stipendio et salario retinendum deputet; et in causis appellationis ad Metropolitanum, qui forsan graecus non esset, dictus Metropolitanus similiter in dictis causis iudicem graecum deputare teneatur.

De monachis graecis.

XXII. Ordinationes demum et instituta regularia SS. Patrum de vita et statu monachorum ab abbatibus et monachis graecis, qui in Italia et insulis adiacentibus privatim degunt, nec regulam monachorum Ordinis S. Basilii in congregationem reductorum sunt professi, praecipimus inviolabiliter observari; eosque omnes, et singulos iurisdictioni Ordinariorum latinorum subiicimus, mandantes insuper, ut quaecumque circa rituum graecorum observantiam praescripta sunt, adamussim exequantur.

XXIII. Salvis tamen et in suo robore semper remanentibus privilegiis, quae a summis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, Gregorio XIII, Sixto V, Clemente VIII, Paulo V, Urbano VIII, Innocentio X, Clemente XII, et forsan aliis, tam Collegio Pontificio Graecorum de Urbe, et Seminario Corsino in Calabria, quam Congregationi dilectorum filiorum monachorum Ordinis S. Basilii in Italia concessa sunt et indulta, quibus derogare non intendimus.

Haec Constit tio non respi graecos in orie te degentes.

XXIV. His insuper, quae superius in quacumque parte italo-graecis concessimus, indulsimus, declaravimus, praecipimus, ordinavimus et interdiximus seu prohibuimus, Graecorum in Oriente sub propriis catholicis Episcopis, Archiepiscopis, vel Patriarchis commorantium et aliarum christianarum nationum quorumcumque rituum a S. Sede approbatorum seu permissorum, iuribus quibuscumque, si quae illis de iure, vel ex consuetudine, vel alias quomodolibet legitime competant, aut apostolicis constitutionibus, vel conciliorum generalium aut particularium, seu Congregationum venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium decretis quae super ritibus graecorum seu aliorum orientalium emanarunt, ullo pacto praeiudicatum vel praeiudicium ullum quantumvis minimum illatum esse non intendimus, idque expresse declaramus, et pro declarato et in qualibet huius nostrae Constitutionis seu dispositionis parte pro repetito haberi volumus et mandamus.

Decernentes praesentes literas etc.

Clausulae.

339

De Ritibus nensibus.

Const. Bened. PP. XIV *5 Iulii 1742.* — Ex quo singulari providentia factum est, ut Orientalium et Occidentalium Indiarum Regiones Europae innotescerent, Apostolica Sancta Sedes, quae ab ipsis Ecclesiae incunabulis, Evangelicae veritatis lumen ubique diffundere, et illud ab omni erroris umbra servare maximo studio curavit, in his quoque novissimis temporibus evangelicos operarios in antedictas regiones sedulo misit: ut, idololatria ibi late dominante funditus eradicata, christianae fidei semen opportune spargerent, atque horrentes illos, et incultos campos in fertiles florentesque vineas, uberrimos aeternae vitae fructus daturas, commutarent. Ex regionibus autem illis, quas Sancta Sedes prae ceteris ante oculos habuit, fuit profecto amplissimum Sinarum Imperium: in quo quidem negari non potest, quin christiana fides progressus ingentes fecerit, longe

Fidei propa tio ab Ap. Se promota in Si rum imperio.

etiam maiores factura, nisi contra inter operarios a Sancta Sede illuc missos dissidia cursum intercidissent.

Dissidia inter missionarios circa ritus sinenses.

1. Occasionem dissidiis eiusmodi dederunt caeremoniae quaedam, et ritus, quibus sinenses, ad Confucium philosophum, et maiores suos honoribus prosequendos uti consueverunt: cum nonnulli ex missionariis contenderent, eas esse caeremonias, et ritus mere civiles, adeoque concedendos iis qui, relicto idolorum cultu, christianam religionem amplectebantur; contra vero alii eos, utpote superstitionem olentes, sine gravi religionis iniuria permitti nullo modo posse assererent. Quae sane controversia multis annis Apostolicae Sedis curam et sollicitudinem ad se traxit; cum id maxime caveat, ne zizania in agro dominico radices agant, aut si forte egerint, ea, quam cito fieri potest, evellantur.

Prima decisio S. Congregationis de Prop. Fide sub Innoc. X.

2. Primo itaque ad Sanctae Sedis Tribunal causam hanc detulerunt ii, qui caeremonias illas, et ritus sinicos superstitione imbutos suspicabantur. Super illis dubia nonnulla proposita fuerunt Congregationi de Propaganda Fide quae anno 1645 comprobavit responsa ac decisiones theologorum, qui caeremonias et ritus eosdem superstitione revera infectos iudicarunt. Proinde Innocentius Papa X ad praefatae Congregationis preces, omnibus et singulis missionariis, sub poena excommunicationis latae sententiae, sibi ac Sanctae Sedi reservatae, mandavit, ut responsa ac decisiones praedictas omnino observarent, easque ad praxim deducerent donec sibi et Apostolicae Sedi aliter visum non esset.

Altera decisio S. Congregationis S. Officii sub Alex. VII.

3. Verum paulo post ab aliis eiusdem missionis operariis alia dubia de iisdem ritibus et caeremoniis ipsimet Congr. de Propaganda Fide fuerunt exhibita, ex quibus caeremoniae ipsae ritusque nullam in se superstitionem habere videbantur. Negotium itaque huiusmodi ab Alexandro Papa VII Sacrae Inquisitionis Congr. commissum fuit; quae prout varia diversaque ratione fuerat sibi de iisdem caeremoniis expositum, alias quidem tamquam mere civiles et politicas, esse permittendas, alias vero minime tolerari posse iudicavit; idemque Alexander Pontifex anno 1656 hanc sententiam probavit et confirmavit.

Alia resolutio S. Congr. S. Officii sub Clem. IX.

4. Sed ecce tertio ad Sanctam Sedem haec eadem controversia. Cum plura dubia Sacrae Inquisitionis Congr. proposita fuissent, illud quoque ab ea quaesitum fuit, utrum adhuc vigeret Innocentii Papae X praeceptum, quo sub poena excommunicationis latae sententiae mandabat observantiam responsionum ac decisionum, quae a Congregatione de Propaganda anno 1645, ut supra dictum est, emanaverant. Praeterea, an, stantibus recens expositis dubiis earum praxis retinenda foret: cum praesertim obstare videretur decretum Sacrae Inquisitionis, quod ab ea emanavit anno 1656 super quaesitis nonnullis, diversa ratione aliisque circumstantiis propositis ab operariis Apostolicis in Sinarum Regno commorantibus. Respondit ad haec Sacra Inquisitionis Congregatio anno 1669, praefatum Congr. de Propaganda Fide decretum adhuc vigere, habita ratione rerum, quae fuerunt in dubiis expositae; neque illud fuisse circumscriptum a Decreto Sacrae Inquisitionis, quod anno 1656 emanavit; immo esse omnino observandum iuxta quaesita, circumstantias, et omnia ea, quae in antedictis dubiis continentur. Declaravit pariter, eodem modo esse observandum praedictum Sacrae Congr. Decretum anno 1656 iuxta quaesita, circumstantias et reliqua in ipsis expressa. Hoc autem Decretum Clemens Papa IX comprobavit.

Novum causae examen sub Innoc. XII.

5. Cum autem omnia praefata Decreta pro varia rerum expositarum ratione fuerint facta, ac promulgata, tantum abfuit, ut rituum sinensium controversia finem obtineret, ut magis illa vires et incrementum acquireret. Nam scissis evangelicis operariis in partes, adducta res fuit in acriorem animorum ac sententiarum contentionem. Atque hinc, non sine gravi scandalo, magnoque Fidei damno, consecuta est praedicatio non uniformis, et non eadem ubique christianorum illorum disciplina et institutio. De his autem absurdis certior factus Innocentius Papa XII praedecessor noster, id muneris sui omnino esse putavit, ut perniciosis adeo dissidiis finis daretur; proinde exactam maximeque accuratam totius huius controversiae discussionem Sacrae Inquisitionis Congr. commisit. Cumque nihil intentatum reliquisset quo sinceram facti notitiam obtineret, firmata quoque fuerunt de illius mandato summa cum diligentia quaesita, quae per eamdem Sacram Congreg. resolverentur.

Clemens XI approbat responsiones S. Officii.

6. Quaesitorum illorum examen Innocentii Papae XII mors intercepit. Clemens autem XI qui successit, praedecessoris sui zelo plenus, coram se quaesitorum eorumdem examen fieri voluit. Quamobrem post diuturnam, maturam et accuratissimam rei discussionem, post auditas ex utraque parte rationes, quibus libere producendis unicuique locus amplissimus datus fuit, idem Clemens Papa Undecimus anno 1704 confirmavit et Apostolica auctoritate comprobavit praememoratae Sacrae Congr. responsiones ad omnia et singula quaesita proposita, quibus ritus sinenses, utpote superstitione imbuti, prohibebantur; mandavitque, praefatas responsiones ad Carolum Thomam de Tournon Antiochiae Patriarcham, Commissarium, et in Sinarum Regno Visitatorem Apostolicum transmitti, ut nimirum exactam earumdem observantiam omnibus et singulis missionariis, poenis quoque canonicis in refractarios indictis, praeciperet.

Visitator Ap. promulgat dictas responsiones.

7. Promulgavit quidem Patriarcha Antiochenus decisionem Apostolicam, addito decreto

quo ab universis eius observantiam exigebat. Cum autem illam tentassent eludere, variisque inanibus rationibus effugere ii qui sinenses ritus tamquam politicos ac mere civiles propugnaverant, praedictus Pontifex Clemens XI decreto quod per Sacrae Inquisitionis Congr. emanavit anno 1710, praecepit omnimodam et inviolabilem earumdem responsionum abs se Apostolica auctoritate confirmatarum observantiam, et alia quae decreto ipso continentur, quod est tenoris sequentis:

Decretum S. Congregationis S. Officii.

8. *Decretum super omnimoda ac inviolabili observatione responsorum, alias in causa rituum, seu caeremoniarum sinensium a Sacra Congr. datorum, et a SSmo approbatorum cum aliis ordinationibus:*

« Feria V, die 25 Sept. 1610, in Congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Ap. Quirinali coram SSmo N. D. Clemente div. prov. Papa XI, ac Emis et Rmis DD. Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus in tota republica christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Ap. specialiter deputatis, idem SS. D. N. in causa rituum, seu caeremoniarum sinensium auditis, tam in Congregationibus anno praeterito non semel, quam in aliis, mense et anno praesentibus pluries coram Sanctitate Sua habitis, praefatorum Eminentissimorum et Reverendissimorum Dominorum Cardinalium qui rem mature ac diligentissime discusserunt, sententiis, decrevit et declaravit, responsa alias in causa huiusmodi ab eadem Congregatione data, et a Sanctitate Sua die 20 Novembris 1704 confirmata et approbata, nec non mandatum, seu decretum ab Emo et Rmo Domino Cardinali de Tournon, tunc Patriarcha Antiocheno, Commissario et Visitatore Apostolico Generali in Imperio Sinarum die 25 Ian. 1707 hac de re editum, ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inconcusse et inviolabiliter, sub censuris et poenis in mandato seu decreto huiusmodi expressis, observanda esse, quovis contrafaciendi quaesito colore, seu praetextu penitus sublato, ac potissimum non obstante quacumque appellatione a quibusvis personis, sive saecularibus, sive regularibus, etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, ac quavis ecclesiastica dignitate fulgentibus, ad Sedem Apostolicam interposita, quam propterea Sanctitas Sua reiiciendam esse decrevit, ac re ipsa reiecit.

» Porro cum idem Dominus Cardinalis de Tournon in suo mandato, seu decreto supradicto, Apostolicae decisioni die 20 Novembris 1704 latae se expresse inhaerere professus fuerit, Sanctitas Sua ulterius declaravit, ipsum mandatum, seu decretum, una cum censuris in eo contentis, ad normam eorumdem responsorum accipiendum esse, ita ut nihil per illud responsis praefatis additum, seu detractum fuisse censendum sit, ac omnia, quae in eis insunt, etiam in mandato seu decreto praedicto inesse intelligantur.

» Ceterum Sanctitas Sua, tametsi non sine ingenti animi sui moerore acceperit, quod humani generis hostis multiplicata in die zizania in latissimis illis regionibus persemi- nare non cessat; non tamen propterea in eis catholicae religionis propagandae saluberrimum ac sanctissimum opus nullatenus deserere volens, sed illud maiori, qua potest, animi contentione ac studio, iisque potissimum dissidiis, quibus inibi christianae fidei seges veluti spinis suffocatur, prorsus submotis, ardentius semper et enixius promovere cupiens: congruam super praemissis, aliisque ad ea pertinentibus instructionem confici, illamque dicto D. Cardinali de Tournon, quatenus adhuc in illis partibus commoretur, sin minus, illi, qui eius loco deputatus fuerit, necnon Episcopis, et Vicariis Apostolicis earumdem partium transmitti mandavit, qua non minus debitae Apostolicorum Decretorum executioni, quam missionariorum concordiae, evangelicae veritatis praedicationi, atque animarum saluti opportune consulatur.

» Demum, ut nimiae illi de his rebus scribendi licentiae, quae non sine fidelium scandalo inter partes diuturna contentione exasperata invaluit, modus imponatur, Sanctitas Sua districte praecepit omnibus et singulis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti et Societatis, etiam de necessitate exprimendae, Regularibus aliisque quibuscumque secularibus personis, tam ecclesiasticis, quam laicis, cuiuscumque tandem status, conditionis et dignitatis existant, ut in posterum non audeant sub quovis quaesito colore vel praetextu, imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libellos, relationes, theses, folia seu scripta quaecumque, in quibus ex professo, vel incidenter de ritibus sinicis huiusmodi, vel controversiis desuper, seu illorum occasione exortis quomodolibet tractetur sine expressa et speciali licentia a Sanctitate Sua, seu pro tempore existente Romano Pontifice in Congregatione supradictae Sanctae et Universalis Inquisitionis obtinendae. Ut autem eiusmodi prohibitio inviolabiliter observetur, eadem Sanctitas Sua voluit et declaravit, contravenientes quoscumque excommunicationis latae sententiae, Regulares vero etiam privationis vocis activae et passivae poenas ipso facto absque alia declaratione incurrere; et nihilominus aliis etiam poenis Sanctitatis Suae et Successorum suorum Romanorum Pontificum arbitrio infligendis subiacere. Libros porro, libellos, relationes, theses, folia ac scripta quaecumque, quae in futurum contra prae-

» sentis prohibitionis tenorem edi contigerit » (citra ullam aliorum hactenus editorum ap- » probationem, super quibus opportune provi- » debitur) pro expresse prohibitis haberi voluit » absque alia declaratione, sub poenis et cen- » suris in Regulis Indicis librorum prohibitorum » contentis. Impressores vero, praeter scripto- » rum sic impressorum amissionem, pecunia- » riis, aliisque corporalibus poenis, iuxta cri- » minis gravitatem teneri mandavit. In contra- » rium facientibus non obstantibus quibuscum- » que. — *Ioseph Bartolus S. R. et U. Inqui- » sitionis Notarius* ».

Constitutio *Ex illa die* Clem. PP. XI qua dictae responsiones ap- probantur.

9. At vero, nec Decretum huiusmodi ad difficiles animos subiiciendos valuit. Itaque Clemens idem Papa XI quo illos tandem aliquando fraenaret, Constitutionem anno 1715 evulgavit, qua solemniter iterum confirmavit antedictas Sacrae Inquisitionis responsiones, easque exacte et adamussim observari mandavit, praeclusis omnibus iis effugiis quibus perfectam earum observantiam contumaces homines aliquo pacto evadere potuissent: et est tenoris, qui sequitur:

Exordium.

10. *Clementis Papae XI Praeceptum super omnimoda, absoluta, integra et inviolabili observatione eorum, quae alias a Sanctitate Sua in causa rituum, seu caeremoniarum sinensium decreta fuerunt: cum reiectione quarumcumque rationum, seu excusationum ad eiusmodi decretorum executionem declinandam allatarum, ac praescriptione formulae iuramenti per missionarios illarum partium praesentes et futuros hac in re praestandi.*

» Clemens Papa XI. *Ad futuram rei me- » moriam.* Ex illa die, qua nullo licet merito- » rum nostrorum suffragio, catholicae ecclesiae » gubernacula, hoc est, munus sua amplitudine » gravissimum, ac temporum iniquitate mole- » stissimum, Deo sic disponente suscepimus, » nihil Nobis manum clavo admoventibus an- » tiquius fuit quam acerrimas contentiones iam- » pridem in Imperio Sinarum inter apostolicos » illarum partium missionarios exortas, sem- » perque in dies magis invalescentes, tam circa » quasdam voces sinicas, ad sanctum et inef- » fabile Dei nomen exprimendum inibi usurpa- » tas, quam circa nonnullos earum gentium ritus » veluti superstitiosos a quibusdam ex missio- » nariis praedictis reprobatos, ab aliis vero, ut- » pote eos civiles tantum asserentibus, permis- » sos, Apostolici iudicii censura opportune diri- » mere: ut, sublatis dissidiis, christianae reli- » gionis catholicaeque fidei propagationem tur- » bantibus, omnes tandem id ipsum dicerent in » eodem sensu, et in eadem sententia, unoque » ore glorificaretur Deus ab iis, qui sanctificati » sint in Christo Iesu.

» Hoc consilio responsa illa, quae ad varias » quaestiones super huiusmodi rebus excitatas, » praevio diuturno examine, dudum, videlicet » tempore fel. rec. Innocentii Papae XII prae- » decessoris nostri inchoato, ac deinde iussu » nostro per plures annos continuato, auditis- » que utriusque partis rationibus, necnon com- » plurium theologorum et qualificatorum sen- » tentiis, ac Congregatione Venerabilium Fra- » trum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae » Cardinalium, in tota republica christiana Ge- » neralium Inquisitorum adversus haereticam » pravitatem auctoritate Apostolica deputatorum » data fuerunt, Nos die 20 Novembris 1704 » eadem auctoritate confirmavimus et approba- » vimus.

Tenor praedictarum responsionum.

» Ea autem, quae in responsis huiusmodi » decreta fuerunt, sunt quae sequuntur: *Cum Deus Optimus Maximus congrue apud Sinas vocabulis europaeis exprimi nequeat, ad eundem verum Deum significandum, vocabulum* Tien Chù, *hoc est,* Caeli Dominus, *quod a sinensibus missionariis, et fidelium longo ac probato usu receptum esse dignoscitur, admittendum esse: nomina vero* Tien *(Caelum) et* Xang Ti *(Supremus Imperator) penitus reiicienda.*

De nomine Dei.

Idcirco tabellas cum inscriptione sinica King Tien *(Caelum colito) in ecclesiis christianorum appendi, seu iam appensas in posterum inibi retineri permittendum non esse.*

Ad haec nullatenus, nullaque causa permittendum esse christifidelibus, quod praesint, ministrent, aut intersint solemnibus sacrificiis, seu oblationibus, quae a Sinensibus in utroque aequinoctio cuiuscumque anni Confucio et progenitoribus defunctis fieri solent, tamquam superstitione imbutis. Similiter, nec esse permittendum, quod in aedibus Confucii, quae sinico nomine Miao *appellantur, iidem christifideles exerceant, ac peragant caeremonias, ritus et oblationes, quae in honorem eiusdem Confucii fiunt tum singulis mensibus in novilunio et plenilunio a mandarinis, seu primariis magistratibus, aliisque officialibus et literatis, tum ab eisdem mandarinis, seu gubernatoribus ac magistratibus, antequam dignitatem adeant, seu saltem post eius possessionem adeptam, tum denique a literatis, qui postquam ad gradum sunt admissi, e vestigio ad templum, seu aedem Confucii se conferunt.*

De cultu Confucii.

Praeterea non esse permittendum christianis, in templis, seu aedibus progenitoribus dicatis oblationes minus solemnes eisdem facere, nec in illis ministrare, aut quomodolibet inservire, vel alios ritus, et caeremonias peragere.

De cultu progenitorum.

Item, nec esse permittendum praefatis christianis, oblationes, ritus, et caeremonias huiusmodi coram progenitorum tabellis, in privatis domibus, sive in eorumdem progenitorum sepulchris, sive antequam defuncti sepulturae tradantur, in eorum honorem fieri consuetas una cum gentilibus, vel seorsim ab illis peragere, eisque ministrare, aut interesse; imo

praedicta omnia, utpote quae, perpensis hinc inde deductis, necnon diligenter ac mature discussis omnibus, ita peragi comperta sunt, ut a superstitione separari nequeant, christianae legis cultoribus ne quidem permittenda esse, praemissa publica, vel secreta protestatione, se, non religioso, sed civili ac politico, tantum cultu erga defunctos illa praestare, nec ab eis quidquam petere, aut sperare.

Non tamen per haec censendam esse damnatam praesentiam illam, seu assistentiam mere materialem, qua cum gentilibus superstitiosa peragentibus, citra ullam sive expressam, sive tacitam gestorum approbationem, ac quovis ministerio penitus secluso, eisdem superstitiosis actibus quandoque praestari contingat a christianis, cum aliter odia et inimicitiae vitari non possunt: facta tamen prius, si commode fieri poterit, fidei protestatione, ac cessante periculo subversionis.

Demum permittendum non esse christifidetibus, tabellas defunctorum progenitorum in suis privatis domibus retinere, iuxta illarum partium morem, hoc est cum inscriptione sinica qua thronus, seu sedes spiritus, vel animae N. significetur; imo nec cum alia, qua sedes, seu thronus, adeoque idem ac priori, licet magis contracta inscriptione designari videatur. Quo vero ad tabellas solo defuncti nomine inscriptas, tolerari posse illarum usum, dummodo in eis conficiendis omittantur omnia, quae superstitionem redolent, et secluso scandalo, hoc est, dummodo qui christiani non sunt, arbitrari non possint, tabellas huiusmodi a christianis retineri ea mente, qua ipsi illas retinent, necnon adiecta insuper declaratione ad latus ipsarum tabellarum apponenda, qua, et quae sit christianorum de defunctis fides, et qualis filiorum ac nepotum erga progenitores pietas esse debeat, enuncietur.

Per praemissa nihilominus non vetari quominus erga defunctos peragi possint alia, si quae sint, ab iis gentibus peragi consueta, quae vere superstitiosa non sint, nec superstitionis speciem praeseferant, sed intra limites civilium et politicorum rituum contineantur. Porro quaenam haec sint, et quibus adhibitis cautelis tolerari valeant, tum pro tempore existentis Commissarii, et Visitatoris Generalis Apostolici seu eius vices exercentis in Imperio Sinarum, tum Episcoporum, et Vicariorum Apostolicorum illarum partium iudicio relinquendum esset: qui tamen interea omni, quo poterunt, studio ac diligentia curare debebunt, ut gentium caeremoniis poenitus sublatis, illi sensim a christianis et pro christianis hac in re usu recipiantur ritus, quos catholica Ecclesia pro defunctis pie praescripsit ».

Mandatum seu decretum Card. de Tournon a Pontifice confirmatum.

« Post haec vero, labente fere sexennio, » nempe die 25 Septembris 1710, auditis iterum » dictorum Cardinalium, qui rem mature ac diligentissime discusserunt, suffragiis, eadem responsa, nec non mandatum, seu decretum, » quod illis expresse inhaerendo, a piae recordationis Carolo Thoma, dum vixit, eiusdem » Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali de Tournon nuncupato, tunc Patriarcha Antiocheno, » Commissario, et Visitatore Apostolico Generali in praefato Imperio Sinarum, die 25 Ianuarii 1707 editum fuit, ab omnibus et singulis, ad quos spectabat, inconcusse et inviolabiliter, sub censuris et poenis in mandato seu decreto huiusmodi expressis, observanda esse decrevimus et declaravimus » quovis contrafaciendi quaesito colore, seu » praetextu penitus sublato, ac potissimum » non obstante quacumque appellatione a quibusvis personis ad Nos et Sedem Apostolicam interposita, quam propterea prorsus reiiciendam esse similiter decrevimus, ac reipsa » reiecimus, prout in Decreto hac de re edito » fusius continetur.

Decretorum servantia re data.

» Haec omnia plene et abunde sufficere debuissent, ut ea, quae inimicus homo superseminaverat, zizania, ex agro illo radicitus evellerentur, fidelesque omnes nostris et huius S. Sedis mandatis ea, qua par erat, humilitate et obedientia obsequerentur: praesertim cum in calce responsorum praedictorum a Nobis, sicut praemittitur, confirmatorum et approbatorum, causam iam finitam esse, apertis et perspicuis verbis pronunciatum fuerit.

» Verum cum, sicuti ex eisdem partibus non sine intimo animi nostri dolore ad nostri pervenit Apostolatus auditum, tam enixe a Nobis praescripta responsorum huiusmodi exe» cutio male a plerisque, sive vano falsoque » obtentu, quod illa a Nobis suspensa fuerint, » vel minus legitime promulgata, sive conditionum, ut perperam asseritur, in eis insitarum, et ante executionem ipsam verificandarum, factorumve, super quibus ipsa emanarunt, non iustificatorum ratione, sive ulteriorum a Nobis ea in re edendarum declarationum colore, sive gravium, quae tam missionariis, quam Missioni ipsi ex demandata » executione obvenire possent, periculorum formidine, sive demum Decreti dudum, nempe » die 23 Martii 1656 super eiusdem ritibus, seu » caeremoniis sinicis a praefata Congregatione » Cardinalium editi, ac a recol. mem. Alexandro » Papa VII etiam Praedecessore nostro approbati praetextu, necnon sine gravi Pontificiae » nostrae auctoritatis iniuria, Christifidelium » scandalo, ac salutis animarum detrimento, » satis diu, multumque eludatur, aut saltem » nimium retardetur.

Eadem ob vantia rigor praecipitur.

» Hinc est, quod Nos, ex commissae Nobis » divinitus Apostolicae servitutis munere, difficultates, tergiversationes, subterfugia et praetextus huiusmodi penitus et omnino e medio

» tollere ac reiicere, necnon christifidelium » quieti, animarumque saluti, quantum Nobis » ex alto conceditur, prospicere cupientes, de » eorumdem Cardinalium consilio, ac etiam » motu proprio, et ex certa scientia, ac matura » deliberatione nostris, deque Apostolicae po- » testatis plenitudine, omnibus et singulis Ar- » chiepiscopis et Episcopis in supradicto Si- » narum Imperio, aliisque ei conterminis, sive » adiacentibus Regnis ac Provinciis nunc et pro » tempore quandocumque existentibus, sub sus- » pensionis ab exercitio pontificalium, et inter- » dicti ab ingressu ecclesiae, eorum vero offi- » cialibus, ac Vicariis in spiritualibus Genera- » libus, aliisque illorum locorum Ordinariis ac » etiam Vicariis Apostolicis, qui Episcopi non » sint, eorumve Provicariis, necnon missionariis, » tam saecularibus, quam cuiusvis Ordinis, » Congregationis, Instituti et Societatis, etiam » Iesu, regularibus, sub excommunicationis » latae sententiae, a qua nemo a quoquam, » praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice » pro tempore existente, nisi in mortis articulo » constitutis, absolvi possit, et quoad Regula- » res, etiam privationis vocis activae et passi- » vae poenis per contrafacientes ipso facto abs- » que alia declaratione incurrendis, tenore prae- » sentium praecipimus, ac in virtute sanctae » obedientiae mandamus, ut responsa praein- » serta, omniaque et singula in eis contenta, » exacte, integre, absolute, inviolabiliter et in- » concusse observent; ab eis, quorum cura ad » illos spectat, similiter observari, quantum in » ipsis est, curent et faciant: neque illis, sive » ullo ex superius expressis, sive alio quovis » titulo, causa, occasione, colore, vel praetextu, » contravenire quoquo modo audeant vel prae- » sumant.

De praedictorum observantia iuramentum missionariis imponitur.

» Praeterea motu, scientia, deliberatione, » et potestatis plenitudine paribus, harum serie » statuimus, et sub eisdem excommunicationis » reservatae, ac privationis vocis activae et pas- » sivae poenis, ordinamus, ut omnes et singuli » ecclesiastici tam saeculares, quam praedicto- » rum Ordinum, Congregationum, Institutorum » et Societatum, etiam Iesu, regulares, ad Si- » nas, aliave praefata Regna et Provincias, sive » ab hac Sancta Sede, sive etiam ab eorum » Superioribus missi, et quandocumque in po- » sterum mittendi, cuiusvis tandem tituli aut » facultatis vigore illic existant, vel in futurum » extiterint; missi, scilicet, statim ac praesentes » Litterae eis innotuerint: mittendi vero, ante- » quam ibidem aliquod missionarii munus exer- » cere incipiant; iuramentum de fideliter, in- » tegre ac inviolabiliter observando eiusmodi » praecepto ac mandato nostro, iuxta formu- » lam in praesentium Litterarum calce adnotan- » dam, in manibus Commissarii et Visitatoris » Apostolici in praefato Imperio Sinarum pro » tempore existentis, vel alterius ab illo depu- » tati, sive, eo deficiente, in manibus Episco- » porum vel Vicariorum Apostolicorum dicta- » rum partium, in quorum respective iurisdi- » ctione commorantur, vel commorabuntur, aut » aliorum ab eis deputatorum, Regulares vero » in manibus insuper Superiorum suae Religio- » nis, vel ab illis deputatorum in eisdem par- » tibus existentium, praestare omnino debeant ac » teneantur: ita ut ante praestationem iuramenti » huiusmodi, et subscriptionem sub eadem for- » mula ab unoquoque, qui iuramentum ipsum » praestiterint, propria manu faciendam, nullum » missionarii munus continuare aut exercere, » immo nec tamquam deputati ab Episcopis, » seu Ordinariis locorum, aut tamquam sim- » plices suae Religionis presbyteri, sive alio » quovis titulo, causa, seu privilegio, de quibus » expressa et specialissima esset facienda men- » tio, christifidelium confessiones audire, con- » cionari, aut Sacramenta quomodolibet admi- » nistrare ullo modo valeant, nullisque omnino » facultatibus, sive sibi speciatim sive suis re- » spective Ordinibus, Congregationibus, Insti- » tutis et Societatibus, etiam Iesu, huiusmodi » generaliter a Sede praefata concessis, uti pos- » sint; sed quoad eas, praeter et ultra superius » expressas poenas, omnes et singulae facultates » praedictae omnino cessent, nulliusque roboris » sint, et esse censeantur.

» Omnia autem iuramenta huiusmodi per » quoscumque missionarios tam saeculares, » quam regulares, in memoratorum sive Com- » missarii, et Visitatoris Apostolici pro tempore » existentis, sive Episcoporum, aut Vicariorum » Apostolicorum manibus, sicut praemittitur, » praestanda, postquam subscriptione munita » fuerint, vel saltem authentica illorum exem- » pla, per eosdem Commissarium, et Visitato- » rem Apostolicum pro tempore existentem, » Episcopos, et Vicarios Apostolicos, ad prae- » fatam Congregationem Cardinalium, quanto » citius fieri poterit, transmittantur.

» Superiores vero regulares cuiusvis Ordinis, » Congregationis, Instituti et Societatis, etiam » Iesu, illic nunc, et pro tempore existentes, sub » eisdem poenis teneantur non solum idem iu- » ramentum in praefatorum, sive Commissarii, » et Visitatoris Apostolici pro tempore existen- » tis, sive Episcoporum, aut Vicariorum Apo- » stolicorum manibus, iuxta modum supra prae- » scriptum praestare, eiusque formulae subscri- » bere, sed etiam illius praestationem a suis » respective subditis exigere, ac authentica ea » super re documenta quamprimum transmit- » tere ad suos respective Superiores Generales, » qui illa memoratae Congregationi Cardd. sta- » tim tradere debebunt. Decernentes etc... Non » obstantibus etc.

Praefati iuramenti formula.

» Formula autem iuramenti, sicut praemit- » titur, praestandi, est quae sequitur, videlicet: » *Ego N. missionarius ad Sinas, vel ad Re-*

» *gnum N., vel ad Provinciam N., a Sede* » *Apostolica, vel a Superioribus meis, iuxta* » *facultates eis a Sede Apostolica concessas,* » *missus, vel destinatus, Praecepto ac Man-* » *dato Apostolico super ritibus et caeremoniis* » *sinensibus in Constitutione Sanctissimi Domini* » *Nostri Domini Clementis divina providentia* » *Papae XI hac de re edita, qua praesentis* » *iuramenti formula praescripta est, contento,* » *ac mihi per integram eiusdem Constitutionis* » *lecturam optime noto, plene ac fideliter pa-* » *rebo, illudque exacte, absolute ac inviola-* » *biliter observabo, et absque ulla tergiversa-* » *tione adimplebo. Si autem (quod Deus aver-* » *tat) quoquo modo contravenerim, toties quo-* » *ties id evenerit, poenis per praedictam Con-* » *stitutionem impositis me subiectum agnosco* » *et declaro. Ita tactis sacrosanctis Evange-* » *liis, promitto, voveo, et iuro. Sic me Deus* » *adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.*

» *Ego N. manu propria* ».

De praesentium Litterarum intimatione et executione.

« Ceterum volumus, et expresse mandamus » ut eaedem praesentes Litterae, seu earum exem- » pla, etiam impressa, notificentur et intimentur » omnibus et singulis memoratorum Ordinum, » Congregationum, Institutorum et Societatum, » etiam Iesu, Superioribus Generalibus et Pro- » curatoribus Generalibus, ad hoc ut tam suo » quam praedictorum eis respective subditorum » seu inferiorum nomine, ipsas Litteras fideliter » exequi et observare spondeant, actumque spon- » sionis huiusmodi in scriptis reddant; earum » vero exempla praedicta, pluribus viis, quanto » citius fieri poterit, transmittant ad eosdem suos » subditos, seu inferiores, in Sinis aliisque Re- » gnis et Provinciis supradictis degentes, cum » arctissimis praeceptis easdem Litteras, et in » eis contenta quaecumque, plenarie et inte- » gre, ac vere, realiter, et cum effectu in omni- » bus et per omnia similiter exequendi et ob- » servandi.

» Quia vero difficile foret, Litteras huiusmodi » originales ubique ostendi et publicari, volu- » mus pariter, et decernimus, illarum transum- » ptis, seu exemplis, etiam impressis, manu » alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo » personae in ecclesiastica dignitate constitutae » munitis, eamdem prorsus fidem tam in Iu- » dicio, quam extra illud ubique locorum ha- » beri, quae haberetur ipsis praesentibus, si fo- » rent exhibitae vel ostensae.

» Datum Romae apud Sanctam Mariam Ma- » iorem sub annulo Piscatoris die 19 Mart. 1715, » Pontificatus Nostri anno XV.

» *F. Oliverius* ».

De dictae Constitutionis Clem. XI inobservantia.

11. Per Constitutionem Apostolicam adeo solemnem, qua Clemens Papa XI se huic controversiae finem dedisse testatur, iustum et aequum videbatur, eos qui Sanctae Sedis auctoritatem sese quam maxime revereri profitentur, humili et obsequenti animo illius iudicio semet omnino subiicere, nec ulterius quicquam cavillari. Nihilominus inobedientes et captiosi homines exactam eiusdem Constitutionis observantiam se effugere posse putarunt, ea ratione quod illa praecepti titulum praefert, quasi vero non indissolubilis legis, sed praecepti mere ecclesiastici vim haberet; tum etiam, quod illam debilitatam existimarent ex permissionibus quibusdam, quas super iisdem sinensibus ritibus publicavit Carolus Ambrosius Mediobarbus Patriarcha Alexandrinus, cum Commissarium, et Visitatorem Generalem Apostolicum in iis regionibus ageret.

Eamdem C stitutionem P tifex amplissi confirmat.

12. Nos igitur animadvertentes, praedictam Constitutionem christiani cultus puritatem respicere, quem illa ab omni superstitionis labe immunem servare contendit, nullo modo ferre possumus, quemquam existere, qui eidem repugnare temere audeat, aut contemnere, perinde ac ipsa supremam Apostolicae Sedis decisionem non contineret, et id, de quo agitur, non ad religionem spectaret, sed quid per se indifferens foret, aut quaedam variabilis disciplinae ratio. Proinde auctoritate ab Omnipotenti Deo Nobis tradita uti volentes, ad illam in suo robore omnino servandam, de auctoritatis eiusdem plenitudine non modo eam approbamus et confirmamus, sed etiam, quantum possumus, omnem vim et firmitatem, ad illam magis magisque roborandam ac stabiliendam adiicimus, eamque in se plenam ac omnimodam Apostolicae Constitutionis auctoritatem habere dicimus et declaramus.

De permis nibus Patri chae Alexand Visitatoris.

13. Permissiones autem, quarum obtentu aliqui praedictae Constitutionis robur infringere conantur, originem duxerunt a responsionibus quibusdam, quas duo viri, qui iampridem in Sinarum Regno fuerant, ad quaesita nonnulla dederunt, quae super eiusdem Constitutionis Apostolicae executione ac praxi, missionarii quidam proposuerunt. Responsiones itaque huiusmodi, una cum dubiis illis, nullo tamen Romani Pontificis, sive approbantis, sive aliquid de suo addentis indicio, transmissae fuerunt ad praefatum Patriarcham Alexandrinum, eius animi instruendi causa, utque illis uteretur prout circumstantiae rerum ac temporis postularent: integro tamen remanente Apostolicae Sedis iure eas comprobandi, vel etiam revocandi, siquando conformes, aut repugnantes Constitutionis praefatae decretis ullo modo compertae forent.

14. Vix Sinarum Regnum Patriarcha Alexandrinus ingressus, in iis angustiis se positum intellexit, ut coactus fuerit in publicum emittere, non quidem responsiones, quas praememorati duo viri ad proposita quaesita dederant,

bene vero permissiones octo, quae ab illis fuerant deductae, atque inde ab eodem Patriarcha in Pastorali sua Epistola insertae, cuius tenor est uti sequitur:

Epistola pastoralis Patriarchae Alexandrini.

15. « Carolus Ambrosius Mediobarbus, Dei » et Apostolicae Sedis gratia Patriarcha Alexandrinus, nec non in Indiis Orientalibus ac Sinarum Imperio, finitimisque Regnis et Insulis » Commissarius, et Visitator Generalis Apostolicus cum facultate Legati de Latere etc. » Omnibus Episcopis, Vicariis Apostolicis ac » missionariis, qui in praedictis partibus degunt, » salutem in eo qui est omnium vera salus.

» Benedictus Deus, et Pater Domini Nostri » Iesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus » totius consolationis, qui consolatur nos in » omni tribulatione nostra, ut possimus et ipsi » consolari eos, qui in omni pressura sunt, per » exhortationem, qua exhortamur et ipsi a Deo. » Nihil etenim Nobis magis in animo fuit, ex » quo in Sinarum Imperium, Deo favente, pervenimus, quam cum iis omnibus, qui in hac » evangelica vinea adlaborant, os ad os loqui. » Desideravimus enim videre vos, ut aliquid » impertiremur vobis gratiae spiritualis ad confirmandum vos, idest simul consolari in vobis » per eam, quae invicem est, fidem vestram » atque meam. Verum, quia non sapientiam » huius saeculi locuti fuimus, in timore et » tremore multo fuimus apud vos, satiusque » duximus, ad sedandam tempestatem adversus evangelicos operarios ingruentem, Nos » in mare proiicere, ut vos iactari desinatis. » Adiutor noster nunc erit ille Deus, qui dedit nobis in mari viam, et in aquis torrentibus semitam. Veritatem dicimus in Christo, non mentimur, testimonium nobis perhibente conscientia nostra in Spiritu Sancto; » quoniam tristitia nobis magna est, et continuus dolor adhaeret cordi nostro, quod » praesentes non potuerimus solari vos, ut fructum aliquem haberemus in vobis, et in ceteris gentibus.

» At vero quod non licuit per praesentiam » agere, saltem per epistolam non impedimur. » Primum quidem gratias agimus Deo nostro » per Iesum Christum pro omnibus vobis, qui » Spiritu Sancto ferventes, et fortes, Sanctae » Sedis mandatis rationabile exhibetis ministerium vestrum, iactantes cogitatum in eum, » cui a Domino dictum est: *Pasce oves meas;* » cui traditae sunt claves domus David; si aperit, non est qui claudat; si claudit, non est » qui aperiat. Quotquot estis, macte animis, » vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini, quia merces vestra magna est in » coelis. Ministerium vestrum implete, attendite » vobis et doctrinae. Lucernae estote, non minus lucentes exemplo, ac zelo praedicationis » ardentes. Si qui vero adhuc essent haesitantes, » et in opere non efficaces, obsecramus vos, » fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi » ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis perfecti in eodem sensu, » et in eadem sententia. Non amplius invicem » iudicemus. Unusquisque vestrum pari humilitate ac obedientia Sanctae Sedis mandatis » obsequatur, ut vestra obedientia in omnem » locum divulgetur.

» Non enim opus est, ut aliquem actum faciamus, ut SSmi Domini Nostri Clementis » Papae XI mandata iam promulgata vobis innotescant, vimque habeant, ut absque ulla » tergiversatione executioni mandentur. Nihil » proinde innovamus; sed relinquimus res prout » sunt; hoc est, nullatenus Constitutionem super » ritibus sinicis a SSmo Domino nostro Clemente Papa XI die 19 Mart. 1715 emanatam suspendimus, aut quae in ea vetantur » permittimus.

» Ob aliqua tamen quibusdam missionariis » circa quasdam caeremonias peragi consuetas » suborta dubia, ut quilibet in vinea Domini » strenue ac viriliter laborare queat, nonnulla » adnotamus, quae permitti poterunt: quae et » separatim unicuique secundum quaesita dedissemus, nisi compertum Nobis esset, una » cum incertis nuntiis iam disseminata, proborum animos, et christifideles bonae voluntatis non parum perturbasse. Omni igitur, quo » poteritis, studio ac diligentia curare debetis, » ut gentium caeremoniis penitus sublatis, illi » sensim a christianis, et pro christianis usu » recipiantur ritus, quos catholica Ecclesia pie » praescripsit.

Tenor permissionum Patriarchae Alexandrini.

» *Primo.* Permittitur christianis sinensibus » in suis privatis domibus uti tabellis defunctorum inscriptis solo nomine defuncti, apposita ad latus declaratione debita, et omissa » quacumque superstitione in earum construction, necnon secluso omni scandalo.

» *Secundo.* Permittuntur omnes caeremoniae nationis sinicae erga defunctos, quae » non sint aut superstitiosae, aut suspectae, sed » civiles.

» *Tertio.* Permittitur Confucii cultus ille, » qui civilis est, et etiam eiusdem tabellae » purgatae et litteris et superstitiosa inscriptione, et adiuncta declaratione debita; sicuti permittitur ante eius tabellam correctam accendi » candelas, uri odores, apponi comestibilia.

» *Quarto.* Permittitur pro usu et expensis » funerum offerri candelas, odores, adiuncta in » schedula debita declaratione.

» *Quinto.* Permittuntur reverentiae genuflectionum et prostrationum erga tabellam correctam, aut etiam erga feretrum, aut defunctum.

» *Sexto.* Permittitur praeparari mensas cum » dulciariis, fructibus, carne et cibis usualibus » circa aut coram feretro, ubi sit tabella correcta, cum debita declaratione, et omissis

» superstitiosis, pro quadam honestate tantum » et pietate erga defunctos.

» *Septimo.* Permittitur coram tabella correcta reverentia dicta *Ko-teu*, tum in anno » novo sinico, tum in aliis anni temporibus.

» *Octavo.* Permittitur coram tabellis reformatis accendi candelas, uri odores cum debitis cautelis, sicuti etiam ante tumulum, » ubi pariter collocari possunt cibi, ut supra » dictum est, adhibitis cautelis, ut in superioribus.

Adhortatio ad missionarios.

» Apostolici ergo viri Ecclesiam adhibentes » non habentem maculam neque rugam, ponant manum suam ad aratrum, nec respiciant » retro. Videte, fratres, vocationem vestram; » non enim auditores legis iusti sunt apud » Deum, sed factores legis iustificabuntur. Obsecramus itaque vos, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Ne diutius » agamus secundum potestatem, paterne vos » commonere voluimus per epistolam. Amabilem illum patremfamilias qui exiit primo » mane conducere operarios in vineam suam, » audite: *Quid hic statis tota die otiosi? Ite » et vos in vinam meam.* Vocem patris perpendite, et illam iudicis timete. Ipsi vos probate; virtus enim Dei erit vobis in auxilium » ac plenam ministerio verbi Dei functi recipietis mercedem, immarcescibilem nimirum » a Pastorum Principe gloriae coronam. Ne » quis vos seducat inanibus verbis obedire veritati. Scitote, quod obedientes voci eius, qui » misit vos, rationem non eritis reddituri pro » animabus, sed unusquisque vestrum pro se » rationem reddet Deo. Quicumque sub diversis » praetextibus cessandum sibi putat a ministerio » missionarii, laedit animam suam, et de alienis » aeterno iudici rationem reddet. Quam dabit » homo commutationem pro anima sua, et pro » alienis? Deus est vitis vera, vos palmites. Qui » non ferent fructus in eum, arescent tamquam » palmites; et collecti, et alligati in fasciculos » ad comburendum, mittentur in caminum » ignis inextinguibilis. Respicite Dominum nostrum Iesum Christum secus viam ambulantem, qui in fici arbore nihil invenit, nisi » folia tantum, et ait illi: *Nunquam ex te nascantur fructus in sempiternum.* Si aliqui » palmites iamdiu conversi in amaritudinem, » qui expectabantur ut tandem facerent uvas, « spinas super spinas adiecissent, vae, vae a die » irae, a die furoris, et indignationis Domini! » Attendite ad verba, quae mandat vobis per » servum suum Dominus adhuc misericors. Revertimini ad Deum vestrum, manete in eo, » qui manens in vobis purgabit vos, et desideratos cunctis gentibus fructus afferetis. Apostolico satisfecisse nos muneri iudicamus; non » enim subterfugimus, quominus annuntiaremus » omne consilium Dei vobis, ut nullam excusationem habeatis de peccatis vestris. De cetero quotquot eritis obedientes, fratres, gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, » pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit » vobiscum.

Prohibitio quoad publicationem huius Epistolae.

» Cum vero ad promovendam in neophitis » debitam decretis Apostolicis obedientiam, » praesentium nostrarum litterarum notitiam » iisdem neophitis minime necessariam esse, » sed satis esse eos in viam salutis dirigere, iuxta » Pontificiae Constitutionis praescripta, compertum sit; ne quis eorum ad quos praesentes litterae directae sunt, cuiuscumque Ordinis, aut Instituti, aut Congregationis fuerit, » aut Societatis, etiam Iesu, praesentes litteras, » aut quae in eis continentur (exceptis Permissionibus, quae quidem caute, et ubi necessitas » tantum aut utilitas postulaverit, patefaciendae erunt) sive directe, sive indirecte, per se, » vel per alium, voce tenus, aut scripto in » linguam tartaram, aut sinicam vertant, aut » quocumque modo cuilibet, qui missionarius » non sit, nota faciat, sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua nonnisi a » nobis, aut a Summo Pontifice (praeterquam » in articulo mortis constitutus) absolvi possit, » et quoad Regulares etiam privationis vocis » activae et passivae, poenis contrafacientes » ipso facto absque alia declaratione incurrendis, tenore praesentium vetamus, et in virtute sanctae obedientiae prohibemus. — Datum Macai in Palatio nostrae Residentiae die » 4 Nov. 1721 ».

Quid sentiendum de facto Patriarchae Alexandrini.

16. Cum autem Patriarcha Alexandrinus in praeallata Pastorali mentem suam satis prudenter explicuisset, nimirum Pastoralis huius suae Epistolae notitia opus non esse ad promovendam in neophitis erga Pontificia Decreta venerationem et observantiam, cum satis esset, ut iuxta Constitutionis Pontificiae mandata in via salutis dirigerentur; praeterea cum omnibus et quibuscumque interdictum voluisset, sub poena quoque excommunicationis latae sententiae, ne quis illam in sinensem, aut in tartaricum sermonem verteret, aut cuiquam, qui missionarius non esset, eam palam faceret; de Permissionibus autem cum statuisset, nonnisi caute, et ubi tantum utilitas, vel necessitas id postularet, esse evulgandas: profecto omnis, ad quem Pastoralis illa dirigebatur, ex tali procedendi modo haud obscure inferre debebat, quantis ille animi angustiis obsessus, et quam anceps ac perplexus in Permissionibus huiusmodi proponendis extitisset; adeo ut oeconomia quadam usus fuisset ad loci et temporis circumstantias prorsus necessaria: a qua putandum est eum recessurum fuisse, si libertas sibi data esset rem discutiendi cum Episcopis aliisque doctis viris, qui nihil aliud, quam christiani cultus puritatem, et Apostolicae Constitutionis observantiam ante oculos haberent.

Permissionum usus earum-que divulgatio ab Ep. Pekin. facta.

17. At Permissiones illae contra expressam adeo Patriarchae ipsius voluntatem, evulgatae; et, quod mirum, Pekini Episcopus per binas suas Pastorales mandavit sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, universis dioecesis suae missionariis, ut observarent, et observari praeciperent Constitutionem *Ex illa die* iuxta Permissiones, quas ipse contendebat, ad ea potissimum referri, quae in praecitata Constitutione fuerant solemniter interdicta. Praecepit insuper ut christifideles quater singulis annis in diebus omnium celeberrimis distincte instruerentur cum iis, quae Constitutione Apostolica prohibentur, tum iis, quae a Patriarchae Alexandrini Pastorali permittuntur.

Factum Episcopi Pekin. mnat Clemens I.

18. Enimvero Clemens Papa XII Praedecessor noster, tam audax Episcopi Pekinensis factum aequo animo ferre haud potens, muneri suo maxime interesse iudicavit binas illas epistolas damnare, ac penitus reprobare Apostolico Brevi, quod anno 1735 promulgavit; in quo sibi, ac Sanctae Sedi facultatem reservavit, declarandi sinensibus christianis mentem suam, et eiusdem Sanctae Sedis sententiam in iis, aliisque, quae ad materiam huiusmodi spectarent. Praefatum autem Breve est tenoris sequentis:

Tenor Litterarum Ap. Clemen. XII.

« 19. *Clementis Papae XII revocatio, annullatio, et cassatio duarum Epistolarum Pastoralium bonae memoriae Francisci Episcopi Pekinensis nuper defuncti, die 6 Iulii, et die 23 Decembris 1733 circa ritus sinenses editarum.*

» Clemens Papa XII. *Ad perpetuam rei memoriam.* Apostolicae sollicitudinis Nobis divinitus commissae ratio Nos admonet, ut ea, quae christianae religionis, catholicaeque fidei propagationi ac incrementis, quacumque ratione obsistere posse dignoscuntur, quantum Nobis ex alto conceditur, recidere, ac e medio tollere studeamus. Cum itaque, sicut ad Apostolatus nostri notitiam pervenit, occasione binarum epistolarum, quas Pastorales vocant, bon. mem. Francisci, dum viveret, Episcopi Pekinen. nuper defuncti, die 6 Iul., et 23 Decembris anni 1733 circa ritus sinenses editarum, graves in Imperio Sinarum inter Apostolicos illarum partium missionarios exortae fuerint dissensiones, quae uberes fructus, quos Sancta Mater Ecclesia ex assiduo operariorum in illam Agri Dominici partem missorum labore praestolatur, impedire aut morari possent; Nos, ut pristina inter eos missionarios pax, et animorum concordia, sublatis quibusvis dissidiis, restituatur, de opportuno in praemissis remedio providere volentes, ac epistolarum praedictarum tenores, et alia quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et exacte specificatis habentes, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, qui iussu nostro epistolas ipsas sedulo, ac diligenter examinarunt, consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, binas memorati Francisci Episcopi Pekinensis epistolas pastorales praefatas, ac poenas, et alia quaecumque in eis contenta, cum omnibus et singulis inde secutis, et forsan quandocumque secuturis, penitus, et omnino nulla, invalida, et irrita, nulliusque prorsus roboris, et momenti esse, et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus: et nihilominus, ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus, et abolemus, viribusque, et effectu penitus et omnino vacuamus; ac pro revocatis, cassatis, irritis, nullis, invalidis, et abolitis, viribusque et effectu penitus, et omnino vacuis semper haberi volumus: Nobis insuper, et Apostolicae Sedi reservantes facultatem christifidelibus in eodem Regno degentibus aperiendi nostram, et dictae Sedis mentem, post maturam itidem habitam deliberationem, super aliis rebus, quae huiusmodi materiam respiciunt.

» Decernentes ipsas praesentes Literas etc. »

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 26 Sept. 1735, Pontificatus Nostri anno sexto.

F. Card. Oliverius.

De praedictarum Permissionum examine.

20. Id vero quod idem Pontifex Clemens XII sibi, ac Sanctae Sedi christianis sinensibus declarandum reservavit, erat profecto materia Permissionum, de quibus certior iam factus fuerat, deque maxima inde secuta inter missionarios dissensione; cum alii contenderent, Constitutionem *Ex illa die*, omnem vim suam amittere si Permissiones illae in praxi consistant; alii vero factis palam ostenderent, Permissionum colore se ad praedictae Constitutionis observantiam minime teneri, iuxta illa, quae in ipsa Constitutione praescribuntur. Itaque praefatus Praedecessor noster, quo christianae religionis puritatem, quae in iis regionibus per exactam praememoratae Constitutionis observantiam servanda erat, assereret, et controversiis istiusmodi finem aliquando imponeret, examini perquam diligenti totum Permissionum negotium commisit, ita ut a theologis, tum etiam a Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Sacrae Inquisitioni praepositis, mature serioque discuteretur. Antequam vero supremam de illis sententiam pronuntiaret, ad pleniorem facti notitiam obtinendam, omnes et singulos, quotquot in Urbe existerent, Sinarum missionarios, tum etiam complures iuvenes, qui ex iis regionibus in Eu-

ropam, educationis et christianae rei addiscendae causa, venerant, ad examen super his, servato iuris ordine, vocari iussit.

Permissionum carumdem reprobatio et damnatio.

21. Nos igitur Praedecessoris nostri vestigiis insistentes, eodemque religionis zelo, quo ille, incensi, ut tanti momenti opus, quod ipse morte praeoccupatus absolvere minime potuit, aliquando tandem, Deo auxiliante, perficeremus, Permissiones illas, et quidem singulas, coram Nobis summo studio, ac diligentia examinari curavimus, neque laborem Nostrum tantum, sed Cardinalium quoque et Sacrae Inquisitionis Consultorum doctrinam et consilium exquisivimus; ac tandem satis aperte compertum habemus, antedictas Permissiones nunquam a Sancta Sede probatas, Apostolicae Clementis Papae XI Constitutioni repugnare, atque adversari, utpote quae partim caeremonias ritusque sinenses a praedicta Constitutione proscriptos admittant, ac veluti probatos atque utendos concedant, partim regulis in ipsa traditis ad vitandum superstitionis periculum opponantur.

22. Nolentes itaque, quemquam, ad Constitutionem ipsam summo christianae religionis damno malitiose evertendam, Permissionibus eiusmodi uti, definimus ac declaramus, praefatas Permissiones ita esse habendas, ac si nunquam extitissent, earumque praxim tamquam superstitiosam omnino damnamus, et execramur. Itaque praesentis huius nostrae Constitutionis perpetuo valiturae vi revocamus, rescindimus, abrogamus, atque omni vigore, et effectu vacuas esse volumus omnes illas et singulas Permissiones; easque semper uti cassas, irritas, invalidas, et nullius prorsus roboris, aut vigoris habendas esse dicimus ac pronunciamus.

Declaratio circa Constitutionem Clem. XII.

23. Praeterea cum Clemens Papa XI in Constitutione *Ex illa die* apposuerit haec verba: *Per praemissa nihilominus non vetari, quominus erga defunctos peragi possint alia, si quae sint, quae vere superstitiosa non sint etc.*, Nos dicimus et declaramus ea verba *alia si quae sint* intelligenda esse de usibus, et caeremoniis diversis ab illis, quas idem Pontifex Apostolica Constitutione iam interdixerat, et quas Nos pariter eadem auctoritate configimus, atque interdicimus, ne antedictis Permissionibus, quas omnino damnatas volumus, ullus in posterum locus pateat.

Permissionum usus omnino prohibetur.

24. Districte itaque prohibemus, ne quis Archiepiscopus, aut Episcopus, aut Vicarius, aut Delegatus Apostolicus, aut missionarius, tam saecularis quam regularis, cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, etiam Societatis Iesu, aliorumque, de quibus expressa, et individua mentio fieri debeat, Permissionibus praedictis ullo pacto uti valeat, sive publice, sive privatim, sive palam, sive clam; neque audeat, vel praesumat Constitutionis paulo ante citata verba aliter ac Nos supra declaravimus, alicui explicare, aut interpretari.

Praesentis Constit. observantiam iniung Pontifex ad ctis poenis.

25. Quare ex praedictorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, motu quoque proprio, ac certa scientia, maturaque deliberatione, tum etiam de plenitudine Apostolicae potestatis, Constitutionis praesentis tenore, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, et expresse mandamus omnibus et singulis Archiepiscopis et Episcopis in Sinarum Imperio, aliisque Regnis et Provinciis, sive finitimis, sive adiacentibus, nunc existentibus, aut olim pro tempore futuris, sub poenis suspensionis a Pontificalium exercitio, et ab ecclesiae ingressu interdicti, eorum vero Officialibus, et Vicariis in spiritualibus Generalibus, aliisque eorumdem locorum Ordinariis, Vicariis quoque, aut Delegatis Apostolicis, qui Episcopi non sunt, tum etiam eorum provicariis, et insuper missionariis universis tam saecularibus, quam regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, etiam Societatis Iesu, sub poenis privationis quarumcumque, quibus gaudent, facultatum, et suspensionis ab exercitio curae animarum, tum etiam suspensionis a divinis ipso facto incurrendae absque alia declaratione, demum excommunicationis latae sententiae, a qua non possint nisi a Nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente absolvi, praeterquam in articulo mortis constituti, addita quoad Regulares etiam vocis activae et passivae privationis poena, praecipimus, et districte mandamus, ut omnia et singula, quae in hac nostra Constitutione continentur, exacte, integre, absolute, inviolabiliter atque immobiliter, non modo ipsi observent, sed etiam omni conatu ac studio ea ipsa observari curent a singulis et universis, qui quoquo modo ad eorum curam et regimen spectant; nec colore, causa, occasione, seu praetextu aliquo, huic nostrae Constitutioni ulla in parte contraire, aut adversari audeant, vel praesumant.

Missionari inobedientes Europam revo ri iubet.

26. Praeterea, quoad missionarios regulares cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti ac Societatis quoque Iesu, siquis eorum (quod Deus avertat) exactam, integram, absolutam, inviolabilem, strictamque obedientiam denegaverit iis, quae a Nobis praesentis huius Constitutionis tenore statuuntur ac praecipiuntur; eorum Superioribus tam provincialibus, quam generalibus, in virtute sanctae obedientiae expresse mandamus, ut homines huiusmodi contumaces, perditos ac refractarios a Missionibus absque ulla mora dimoveant, eosque in Europam statim revocent, ac de illis notitiam Nobis exhibeant, ut reos pro gravitate criminis punire valeamus. Quod si praedicti Superiores provinciales, aut generales huic nostro praecepto minus obtemperaverint, aut in eo desides fuerint, Nos contra ipsos quoque procedere non recusabimus, atque inter cetera, mittendi aliquem ex ipsorum Ordine in earum regionum Missiones privilegio seu facultate eos perpetuo privabimus.

Praescribitur va iuramenti mula.

27. Postremo, ut haec nostra Constitutio in suo robore semper integra et firma maneat, volumus quoque, ut ad formulam iuramenti a Clemente Papa XI in sua Constitutione praescriptam nonnulla adiiciantur, quae maxime necessaria putavimus. Idcirco omnes qui praefatae Constitutionis vigore, sub poenis in ea contentis, iuramentum praestare debebunt, in posterum sequenti Formula utentur, videlicet: *Ego N. missionarius ad Sinas, vel ad Regnum N., vel ad Provinciam N. a Sede Apostolica, vel a Superioribus meis, iuxta facultates eis a Sede Apostolica concessas, missus, vel destinatus, Praecepto, ac Mandato Apostolico super ritibus ac caeremoniis sinensibus in Constitutione Clementis Papae XI hac de re edita, qua praesentis iuramenti formula praescripta est, contento, ac mihi per integram eiusdem Constitutionis lecturam apprime noto, plene ac fideliter parebo, illudque exacte, absolute ac inviolabiliter observabo, et absque ulla tergiversatione adimplebo, atque pro virili enitar ut a christianis sinensibus, quorum spiritualem directionem quoquomodo me habere contigerit, similis obedientia eidem praestetur. Ac insuper, quantum in me est, nunquam patiar, ut ritus, et caeremoniae sinenses in Litteris Pastoralibus Patriarchae Alexandrini Macai datis die 4 Novembris 1721 permissae, ac a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV damnatae, ab iisdem christianis ad praxim deducantur. Si autem (quod Deus avertat) quoquomodo contravenerim, toties quoties id evenerit, poenis per praedictas Constitutiones impositis me subiectum agnosco, et declaro. Ita, tactis sacrosanctis Evangeliis, promitto, voveo, et iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

Exhortatio ad ngelicos ope- ios.

28. Confidimus igitur fore, ut Princeps Pastorum Iesus Christus laboribus a Nobis, qui eius vices in terris gerimus, in hoc gravissimo negotio diu impensis benedicat, ut in amplissimis illis regionibus evangelica lux clare nitideque effulgeat, ac praepotenti manu sua sic pia nostra consilia promoveat, ut regionum earumdem Pastores intelligant, planeque sibi persuadeant obligationem, qua ipsi tenentur vocem nostram audire, et sequi. Confidimus quoque, Deo favente, ex eorum cordibus inanem illum metum sublatum iri, ne videlicet per exactam Pontificiorum Decretorum observantiam infidelium conversio retardetur. Nam haec a divina gratia sperari potissimum debet: quae quidem ab eorum ministerio longe non aberit, si christianae religionis veritatem impavide praedicaverint, atque ea puritate, qua ipsis ab Apostolica hac Sancta Sede tradita est, parati quoque ad eam propugnandam sanguinem effundere, exemplo sanctorum Apostolorum, aliorumque christianae fidei clarissimorum propugnatorum, quorum sanguis tantum abfuit, ut Evangelii cursum interciperet, aut retardaret, ut potius Vineam Domini florentem magis, et fidelium animarum copiosiorem effecerit. Nos quidem pro viribus nostris Deum obsecrabimus ut invictam illis hanc animi firmitatem, et apostolici zeli robur concedat. Verum ad eorum memoriam deducimus, ut quando ad sacras missiones destinantur, se tamquam veros Iesu Christi discipulos cogitent, et ab eodem se missos fuisse, non ad gaudia temporalia, sed ad magna certamina; non ad honores, sed ad despectiones; non ad otium, sed ad labores; non ad requiem, sed ad afferendum fructum multum in patientia.

29. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis etc. Clausulae.

340

De concursu et examine pro parochis eligendis.

Const. Bened. PP. XIV *14 Dec. 1742.* — Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia catholica, ne indignis quibusque, et extra sacerdotale meritum constitutis, cura animarum et dominici gregis custodia crederetur; quia totius familiae status et ordo nutat, si quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: hinc canonicis sanctionibus, ac praesertim Sanctae Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset ut de illorum supra alios provectione ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio, nefas esset dubitare. Quia vero perniciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem; sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiae parochiales aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur; san. mem. Innocentius XI praedecessor noster erroneam doctrinam a vera et sincera patrum mente longius deflectentem damnavit et edocuit, quam prudens ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

Solerti habita inquisitione, dignior eligendus.

Ad tramites idcirco eiusdem Sanctae Synodi, usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab Ordinario conferenda sit, concursum institui, ut, habita in eo de cuiuslibet aetate, moribus, doctrina et sufficientia, solerti inquisitione, Episcopus eligat quem caeteris magis idoneum iudicaverit.

Appellatio iniuste reiectis permissa.

At quia contingere quandoque potest, quod favore, vel gratia, vel minus aequo iudicio, minus digni dignioribus praeponantur, san. mem. Pius V noster praedecessor, ne quid in huiusmodi electione esset inordinatum, atque praeposterum, edita saluberrima constitutione,

licere voluit iniuste in concursu reiectis, interposita ad Metropolitanum, vel Episcopum viciniorem, vel Sedem quandoque Apostolicam appellatione, praeelectum ad novum examen provocare, et ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, si ita ius esset, vindicare. Et ne frivolae appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa, aut quoquo modo retardata praeelecto ab Ordinario parochialis ecclesiae possessione.

Abusus huiusmodi appellationum.

Consultissimae huiusmodi leges eum in finem institutae, ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes praeferantur emeritis, violatae sunt hominum fraude et malitia, ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim reiecti, ab Ordinario, dictae constitutionis obtentu, in vocem appellationis facile prorumpere, et, minus legitima concurrente causa, electos ab Episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque praeterea, relicta gregis et ecclesiae custodia, longum iter arripere, et diuturni laboris, temporis et pecuniae impensa exhaustos, litem in secunda, tertia et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

Infelix aliquando iudiciorum exitus.

Quin etiam experientia compertum est, magno iustitiae detrimento litem ipsam absolvi. Quandoquidem ii, qui examini se subiecerant, atque in primaevo concursu, utpote legitimarum institutionum nescii, reiecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam litteris et industria navantes operam, praeferri aliis merebantur, et acerbe succensebant Episcopo, iudici quidem adeptae, non autem adipiscendae peritiae, per iniuriam se fuisse reiectos.

Remedia ad mala in re de qua agitur, avertenda.

Hinc apud bene moratos homines et iustitiae vindices, frequens querelarum occasio: quibus sedandis cum Congregatio Conc. Trident. interpres omne studium diligentiamque conferret; nobis, qui secretarii munere fungebamur, mandatum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, ingruentis mali originem, et apta eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re nostros explicantes, vitio potissimum laborare comperuimus praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis consignati: electi siquidem ad curam animarum ab Ordinario collatore, et ad iteratum examen coram alio iudice provocati, ius legitimne collationis tueri non poterant certo ac permanenti testimonio iam probatae idoneitatis; sed a novi examinis alea, subeunda coram iudice appellationis, gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi iustitiae detrimento recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium iudicem, nullo exhibito indebitae reiectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelae occurri posse censuimus, si certa primum, et apte disposita habendi examinis forma praescriberetur; si quaestiones examinatis propositae, et consentaneae illorum responsiones, totaque rei gestae series in scriptis redigetur; et si acta demum totius concursus ad iudicem appellationis integra asportarentur.

Inita a nobis consilii ratio non solum arrisit Congregationi, illam die 16 Nov. 1720 ratam habenti; sed, etiam pontificii iudicii accessione roborata fuit a Clemente XI ecclesiasticae disciplinae vindice, et assertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio, et diligentia exequerentur, iis datae sunt die 10 Ianuar. 1721 opportunae literae nostro calamo exaratae, eiusdemque Pontificis sensu et oraculo comprobatae, quarum tenorem, etsi alias praelo commissum, et insertum in Bullario dicti Clementis praedecessoris nostri, congrue hic duximus referendum:

Epistola Sacrae Congr. Concilii

« Reverendissime Domine uti frater. Quo parochiales ecclesiae dignioribus personis gubernandae traderentur, statuit, ut notum est, Sacrosancta Tridentina Synodus sess. 24, c. 18, ut, vacante ecclesia parochiali, indiceretur, et fieret concursus; ac, postquam concurrentes ab Episcopo, vel eius Vicario generali, atque ab examinatoribus synodalibus saltem tribus, examinati, approbati essent, Episcopus eligeret, quem aetate, moribus, doctrina, prudentia, aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam necessariis et opportunis, digniorem caeteris, magisque idoneum iudicaret. Adiecitque ad hanc Concilii sanctionem validius confirmandam, re et nomine SSmus Pontifex Pius V, quod, si unquam Episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possent ii, qui reiecti essent, a mala eiusmodi electione ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicae delegatum, vel alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice, et eius examinatoribus, provocare; ea tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet; quemadmodum in eius Constitutione, quae trigesima tertia est, latius cavetur; concludendo, quod, constito de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, parochialis ecclesia magis idoneo conferatur.

Cum autem neque Concilii decreto, neque Pontificis Bulla, examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda proponatur; difficile dictu est, quanta examinum, aliorum alibi diversitas, extiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi, cum non eaedem omnibus quaestiones, non iidem casus propositi fuissent: erant identidem, qui, vel in iudicio, vel extra conquererentur, sibi quidem postpositis difficiliores, praeelecto

autem faciliores ad solvendum quaestiones obtigisse. Alibi vero eaedem quidem omnibus quaestiones propositae fuerunt, sed neque hae, neque datae a concurrentibus responsiones, scripto, seu litteris consignabantur. Cumque postmodum, nec raro contingeret, ut e postpositis quispiam, iure Bullae supradictae, novum ad examen coram iudice appellationis, eiusque examinatoribus, electum provocaret: S. Congregatio usque ab anno 1603 considerans gravamen non alia ratione, quam novo examine, probari posse; provocationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine nec dum probato, et requisitis tantummodo probationibus in subsequenti iudicio: in quo, probato, per novum examen appellantis, gravamine quoad doctrinam, probanda superest eiusdem prae iam electo in reliquis ad regendam ecclesiam requisitis praestantia, ut de maiori alterutrius ad parochialis ecclesiae gubernium idoneitate sententia ferri possit; cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam Sacrae Congr. sententiam scriptores et tribunalia laudarunt. Aliis demum in dioecesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eaedem omnibus quaestiones, iidemque casus proponantur; ac (ne qua detur ansa cancellario quidquam suo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet concurrentes, qui interrogati fuerint, quaeque responderint, sua manu perscribant.

Atque Ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, Sacrae deinde Congr. etiam atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui sic examinati essent atque postpositi, in posterum, ut solent, appellantibus, indulgenda nec ne statim electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis praerequisita probatione, videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinae facile alioquin probare possent; quod alii aliter nimirum examinati, probare, nisi secundo, seu novo, examine, non poterant. Nec defuere alii probitatis ac peritiae in administrandis diu ecclesiis laude praestantes, qui monerent, fraenum aliquod huiusmodi appellantium licentiae tandem iniiciendum, eorumque iam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippe quae vix unquam sine magno ecclesiarum damno contingunt. Nam, cum novum examen coram iudice appellationis longe procul a parochia peragendum sit, electus ab Episcopo, qui provocatur, parochiam, quam possidet, cogitur interea temporis deserere, eamque oeconomo, vel vicario cuipiam, veluti sponsam ignotis custodibus, relinquere, sponso non parumper, sed diu, sane abfuturo; dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam vel quaterna alia ex aliis examina, super praestantia primum doctrinae, tum deinde aliorum quae ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit utri concurrentium parochia sit adiudicanda.

Ad tollendam eiusmodi non minus querelarum quam incommodorum occasionem, Sacra Congregatio Conc. Trid. interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina sessione 1 Octobris et 16 Novembris 1720 summo studio recognovit, tandem, SSmo etiam annuente, statuit (quod per praesentes litteras encyclicas exequitur) omnes et singulos Episcopos aliosque praelatos, penes quos sit ius et auctoritas faciendi concursum, hortari, ut examen eiusmodi instituere non graventur, quale iam et multae dioeceses et Urbs ipsa observat, atque Apostolica etiam Dataria postulat; sive cum, Sede vacante, vacat ecclesia aliqua parochialis, cuius collatio ad Sedem Apostolicam pertineat; sive cum vacat parochialis aliqua, ut dicitur, iuxta decretum; sive demum, cum, vacante in collegiatis aut cathedralibus ecclesiis dignitate aliqua maiori, annexam habente curam animarum, faciendus est concursus, atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est, atque in litteris, quae de ordine Sanctissimi tunc a Dataria prodeunt, clare praescribitur.

Methodus servanda in concursu ad paroecias.

Vacante itaque ecclesia parochiali, quae conferenda sit per concursum, atque hoc solitis formulis indicto, haec quae sequuntur, ex Sacrae Congr. sententia, consilio, suasione, servanda proponuntur:

1. Primum nempe, ut assignentur eaedem omnibus concurrentibus quaestiones, idem casus, idemque textus Evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

2. Alterum, ut casus et quaestiones resolvendae dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore textus Evangelii tradatur.

3. Tertium, ut certum, idemque omnibus, spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant, quaestionibus respondeant, conciunculam componant.

4. Quartum, ut eodem concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia), nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint et exhibuerint.

5. Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant, subscribantque.

6. Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea, quae ad populum haberi solet, lingua scribatur.

7. Postremum, ut unumquodque responsum, et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non solum ab

eo qui scripsit, atque a cancellario concursus, verum etiam ab examinatoribus, et ab Ordinario, vel eius vicario, qui concursui interfuerint, scribatur.

Post electionem quomodo admittenda appellatio.

Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei, qui magis idoneus ac dignior iudicatus fuerit, ecclesia parochiali, non admittatur appellatio, aut a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.

Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, actaque concursus petat ad iudicem appellationis transferenda; mittantur vel acta ipsa originalia concursus clausa et obsignata, vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a cancellario concursus, atque altero notario collatum et auscultatum coram vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat Ordinarius, ad quem etiam notarii cancellario adiungendi electio pertinebit; necnon ab examinatoribus synodalibus, qui concursui interfuerunt subscriptum.

Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut praemittitur, examinatus, aut a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a sacra Congregatione frustra postulabit.

Quemadmodum et in iudicio appellationis persequi ius suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quod reliqua, nisi, interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili iudicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex actis primi concursus, vel saltem ex attestationibus et documentis, extraiudicialibus etiam, sed non levibus.

Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, et Sanctissimus assensit.

At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, concurrentium examina instituere perrexerit, perget et Sacra ipsa Congregatio more pristino appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis praevia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum literarum memoria dilabatur, vult eadem sacra Congregatio, eas in uniuscuiusque Ordinarii cancellaria perpetuo conservari. Cuius interea tum consilium, tum voluntatem, dum ergo omnibus significo Amplitudini tuae fausta omnia e coelo precor. Romae hac die 10 ianuarii 1721.

Amplitudinis Tuae

Uti Frater

P. M. Card. Corradinus Praefectus
P. Lambertinus Secretarius. »

De praemissarum legum utilitate.

Quantum recte dispensandis ecclesiasticis muneribus, administrandae iustitiae, componendis dissidiis, continendisque in officio clericis proficeret saluberrima praemissarum legum institutio, satis superque experientia comperuimus, cum Anconitanam primum ecclesiam, ac deinde Bononiensem sponsam nostram, paterna caritate cominus amplecteremur. Freti siquidem dictarum legum praesidio, digniores parochiis et curae animarum praefecimus: tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum minus digno celsioris loci praemium, vel minus iuste alteri credita vacantis ecclesiae gubernacula.

Nonnulla praefatis litteris addenda.

At, quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Episcopis contigisse; imo non deesse, qui privatis abrepti studiis, saepe declinare, ac redarguere iudicium episcopale praesumant: Nos propterea, solliciti de implendis, prout decet, muneris nostris partibus, nonnulla praefatis litteris addenda, nonnulla vero tacite breviterque ibidem tradita, clarius explicanda censuimus, ut recte omnia atque ex ordine peragantur.

Quid attendendum quoad concurrentium idoneitatem.

Moerentes igitur audivimus, quod in plerisque dioecesibus etsi recepta sit laudabilis firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen concurrentium, nihilominus examinatorum suffragia in sola litterarum peritia versantur, nec illorum exequitur sententia de clericorum aetate, institutione, gravitate, et honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, et an tales demum sint, qui oves suas verbo et exemplo iuvare possint. Quam devia sit huiusmodi praxis a Tridentini semita, is plane intelliget, qui expendet verba relata cap. 18, sess. 24, *de Reformat.*: *Peracto deinde examine, renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis.* Idque probe noscens Congregatio eiusdem Concilii interpres, pluries edixit, examinatores deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent, qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito antea ecclesiae obsequio, caeterisque dotibus ad officium parochi cumulate obeundum necessariis, essent idonei et commendabiles.

Absoluto examine, ut cuique satis compertum est, sit tantummodo potestas examinatoribus renuntiandi quotquot regendae ecclesiae idoneos iudicaverint, reservata uni Episcopo electione dignioris, quemadmodum sancitum est a Tridentino illis verbis: *Ex hisque Episcopus eligat, quem caeteris magis idoneum iudicaverit.* At si quem clericorum forte contigerit, appellare a mala relatione examinatorum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore solerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quae pastoris congruant officio:

ordo iudicii secumferet, ut etiam iudex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinae indagine immoretur: nec sine gravi animarum detrimento et disciplinae iniuria praeficiatur ecclesiae, qui litteris magis posset, licet caetera minus aptus et quandoque indignus; contra vero arceatur ille, qui, licet impar doctrinae merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno ecclesiae famulatu, ac multiplici virtutum laude praecellit.

Factum praeterea satis extirpandis abusibus non videtur, si tam Episcopus, quam examinatores, coniunctis studiis, industriae nervos omnes intenderint in conferenda concordi iudicio ecclesia personae, quae licet scientia et litteris alteri concedat, maiori tamen caeterarum qualitatum eminet ornamento; siquidem postpositus, suae nimium fidens doctrinae, ab irrationabili iudicio Episcopi non raro appellat; causaque ad iudicem appellationis delata, idem totus est in perquirenda maiori doctrina, ac reparando gravamine litterato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quae in appellante desiderantur: lugentque ut plurimum vigiles ecclesiarum Antistites exitum huiusmodi appellationis, intimeque dolent, parochias doctis, non aptis pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

At si iudex etiam appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens scientiae, quantum satis, maiori et accuratiori examine inquirat, qui mores hominum sint, quae gravitas, prudentia, qui suscepti antea labores, quae virtutum specimina, quae demum totius anteactae vitae ratio, pascendo gregi consentaneae: tot iudici exhibentur attestationes ab appellante ex industria collectae, ut, revocato episcopali iudicio, tamquam irrationabili, non vereatur iudex succurrere eidem appellanti, quem tam copiosa tamque conspicua probitatis adiuvant documenta.

Demum cum praecipue Episcopis, tamquam in specula constitutis, pateant subditorum excessus, contingere solet ut in concursu, tam inspecta scientia, quam moribus, ille idoneus ab examinatoribus renuntietur, cui foeda aliqua vitii labes, ac criminis macula inusta sit, omnibus, praeterquam Episcopo, occulta: si Episcopus, iusta suadente causa, crimine non revelato, eumdem criminosum tacitus praeterierit, aliumque immunem a sorde praeelegerit, illico postpositus, simulato gravamine, provocat ad superiorem iudicem criminis ignarum, et consueto diffugio appellationis evehitur ad pastorale fastigium, qui non potest consulere populo, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen.

Ne igitur improbi ingenii homines remedium appellationis, ad iustitiae praesidium institutum, calide traducant ad iniquitatis defensionem: optimum factu aliquibus fortasse videretur, si, appellatione quavis sublata, cura praeficiendi rectores animarum prorsus relinqueretur Episcopis, rationem villicationis suae Christo iudici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti Concilii Tridentini, tacite permittentis appellationem in devolutivo a mala relatione examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: *Nec praedictorum examinatorum relationem, quominus executionem habeat, ulla devolutio et appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive eiusdem Sedis Legatos, aut vice-Legatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interposita impediat, aut suspendat.* Cui sanctioni respondet etiam constitutio Piana, admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili iudicio Episcopi.

Gerendarum rerum in negotio, de quo agitur, ordo praescribitur.

Qua de re, ut in huiusmodi negotio apte omnia atque composite peragantur, officii nostri esse duximus, eum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem praescribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi praeesse, et prodesse possint.

De concursu indicendo.

1. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae, statim, ad praescriptum Tridentini, idoneum in ea deputet vicarium, cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore pro videatur.

2. Publico evulgetur edicto notitia concursus, congruo et ab Episcopo praefinito tempore celebrandi: eodemque edicto omnes clare et aperte moneantur, ut interim decurrente assignato, coram cancellario episcopali, vel altero ab Episcopo deputando, suarum qualitatum, meritorum et munerum probationes, attestationes tam iudiciales, quam extraiudiciales, aliaque id genus documenta, quae fraude vacent, exhibeant. Alioquin, dicto termino elapso, documenta huiusmodi, quaecumque et qualiacumque ea sint, nullatenus recipientur.

3. Eveniente die concursus, a cancellario episcopali singulorum merita, qualitates et requisita, (ut vocant) incorrupta fide deprompta a iuribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur: porro copia epitomes tradetur non solum Episcopo, vel Vicario generali vices illius obeunti, sed sigillatim omnibus examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendae ecclesiae necessariis dotibus ferant iudicium.

Quid in examine attendendum.

4. Die praestituta ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis litteris anno 1721 editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleatur. Porro examinatores, ad assequendam certam et indubiam coniecturam scientiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo explicandoque

oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a SS. Patribus, vel a sacro Concilio Tridentino, vel a Catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehenderint qua quisque polleat gravitate sententiarum, elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata, et textui evangelico, vel alteri dato themati accommodata, parem, ni forte maiorem, solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisce omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuntient.

De electione ab Episcopo facienda.

5. Absoluto concursu, ab Episcopo, vel, eo impedito, a vicario generali unacum examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus, notula compendiaria requisitorum antea distributa tradatur cancellario, qui illam comburat, vel penes acta secreto custodiat, et nemini ostendat, nisi de mandato Episcopi, vel eius vicarii generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem, nec illi possessio, ullo appellationis vel inibitionis obtentu, retardetur.

Quid servandum in casu appellationis.

6. Si quem clericorum appellare contigerit a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi: coram iudice appellationis acta concursus integra omnino producat; et iudex, nisi illis visis et gravamine comperto, sententiam non pronunciet. Praeterea in ferenda sententia ac reparando gravamine, idem iudex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis, tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione, usque ad diem habiti concursus, tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessaria iuribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis; idcirco, ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus, ac districte mandamus, ne dd. attestationes, fides tam iudiciales quam extraiudiciales, et documenta quaecumque studiose conquisita, et post concursum, ut aiunt, expiscata, ullo modo recipiantur. Non obstantibus supra memoratis litteris a Congregatione Concilii Tridentini interprete anno 1721 editis, quibus, ad praemissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.

7. Ubi vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere iudici appellationis notam; familiaribus litteris iudicem certiorem efficiat, inviolabilis secreti lege adiecta. Nemo sit, qui hanc praxim nostrae tribuat solertiae, cum illa profluat a Tridentini decretis. Sessione etiam 24, cap. 20, *De reform.* ita disponitur: *Praeterea si quis in casibus a iure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias, ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre,* eodem tamen Episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causae instructione videbitur, possit iudici appellationis significare.

Et quamvis iure Nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi iudicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate obsoleverit, et a foro recesserit; attamen Episcopus (ut dictum est) si ex causa sibi tantum, et non aliis nota, quae tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit; illam iudici appellationis, datis secreto litteris, denunciet, et aperiat. Sciant porro iudices, delatas ab Episcopo causas, et rationes, inviolabilis secreti fide esse custodiendas, nec parvipendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio, oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suae non minus, quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterriti divini interminatione iudicii, odio vel favore moveantur; et in sacrorum canonum singularem iniuriam, *dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.*

Si vero Episcopo fuerit suspecta fides iudicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit huiusmodi occulta rationum momenta: illa significet secretis litteris S. R. E. Cardinali Praefecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quo minus a iudice appellationis debitus iustitiae locus tribuatur.

Praeterea quia aequitati etiam convenit, causas appellationis, quae magno litigantium dispendio, et ecclesiae pernicie, immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari: idcirco ubi a iudice appellationis lata sit sententia, quae praeelectioni factae ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novae appellationi aditus, sed auctoritate rei iudicatae controversiae finis imponatur. Sin vero iudex appellationis aliter, quam Ordinarius, pronunciaverit; liceat praeelecto ab Episcopo, qui causa cecidit, ad alium iudicem appellare, firmiter interim retenta parochialis ecclesiae possessione. Tandem postquam tertius quoque iudex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis, praesertim quia agitur de cura animarum, cui damnosum est certi pastoris destitui solatio;

is legitimum regendae ecclesiae ius obtineat, cui duae conformes assistunt sententiae, nec ullum novae appellationis remedium succumbenti suffragetur.

His sane regulis, quamvis appellatio sublata non sit, satis tamen praesidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticae disciplinae, ac recto gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hactenus media debitae executioni mandentur; eumque in scopum locorum Ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset, ad nostri apostolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac submovendis abusibus novas implorari leges, ab iis, qui iam praestitutas negligunt et contemnunt.

Quid in casu beneficii parochialis a Sede conferendi.

Demum cum non raro contingat ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus, aliaque beneficia curam animarum habentia, a Sede Apostolica esse conferenda; vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictae Sedi reservata sint; nos praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, praecipimus et mandamus, ut uno vel altero eveniente casu, concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia, quam nostris hisce litteris sibi tributam Episcopi intelligant.

Absolutio concursu, si res sit de beneficiis curatis, *quae tantum ratione mensium reservata sint,* Episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et Datariae significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, *ex alio quovis capite, quam mensium apostolicorum,* Sanctae Sedi reservata sint; eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo dignioris iudicio, et acta concursus ultro Datariae exhibeat.

Licebit tamen Ordinariis pro suo arbitrio, familiaribus litteris Datario scriptis, eidem denunciare personam, quam censent regendae ecclesiae magis idoneam, eumdemque commonere, an occulta aliqua, et in actis iuste reticita subsit causa, quae cuipiam obstet ad beneficium curatum obtinendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium principe et magistra, luculento edocebimus exemplo, quanti faciendum sit episcopale iudicium, quantoque Vos honore prosequamur, Venerabiles Fratres, in partem sollicitudinis evocatos, quibus interim apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die 14 decembris 1742, pontificatus nostri anno tertio.

341

Facultates Vicariis capitularibus concessae.

Litt. Encycl. S. C. de Prop. F. *1743.* — Quamvis in calce Formulae facultatum, quae ab Apostolica Sede singulis Archiepiscopis et Episcopis Indiarum tam orientalium quam occidentalium, concedi solent, expresse legatur eorum unicuique tributa potestas easdem facultates communicandi non tamen illas, quae requirunt Ordinem episcopalem, vel non sine sacrorum Oleorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis, qui in eius dioecesi laborabunt, et praesertim tempore sui obitus, ut Sede vacante sit qui possit supplere donec eadem Sedes Apostolica certior facta alio modo provideat; nuperrime tamen huic Sacrae Congregationi de Propaganda Fide innotuit, non semel contigisse quod nonnulli ex praefatis Antistitibus, vel inopina morte praerepti, vel, memorata potestate non attenta, e vivis excesserint, antedictis facultatibus nemini delegatis. Cumque ex eiusmodi praetermissa communicatione, sicut eidem Sacrae Congregationi relatum est, plurima et non levia incommoda illarum dioecesium animabus obvenerint, propterea quod, durante tempore sedis vacantis, aut saltem donec supervenerit Apostolica provisio, nemo fuerit qui earum indigentiis posset pro opportunitate subvenire, et potissimum quoad dispensationes matrimoniales, adeo ut eam ob causam plerique, peccatorum vinculis miserrime alligati, promptoque destituti remedio, non sine evidenti aeternae salutis discrimine interierint; hinc est, quod Sanctissimus Dñus Noster Benedictus divina providentia PP. XIV, populorum illorum ab hac Sancta Sede remotissimorum incolumitati, eorumque animarum necessitatibus, pro pastoralis officii sui cura prospectum esse cupiens, de Eminentissimorum Patrum in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum consilio benigne indulsit, ut in posterum, quoties praefatarum Ecclesiarum pro tempore Antistes decesserit non communicatis facultatibus in antedicta Formula contentis, et cum limitationibus in ea expressis, alicui idoneo probatoque sacerdoti, ab illo exercendis quamdiu archiepiscopalis seu episcopalis sedes vacua fuerit, et usque ad novam provisionem apostolicam, ut supra; in eo tantum casu, et non aliter, Vicarius capitularis legitime electus illas libere et licite, et intra fines dumtaxat illius dioecesis, exercere tamquam delegatus possit et valeat, iis tamen exceptis, ad quarum usum episcopalis Ordo requiratur; superaddita quoque eidem Vicario capitulari potestate consecrandi, quandoque necessitas urgeat, calices, patenas et altaria portatilia, cum Oleis sacris iam ab Episcopo benedictis. Mandatis itaque Sanctitatis Suae eo, quo par est, obsequio obtempe-

rando, de hac pontificiae sollicitudinis et providentiae gratia Amplitudinem Tuam encyclicis hisce literis commonitam facimus, eum in finem, ut easdem, vel authenticum earum exemplum in capitulari archivo asservandas seu asservandum canonicis et capitulo tuae istius Metropolitanae, sive episcopalis Ecclesiae, statim ac illas acceperis, extradere et notificare non praetermittas, ut quotiescumque memoratus casus evenerit, qui facultates praedictas in bonum istius dioecesis exercere valeat minime desit (1).

342

De relationibus circa missionarios S. Congregationi exhibendis.

S. C. de Prop. F. *13 Martii 1743* (C. G.). — S. C. iustissimis de causis adducta constituit ne Procuratoribus missionariorum regularium consueta pecuniae subsidia persolvantur nisi prius certo documento ostenderint, atque exhibuerint numerum missionariorum, qui revera in missionibus obeundis occupantur.

Insuper eadem S. C. censuit ac decrevit Litteras Encyclicas dandas esse Praefectis Missionum ut singulis annis describant numerum missionariorum, qui ipsis subiecti sacras missiones exercent, et etiam de illorum moribus, integritate vitae et diligentia sincerum testimonium ad S. C. transmittant.

Denique iussit commendari magnopere, ac praecipue Episcopis et Vicariis Apostolicis, ut curam faciant S. C. si aliquis fortasse ex missionariis muneri suo minime satisfaciat, vel suis moribus et exemplis offensionem et scandalum praebeat.

343

De nonnullis observandis circa matrimonii celebrationem et denunciationes.

Ex Litt. Apost. Bened. PP. XIV. *18 Maii 1743* (ad Episcopos Poloniae)... — Munus, quod ad proprium parochum iure spectat, interessendi matrimoniis celebrandis, per se ipse parochus, nisi legitima gravissimaque de causa impeditus, obire tenetur.

Onus pariter proprio parocho iniunctum est ut, antequam denunciationes de ineundo matrimonio publice in ecclesia inter Missarum solemnia fiant, ipse tum sponsum, tum sponsam seorsim caute et, ut dicitur, ad aurem explorare studeat an ex voluntate, sponte ac libenter, et vero cum animi consensu in matrimonium vicissim coniungantur; nec non ut, quantum fieri potest, inquirere nitatur ullumne et cuius generis impedimentum inter contrahentes intercedat; aliisne fidem sponsionemque alter ex contrahentibus dederit; an de consensu parentum filii filiaeque familias contrahant. Haec, aliaque huiusmodi momenta postquam parochi accuratissime exploraverint, si aliquod eorumdem momentorum sive deficere aut nocere posse deprehenderunt, suspensis interea denuntiationibus, illud, quod obstare possit, deferre tenentur ad proprium Antistitem, qui, prout res postulaverit, pro auctoritate munerisque sui debito, opportune provideat. — Quod si parochi nihil quod denuntiationibus publice et de more faciendis obstet, tuto animadverterint, tunc illas per tres festos dies continuos in ecclesia inter Missarum solemnia, iuxta tam Concilii Lateranensis sub fel. record. Innocentio Papa III. praedecessore nostro, quam Concilii Tridentini praescriptum, proponent, ut impedimentum, si quod prius resciri non potuerat, ab interessentibus auditoribus indicetur.

Etsi autem Antistites super ovibus sibi commissis vigilias, ea, quam ante diximus, salutari ratione, custodientes, non ignorant, matrimonium coram quolibet sacerdote non parocho, facta illi copia, dataque licentia, sive a proprio parocho, sive a loci ordinario Antistite, validum esse, auctoritatemque super denuntiationibus dispensandi, atque ut una pro tribus, et ne una quidem, urgente legitima gravissimaque causa, denuntiatio fiat, permittendi, se habere; tamen diligentissime cavent, ne ad libitum hac sua auctoritate, tum super denuntiationibus dispensandi, tum cuilibet potius sacerdoti, quam proprio parocho facultatem, ut in contrahendis matrimoniis interesse possit, committendi, nisi ubi ineluctabilem necessitatem ita exigere animadverterint, utantur. Immo cum, ut praemissum est, commissionem huiusmodi necessario dandam esse perspexerint, eam non statim, sed postquam ex adhibitis diligentiis, acceptisque certis notitiis, sibi tuto constiterit nullum inter contrahentes interponi impedimentum, impertiuntur.

Quoad dispensationem vero super denuntiationibus, semper prae oculis Concilii Tridentini decretum de reformatione matrimonii habentes, apertissime intelligunt, facultatem in huiusmodi dispensationibus effraenatam immoderatamque sibi nullatenus inesse, sed facultatem ad prudentiae rationem, legitimarumque causarum emergentes occasiones dirigendam, eaque caute uti, ita ut hac in re semper recitent haec eiusdem Concilii Tridentini verba: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot, nempe tres praecesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem parocho et duobus, vel tribus testibus praesentibus, matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur.*

(1) V. Constitutiones Bened. XIV. *Ex sublimi* (26 Ian. 1753) et *Quam ex sublimi* (8 Aug. 1755).

344

Quibus competat denominatio *Missionarii Apostolici*.

S. C. de Prop. Fide *19 Augusti 1743* (C. G.). — Denominationem *Missionarii Apostolici* non competere nisi alumnis Collegiorum Pontificiorum, aliisque sacerdotibus ad Missiones exercendas deputatis per speciale decretum Sacrae Congregationis.

345

Const. Bened. PP. XIV. *2 Febr. 1744.* (Pro regno Serviae aliisque finitimis regionibus). — Inter omnigenas calamitates, quibus Exordium. Ecclesiae filii sub infidelium dominatione degentes undique oppṛimuntur, quibusque omnibus paterna charitate compatimur; non aliae magis animum nostrum sollicitant, atque urgent, quam quae sunt eius generis, unde animabus Christi sanguine redemptis perditionis occasionem oriri, et Catholicae Fidei, disciplinaeque integritati detrimentum inferri posse veremur. Ex quibus cum illae, quas in Serviae regno sub durissimo turcarum iugo iamdiu sustinetis, Venerabiles Fratres, dilecti filii, multis ex partibus alias ad aures nostras pervenerint; tum vero novissime per Venerabilem Fratrem Ioannem Baptistam, electum a Nobis, et constitutum Archiepiscopum Scopiae distinctius expressae, ac pene ob oculos nostros expositae, incredibili Nos dolore affecerunt. Licet enim inter gravissimas vexationes, et persecutiones ab infidelium crudelitate, et schismaticorum odio illatas, assiduam Pastorum istius Regni vigilantiam, ac sollicitudinem in proprios greges, firmamque populorum in fide ac pietate constantiam commendare, immo et admirari debuerimus; plures tamen dolendi causas Nobis attulerunt, tum nonnullorum ex illis infracta, et fluctuans, vel etiam arbitraria, in maximi momenti rebus, agendi ratio; tum invecta inter plerosque fideles, ex alienigenarum consortio, morum, ac disciplinae corruptela; praesertim vero turpis christianae professionis occultatio, ad infidelitatem accedens, qua plures in istis regionibus uti, temporalium damnorum timore, perhibentur.

Nonnulli abusus contra fidei integritatem et ecclesiasticam disciplinam.

Debuerant quidem pleraque ex iis, quae contra fidei et morum puritatem inter istarum ecclesiarum fideles irrepsisse dicuntur, vel anteverti, vel introducta corrigi, atque emendari, per satis notas Pontificii et canonici iuris sanctiones, et per Apostolicae Sedis decreta per organum Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum saepius emanata; potissimum vero per ea, quae statuta fuerunt in Albano Concilio, quod sub fel. recordat. praedecessore nostro Clemente XI., ab istius Regni primate pro universo clero, et populo Albaniae, et Serviae, indictum, et celebratum fuit. Ideoque praedictas omnes iuris ecclesiastici, et Sedis Apostolicae leges Vobis omnibus in memoriam revocantes, earumque studium, et observantiam impense commendantes; praedictum Concilium Albanum vestris praecipue rebus, ac temporibus accommodatum, et opportunum, omnino teneri, ac per omnia observari praecipimus; volentes, ut omnes istius Regni Archiepiscopi, Episcopi, parochi, et missionarii, et reliqui animarum curam habentes, aliquod illius exemplar apud se habeant, atque ad illius normam suos, et populorum mores exigere studeant, et conformare. Attamen ut graviores abusus ad fidei, morum, ac rituum integritatem pertinentes, quae ex istis regionibus ad nostram notitiam in specie pervenerunt, penitus tollantur, ac perpetuo eliminentur, postquam eosdem accurate, ac diligenter per nosmetipsos perpendimus, examinavimus; ea, quae sequuntur, decreta, non sine Venerabilium Fratrum nostrorum consilio, perferre, ac vobis denunciare statuimus; quorum dispositiones a vobis omnibus, ad quos attinet, utpote utiles, ac necessarias, libenter amplectendas esse in Domino confidimus; et nihilominus auctoritate Apostolica exactissime impleri, et custodiri mandamus.

Decreta S. C. de Prop. Fide et Concilii Albani.

Alia iniungit Pontifex.

1. Ordientes itaque a negociis fidei, sine qua impossibile est placere Deo, omnibus et singulis istius regni fidelibus, qui Ecclesiae catholicae communionem retinere cupiunt, districte praecipimus atque iubemus, ut caveant, ne ad occultandam, quum licitum et necesse est aliquando, christianae religionis professionem, aliqua faciant, aut admittant contra evangelica praecepta, et instituta; praesertim vero, quae protestationem includunt mahumeticae sectae; ideoque si circumcisionem susceperint, sciant, quod Christus ipsis, Apostolo attestante, nihil proderit. Nomina turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumere: abominanda infidelium templa, quae moschaeas vocant, frequentare: ecclesiasticorum ieiuniorum dies carnium esu profanare, et haec eo fine, ut mahumetani credantur, prorsus devitent. Haec enim omnia, etsi fides Christi in corde teneatur, fieri nequeunt, sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati christianae contraria, quae mendacium in re gravissima continet, et virtualem fidei negationem, maxima cum Dei iniuria, proximique scandalo, includit.

Contra illicitam fidei occultationem.

De circumcisione.

De nominibus turcicis.

De accessu ad moschaeas.

De vetito esu carnium.

2. Multo vero magis, quum a publica potestate interrogantur, illicitum sibi esse sciant mahumeticae sectae se addictos profiteri; sed illud noverint esse tempus, quo eos oportet, sumentes scutum fidei, non solum corde credere ad iustitiam, sed etiam ore Christum confiteri ad salutem; alioquin si eum coram hominibus negare ausi fuerint, et ipse negabit eos coram Patre suo.

Illicitum fidelibus se profiteri mahumetanos.

Nefas cadavera more turcarum sepelire.

3. Impius pariter, et illicitus est illorum Serviae christianorum abusus, qui, ex hac vita migraturi, cadavera sua turcarum sepulturis mandari cum istorum assistentia, et mahumeticis adhibitis ritibus permittunt, aut iubent. Etenim si Christum in vita erubescere minime debent, quanto minus quum eiusdem tremendo iudicio sistendi sunt; ne et ipse eorumdem coram aeterno suo Patre erubescat.

Monita et poenae in contravenientes.

4. Munus itaque Episcoporum, parochorum, et missionariorum erit, serio christianos illos, qui supradicta, cum ingenti fidei iniuria, nefarie praesumunt, docere et admonere; quod frustra sibi de christianae legis custodia, et zelo, deque filiorum in eadem educatione blandiantur; quoniam vel in uno istorum deficientes, facti sunt omnium rei. Itaque ipsis aperte denuntient, quod quisquis metu cuiuslibet potestatis, vel temporalium amittendorum formidine, fidem suam prodit, iram Dei super se provocat; seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit; quoniam magis timet hominem, quam Deum, et momentanea retinere, quam aeterna acquirere mavult. Si qui autem obstinati in huiusmodi via impiorum pergere velint, incapaces erunt Sacramentorum in vita, et si impoenitentes decesserint, suffragiorum post mortem; ad quae nullus Ecclesiae minister illos admittere praesumat alioquin a proprio Episcopo canonicis poenis, ad praescriptum etiam supradicti Albani Concilii, plectendus erit.

De mulieribus cum turcis degentibus et fidem celantibus.

5. Arcendae pariter a Sacramentis Ecclesiae sunt illae mulieres, quae nuptiarum nomine in turcarum contubernium admissae, celantes christianae religionis professionem, ibi vitam agunt ab omni religionis exercitio remotam; eisque a Pastoribus denunciandum est, ne salutis aeternae fiduciam collocent in ea fide, quam, sine operibus mortuam, in corde tantum utiliter conservare posse sibi persuadent.

De baptismo filiorum praedictarum mulierum.

6. Istarum vero filios, quos parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitae periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere praedicti parochi minime dubitent; admonitis matribus, ut, si convaluerint, ipsos in christiana religione educare sedulo curent. De iis vero, qui validam, ac vivacem corporis constitutionem praeseferunt, et nullo superstitioso fine, sed unico salutis obtinendae voto ad baptismum a supradictis matribus offeruntur; quoniam impossibile est singulas rerum circumstantias expendere, quae suadere possunt, vel eos in evangelicae legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab huiusmodi matribus fraudatos, mahumetani patris impietatem sequuturos esse; perpensis etiam infantilis aetatis periculis, ob quae tertiam plerumque hominum partem ante completum decennium extingui ferunt; nihil expresse iubendum censemus; Ecclesiaeque ministros dumtaxat hortamur, ut invocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti, iuxta illius ductum, et prudentiae suae dictamina se gerant. Quod si eos ad Baptismum admitti posse crediderint, ne omittant matribus inculcare districtam obligationem, qua tenentur, huiusmodi Ecclesiae filiis, si ad rationis usum pervenerint, notam facere veritatem Dei, eosdemque in disciplina, et correptione Domini educare.

De matrimoniis clandestinis.

7. Illud etiam grave, ac permolestum auribus nostris accidit, Concilii Tridentini decreta de Sacramento Matrimonii ab aliquibus non observari in istis regionibus, in quibus debitam eorum publicationem iamdiu sequutam fuisse, ipsius Albani Concilii testimonio comprobatur. Itaque omnes istarum partium fideles supradictis decretis teneri declarantes, irrita omnino, et nulla esse definimus praetensa matrimonia, quae coram solo turcarum iudice, *Caddi* dicto, vel etiam absque isto, per solos sponsos, et non ad praedicti Tridentini Concilii praescriptum contrahuntur. Quique huiusmodi nullas, et clandestinas nuptias contraxerint, et post contractas convivunt, tamquam in illicito concubinatu versantes, (nisi de praeterito poenitentiam agant, et iusto Matrimonio in facie Ecclesiae iungantur), a Sacramentorum participatione arceri praecipimus.

Illicita renovatio matrimonii turcico ritu.

8. Matrimonio autem a fidelibus rite contracto, eisdem minime permittimus, ne quidem ob causam uxorum a turcarum raptu servandarum, idem coram *Caddi* per procuratores turcico ritu renovare; nisi tamen mahumetanus nuptiarum ritus sit mere civilis, et nullam Mahumetis invocationem, aut aliud quodcumque superstitionis genus includat. Etsi enim non per se ipsos, sed per procuratores id peragant; nunquam tamen illius delicti insontes haberi debent, quod ipsorum auctoritate, vel mandato committitur.

De matrimonii proclamationibus.

9. Quoad proclamationes vero a Tridentino Concilio statutas, licet in Servia minime usu firmatae asserantur; quum tamen in praelaudato Concilio Albano parochis etiam Serviae praescribantur, adempta dispensandi facultate extra urgentis necessitatis occasionem; Nos idem omnino, quum fieri potest, observari praecipimus.

De matrimonii indissolubilitate.

10. Quod si alicuius fidelis uxor ad turcas confugiat, et cum aliquo ex istis nefarias nuptias contrahere audeat, non licet viro aliam uxorem in illius locum ducere; quum matrimonium, iure divino, coniugibus superstitibus, indissolubile, per huiusmodi mulieris facinus minime dissolvatur. Unde qui in tali casu alteram ducit, moechatur, et nisi ab ea omnino separetur, a Sacramentis arcendus est.

De mulieribus raptis.

11. Et quidem de huiusmodi mulierum salute, nisi poenitentiam agant, quid iudicandum sit, omnibus patet. De mulieribus autem christianis a turcis per vim raptis, iisdemque

violenter, vel in pueritia nuptis, quae nullo sacramentalis fidei iure coniunctae in illicito concubinatu cum infidelibus perseverant, idem omnino statuimus, quod in praedicto Concilio Albano decretum fuit; ut scilicet illis Ecclesiae Sacramenta denegentur; nulla ratione habita, vel praetensae illarum in christiana fide perseverantiae, vel violentiae in puerili aetate a turcis illatae, vel etiam quod unicae, aut potioris, et iustae uxoris loco a turcis habeantur; quum ista nullum ius tribuant in concubinatu et fornicatione degentibus, ad percipienda Sacramenta; nullamque sacerdotibus ad eadem indignis ministranda praebeant facultatem.

Cavenda in dispensationibus matrim. concedendis.

12. Circa dispensationes matrimoniales, caveant Episcopi, et missionarii Serviae, ne facultatibus sibi ab hac Sancta Sede communicatis inconsulte, vel erga immerentes utantur; neve terminos suae potestatis transiliant. Nullas itaque dispensationes concedendas esse statuimus illis christianis occultis, de quibus dictum est, quod mahumeticos simulent ritus: etenim isti, quum Christum erubescant, gratiarum Ecclesiae, quae Christi sponsa est, indignos se faciunt. Praeterea nullas dispensationes concedant in iis casibus, quibus matrimonia iuxta ritum Ecclesiae catholicae, ut supra dictum est, et valide, et sancte celebranda non esse praeviderint; tunc enim non dispensationes, sed dissipationes, et incontinentiae fomenta essent, a quibus fidelis, prudensque minister Christi omnimode abstinere tenetur.

De dispensatione super impedimento publicae honestatis.

13. Specialiter autem advertant, eam facultatem inter caeteras ipsis communicatas, non reperiri, dispensandi scilicet super impedimento iustitiae publicae honestatis, proveniente ex matrimonio rato, quod alias inter alterutram partem, et alterius consanguineum in primo gradu, intercesserit, sed ante consummationem vel morte, vel aliter legitime solutum fuerit. Hoc enim impedimentum fortius est eo, quod ex sponsalibus oritur; idcirco ab huiusmodi dispensatione concedenda abstinere debebunt.

De interventu nuptiis turcarum.

14. In celebratione nuptiarum observentur tempora ab Ecclesia Catholica praescripta. Quod si infra vetitos dies mahumetani suas nuptias celebrantes, aliquem ex fidelibus officii causa invitaverint; quoniam Ecclesiae praecepta ad eos, qui foris sunt, minime pertinent; non prohibentur catholici Serviae, christianam modestiam secum ferentes, illis interesse; dummodo fieri possit absque Creatoris iniuria, et offensione fidelium et Ecclesiae Dei; et nulla in turcarum nuptiis Mahumetis invocatio, nullique superstitiosi ritus intercedant, quibus invitati, ore, vel opere iungi debeant, et consentire. Quae tamen infidelium consortia, et profana convivia, si quantum poterunt, devitare curaverint, multa sane animarum pericula praecavebunt.

De impedimento cognationis spiritualis.

15. Quod pertinet ad cognationem spiritualem; sapientissima Tridentini Concilii decreta, quacumque in contrarium consuetudine minime obstante, in Servia omnino observari mandamus. Itaque nec eam, quae oritur ex Sacramentis Baptismi, et Confirmationis, ultra personas, et gradus ab eodem Concilio praefinita, extendi permittimus; nullam vero spiritualem cognationem aliunde oriri, et in specie ex assistentia matrimonio praestita, etiam ad contrahentium invitationem, sicuti nec inter eos a quibus capilli pueris primo tondentur, expresse declaramus. Urget enim ratio praedicti Conciliaris Decreti; ne scilicet propter multitudinem prohibitionum, contingat saepius, in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel cum peccato perseveretur, vel quae cum scandalo dirimi debeant. Quod cum sapienter statutum fuerit circa ea spiritualis cognationis genera, quae iam in Ecclesia recepta erant; multo maiori ratione obtinere debet in aliis huiusmodi speciebus, quae in Ecclesia Catholica ignotae, infectum a schismaticis principium habent, quorum est alligare hominibus onera gravia, et importabilia, digito autem suo ea non movere. Itaque et istorum scandalum, si quod acceperint ex huius Decreti inter fideles observantia, secure contemnendum est.

De sacrorum rituum observantia.

16. De sacris autem ritibus, in quibus istarum regionum Ecclesiae, Romanam hanc, reliquarum omnium Matrem, et Magistram, in speculum sibi, et exemplum proponentes, non alio quam Romano Missali, Rituali, ac Coeremoniali uti perhibentur; hortamur Vener. Fratres Archiepiscopos, et Episcopos, ut nihil in huiusmodi tuta, ac laudabili consuetudine immutari, et tam in Sacrorum celebratione, et Sacramentorum administratione, quam in benedictionibus, et exorcismis, non aliis quibusque aliunde petitis ritibus, caeremoniis, et precationibus, quocumque praetextu, aditum reserari permittant.

De Baptismatis caeremoniis servandis.

17. Videant autem, ne forte inanes, aut leves timendi causae illae sint, quae passim afferuntur, pro omittendis in Baptismatis administratione coeremoniis a Rituali Romano praescriptis; quas etiam, quum ex veris, gravibusque causis praetermitti contingat, primo quoque tempore suppleri curabunt. Neque enim sine gravi peccato negliguntur tam magni ponderis, tantaeque antiquitatis Ritus, atque ad reverentiam Sacramento conciliandam maxime nacessarii.

De aqua et fontibus baptismalibus.

18. Curandum est etiam, ne extra casum necessitatis, iustique timoris ab infidelibus incussi, communis, et naturalis aqua, vel etiam ea quae pro lustrationibus benedicitur, in Baptismi administratione adhibeatur; ac temere omittatur usus aquae ad hunc praecise effectum benedictae iuxta praescriptum Ritualis Romani.

Vix enim sine maxima iniuria, vel inani timore (iuxta sensum etiam Albani Concilii) evenire potest, ut in ecclesiis parochialibus, ubi illae existunt, baptismales fontes, statutis temporibus, et ritibus non benedicantur, aut sacrorum oleorum ad hoc sufficiens copia non suppetat.

De praecepto paschali.

19. Invigilent etiam, pro pastoralis muneris implemento, ne fidelibus quocumque in loco degentibus sacerdotes catholici desint, qui ipsis in Paschatis solemniis sacrosanctam Eucharistiam ministrare possint: tum ut Lateranensis Concilii pro omnibus utriusque sexus fidelibus decretum observetur; tum ut in communi totius Ecclesiae de Resurrectione Domini laetitia, hoc vivifico pabulo, quod symbolum quoque unitatis est, Ecclesiae filii roborentur, ac nutriantur. Quod si propter locorum, et temporum infelicitatem eveniat, ut infra duas hebdomades, quae a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis intercurrunt, nullatenus id fieri possit; tunc, ut eidem praecepto vel in Quadragesima, vel in solemniis Pentecostes, praeviisque diebus, iuxta proprii sacerdotis consilium, a populis istarum Serviae regionum satisfieri valeat, harum Litterarum tenore concedimus, et indulgemus.

De Communione infirmorum.

20. Dolenter vero nimis accepimus, vel adeo desertas, et ruinosas esse istarum Regionum ecclesias, vel adeo insolescere infidelium furorem, ut Sanctissima Eucharistia neque decenter, neque tuto, ut par est, asservari possit; unde eveniat, ut plerique fideles infirmi, absque salutari Viatico, naturae debitum solvant. Porro gravissimo huic malo, quantum fieri potest, occurri, et provideri debet. Quamobrem infirmorum notitia per parochos anxia diligentia est inquirenda, non tantum pro iisdem Poenitentiae Sacramento expurgandis, christianisque monitis, ac spiritualibus consolationibus iuvandis, ac sublevandis; verum etiam, ut Sanctissimo Christi Corpore reficiantur, atque ad extremum agonem subeundum muniantur. Itaque ubi alicui ex fidelibus mortis periculum instare perspiciant, praedictum Sacramentum Eucharistiae quamprimum ipsi ministrent; et si quidem sine periculo possint, ab Ecclesia sumptum, si aliqua ibi extiterit, ad infirmi domum deferre debent; cum extra summum necessitatis casum apud infirmos in aedibus non sacratis Missam celebrare non liceat.

21. Dum autem sacerdos tantum Sacramentum ad infirmos defert, decreta in Albano Concilio promulgata adamussim observet, quibus praecipitur, ut inductus superpelliceo, stolaque utrique humero circumsepta, et praecedente uno saltem lumine, hymnos, et psalmos submissa voce recitans, in sacra Pixide, vel in Calice mundo, velamine cooperto, ambabus manibus illud ante pectus tenens, devote deferat. At ubi (sicut ibidem additur) turcarum vis praevalet, et iniquitas; sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo, seu bursa Pixidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur.

Vitandae superstitiones in sepeliendis fidelium cadaveribus.

22. Denique circa sepelienda fidelium cadavera omnes turcarum superstitiones devitentur; a quibus profecto impuram originem trahunt superstitiosi quidam ritus, veluti lotiones, quae incenso thure, et certarum precum recitatione, quae a catholica improbantur Ecclesia, peraguntur. Itaque abstinentes, quantum poterunt ab omni specie mala, et infidelium imitatione, discant istarum regionum populi, nihil in huiusmodi ritibus contineri, quod necessarium sit ad defunctorum salutem, atque suffragium. Turcarum vero dicteria et cachinnos, inanesque schismaticorum sermones pro nihilo habeant.

Adhortationes.

23. In aestimandis autem periculis, quorum interventu in supra enunciatis rerum generibus, ecclesiasticae disciplinae rigorem relaxari posse declaravimus, universos istarum regionum fideles, praecipue vero animarum Pastores monemus, itidemque rogamus, ut abiectos animos christiana virtute erigentes, quid vere timendum sit, quid contemnendum, examinent; et non in angustia, et metu terrenarum potestatum, sed in amplitudine charitatis, et ardore dilectionis, quae foras mittit timorem, Dei et Ecclesiae praecepta observent, et animarum curam administrent. Quod si solam turcarum insultantium formidinem, aut levium incommodorum periculum, ad transgredienda christianae professionis instituta, vel ad negligendum animarum sibi creditarum regimen, iustam sibi causam esse iudicaverint; vere de ipsis dici poterit, quod ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Idcirco Venerabiles Fratres Archiepiscopos, et Episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesias istas gravissimarum calamitatum cumulo vexatas, hortamur in Domino, et obsecramus, ut inanes huiusmodi timores ex inferiorum Ecclesiae ministrorum, omniumque fidelium pectoribus excutiant, eosque erigant, atque excitent; ut calcaltis aeque mundi blanditiis, atque terroribus, per arduam, angustamque semitam Christum Ecclesiae Caput, ad sanctificationis fastigium invitantem, constanter sequantur.

24. Agnoscant porro singularem in ipsos Dei nostri misericordiam, qui dum terribili iudicio in aliis regionibus infidelium dominationi subiectis christianam religionem penitus conculcari, et extingui permisit; in isto tamen Serviae regno veritatis suae lumen vigere voluit, quo respicientes homines in angustiis, et tribulationibus constituti, et consolationem acciperent in hac vita, et ad meliorem, ac beatiorem aliam assequendam perducerentur.

25. Itaque, Venerabiles Fratres, dilecti filii, cogitate etiam atque etiam, et praecavete, ne per ingrati animi vitium, divinae erga vos pietatis fluenta siccentur; et auferatur a vobis Regnum Dei, cuius legibus obtemperare, et recte constitutos mores servare contempseritis. Quod si supra exposita decreta, quibus vestram agendi disciplinam ad sanctissimarum Ecclesiae legum puritatem cupimus revocare, quaeque vobis omnino exequenda per has litteras nostras auctoritate Apostolica denunciamus, gravia vobis videbuntur, et importabilia; videte ne ad leve Christi onus, ac suave ipsius legis iugum, eam gravitatem, et molestiam vestra opinione transferatis, quae ex superaddita temporalium bonorum, vel retinendorum solicitudine, vel acquirendorum cupiditate, proficiscitur. Haec si abieceritis, et mundi servitutem cum ea, quam Christo professi estis, minime conciliandam esse duxeritis; profecto levia vobis omnia, et expedita in christianae legis observantia videbuntur. Fidelis est autem Deus, qui non patietur vos ab infidelibus vexari, ac tentari supra id, quod potestis; sed faciet etiam ex tentatione proventum; et momentanea tribulationum vestrarum aeterno gloriae cumulo abunde rependet. Quod a Patre misericordiarum, et Deo totius consolationis vobis ex animo adprecantes, Apostolicam Benedictionem vobis omnibus amanter impertimur.

346

De unica comestione et de epulis non permiscendis a ieiunantibus.

Ex Litt. Ap. Bened. PP. XIV. *8 Iulii 1744* — (AD ARCHIEP. COMPOSTELL.)... Eximia paterna caritate complectimur adeo observantissimos Romanae Sedis Hispanos, tantique fecimus obsecrationes tuas, ut occurrere anxietati vestrae libenter adiecerimus animum, et Nos ipsi quaestiones abs te propositas dirimendas constituerimus. Sic autem se habent: — 1. *Utrum quae in antedictis nostris litteris in forma Brevis de unica comestione, et de epulis non permiscendis praescribuntur, (V. n. 328) sub gravi etiam praecepto prohibeantur.* — Respondemus: Concedentes facultatem vescendi carnibus tempore vetito, sub gravi teneri easdem facultates non aliter dare quam geminis his adiectis conditionibus, videlicet unicae in diem comestionis, et non permiscendarum epularum. Eos vero qui huiusmodi facultatibus utuntur, sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligari.

2. *An ii quibus concessum est vesci carnibus, possint in vespertina refectiuncula ea quantitate carnis vesci quae ieiunantibus permittitur.* — Respondemus: Non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines ieiunantes rectae meticulosae conscientiae.

3. *An qui ieiunii tempore vesci carnibus permittuntur, et unica comestione uti debent, horam ieiunantibus praescriptam servare opus habeant.* — Edicimus observandam iis esse.

4. *Quaenam sint epulae licitae, quae vetantur cum interdictis coniungi.* — Respondemus: Epulas licitas pro iis quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas; epulas interdictas esse pisces, ideoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia.

5. *An praescriptum de utroque epularum genere non miscendo, dies quoque dominicos quadragesimales complectatur.* — Affirmatur complecti.

6. *Utrum haec lex ad eos quoque pertineat qui ex Bulla Cruciatae edere possunt ova et lacticinia.* — Rescribimus; Nihil in praenunciatis nostris Ap. Litteris statutum esse quod respiciat gratiosum Cruciatae Diploma. Quare qui eo gaudent, illius tenorem stricte et considerate perpendant, ex eiusque sententia se gerant. Caveant autem ne inani quapiam excusatione sese solutos esse arbitrentur praescriptis ibi legibus.

7. *Utrum memorata duo praecepta urgeant extra Quadragesimam.* — Respondetur: Urgere extra Quadragesimam utrumque praeceptum; illud scilicet unicae comestionis, cum reliquis legibus in secundo et tertio ad haec postulata responso expressis; et alterum non permiscendi epulas licitas cum interdictis, ut in quarto postulato definitum est.

347

De ritibus malabaricis.

Const. Bened. PP. XIV. *12 Sept. 1744.* — Omnium sollicitudinum, quae demandatum Nobis, divino prorsus consilio, nulloque merito nostro, supremi, universalisque Pastoris gravissimum praeter modum formidandumque constituunt, potissima sane, quaeque magis animum nostrum exstimulat, Nosque perpetuo trepidantes et anxios habet, ea est, ut concreditum Nobis Fidei depositum, integrum, illibatumque servemus; ideoque omne studium nostrum, operamque in id conferamus, ut late diffluentes super faciem terrae coelestis doctrinae latices nullo aut corruptelae luto, aut erroris inficiantur veneno, dumque evangelica lux undequaque diffunditur, nulla forte gentilitatis superstitione obumbretur; atque ut ii, quos e potestate tenebrarum erutos, confractis ferreis infidelitatis vectibus, in admirabile lumen suum vocavit misericors Deus, in spemque evexit aeternae salutis et haereditatis, corde credentes ad iustitiam, operibusque quod credunt comprobantes, et mystici Corporis Christi, quod est Ecclesia, digna se membra exhibentes, id ipsum dicant, ut Apostolus exoptabat ardenter, et sint perfecti in eodem sensu, et in eadem

sententia. Hinc cum primum Altissimo placuit humilitatem nostram ad summi Apostolatus apicem evehere, nulli unquam labori parcere decrevimus, quem non solum ad propagandam in omnem terram Fidei et salutis scientiam, sed etiam ad unitatem spiritus et doctrinae inter fideles ubique fovendam et confirmandam, vel sicubi opus esset, reconciliandam et stabiliendam, opitulante Deo, proficuum et necessarium fore deprehenderemus.

Verum quum eam ob causam ad extremas usque orbis terrae plagas mentis nostrae obtutus dirigeremus, eosque peculiariter figeremus in novella illa germina christianitatis, quae, divina irrorante gratia in novis ecclesiis Regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnatensis dudum pullularunt, non parvam Nobis inde laborum atque curarum materiem allatum iri verebamur, dum animo recenseremus quantum, et quam diu Apostolica Praedecessorum Nostrorum desudasset industria, ut ex recens coalescentibus praedictorum Regnorum ecclesiis, vanarum observationum, rituumque a christiana religione abhorrentium zizania radicitus evellerent, atque importunas controversias inter sacros ipsos regionum illarum operarios in re tam gravi exortas, et, quod magis dolendum erat, inimici hominis opera, nostris adhuc temporibus perstantes, componerent atque eliminarent. Attamen fiduciam nostram collocantes in Domino, qui humanos animos, ubi vult, fortiter suaviterque inflectit; potissimum vero quum, delatis ad Nos argumentis filialis obedientiae, qua plerique illarum partium missionarii suprema huius Apostolicae Sedis decreta se excipere professi sunt, Nobis expositum fuit, ad omnes demum iis de rebus controversias sedandas, ac praedictarum ecclesiarum statum componendum, atque firmandum, nil aliud iam reliquum esse, quam ut ad nonnulla postulata, quae ex parte aliquorum operariorum huiusmodi Nobis proponebantur, congruae resolutiones, et responsiones Apostolica auctoritate prodirent; magnam in spem erecti sumus, fore, ut, sublatis per opportuna rescripta propositis dubitationibus, ac finitivis demum nostris, et huius Apostolicae Sedis mandatis atque praeceptis editis ac promulgatis, optatus aliquando finis imponeretur diuturnis molestisque dissensionibus, quae praedicationis evangelicae in praedictis Regnis olim disseminatae fructum latae inficientes, ipsasque novarum ecclesiarum soboles vehementi discordiarum turbine agitantes, eo rem adduxerant, ut tot verbi Dei praecones eximii sine causa adhuc laborasse, largosque sudores, et sanguinem ipsum frustra effudisse viderentur.

De peractis a Carolo Thomas Tournonio Visitatore Apostolico.

Ut enim multa praetereamus, quae retroactis temporibus hac in re acciderunt; graviores quas innuimus, controversiae hoc ipso ineunte saeculo eruperunt, seu potius renovatae fuerunt, quum a fel. record. praedecessore Nostro Clemente Papa XI. missus, ad Oram Coromandeli appulit bo. me. Carolus Thomas, tunc Patriarcha Antiochenus cum potestate Legati a Latere in Indiis Orientalibus Commissarius, et Visitator Apostolicus, deinde huius S. R. E. Cardinalis Turnonius nuncupatus. Is enim, eo cum appulisset, ad trutinam vocatis nonnullis caeremoniis, quae ab aliquibus missionariis observabantur, vel permittebantur, ab aliis vero tamquam christianae pietatis spiritui minime conformes reiiciebantur, unde discordiarum, et funestissimarum disputationum semina, exploratis, ea qua par erat diligentia, factis et circumstantiis, e re christiana esse, suique officii partes exigere iudicavit, plures huiusmodi caeremonias gravi interdicto proscribere atque damnare, latoque edicto seu decreto, certam missionariis normam praescribere, quam in excolendo dominico illo agro cuncti servarent, ut divini Verbi semen, praecisis lolio et vepribus, altas agere radices, et felicissime posset propagari. Quod quidem a se editum decretum a Missionum illarum Provincialibus et Superioribus sub poena excommunicationis latae sententiae, a caeteris vero subditis missionariis sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, inviolabiliter observari, et executioni mandari praecepit, donec aliter Apostolica Sedes provideret. Exemplum autem decreti eiusmodi est, videlicet:

Decretum praefati Visitatoris.

« *Carolus Thomas Maillard de Tournon,* » *Dei et Apostolicae Sedis gratia Patriarcha* » *Antiochenus, Ssmi D. N. Clementis divina* » *providentia Papae XI Praelatus Domesticus,* » *eiusque Pontificio Solio Assistens, necnon* » *Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis* » *contra haereticam pravitatem Consultor, ac* » *in Indiis Orientalibus, et Sinarum Imperio,* » *finitimisque insulis Commissarius et Visitator* » *Apostol. cum facultate Legati de Latere etc.*

« Inter graviores, quibus premimur, curas » pro Apostolici Visitatoris munere nobis, licet » tanto oneri imparibus, iniuncto, ea sane est » praecipua, cum nos huc missos esse consi- » deramus ad expurgandum dominicum agrum » a zizaniis novella Christi germina suffocanti- » bus, et de alienis peccatis rationem esse reddi- » turos, qui aeternam Dei ultionem pro nostris » nunquam satis expiandis iure formidamus. » Quamobrem statim atque ad has Indiarum » oras appulimus, mentis nostrae oculos per » vastissimas illas orientales regiones circum- » ferentes, dum corpus pertinaci morbo iaceret » detentum, Missionum necessitates undique in- » quirere curavimus, ut iisdem pro viribus de » opportuno remedio prospiceremus. Et quidem » merito inter primas nostrae sollicitudini oc- » currerunt novae Domini vineae in Regnis Ma- » durensi, et Mayssurensi, recentiusque Carna- » tensi, iisdem fere legibus, parique labore ab

» evangelicis Societatis Iesu operariis lusitanis » et gallis plantatae, ubi inter ethnicorum, atque » gentilium persecutiones, ac inter tot vitae a- » sperit ates, virentes germinant Evangelii palmi- » tes, assiduis missionariorum sudoribus irrigati, » Illuc sane fuissemus, non minus laboris, quam » gaudii in Christo Iesu participes esse vehemen- » ter cupientes, nisi hoc nobis diuturna infir- » mitas prohibuisset. Quod autem per nos ipsos » immediate obtinere non licuit, exhibitum erga » nos, et S. Sedem Apostolicam obsequium a » Patribus Venantio Bouchet Carnatensis Mis- » sionis Superiore, et Carolo Michaele Bartoldo » madurense missionario, viris doctrina, et pro- » pagandae Fidei zelo praestantibus, opportune » suppeditavit. Enimvero cum ab illis, in mo- » ribus, lingua, et religione istarum regionum » ex longa in his vitae consuetudine apprime » versatis plura certius cognoverimus, quae eos- » dem palmites enerves reddant, et fructu va- » cuos, utpote qui gentilium vanitatibus magis » inhaereant quam viti, quae est Christus, in » multo experimento tribulationis abundantia » gaudii nostri fuit. Rebus itaque maturo exa- » mini suppositis, dictisque Patribus oretenus » ac in scriptis fuse auditis, atque Dei ope pu- » blicis precibus implorata, ut Fidei puritati, » spiritualique christianorum proventui salu- » briter in Domino consulamus, utque fiat obla- » tio gentilium accepta, et sanctificata in Spi- » ritu Sancto, ad praesens Decretum auctoritate » Apostolica, etiam cum facultate Legati de » latere, devenimus.

Circa Baptismi administrationem.

« Et a Sacramentorum administratione ex- » ordium sumentes, districte prohibemus, ne in » baptizandis tam pueris, quam adultis cuius- » cumque sexus et conditionis, omittantur sa- » cramentalia, sed omnia palam adhibeantur, » et signanter saliva, sal, et insufflatio, quae » ex Apostolica traditione Catholica Ecclesia » recepit, ac ob recondita in his sacris caere- » moniis divinae erga nos bonitatis mysteria, » sancte, et inviolabiliter, custodivit ; decreto » Sanctae Universalis Romanae Inquisitionis de » anno 1656 pro Sinis facto, ob diversas ra- » tiones et circumstantias, minime obstante.

» Item praecipimus, ut iuxta laudabilem » Ecclesiae consuetudinem semper imponatur » baptizando a baptizante nomen alicuius Sancti » in Martyrologio Romano descripti, omnino » interdictis nominibus idolorum, vel falsae reli- » gioni poenitentium, quibus gentiles utuntur, » et neophyti hactenus appellari consueverant, » antequam essent per Baptismum divinae gra- » tiae renati. Nec parochis seu missionariis sub » quovis praetexu liceat, Crucis, Sanctorum, et » rerum sacrarum nomina per translata immu- » tare, nec ea alio idiomate explicare, nisi la- » tino, vel saltem indico, quatenus voces in- » dicae regionis, latinae significationi liquido » et adamussim respondeant.

» Et quia audivimus, Baptismum infantium » ex christianis parentibus ortorum, eorumdem » incuria saepe saepius diu protrahi, non sine » maximo dictorum infantium salutis discrimi- » ne, monemus evangelicos operarios, ut sacro- » rum canonum memores, terminum breviorem » quam fieri possit, attentis circumstantiis, ge- » nitoribus praefigant, graviter conscientiam » eorum onerantes, nisi filios intra praefixum » tempus ad ecclesiam deferant sacro fonte ab- » luendos.

Circa nuptiarum celebrationem et caeremonias.

» Praeterea cum moris huius regionis sit, » ut infantes sex vel septem annorum, inter- » dum etiam in teneriori aetate, ex genitorum » consensu, matrimonium indissolubile de prae- » senti contrahant per impositionem *Tally*, seu » aureae tesserae nuptialis, uxoris collo pensilis, » missionariis mandamus, ne huiusmodi irrita » matrimonia inter christianos fieri permittant » nec sponsos sic coniunctos cohabitare sinant, » donec completa legitima aetate, et explorato » eorum consensu, in faciem Ecclesiae, iuxta » formam a Sacro Concilio Tridentino prae- » scriptam, verum et canonicum matrimonium » contraxerint. Et quoniam apud peritiores im- » piae illius religionis sectatores *Tally* prae- » sefert imaginem, licet informem, *Pulleyaris*, » sive *Pyllaiaris*, idoli nuptialibus caeremoniis » praepositi : cumque dedeceat christianas mu- » lieres talem effigiem collo deferre in signum » matrimonii, districte prohibemus, ne in po- » sterum audeant *Tally* cum hac effigie collo » appendere ; et ne uxores innuptae videantur, » poterunt uti alio *Tally*, vel Sanctissimae Cru- » cis, vel Domini nostri Iesu Christi, vel Bea- » tissimae Virginis, vel alia quavis religiosa » imagine ornato. Et cum superstitione non » careat funiculus centum et octo filis compo- » situs, et croceo succo delinitus, quo plerique » dictum *Tally* appendunt, prohibemus etiam » dictorum filorum numerum et unctionem.

» Caeremoniae etiam nuptiales iuxta harum » regionum morem, tot sunt, tantaque super- » stitione maculatae, ut tutius remedium aptari » non posset, quam eas omnino interdicendo, » cum undique noxia gentilitatis labe scateant, » et difficillimum sit eas a superstitiosis expur- » gare. At vero ut faciliori conversionum viae » et neophytorum commodo, quantum fieri » potest, in Domino indulgeamus, missionariis, » et praecipue Missionum Superioribus iniun- » gimus, ut novis adhibitis diligentiis, severio- » rique calculo, superstitiosa omnia a dictis cae- » remoniis expungant, ita ut nihil inultum re- » linquatur, quod christianam pietatem offen- » dat, et gentilium superstitionem redoleat, et » signanter, praeter eas, quas audivimus iam » statutas in hac materia ab iisdem missionariis » reformationes, ramus arboris *Aresciomara* » omnino auferatur ; ferculorum numerus, non » minus ac cibi praescripta qualitas, varietur ;

» circuli super caput sponsorum ad tollenda » maleficia omittantur; et quod de ferculis » diximus, de luteis vasis ibidem adhiberi so- » litis a nobis dictum et prohibitum intelliga- » tur; fructus etiam vulgo dictus *Cocco,* ex » cuius fractione, prosperitatis vel infortunii » auspicia gentiles temere ducunt, vel omnino » a christianorum nuptiis reiiciatur, vel saltem » si illum comedere velint, non publice, sed » secreto, et extra solemnitatem aperiatur ab » iis, qui evangelica luce docti, ab huiusmodi » auspiciorum deliramento sunt alieni.

De mulieribus menstruantibus a Sacram. Poenitentiae non arcendis.

» Nullus rite et sufficienter dispositus ar- » ceatur a Sacramento Poenitentiae, ad pecca- » torum remissionem, tamquam instrumento » divinae misericordiae, a Christo Domino insti- » tuto, et signanter mulieres menstruali morbo » laborantes; non attentis diebus purificationis » iuxta morem gentilium, cum haec sacra- » mentalis vera animae purificatio, et non alia » sit attendenda a christifidelibus, eorumque » pastoribus, quibus praeterea non liceat nec » per se ipsos, nec per catechistas, nec per » alios quoscunque, dictis mulieribus prohibere » accessum ad ecclesiam, vel ad confessarium, » durante dicta infirmitate, et dicto purificatio- » nis tempore. Dedecet etiam christianae vir- » ginis honestatem prima vice dicto morbo la- » borantis, illum cognatis, vicinis et amicis » notum facere, ac inverecunde publicare, iisque, » ethnicorum more et ritu, in eius domum » collectis, super re tam sordida festum insti- » tuere. Quocirca huiusmodi celebritates, et » ritus orthodoxis puellis penitus interdicimus, » et abolemus, missionariisque iniungimus, ut » non solum eas, verum etiam genitores mo- » neant, quam dissona sit virginei pudoris le- » gibus huiusmodi obscaena consuetudo, quae » a gentilium impudentia videtur inducta, ut » ita labefactata puellarum verecundia, eas ef- » frenate ad libidinem provocare valeant.

De aegrotis etiam vilioris generis sacro ministerio adiuvandis.

» Ferre pariter non possumus, quod a me- » dicis spiritualibus pro animarum salute ea » charitatis officia denegentur, quae medici gen- » tiles, nobilis etiam generis, seu *castae,* pro » corporis salute praestare non dedignantur in- » firmis etiam abiectae et infimae conditionis » vulgo dictis *Pareas.* Quapropter districte man- » damus missionariis, ut, quantum in ipsis erit, » nemini e christianis aegrotis, quantumvis » *Pareas,* et vilioris si adessent, generis ho- » minibus, desideranda relinquatur in infirmi- » tate copia confessarii; et ne ingravescentibus » morbis, cum gravissimo vitae temporalis peri- » culo, aeternae consulere cogantur, iisdem mis- » sionarii praecipimus, ne infirmos huiusmodi » conditionis ad ecclesiam deferendos expectent, » sed consultius domos, ubi aegrotant, pro vi- » ribus petant ad eos invisendos, ac piis sermo- » nibus et precibus, Sacramentorumque pabulo » recreandos, atque demum eos in externo vitae » discrimine constitutos sancto infirmorum oleo » deliniant, absque personarum, aut sexus acce- » ptione expresse damnantes quamcumque pra- » xim huic christianae pietatis officio contrariam.

De sonatorum servitio in idolorum festivitatibus.

» Non sine maximo animi nostri moerore » accepimus etiam, christianos tympanorum » pulsatores, tibicines, aut alterius cuiuscum- » que musici instrumenti sonatores ad idolorum » festivitates et sacrificia accersiri, ad luden- » dum, et interdum etiam cogi, ob quamdam » servitutis speciem erga publicum ab ipsis con- » tractae per huiusmodi artis exercitium, nec » facile esse missionariis eos ab hoc detestabili » abusu avertere. Quocirca considerantes, quam » gravem rationem essemus Deo reddituri, si » huiusmodi christifideles a daemoniorum ho- » nore et cultu pro viribus non revocaremus, » illis prohibemus, ne imposterum audeant, nec » in pagodis, nec extra, tum occasione sacri- » ficiorum, tum quarumcumque solemnitatum » superstitioso cultu imbutarum, sonare, aut » canere, sub poena excommunicationis latae » sententiae, cum nullo modo liceat Christi » famulis Belial inservire; ideoque missionarii » non solum eos monere tenebuntur de prae- » fata prohibitione, veram etiam illam omnino » executioni demandare, et contrafacientes ab » Ecclesia expellere, donec ex corde resipiscant, » et publicis poenitentiae signis patratum scan- » dalum emendaverint.

Circa quaedam lavacra ab Ap. Sede permissa.

» Declaramus praeterea Pontificiam Consti- » tutionem Gregorii Papae XV, incipientem — » *Romanae Sedis Antistes* — ad petitionem Pa- » trum Societatis Iesu editam, qua indigenis » christifidelibus lavacra non alia occasione et » fine quam corporis reficiendi, et a naturalibus » sordibus mundandi, ab Apostolica Sede per- » mittuntur, interdictis tempore et modo, qui- » bus a gentilibus adhiberi solent, aeque affi- » cere evangelicos operarios, quibus propterea » non liceat sub quacumque alia causa et fine, » etiam ad effectum ut existimentur Sanias, » seu Brachmanes, prae ceteris dediti huiusmodi » absolutionibus, illis uti, praesertim statutis » eorum horis, et ante, vel immediate post » quamcumque sacram functionem.

Contra usum quorumdam cinerum et signorum superstitiosorum.

» Cineres itidem ex vaccae stercore confe- » ctos, et impiam gentilium poenitentiam a » Rutren institutam redolentes, benedicere, eos- » que fronti sacro Chrismate delinitae impin- » gere, sive alia quaecumque signa albi, vel » rubei coloris, quibus Indi superstitiosissimi » in fronte, vel in pectore, aut in alia quavis » corporis parte utuntur, deferre prohibemus; » mandantes, ut sanctae Ecclesiae consuetudo, » piique ritus cineres benedicendi, illisque chri- » stianorum caput cruce signandi, ad humanae » infirmitatis memoriam recolendam, religiose » serventur, tempore ac modo ab Ecclesia prae- » scripto, scilicet feria quarta Cinerum, et non » alias.

Contra lecturam librorum ethnicorum.

» Et demum quia ex librorum de falsa religione, et de rebus obscaenis, superstitiosisque tractantium lectura, venenum ut plurimum serpere solet ad cor fidelium, quo non minus Fidei puritas offenditur, quam mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum ac studium missionariorum, qui libros sacram Ecclesiae Catholicae doctrinam, rerumque sacrarum monumenta continentes, pro Indorum christifidelium eruditione, in linguam malabaricam, seu tamulicam transtulere, vel novos pro illorum commodo et institutione composuerunt; iisdem christifidelibus expresse interdicimus fabulosos gentilium libros, eosque legere, et retinere prohibemus, sub poena excommunicationis latae sententiae, nisi prius habita licentia parochi seu missionarii curam animarum exercentis, quorum prudentiae committimus facultatem super hoc dispensandi, et libros (si qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, et nihil contra bonos mores tractantes, pro christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi.

Poenae in contravenientes.

» Ea igitur universa et singula, auctoritate Apostolica et tenore praedictis, damnamus, ac districtiori, quo possumus, modo prohibemus. Mandantes Patri Provinciali Provinciae Malabaricae, caeterisque Superioribus Societatis Iesu in Indiis Orientalibus ut hoc nostrum decretum notificent singulis missionariis sive aliis quibuscumque curam animarum exercentibus sibi subiectis, illudque perpetuo, et inviolabiliter exequi faciant, sub poena excommunicationis latae sententiae quoad Provinciales et Superiores, et suspensionis a divinis ipso facto incurrendae quoad subditos contrafacientes, seu aliter permittentes. Atque ita decernimus et mandamus in omnibus, donec aliud fuerit ab Apostolica Sede, vel a nobis eiusdem auctoritate provisum, inviolabiliter servari, non obstantibus quibuscumque.

Falsa quaedam Decreti interpretatio reiicitur.

» Et ne ex his, quae expresse praecepta, vel prohibita a nobis fuere, tacitum quis deducere valeat, in reliquis practicari solitis in istis Missionibus, nostrum assensum, seu approbationem (cum plura forsan reformatione digna nostram cognitionem effugerint, et alia maturius examen postulantia indecisa remanserint); hanc interpretationem omnino reiicimus, et menti nostrae esse contrariam declaramus. Volumus autem iustis de causis, ut hoc nostrum decretum afficiat, et pro publicato habeatur post illius traditionem a nostro Cancellario faciendam Patri Guidoni Tachard Vice-Provinciali Patrum gallorum Societatis Iesu in Indiis, cui propterea in virtute sanctae obedientiae onus iniungimus, quatuor similia exemplaria transmittendi ad Patrem Provincialem Provinciae Malabaricae, ac ad Patres Superiores Missionum Madurensis, et Mayssuren, et Carnatensis, quibus post bimestre, et reliquis missionariis post trimestre a die consignationis faciendae dicto Patri Tachard, idem decretum pro publicato, et notificato pariter habeatur. — Datum Pudicherii in sancta Visitatione Apostolica hac die 23 Iunii 1704, et publicatum die 8 Iulii eiusdem anni 1704 per traditionem factam coram Illustrissimo, et Reverendissimo Domino, per me Cancellarium infrascriptum Rev. Patri Guidoni Tachard Patrum gallorum Societatis Iesu in Indiis Orientalibus Superiori, praesentibus RR. Patribus Francisco Laines Superiore Missionis Madurensis, ac Venantio Bouchet Superiore Missionis Carnatensis.

» Carolus Thomas Patriarcha Antiochenus Visitator Apostolicus. — Andreas Candela S. Visitationis Apostolicae Cancellarius ».

A Clemente PP. XI. Decretum confirmatur.

Quoniam autem de re maxima, eaque gravissima agebatur, idem Antiochenus Patriarcha litteris suis totam rei gestae seriem Apostolicae Sedi exactissime renuntiavit, latumque ab se decretum supremo illius iudicio subiecit. Quibus ad Urbem allatis litteris, idem Praedecessor noster Clemens Papa XI supradictum Vicarii Apostolici decretum rite perpensum, atque etiam in Congregatione S. Officii diligenti examini subiectum, in omnibus servandum et exequendum esse statuit, ea tamen addita clausula — *Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, siqui erunt qui aliquid adversus contenta in huiusmodi decreto afferendum habuerint* — Ea Pontificis in Congregatione Sancti Officii resolutio sequentis est tenoris, videlicet:

Decretum S. C. S. Officii.

« *Feria V. die VII. Ianuarii 1706.* In Congr. Gen. Sanctae Rom. et Univ. Inquis. habita in Palatio Ap. Vaticano, coram SSmo D. N. D. Clemente div. Prov. Papa XI, ac Emis et Rmis DD. S. R. E. Cardd. in tota republica christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Ap. specialiter deputatis.

» Idem Sanctissimus Dominus Noster, relato tenore decreti, editi Pudicherii die 23 Iunii 1704 a D. Carolo Thoma de Tournon Patriarcha Antiocheno, Commissario et Visitatore Apostolico in Imperio Sinarum, et aliis Indiarum Orientalium Regnis, necnon literarum inde scriptarum ab eodem D. Patriarcha, nempe die 9 Iulii dicti anni 1704 ad praefatos Eminentissimos et Reverendissimos DD. Cardinales, ac die 10 eiusdem mensis ad R. P. D. Assessorem, diserte super iisdem de more loquutus fuit. Auditis deinde votis praefatorum DD. Cardinalium, dixit rescribendum esse D. Patriarchae, commendando illius prudentiam, ac zelum, et quod exacte observari debeant ea omnia, quae in Decreto supradicto fuerunt ab ipso praescripta, donec aliter a Sede Apostolica pro-

Decreti promulgatio.

» visum fuerit, postquam eos audierit, si qui » erunt, qui aliquid adversus contenta in hu- » iusmodi decreto afferendum habuerint.

» Iussit quoque Sanctitas Sua, quod per » Patrem Consultorem Ioannem Damascenum » Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Con- » ventualium reassumantur ea omnia, quae circa » nonnullos ritus, ut asseritur, superstiosos » christianis malabariis in Indiis Orientalibus » a quibusdam missionariis, ut praetenditur, » permissos, iampridem ad eamdem Apostoli- » cam Sedem delata fuerunt a Fratre Franci- » sco Maria Turonensi Ordinis Minorum eius- » dem Sancti Francisci Cappucinorum missio- » nario illarum partium, ad hoc ut idem P. » Consultor de iis, quae sive a san. mem. Gre- » gorio XV in suis litteris die XXXI Ianua- » rii 1623, in forma Brevis desuper expeditis, » sive ab eodem Domino Patriarcha in suo De- » creto praedicto expresse damnata, vel prohi- » bita non fuerint, conficiat Summarium, su- » per quo discuti, ac decerni valeat quid sit » agendum.

» Quo vero ad quaestionem de quibusdam » ignobilibus, ac infimae sortis hominibus, qui » in eisdem regionibus vocantur *Pareas,* et a » nobilibus tamquam infames et damnati vi- » tantur, Sanctitas Sua dixit, quod separatim » examinari debeat ».

Verum hanc providentiam, uberesque quos inde spes erat proventuros fructus frustatus est falsus rumor, qui paucos post annos per Indias increbuit, ipsum nempe Clementem XI. Praedecessorem, et relatum Patriarchae Decretum revocavisse, et nonnullas ex iis caeremoniis adprobasse, quas ille tamquam superstitiosas, minimeque ferendas proscripserat. Cui falso rumori cursum intercepturus laudatus Pontifex Clemens XI., utque omnibus manifesta redderet animi sui sensa, atque impugnatoribus decretorum a Patriarcha praedicto editorum omne penitus effugium adimeret, quo a praestanda eisdem decretis debita obedientia se subtrahere quoquo modo possent, die prima Septembris anni MDCCXII, extrahi ex tabulariis mandavit authenticum exemplum Decreti, quod praedicta die VII Ianuarii anni MDCCVI emanaverat, et superius transcriptum est, illudque Episcopo Meliapurensi transmitti iussit, ut ex eo, et is probe nosceret, et aliis etiam Episcopis et missionariis earum regionum palam faceret, quid eo usque de Patriarchae Antiocheni Decreto Apostolica Sedes iudicasset. Ac ne ullo modo Pontificiae mentis oraculum in dubium posset revocari, Decreti exemplo iungendas alligandasque voluit Litteras Apostolicas in forma Brevis, ut sequitur:

Litterae Ap. Clementis XI ad Ep. Meliapurensem.

« Venerabilis Frater, etc. Non sine gravi ani- » mi nostri molestia istis in partibus evulgatum » fuisse audivimus, quod praescripta in quo- » dam Decreto die 23 Iunii 1704 Pudicherii » edito a bon. mem. Cardinali de Tournon, » cum illuc ad Sinensis Imperii oras transmi- » graturus accessit, a Nobis rescissa et abrogata, » ac simul caeremoniae et ritus qui eodem » Decreto superstitionis labe infecti declarantur, » vel omni, vel aliqua ex parte approbati, ac » permissi fuerint. Cum autem maxime cupia- » mus, ut in re tanti momenti non modo Fra- » ternitati tuae, verum etiam, te curante, cae- » teris istarum partium Antistitibus ac mis- » sionariis aperte veritas innotescat, tibi con- » iuncta folia a Notario Sanctae Romanae, et » Universalis Inquisitionis subscripta, ac eius- » dem Inquisitionis signo roborata, mittenda » duximus, ex quibus abunde ac luculenter » intelliges, quaenam eiusmodi in rebus hacte- » nus fuerit, et adhuc sit nostra mens, donec » a Nobis, et Apostolica Sede aliter decernatur. » Quod superest, Pastorum Principem enixe » rogamus, ut in arduis pastoralis officii curis » caelesti ope sua tibi iugiter adesse velit. Et » Fraternitati tuae Apostolicam Benedictionem » peramanter impertimur. Datum Romae apud » S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris » die 17 Septembris anni 1712. Pontificatus » nostri anno duodecimo ».

Nova transmissio decreti S. Officii et Litterarum Ap.

Quoniam autem unus et alter annus elapsus iam erat, nec dum constiterat, S. Officii Decretum, Pontificiasque Litteras Meliapurensi Episcopo redditas fuisse, idcirco Congregatio S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum novum Decreti Litterarumque exemplum Episcopo Claudiopolitano in Cucichensi Provincia Apostolico Vicario die XXIV, Iunii anni MDCCXIV transmitti curavit, ipsique Pontificio nomine mandavit, ut si forte priores litterae deperiissent, aliave de causa Decreti promulgatio secuta non esset, caveret ipse diligenter, ut posteriores hae saltem Meliapurensi Episcopo iuridice redderentur, eoque debitam Pontificiis mandatis obedientiam praestare aut reluctante, aut differente, idem ipse Claudiopolitanus Episcopus Apostolicae Sedis iudicium, nulla interposita mora, executioni mandaret.

Nova causae tractatio.

Cum tamen Patriarchae Antiocheni Visitatoris et Commissarii Decretum confirmatum quidem fuisset, sed ea addita reservatione — *Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in huiusmodi Decreto afferendum habuerint:* — haud difficilem se praebuit Clemens XI audiendis missionariis, qui post Decreti confirmationem, aliisque temporibus, Romam venerant, eorumque preces benigne excepit, quibus enixe petebant, ut censurarum, quae in eo Decreto continebantur, suspensionem unaque simul moderationem, aut ipsiusmet Decreti interpretationem concederet, utque res maturius expediretur, auditis iam non semel missionariis praedictis, Nobis in mino-

ribus agentibus, Sanctaeque Universalis Inquisitionis Consultoris munus obeuntibus mandavit, ut ab initio rem totam penitus cognosceremus, atque collectis, quae ex utraque parte afferebantur, rationem momentis, de illa ad S. Officii Congregationem plenissime referremus. Hinc productis ex una parte a Decreti impugnatoribus, facti iurisque non exiguae molis voluminibus, proditisque antiquis et recentibus documentis, quibus vetitas Decreto observantias superstitione vacare, omnique labe carere conabantur ostendere: exhibitisque ex alia, quae Decreto favebant, rationibus multiplicibus; plenam inde hausimus causae totius cognitionem, eoque res, quod ad Nos attinebat adducta erat, ut possemus iam de ea exacte referre. Verum Clemente XI vita functo, eius successor fel. pariter record. Innocentius Papa XIII huic causae cognoscendae peculiarem Congregationem ex lectissimis conflatam viris non minus integritate, quam prudentia, doctrinaque praestantibus (quos inter Nos etiam, etsi praedictis qualitatibus minime praediti, adscripti fuimus) deputavit. Qui selecti viri saepius, per duos et amplius annos, inter se convenientes, communicatis consiliis, longa rerum indagine, et exquisita adhibita diligentia, articulatim rem totam discusserunt, partibus tam voce quam scripto iterum ac saepius auditis. Cum autem eo res pervenisset, Innocentio XIII e vivis sublato, ad Petri Cathedram evectus est san. mem. Benedictus Papa XIII, qui eorum omnium, quae in hac causa gesta fuerant certior apprime factus, nec minori flagrans desiderio eam ad optatam finem perducendi, supradictam Congregationem pro eiusdem causae recto expeditoque cursu ab Innocentio decessore institutam confirmavit, atque incoeptum examen persequi iussit; eaque non multo post examini finem imposuit.

Peculiaris Congregatio ab Innocentio XIII deputata, et a Bened. XIII confirmata.

His ita peractis, idem praelaudatus Pontifex Benedictus XIII, causa ad se avocata, Apostolicas Litteras in forma Brevis anno MDCCXXVII exeunte, ad universos Episcopos et missionarios Regnorum Madurensis, Mayssurensi, et Carnatensis dedit, quibus praedicti Caroli Thomae Cardinalis Turnonii Decretum confirmavit, observandumque praecepit. Litterae sunt huiusmodi, videlicet:

Litterae Apostolicae Benedicti PP. XIII.

« *Venerabilibus Fratribus, ac dilectis filiis,* » *Episcopis; et Apostolicis Missionariis in Re-* » *gnis Indiarum Orientalium Madurensi, Mays-* » *surensi, et Carnatensi.* BENEDICTUS PP. XIII » — Venerabiles Fratres, ac dilecti filii, salu- » tem, et Apostolicam benedictionem. — Ad » aures nostras pervenit, vocationem gentium, » Ecclesiaeque incrementa, propter subortas in- » ter operarios evangelicae messis controversias, » magnis isthic difficultatibus laborare. Quae » quidem eo graviorem nobis dolorem attule- » runt, quo remedia salubriter alias adhibita » diutius a nonnullis repudiari intelleximus. » Iam enim per bon. mem. Carolum Thomam » Patriarcham tunc Antiochenum, cum potestate » Legati de latere Apostolicum Visitatorem, de- » inde huius S. R. E. Cardinalem, pleraque ad » gliscentes lites componendas, explicandasque » difficultates sapienter praescripta fuerant, De- » creto condito Pudicherii in sacra Visitatione » Apostolica die XXIII mensis Iunii anni MDCCIV, » die vero octava Iulii eiusdem anni promul- » gato. Partibus autem nondum acquiescenti- » bus, de mente fel. record. Clementis XI prae- » decessoris nostri diversa opinantibus, et evul- » gantibus, idem praedecessor noster, datis ad » Ven. fr. Episcopum Meliapurensem litteris » die XVII mensis Septembris anni MDCCXII, suam » de servandis Decretis mentem opportune de- » claravit. Ut igitur nostrae quoque sollicitudi- » nis partes ad controversias avertendas, et sa- » lutem gentium concordibus studiis facilius a » Vobis procurandum adhibeamus, praesertim » ne quis ex silentio nostro detractum aliquid » esse suspicetur mandatis, et declarationibus » antedictis; laudati antecessoris nostri vestigiis » inhaerentes, Decreta eiusdem Patriarchae An- » tiocheni nostra etiam auctoritate confirma- » mus, eorumque obedientiam et observantiam » similiter mandamus et requirimus. Decretum » quoque de Sacramentis administrandis mo- » ribundis hominibus infimae conditionis, quos » *Pareas* appellant, ulteriori dilatione remota, » pariter servari et impleri praecipimus. Ve- » strum autem erit, ut mandata per antece- » sorem nostrum et per Nos ipsos Apostolica » auctoritate, tenore praesentium, in omnibus » confirmata, impigre et obsequenter facientes » opus Dei, quod tanta cum animi alacritate » suscepistis, rite, unanimiter, studioseque per- » ficiatis. Ac vobis, Venerabiles Fratres, dilecti » Filii, Apostolicam benedictionem peramanter » impertimur. — Datum Romae apud S. Pe- » trum sub annulo Piscatoris die XII Decem- » bris MDCCXXVII, Pontificatus nostri anno IV ».

Causa examin S. Officii denuo subiicitur a Clemente XII.

Tantum vero abfuit, ut qui pro ritibus eo Decreto damnatis pugnabant, huic novae eiusdem Decreti confirmationi acquiescerent, quin potius, anno MDCCXXXII, praedecessori nostro Clementi Papae XII in Benedicti locum subrogato declaraverint, se nihil de nova confirmatione audivisse, neque aliquid, quod ad eam spectaret, Episcopis et missionariis Indiarum fuisse legitime denuntiatum, ideoque enixis precibus ab eo postulaverint, ut, non obstante Benedicti XIII dispositione, dignaretur hanc eandem causam denuo S. Officii Congregationis examini, et cognitioni subiicere. Et quamquam, aliis earum partium missionariis causam finitam esse, et in rem iudicatam abiisse reputantibus, seu excipientibus non deessent qui postulatis haud annuendum esse crederent, iisque adversarentur: attamen idem Pontifex Clemens XII, supremum tandem acerrimis

perniciosisque dissidiis finem fieri peroptans, supradictorum preces admittendas existimavit, declaravitque in causa posse procedi. Quare totius materiae instaurata disceptatione, et per duos fere annos continuata, documentis certis, et necessariis ex utraque parte productis, factaque praesertim Decreti impugnatoribus amplissima facultate afferendi quidquid in controversum quemque articulum deducendum allegandumque e re sua iudicarent; post plures Congregationes habitas in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam a S. R. E. Cardinalibus in negociis Fidei Generalibus Inquisitotibus per universam christianam rempublicam deputatis, hi tandem quid ipsorum iudicio in controversis articulis, aut confirmandum, aut moderandum, declarandum denique, aut aliqua ex parte remittendum esset, aperuerunt; eorumque resolutiones probavit confirmavitque praelaudatus Clemens Papa XII, illasque inserendas decrevit Apostolicis Litteris in forma Brevis, quibus Madurensibus, Mayssurensibus, et Carnatentibus Episcopis, ac missionariis Apostolica auctoritate mandavit, iniunxitque, ut lata ab se decreta tum religiose ipsi observarent, tum ab aliis omnibus summa fide ac diligentia observari curarent. Litterae in forma Brevis sunt sequentis tenoris:

Litterae Apostolicae Clementis PP. XII. 24 Aug. 1734.

« *Venerabilibus Fratribus, ac dilectis Filiis, Episcopis, et Apostolicis Missionariis in Regnis Indiarum Orientalium, Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi.* — Clemens PP. XII. — Venerabiles Fratres, dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. — Compertum, exploratumque Vobis esse non ambigimus Carolum Thomam bon. mem. tunc Patriarcham Antiochenum cum potestate Legati a latere Apostolicum Commissarium, et Visitatorem, deinde huius S. R. E. Cardinalem de Tournon a praedecessore nostro fel. record. Clemente XI ad Sinas anno 1702 missum, ubi primum ad Arcem Pudicherii appulit, ut gravibus et urgentibus Missionum in Regnis Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi saluberrime dirigendarum necessitatibus opportune prospiceret condidisse die 23 mensis Iunii anni 1704, decreta nonnulla, quae die 8 mensis Iulii eiusdem anni promulgavit. Cum autem aliquot ex Venerabilibus Fratribus et dilectis filiis, Episcopis, et sacris Indiarum Orientalium operariis, quibusdam in iisdem decretis contentis minime acquiescentes, reclamassent, laudatus praedecessor noster Clemens XI litteris in forma Brevis ad Episcopum Meliaporensem die 17 mensis Septembris anni 1712 datis, eorumdem decretorum obedientiam et observantiam tamdiu requisivit ac mandavit, donec Apostolica haec Sedes, causae momentis fideliter relatis, et accuratius inspectis, quas novisset iustitiae magis consentaneas, et propagandae christianae fidei magis idoneas providentiae suae vias ac rationes iniret. Benedictus etiam XIII, fel. record. itidem praedecessor noster, provide Clementis XI mandatis, declarationibus, atque vestigiis inhaerens, litteris quoque in forma Brevis die 12 mensis Dec. anni 1727, datis, memorata Cardinalis Tournonii decreta confirmationis robore similiter munivit. Nos vero, qui plane immerentes ipsis Summis Pontificibus in Apostolica servitute successimus, nihil optamus impensius, quam ut sacrosancta Iesu Christi fides amplius in dies promoveatur, atque omni ope curemus, ut si qua forte magnis eiusdem incrementis et propagationi occurrant impedimenta, (Deo votis nostris obsecundante) penitus auferantur. Itaque postquam necessaria et certiora habuimus documenta, theologorum, ac praesertim Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium per universam christianam rempublicam Generalium Inquisitorum suffragia exquisivimus, quaeque iidem Venerabiles Fratres nostri Cardinales confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, atque in nonnullis remittenda Nobis consulere decreverunt, ex sequentibus dubiis hic insertis plene vos dignoscetis ».

Dubia S. Officio proposita et eiusdem S. C. responsiones.

« *Dubia pro Missionibus Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi exorta occasione Decreti clar. mem. R. P. D. Caroli Thomae Maillard de Tournon Patriarchae Antiocheni, postea S. R. E. Cardinalis, editi Pondicherii die 23 Iunii 1704, proposita in Congregationibus Generalibus S. Officii, habitis in Conventu Sanctae Mariae supra Minervam coram Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, praesentibus DD. Consultoribus, infrascriptis diebus: super quibus dubiis iidem Eminentissimi suam protulerunt sententiam, prout infra, videlicet:*

» *Feria 4 die 21 Ianuarii 1733.*

1. Circa emissionem sacramentalium in collatione Baptismi.

» Primum Dubium — *An, et quomodo Decretum clar. mem. Eminentissimi Cardinalis de Tournon sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* — Districte prohibemus, ne in baptizandis, tam pueris, quam adultis cuiuscumque sexus et conditionis, omittantur sacramentalia, sed omnia palam adhibeantur, et signanter saliva, sal, et insufflatio, quae ex Apostolica traditione Catholica Ecclesia recepit, et ob recondita in iis sacris ceremoniis divinae erga nos bonitatis mysteria, sancte et inviolabiliter custodivit; decreto Sanctae et Universalis Inquisitionis de anno 1656 pro Sinis facto, ob diversas rationes et circumstantias, minime obstante.

» Eminentissimi dixerunt — *Confirmandum esse decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon, sed consulendum Sanctissimo, quod missionariis Regnorum Madurensis, Mays-*

» *surensis, et Carnatensis dispensationem concedat ad decennium duraturam, omittendi in collatione Baptismi salivam, et occulte utendi insufflationibus, in casibus tamen particularibus, et in quibus gravis et proportionata necessitas urgeat, super qua conscientia missionariorum oneratur: dummodo non laborent errore habendi salivam et anhelitum, tamquam materiam ineptam, vel incapacem ad inserviendum pro sacramentalibus caeremoniis in Baptismo, utpote omnino incapaces Baptismi; eisque missionariis iniungendum, ut debitam instructionem, aliasque omnes possibiles diligentias adhibeant, ut aversio populorum a saliva et insufflatione amoveatur, et de instructione, aliisque diligentiis adhibitis Sanctam Sedem intra tempus decennii certiorent.*

» *Insuper monendos esse missionarios super gravi negligentia non recurrendi ad S. Sedem pro obtinenda facultate dispensandi, et male se gessisse Episcopos concedendo huiusmodi dispensationem, inconsulta Apostolica Sede.*

2. Circa nomen baptizandis imponendum.

» Secundum Dubium — *An, et quomodo decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* — Item praecipimus, ut, iuxta laudabilem Ecclesiae consuetudinem, semper imponatur baptizando a baptizante nomen alicuius Sancti in Martyrologio Romano descripti, omnino interdictis nominibus idolorum vel falsae religionis poenitentium, quibus gentiles utuntur, et neophyti hactenus appellari consueverunt, antequam per Baptismum essent divinae gratiae renati.

» Eminentissimi dixerunt: — *Moderandum esse decretum, deleto verbo* Praecipimus, *cum clausula* – curent quantum fieri potest; – *firma remanente interdictione, quoad nomina idolorum, et falsae religionis poenitentium.*

Feria 4 die 22 Aprilis 1733.

3. Quoad immutationem rerum sacrarum.

» Tertium Dubium — *An, et quomodo dictum decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* — Nec parochis, seu missionariis sub quovis praetextu liceat sanctissimae Crucis, Sanctorum, et rerum sacrarum nomina per translata immutare, nec ea alio idiomate explicare, nisi latino, vel saltem indico, quatenus voces indicae regionis, latinae significationi liquido et adamussim respondeant.

» Eminentissimi dixerunt: — *Quod servetur decretum Eminentissimi de Tournon, et declaretur, non habere locum in vocibus et nominibus iam ab institutione Missionis communiter receptis, quae tamen per hanc declarationem nec approbantur, neque reprobantur.*

4. Quoad tempus praefigendum pro baptismo infantium.

» Quartum Dubium — *An et quomodo dictum decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* — Et quia audivimus, Baptismum infantium ex christianis parentibus ortorum, eorumdem incuria, saepe saepius diu protrahi, non sine maximo dictorum infantium salutis discrimine, monemus evangelicos operarios, ut sacrorum canonum memores, terminum breviorem quam fieri possit, attentis circumstantiis, genitoribus praefigant, graviter conscientiam eorum onerantes, nisi filios intra praefixum tempus ad Ecclesiam deferant Sacro Fonte abluendos.

» Eminentissimi dixerunt: — *Servandum esse decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.*

5. Quoad matrimonia puerorum.

» Quintum Dubium — *An, et quomodo praedictum decretum sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* — Praeterea cum moris huiusmodi regionis sit, ut infantes sex, vel septem annorum, interdum etiam in teneriori aetate, ex genitorum consensu, matrimonium indissolubile de praesenti contrahant per impositionem *Taly*, seu aureae tesserae nuptialis uxoris collo pensilis, missionariis mandamus, ne huiusmodi irrita matrimonia inter christianos fieri permittant, nec sponsos sic coniunctos cohabitare sinant, donec completa legitima aetate, et explorato eorum consensu, in faciem Ecclesiae, iuxta formam a Sac. Concilio Tridentino praescriptam, verum et canonicum matrimonium contraxerint.

» Eminentissimi dixerunt: — *Exequendum esse decretum Eminentissimi de Tournon; cum declaratione tamen, servandam esse formam pro matrimoniis a Sac. Concilio Tridentino praescriptam in locis, in quibus decretum dicti Concilii in cap. primo sess. 24 de Reform. Matrim. publicatum est, et imposterum publicabitur, neque eius observantia sit impossibilis; et missionarii curent, quantum fieri potest, ut in omnibus locis Missionum illarum partium dictum decretum Concilii publicetur.*

Feria 4 die 13 Maii 1733.

6. Quoad gestationem *Taly* in signum matrimonii.

» Sextum Dubium — *An, et quomodo dictum decretum sit exequendum in ea parte quae est tenoris sequentis:* — Et quoniam apud peritiores impiae illius religionis sectatores, *Taly* praesefert imaginem, licet informem *pulleyaris*, seu *pylleiaris* idoli nuptialibus ceremoniis praepositi, cumque dedeceat christianas mulieres talem effigiem collo deferre in signum matrimonii: districte prohibemus, ne imposterum audeant *Taly* cum hac effigie collo appendere; et ne uxores innuptae videantur, poterunt uti alio *Taly*, vel Sanctissimae Crucis, vel Sanctissimi Domini nostri Iesu Christi, vel Beatae Virginis vel alia quavis religiosa imagine ornato.

» Eminentissimi dixerunt: — *Servandum esse Decretum Eminentissimi de Tournon, quamvis missionarii asserant, numquam perisisse gestationem dicti* Taly.

7. Quoad quemdam funiculum superstitiosum.

» Septimum Dubium — *An, et quomodo* » *praedictum decretum sit exequendum in ea* » *parte, quae est tenoris sequentis :* — Et cum » superstitione non careat funiculus centum et » octo filis compositus, et croceo succo deli- » nitus, quo plerique dictum *Taly* appendunt, » prohibemus etiam dictorum filorum nume- » rum et unctionem.

» Eminentissimi dixerunt : — *Servandum* » *esse decretum Eminentissimi de Tournon.*

8. Quoad caeremonias nuptiales.

» Octavum Dubium — *An, et quomodo di-* » *ctum decretum sit exequendum in ea parte* » *quae est tenoris sequentis :* — Caeremoniae » etiam nuptiales iuxta harum regionum mo- » rem tot sunt, tantaque superstitione macula- » tae, ut tutius remedium aptari non possit, » quam eas omnino interdicendo, cum undique » noxia gentilitatis labe scateant, et difficilli- » mum sit eas a superstitiosis expurgare. At » vero, ut faciliori conversionum viae et neo- » phytorum commodo, quantum fieri potest, » in Domino indulgeamus, missionariis, et » praecipue Missionum Superioribus iniungi- » mus, ut novis adhibitis diligentiis, severio- » rique calculo, superstitiosa omnia a dictis » caeremoniis expungant, ita ut nihil inultum » relinquatur, quod christianam pietatem of- » fendat, et gentilium superstitionem redoleat, » et signanter, praeter eas, quas audivimus iam » statutas in hac materia ab iisdem missiona- » riis reformationes, ramus arboris *Aresciomara* » omnino auferatur ; ferculorum numerus non » minus ac cibi praescripta qualitas varietur ; » circuli super caput sponsorum ad tollenda » maleficia omittantur ; et quod de ferculis di- » ximus, de luteis vasis ibidem adhiberi soli- » tis a nobis dictum et prohibitum intelligatur.

» Eminentissimi dixerunt : — *Servandum* » *esse decretum Eminentissimi Cardinalis de* » *Tournon.*

Feria 4. die 22 Iulii 1733.

9. Quoad fractionem fructus dicti *Cocco*.

» Nonum Dubium — *An, et quomodo di-* » *ctum decretum sit exequendum in ea parte,* » *quae est tenoris sequentis :* — Fructus etiam » vulgo dictus *Cocco,* ex cuius fractione pro- » speritatis vel infortunii auspicia gentiles te- » mere ducunt, vel omnino a christianorum nu- » ptiis reiiciatur, vel saltem, si illum come- » dere velint, non publice, sed secreto, et ex- » tra solemnitatem aperiatur ab iis, qui evan- » gelica luce edocti, ab huiusmodi auspiciorum » deliramento sunt immunes.

» Eminentissimi dixerunt : — *Dilata.*

10. Quoad mulieres menstruantes a Confessione minime arcendas.

» Decimum Dubium — *An, et quomodo di-* » *ctum decretum sit exequendum in ea parte,* » *quae est tenoris sequentis :* — Nullus rite » et sufficienter dispositus arceatur a Sacra- » mento Poenitentiae, et signanter mulieres » menstruali morbo laborantes, non attentis » diebus purificationis iuxta morem gentilium ; » cum haec sacramentalis vera animae purifi- » catio, et non alia, sit attendenda a christi- » fidelibus, eorumque Pastoribus, quibus prae- » terea non liceat nec per seipsos, nec per ca- » techistas, nec per alios quoscumque, dictis » mulieribus prohibere accessum ad ecclesiam, » vel ad confessarium, durante dicta infirmi- » tate, et dictae purificationis tempore.

» Eminentissimi dixerunt : — *Servandum* » *esse decretum Eminentissimi Cardinalis de* » *Tournon.*

11. Quoad festum sub titulo menstrui.

» Undecimum Dubium — *An, et quomodo* » *exequendum sit dictum decretum in ea parte* » *quae est tenoris sequentis :* — Dedecet etiam » christianae virginis honestati prima vice di- » cto morbo laborantis, illum cognatis, vici- » nis, et amicis notum facere, et inverecunde » publicare, iisque ethnicorum more et ritu in » eius domum collectis, super re tam sordida » festum instituere. Quocirca huiusmodi sole- » mnitates et ritus orthodoxis puellis interdici- » mus et abolemus, missionariisque iniungimus » ut non solum eas, verum etiam genitores » moneant, quam dissona sit virginei pudoris » legibus eiusmodi obscena consuetudo, quae a » gentilium impudentia videtur inducta, ut ita, » labefactata puellarum verecundia, eas effre- » nate ad libidinem provocare valeant.

» Eminentissimi dixerunt : — *Quod curent* » *missionarii abolere festum sub titulo men-* » *strui, sed sub titulo nuptiarum tantum per-* » *mittant.*

Feria 4. die 6 Septembris 1733.

Dubii 9. dilata resolutio.

» Nonum Dubium supradicta die 22 Iulii » propositum, sed non resolutum : — *An, et* » *quomodo praedictum decretum sit exequen-* » *dum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* — » Fructus etiam vulgo dictus *Cocco,* ex cuius » fractione, prosperitatis vel infortunii auspi- » cia gentiles temere ducunt, vel omnino a chri- » stianorum nuptiis reiiciatur, vel saltem, si » illum comedere velint, non publice, sed se- » creto, et extra solemnitatem aperiatur ab iis, » qui evangelica luce edocti, ab huiusmodi » auspiciorum deliramento sunt immunes.

» Eminentissimi dixerunt : — *Servandum* » *esse decretum praedicti Eminentissimi Cardi-* » *nalis de Tournon.*

12. Quoad curam aegrotorum infimae conditionis.

» Decimum secundum Dubium — *An, et* » *quomodo decretum praedicti Emi Card. de* » *Tournon sit exequendum in ea parte, quae* » *est tenoris sequentis :* — Ferre pariter non » possumus, quod a medicis spiritualibus pro » animarum salute ea charitatis officia dene- » gentur, quae medici gentiles, nobilis etiam » generis seu *castae,* pro corporis salute prae- » stare non dedignantur infirmis, licet abiectae » et infimae conditionis, vulgo dictis *Parreas.* » Quapropter districte mandamus missionariis » ut, quantum in ipsis erit, nemini e christia- » nis aegrotis, quantumvis *Parreas,* et vilioris, » si adessent, generis hominibus, desideranda

» relinquatur in infirmitate copia confessarii; » et ne, ingravescentibus morbis, cum gravissimo vitae corporalis periculo, aeternae consulere cogantur, iisdem missionariis praecipimus, ne infirmos huiusmodi conditionis ad ecclesiam deferendos expectent, sed consultius domos, ubi aegrotant, pro viribus petant ad eos invisendos, ac piis sermonibus et precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, atque demum eos in extremo vitae discrimine constitutos sancto infirmorum Oleo deliniant, absque personarum, aut sexus acceptione, expresse damnantes quamcumque praxim huic christianae pietatis officio contrariam.

» Eminentissimi dixerunt: — *Servandum esse decretum Eminentissimi de Tournon: Praeterea monendos missionarios, quod neque ad Baptismum admittant indos, qui in ea sunt opinione,* Parreas *a Deo esse reprobatos, et ideo nullam posse sperare salutem, nisi eam opinionem deposuerint.*

13. Quoad sonatores christianos in idolorum festivitatibus.

» Decimum tertium Dubium — *An, et quomodo dictum decretum exequendum sit in ea parte quae est tenoris sequentis:* — Non » sine maximo animi nostri moerore accepimus » etiam, christianos tympanorum pulsatores, » tibicines, vel alterius cuiuscumque musici instrumenti sonatores, ad idolorum festivitates, » et sacrificia accersiri, ad ludendum, et interdum etiam cogi, ob quamdam servitutis speciem erga publicum ab ipsis contractae per » huiusmodi artis exercitium, nec facile esse » missionariis, eos ab hoc detestabili abusu » avertere. Quocirca considerantes, quam gravem rationem essemus Deo reddituri, si huiusmodi christifideles a daemoniorum honore » et cultu pro viribus non revocaremus, illis » prohibemus, ne imposterum audeant, nec in » pagodis, nec extra, tum occasione sacrificiorum, tum quarumcumque solemnitatum superstitioso cultu imbutarum, sonare aut canere, sub poena excommunicationis latae sententiae, cum nullo modo liceat Christi famulis Belial inservire; ideoque missionarii » non solum eos monere tenebuntur de praedicta prohibitione, verum etiam illam omnino executioni demandare, et contrafacientes » ab Ecclesia expellere, donec ex corde resipiscant, et publicis poenitentiae signis patratum » scandalum emendaverint.

» Eminentissimi dixerunt: — *Servandum esse decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon.*

14. De quibusdam lavacris antea permissis.

» Decimum quartum Dubium — *An, et quomodo dictum decretum exequendum sit in ea parte, quae est tenoris sequentis:* — Declaramus praeterea Pontificiam Constitutionem Gregorii Papae XV, incipien. — *Romanae Sedis Antistes,* — ad petitionem PP. Societatis Iesu editam, qua indigenis christifidelibus lavacra, non alia occasione et fine quam » corporis reficiendi, et a naturalibus sordibus » mundandi ab Apostolica Sede permittuntur, » interdictis tempore et modo, quibus a gentilibus adhiberi solent, aeque afficere evangelicos operarios, quibus propterea non liceat sub quacumque alia causa et fine, etiam » ad effectum ut existimentur *Sanias* seu *Brachmanes* prae ceteris dediti huiusmodi ablutionibus, illis uti, praesertim statutis eorum » horis, et ante, vel immediate post quamcumque sacram functionem.

» Eminentissimi dixerunt: — *Servandum esse decretum Eminentissimi Cardinalis Tournon.*

Feria 4. die 16 Septembris 1733.

15. Quoad superstitiosos quosdam cineres.

» Decimum quintum Dubium — *An, et quomodo decretum Cardinalis de Tournon sit exequendum in ea parte, quae est tenoris sequentis:* — Cineres itidem ex vaccae stercore confectos, et impiam gentilium poenitentiam a Rutren institutam redolentes, benedicere, eosque fronti sacro Chrismate delinitae impingere, sive quaecumque alia signa albi vel rubei coloris, quibus indi superstitiosissimi in fronte, vel in pectore aut » in alia quavis corporis parte utuntur, deferre » prohibemus; mandantes, ut Sanctae Ecclesiae » consuetudo, piique ritus cineres benedicendi, » illisque christianorum caput cruce signandi » ad humanae infirmitatis memoriam recolendam, religiose serventur, tempore ac modo » ab Ecclesia praescripto, scilicet Feria 4 Cinerum, et non alias.

» Eminentissimi dixerunt: — *Confirmandum esse decretum Eminentissimi Cardinalis de Tournon, servata in omnibus Constitutione Gregorii XV edita die 31 Ianuarii 1623, quae incipit:* Romanae Sedis Antistes.

Quid a missionariis attendendum circa gentilium ritus aut consuetudines.

» Praeterea Eminentissimi dixerunt: — » *Quod fiat decretum, quo imponatur missionariis, cuiuscumque Ordinis, etiam Societatis Iesu, in partibus infidelium degentibus, ne audeant permittere ritus vel consuetudines proprias gentilium, nec illos aut illas proprio arbitrio vertere in ritus vel consuetudines christianae religionis, inconsulta S. Sede; et missionarii meminerint praeceptionis Alexandri VII in sua Constitutione incipien.* » — Sacrosancta, *46, sequentibus verbis expressae:* — Ne, ob instructionis defectum, qui » sacro baptismate initiantur, immaculatam » Christi legem profanis ac gentilitiis institutis » ex ignorantia foedent, ac idololatriam cum » orthodoxa fide confundant, ut saepe inibi » evenire nunciatum est, caveant ii, qui iisdem » instruendis incumbunt, ne imposterum ullus » ad Baptisma admittatur, qui gentilitios mores prorsus non exuerit, et in fide non sit » sufficienter instructus.

16. Quoad ethnicorum librorum lecturam.

« Decimum sextum et ultimum Dubium — » *An, et quomodo dictum decretum exequendum sit in ea parte, quae est tenoris sequentis :* — Et demum quia ex librorum de » falsa religione, et de rebus obscenis et superstitiosis tractantium lectura, venenum, ut » plurimum, serpere solet ad cor fidelium, quo » non minus Fidei puritas offenditur, quam » mores corrumpuntur, magnopere commendantes zelum ac studium missionariorum, » qui libros sacram Ecclesiae Catholicae doctrinam, rerumque sacrarum monumenta continentes pro Indorum christifidelium eruditione in linguam malabaricam, seu tamulicam transtulere, vel novos pro illorum commodo, et institutione composuerunt, iisdem » christifidelibus expresse interdicimus fabulosos gentilium libros, eosque legere et retinere prohibemus, sub poena excommunicationis » latae sententiae, nisi prius habita licentia » parochi, seu missionarii curam animarum » exercentis, quorum prudentiae committimus » facultatem super hoc dispensandi, et libros » si qui forte sunt, noxia superstitione vacuos » et nihil contra bonos mores tractantes, pro » christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi.

» Eminentissimi dixerunt : — *Servandum » esse decretum Eminentissimi Cardinalis de » Tournon* ».

Praedictarum resolutionum approbatio.

« Quibus dubiis, et eorum resolutionibus » Nobis per Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Damiatae, Congregationis Sancti Officii » Assessorem relatis, resolutiones ipsas plene » approbantes, cuncta ea, quae iuxta earum » tenorem confirmanda, aut moderanda, vel declaranda, ac in nonnullis remittenda visa sunt » respective confirmavimus, moderavimus, declaravimus et in nonnullis remisimus. Quocirca, Venerabiles Fratres, dilecti filii, vobis » iniungimus, et mandamus, ut pro singulari » vestra in Nos atque hanc Sanctam Sedem reverentia, quaecumque per hasce nostras Litteras de Apostolicae auctoritatis plenitudine, » vel confirmata, vel decreta, aut praescripta » sunt, sanctissime custodiatis, atque ab omnibus servanda studiosissime curetis : obsecrantes Vos in Domino per viscera misericordiae Dei nostri, ut controversiis iam remotis, et omnino evulsis, alacres, atque animi nostri sensibus concordes, studia et labores vestros in animarum salutem, quae » prestantissimus vestrae vocationis est finis, » pro viribus conferatis. Atque Vobis, Venerabiles Fratres, dilecti filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. — Datum » Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub » Annulo Piscatoris die XXIV. Augusti MDCCXXXIV. » Pontificatus nostri anno quinto ».

Executionem decretorum iterum Ap. Sedes iniungit.

Post diutinam accuratamque factorum, atque rationum in utramque partem disceptationem, post tam solemne denique causae iudicium, in magnam spem venerat Apostolica Sedes, non secus ac Romae litigiis finis erat impositus, ita et Indiis tandem aliquando a discordiis, abusibusque cessatum iri ; cum praesertim ii qui Decretum impugnaverant, sive illius aequitate cognita, seu moderationibus, declarationibus, et relaxationibus iam impetratis satis sibi factum existimantes, non solum aequo animo illud recepissent, sed fidem quoque suam obligassent, se omnino operam daturos, ut quaecumque in Litteris Apostolicis essent praescripta integre executioni mandarentur. Huc accedebat, quod Apostolicae Sedi non fama solum, sed certis gravissimisque testimoniis allatum erat, publicatas iam fuisse Pontificias Litteras, et subscriptas ab omnibus missionariis, et mutuum inter partes perfectae communionis atque concordiae vinculum redintegratum, quod multis annis non sine ingenti Missionum damno inter illas fuerat interruptum.

At tam felicibus initiis conceptum gaudium statim evanuit ; tristissimus siquidem nuntius quam citissime Sedi Apostolicae allatus est, missionarios scilicet, qui Cardinalis Turnonii decretum impugnaverant, non obstantibus Clementis XII. Litteris Apostolicis solemni formula ab iis acceptatis, publicatisque, damnatos tamen ritus ac caeremonias iuxta earumdem Litterarum praescriptum minime aboleri posse causantes, tantum sibi licentiae sumere, ut eos easque adhuc usu permittere et retinere non dubitarent. Cumque de tamdiu dilata ab iis obedientia in dies fama increbresceret, praefatus Clemens Papa XII., ut debitum Pontificiis mandatis obsequium et observantiam vindicaret, certamque redderet in posterum eorum, quae in praedictis Pontificiis Litteris mandabantur, executionem, alteris in simili forma Brevis datis die XIII Maii anni MDCCXXXIX. Apostolicis Litteris, earum regionum Episcopis et missionariis praeceptum iteravit, gravioribus etiam poenis impositis, ut nedum exactissime servarent, quae in suis praemissis Litteris mandabantur, sublata cuilibet secus interpretandi facultate, verum ad id illico se adstringerent solemni iureiurando interposito, iuxta formulas respective eisdem praescriptas. Litterae in forma Brevis sequentis sunt tenoris :

Litterae Apost. Clementis PP. XII.

« *Venerabilibus Fratribus, ac dilectis fi- » liis, Episcopis et Apostolicis missionariis in » Regnis Indiarum Orientalium Madurensi, » Mayssurensi, et Carnatensi.* — CLEMENS » PP. XII. — *Venerabiles Fratres, dilecti fi- » lii, salutem et Apostolicam benedictionem.* — » Concredita Nobis Dominici gregis cura conti- » nuo Nos urget, in id praecipue et tota solli- » citudine incumbere, ut ab iis maxime, qui » sortiti sunt partem ministerii huius, et in lu- » cem gentium sunt missi, erga S. Sedem, ac » Apostolica mandata filiale obsequium exhi-

» beatur, atque Fidei dogmata, sacrosque Ecclesiae ritus et ipsi intemerate retineant, et alios edoceant, ut quos locorum immensa spatia a Petri Sede longe disiungunt, eos tamen fides eadem in unitate spiritus et doctrinae conglutinet. Alias itaque per similes Litteras nostras sub datum 24. Augusti 1734. incipientes – *Compertum exploratumque* – Fraternitates Vestras, omnesque missionarios eo maiori, quo potuimus, paterno charitatis affectu requisivimus, et declaravimus quam impense exoptaremus, ut qui in Regnis istis Christi Fidei veritatem agnoscentes convertuntur, superstitiosos gentilium ritus omnino abiicerent, atque aversarentur, ne habeantur et ipsi ad instar eorum, qui – *Cum Dominum colerent, diis quoque serviebant iuxta consuetudines gentium* – utque in re tanti momenti nulla esset offendiculi occasio, auditis theologorum, ac praesertim Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium per universam christianam rempublicam Generalium Inquisitorum suffragiis, plura, iuxta dubia tunc proposita, provide statuimus, et a missionariis observanda praescripsimus; quorum omnium in Nos observantia, ac studium amplificandae Fidei in certam spem Nos erigunt, ut pari contentione pro viribus obtemperare satagant, nec ullus erit, qui detestabili indulgentia aliter fieri posse cogitet, et, veluti infideles filii, – *peccare eos faciant peccatum magnum.* – Sane etsi hisce mediis muneri Nostro satisfecisse, ac sine sollicitudine esse suaderemus, attamen rei momentum, a qua Fidei puritas, atque integritas pendet, nunquam hanc in Nobis curam delebit, nisi ad magnitudinem negotii opportuniora semper comparemus remedia. Quare Fraternitatibus Vestris, et missionariis omnibus, quibus praedictas Nostras Litteras direximus, sive saeculares, sive regulares cuiuscumque Religionis, Congregationis, Instituti, Societatis, etiam Iesu, fuerint, demandamus et praecipimus, ut omnia et singula, quae in dictis nostris Litteris continentur, integre, exacte ac inviolabiliter observetis, atque ab eis, quorum cura ad vos spectat, remota penitus quavis aliter interpretandi potestate, adamussim observari faciatis, in virtute sanctae obedientiae, sub poena suspensionis ab exercitio pontificalium, interdicti ab ingressu ecclesiae, et respective excommunicationis latae sententiae, a qua nemo vestrum a quoquam, praeterquam a Nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, excepto tantum mortis articulo, absolvi possitis; et quoad Regulares, insuper privationis vocis activae et passivae, etiam ipso facto et sine ulla alia declaratione incurrendae. Itidem, sub iidem poenis et censuris, pari auctoritate praecipimus et mandamus, ut omnes, et singuli, qui ab hac Sancta Sede, sive ab eorum respective Superioribus, ad ista regna sacris obeundis missionibus missi eritis, statim ac de hisce Literis nostris certiores facti fueritis, vel quavis alia denunciatione de illis notitiam habueritis, iuramentum praestetis, integre, exacte ac omnimode implere, quae provide a Nobis in iisdem Literis constituta fuerunt, neque illis ulla in parte quovis sub praetextu contraire. Illis etiam, qui quandocumque hoc munus suscepturi erunt, mandamus ac praecipimus, sub iisdem omnibus censuris et poenis, ut nullo pacto audeant vel minimum actum explere, nisi antea et ipsi iuramentum praedictum praestiterint, quin nec tanquam presbyteri saeculares ab Ordinariis locorum deputati, seu veluti simplices Religiosi, vel quovis alio titulo et nomine, Christifidelium Confessiones excipere, conciones habere, aut Sacramenta ministrare, sed omni prorsus careant potestate, derogando quibusvis privilegiis, sibi ipsis, aut vestrae respective Religioni, Ordini, Congregationi, et Societati, etiam Iesu, specialiter, aut generaliter a Nobis, et a Praedecessoribus nostris quacumque ex causa concessis. Iuramenta praedicta saeculares missionarios coram locorum Ordinariis, Regulares coram Superioribus, vel Apostolicis Vicariis praestare demandamus, Vicarios vero ipsos, et Superiores in manibus Episcoporum. Nec eadem tantum verbo proferre, sed scripto, iuxta formam per Nos praescriptam, et infra adnotandam, ac propria manu subsignare teneamini, sub iisdem censuris, et poenis. Hoc etiam iuramentum praestandum fore mandamus ac requirimus ab illis, qui ad episcopale munus ab hac Sancta Sede promoveri meruerint, vel ipsomet die, quo in manibus Episcoporum solemnem emissuri erunt Fidei professionem, vel in actu eorum consecrationis. Quorum iuramentorum subsignata exemplaria, relicta isthic in Archiviis authentica copia, ad Congregationem de Propaganda Fide, per Episcopos, et Superiores Regulares respective transmitti volumus, a qua ad illam S. Officii remittantur, ut sint obsequii erga Nos nostrasque iussiones, puritatis, integritatisque fidei vestrae monumenta. Ne vero tam Literarum nostrarum sub praedicta die 24 Augusti 1734, quam praesentium, ullus ignorantiam allegare valeat, hortamur Fraternitates vestras, ac in Domino obtestamur, ut quo primum illas, atque praesentes receperitis, statim publicare faciatis, ac ad singulos missionarios, sive saeculares, sive regulares fuerint, sub vestra respective iurisdictione degentes, easdem transmittatis. Hoc ipsum praecipimus Apostolicis Vicariis, aliisque Regularium Superioribus. Contrafacientes, vel negligentes declaramus incurrere ipso facto poenam suspensionis ab exercitio pontificalium,

» et interdicti ab ingressu Ecclesiae ; Regulares » autem excommunicationis latae sententiae, » privationis officiorum, et vocis activae et passivae.

Formula iuramenti a missionariis praestandi.

» Formula autem iuramenti, sicut praemittitur, a missionariis praestandi, est quae sequitur, videlicet : – *Ego N. Ordinis N., seu* » *Societatis Iesu missionarius ad Regnum N.* » *vel ad Provinciam N. in Indiis Orientalibus* » *a Sede Apostolica, vel a meis Superioribus,* » *iuxta facultates eis a Sede Apostolica con-* » *cessas missus, vel destinatus, parendo prae-* » *cepto SSmi Domini Nostri Papae Clemen-* » *tis XII per Literas Apostolicas in Forma* » *Brevis datas die 13 Maii anno 1739 iniuncto* » *omnibus missionariis in dictis Missionibus,* » *praestandi iuramentum fideliter servandi dis-* » *positionem Apostolicam circa ritus malaba-* » *ricos ad formam Litterarum Apostolicarum* » *in forma Brevis eiusdem Sanctissimi Domini* » *Nostri die 24 Augusti 1733 incipien.* – Com- » pertum exploratumque – *mihi per integram* » *eiusdem Brevis lecturam optime noto, pro-* » *mitto, me plene et fideliter pariturum, illud-* » *que exacte integre, absolute et inviolabiliter* » *observaturum et absque ulla tergiversatione* » *adimpleturum, nec non ad formam dicti Bre-* » *vis instructurum christianos mihi commissos,* » *tam in concionibus, quam in privatis instruc-* » *tionibus, ac praesertim catechumenos, ante-* » *quam baptizentur, et nisi promittant obser-* » *vantiam dicti Brevis, eiusque dispositionum* » *et prohibitionum, me ipsos non baptizaturum,* » *prout quoque curaturum omni studio, quo* » *potero, ac omni diligentia, ut sublatis gen-* » *tium caeremoniis, illi a christianis suscipian-* » *tur et retineantur ritus, quos Catholica Ec-* » *clesia pie praescripsit. Si autem (quod Deus* » *avertat) in toto, vel in parte contravenerim,* » *toties poenis a SSmo Domino Nostro im-* » *positis in Decreto, seu Litteris Apostolicis,* » *ut supra, super praestatione huius iuramenti,* » *mihi pariter per integram lecturam notis,* » *me subiectum agnosco et declaro. Ita, tactis* » *SS. Evangeliis promitto, voveo, et iuro..Sic* » *me Deus adiuvet, et haec SS. Dei Evangelia.*

Ego N. manu propria.

Formula iuramenti ab Episcopis praestandi.

» Formula vero iuramenti, ut supra praestandi ab Episcopis, est quae sequitur, videlicet : — *Ego N. Episcopus civitatis N. me-* » *mor iuramenti a me praestiti in actu meae* » *solemnis consecrationis, quo Romano Pon-* » *tifici fidem, subiectionem et obedientiam pro-* » *misi, tum insuper eorum, quae provide san-* » *xit Clemens XII. Pontifex Maximus circa* » *ritus malabaricos in Litteris Apostolicis in* » *forma Brevis, Episcopis et missionariis usque* » *sub die 24 Augusti 1734 transmissis, parendo* » *mandatis Sanctitatis Suae per alias similes* » *Litteras die 13 Maii anno 1739 iniunctis, ut* » *in argumentum meae erga Apostolicam Sedem* » *obedientiae non minus, quam filialis obsequii,* » *me iurisiurandi religione obstringam, iuro,* » *et promitto, me plene et fideliter easdem* » *Litteras Apostolicas sub dicta die 24 Augu-* » *sti 1734 executurum, atque ea, quae in illis* » *praescripta sunt, exacte, integre, absolute,* » *ac inviolabiliter observaturum, curaturum* » *pariter, quantum in me erit, ut ii omnes,* » *qui mea in dioecesi missionarii et sacer-* » *dotes sunt, vel futuri erunt, illas eodem* » *prorsus modo in omnibus servent, atque exe-* « *quantur, et contra inobedientes, si qui fue-* » *rint, me processurum ad formam Brevis sub* » *die 15 Maii anno 1739, ut tandem sublatis* » *gentium caeremoniis, illi a christianis reci-* » *piantur ritus, quos Catholica Ecclesia pie* » *praescripsit, ac iugiter servat. Utque de hac* » *mea voluntate iuramento, filialique obsequio* » *erga Romanum Pontificem, eiusque mandata* » *perenne existat monumentum, propria manu* » *me subscribo. — Ego N. Episcopus N.*

» Caeterum etsi magna Nobis spes sit, Fra- » ternitates Vestras, et missionarios omnes no- » stras voces et monita excipere diligenter, ac » filiali obsequio exequi, curam insuper sollici- » tudinemque plurimam gerere, ut tam ortho- » doxae religionis puritati integritatique, quam » gentium saluti adiumento sitis, omnesque in » hanc unicam rem, maximam utique, labores » sudoresque conferre, ut tandem, qui Christi » amplectuntur fidem, superstitiosos aversentur » ritus, eosque tantum suscipiant et retineant, » quos Catholica Ecclesia pie praescripsit, ac » iugiter servat ; attamen pro pastoralis officii » debito, ac paternae charitatis stimulo, iterum » iterumque commonere non desistimus, ne a » Pastorum Principe in custodia gregis sui mi- » nus vigilasse diiudicemur ; et Vobis interim » in auspicium bonorum omnium Apostolicam » Benedictionem impertimus. — Datum Romae » apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo » Piscatoris die XIII. Maii MDCCXXXIX Pontificatus » Nostri Anno Nono ».

De aliis Clementis XII. Litteris.

Hasce Clementis XII. Litteras aliae subsecutae sunt praenominatis earum Regionum Episcopis peculiariter inscriptae, quibus idem Pontifex et conceptum animo intimum dolorem, ob nondum sibi delatam certam exoptatamque notitiam de praestita Apostolicis mandatis debita observantia, gravibus verbis patefecit, et eorumdem Episcoporum zelum, ac religionem excitare curavit, ut ipsi exemplo ac diligentia sua praeeuntes, caeterorum obedientiam sollicite promoverent. Harum Litterarum huiusmodi exemplum est :

Tenor praedictarum Clementis XII. Litterarum.

« *Venerabilibus Episcopis in Regnis India-* » *rum Orientalium Madurensi, Mayssurensi et* » *Carnatensi.* — CLEMENS PP. XII. — *Vene-* » *rabiles Fratres salutem, et Apostolicam be-*

» *nedictionem.* Continere labia nostra non possumus, quin vos, Venerabiles Fratres, Apostolica voce iterum alloquamur, moleste Nos, imo graviter ferre, usque adhuc certam denunciationem minime accepisse, qui tandem exitus contigerit Nostris Litteris, quas die 21 Augusti 1734 Vobis, et missionariis isthic commorantibus dedimus. Sane taciturnitas haec curarum et angustiae nostro paterno erga vos amori causa est, tum et maxime quia, incertae licet, sparsae hic sunt voces, easdem Nostras Litteras, et Decreta in publicum ab omnibus minime posita fuisse, nec exacte, prout oportet, adimpleri, quin non deesse aliquos, qui diversa opinantes, ac loquentes, adducunt discipulos post se. Quare primum Fraternitates Vestras ex animo requirimus, ut quomodo isthic res se habeat, quamprimum renuncietis, ne longior tarditas acerbiorem Nobis afferat molestiam; deinde firma spe ducimur, zelo Dei vos impellente, in doctrina sana nobiscum exurgere in eos qui contradicunt, ut memores officii, cui se addixerunt, sedulo caveant, ac diligenter prospiciant, ne culpa eorum — *Gentes istae sint timentes Dominum, sed nihilominus et idolis suis servientes.* — Hac de causa alteras misimus Literas Fraternitatibus Vestris, atque missionariis, quibus gravioribus sub poenis demandamus, ut nostrae voluntatis sensibus et decretis obediant, et opere compleant. Ne vero, ut hactenus, unus alterum incuset, et Nos qui licet praesentes isthic spiritu, corpore tamen absentes, suspensos incerti nuncii diu retineant, iuramentum ab unoquoque ex missionariis propria manu subsignandum, expetere duximus, quo quisque profiteatur Nostris iussionibus promptam atque exactam praestare obedientiam, prout latius in iisdem Litteris continetur. Hoc etsi tuto Nobis polliceamur pro omnium pietate et religione, attamen plurimum collatura erit Fraternitatum Vestrarum exempli auctoritas, quoties idem iurisiurandi sacramentum, in certum erga S. Sedem et in Nos obsequii vestri testimonium praestitisse, atque Nobis misisse vos intelligant, prout in Domino etiam atque etiam obtestamur. Porro hanc unam esse detegendae veritatis viam, unum praesidium ad obstruendum os loquentium iniqua, vosmet facile cognoscere non dubitamus: quare Pontificiam voluntatem, caeteroquin in vos propensam, magis magisque Vobis devincietis, si industriae, cogitationi, studio denique vestro vim addatis exemplo; nec sane veremur, quin eam reverentiam, quam suscipientes episcopale munus, huic S. Sedi et Apostolicis mandatis spopondistis, hac tamen opportuna occasione explicaturi luculentius eritis, ut quos ad iuramentum proferendum vos adire obstringimus, ex facto etiam vestro obedire praeceptis Nostris arctius impellantur; ac Vobis, Venerabiles Fratres, in perpetuum amoris Nostri pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. — Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die XIII Maii MDCCXXXIX. Pontificatus Nostri Anno Nono ».

Earumdem Litt. Ap. implementum a Superioribus Generalibus exigitur.

Neque vero his, quamvis adeo enucleate praescriptis, plane contentus idem Clemens Papa XII., Superiores quoque generales missionariorum in Orientalibus Indiis degentium, eorum praesertim, qui, ut Apostolicae Sedi relatum erat, detrectabant adhuc obsequentis animi erga eiusdem Sedis mandata, certa argumenta exhibere, adstrinxit, eosque sub poenis suspensionis a divinis, privationis vocis activae et passivae, aliisque gravioribus arbitrio suo reservatis, Apostolicae etiam Sedis indignationis, formali praecepto, eoque iuridice indicto, adegit ad transmittenda suis respective Religiosis exempla Apostolicarum Litterarum a se tunc editarum, atque ad earum publicationem, et exactam, integram, inviolabilemque observantiam pro viribus praecipiendam, ea lege addita, ut si aliquis esset e missionariis, qui mandatis reluctaretur, aut contra facere auderet, solemni statim praecepto per Superiorem Generalem cogeretur, relictis Missionibus, e provincia decedere, atque in Europam reverti. Et ne in re adeo gravi intentatum aliquod remedium relinqueretur, terminum annorum trium constituit intra quem Superiores Generales praedicti tenerentur certis authenticisque documentis Sedi Apostolicae plenam atque integram Decretorum Litterarumque observantiam indubitate probare, atque praesertim exempla iurisiurandi, ut praefertur, praestandi, propria uniuscuiusque missionarii manu, cuiuscumque fuerit Instituti, subscripta, exhibere.

Episcopi et missionarii obtemperant, et iuramenta subscripta Pontifici exhibent.

His ita constitutis, atque mandatis obtemperantes omnes Episcopi et missionarii Apostolici Regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnatensis, nominatimque qui pridem contra Cardinalis Turnonii Decretum steterant, fide data, sacramentoque interposito, exactam, integram, absolutam, inviolabilemque observantiam Litterarum, quarum superius exemplum insertum est, quodque incipit *Compertum exploratumque,* promiserunt secundum formulas aliis in Litteris Pontificiis expressas, quae pariter enunciatae iam sunt, quaeque incipiunt *Concredita Nobis Dominici gregis.* Utque suum Nobis ad Pontificatus apicem evectis, Sanctaeque Sedi fidele obsequium, et submissionem certo probarent argumento, ad manus nostras exempla reddi curarunt solemnis iurisiurandi, quod singuli praestiterunt.

De reliquis super executione Ap. Sedis decretorum quaestionibus resolvendis.

Hunc igitur fructum ex prudenti constantique, quam hactenus recensuimus, Praedecessorum Nostrorum agendi ratione Nobis colligere datum est: neque iam temere videmur hanc animo spem concepisse, ut quaecumque dubia

super executione eorum, quae ab iisdem Praedecessoribus praescripta memoravimus, adhuc reliqua sunt, resolutis, ut infra, propositis quaestionibus, penitus submoveantur ; omnesque demum inter sacros istarum regionum operarios dissensiones et controversiae compositae conticescant ; atque Apostolica mandata et decreta, quae, gravi praemissa ponderatione, ac de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum in tota republica christiana in negociis Fidei Generalium Inquisitorum specialiter deputatorum, aliorumque virorum pietate ac doctrina praestantium, harum serie edituri sumus, pari obedientiae alacritate ab omnibus istarum partium missionariis excipiantur, ac debitae executioni demandentur.

Tria missionariorum postulata.

Nonnulli siquidem, postquam litteris suis professi sunt servatas ab se fuisse Apostolicas Litteras *Compertumque exploratumque,* seque accusatos idcirco perperam fuisse tamquam refractarios; affirmantes nihilominus, in maximas atque extremas animi angustias se esse coniectos, ob iurisiurandi religionem, ob excommunicationis periculum, aliasque gravissimas poenas, quibus inobedientes, legive repugnantes inevitabili nexu obligati sunt, atque obnoxii ; communi illorum omnium nomine, qui in pari muneris et periculi societate versantur, ad sublevandas suas, ut aiunt, oneratas trepidantesque conscientias, atque ad plurimorum christianorum salutem, qui recenter conversi, persecutionum procellis assidue conflictantur, in tuto collocandam, tria a Nobis flagitarunt.

Primum postulatum.

Primum illud est, ut onere subleventur (quod quidem onus gravissimum, intolerandumque appellant) tot iuramentorum, censurarumque, quibus inextricabilibus veluti laqueis eorum conscientiae vinciuntur, quibusque fit, ut propriae amittendae salutis periculo expositi, de aliena procuranda cogitationem prope omnem deponere cogantur.

Alterum postulatum.

Alterum, ut dispensatio alias concessa super insufflationum, atque salivae ritu, in Sacramento Baptismatis ministrando, prorogetur, eo vel maxime, quod non tali lege sit huiusmodi ritus inductus, in quo dispensatio locum habere non possit ; imo, ut ea concedatur necessarium esse aiunt, ad conservandam propagandamque disseminatam iam ac diffusam Fidem in vastissimis illis regionibus, quarum incolae ingenito veluti horrore, seu potius inveterato et communi praeiudicio, ita salivam aversantur, ut de eo evellendo prope iam sit ab eis desperatum.

Tertium postulatum.

Tertium, ut aperta, atque plana tradatur interpretatio praecepti a Cardinali Turnonio missionariis gravissime iniuncti, atque ab Apostolica Sede confirmati, eisque inculcati, ut abiectissimum hominum genus, vulgo *Pareas,* minime deserant, sed cum domi aliquo morbo laborantes detinentur, eos invisant, eisque, cum opus fuerit, Sacramenta ministrent, omnibusque erga eos charitatis atque pietatis officiis defungantur. Nam, sine aliqua praefati decreti declaratione, perniciem eis, qui christianae religioni nomen dederunt, imminere prorsus arbitrantur, gentiliumque ad Fidem conversionem impossibilem penitus evasuram. Itaque eorumdem *Parearum* saluti providendum esse censentur, non adigendo sacros operarios ad ingrediendum eorum domos, quod certe, ut asserunt, exitio Missionibus foret, sed alia ratione ; atque ea potissimum quam ipsi primo induxerunt, quaque usi sunt post Apostolicas etiam Litteras promulgatas, quarum initium *Compertum exploratumque,* obtentu verbalis cuiusdam declarationis, quam ipsis suus Missionum Procurator significaverat.

Rumore itaque ad Nos allato de huiusmodi vocali declaratione, quae Clementi Papae XII. Praedecessori nostro tribuebatur, et cuius etiam exemplum monumentumque in Actis, et Tabulario Sanctae Inquisitionis relatum fuisse atque reconditum ferebatur, exemplum monumentumve huiusmodi diligentissime exquiri mandavimus. Cumque illud nusquam inventum sit, longa licet atque exactissima indagine investigatum ; cum etiam administri, quorum custodiae mandandum fuerat, ea de re per Nosmetipsos interrogati, nihil huiusmodi a se visum, nihil auditum fuisse, et nunquam ad se pervenisse praedictam declarationem, proptereaque et in Actis, et in Archivio desiderari constanter et indubitate affirmaverint : cum denique ipsius Nostri Praedecessoris ea de re mentem atque sententiam in Apostolicis eius Litteris supra relatis luce ipsa clarius expressam exploratamque haberemus ; totum hoc gravissimum et inveteratum negotium, cum approbatione et consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Generalium Inquisitorum, ut supra deputatorum, tandem diiudicare ac definire deliberavimus. Auditisque propterea tum eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum, tum etiam Consultorum sententiis, ac rursus ad trutinam revocatis, et coram Nobis multum diuque perpensis atque discussis moderationibus illis, quas postularunt a Nobis illi qui duram atque difficilem decretorum toties enunciatorum integram absolutamque observantiam existimarunt, in hunc, qui sequitur, modum statuimus atque decrevimus.

Quoad 1. postulatum circa impositum iuramentum et censuras.

Ac primo quidem, animadvertentes impositam iurisiurandi legem esse veluti saluberrimum antidotum extinguendo gliscentium litium discordiarumque veneno, aptissimumque ad cohibendam licentiam libertatemque opinandi, interpretandi, agendi denique pro libito in re tam gravi et periculosa fraenum existere ; censuras quoque a praedicto Clemente XII. Praedecessore Nostro in enunciatis Litteris, incipientibus *Concredita Nobis* constitutas, ad solos

dumtaxat pertinere Apostolicae legis praeceptorum violatores, easdemque in huiusmodi tantum refractarios, quorum animos neque ecclesiasticae mansuetudinis officia, neque paternae admonitionis charitas vincere, aut inflectere ullo modo possent, iustissimam poenam esse et fore reputantes; non solum inopportunum censuimus iusiurandum aliqua in parte remittere, aut moderari censuras, quod primo fuit ab illis propositum, verum etiam, de praedicto consilio et assensu, ac de plenitudine potestatis a Deo Nobis concreditae, illud, illasque probamus, confirmamus, et innovamus, illudque et illas omne robur et firmamentum, omnemque vim et efficaciam in posterum semper habere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari decernimus et iubemus.

Quoad 2. positum circa baptismatis caeremonias.

Quod autem attinet ad secundam postulationem de proroganda supradicta dispensatione quam Praedecessor Noster in decennium concessit, ut scilicet per id temporis, in Sacramento Baptismatis conferendo, salivae usu abstinere, et sacras insufflationes in occulto adhibere liceret, non tamen hoc generatim, neque indistincte, sed ubi gravis aliqua et certa necessitas postularet, ut luculentius in eiusdem Litteris Apostolicis, quarum initium *Compertum exploratumque* expressum est; Nos declarare satis non possumus, quam aegre feramus quod nullis adhuc certis indiciis aut argumentis cognoscere potuerimus, utrum missionarii per id decennii tempus, quod iam elapsum esse dignoscitur, ad Apostolicarum Litterarum praescriptum, in eo pro viribus elaboraverint, atque ea, qua par erat, fide ac diligentia, omne suum studium, operamque adhibuerint, ut vanus ille horror, et parum aequa aversatio praedictorum sacramentalium, quae gentium illarum animis insidere fertur, sensim emendata, demum ab eisdem penitus deponeretur. Nemo quippe ignorat sacramentalium, de quibus agitur, usum, sive institutionis antiquitas, ex qua ritus illi in Ecclesiam derivati sunt, sive multiplex mysteriorum significatio, quae in illis continetur, sive demum Romanae Ecclesiae omnium magistrae spectetur auctoritas, quae eosdem in suis Ritualibus receptos inviolabiliter observari praecepit, iure ac merito venerandum esse, praecipuoque semper in honore habendum, et consequenter incapacem prorsus recipiendae Baptismatis gratiae eum esse, qui falso sibi persuaserit, insufflationes atque salivam aptam haud esse materiam sacramentalium caeremoniarum, gravissimique piaculi expertem non futurum, qui sic opinanti conferre illud auderet.

Et quamquam exploratum esset, gentes illas hoc pravo errore minime detineri, sed ob id tantum a praedictorum sacramentalium usu abhorrere, quod ingenita quadam, ut ferunt, aversione salivam anhelitumque abominentur, non minori tamen industria sacris ministris adnitendum est, ut ex eorum animis perperam concéptum horrorem, ineptamque aversionem eliminent atque ablegent: aliter timendum merito esset, ne illarum regionum neophyti, confirmata in ipsorum mentibus huiusmodi abominatione, eo usque desipiant, ut eandem etiam transferant ad miracula, quae per salivam Christus Redemptor noster edidit, ipsumque propterea miraculorum, et salutis nostrae Auctorem, quo nihil profecto magis impium excogitari potest, aversentur. Utque alia praetereamus, illud tandem non diutius est differendum, ut in Regnis Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi Baptismi Sacramentum rite sancteque ministretur, iisdem adhibitis sacramentalibus, et caeremoniis, quibus Romana utitur Ecclesia, ex qua ad gentes illas Fidei lux propagata est, dediscantque tandem novelli regionum illarum fideles id horrere, quod Deus dignatus est facere.

Verumtamen, ut memorata sacramentalium praedictorum abominatio suaviter leviterque ex eorum animis divelli possit, neve huiusmodi lex, quae sacramentalium usum praescribit, ad nimiam in speciem severitatem exacta, eas adducere calamitates videatur, quae ex illa, tamquam e fonte, in Ecclesias, atque Missiones dimanaturae denunciantur, Nos, enarratis de causis, dispensationem quam Praedecessor Noster in Litteris iam relatis concessit, iterum concedendam, prorogandamque decrevimus in aliud decennium, quod a die datae praesentis Nostrae Apostolicae Constitutionis est inchoandum.

Ex quo fas est intelligere, non eam esse, aut fuisse nostram, et Apostolicae Sedis sententiam, quod scilicet nullus dispensationi locus esse possit in huiusmodi sacrorum rituum, et sacramentalium materia, nec ulla dispensandi necessitas, aut sufficiens causa unquam valeat allegari. Verum, quum ex rationibus superius allatis, nullo pacto permitti valeat, venerabiles adeo ritus, ac traditum a Patribus, sancteque ab Ecclesia servatum huiusmodi sacramentalium usum penitus aboleri; vel eorum contemptui, aut erroribus circa eadem inducendis, vel iam conceptis amplius confirmandis, occasionem praeberi; idcirco omnibus dictorum Regnorum missionariis districte praecipimus, ut hac dispensatione benigne a Nobis indulta, nonnisi certis in casibus, et cum gravis id necessitas postulabit, de quo eorum conscientiam oneramus, utantur, nec nisi in praedictis casibus salivae usum in administratione Baptismatis possint omittere, et occultas adhibere insufflationes; modo ii, qui se baptizandos offerunt, in ea non sint opinione, ut credant salivam atque insufflationes huiusmodi ineptam esse, atque indecentem sacramentalis ritus materiam;

qui enim adeo falsa, atque distorta persuasione imbuti essent, tamquam indigni, et incapaces Sacramenti Baptismatis licite suscipiendi, ab eo repellendi essent. Volumus autem, atque omnibus, et singulis praedictorum Regnorum Episcopis, et missionariis in virtute sanctae obedientiae praecipimus et expresse iubemus, ut et communibus studiis atque consilis, et singuli pro virili parte, intra praefinitum decennii tempus, omnibus viribus, nervisque contendant, et, quemadmodum fuerat eisdem a sa. me. Praedecessore Nostro imperatum, non intermissis laboribus assidue curent, ut ex illarum gentium animis errorum tenebrae malesanaeque opiniones quibus obcaecantur, et miserrime detinentur, penitus discussae, ac radicitus evulsae eliminentur. Ut vero indultum, prorogatumque a Nobis tempus sanctissimis Romanae Ecclesiae caeremoniis praedictis, quae tamdiu a Sede Apostolica commendatae, atque inculcatae fuerunt, facilius apud nationes illas insinuandis vere conducat, utque ulterior huiusmodi rituum praetermissio (quam tamen extra verae necessitatis casus, ut supra, nullatenus concessam, aut licitam esse, iterum declaramus) alendis populorum erroribus, atque difficultatibus augendis confirmandisque ansam non praebeat: universis gentium illarum Episcopis et missionariis praedictis notum esse volumus, hoc exacto decennio, nullis aut precibus, aut rationibus, quae porrigi proferrique unquam possent, aliam denuo prorogationem concessum iri.

. Quoad 3. postulatum circa adsistentiam *Pareis* praebendam.

Ad tertium denique quod pertinet postulatum, ut nempe apertius, atque distinctius declaretur decreti articulus, quo laudatus bo. me. Carolus Thomas Cardinalis Turnonius sancivit, ut missionarii ad *Pareas* aegrotantes accedant, ut Sacramenta desiderantibus etiam domi administrent, ut denique illis omnia praestent spiritualia subsidia, quae charitas, religio, et officii ratio evangelicis operariis nullo discrimine, nulloque respectu, fidelibus universis, adversa praesertim valetudine conflictatis, administranda praescribunt: nemo profecto non videt, quantumvis maximae proponantur difficultates, in quas incurrere missionarii se posse dicunt, si huic praecepto tam iusto, tam sancto parere velint, ferendum tamen nullo modo esse, quod casas humiliorum huiusmodi hominum ex morbo decumbentium subire recusent, atque illos in summo etiam vitae discrimine, aut Sacramentis omnino carere sinant, aut saltem eorumdem percipiendorum maximam illis ingerant difficultatem. Nulla etenim apud Deum est personarum acceptio; nec ullum despicere fas est eorum, quos Unigenitus Dei Filius per novam generationem sibi coniunctos, non confunditur fratres vocare; quin immo *elegit Deus pauperes in hoc mundo, divites in fide, et heredes Regni, quod repromisit diligentibus se.* Quae qui contemnunt, exhonorantes pauperem, et fratrem humilem confundentes in humilitate sua, hi porro longe nimis discedunt a doctrina, et exemplo Christi Domini Salvatoris nostri, qui nos non divina tantum voce, sed magnis etiam, atque illustribus factis edocuit, quanti apud nos esse debeant qui pauperes atque abiecti per mundi insaniam vocantur: *Ecce enim,* aiebat S. Gregorius Pontifex Maximus, *ire non vult Filius Dei ad filium reguli, et tamen venire paratus est ad salutem servi. Certe si nos cuiuspiam servus rogaret, ut ad eum ire deberemus, protinus nobis nostra superbia in cogitatione tacita responderet dicens: non eas, quia temetipsum degeneras, honor tuus despicitur, locus vilescit. Ecce de caelo venit, qui servo in terram occurrere non despicit.*

Quare ut gravissimo huic malo remedium afferrent Praedecessores nostri Romani Pontifices Gregorius XV, Alexander VII, et Clemens IX in suis Apostolicis Litteris die XXXI Ianuarii anni MDCXXIII., die XVIII. Ianuarii anni MDCLVIII, et die XIII. Septembris anni MDCLXIX, respective datis, omni animorum contentione atque zelo obtinere curarunt (quod et Nos eorum vestigiis inhaerentes summopere optamus, et quantum in Domino possumus, districte praecipimus et mandamus), ut nobiles cum plebeiis in unam, eamdemque ecclesiam convenientes, una simul divini verbi pabulo reficerentur, et Ecclesiae Sacramenta reciperent, utque missionarii Regnorum Provinciarumque Orientalium Indiarum, sui officii memores, ita animo essent comparati atque dispositi, ut non secus ac nobilibus, abiectis quoque et infimae sortis hominibus, in iis quae ad spiritualem eorum profectum pertinent, praesto essent, illisque in propriis etiam domibus, etsi humillimis ac sordidis, Sacrum Viaticum ministrare minime recusarent. At, quod maxime Nos angit, sive ob immodicum illum horrorem, quo claro genere nati infimae plebis homines, ut fertur, ita aversantur, ut vel illorum contactu se commaculari, nobilitateque et gradu cadere sibi persuadeant (qui tamen horror cum sit Christi lege damnatus, e christianorum animis omnino est eliminandus); sive ob patrias leges, imperiaque regum idololatrarum, quibus christiani in iis regionibus subiecti sunt, aliave tandem de causa id evenerit; frustra certe fuerunt Praedecessorum nostrorum consilia, paternae exhortationes, praecepta demum, queis usi sunt, ut infimi huius generis hominum conversioni ac saluti procurandae, quantum optaverant, plene consulerent atque providerent.

Cum vero et Nos, Christi Domini documentis, Praedecessorumque Nostrorum exemplo excitati, anxie cogitaremus, qua ratione illud tandem reipsa consequi possemus, quod eisdem Praedecessoribus Nostris tantopere cordi fuit; opportune accidit, ut Societatis Iesu missionarii,

quorum villicationi Regnorum Madurensis, Mayssurensis, et Carnatensis Missiones potissimum concreditae sunt, postquam declarari a Nobis articulum de *Pareis* postularunt, paratos se Nobis obtulerint, pollicitique sint, modo id Nos ipsi probaremus, certos aliquos delegare missionarios, qui *Pareis* convertendis dirigendisque praecipue dent operam. Quod quidem eorum consilium, quo *Parearum* conversioni et saluti satis bene consultum fore confidimus, paterno gaudio suscipientes, pro temporum circumstantiis probandum, commendandumque esse duximus, oblationisque Nobis factae, ac religiosi promissi exemplum ab eorum Praeposito Generali subscriptum in huius Romanae atque Universalis Inquisitionis Tabularium referri, perpetuoque asservari mandavimus.

Charitatem erga omnes inculcat Pontifex.

Praemonemus itaque in primis partium illarum missionarios universos, ut quae apostolici eorum ministerii erga fideles omnes ex divina institutione potissimae partes sunt, minime obliviscantur; ac serio perpendentes, quod inter eos, qui filii Dei sunt, per fidem quae est in Christo Iesu, iuxta doctrinam Apostoli, iam non est servus neque liber, non est masculus, neque femina, sed omnes unum sunt in Christo Iesu, quod ipse quoque Salvator noster a Deo Patre suo postulaverat pro omnibus qui crediturі erant per verbum discipulorum in ipsum, rogans nimirum — *ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti*; — novos credentes instruant, oportere illos eo mutuae charitatis vinculo inter se colligari, ex qua veluti tessera, et Divini Filii ab aeterno Patre missionem, et christianae religionis veritatem facile gentiles agnoscant.

Iubet deputari sufficientem numerum missionariorum pro *Parearum* cura.

Denique vero tot statim pro *Pareis* missionarios deputari volumus et praecipimus, quot necessarii, et reipsa sufficientes reputabuntur, pro eorum debita cura singulis in locis exercenda; qui peculiari studio eorumdem domos, ubi aegrotant, pro viribus petant, ad eos invisendos, ac piis sermonibus ac precibus, Sacramentorumque pabulo recreandos, eosque demum in extremo vitae discrimine constitutos sancto infirmorum Oleo deliniendos, absque personarum aut sexus exceptione. Ubi vero contigerit praefatos missionarios ad *Parearum* curam praecipue deputatos, aut eorum aliquem e vivis excedere, vel alio abire, alterum alterius loco continuo subrogari mandamus; et intra spatium quinquennii a die datae praesentium, certissima, atque authentica documenta de mandatorum nostrorum executione Apostolicae Sedi reddi debere praecipimus. Quod si intra quinquennii spatium huiusmodi documenta reddita minime fuerint, vel iis redditis minime constiterit alios missionarios ad praecipuam illam *Parearum* curam exercendam subrogatos fuisse in eorum locum quos vel obiisse, vel alia de causa officio deesse contigerit: tum etiam, si intra spatium annorum decem omnes non fuissent adhibitae diligentiae, quae tam a Praedecessoribus nostris, quam a Nobis ipsis superius praescriptae sunt, ad evincendum, expellendumque horrorem, quo gentes earum regionum insufflationes atque salivam in Sacramenti Baptismatis administratione et susceptione aversari dicuntur: de quo tamen minime dubitare Nos sinit filialis obedientia, quam ii prae caeteris missionarii in Apostolicam Sedem se profiteri gloriantur; aut denique si omnes adhibitae diligentiae frustra cessissent: (quod secus fore confidimus, dum mentis nostrae oculos ad misericordiarum Patrem, totiusque consolationis Deum, cuius agitur causa, convertimus); in quemcumque eventum, ne Missiones illas tot virorum laboribus ac sanguine fundatas deseramus, a quo sane longissime absumus; decernimus, et mandamus, ut alii missionarii sive saeculares, sive Regulares ex alio coetu, vel instituto, in ea Regna mittantur, ut experiamur num Deus, cuius incomprehensibilia sunt iudicia, in aliorum operariorum villicationem divitias misericordiae suae effundere decrevit, eorumque labore atque industria illos fructus in praefatis regionibus, et gentibus producere, quos missionariorum nunc ibi laborantium sudoribus, nulla licet ipsorum culpa vel omissione, consequi non potuerimus.

Alias missionarii mittendi.

Et quamquam confidimus praedictos missionarios nunc et pro tempore ibi existentes, pro suo erga Apostolicam Sedem obsequio, ab excitandis turbis alienos futuros, nec ullum iussionibus Nostris obstaculum, aut impedimentum allaturos, si, dum ipsi in iis regionibus commorantur, eo novi missionarii accederent, ibique versarentur; tamen quoniam Apostolici muneris id a Nobis ratio exigit, ut caveamus pericula, quae christianae charitati offendiculo esse possent; hinc est, quod Societatis Iesu missionariis, qui in Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi Regnis tunc erunt, virtute sanctae obedientiae iubemus, atque praecipimus ut quicumque casus ex supradictis evenerit, quo vel omnia, vel aliqua ex his, quae per praesentes Litteras Nostras circa praemissa decrevimus, et observari mandavimus, intra praefinitum respective tempus, integre exacteque, ut par est, impleta non fuerint, sive id ex eorum facto, sive ex omissione, sive ex prava et contra litteralem earumdem praesentium sensum distorta mentis et voluntatis nostrae interpretatione, sive demum ex qualibet alia causa, etiam de necessitate exprimenda id contigerit; statim, relictis praedictarum regionum Missionibus, quarum in iis Regnis exercendarum, et quocumque titulo, etiam deputatorum ab Episcopis, seu Ordinariis locorum, aut simplicium suae Religionis presbyterorum, seu quolibet alio colore prosequendarum, iure omni, officio,

Documenta de mandatorum praedictorum executione exhibenda.

et facultate ex eo tempore in posterum iam nunc eos a Nobis privatos et imminutos declaramus, atque ex nunc prout ex tunc, et e contra, auctoritate Apostolica, et earumdem praesentium tenore privamus, et imminuimus, illico, non expectata alia nostra et Sedis Apostolicae declaratione, iussione, aut sententia, in Europam revertantur, uberiores, ut speramus, in hisce partibus fructus relaturi.

De aliis abusibus iam damnatis et adhuc vigentibus.

Demum, etsi ii missionarii, qui moderandas censuras, dispensandum super insufflationum, et salivae ritu in Sacramento Baptismatis administrando, atque articulum de Pareis declarandum postulaverunt, nil difficultatis praesetulerint circa alia capita decreti praedicti Caroli Thomae Cardinalis Tournonii, et Apostolicarum Litterarum Clementis Papae XII. quarum initium *Compertum exploratumque;* ex aliorum nihilominus Litteris ingenti Nostro dolore accepimus, ex missionariis alios esse, qui nulla habita interdicti a praefato Cardinali Tournonio lati, amplissimeque a Praedecessore nostro confirmati ratione, eo usque progrediuntur, ut christianis mulieribus gestare permittant monile collo suspensum, contracti tesseram matrimonii, quod regionis illius lingua *Taly* denominatum, effigiem quamdam habet informem idoli, quod profanis earum gentium nuptiis praesidere fertur; ipsisque pariter fidelibus, quo tempore ab iis nuptiae celebrantur, permittant fructum, vulgo *Cocco* nuncupatum, frangere, ad hoc ut futurorum inde auspicia vel fausta, vel infausta desumant; mulieribus demum, cum mensibus detinentur, templi accessu, et salutari Poenitentiae Sacramento interdicant. Quamobrem Nos animo reputantes quam sit execrandum, mulieres illas, quae sub Crucis vexillo militant, ornatas incedere huiusmodi insignibus, quae aut idololatriam importent, aut de gentilitatis superstitione suspecta sint, prout dubio procul est memoratum *Taly,* necessario proinde damnatum: quamque Christifideles dedeceat, ritus, caeremoniasque sequi, vel imitari, ethnicam superstitionem redolentes, qua certe non vacat illa nuptiarum tempore in praedictis regionibus usitata praefati *Cocco* diffractio, quae idcirco iure et merito pariter reprobata dignoscitur; quam denique iustum sit mensium tempore minime arcere templis, et salutari Poenitentiae Sacramento fideles mulieres quas laudabili praxi admittit Ecclesia, Redemptoris vestigiis insistens, qui sanguinis fluxu laborantem non abiecit: *Si enim,* ut olim scripsit laudatus S. Gregorius Magnus, *in sanguinis fluxu posita laudabiliter potuit Domini vestimenta tangere, cur quae menstruum sanguinis patitur, ei non liceat Domini Ecclesiam intrare?*

Decretorum S. Sedis, quae in omnibus confirmantur, observantia et executio iniungitur.

Haec inquam reputantes, ac relatis et minime ferendis abusibus pro Apostolici muneris ratione remedium adhibere quam maxime cupientes, mandamus, et virtute sanctae obedientiae, tenore praesentis nostrae Constitutionis perpetuae legis vim habiturae iubemus, atque districte praecipimus universis Episcopis, atque omnibus et singulis tam saecularibus, quam Regularibus ex quocumque sint Ordine, Congregatione, Instituto, nominatimque ex Societate etiam Iesu, in Orientalium Indiarum Regnis Madurensi, Mayssurensi, et Carnatensi existentibus apostolicis missionariis, ut omnia et singula, quae in supra insertis Clementis Papae XII. Litteris, quarum initium *Compertum exploratumque,* quas etiam auctoritate nostra, quatenus opus sit, in omnibus et per omnia approbamus, confirmamus, et innovamus, contenta sunt, tam quae supradicta capita respiciunt, quam alia quaecumque per easdem Litteras praescripta et definita, ad eorum normam, quae idem Praedecessor Noster alteris pariter superius insertis Apostolicis Litteris, incipientibus *Concredita nobis,* constituit et sanxit, non solum ipsi pro virili parte integre, exacte, absolute, inviolabiliter, perpetuoque observent, atque adimpleant, verum etiam, quantum in ipsis est, ut ab universis fidelibus, qui eorum curae sunt concrediti, exacte serventur et impleantur, omni studio ac viribus curent, atque contendant.

Adhortatio ad Episcopos et missionarios.

Denique eosdem Episcopos, et missionarios omnes rogamus et obsecramus per Dominum Iesum Christum, et per charitatem Sancti Spiritus, ut nihil aliud sapientes, praeter id, quod a Nobis et a Praedecessoribus Nostris constitutum fuit, salutare Dei, quod per eorum ministerium regionum istarum gentibus missum est, pari zelo ac puritate propagare non intermittant, omnique studio det operam, ut nedum in novellis christifidelibus veteris hominis vestigia penitus expungantur, deleanturque, verum etiam quaecumque vel symbola, vel imagines, aut figurae, atque omnis demum species mala, ipsaque veluti umbra, et odor ethnicae superstitionis ab ipsis eliminentur, illud cogitantes, eiusmodi caeremoniis, vanisque observationibus, quae idololatriae reliquiae sunt, earum gentium animos inextricabilibus veluti laqueis irretiri, ac vetustos ali confirmarique errores, quibus misere detinebantur. Quod si aliquos regionum illarum fideles, veluti parvulos adhuc fluctuantes, paganorum contemptus, contumelias, aut persecutiones, propter Ecclesiae praeceptorum et rituum observantiam, formidare conspexerint; illud ipsis illustre monitum, quod Sanctus Augustinus Ecclesiae Doctor in pari argumento reliquit, commemorare, atque inculcare non desinant: *Si quaeritis, unde vincantur pagani, unde illuminentur,* quodque ad ipsos Evangelii praecones praecipue dictum esse dignoscitur, *si quaeritis unde ad vitam vocentur: deserite solemnitates eorum, deserite nugas ipsorum.*

Clausulae.

Volumus autem atque, decernimus, easdem

praesentes Litteras *etc.* Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula *etc.*

De transmissione praesentium Litterarum Ap. ad missionarios.

Insuper volumus, et expresse mandamus, ut eaedem praesentes Litterae, seu earum exempla, etiam impressa, notificentur et intimentur omnibus et singulis memoratorum missionariorum cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Instituti, et Societatis, etiam Iesu, Superioribus Generalibus, et Procuratoribus Generalibus, ad hoc ut tam suo, quam praedictorum eis respective subditorum seu inferiorum nomine, ipsas Litteras fideliter exequi, et observare spondeant, actumque sponsionis huiusmodi in scriptis reddant; earum vero exempla praedicta, praeter ea, quae a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, ad Episcopos praedictorum Regnorum, legitime publicanda, de mandato pariter nostro, transmittentur, iidem Superiores aut Procuratores Generales pluribus viis, quanto citius fieri poterit, transmittant ad eosdem suos subditos seu inferiores in Regnis supradictis degentes, cum arctissimis praeceptis easdem Litteras et in eis contenta quaecumque, plenarie et integre, ac vere, realiter, et cum effectu in omnibus et per omnia similiter exequendi et observandi.

De earumdem promulgationis vi.

Et nihilominus, quocumque modo earumdem praesentium exempla in praedictis Regnis legitime publicata fuerint et promulgata, volumus, ut statim post huiusmodi publicationem, omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, declarationum, decretorum, praeceptorum, mandati, statuti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

348

Const. Bened. PP. XIV *6 Nov. 1744.* — De iurisdictione Episcoporum quoad ecclesias parochiales Regularium, et personas curam animarum subditorum saecularium in eis exercentes. — Firmandis, atque asserendis Ecclesiasticae disciplinae regulis studiose intenti Praedecessores Nostri Romani Pontifices, consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiae curam animum adiicere, easque Apostolicas Constitutiones opportune promulgare, quibus gliscentes morum corruptelas resecarent, et inordinatas humanae arrogantiae praesumptiones reprimerent. Cui rei obtinendae utilissimum plane experti sunt, vel antiqua Patrum constituta renovare, interpretari, aut declarare, vel competentium romanae curiae tribunalium, sive Congregationum iudicata et responsa colligere, confirmare, aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire videtur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sane ratione fel. rec. Praedecessor Noster Clemens Papa X per suam Constitutionem, quae incipit *Superna,* datam 11 kal. Iunii anno 1670, inhaerendo pluribus resolutionibus Congregationum, S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium ac Tridentini Concilii interpretationi auctoritate Apostolica praepositorum, multa constituit circa debitam a Regularibus erga Episcopos locorum Ordinarios observantiam, et subiectionem; tam in petenda eorum licentia et benedictione pro verbi Dei praedicatione in ecclesiis etiam suorum respective Ordinum habenda, quam in approbatione et facultate ab eisdem obtinenda pro administrando saecularibus Poenitentiae Sacramento. Ita pariter se gessit recolendae memoriae Praedecessor Noster Innocentius Papa XII quum, ad normam plurium resolutionum Congregationis Concilii praefatae, certas sacrarum Ordinationum regulas, et singulorum Episcoporum iura in proprios subditos praefinivit, lata Const. quae incipit *Speculatores:* sub datum pridie 9 Novembris anni 1694.

De more Rom. Pontificum inhaerendi Praedecessorum Constitutionibus et Congregationum decretis.

Clementis X exemplum.

Item Innocentii XII.

§ 1. Hanc ipsam rationem Nos ipsi secuti sumus in Apostolicis nostris Literis, quarum initium est: *Sacramentum Poenitentiae,* anno 1741 kalendis Iunii datis, in quibus nonnulla decrevimus et statuimus adversus sacerdotes in sacramentali Confessione suos poenitentes in causis huius generis, diversis temporibus et turpia sollicitantes, iuxta declarationes in casibus prolatas a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium Inquisitorum. Idipsum nuperrime egimus, dum Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis Encyclicas Literas dedimus sub die 19 Augusti huiusce anni 1744 quarum initium est: *Cum semper oblatas,* quibus a praedictae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis resolutionibus et placitis neutiquam discedentes, plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum curam gerentes, Missam pro populo applicandi diebus saltem festis de praecepto; tum etiam ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum canonici, aliique de earum gremio, Missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a Nobis servatum iri declaramus, dum Episcoporum iura, quod attinet ad visitationem ecclesiarum parochialium ad Regularium monasteria

Item ipsius Benedicti XIV.

pertinentium, hac nostra perpetuo valitura constitutione asserere, atque, ut infra, definire et constituere in animum induximus.

Decretum Concilii Trid. circa Episcopi iurisdictionem in regularium ecclesias.

§ 2. Animarum curam in saeculares personas exercentes in iis Ecclesiis, quae Monasteriis seu domibus virorum aut mulierum adnexae sunt, sive ipsi regulares sint, sive saeculares, Sacri Tridentini Concilii praescripto, *sess. 25 cap. 11 de Regularibus,* subesse debent, *immediate in iis, quae ad dictam curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi, in cuius dioecesi* praedicta monasteria *sunt sita,* exceptis dumtaxat iis monasteriis seu locis, *in quibus Abbates Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem, et temporalem in parochos, et parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca, vel personas iurisdictionem exercent.*

Greg. XV firmat eamdem iurisdictionem in omnes animarum curam exercentes, aut Sacramenta administrantes.

§ 3. Cum itaque nonnulli sacerdotes ab Episcopali iurisdictione exempti, quos neque parochos, neque animarum curae addictos esse constaret, ausi fuissent aliquibus christifidelium matrimoniis interesse, sine praevia Episcopi aut parochi licentia; quaesitum fuit, utrum huiusmodi sacerdotum correctio, atque in eosdem animadversio ad Episcopum, an vero ad eorum superiores, privative spectaret; cumque ii privativum eiusmodi ius ex eo deducerent, quod Tridentina Synodus *loco cit.* dum facultatem tribuit Episcopis corrigendi et puniendi sacerdotes ab eorum iurisdictione exemptos, in his, quae ad animarum curam, et Sacramentorum administrationem pertinent, de iis dumtaxat sacerdotibus loquitur, qui vel parochi sunt, vel animarum curam exercent, cuiusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur: futilem hanc, vanamque praesumptionem reprimere statuit fel. rec. Praedecessor Noster Gregorius Papa XV, ac de consilio Congregationis Sacri Concilii Tridentini Interpretis, edita Constitutione, quae incipit *Inscrutabili,* data 9 Febr. anno Incarnationis Dominicae 1622 decrevit ac declaravit, *ut deinceps tam Regulares, quam saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium Monasterii, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis ecclesiis, vel beneficiis; sive regularibus, sive saecularibus incumbentem exerceant, sive aliis ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praevia Episcopi licentia, et approbatione; sive quoquo modo in dictae curae exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant; in his, quae eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimode iurisdictioni, et visitationi, correctioni, dioecesani Episcopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus subiiciantur.*

Alias de re quaestiones definire intendit Pontifex.

§ 4. Hac controversia per Constitutionem Gregorianam e medio sublata, non ideo ab aliis quaestionibus et litibus circa idem rerum genus promovendis cessatum fuit, pluraque dubia tam in Congregationibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, quam in Auditorio Rotae, frequenter agitata et resoluta fuerunt, circa peculiarem quorundam actuum naturam, an scilicet iidem censendi essent ad animarum curam, seu ad Sacramentorum administrationem pertinere; et consequenter, an Episcopos in visitandis Regularium Ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, posset, nec ne, suam circa huiusmodi actus iurisdictionem exercere; tum etiam, an hoc aut illud monasterium dici posset ordinaria et principalis Sedes Abbatis Generalis, seu Capitis Ordinis, ideoque Ecclesia huiusmodi monasterio adnexa, quamvis parochialis foret, Episcopo in visitatione subiecta non esset. Cum igitur resolutiones in praedictis Curiae nostrae Tribunalibus circa huius generis quaestiones identidem captas, earumque rationes et fundamenta, diligenter et considerate perpenderimus, consilium quoque, et sententiam audierimus aliquot ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliorumque virorum in iuris Canonici scientia praestantium; nonnulla super his de Apostolicae potestatis plenitudine decernere deliberavimus, ac praesenti nostra Constitutione inviolabilem quamdam normam praefinire, qua posita, omnes de caetero lites, et controversiae praedictis de rebus, si fieri possit, penitus eliminentur, atque omnia submoveantur obstacula, quae debitam Decretorum Sacri Tridentini Concilii executionem in re tam gravis momenti impedire, aut retardare hactenus consueverunt.

Sacerdotes pastorali visitationi praemissi, a parochis etiam Regularibus excipiendi.

§ 5. Optimo sane consilio ab Episcopis pastoralem visitationem aggredientibus praemitti solent in singulae Dioecesis loca aliqui sacerdotes missionarii, qui ante ipsorum adventum, praedicationibus verbi Dei, et administratione Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, spiritualem populorum profectum, et animarum salutem, qui potissimus est pastoralis visitationis scopus, studeant promovere. Inventi sunt autem ex iis Regularibus, quorum ecclesiis incumbit parochialis saecularium cura, qui in dubium revocarent, an huiusmodi missionarios, sive saeculares, sive alterius Instituti vel Ordinis Regulares, ab Episcopo missos tamquam visitationis suae praenuntios, in propriis ecclesiis et domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere et recipere ipsi tenerentur. Quod dubium, quum in Congregatione S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium

proposita examinatum fuisset sub die 31 Augusti anni 1658, affirmative resolutum fuit; ut scilicet praedicti missionarii etiam a Regularibus parochis seu curatis libenter excipi debeant, omnibusque rebus iuvari, quibus ad iniunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit. Quod Nos quoque probamus, et auctoritate Apostolica confirmamus, atque in posterum (quoties id opus esse, prudenti Episcopi arbitrio iudicatum fuerit) ab omnibus huiusmodi parochis seu curatis praecipimus observari.

Episcopus potest in Regularium ecclesiis Sacram. Confirmationis administrare.

§ 6. Sed et in ipso visitationis cursu, atque etiam extra illam, aliqui Regulares ex suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio solliciti, hanc Episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret, in ipsorum Regularium ecclesiis, sive parochialibus, sive non parochialibus, Sacramentum Confirmationis administrare; quae quidem controversia in Congregatione Concilii, partibus plenissime auditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmodum et Nos generaliter et sine exceptione eamdem definimus.

De iis quae Episcopus visitare potest in ecclesiis Regularium.

§ 7. In exequenda vero pastorali visitatione ecclesiarum parochialium, quae a Regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia ecclesiarum huiusmodi altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum Tabernaculum: Fontem quoque baptisterii, si adsit; item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet; pulpitum ecclesiae, e quo Parochus ius habet, verbi Dei, iuxta praecipuum ministerii sui munus, annunciandi, sacrarium pariter ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex, pro Sacramentis tam intra ecclesiam, quam extra illam decenter administrandis; sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum, coemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum, praeter res supra enunciatas, omnia sacra vasa, quibus vel Particulae consecratae servantur, vel Sacra Olea sive in Baptismo sive in Extrema Unctione adhibenda, vel aqua Baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad Ecclesiae fores poni consuevit.

De episcopali visitatione circa parochi personam.

§ 8. Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi; cuius quidem, si Regularis sit, agendi rationem, in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius Regularis instituti, non est Episcopi inquirere, quum ad ipsius Superiorem Regularem privative id pertineat. Licet tamen Episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit, ipsius parochi seu Curati, etiam Regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierunt, rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad populi aedificationem, vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini Congregatio sapienter decrevit, et Nos etiam earumdem praesentium tenore decernimus, et statuimus.

§ 9. Ad personalem quoque parochi visitationem, proindeque ad Episcopi ius et officium pertinet ea occasione examinare, an titulo legitimo parochus etiam Regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad Synodum vocatus, iverit; an Congregationes seu Conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an onera, quae secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an Missam pro populo applicaverit diebus festis de praecepto; an iisdem festis diebus omnia praestiterit, quae a Sacro Tridentino Concilio praescripta sunt, populum verbi Dei praedicatione, et pueros in Fidei rudimentis christianaeque doctrinae praeceptis instruendo; an, statis diebus, excipiendis fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet, et Sacramenta Ecclesiae tempestive conferat; an pueros et puellas ante susceptionem Sacramenti Confirmationis, tum etiam ante primam eorum Communionem, opportunis instructionibus erudierit; an priusquam fideles ad matrimonia in faciem ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter contrahentes impedimentum existere, eosdemque libere matrimonio consentire, ac demum in doctrina christiana, maxime vero in praecipuis religionis nostrae mysteriis, illos instructos esse; denique an parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum baptizatorum, ubi fons baptismalis adsit in ipsius ecclesia, tum Sacro Chrismate confirmatorum, libros etiam matrimoniorum, et status animarum.

Parochi Regularis correctio ad praesulem Regularem cumulative cum Episcopo spectat.

§ 10. Uno verbo quidquid Episcopus a parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, Regulari observantia unice excepta, a parocho Regulari exquirere, et exigere potest; atque ubi hunc muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronunciare, ac meritas in eumdem poenas statuere; in quo nihilominus Episcopi facultates minime privativae sunt, sed Praesul Regularis ius cumulativum cum ipso habet; ita tamen, ut si aliter a Superiore Regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, huius, non vero illius, decretis sit standum; prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete iudicatum fuit, Nosque auctoritate Apostolica probamus, confirmamus, atque decernimus. Privativum tamen Episcopi ius est in parochia-

Privativum Episcopi ius in parochianorum mores inquirendi.

norum mores inquirere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere eaque opportunis remediis resecare et reformare: nec enim Superioribus Regularibus in huiusmodi saeculares parochiae subditos ulla competit iurisdictio.

De iure removendi parochum Regularem.

§ 11. Eveniente autem casu, quo vel Episcopus, vel Superior Regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio Curae removendum, eademque privandum esse iudicaverint; quoniam huiusmodi parochis, sine praevia Episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad huiusmodi remotiones procedere, sine Superioris Regularis consensu, et an remotionis causa eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam an Regularis Superior ad similem remotionem et privationem suo iure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re, supradicta Congregatio Concilii decrevit, huiusmodi Parochos tam ab Episcopo, quam a superiori Regulari, aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas iudicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere. Id quod a nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

De exemptione locorum in quibus Superiores Regulares iurisdictionem habent episcopalem.

§ 12. Postquam vero Tridentina Synodus loco superius laudato declaravit, praedictos curatos seu parochos tam saeculares, quam regulares, animarum curam exercentes in monasteriis seu domibus religiosis, quibus huiusmodi cura personarum saecularium incumbit, subesse debere immediate, in iis, quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, (quod quidem, iuxta magis receptam Tribunalium huius Nostrae Curiae sententiam, intelligitur de iurisdictione Episcopi ordinaria, non vero de delegata); illa tamen monasteria seu loca ibidem a Concilio excipiuntur, in quibus Abbates, aut alii Regularium superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo nihilominus eorum Episcoporum iure, qui alia quapiam ex causa seu titulo, maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent. Quare nonnullis Episcopis contendentibus, licere sibi, saltem tamquam delegatis a Sede Apostolica, in parochos praedictos, sive in parochianos, aliquem iurisdictionis actum exercere, Congregatio Concilii respondit, quod ubi Abbas, aut superior Regularis suam probat iurisdictionem episcopalem et temporalem in ipsos parochos et parochianos, et contra Episcopus probare nequit ampliorem in eosdem iurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debeat Episcopus tam a visitatione, quam ab alio quocumque iurisdictionis actu in huiusmodi parochos et parochianos. Quod quidem, veluti ipsius Concilii decretis consonum, Nos etiam Apostolica confirmatione roboramus.

De exemptione locorum in quibus Abbates Generales seu Capita Ordinum sedem habent principalem.

§ 13. Similiter ab Episcopi iurisdictione, visitatione, et correctione, etiam in his, quae ad animarum curam et Sacramentorum administrationem spectant, praedicta Sancta Synodus excipit tam saeculares, quam Regulares parochos, qui animarum curam exercent in iis monasteriis seu locis, in quibus Abbates Generales aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent: quae exceptio, sive limitatio, pluribus controversiis occasionem praebuit. Et primo, an ad inducendam huiusmodi exemptionem ab episcopali visitatione, satis sit, quod in aliquo monasterio resideat Abbas Regularis, licet is Ordinis sui Generalis non existat. Super quo praefata Concilii Congregatio pronunciavit, non sufficere Abbatis cuiuslibet residentiam, nisi sit Abbas totius Ordinis sui Generalis. Tunc enim Tridentinum Concilium simplices Abbates, aut Regularium Superiores nominat, quum ab Episcopi iurisdictione ac visitatione eximit parochos ecclesiarum seu monasteriorum, in quibus Abbates aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem exercent; qua iurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices Abbates aut Superiores Regulares gaudere, quamvis non sint Ordinum Generales. De Abbatibus autem Generalibus, seu Ordinum Capitibus tunc loquitur eadem Sancta Synodus, quum a iurisdictione, et visitatione episcopali exemptos esse indulget eorum monasteriorum seu locorum parochos, in quibus Abbates Generales praedicti, aut Capita Ordinum, Sedem ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit Concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum iudicari et censeri debere statuimus: minime attenta distinctionis nota, quae in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum *Abbates,* aliudque *Generales,* utpote quae nullatenus reperitur in exemplari authentico actorum ipsius Concilii, quod in Arce Sancti Angeli asservatur; quodque, ut genuinam huius loci lectionem certo cognosceremus, diligenter inspici fecimus, proindeque a praedictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

Prima quaestio.

Altera quaestio.

§ 14. Altera quaestio est, an ad obtinendam exemptionem ab episcopali iurisdictione et visitatione, sufficiat, quod aliquod monasterium, Superioris Generalis sedes ordinaria existat, an vero praeterea requiratur, ut ipsum monasterium sit Caput Ordinis. De quo, quidquid alii opinati fuerint, decernimus sufficere,

quod monasterium seu domus, sit ordinaria et principalis sedes Superioris Generalis; prout a Congregatione Concilii constanter iudicatum fuit; quum verba Tridentini, de Capitibus Ordinum loquentis, non ad loca, sed ad personas Praesulum Regularium in locis residentium referantur.

Tertia quaestio. § 15. Tertio dubitari contingit, an exemptio ab Episcopi visitatione quam Tridentina Synodus, ut supra, concedit ecclesiis parochialibus eorum monasteriorum, in quibus resident Abbates Generales aut Capita Ordinum, ad alias quoque parochiales extendatur, quae praedictis monasteriis unitae sunt, et ab eisdem dependent. Sed quum de aliis hisce ecclesiis unitis taceant Conciliaria Decreta, neque porro eadem ratio honoris cuiusdam et reverentiae habendae erga Superiores Ordinum Generales in propriis monasteriis vel Ecclesiis residentes, locum habeat in aliis parochialibus, eisdem monasteriis, ut praefertur, unitis; quod pluries Congregatio Concilii censuit, huiusmodi scilicet ecclesias unitas, minime exemptas esse a iurisdictione et visitatione Episcopi, quamvis illae a parochis regularibus administrarentur; id ipsum Nos, praedictae Congregationis resolutionibus inhaerentes, decernimus et constituimus.

Quarta quaestio. § 16. Quaesitum fuit quarto loco, an ratione exemptionis a iurisdictione Episcopi, quae competit supradictis rectoribus ecclesiarum residentialium Superiorum Generalium, et propter eorumdem rectorum omnimodam subiectionem iurisdictioni et correctioni praedictorum Generalium Regularium, ius aliquod, et iurisdictio attributa sit iisdem Superioribus Generalibus in saeculares subditos huiusmodi ecclesiarum, sive parochianos, an vero dicendum sit ius istud ad Episcopum privative pertinere. Super quo decernimus, Episcopo plenam et privativam iurisdictionem competere in parochianos, ad eumdemque Episcopum pertinere, non solum propriam auctoritatem et consensum (praevio examine per se ipsum, vel per Vicarium suum faciendo) interponere, quotiescumque Superior huiusmodi Generalis aliquem sive saecularem, sive regularem parochum seu Curatum, etiam ad nutum amovibilem, ad exercendam in praedictis ecclesiis animarum curam personarum saecularium deputare voluerit; sed etiam si Episcopus huiusce Parochiae regimen a supradictis parochis exemptis sive saecularibus, sive regularibus, non recte administrari cognoverit; posse ipsum, et aliquando etiam debere pro sui officii munere, apud Superiorem Generalem instare, ut parochum seu curatum huiusmodi ab animarum cura removeat; implorata quoque, quatenus opus sit, Apostolicae Sedis auctoritate, si nempe Generalem praedictum, aut reluctantem, aut parocho plus aequo faventem invenerit.

Quinta quaestio. § 17. Praecipua in hac materia quaestio illa fuit, quaenam essent monasteria, in quibus Abbates Generales, seu Capita Ordinum, sedem ordinariam principalem habent; contendentibus nonnullis, quodlibet monasterium, aut locum quemlibet, in quo Abbas Generalis sive Caput Ordinis manet, inibique moratur, sedem ipsius ordinariam principalem dici oportere, ita ut eiusdem monasterii aut loci parochus ab episcopali iurisdictione et visitatione immunis statim fiat. Verum vaga et arbitraria huiusmodi sedes, quae a sola Superioris Generalis praesentia naturam sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi, tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur. Quapropter quum Nobis compertum sit, in aliquibus Ordinum Regularium Constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia Superioris Generalis, eiusque curiae; in aliis vero Ordinibus, ubi Constitutiones de eo nihil statuant, eamdem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam; quoties de Ordinum huiusmodi Superioribus Generalibus agatur, eorum sedem ordinariam principalem, ad effectum de quo agitur, illam esse, et censeri decernimus, quae ab ipsorum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribendi dignoscitur; idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo, quacumque de causa, Superior Generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis Sede haberi praecipimus, licet ipse Generalis ibi actu non resideat.

§ 18. Quod si aliqui sint Religiosi Ordinis seu Congregationis, quorum Constitutionibus, vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo Abbas Generalis, seu Caput Ordinis residere debeat, nullum monasterium pro eiusdem Generalis Sede ordinaria principali, ad effectum eximendi parochum ab Episcopi iurisdictione et visitatione, ex eo tantum haberi debere statuimus, quod solus ipse Superior Generalis in eo degat, absque consuetis ministris, quos in Ordine regendo socios habet; sed illud dumtaxat monasterium pro sede generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse Superior Generalis, seu Caput Ordinis, initio Generalatus, elegerit pro sua stabili residentia, et officialium seu ministrorum praedictorum. Verum, si facta, semel huiusmodi electione, eamdem postmodum variare praesumpserit, declaramus, neque monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae et principalis generaliter sedis habiturum.

Exceptio circa praedictam exemptionem. § 19. In omnibus autem praemissis exemptionum casibus, salvum semper atque illaesum esse volumus eorum Episcoporum ius, si qui sunt, qui supradictas parochiales Ecclesias, earumque rectores visitare consueverint, nimirum tam illas, quae monasteriis seu domibus iis adnexae sunt, in quibus Generales Ordinum

Superiores sedem ordinariam principalem, vel a suorum Ordinum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praefinitam habent; quam eas, quae ab ipsis Superioribus Generalibus alias pro ordinaria principali residentia fuerint electae, et nihilominus, huiusmodi residentia durante, Episcopi visitationi, iurisdictioni et correctioni subiectae fuerint.

Clausulae. Decernentes praesentes nostras Litteras *etc.*

349

De Apostolicarum Constitutionum circa ritus sinenses opportunitate.

Litt. Ap. Bened. PP. XIV *19 Dec. 1744.* (AD EP. PEKINEN.) —... In tuis litteris asseris quidem quod cum per quatuordecim annos operam laboresque tuos in sacris missionibus antea peragendis impenderis, atque adeo optime noveris istarum partium ac populorum ingenia et rerum vices, ac contestari prae caeteris possis, praesentia certe tempora exposcere non angustiari vasa carnis, sed dilatari spatia charitatis; ac propterea melius fuisse consultum res omnes in eodem quo reperiebantur statu relinquere, cum in praesentia omnis spes de exigenda a christifidelibus istarum partium debita Apostolicis Constitutionibus obedientia penitus praecisa videatur: apostolica namque sacrosanctum Iesu Christi Evangelium praedicandi libertas non tam impedita quam certe sublata est; quippe quod christifideles per vim metumque ad idolorum templa trahuntur; unde timendum est ne proximum immineat sacris Missionibus excidium: nec Fraternitati tuae, nec aliis in vinea Dei adlaborantibus, insunt vires, quibus per vim etiam christifideles, ut vestris mandatis ea qua par est reverentia obediant, cogi possint; Tartari pariter, et ipsi fideles, tam intra Pekini moenia quam in suburbiis, sub gravi durae servitutis iugo degentes, omni procul dubio antiquis indulgentiis permissionibusque per abusum inhaerentes, ne a dominis ad Imperatorem deferantur, Apostolicarum Constitutionum observantiam periculis ac tormentis posthabebunt: quamvis Fraternitas tua aliique missionarii per pastorales exhortationes monere obtestarique minime omittant.

At liceat ut Fraternitati tuae replicemus, post susceptum consilium onusque per tot annos retinendi servarique faciendi patrios sinarum ritus, priscasque caeremonias, propositis tot tantisque in varias partes trahentibus dubiis et disputationibus, post diuturnam accuratissimamque, adhibitis diligentiis, requisitisque debitis notitiis, eorumdem rituum et caeremoniarum discussionem, fierine poterat ut sine gravissimo conscientiae angore consilia tanta providentia capta, et constitutiones tanta sapientia propositae amplius differrentur? Certe, si obfirmatis patronorum proscriptorum rituum caeremoniarumque huiusmodi sensibus votisque assensum satisfactumque fuisset, nunquam profecto advenisset tempus, verba tua usurpamus, angustiandi vasa carnis. Nos quidem non latet, vobis deesse cogendi compellendique vires; sed scimus et certi sumus eamdem inesse vobis virtutem quam habebant sanctissimi Iesu Christi Apostoli (si tamen apostolico spiritu ducti ad Evangelium praedicandum ad remotissimos populos accessistis), qui reponentes omnem fiduciam in eo qui eos confortabat, Deo, et ferventis charitatis zelo, et verbi divini ministerio, non solum gentes ad credendum perducebant, sed credentes etiam, nova Fidei germina, collectumque Iesu Christi gregem providentissime regebant, et suaviter fortiterque incendebant, et excitabant ad illud iucundissimum spectaculum a Minucio Felice descriptum, praesertim ubi ob oculos ponit laetitiam christifidelium, qui intentatas minas obiectaque tormenta despicientes, libertatem suam adversus reges et principes erigebant, soli Deo cedebant.

Ingenti cum animi nostri dolore, et graviori quam explicari possit moerore tuum excepimus sane nuntium de persecutionibus isthic adversus sacrosanctam Iesu Christi religionem saevientibus: verum quod huiusmodi persecutiones, si minime fuissent proscripti ritus caeremoniaeque sinenses, si minime sublatae fuissent indulgentiae permissionesque laudati Caroli Ambrosii Patriarchae, vel desinerent, vel mitiores fierent, sive praedicandi Evangelium libertas magis coalesceret, nec christifideles ad idolorum templa raperentur: haec ne ii quidem sibi qui res iuxta humanae prudentiae regulas diiudicant, nunquam persuadebunt; quanto magis eadem in animum nunquam inducent suum ii quibus pro comperto exploratoque est, quod christiana religio inter persecutiones semper increverit adoleveritque?

Omnibus iam notum est, in rebus ad orthodoxam religionem spectantibus, patientiam sive tolerantiam, ubi de superstitione vel idololatria agitur, nullo pacto haberi posse: tunc enim, iuxta Tertullianum, *Omnis patientia huiusmodi, idololatria.* Caeterum unicum ac singulare solatium, quo Nos dolentes moerentesque consolamur, inde affertur, quod ex tuis litteris perspicimus, Te pro debita Apostolicis Constitutionibus ac decretis observantia probe studiosum planeque accensum esse. Quamobrem fore in Patre misericordiarum et Deo totius consolationis confidimus ut christifideles proposito Fraterniratis tuae exemplo, zelo, opera, consiliis et monitis exciti, orthodoxam fidem integram, reliquiarumque gentilitatis omnino puram putamque, ad principis etiam tenebrarum contemptum despicatumque, constanti pectore profiteri, et coram omnibus Iesum Christum confiteri non erubescant. Nam *utile est et salutare,* ut S. Cyprianus Episcopus et Martyr verbo et opere docuit, *cum se Episcopus per firmamentum fidei fratribus praebet imitandum.*

Interea a bonorum omnium largitore Deo uberrimam coelestium charismatum copiam Fraternitati tuae adprecantes, Apostolicam benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, etiam peramanter impertimur.

350

An missionarii qui iuramentum circa ritus sinenses in Europa praestiterunt, in Sinis renovare teneantur.

Decr. S. C. de Prop. Fide *11 Febr. 1745.* Cum in dioecesi Pekinensi Imperii Sinarum non ita pridem excitatum fuerit dubium an missionarii, tam saeculares quam regulares, a S. Sede cum litteris patentibus S. Cong. de Prop. F. iam missi ad illas excolendas Missiones, aliorumque finitimorum Regnorum ac Provinciarum eis adiacentium, atque in eis actu existentes, qui iuramentum praescriptum in Constitutione s. m. Clementis XI incipiente *Ex illa die* in Urbe praestiterunt in manibus Eminentissimi pro tempore Praefecti, seu R. P. D. Secretarii eiusdem Sacrae Cong., vel in aliis Europae regionibus coram aliis ab ipso specialiter deputatis, tenerentur, vigore eiusdem Constitutionis, et sub poenis in ea contentis, illud renovare in manibus Episcoporum Ordinariorum aut Vicariorum Apostolicorum illarum partium: cumque modernus R. P. D. Episcopus Pekinensis ad tollendam, eam circa rem, quamcumque dubitationem memoratae Sacrae Congr. supplicaverit declarari quid in futurum servandum sit: SSmus D. N. Benedictus XIV, referente Emo ac Rmo Dño Cardinali Petra Praefecto, mandavit missionarios iam missos, actuque in antedictis Missionibus existentes, qui iuramentum praefatum in Europa ex permissione S. Sedis praestiterunt, illud vero in dictis Missionibus ante inceptum Evangelici ministerii exercitium non renovarunt, non esse inquietandos; mittendos autem in posterum teneri exhibere Episcopis Ordinariis seu Vicariis App. in quorum respective iurisdictione commorabuntur, vel aliis ab ipsis deputatis, documentum iuramenti in Europa praestiti, iuxta tamen novam formulam contentam in novissima Constitutione Senctitatis Suae incipiente *Ex quo,* illudque in eorum respective manibus denuo emittere, antequam exercitium Missionis aggrediantur.

351

De simultanea Baptismatis et Confirmationis collatione.

Ex Const. *Eo quamvis tempore* **Benedictus XIV** *4 Maii 1745.* — Licet apud occidentales Ecclesias in more posita quandoque fuerit Baptismatis et Confirmationis simultanea collatio, et haec consuetudo in aliquibus dioecesibus anteacto tempore inoleverit, iuxta exempla relata a *Vicecomite in tract. de Confirmat. cap. 14,* et a Martene *De antiq. Eccles. Rit. lib. 1, cap. 2, art. 1,* nihilominus abrogato prorsus a Romana Ecclesia aliarum matre et magistra huiusmodi more, consultissimis Summorum Pontificum decretis provide cautum est ut renatis fonte Baptismatis conferretur Sacramentum Confirmationis in ea solum aetate in qua fideles, evacuatis quae erant parvuli, intelligerent tantum inter se differre Baptismum et Confirmationem, quantum in naturali vita distat generatio ab incremento; seque per Baptismum fuisse quidem ad militiam receptos, per Confirmationem vero ad pugnam roboratos et ad perferendos agones per gratiam instructos.

352

De Viatici delatione Feria VI in Parasceve.

S. Rit. C. *15 Maii 1745.* — Lucana — An sit laudandus parochus qui Feria VI. in Parasceve, dum defert SSmum Sacramentum ad domum sui parochiani infirmi, pro ministrando ei Viaticum, per vias publicas recitat consuetos psalmos, sed in fine illorum omittit ℣. *Gloria Patri,* et ingressus ecclesiam statim reponit sacram Pyxidem et dimittit populum absque benedictione.

R. Non est reprobandus parochus qui defert SSmum Viaticum infirmo Feria VI. in Parasceve, dummodo privata et submissa, quinimo submississima voce recitet psalmos consuetos per vias publicas, etiamsi dicat ℣. *Gloria Patri* etc.; quia in tali circumstantia actio nihil habet rationis cum functionibus Ecclesiae huius diei; et considerandum est quod deferri debet cum stola albi coloris quando Feria supradicta color paramentorum est niger pro Ecclesiae functionibus: ideoque si defert privatim pro aliqua necessitate, populum absque benedictione dimittat Feria VI. in Parasceve, quia in publica ecclesia non debet recondi.

353

An liceat baptizare proles natas ex parentibus quorum unus christianus, gentilis alter.

S. C. S. Officii *18 Novembris 1745.* — 1. An proles ex matre christiana et patre gentili et viceversa, matre vel patre gentili invito aut inscio, licite a missionario baptizari possint. Contingit enim plerumque quod similes proles baptizatae adolescentiores factae patrem aut matrem infidelem sequantur, et superstitiosa ac idololatrica quaecumque more gentilium exercendo, nec audire volunt pia monita partis fidelis, patris scilicet aut matris, etsi saepius iterata.

2. An, patre vel matre gentili in baptismum consentiente, proles a patre vel matre christiana natae licite baptizari valeant. Accidit enim frequentissime quod tempore baptismi pater vel mater gentilis consentiat, et postea videndo proles adolescere, eas ad superstitiosa agenda inducat ac ita, universaliter loquendo, ex centum similibus prolibus adolescentioribus factis, si pater aut mater infidelis remaneat, vix decem religionem sanctam sequantur.

R. Ad 1. Prolem ex matre christiana et patre gentili et viceversa, patre vel matre gentili in-

vito aut inscio, regulariter loquendo licite baptizari posse iuxta responsum Gregorii XI in cap. *Ex litteris, De conversione infidelium* et communem doctorum sententiam, sed cum plerumque, uti exponitur, contingat proles, uti supra, baptizatas patrem aut matrem infidelem sequi, servandam esse constitutionẽm SSmi D. N. quae incipit *Inter omnigenas* editam die 2 Februarii anno 1744 pro clero et populo regni Serviae in qua haec habentur: « Istarum vero filios quos parochis baptizandos exhibent ubi eorum vitae periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere praedicti parochi minime dubitent, admonitis matribus ut, si convaluerint, ipsos in christiana religione educare sedulo curent. De iis vero qui validam ac vivacem corporis constitutionem praeseferunt et nullo superstitioso fine sed unico salutis obtinendae voto ad baptismum a supradictis matribus offerantur, quoniam impossibile est singulas rerum circumstantias expendere quae suadere possunt vel eos in evangelico legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab huiusmodi matribus fraudatos mahumetani patris impietatem secuturos esse, perpensis etiam infantilis aetatis periculis ob quae tertiam plerumque hominum partem ante completum decennium extingui ferunt, nihil expresse iubendum censemus, Ecclesiaeque ministros dumtaxat hortamur, ut invocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti iuxta illius ductum et prudentiae suae dictamina se gerant. Quod si eos ad baptismum admitti posse crediderint, ne omittant matribus inculcare districtam obligationem qua tenentur huiusmodi Ecclesiae filiis si ad rationis usum pervenerint, notam facere veritatem Dei, eosdemque in disciplina et correctione Domini educare ».

Ad 2. Licite baptizari posse prolem a patre vel matre christiana natam, si pater vel mater gentiles in baptismum consentiant. Sed quia, uti in casu exponitur, frequenter contingit quod gentilis qui consensit in baptismum prolem deinde inducat ad superstitiosa, servandam esse et prae oculis habendam Constitutionem, de qua in responsione ad primum.

354

An liceat catholicis associare cadavera haereticorum.

S. C. S. Officii *9 Dec. 1745* — An liceat catholicis una cum missionariis associare cadavera haereticorum quae ad ipsorum templa deferentur, et eorum funeri interesse cum candelis accensis.

R. Non licere, id enim esset se commiscere ritibus haereticorum.

355

De patrinis haereticis et catholicis in Baptismate.

S. C. S. Officii *9 Dec. 1745.* — Miss. Aegypti. — An liceat catholicis haereticos advocare ut patrini sint in baptismate quod filii eorumdem catholicorum suscipere debent; et an catholici ab haereticis invitati possint esse patrini in baptismate quod ipsorum filiis confertur.

R. *Sanctitas Sua* (Bened. XIV) *iussit responderi sequenti Instructione:*

Nequeunt haeretici fungi officio patrinorum in baptismate catholicorum.

« Officium parochi est, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, » ad quos spectat, sciscitari quem vel quos » elegerint, ut baptizatum de Sacro Fonte suscipiant; debet enim eorum nomina in libro » describere, et insimul animadvertere, ut unus » tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo » suscipiant: uti conceptis verbis statutum fuit » a Concilio Tridentino Sess. 24 *de Reformatione Matrimonii* Cap. 2.

» Ex vetustissima Ecclesiae consuetudine » ad sacram et salutarem ablutionem celebrandam patrini adhibentur, qui etiam sponsores, » susceptores, seu fideiussores a scriptoribus » rerum divinarum vocantur, iuxta adnotata in » Cathechismo Concilii Tridentini ad Tit. *de* » *Baptismi Sacramento* paragr. 25; et si fides » praestanda est scriptori satis erudito, Ioseph » videlicet Vicecomiti in suo tractatu *de Baptismi ritibus et caeremoniis* Lib. 1 Cap. 30, » mos hic adhibendi patrinos in Baptismo initium habuit a temporibus Apostolorum, et » eorum munus est spirituales filios perpetuo » commendatos habere; atque in iis, quae ad » christianae vitae institutionem spectant, curare diligenter ut illi tales se in omni vita » praebeant, quales eos futuros esse patrini ipsi » solemni caeremonia spoponderunt.

» Spiritualis quoque regeneratio, quae fit » per Baptismum, quodammodo similis est » generationi carnali, et quemadmodum in generatione carnali parvulus nuper natus indiget nutrice, et pedagogo, ita quoque in regeneratione spirituali oportet, ut aliquis sit, » qui fungatur vice nutricis, et pedagogi, filium suum spiritualem instruendo in iis, » quae pertinent ad Fidem, et vitam christianam, iuxta claram D. Thomae doctrinam » 3. part. quaest. 67. Art. 7.

» Ex quibus omnibus nemo est qui non » videat, haereticum non posse fungi officio » patrini in Baptismate, quod confertur filio » catholicorum; et quando solus haereticus esset, qui id praestare posset, conferendum » potius esse Baptisma sine patrino, cum patrinus non sit de necessitate Sacramenti, uti » prosequitur D. Thomas loco citato in responsione ad 2. Et quis enim sibi umquam suadere poterit, haereticum velle puerum instruere in Fide catholica cui ipse adversatur?

» Communis haec est scribentium opinio: » sic enim docent Thomas a Iesu *De Conversione Gentium* lib. 8 paragr. 4 in fine » pag. 557; Verricell. *De Apostolicis Missio-*

» *nibus,* tit. 6 *de Baptismo* quaest. 125 n. 1 » et seq.; Castro Palao Operum Moralium » Tom. 4, Tract. 19, Disput. unic., punct. 11, » num. 7 et seq.; Azorius, *Instit. Moral.*, » Tom. 1, lib. 8, Cap. 11, quaest. 9; Diana in » Editione coordinata Tom. 1, Resolut. 94, n. 3.

» Et inter eos, qui sacris Urbis Congregationibus interfuerunt, et iuxta opiniones in » eis retentas scripserunt, recenseri possunt hoc » ipsum asserentes Cardinalis De Lugo, *De » virtute Fidei,* disput. 14, sect. 5, num. 162; » Cardinalis Albitius, *De Inconstantia in Fide,* » Cap. 18, n. 25 et seq.

» Additur quod si, iuxta antiquam Ecclesiae disciplinam, publici poenitentes ab officio patrinorum excludebantur, multo magis » exclusi ab eo munere dici debent haeretici » veluti bene ponderant Martene *De antiquis » Ecclesiae ritibus* Part. 1, lib. 1, Art. 16, » num. 13 in fine; Vicecomes in cit. opere » *De Ritibus Baptismi* lib. 1, Cap. 33; qua de causa statutum legimus in Concilio Rhemensi » habito anno 1583, et relato a Natale Alexandro in *Theologia Dogmatica, et Morali* tom. 1, lib. 2, *de Sacramento Baptismi,* » Cap. 6, regul. 6, ut sacerdos baptizans clara » voce roget patrinum et matrinam numquid » velint vivere ac mori in Ecclesia Catholica » Apostolica Romana, et abnuentes, ab officio » suscipiendi repellat.

De patrinorum officio quoad spirituale susceptorum bonum.

» Et licet a Laymanno dicatur, patrinos » amplius non curare de praedicta susceptorum institutione, unusquisque tamen facili » negotio percipere poterit, aliud esse quod » patrini non curent, aliud quod non teneantur » curare. Tenentur etiam hodie ad id praestandum, si carnales parentes id facere negligant, uti docet D. Thomas loco citato » Art. 8 in corpore, ubi postquam inquit unumquemque obligari ad faciendum id quod facere promisit, ad rem ita subdit: *ubi nutriuntur,* loquitur de pueris baptizatis inter » catholicos christianos, *satis possunt ab hac » cura excusari,* loquitur de patrinis, *praesumendo quod a suis parentibus diligenter instruantur. Si tamen quocumque modo sentirent contrarium, tenerentur secundum suum » modum saluti spiritualium filiorum curam » impendere;* quod ipsum docetur a Sylvio in » notis ad hunc D. Thomae articulum, § *Coeterum* etc.

» Et qui secus agit, se peccati reum fateri » debebit: unde in formula confessionis apud » Martene, *De Antiquis Ecclesiae ritibus,* lib. 1, » punct. 2, ordine 3, ita legitur: *Filiolos meos, » et filiolas, quos in Baptismo Christi suscepi, et omnes mihi subiectos, fidem Sanctae » Trinitatis non docui, nec orationem Dominicam, nec Symbolum, nec bona opera, sicut Deus praecepit, et sicut Deo pro ipsis » spopondi, meque facturum esse promisi.*

» Supramemoratus Verricellus in suo Tractatu *De Apostolicis Missionibus,* tit. 6 *de » Baptismo,* quaest. 125, num. 4 et 5 probat, » solam indignationem, quantumvis gravem, » haereticorum, nullatenus sufficere, ut haeretici possint esse patrini in Baptismate, de » quo nunc agitur, sed oportere ut propriae » vitae periculum, aut aliud grave malum occurrat imminens ob haeretici patrini repulsam, ut parochus eum admittens a culpa » excusetur: laudatque Patres missionarios Ordinis Minorum, qui ut occurrant malo, cui » fideles Albanenses sunt expositi, quando repellunt turcas ab officio patrini, sic rem componunt, curando videlicet, ut infans baptizandus super humerum collocetur, vel ab aliquo christiano manibus sustineatur, ne turca » videlicet eum tangat; et quamvis putet se » fungi munere patrini, revera tamen dicto » munere non fungatur; sed Albana Synodus » habita anno 1703 part. 2, cap. 2, ita sanxit: » *Detestabilem quoque consuetudinem infideles » sive schismaticos admittendi ad patrini munus obeundum, Episcopi severioribus poenis » vindicabunt.*

A patrini munere acatholici omnino repellendi.

» Ex quibus omnibus inferre licet, non » posse infideles, haereticos, aut schismaticos » esse patrinos in Baptismate, quod confertur » filiis catholicorum: quod ipsum statutum legimus in Rituali Romano ad Tit. *De Patrinis,* ubi haec habentur: *sciant praeterea parochi ad hoc munus non esse admittendos » infideles, aut haereticos.*

An catholici possint esse patrini in baptismo haereticorum.

» Quid autem dicendum erit de catholicis, » an videlicet esse possint patrini in Baptismate, quod confertur filiis haereticorum? » Catholicus quippe sponsionem faciens pro » baptizati educatione in fide catholica laudabiliter spondet. Nonnulli putant posse catholicum esse patrinum, si Baptismus ritu catholico conferatur. Ita scribunt Azorius, *Instit. » Moral.,* tom. 1, lib. 8, cap. 11, quaest. 9; » Diana in editione coordinata, tom. 1, resolut. 98 de Baptismo, num. 4; at tutius est, » quod catholici abstineant, vel quia apud haereticos, et schismaticos Baptisma confertur » ritu haeretico, aut schismatico, veluti ad rem » ponderat Cardinalis De Lugo, *De virtute Fidei,* disput. 14, sect. 5, num. 162; aut quia » catholicus fungens munere patrini in Baptismo haereticorum, licet interius spondeat » de facienda instructione in Fide Catholica, » exterius tamen spondere videtur de instructione facienda in haeresi, cum interrogatus » censeatur respondere iuxta voluntatem et intentionem ministri haeretici interrogantis; » quod utique absonum est, et a dogmate catholico alienum, quemadmodum bene argumentatur Castro Palao, tom. 4, tract. 19, » disput. unica, punct. 1, num. 9 ».

356

Exordium.

Const. Bened. PP. XIV *18 Martii 1746* (PRO GRAECO-MELCHITIS). — Praeclaris Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum institutis inhaerentes, ab inita suprema universalis Ecclesiae procuratione nihil curavimus impensius, quam ut suus unicuique ecclesiae ac nationi debitus honor, sua dignitas, suae leges, suae consuetudines, sui ritus, ac quaecumque alia, quae cum integerrima orthodoxae fidei sinceritate in unitatis centro, et inviolabili ecclesiasticae disciplinae observantia vigere constabat, non modo sanctissime custodirentur, verum etiam, quoad integrum nobis fuit, adaugerentur.

De instructione a Pontifice demandata circa ritus, ieiunia etc. ecclesiae graecae.

Inter cetera autem, quae pro natione graeco-melchita catholica patriarchatus antiocheni a nobis hactenus praestita sunt, adornari mandavimus instructionem tenoris sequentis, videlicet:

Instructio S. C. de Prop. Fide.

Istruzione per la nazione greco-melchita cattolica del patriarcato antiocheno sopra l'osservanza de' riti, digiuni, astinenze e consuetudini della Chiesa greca, ed altre pendenze riguardanti la medesima nazione, secondo le risoluzioni prese nelle congregazioni particolari tenute avanti la Santità di Nostro Signore li 28 e 31 decembre 1745 e 3 gennaro 1746.

La Santità di Nostro Signore mossa da quell' ardente zelo, che conserva per la dilatazione della religione cattolica nelle vaste regioni dell' Oriente, e per l' osservanza de' riti e della disciplina delle chiese orientali, si degnò nell' anno 1743 di tenere alla sua presenza varie congregazioni particolari con l' intervento di alcuni Cardinali, che compongono la Congregazione de Propaganda Fide, e di alcuni teologi. In queste furono esaminati varii dubbii ed alcune istanze proposte in nome del Patriarca antiocheno de' Greci-Melchiti, Cirillo Serafino Tanas: il quale seguendo l' esempio del suo zio Eutimio Arcivescovo di Tiro e Sidone (uomo per altro di molto zelo e sollecitudine di propagare la fede cattolica), e nell' idea di rendere più mite la disciplina della Chiesa greca, per allettare con ciò gli scismatici all' unione colla Chiesa cattolica, nella quale non sarebbero stati obbligati alla rigida osservanza di quei lunghi digiuni, de' quali per altro si sono sempre i greci gloriati con somma gelosia di non infrangerli; erasi avanzato a concedere sopra di essi dispense generali, e più particolarmente a ridurre il digiuno dei santi Apostoli Pietro e Paolo, e le astinenze del Natale e dell' Assunta, al solo giorno che precede tali feste. Aveva inoltre permesso, che più Messe si celebrassero nello stesso giorno sopra del medesimo altare, e che nei giorni di Lunedì, Martedì, Mercoledì, Giovedì e Venerdì di tutta la Quadragesima, nei quali per antichissimo uso ed immemorabile consuetudine celebrasi nella Chiesa greca la sola Messa dei Presantificati, potesse celebrarsi ancora la Messa intiera.

Innovationes indebitae circa disciplinam ecclesiae graecae.

Queste ed altre simili introduzioni ed innovazioni, come quelle ch' erano contrarie alla dovuta osservanza del rito greco, e piuttosto inducevano confusione ne' cattolici, e scandalo negli scismatici (i quali procurano di mostrarsi, almeno nell' esteriore, rigidi e gelosi osservatori della loro disciplina, introdotta presso di essi da molti secoli), non furono approvate da Sua Santità; e quindi con una sapientissima decretale diretta al medesimo Patriarca ed a tutti i Vescovi greci-melchiti cattolici ad esso subordinati, e pubblicata sotto li 24 decembre dello stesso anno, riprovò ed annullò ogni novità introdotta da qualunque prelato della Chiesa greca, foss' egli Patriarca o Vescovo, la quale tendesse ad alterare la disciplina della medesima Chiesa: e ne ingiunse la totale e piena osservanza al Patriarca, ordinandogli d' invigilare, che non si introducesse alcuna novità nella materia de' riti, de' digiuni, delle astinenze e degli antichi costumi.

Reprobatio et annullatio earumdem innovationum.

Più particolarmente dichiarò irrita e nulla la suddetta dispensa generalmente data dal Patriarca, in un congresso tenuto l' anno 1736 co' suoi Vescovi, a tutti i greci-melchiti abitanti dei villaggi del Libano e dell' Anti-Libano, di digiunare nel solo giorno precedente la festa de' Santi Apostoli Pietro e Paolo, dell' Assunzione e del Natale di Cristo: ed insieme ordinò che in tutta l' estensione del patriarcato antiocheno si osservasse il lodevole antichissimo costume di astenersi dal pesce nei Mercoledì e Venerdì di tutto l' anno.

Dispensatio circa abstinentias.

Ciò non ostante, compassionando con viscere di paterno affetto la povertà di quei cattolici, e la mancanza in quei luoghi di cibi quadragesimali, si compiacque di confermare la facoltà, con decreto di una congregazione particolare di Propaganda Fide dei 22 gennaro dell' anno 1732, conceduta al Patriarca di dispensare con qualche ceto, ed anche comunità, acciocchè ne' tempi dei suddetti digiuni ed astinenze possano cibarsi di latticinii, ed anche di carne; purchè la dispensa sia particolare di anno in anno, e non generale, nè perpetua, ma per il solo tempo che dura la necessità: dovendo altresì egli procurare con ogni cautela, che con tali dispense non vadano in disuso e dimenticanza i riti antichi, e l' osservanza de' digiuni e delle astinenze.

De peculiari graecorum more circa Missarum celebrationem.

Non credette però di condiscendere all' istanza fatta dal medesimo Patriarca, che fosse permessa la celebrazione di più Messe su lo stesso altare nel medesimo giorno, e che nei giorni, nei quali si celebra la Messa de' Presantificati, potesse celebrarsi la Messa intiera:

mentrechè la Santità Sua riconobbe che ciò sarebbe stato un pervertire, anzi togliere, un precetto ed una consuetudine introdotta dagli antichi Santi Padri della Chiesa greca, ed osservata in essa inviolabilmente fino al tempo presente. Bensì, per soddisfare alla pietà dei sacerdoti, ed alle molte oblazioni de' fedeli, permise, che possano erigersi altri altari nelle chiese in luogo decente; e quando il numero degli altari non corrisponda a quello de' sacerdoti, o alla moltiplicità degli oblatori, dichiarò che concelebrando più sacerdoti su lo stesso altare, secondo il costume della Chiesa greca, insieme con un Vescovo o con altro sacerdote, ogni concelebrante possa applicare il sacrificio secondo la mente degli oblatori; purchè ognuno di essi sia vestito co' paramenti sacri, reciti intieramente tutta la liturgia, proferisca le parole della consacrazione, ed esplori la mente degli oblatori, se con ciò restino essi soddisfatti per l' elemosina somministrata.

Nonnullarum facultatum concessio.

Con tali provvedimenti, coerenti in tutto alla disciplina della Chiesa greca, volle Sua Beatitudine smentire li falsi clamori degli scismatici, soliti ne' passati tempi a lagnarsi che la Chiesa latina procurava di distruggere il rito greco, rimise questi in una piena osservanza, e diede a tutti una regola certa e fissa, alla quale dovessero conformarsi; ingiungendo l' obbligo alli Vescovi e sacerdoti di togliere dalla mente degli ignoranti la sciocca credenza che un sacerdote, servendosi di quei medesimi paramenti de' quali altri siasi servito in quel giorno, e celebrando su quel medesimo altare sopra cui altri abbia celebrato, rompa il digiuno; con altre simili stolte opinioni, le quali ne' passati secoli ha saputo spargere la malizia o l' ignoranza degli scismatici.

Quindi, perchè il Patriarca Cirillo nel medesimo tempo fece premurose istanze che gli fosse trasmesso il sacro Pallio, la Santità Sua con eccesso di clemenza si degnò di mandarglielo insieme con alcuni sacri doni, col mezzo di monsignor Emmanuele Vescovo di Babilonia, a cui conferì il carattere di delegato di questa Santa Sede. Ingiunse però a questo, che prima di rivestire il Patriarca del sacro Pallio, oltre alli giuramenti soliti prestarsi in simili occasioni, altro da questo ne esigesse, con cui si obbligasse di osservare per sè stesso, e fare osservare in tutto il patriarcato antiocheno dai suoi Greci-Melchiti la suddetta decretale.

Prestollo egli in presenza di due Vescovi del suo rito di molti monaci e di alcuni missionarii latini, e quindi lo sottoscrisse di proprio carattere, e lo confermò col sigillo patriarcale. Ma dopo pochi giorni spedì in Roma il suo vicario D. Giuseppe Papilla, con commissione di fare istanza a Sua Santità della dispensa da quelli medesimi digiuni, astinenze e riti, de' quali aveva poco prima giurato l'osservanza. Espose questi che, attesa la lunghezza dei digiuni e delle astinenze, e la povertà dei cattolici, riusciva ad essi difficile di osservarli per tanti giorni, quanti erano enunciati nella decretale, e quindi fece istanza:

De petitionibus ad novas dispensationes obtinendas.

Primo: che fosse lecito ad essi di osservare il digiuno degli Apostoli per quei soli dodici giorni, che precedono la festa dei Santi Apostoli Pietro e Paolo, allegando esser questo l' uso introdotto nel tempo del Patriarca Atanasio, col consenso degli altri patriarchi de' greci di Costantinopoli e di Gerusalemme.

Secondo: che togliendosi l' obbligo dell' astinenza dell' Avvento per quaranta giorni interi, si lasciasse ad ognuno la libertà di digiunare quel numero di giorni che gli venisse ispirato dalla propria divozione.

Terzo: che parimente si togliesse il precetto dell' astinenza dal pesce in tutti i Mercoledì e Venerdì dell' anno, asserendo l' uso contrario essersi già talmente introdotto e radicato, che non possa sperarsene l' abolimento.

Rappresentò ancora essersi già da dieci anni introdotto il costume di celebrare più Messe sullo stesso altare nel medesimo giorno, e che ne' giorni della Quaresima, oltre alla Messa dei Presantificati, si celebri il sacrificio intiero, e ciò non solo attesa la scarsezza ed angustia delle chiese non corrispondenti al numero dei cattolici e dei sacerdoti, ma ancora per riflesso alla quantità delle elemosine, le quali si offrono da essi a titolo di celebrazione di Messe; ed in oltre perchè possa aversi pronto il Sagramento della Santissima Eucaristia in tutti i tempi, nel caso che sia bisogno di ministrarlo agl' infermi.

Tali cose si è degnata Sua Santità di esaminare maturamente in tre congregazioni particolari tenute alla sua presenza, coll' intervento di alcuni Cardinali della Congregazione di Propaganda Fide; ed avendo riconosciuto che le suddette istanze sono contrarie alla disciplina della Chiesa greca, e che il permettere simili novità contro l' uso, sì antico che moderno, di essa, può apportare delle confusioni e dei disordini, anzi dello scandalo, e motivo di divisione alli nemici della religione cattolica (i quali devono restar convinti ed allettati a venerarla ed abbracciarla per la sua verità e santità, e non per la rilassazione dei digiuni e mutazione de' riti e consuetudini introdotte dalli Santi Padri della medesima Chiesa), ha determinato di comandare, come in fatti colla presente ordina e comanda al Patriarca, di osservare intieramente la decretale da esso medesimo giurata.

Ad esso pertanto incombe il peso di esortare tutti i greci cattolici del patriarcato, e più particolarmente quelli della diocesi patriarcale, a riprendere i digiuni ed astinenze in tutta quella estensione di giorni, ed in que' tempi

ne' quali sono stati quelli e queste osservate prima delle dispense da esso concedute, e prima delle innovazioni e moderazioni introdotte dall' Arcivescovo di Tiro e Sidone, Eutimio; ad astenersi dall' uso del pesce in tutti i Mercoledì e Venerdì dell' anno; ed osservare il lodevole costume di celebrare una sola Messa sopra lo stesso altare, e di celebrare la sola Messa de' Presantificati nei giorni di Lunedì, Martedì, Mercoledì, Giovedì e Venerdì della Quadragesima. E quindi, dovendosi egli servire con cautela, e precisamente nelle forme espresse nella decretale, della facoltà concessagli di dispensar con essi in caso di necessità, non dovrà dare dispense generali o perpetue, ma concedendole a qualche ceto o comunità, dovranno queste essere particolari di anno in anno, e per quel solo tempo che durerà la necessità della dispensa.

Dovrà altresì con tutta l' efficacia esortare i Vescovi del suo patriarcato a praticare lo stesso nelle loro diocesi, e a darsi tutta la cura che in esse sia pienamente osservata la medesima decretale.

Lo stesso dovrà praticarsi riguardo alla celebrazione delle Messe; tanto più che non è difficile l' erezione di nuovi altari e di nuove chiese in tutti i villaggi esistenti nelle montagne del Libano e dell' Anti-Libano; ed in molti luoghi è praticabile il costume, che molti sacerdoti concelebrino insieme: ciò che dovrà farsi nelle forme e regole prescritte nella suddetta decretale.

De modo asservandi ss. Eucharistiam.

Perchè poi gl' infermi nell' estremo della vita non sieno privi dei santissimi Sagramenti, procurerà ogni Vescovo che in quelle chiese le quali sono possedute dalli cattolici, si conservi continuamente il santissimo Sagramento della Eucaristia, non già nella forma che dicesi praticarsi dagli scismatici, cioè di conservare indecentemente il Pane consagrato, seccato o al sole o al fuoco e di poi pesto, e che quindi è stata giustamente riprovata dalla Congregazione del Santo Offizio, ma con tutto rispetto e decenza nei ciborii; usando tutta l'attenzione, che le chiese sieno ben custodite dalle irriverenze degli infedeli.

De graecis latinizantibus.

Avendo Sua Santità inteso con sommo dispiacere quali disordini e confusioni provenissero dalle continue discordie dei missionarii latini, intorno ad alcuni cattolici, i quali, sebbene nati da genitori greci, eransi fatti battezzare dalli sacerdoti latini in mancanza di sacerdoti cattolici del proprio rito greco, e che perciò si chiamano *latinizzanti;* e quindi volendo togliere ogni occasione di litigi e di scandali che con troppa frequenza da ciò nascevano, colla sua accennata decretale determinò di dare ad ognuno di essi la libertà di scegliere quel rito che più ad ognuno piacesse, con obbligo di seguitarlo intieramente senza commistione di altro rito, e che se ne dichiarasse avanti la persona che da Sua Beatitudine sarebbe destinata.

A questo fine con suo breve speciale concedette le facoltà necessarie al suddetto Vescovo di Babilonia, di esplorare la mente di tali *latinizzanti.* Gli fu congiuntamente data istruzione di portarsi in Damasco, interrogare ognuno, qual rito volesse seguitare, il latino oppure il greco, secondo la piena libertà loro conceduta da Sua Beatitudine; e quindi formate due note distinte, una di quelli che avessero voluto restare nel rito latino, l' altra di quelli che avessero scelto il rito greco, quella consegnasse alli Padri di Terra Santa come parrochi de' latini nella chiesa di Damasco, l' altra trasmettesse al Patriarca Cirillo, acciocchè riconoscendoli per sudditi, li provedesse di sacerdoti greci cattolici, i quali amministrassero loro i sagramenti.

Si portò il delegato in Damasco, e visitò ad una ad una le case de' *latinizzanti:* ma avendo riconosciuto, conforme asserisce, che giammai in Damasco erano mancati sacerdoti cattolici di rito greco, pubblicò un decreto, con cui ordina, che tutti i suddetti *latinizzanti* debbano riprendere il rito greco.

Siccome pertanto, quand' anche il fondamento di questo decreto sussistesse, egli nel pubblicarlo ha ecceduto li limiti delle sue facoltà, e con esso ha tolto alli sudditi *latinizzanti* quella libertà di scegliere il rito, la quale ad essi concedesi nella decretale (poichè piuttosto avrebbe dovuto notificare alla Santa Sede Apostolica una circostanza non nota, e sopra di essa esplorare la mente di Nostro Signore); quindi è che la Sua Santità inerendo anche su questo punto alla disposizione della decretale, e previa l' irritazione del suddetto decreto del delegato, quale dichiara nullo e di nessun valore ed efficacia; e non ostante che alcuni di essi in esecuzione di tale decreto fossero nuovamente passati al rito greco, rimette tutti e singoli i suddetti *latinizzanti* nella piena libertà di sceglier l' uno o l' altro rito, latino o greco, sebbene sieno nati da genitori greci, e, quando furono battezzati dalli latini, vi fossero in Damasco o nelle vicinanze i sacerdoti greci cattolici.

In vigore pertanto di tale permissione dovrà ognuno di essi scegliere o il rito greco o il latino, e dichiararsene avanti la persona la quale sarà a questo fine specialmente deputata da Sua Beatitudine. E perchè si è preinteso che di simili *latinizzanti* se ne trovino alcuni nei villaggi vicini alla città di Damasco, ed altri in altre città del patriarcato antiocheno, perciò Sua Santità dichiara compresi tutti nella disposizione della decretale, e concede a tutti la medesima licenza di seguitare il rito latino quando lo vogliono, oppure di ritornare al rito

greco: colla condizione però che quelli tra *Latinizzanti* i quali non sono ancora giunti all' uso della ragione, seguano il rito de' loro genitori, se questi avranno scelto un medesimo rito, altrimenti abbraccino il rito del padre. Dovranno bensì tutti questi, quando bramino di restar latini, conformarsi intieramente al rito latino, e perciò osservare esattamente le astinenze ed i digiuni della Chiesa latina, santificarne le feste secondo il calendario gregoriano, ed essere immediatamente sottoposti alli parochi latini: e nella stessa maniera, quelli che avranno scelto di ritornare al rito greco, dovranno osservare tutti li digiuni, astinenze ed altre lodevoli consuetudini della Chiesa greca, secondo le disposizioni della decretale; e quindi essere soggetti alli loro sacerdoti cattolici, ove questi si trovino.

Graecus ritus a graecis omnino servandus.

E perchè, attese le presenti circostanze delle cose, non in tutte le città del patriarcato antiocheno i greci-melchiti cattolici hanno chiese del proprio rito, e dall' altro canto devono con ogni cautela astenersi dal comunicare *in divinis* cogli scismatici; perciò sì li Padri di Terra Santa, come anche gli altri missionarii latini dovranno dare ad essi tutto l' aiuto, anzi espressamente permetter loro di esercitar le funzioni del loro rito nelle chiese, oratorii o cappelle delle missioni; destinare i giorni e le ore, nelle quali possano i sacerdoti greci celebrare le Messe, ascoltare le confessioni, predicare alli loro nazionali, ed istruirli nei rudimenti della fede cattolica: ricordandosi essere eglino mandati nel Levante a solo oggetto di purgare que' popoli dagli errori e ricondurli al grembo della Chiesa Cattolica con mezzi dolci e soavi, e non già per dilatare la propria giurisdizione con pregiudizio di quella de' prelati della Chiesa orientale.

Circa transitum de uno ad alium ritum.

Per questo medesimo fine Sua Santità ordina che si osservi esattamente ciò che nella decretale si prescrive, intorno al passaggio dei greci al rito latino. E perciò proibisce espressamente a tutti i missionarii latini di qualunque Ordine ed Istituto, anche della Compagnia di Gesù, sotto le pene espresse nella suddetta decretale, che veruno di essi ardisca d' introdurre presso i Greci-Melchiti novità alcuna, la quale possa tendere al disprezzo, o alla alterazione, o imminuzione del loro rito e lodevoli consuetudini, e molto meno di insinuare, o persuadere alcuno de' greci di lasciare il proprio rito e di passare al latino: rinnovando in ciò la dichiarazione, che quelli i quali in avvenire riceveranno il Battesimo dalli sacerdoti latini, in deficienza di sacerdoti greci cattolici, non s' intende perciò che debbano esser latini: ma, sebbene per i suddetti motivi ricevano i sagramenti dalli latini, dovranno almeno osservare il rito greco ne' digiuni ed astinenze, ed in tutte le altre cose che non riguardano i sagramenti.

Similmente sebbene per lo passato, attesi i decreti della Congregazione del Sant' Offizio e di quella di Propaganda Fide, sia stato lecito agli Orientali di passare da un rito orientale all' altro; ciò non ostante volendo togliere ogni occasione di litigio e di animosità alli rispettivi prelati di quelle chiese, rinnova l'ordine già espresso nella decretale, con cui si proibisce al Patriarca ed alli Vescovi maroniti non solo d' ingerirsi in qualunque maniera nelle cose spirituali della nazione greco-melchita, e quindi di usurparsi quella giurisdizione ed autorità che sopra di essa compete al Patriarca greco-melchita antiocheno ed ai suoi Vescovi; ma ancora di insinuare alli greci il passaggio al rito maronita, e di ammetter quelli che volessero spontaneamente abbracciarlo, quando non ne abbiano precedentemente ottenuto la speciale licenza dal Sommo Pontefice Romano.

Ma siccome quelli greci e que' soriani, i quali per lo passato abbandonando il proprio rito sono passati tra maroniti, hanno ciò fatto sull' autorità dei decreti delle sovraccennate Congregazioni, delle quali quella di Propaganda, nel 1713 e nei due anni susseguenti, non ostanti le replicate premurose istanze di Eutimio Arcivescovo greco di Tiro e Sidone, che fosse proibito alli monaci maroniti di ricevere i greci, e di farli passare al rito maronita, lo esortò a desistere da tali premure, sul riflesso che i decreti di essa proibitivi del passaggio da un rito all' altro hanno luogo solamente tra li greci e li latini, e non tra orientali ed orientali, tra quali non v' era proibizione alcuna: e quella del Sant' Offizio nel 1740 dichiarò che quei soriani, i quali già da molti anni erano passati al rito maronita, non dovessero essere obbligati a ripigliare il proprio rito, ma piuttosto doveansi lasciare nel rito da essi abbracciato; quindi è che la Santità Sua, previa la circoscrizione del decreto del Delegato Apostolico fatto contro il tenore della decretale, cioè che tutti quei greci i quali sono passati al rito maronita, debbano ritornare al proprio antico rito, e di altro simil ordine in coerenza di quello del Delegato, pubblicato dal Patriarca dei Maroniti, e forse anche da' suoi Vescovi; dichiara che tali greci e soriani non siano tenuti di lasciare il rito maronita, ma possono restare in esso quando lo vogliano; proibisce però che in avvenire verun greco possa passare al rito maronita senza averne precedentemente ottenuto la permissione del Romano Pontefice.

Circa quoddam monasterium pro puellis graeco-melchitis.

Riguardo poi al monastero eretto nel villaggio di Zuc Micail nel Kesroano, per quelle zitelle della nazione e rito greco-melchita, le quali eleggano di servire al Signore in perpetua castità, sebbene colle risoluzioni e provvedimenti espressi nella decretale doveasi sperare

che si fossero tolte le discordie, e che, sottomettendosi tutti intieramente alle decisioni di questa Santa Sede, non venisse più lungamente impedito un benefizio, il quale la nazione ha procurato alle proprie figliuole colla spesa di molto danaro; ciò non ostante si è inteso con sensibile dispiacere, che siano più che mai cresciute le discordie, e che, non ostante l' incombenza data al Delegato di fare eseguire i decreti sopra di ciò emanati, questi non abbiano ancora prodotto l' effetto che dovevano: anzi con un decreto provisionale del medesimo Delegato se ne sia sospesa l' esecuzione, avendo egli posto il monastero sotto la direzione di un sacerdote secolare, ed in assenza di questo sotto quella del solo Patriarca, e con ciò sospesa ogni ingerenza de' monaci e la giurisdizione dell' Ordinario. Quindi è che Sua Santità, volendo por fine a questa controversia, la quale già da molt' anni tiene in discordia e divisione la nazione greco-melchita, ed impedisce che altre simili divote zitelle non entrino nel monastero, previa la circoscrizione del decreto provisionale del Vescovo di Babilonia, rinnova gli ordini su questo punto espressi nella decretale: e perciò nuovamente dichiara che il suddetto monastero è proprio della nazione greco-melchita, talmente che non sia lecito nè al Patriarca nè alli Vescovi di ammettervi zitelle di altra nazione e rito; ordina e vuole che il governo sì spirituale che temporale di esso spetti alli monaci basiliani della Congregazione di S. Giovanni in Soairo, con l' immediata subordinazione all' Arcivescovo di Berito, Ordinario del luogo, e mediata al Patriarca greco antiocheno, quando e questi e quello sieno cattolici: ed in deficienza di Patriarca e di Ordinario cattolico, il monastero sia immediatamente soggetto all' abate generale, come a delegato della Santa Sede.

Attribuisce all' abate generale de' suddetti Monaci il *ius* di deputare uno de' suoi monaci per confessore ordinario, ed altro per istraordinario di esse, previa l' approvazione del suddetto Arcivescovo, il quale possa altresì destinare altro confessore straordinario, quando lo richiegga il bisogno delle monache, desumendolo da missionarii latini, sì secolari che regolari, di qualunque Ordine ed Istituto.

E siccome in questo monastero non deve osservarsi altra regola che la genuina di S. Basilio, quale è stata trasmessa alli monaci, e da essi abbracciata, così le monache di questo dovranno riceverla ed osservarla, e quindi astenersi dall' uso della carne nel senso della medesima regola: concedendosi al suddetto abbate generale la facoltà di permetterne l'uso a qualcheduna in caso d' infermità, e nella maniera che sarà espressa nelle costituzioni da formarsi.

Queste poi permettendosi che possano desumersi da quelle di S. Francesco di Sales, eccettuatone però tuttociò che possa essere contrario al rito, alla disciplina e consuetudini della Chiesa greca, ed al costume della nazione del paese, dovranno compilarsi dall' abbate generale de' monaci soariti, il quale le presenterà all' Arcivescovo ordinario. Questi dopo averle diligentemente esaminate ed approvate, le esibirà alle zitelle, dando ad esse un congruo tempo per riconoscerle, e quando convengano di accettarle, si sottoscrivano di proprio carattere dalle medesime: e poscia dall' Arcivescovo dovranno trasmettersi alla Congregazione di Propaganda Fide, acciò le esamini, e trovandole degne di approvazione, le presenti al Romano Pontefice per ottenerne la confermazione.

Inoltre non essendo giusto che quelle zitelle le quali si trovano fuori del monastero, per aver voluto osservare le convenzioni da esse fatte nel 1736 nella città di Aleppo coi monaci soariti, restino più lungamente prive del diritto che loro compete sopra del monastero, per la di cui costruzione sì esse che i loro congiunti hanno contribuito gran parte del denaro occorso per la fabbrica, e non possano soddisfare il pio desiderio che nutrono, di consagrare a Dio la loro verginità co' voti solenni; perciò Sua Beatitudine ordina e vuole che esse sieno subito ammesse nel monastero, e quando persistano nel santo proponimento di monacarsi, queste e tutte le altre che vorranno professare, siano ammesse ancora alla professione solenne. I voti solenni poi sì ora, che in avvenire dovranno farsi nelle mani dell' abate generale *pro tempore* de' monaci della Congregazione di S. Giovanni in Soairo.

Che se alcune delle zitelle, le quali si trovano attualmente nel monastero, non vorranno professare, dovranno ciò non ostante conformarsi intieramente al modo di vivere delle altre, osservare le regole e le costituzioni del monastero, essere subordinate alla immediata giurisdizione dell' Ordinario, ed alla direzione sì spirituale che temporale de' monaci soariti, e finalmente sottomettersi a quanto si prescrive nella decretale dei 24 decembre 1743 e nella presente Istruzione. In caso contrario dovranno essere subito dimesse, acciò non siano all'altre di disturbo: e sebbene avessero contribuito qualche danaro per la fabbrica del monastero, ciò non ostante non avranno alcun diritto di ripeterlo, avendone esse fatto una pia limosina, e perciò irrepetibile.

Siccome poi questo monastero viene computato tra quelli che appartengono alla Congregazione de' Monaci di San Giovanni in Soairo, ad essa unito ed incorporato, perciò qualora per il sostentamento delle monache, e di quelle vergini che eleggeranno di stare in esso, e vi saranno ammesse, e per i loro ali-

menti ed altre cose simili, non sieno sufficienti le elemosine le quali saranno date dalla pietà de' fedeli, e ciò che potrà ricavarsi dal lavoro delle loro mani, con tanta lode praticato sempre ne' monasteri della Chiesa orientale; l'abbate generale de' suddetti monaci sarà tenuto di somministrare sì li alimenti, come tutto quello che possa esser necessario per il mantenimento del monastero, e ciò con i proventi di tutta la Congregazione.

Dato in Roma dal Palazzo della medesima Sagra Congregazione li 15 febbraio 1746.

V. Card. PETRA *Prefetto*
Niccolò Lercari *Segretario*.

Loco † Sigilli.

Praeinsertae Instructionis approbatio et confirmatio.

Praeinsertam itaque Instructionem, quo firmius subsistat et servetur exactius, auctoritate apostolica tenore praesentium de novo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Decernentes easdem praesentes litteras etc.

357

De Cruce in altaribus collocanda.

Ex Const. *Accepimus* **Bened. PP. XIV** *16 Iulii 1746.* — In altaribus, quae in ecclesiis erecta sunt, et in quibus Sacrum fieri consuevit, praeter maiorem tabulam, quae vel depictam, vel incisam exhibet imaginem sancti, in cuius nomen et memoriam altare consacratum est, adiungi coepit alia minor tabula, in qua vel coloribus exprimitur, vel aere, ligno, aut marmore inciditur effigies alterius sancti, ita ut crux auferatur, quae iuxta rubricas inter candelabra collocari debet: Cum vero neminem lateat, rem divinam confici non posse, nisi Crux cum imagine sanctissimi Crucifixi super altari constituatur, hinc minori tabulae superadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque presbyteri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio distingui ferme possit, nisi hic diligenter perscrutetur, utrum super altari revera Crucifixi imago posita fuerit.

Circa sacras altarium imagines in minori tabula expressas.

Equidem non improbamus, quod idem altare in plurium sanctorum nomen, ac memoriam dedicetur, quodve in maiori tabula aut unus tantum, aut plures etiam sancti pingantur, vel denique quod alia minor tabula collocetur inferior, aut alio quocumque modo, ubi unus vel plures sancti fidelium venerationi proponantur. Illud permittere nullatenus possumus, quod Missae sacrificium in his altaribus celebretur, quae careant imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat; id enim alienum est a legibus, et institutis Ecclesiae, quae in rubricis aliisque ecclesiasticis sanctionibus continentur. Id etiam maxime contrarium est sacrae antiquitati, et Ecclesiarum, etiam orientalium, consuetudini; ita ut certissimum sit violari leges Ecclesiae, si exigua solum imago Crucifixi praefigatur minori tabulae, vel statuae sancti, qui superadditur, ut illum fideles venerentur.

In altari eminere debet Crucifixi imago.

In rubricis Missalis *tit. de praeparatione altaris et ornamentorum eiusdem,* haec leguntur: *Super altare collocetur crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque eius latere.* In Romano Pontificali *titul. de Consecratione electi in Episcopum,* cum sermo est de altari, ubi consecrandus Episcopus Sacrum operatur usque ad Offertorium, quo peracto Missae Sacrificium prosequitur in alio altari, ubi Episcopus consecrans rem Divinam facit, in eo, inquam, Pontificali haec habentur: *In capella vero minore pro Electo, quae a maiore debet esse distincta, addatur altare cum cruce, et duobus candelabris.* Coeremoniale autem Episcoporum postquam *lib. 2, cap. 12,* commemoravit candelabra et candelas, haec addit: *In quorum medio collocabitur crux ex eodem metallo et opere, praealta, ita ut pes crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et crux ipsa tota candelabris superemineat, cum imagine sanctissimi Crucifixi versa ad anteriorem altaris faciem.*

Nos ipsi verba fecimus de hoc veteri ritu collocandae crucis in altari, cum Sacrum peragitur, in nostris commentariis de Sacrificio Missae, quae italico sermone a Nobis confecta fuerunt *par. 4, sect. 1, num. 17 ac sequentibus.* Plura deinde addidimus *Sect. 1, § 18 et 19,* cum ipsa, latine reddita, lucem iterum publicam adspexerunt. His etiam adiungimus, ob vetustatem praesertim huiusce ritus, tantam venerationem cultumque semper exhibitum fuisse cruci, quae in medio altari collocatur, cum Missae Sacrificium conficitur, ut novatores ipsi magis infensi, illam de medio auferre prohibuerint, cum suam coenam instituunt; haec testatur Gretferus in suo tractatu de cruce *cap. 23, tom. I.* eius editionis, quae postremo typis vulgata fuit.

Si vero disciplinam Orientalium inspiciamus, graecis in more positum est, ut ad portam reginam Sanctuarii utroque latere imagines Christi Domini ac Beatae Virginis et super altari Crucem una cum libro sanctorum Evangeliorum constituant. In liturgia vero copto-arabica, quae desumpta ex manuscriptis codicibus Vaticanis impressa fuit anno 1736 in Collegio Urbano de Propaganda Fide, *pag. 33,* indicitur sacerdoti celebranti, ut benedictionem cum Cruce populo impertiat, eam deinde osculetur, ac diacono tradat, qui ipse super altari collocat. Postremo ritus syriacus maronitarum eadem prorsus decernit, quae in rubricis Ro-

mani Missalis praescribi superius indicavimus. Nam Patriarcha Stephanus *lib. 3, tract. 3, Sect. 4,* ita scriptum reliquit: *Mos iste in omnibus ecclesiis inolevit, ut supra altaris gradum salutiferae crucis vexillum collocetur.* In Synodo etiam Nationali, quae coacta fuit anno 1736 in Monte Libano, quam Litteris Apostolicis Nos ipsi confirmavimus, *par. 2, cap. 13, de sacrosancto Missae Sacrificio can. 8* ita sancitum est: *Super altare collocetur crux in medio, et candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque eius latere.* Scriptores, qui sacros ritus explicarunt, nonnullas disputationes instituunt; ac primo, utrum satis sit nudam crucem in altari statuere, an imago Crucifixi addenda simul videatur. Equidem rubricae Missalis solam crucem commemorant. Cum tamen Coeremoniale Episcoporum crucem una et Crucifixum nominet, idque communi Ecclesiae consuetudini consentaneum sit, hanc ideo sententiam probandam nemo sapiens dubitabit. Ita sentiunt Gavantus, Claudius la Croix, qui *lib. 6, par. 2, de Sacrificio Missae num. 218,* fatetur, ob veterem communemque usum, sine imagine Crucifixi, qui pendeat e cruce, rem Divinam fieri non posse, nisi necessitas intervenerit. Et profecto initio Ecclesiae, cum fideles concitare ad furorem gentiles magnopere timerent, si Christum Crucifixum publice adorandum proponerent, crucem tamen pluribus modis exornatam palam exponebant, atque incisum, vel depictum cruci apponebant agnum, qui typus amantissimi Salvatoris semper habitus est, ut eo saltem modo Crucifixi imaginem exhiberent. Id conspicitur adhuc in nonnullis huius civitatis ecclesiis et testimonio etiam Magrii comprobatur in eius *Hierolexico,* in vocabulo *crux.*

Sufficit Crucifixi imago in maiori altaris tabula expressa.

Secundo loco inquiritur, utrum Crucifixus pendens a cruce debeat in altari constitui, etiamsi Salvator noster crucifixus in maiori tabula altaris depictus, aut caelatus appareat. Gavantus id quidem probat; alii vero necessarium id minime arbitrantur, dummodo tamen Crucifixus in maiori tabula vel pictus vel caelatus, primum locum obtineat prae caeteris omnibus, quae in eadem tabula exprimuntur. Ita censet Pasqualigus *de Sacrificio Missae quaest. 716;* Quartus *ad Rubricas Missalis par. 1, tit. 20, dub. 10,* et Gribaldus *de Sacramentis in tract. 5 de Sacrificio Missae cap. 9, dub. 2, num. 20.* Huic pariter sententiae se conformavit Congregatio Sacrorum Rituum, uti constat ex responsione, quam ipsa promulgavit anno 1663; et quam Meratus recenset *tom. 1, par. 1, tit. 20 de praeparatione altaris n. 6,* et in Indice Decretorum *eodem tom. 2, n. 400.*

Insufficiens crux parva cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum.

Tertio loco quaeritur utrum Crucifixus in altari collocari debeat, cum Sacrificium Missae in eo conficitur altari, ubi positum est Tabernaculum, in quo pixis cum sacris particulis continetur, cum praesertim eidem tabernaculo parva Crux cum imagine Salvatoris Crucifixi semper praefigatur. Equidem in Coeremoniali Episcoporum haec habentur: *Non incongruum, sed maxime decens est, ut in altari, ubi Sanctissimum Sacramentum est, Missae non celebrentur, quod antiquitus observatum esse credimus.* In veteri Coeremoniali, cum Clemens VIII Pontificatum gereret, ita legebatur: *Quod antiquitus observatum esse videmus.* Attamen id prorsus difficile nonnullis videtur, ob eam causam, quod, ut ipsi argumentantur, cum unicum altare in veteribus templis extrui soleret, aut Divina Eucharistia in eis conservata non fuisset, aut nullum Missae Sacrificium in eis esset institutum. Aliter vero sentiunt ii, quibus cognitum perspectumque est, eum morem fuisse antiquitus, ut sacra Eucharistia in ecclesiae sacrario servaretur, vel in decenti armario, quod pariter configebatur, uti nunc etiam perspicimus in Basilica Sanctae Crucis in Ierusalem. Idem perpendit Mabillon in *Musaeo Italico tom. 1, pag. 89, ac tom. 1, pag. 139.* At quod in praesenti ingerit difficultatem, nec ullum ab examine propositae controversiae liberum facit, illud est, quod, iuxta vigentem disciplinam, sacra Eucharistia conservatur in tabernaculo, quod est positum super uno ex altaribus Ecclesiae, et quod in eo passim Missa celebratur; quum, sedulo perpenso Caeremonialis textu, deprehensum sit, eum praedictae celebrationi absolute non obstare, uti Christianus Lupus expendit, *tom. 11,* recentioris editionis, in Dissertatione *de Sacris Processionibus pag. 356.* Hanc itaque controversiam quum alias Nos ipsi expenderemus in supracitatis Commentariis *de Sacrificio Missae, par. 4, Sect. 1, num. 18,* illorum sententiam probavimus, qui existimant Crucifixum inter candelabra statui debere, neque parvam crucem, quae Tabernaculo praefigitur, satis esse, ne rubrica violetur, quemadmodum inferius explicabimus. Idemque censuit Congregatio Sacrorum Rituum anno 1663, uti perspicitur ex Indice Decretorum, quem Meratus exhibuit, *par. 2, tom. 1, num. 400,* ubi haec leguntur verba: *Crux parva cum imagine Crucifixi posita super tabernaculum, in quo asservatur inclusum sanctissimum Sacramentum in altari, non est sufficiens in Missa, sed poni debet alia crux in medio candelabrorum.*

An collocandus Crucifixus in altari ubi exponitur SS. Sacramentum.

Quarto loco disputatur, utrum Crucifixus inter candelabra collocandus videatur, cum Sacrum peragitur in eo altari, ubi divina Eucharistia non includitur tabernaculo, sed publicae fidelium venerationi exponitur. Id necessarium esse putavit Sacrorum Rituum Congregatio die 14 Maii 1707. Hoc enim petitum fuerat: *An super altare, in quo sanctissimum*

Sacramentum expositum est, Crux de more collocari debeat. Sic autem responsum est: *Nunquam omittendam crucis, cum imagine Crucifixi apposita, collocationem.* Porro quum Nos ipsi tunc in minoribus constitutis coadiutorem Promotoris Fidei gerentes, ipsius loco eidem Congregationi praesentes adfuerimus, adhuc memoria retinemus, in illa sententia ferenda varia fuisse ac discrepantia suffragia, cautumque deinde fuisse, ne ipsa sententia in lucem ederetur.

Itaque res iterum deducta est in examen initio Pontificatus Nostri die 2 Septembris anno 1741 in eadem Congregatione Sacrorum Rituum, quae postquam omnia diligenter accurateque perpendit, decrevit, ut quaelibet ecclesia morem et institutum, quod antea servaverat, in posterum quoque retineret. Et quidem pro cruce ab altari removenda, dum Missa in eo celebratur, et super eo publicae venerationi Eucharistia exposita est, parum urget, quod nonnulli asserunt, indecens esse, ut Christi imago in eo loco sit in quo Christus ipse sub specie panis realiter praesens est, et ab omnibus sub eadem specie panis videtur: id quippe prorsus contingit, quoties sacerdos in quolibet altari rem Divinam faciens materiam Eucharistiae consecravit; nec enim ecclesia unquam decernendum putavit, ut, peracta consecratione, crux ab altari removeatur. Quemadmodum nec asserentibus crucem necessario esse debere in altari, in quo expositum est Sacramentum publicae venerationi, si in eo Missa celebretur, quidquam prodesse potest, quod in publica Eucharistiae expositione significetur triumphus, et gloria Salvatoris, in Missae autem Sacrificio eiusdem mors repraesentetur; cum Ecclesia, tam in actione Missae, in qua Eucharistia consecratur, quam in conclusione precum, quae coram eadem iam consecrata et fidelium venerationi palam exposita recitantur, una eademque collecta aeque utatur, quam S. Thomas Aquinas confecit, nimirum: *Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti; tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra misteria venerari, ut redemptionis tuae* (hoc est Passionis ac Mortis) *fructum in nobis iugiter sentiamus.* Quae cum ita se habeant, Rituumque Interpretes et Scriptores, ob ea, quae mox relata sunt, in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea, quae prudenter, sapienterque decreta fuerunt a praedicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quaelibet ecclesia vel dioecesis suam retineat consuetudinem; ita ut nihil immutetur in ea dioecesi, ubi crux in altari constitui soleat, dum Missa celebratur, etiamsi sacra Eucharistia publice prostet: neque nova disciplina excitetur in ea dioecesi, ubi contraria huiusce rei consuetudo iampridem invaluerit.

Conclusio.

Haec omnia diligenter exposuimus, non quidem, ut hac de re plenum iustumque tractatum adornaremus, sed ut ex eis cognitum esset atque perspectum, quam alienum sit a Sacris Ritibus id, quod plures temere et inconsulto peregerunt, nempe ut sacrum facerent ad altaria, in quibus crux haud promineat inter candelabra, sed exiguus tantum Crucifixus praefigatur tabulae alicuius sancti, qui vel depictus aut caelatus maiori tabulae altaris adiungi consuevit. Si etenim iuxta rubricas Missalis, crux inter candelabra statuenda est; si iuxta caeremoniale Episcoporum, crux ipsa cum imagine Crucifixi candelabris supereminere debet; si, iuxta sensum Congregationis Sacrorum Rituum, non satis esse iudicatur exiguus Crucifixus tabernaculo infixus, cum Missa celebratur ad altare, ubi pyxis cum sacris particulis in Tabernaculo includitur; si in praesenti non agitur de altari, in cuius tabula imago Salvatoris Crucifixi primo loco fidelibus exhibeatur; nec minus de altari, in quo sacra Eucharistia publice adoranda proposita sit; nemo est, qui non videat, praxim, de qua agitur, recenter inductam, proprioque marte a privatis personis usurpatam, ex supradictis dicendam esse omnino improbatam; eoque magis, cum ex exiguo Crucifixo, qui praefigitur tabulae eius sancti, qui altari superadditur, ea profecto utilitas non consequitur, quam proponit Ecclesia, dum crucem inter candelabra collocandam decernit. De hac re praeclarissimus vir cardinalis Bona ita scriptum reliquit, *Rerum Liturgicarum lib. 1, cap. 25, n. 8. Ab aspectu siquidem crucis sacerdoti celebranti Passio Christi in memoriam revocatur, cuius passionis viva imago, et realis repraesentatio hoc Sacrificium est, mortem cruentam Salvatoris nostri incruente exprimens, tanquam idem sacrificium, quod in cruce oblatum est, quamvis diverso modo offeratur.* His postremis verbis indicatur orthodoxa doctrina, quam Tridentina Synodus declaravit, *Sess. 22 de Sacrificio Missae* (1).

(1) Sub finem huius Const. memorat Pontifex « a « Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Episco- « pis et Ordinariis locorum, ut etiam tamquam Sedis « Ap. Delegati corrigere valeant pravas consuetudines « quae ritui Missae celebrandae adversantur. Ita clare « desumitur ex Sess. 22 in decreto *de observandis et « evitandis in celebratione Missae* ». Adiungit quoque etiam quod notat Fagnanus ad *Cap. Grave num. 46. de officio Ordinarii* his verbis: *et generaliter hoc Decretum (Tridentini Concilii) censuit Sacra Congregatio comprehendere etiam Regulares, quantumvis exemptos, eosque ea omnia quae ab Ordinariis locorum circa observanda et evitanda in Missarum celebratione statuta fuerint, omnino observare teneri, ad idque etiam poenis et censuris ecclesiasticis ab iisdem Ordinariis cogi et compelli posse.*

358

De Episcoporum residentia.

Const. Bened. PP. XIV *3 Sept. 1746* (De episcoporum residentia). — Ad universae christianae reipublicae statum, ad ecclesiasticarum legum custodiam et fidelium populorum salutem, tam magni refert singulos patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus ecclesiis praepositos, in ipsis ecclesiis vel dioecesibus sibi creditis assidue residere, ut difficile sit aliud ullum reperire ecclesiasticae disciplinae caput, quod aut conciliaribus canonibus atque decretis, aut Apostolicae Sedis constitutionibus et sanctionibus, tam saepe tamque impense inculcatum fuerit et commendatum. Ut autem antiquiora canonica statuta praetereamus, nobis satis erit innuere, quid hac de re decreverit Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 6, cap. 1, et sess. 23, cap. 1 de Ref.*; tum ea quae rec. mem. praedecessor noster Urbanus Papa VIII praescripsit in sua Constitutione data apud S. Petrum die 12 Decembris anni 1634 quae incipit *Sancta Synodus,* et in qua praecedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV, Gregorii XIII, Clementis VIII leges et constitutiones retulit, confirmavit et ampliavit. Neque opus est recensere omnes encyclicas litteras, quae ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos de implendo huiusmodi residentiae onere identidem admonendos, ab hac Apostolica Sede mitti consueverunt; ut patet ex epistola iussu Ven. Servi Dei Innocentii Papae XI praedecessoris quoque nostri scripta die 5 Februarii anni 1678, item ex alia die 24 Decembris anni 1707 a fel. record. Clemente Papa XI ad suum et Apostolicae Sedis Nuntium Neapoli commorantem conscripta, ut illius Regni Praesules ad residendum in propriis ecclesiis et dioecesibus adigerentur; necnon ex eiusdem Clementis litteris in forma Brevis datis die 25 Maii anni 1709 ad Archiepiscopos et Episcopos Poloniae, qui obtentu turbarum et dissensionum, quae tunc in eo regno versabantur, suas reliquerant Ecclesias atque Dioeceses.

Sedis Ap. et Conciliorum decreta circa residentiam Episcoporum.

Neque porro nos hac in re apostolici officii nostri partes desiderari permisimus. Vix enim inscrutabili divinae providentiae consilio in hac suprema Ecclesiae universalis specula collocati fuimus, quum veterem praedecessorum nostrorum morem in usum revocantes, ad Ven. Fratres omnium per Orbem Ecclesiarum Antistites Apostolica scripta direximus, quibus inter caetera salubria monita, hoc etiam de residendo in propriis ecclesiis peculiari studio iis inculcare, et tam gravissima damna, quae ex eorum absentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum praesentia concreditis ipsis dioecesibus affert, ante oculos proponere non praetermisimus, ut videre est *in § 4* epistolae encyclicae die 3 Decembris anni 1740 a Nobis conscripta, quae in *Tom. I.* Bullarii nostri nuper vulgati *num. II* impressa est. Qui autem hominum corda scrutatur Deus, is sane novit, quanto et quam acerbo animi nostri dolore nonnumquam accepérimus, ecclesiasticas regulas ab aliquo ex Fratribus hac in parte violari et quantopere studuerimus, nunc admonendo, nunc obsecrando, nunc increpando, absentes quidem per litteras, praesentes vero ipsa voce ad debitum residentiae officium revocare. Quin etiam laudabilibus praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, in nostra et Cancellariae Apostolicae regula, quae beneficia ecclesiastica in octo anni mensibus vacatura nostrae dispositioni et collationi reservavimus, simul etiam eisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis residentibus gratiam alternativae mensium, certis modo et forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum ut quamdiu ipsi apud ecclesias aut dioeceses suas vere et personaliter residerent, de beneficiis huiusmodi ecclesiasticis, quae extra Romanam Curiam in Februarii aliisque alternis anni mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositioni Apostolicae reservata vel affecta non essent, libere disponere valerent, facultatem tempore pontificatus nostri duraturam concessimus; quo scilicet iidem Episcopi et maiorum Ecclesiarum praesules, ampliorem potestatem in beneficiis praedictis conferendis sic obtinentes, hac etiam Apostolicae nostrae liberalitatis gratificatione illecti, ad personalem residentiam praedictam libentius obeundam adducerentur.

Absentiae causae et tempora a Concilio Trid. permissa.

Quoniam vero et certae quaedam causae adesse possunt et huiusmodi occasiones incidere, propter quas, praevio Romani Pontificis assensu et approbatione, liceat Episcopo e propria Ecclesia et dioecesi per aliquod definitum tempus abesse; ea vero absentia, quae ad modicum tempus protrahitur, neminem desertae residentiae reum constituit; ideo et in conciliis et in Apostolicis constitutionibus ad praecavendos abusus tam circa huiusmodi causarum et occasionum relevantiam, quam circa tolerabilia temporum spatia, providae statutae leges et regulae reperiuntur. Et quidem iustae ac legitimae absentiae causae a praefata Tridentina Synodo *citat. cap. 1, sess. 23,* non aliae agnitae fuerunt, quam christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas. Verum his etiam causis deficientibus, quum eadem Sacrosancta Synodus perpendisset, ex veterum canonum sententia, minime abesse videri eos, qui aliquantisper absunt et statim sunt reversuri; omnibus Ecclesiarum Antistitibus indixit, ut sibi licitum non putarent singulis annis, ultra duos, aut tres ad summum menses, sive continuos, sive interruptos, extra proprias dioeceses commorari; eosque simul admonuit, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes

item, et Corporis Christi diebus, ab Ecclesiis suis cathedralibus abessent, nisi forte episcopalia munia in aliis dioecesum suarum locis eos detinerent; eamque praeterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque ullo gregis detrimento concessa uterentur libertate, et ut id *aequa ex causa fiat,* quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliaeque futiles causae penitus excluduntur.

Indultum Urbani VIII pro Episcopis in Curia promotis, a Benedicto XIII. amplialum.

Praefatus autem praedecessor ad peculiares occurrentes casus descendens, Episcopis in Curia promotis unum concessit mensem (quem postea declaratum fuit, a die ipsorum propositionis in Consistorio computandum esse), quo mense elapso, singuli ad proprias Ecclesias se conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano, habito a fel. record. Benedicto Papa XIII praedecessore pariter nostro, Episcopi exposuissent tam exiguo temporis spatio non posse a recens promotis sua in Urbe negotia expediri, idem Benedictus facultatem concessit S. R. E. Cardinali suo et Romani Pontificis pro tempore in Urbe eiusque districtu Vicario, ut praefatum unius mensis terminum, iuxta casuum contingentiam, et causa cognita, ad alios quadraginta dies et non ultra, prorogare posset.

Indultum pro visitantibus sacra Limina Apostolorum.

Praeterea Episcopis ad sacra Apostolorum Limina statutis temporibus visitanda personaliter accedentibus, supradictus Urbanus praedecessor indulsit, ut, Ecclesiis citra montes et citra mare positis praesiderent, per quatuor; qui vero ultramarinis et ultramontanis Ecclesiis praeessent, per septem menses continuos a residentia in suis respective sedibus facienda huiusmodi visitationis gratia, excusarentur.

Decreta ad praecavendos abusus.

Cum vero idem Urbanus declarasset, se, per ea, quae in suis praefatis litteris constituerat, minime sublatam voluisse dictam trium mensium licentiam a Concilio indultam; hinc plures ortae quaestiones et varia condita sunt decreta, ab eodem Urbano eiusque successoribus approbata; cuiusmodi sunt, non licere trimestrem absentiam praedictam coniungere, sive cum eo tempore, quo permittitur Episcopis post suam promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam Sacrorum Liminum visitationem eisdem concessum fuit: neque fas esse absentiae tempora ita disponere, ut tres postremi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis. Sicut etiam vetitum est praedictos menses coniungere cum eo anni tempore, quo, propter aeris insalubritatem, alicui Episcopo permittitur extra dioecesim degere; ne scilicet continuatis absentiae temporibus, vernos simul et aestivos menses, sive aestivos una cum autumnalibus, extra dioecesim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti posset, declaratum fuit, praedictam trium mensium vacationem intra cuiusque anni limites coerceri, ut qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab Ecclesia sua abesse valeat.

Circa residentiam Episcoporum S. R. E. Cardinalium.

Et quoniam Tridentina Synodus sub legibus de residentia huiusmodi ipsos etiam S. R. E. Cardinales nominatim comprehendit; praefatus Urbanus praedecessor, advertens nonnumquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui patriarchali, seu metropolitanae, aut episcopali ecclesiae praepositus, unum simul ex episcopalibus suburbicariis obtineret, constituit, ut huiusmodi Cardinales in primodictis Ecclesiis, non autem apud episcopatus suburbicarios, residere tenerentur.

De Congregatione super residentia ab eodem Urbano VIII erecta.

Denique tam in praedicto Concilio, quam in citata Urbani Constitutione, contra transgressores huiusmodi legum, quae ad residentiam pertinent, gravissimae poenae statutae fuerunt; quarum executionem idem Urbanus primo quidem demandavit Auditori causarum Curiae Camerae Apostolicae: verum biennio post totam huius materiae cognitionem delegavit Congregationi particulari a se deputatae, quam compositam esse voluit ex tunc et pro tempore existentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, nec non eiusdem Pontificis Datario et Secretario Status, ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, ac interpretationi et executioni decretorum praedicti Concilii Tridentini respective praepositorum. Et quidem praedicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut, iustis ex causis, et cum consilio praedictorum praelatorum, concedere posset Episcopis licentiam abessendi a propriis ecclesiis et dioecesibus spatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipsius Urbani litteris datis die prima Ianuarii anni millesimi sexcentesimi trigesimi sexti distinctius praescribitur.

Huius Congregationis Caput, seu Praefectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit praefatus Cardinalis Vicarius pro tempore existens; quemadmodum eiusdem secretarii munus is semper gessit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a secretis; unde etiam Nos ipsi, dum in minoribus constituti officio secretarii praedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fungeremur, par quoque munus secretarii alterius Congregationis super residentia Episcoporum simul sustinuimus. Quae sane Congregatio, ut ex illius secretariae regestis apparet, tam ipsius Urbani praedecessoris temporibus, quam aliis subsequentibus, non semel singulis annis adunari consuevit; id quod a san. mem. praedecessore pariter nostro Clemente Papa XI in usum revocatum fuit, et identidem peractum, Nobismetipsis praefatum secretarii munus obeuntibus, confectisque a Nobis et impressis foliis, ea prorsus methodo, quae pro causis ad Congregationem Concilii pertinentibus observatur.

Ut autem Episcopi a suis Ecclesiis vel dioecesibus licite abesse possint, quum praeter causam canonicam, expressa quoque licentia Romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria; excepto casu praedictae trimestris absentiae a Concilio permissae, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Episcoporum abscedentium conscientiae relinquat, de aequitate causae iudicium facere; hinc est, quod quaecumque huius generis licentia olim indulgeretur, per speciale chirographum manu Pontificis signatum expediebatur. Postmodum vero inductus fuit mos describendi omnes huiusmodi licentias in unico folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur; quem sane morem a praedecessoribus secretariis invectum, Nos quoque servavimus.

Cum autem post absentiam duodecim annorum quorum duos apud anconitanam, et decem apud bononiensem Ecclesias regimini nostro successive commissas, assidue residendo transegimus, in Urbem reversi et ad Apostolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus; Congregationis praefatae sessiones, materia forsan deficiente, non amplius frequentari comperimus; neque porro chirographa, aut folia signanda Nobis oblata fuerunt; sed, facta nobis oretenus a Praelato dictarum Congregationum super executione et interpretatione Concilii et super residentia Episcoporum Secretario, tam petitionum Episcoporum, qui vacationem a residentia postulabant, quam causarum, quibus huiusmodi petitiones innitebantur, relatione, nostroque desuper accepto responso; opportuna singulis decreta perscribi, eaque a Cardinali Vicario Nostro, tamquam saepedictae Congregationis super residentia Episcoporum Praefecto, signari consueverunt. Verum, quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam iudicaverimus, visum est Nobis motu proprio et ex certa scientia, non solum pro debita, ut aiunt, actus solemnitate, sed etiam pro ipsius rei subsistentia et pro maturiori examine causarum, quae ad huiusmodi licentias obtinendas afferuntur, infrascriptas leges et ordinationes inviolabiliter in posterum observandas, apostolica auctoritate, tenore praesentium, edicere et constituere.

Confirmatio praecedentium decretorum et constitutionum.

Primum itaque relata superius Sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta, *sess. 6, cap. 1, et sess. 23, cap. 1 de Reformat.*, laudatasque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum Pii IV, Gregorii XIII, Clementis VIII et Urbani pariter VIII constitutiones et ordinationes, nec non omnes et singulas, quae supra innuimus, resolutiones Apostolicae Sedis auctoritate editas, innovantes, et tam decretorum quam constitutionum, ordinationum et resolutionum huiusmodi tenores etiam veriores pro satis hic expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis habentes et haberi volentes; illaque et illas, quatenus opus sit, iterum plenissime approbantes et confirmantes; omnia et singula in ipsis contenta, ab iis ad quos spectat et pro tempore in posterum spectabit, attendi, et in his omnibus, quae Nostris hisce Litteris non adversentur, exactissime impleri et observari volumus, statuimus, et in virtute sanctae obedientiae mandamus atque praecipimus; non obstantibus quibuscumque privilegiis, aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, usibus et consuetudinibus, quae potius abusus et corruptelae dici debent, quibus, si forte adesse aut allegari contingat, motu ac scientia simili, ac de praedictae apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine, derogamus, ac derogatum esse volumus et decernimus.

Poenae in transgressores.

Secundo loco, et consequenter ad praemissa, adversus praedictarum legum et constitutionum transgressores, omnes et singulas poenas in eisdem decretis et constitutionibus latas et comminatas, auctoritate quoque nostra confirmamus et innovamus; amissionis scilicet quartae partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendae, qui legitimo impedimento, seu iustis et rationabilibus causis cessantibus, et absque expressa, ut praefertur, Apostolicae Sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerint; et amissionis alterius quartae partis fructuum, eodem modo incurrendae, ubi huiusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur; ut in praedicto Concilio Tridentino *sess. 6, cap. 1 de Reform.* statutum fuit; incursus quoque in peccati mortalis reatum et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, nulla etiam praevia declaratione, eosque erogandi in ecclesiarum fabricas, seu in substentationem pauperum ipsius loci, quacumque conventione seu compositione pro huiusmodi fructibus male perceptis prohibita; ut in eodem Concilio *sess. 23, cap. 1,* praescribitur. Similiter impositam a praedicto Pio IV praedecessore poenam amissionis facultatum testandi et disponendi, si quae transgressoribus huiusmodi competere dignoscantur; nec non inhabilitatis ad maiores dignitates et ecclesias obtinendas, quam praefatus quoque praedecessor Clem. VIII indixit, per omnia confirmamus et innovamus. Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omnibus et singulis indultis et privilegiis, quae forsan ipsis, tamquam pontificio solio assistentibus, concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur: decernentes, sub transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui praeter tres menses a Concilio toleratos, absque legitima causa, et expressa Romani Pontificis licentia, extra proprias dioeceses commorantur; sed eos etiam, qui huiusmodi licentiam falsis simulatisve causis dolose extorquere non dubitaverint; vel, ea semel rite recteque obtenta, praescriptos in eadem limites, ac praefinitum tempus praetergressi fue-

rint. Quod si nihilominus, aliqui, non minus canonica statuta, quam propositas huiusmodi poenas contemnentes, in sua contumacia obfirmati perseverare praesumpserint; volumus adversos istos ad ulteriora cum effectu procedi, iuxta mentem eiusdem Concilii Tridentini, quod in *citato cap. 1, sess. 6,* Romanum Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suae supremae Sedis auctoritate in huiusmodi transgressores ad severiorem sacrorum canonum normam animadvertat, atque etiam ecclesiis ipsis de utilioribus Pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

Praefatae Congregationis *super residentia* exercitium et sessiones resumendae.

Tertio loco volumus et mandamus, ut praedictae Congregationis super residentia Episcoporum ab Urbano Papa VIII institutae exercitium atque sessiones resumantur; confirmantes ipsius praefecturae munus dilecto Filio Nostro Ioanni Antonio tituli Sancti Martini in Montibus presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato, moderno nostro in Urbe eiusque districtu in spiritualibus Vicario, eiusque in officio Vicariatus huiusmodi successoribus; sicut etiam officium secretarii eiusdem Congregationis dilecto Filio magistro Ioseph Alexandro Furietto, eiusque successoribus Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum secretariis; eosdemque statuentes in huiusmodi Congregatione nunc et deinceps pro tempore locum habere et suffragium ferre, quicumque ea officia et munera obtinent sive obtinebunt in posterum, quae in praecitatis Urbani praedecessoris litteris designantur. Praeterea quum minime expediat huiusmodi Congregationem Promotore Fiscali carere, Nos eum, qui in tribunali praedicto Cardinalis Vicarii Urbis officium gerit promotoris fiscalis, eiusque in officio successores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in praefata Congregatione, cui ipsum, seu ipsos, cum consultivo suffragio volumus interesse. At vero perpendentes, quod si Congregatio isthaec toties habenda foret, quoties ab aliquo Episcopo licentiam abscedendi a dioecesi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi et parvipendi posset; volumus atque statuimus, eamdem tunc tantum cogendam habendamque esse, quum aut a Nobis, sive a successoribus nostris Romanis Pontificibus, alicuius negotii cognitio ipsi remissa et delegata fuerit, aut, huiusmodi etiam remissione cessante, quoties de poenis superius constitutis, adversus aliquem transgressoremreipsa decernendis infligendisque, deliberandum fuerit; siquidem huiusmodi poenarum modus, prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione statuendus erit, ut facta per ipsius secretarium Nobis, seu successoribus nostris, relatione, approbataque Congregationis resolutione, ad huiusmodi poenarum executionem cum effectu procedatur; aut denique quum aliquis Episcopus instantiam proponat abessendi a propria dioecesi ratione alicuius muneris sive officii, cuius ea dicatur natura esse, ut apostolicum indultum de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum; Nos etenim huiusmodi indulta nemini umquam concedi debere decernimus, nisi praevio causarum examine in eadem Congregatione peragendo, Nostraque et successorum nostrorum scientia et approbatione, et mediante expeditione litterarum apostolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis Supplicum Libellorum secretario, aliisque secretariis quarumvis Congregationum, quibus ea de re preces oblatae fuerint, ut illas in praedictam Congregationem *super residentia* Episcoporum omnino remittant; simulque prohibemus Nostro et successorum nostrorum pro tempore Secretario Brevium, ne Litterarum Apostolicarum super indultis huiusmodi exempla Nobis aut successoribus nostris signanda, ullatenus afferat, nisi authentica documenta, tam de causarum examine in dicta Congregatione peracto, quam de apostolica approbatione, et assensu consequenter emanatis, eidem fuerint exhibita.

De modo servando in concedendis indultis.

Quarto loco statuimus, ut folia superius enunciata in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum describantur nomina Episcoporum, quibus dantur indulta commorandi extra dioecesim, una cum causis ab ipsis adductis atque probatis, et spatio temporis ad quod huiusmodi indulta conceduntur; quae quidem folia a Romano Pontifice subscripta, in tabulario praedictae Congregationis, ut alias, asservari praecipimus. Quod tamen intelligi volumus non de iis indultis, quae per Apostolicas Litteras in forma Brevis expedienda esse in paragrapho superiore descripsimus; sed de alterius generis indultis, de quibus infra dicendum erit, quaeque, post pontificium assensum a Secretario requisitum et obtentum, expediri debebunt per decreta a praedicto Cardinali Vicario Urbis, tamquam praefatae Congregationis Praefecto, subscripta. Decet enim has quoque licentias non sine pontificia subscriptione prodire; idque obtinebitur accedente signatura Pontificis super praedictis foliis, in quibus singulorum indultorum tenores et causae a Secretario descriptae erunt; quemadmodum elapsis temporibus, atque etiam a Nobis ipsis, dum huiusmodi secretarii munere fungeremur, servatum fuisse narravimus.

Quae exponenda sint in precibus ad indulta obtinenda.

Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod, ad obtinenda indulta commorandi extra dioecesim, infrascriptae plerumque causae ab Episcopis afferri solent: nimirum aut necessitas assistendi personaliter alicui liti seu controversiae, in qua ecclesiae, aut cleri sui, vel etiam propriae familiae, res agatur, quaeque in

Romana Curia introducta sit vel alia in urbe, in qua resideant maiora tribunalia, quorum ea de re iudicium esse debeat; aut corporalis aegritudo, qua correptus fuerit Episcopus, dum extra dioecesim, conciliaribus mensibus utens, morabatur, ita ut ad eamdem dioecesim reverti nequeat; aut adversa valetudo in ipsa dioecesi contracta, ad quam depellendam medici putent necessarium fore, Episcopum aerem et solum aliquantisper mutare, aut denique malignitas aeris in dioecesi vigens, quam aliquibus anni mensibus devitari oporteat: Et quoniam nec ulla ex praemissis causis, absque expressa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere residendi eximere potest, et nisi certis expressis circumstantiis, iisque verificatis, difficile est ad huiusmodi approbationem rite recteque procedere; necessarium Nobis visum est infrascriptas regulas statuere, quas in singulis respective casibus ab iis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, observari mandamus atque praecipimus.

Si quis igitur in posterum licentiam petierit abscedendi a dioecesi sibi concredita, ut iudiciali controversiae, quae alibi vertitur, per se ipsum intersit, exprimere debebit in precibus tum locum, sive urbem, in qua huiusmodi lis agitatur, tum etiam an ea pertineat ad ipsam oratoris ecclesiam, seu clerum vel potius ad ipsius familiam. Et quidem si ad familiam pertineat, absque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem aut Cardinalem Praefectum adeat, rescribendum ab ipso erit, ut orator ad effectum, de quo in precibus, utatur mensibus a Conciliis indultis. Quod si eis iam usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedetur. Si vero de eius Ecclesiae vel cleri rebus agatur, exponi debebunt tum status litis eiusdemque gravitas, tum causae, propter quas necessaria creditur in loco iudicii oratoris praesentia; tum etiam declarandum, an mensibus conciliaribus usus fuerit. Et quidem, si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in huiusmodi causam impendant. Si vero id amplius Episcopo integrum non sit (qua in re nec dolus nec fraus intercesserit, et alioquin ipsius instantia iusta videatur), tantum illi temporis, et non amplius, ad commorandum extra dioecesim tribuatur, quantum iudicatum fuerit necessarium esse ad causae defensores, advocatos et iudices de omnibus, quae ad rem pertinent, sufficienter instruendos; si enim licentia abessendi a dioecesi usque ad finalem exitum causae extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hisce casibus Episcoporum absentia, et quam facile evenire posset, ut pleraeque dioeceses complurium annorum spatio pastorum praesentia carerent.

Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra dioecesim contractae dum vacatione a Concilio indulta uterentur, asserentes ea de causa regressum ad propriam diecesim sibi prohiberi; exponere debebunt contractae infirmitatis qualitatem, et super ea testimonium medici iuramento firmatum exhibere. Atque, ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum ac definitum tempus concedi debebit, adiecta quoque clausula *si tamdiu infirmitas duraverit*.

Ab iis autem, qui huiusmodi licentiam postulaverint, eo quod aeris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis, quos in suis Ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, et quam graviter laborent, ac proferendum testimonium medici, qui iureiurando testetur, utile ac necessarium oratori esse, ut in aliam regionem, atque aerem, per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio praetereundum, an scilicet orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentia a Concilio permissa usus fuerit: si enim id nondum fecerit, et tempus a Concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menses, in quibus tamen conciliares menses comprehendantur, a residentia absens permaneat: at, si praedictos conciliares menses, remoto omni dolo et fraude, iam extra dioecesim transegerit, tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem vere necessarium esse prudenter iudicabitur.

Qui tandem licentiam commorandi extra dioecesim postulabit propter malignitatem aeris, quem in sua dioecesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet; is videat etiam atque etiam quid agat. Et quidem pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit regionis aer: item an eadem coeli temperies totam comprehendat dioecesim, ita ut nullus intra eius tractum locus existat, in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat; postremo an conciliaribus mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non aegre obtinebit indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aere tamdiu durare censeatur), in quibus tamen tres illi a Concilio permissi numerandi erunt: si autem huiusmodi Concilii indulgentia iam usus fuerit, frustra novum indultum praedicta de causa ab Apostolica Sede postulabit; sibique imputare debebit, quod, quum sciret certo anni tempore in sua dioecesi aerem insalubrem fore, concessos vacationis menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiae indultis, quae ratione aeris insalubris in posterum concedentur, hanc clausulam adiici volumus: *Dummodo intra dioecesim aliquis locus non adsit, in quo aer salubris sit, et in quo Episcopus commorari possit.*

De absentia a dioecesi in casu celebrationis Conciliorum Provinc. Congregationum etc.

Sane praedictus Urbanus praedecessor non

praetermisit eorum Antistitum causam considerare, qui provincialibus Conciliis, vel congregationibus, seu assembleis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire solent, personaliter interesse, sive in aliis muneribus, aut reipublicae officiis, quae ipsorum episcopatibus, ecclesiisque adiuncta sunt, ad certum tempus extra dioecesim occupari solent ac debent; et his quidem in praecitata Constitutione licentiam abessendi concessit pro eo definito tempore, quo eiusmodi concilia, congregationes et assembleae peragentur, exercitiumque muneris, seu officii publici eorum ecclesiis adiuncti, actu duraverit; dummodo iis finitis, recto tramite ad Ecclesias sibi commissas sese conferrent; cuius concessionis aequitatem Nos quoque agnoscentes, eamdem approbamus et confirmamus. Sed, quum idem Urbanus nihil statuerit de Episcopis qui a residentiae suae loco discedunt pro processuum in causis Beatificationum aut Canonizationum compilatione, apostolica auctoritate ipsis delegata; necesse est aliquid a Nobis pro his etiam casibus opportune constitui.

De absentia pro compilatione processuum in causis Beatificationum aut Canonizationum.

Expediuntur a Congregatione sacrorum Rituum litterae, quas vocant remissoriales et compulsoriales, quibus committitur, ut supradicti processus auctoritate apostolica conficiantur; eaeque diriguntur tribus Episcopis, aut superioribus Praelatis, cum clausula, ut *duo ad minus procedant*. Cumque in huiusmodi Episcoporum numero semper includatur Ordinarius loci, in quo processus construitur; fere contingit, e tribus, ad quos litterae sunt directae, unum dumtaxat a residentia avocari. Ubi itaque aliquis Episcopus titularis Ecclesiae in partibus infidelium constitutae haberi possit, volumus eum in praefatis literis pro uno ex tribus Episcopis comprehendi. Quod si tres omnino Antistites in propriis Ecclesiis residentes ad huiusmodi effectum delegari oporteat, statuimus atque praecipimus, ut litterae a praedicta Congregatione dirigantur Episcopis, qui viciniores sunt dioecesi, in qua apostolicus processus conficiendus erit. Quoniam vero de re agitur, quae duabus tribusve hebdomadibus perfici nequeat, sed quae plurium saepe mensium, aut etiam annorum, operam requirit; volumus, ut Episcopi, qui eiusmodi delegationem acceptaverint, necessariam licentiam abscedendi a dioecesi, causam absentiae exprimendo, petere et impetrare non omittant, sub poenis adversus eos constitutis, qui absque causa extra dioecesim commorantur. In huiusmodi autem licentiis concedendis, statuimus, ut conciliares menses semper comprehendantur, et, praeter eos, triginta dumtaxat dies, si opus fuerit, adiiciantur; nam et ad plura peragenda quadrimestre spatium sufficiens est, et, si adhuc facienda supersint, quatuor alii menses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

Conclusio.

Haec sunt, quae salubriter in Domino statuenda iudicavimus, quaeque pro regula et norma in posterum haberi volumus, ut a Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, gravissimum, quod ipsis incumbit, residentiae officium exacte impleatur. Itaque dilecto filio moderno praefatae Congregationis super eadem residentia secretario, eiusque successoribus in perpetuum, iniungimus et in virtute sanctae obedientiae, sub poenis contra inobedientes mandatis apostolicis in re gravi, praecipimus, atque iubemus, ut supplices libellos pro parte quorumcumque Antistitum sibi oblatos, in quibus ea, quae supra adnotavimus, expressa non fuerint, quibusque necessaria authentica documenta, superius pariter indicata, non sint adiuncta, nullo modo recipiant, multoque minus ad Pontificem referant. In decretis autem, quae post pontificium assensum ab ipsis Secretariis in consueta audientia reportatum, a Cardinali eiusdem Congregationis Praefecto subscribenda erunt, suprascriptas clausulas respective apponere non praetermittant; illud etiam expresse cavendo, ut quae concedentur indulta, a die datae ipsorum decretorum decurrere intelligantur.

Denique Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Metropolitanos et Episcopos omnes monemus, ut non solum ipsi statutas de residentia leges adamussim observent, sed etiam memores sint decreti a Sacra Tridentina Synodo editi *sess. 6, cap. 1, de Reformatione,* quo iubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi rationem respective vigilare, et non residentes Romano Pontifici infra certum tempus denunciare. Nostris quoque et Apostolicae Sedis Nuntiis hoc idem demandamus et iniungimus, ubi intra ipsorum Nuntiaturae districtum aliquis Episcopus seu superior Praelatus existat, qui canonicas leges hac in parte violare dignoscatur. ...Caeterum intendimus sub praesentium litterarum nostrarum ordinatione et dispositione etiam ipsos venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, qui patriarchalibus, primatialibus, archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis praedictis ex concessione et dispensatione apostolica nunc praesunt, ut in futurum praeerunt, comprehendi ac comprehensos esse et fore. — Praesentes quoque litteras, *etc.*

359

Litt. Ap. Bened. PP. XIV *17 Sept. 1746.* — (AD P. S. CARMELIT. EXCALCEAT. IN BELGIO). Exposuistis Nobis non raro isthic contingere, ut catholici matrimonium inter se contracturi, civilem adeant magistratum aut haereticum ministellum, quibus se sistere legibus patriae coguntur, et coram illis mutuum exprimant in coniugium consensum, quem tamen postea renovare coram legitimo ministro

Circa matrimonium vulgo *civile.*

catholico et duobus testibus, uti Tridentinum praecipit, aut omnino negligunt, aut in longum tempus differunt: interim vero, perinde ac si legitimi coniuges iam forent, non dubitant omnem coniugalem consuetudinem inter se habere. Quaesivistis deinde quid de illo consensu sentiendum sit, coram civili magistratu aut haeretico ministello praestito, num scilicet satis fuerit ad perficiendum matrimonium validum, saltem in ratione contractus, quod alter ex vobis affirmat, alter inficiatur, etsi ad Sacramenti dignitatem non assurgat, quod nemo vestrum in quaestionem adducit; si enim res ita se haberet, uti primus existimat, subsequens inter consentientes copula, etiam ante renovatum coram parocho catholico consensum, omni flagitio vacaret, et suscepta inde proles absque ulla dubitatione esset legitima reputanda. Iam vero, ut postulatis vestris breviter simul et dilucide respondeamus, unaque controversiam omnem iudicio Nostro praecidamus, sic habete: Ubicumque promulgatum et receptum sit Concilii Tridentini Decretum, cap. 1, sess. 24, *De reformat. matrim.*, ibi nulla prorsus atque in omni ratione irrita esse coniugia aliter quam coram alterutrius contrahentium legitimo parocho aliove sacerdote parochi vices agente, et duobus testibus celebrata. Scimus profecto esse theologos, qui in ipso fidelium matrimonio contractum a Sacramento ita dividunt ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad Sacramenti excellentiam pertingat; sed, quidquid sit de hac opinione, quam Nos quidem nunc in medio relinquimus (1), ea certe, quod attinet ad rem praesentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos qui Tridentina lege obstringuntur: etenim qui praeter formam a se praescriptam matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non Sacramentum modo sed contractum ipsum irritum diserte pronuntiat, atque, ut eius verbis utamur, *eos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos esse decernit.* Quare, cum inter catholicos in istis Provinciis degentes, et promulgatum et receptum iam fuerit illud Tridentini Decretum, quod ambo fatemini, perspicuum est matrimonium ab ipsis invicem initum coram civili magistratu aut acatholico ministello, et non item coram proprio alterutrius contrahentium parocho et duobus testibus, neque in ratione Sacramenti neque in ratione contractus sustineri, aut ullo pacto validum reputari posse. Neque vero rationes, propter quas valida pronuntiamus matrimonia, quae aut ab haereticis inter se, aut a catholicis cum haereticis in istis Foederatis Provinciis contrahuntur, non servata forma Tridentini, aptari queunt coniugiis inter se initis a catholicis quorum quilibet Tridentini Decreto se obstrictum agnoscit, eiusque se auctoritatem sequi profitetur.

Matrim. *civile* nullum ubi publicatum est Decretum *Tametsi.*

Sciant itaque catholici vestrae curae concrediti, cum civili magistratui aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum mere civilem se exercere, quo suum erga leges et instituta Principum obsequium ostendunt: caeterum tunc quidem nullum a se contrahi matrimonium. Sciant, nisi coram ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, nunquam se, neque coram Deo, neque coram Ecclesia veros et legitimos coniuges fore: nec, si interim coniugalem inter se consuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua ex huiusmodi cuniunctione orietur soboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam, et, nisi coniuges consensum ex Ecclesiae praescripto renovaverint, illegitimam perpetuo futuram etiam in Ecclesia fore.

Quid sentiendum circa matrimonium vulgo *civile.*

Erit porro officii vestri haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam suaserint, circumspectione et cautela, singulis explicare prolixius, simulque omnes commonere ut, siquidem regionis consuetudini et terreni Principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed Religione salva, potioresque ducant sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium matrimonia constringuntur. Illud praeterea vobis curandum est ne, etiamsi duo catholici civilem illam ac mere politicam coram haereticis caeremoniam peregerint, nimium inter se familiariter agant, aut sub eodem tecto in communi habitent, nisi se prius veris et legitimis nuptiis ex norma Tridentini alligaverint; quanquam enim ea familiaritas esse possit sine flagitio, certe periculo et suspicione non vacat: utrumque autem probis et bene moratis christifidelibus cavendum est. Ad huiusmodi porro evitanda pericula, cognoscimus consultius utique fore, ut catholici, nonnisi matrimonio iam antea in facie Ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem caeremoniam, saecularem magistratum, seu haereticum ministellum adirent; sed quoniam ex vestris litteris deprehendimus id non sine periculo et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite ut, postquam reipublicae morem illi gesserunt, non diu differant Ecclesiae legibus parere, et coniugale foedus iuxta praescriptam a Tridentino normam rite et sancte inire; et si quid tum super hac re, tum super aliis quae istam Missionem respiciunt, Nobis suggerendum esse putetis, communicato inter vos consilio, operam nostram implorate, quam semper praesentem invenietis.

(1) V. Instructionem S. Poenitentiariae *16 Ianuarii 1866* § 3.

360

De baptizandis hebraeorum pueris.

Ex Litt. Ap. *Postremo mense* **Benedicti PP. XIV** *28 Febr. 1747* .... Materiam duximus in duas partes distribuendam... Prima autem pars multifariam dividitur. Primo enim expendetur, utrum invitis parentibus ac reluctantibus, hebraei infantes baptizari licite possint: secundo, si hoc nefas esse dixerimus, an casus unquam contingat aliquis, in quo id fieri non modo possit, sed etiam liceat, planeque debeat: tertio, Baptisma hebraeis infantibus tunc impartitum, cum fas non sit, ratumne an vero irritum haberi debeant: quarto, quid sit faciendum cum infantes hebraei afferuntur ut baptizentur, aut compertum eos iam fuisse sacro Baptismate initiatos; demum quomodo probari possit eosdem aquis salutaribus iam lustratos fuisse. De primo primae partis capite si sermo sit, utrum nempe, dissentientibus parentibus, hebraei infantes baptizari possint, aperte asserimus, hoc iam a sancto Thoma tribus in locis definitum fuisse, nempe, in *Quodlibet* 2, art. 7; in 2, 2, quaest. 10, art. 12, ubi ad examen revocans quaestionem in Quodlibetis propositam: *Utrum pueri iudaeorum et aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi,* ita respondet: *Respondeo dicendum quod maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo quae semper est in omnibus aemulanda etc. Hoc autem Ecclesiae usus nunquam habuit, quod iudaeorum filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici Principes potentissimi, ut Constantinus et Theodosius, quibus familiares fuerunt sanctissimi Episcopi, ut Sylvester Constantino, et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo praetermisissent ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi; et ideo periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut praeter consuetudinem in Ecclesia hactenus observatam, iudaeorum filii invitis parentibus baptizentur.* Transitum deinde facit Doctor Angelicus ad exponendas rationes, atque ita ait in 3 part. quaest. 68 art. 10; *Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent* etc. *Si nondum habent usum liberi arbitrii, secundum ius naturale, sunt sub cura parentum quamdiu ipsi sibi providere non possunt; unde etiam de pueris antiquorum dicitur quod salvabantur in fide parentum: et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes; et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium invitis parentibus baptizentur.*

1. Utrum hebraei infantes baptizari possint, invitis parentibus.

.... Hoc igitur posito, quod nefas sit hebraeorum infantes, reluctante parentum arbitrio, baptizare, nunc, iuxta ordinem initio propositum, descendere iam oportet ad alteram partem: an videlicet contingere unquam possit occasio aliqua, in qua id liceat et conveniat.

2. Utrum id aliquando liceat.

Duo, ut plurimum, casus evenire solent: cum christianorum aliquis hebraeorum infantes invenit in extremo mortis discrimine constitutos: alter autem, quum iidem infantuli crudeliter a parentibus proiecti destitutique inveniuntur. Cum id eveniat ut ab aliquo christiano hebraeorum puer morti proximus reperiatur, rem oppido laudabilem, Deoque gratam is certe efficiet qui salutem puero aqua lustrali praebeat immortalem. Inter caetera Congr. S. Officii Decreta unum extat latum postridie kalend. Novembris anno 1678 cuius verba haec sunt: *Cum filius hebraeorum consignatus fuisset nutrici christianae in deficientia nutricum hebraeorum, dum esset proximus morti, fuit baptizatus, et S. C. declaravit praedictum puerum fuisse licite baptizatum.*

Cum quo convenit alterum emanatum die 18 Februarii an. 1705, quaestioni respondens fel. mem. Praesulis Caroli Maigrot; illud autem est huiusmodi: *An filii infantes infidelium possint baptizari invitis parentibus? Eminentissimi, audito voto DD. Consultorum, dixerunt: non licere, nisi in articulo mortis.* Gobat, *in Theologia experimentali,* tractatu 2, cas. 11, num. 329, maxime commendat virum religiosum de Soc. Iesu qui, cum vi quasi coactus mahumetani domum ingressus esset, veluti medicus eius puellam morti proximam invisurus, eam caute baptizavit quin id pater cognoverit: quae quidem puella post menses aliquot ex hac vita emigrans ad coelum feliciter evolavit. Conveniunt quoque in eamdem sententiam Suarez *in tertiam partem S. Thomae* disp. 78, quaest. 25, art. 3, *§ Ex his autem;* Becanus, *De Sacram. Baptismi,* cap. 19, quaest. 7, num. 7; Hurtadus, *De Sacr. Bapt.* disp. 3, diss. 3; Azorius, part. 1, lib. 8, c. 25, quaest. 10; Castrus Palaus, tract. 19, disp. unic. *De Bapt.,* punct. 9, num. 16; Paschal, *De viribus patriae potestatis,* part. 1, n. 11: Barbosa, in Canon. *Iudaeorum* 28, q. 1, n. 3. Ad hanc rem praeclare facit epistola S. Francisci Xaverii, p. 67, Romae typis edita in qua confirmans P. Franciscum Henricum, quod quereretur paucos a se infideles in Indiis ad veri Numinis cultum revocari, sic scribit: *Plus itaque proficis quam tu putas infantes diligentissime conquisitos per Baptismum coelo parturiendo* (nam certum est Xaverium hic loqui de Indorum infantibus extremum vitae agentibus, quos P. Franciscus Henricus rite ac licite baptizabat); *at memento te octo mensibus quibus isthic versaris, plures animas conservasse moribundis infantibus baptizandis.*

An liceat baptizare infantes ab infidelibus oblatos.

.... Sunt quoque aliqui infideles, suos infantes christianis offerre soliti, ut aquis salubribus abluantur, non tamen Christi ut stipendia mereantur, neque ut originalis culpa eorum ex anima deleatur: sed id faciunt indigna quadam superstitione ducti, quod nempe Baptismi beneficio existimant, eosdem a malignis spiritibus, a foetore, aut morbo aliquo liberandos. S. Augustinus, *in epist. ad Bonifacium Episcopum,* tom. 2, typis Patrum S. Mauri, n. 4 de hac re ita disserit: *Nec illud te moveat, quod quidam non ea fide ad Baptismum percipiendum parvulos ferunt, ut gratia spirituali ad vitam regenerentur aeternam, sed quod eos putant hoc remedio temporalem retinere, vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab istis hac intentione offeruntur. Celebrantur enim per eos necessaria ministeria, et verba Sacramentorum sine quibus consecrari parvulus non potest.* Mens quippe non infantem Baptismo offerentis, sed baptizantis est serio consideranda: *At non parentum, sed ministrorum mens est spectanda; hi enim si bona et recta mente voluerunt exequi quod Ecclesia postulat, omnino Baptismum valide contulerunt.* Verba sunt Arcudii, *lib. de concordia Ecclesiae Occidentalis et Orientalis,* lib. 1, cap. 12.

Res ad examen revocata fuit in Synodo habita anno 1148, sub Patriarcha Luca, de qua Synodo sermonem habet Balsamon super Canone 84 *Trullano.* Agareni quidam Synodo adfuerunt, qui, ut Baptismum reciperent invitati, illico responderunt sese iam pridem sacro Baptismate initiatos; nam id in more suam apud gentem esse dixerunt, infantes vix natos ad sacerdotes catholicos deferri solitos ac baptizari: *Non tamen admissi fuerunt; audierat enim* (praedictus scilicet Patriarcha) *quod Baptismus, quem infideles a christianis petunt, non bona affectione et orthodoxo proposito petitur, sed propter corporalem medicinam. Persuasum est enim Agarenis, fore, ut sui liberi a daemone vexentur, et tamquam canes male oleant, nisi Baptismum christianum assequantur.* Verba sunt Balsamonis e graeco idiomate in latinum versa a Card. Baronio *in Annalibus,* ad annum praedictum 1148; unde significari videtur, illius Concilii Patres Baptismum ratum ac validum nequaquam existimasse.

Cum ad theologos canonumque peritos huius quaestionis examen transisset, varii casus propositi ac discussi fuerunt. Infideles aliqui, cum hoc sibi in animum induxissent, Baptismi gratia infantes suos a morbis daemonumque vexationibus liberatum iri, eo dementiae adducti sunt, ut mortem quoque minitati sint catholicis sacerdotibus, qui, utpote eorum pravae mentis conscii, Baptismum eorumdem liberis constantissime denegabant. Navarrus, in suo cons. 5, *De tit. Bapt.,* respondit pueros iam rationis compotes in casu eiusmodi a Baptismi fontibus repellendos, infantes vero omnino admittendos esse, qui adhuc rationis expertes sint. Alii vero perperam sentiunt omnibus conferri Baptismum posse, mors ut evitetur, dum materia solum, non autem forma, adhibeatur. At huic sententiae refragatur Cong. S. Officii coram Pontifice habita, die 6 Septembris 1625. *S. C. U. Inquisitionis, habita coram SSmo, relatis litteris Episcopi Antibarensis, in quibus supplicabat pro resolutione infrascripti dubii: An cum sacerdotes coguntur a turcis ut baptizent eorum filios, non ut christianos efficiant, sed pro corporali salute, ut liberentur a foetore, comitiali morbo, maleficiorum periculo, et lupis; an in tali casu possint saltem ficte eos baptizare adhibita Baptismi materia sine debita forma? Respondit negative, quia Baptismus est ianua Sacramentorum ac protestatio fidei, nec ullo modo fingi potest.* Hoc Decretum typis editum extat in Verricello *de apostolicis Missionibus* tit. 5 ad verb. *Baptismus* quaest. 219. Neque hoc loco praetermittendum est, vigesimam nonam inter propositiones ab Innocentio XI damnatas die 2 Martii 1679 esse huiusmodi: *Urgens metus gravis est iusta causa Sacramentorum administrationem simulandi.*

Si tamen mortis discrimen absit, omnibus haec opinio insedisse videtur, Baptismum conferre nefas esse, cum dubitari prudenter possit id futurum, ut baptizatus tractu temporis a Catholica Religione desciscat; quod quidem experientia docet plerumque iis infantibus evenire, qui a parentibus infidelibus oblati ut ab infirmitate aliqua Baptismo liberentur, postea vero in eorum educationem ac potestatem reverturtur. Hoc idem comprobat suffragio suo Castrus Palaus tom. 4 suorum operum moralium, tract. 19, disput. unic., punct. 6, n. 11. Cardinalis Albizi *De inconst. in fide,* cap. 33, num. 47; Verricellus, *De apostolicis Missionibus* titul. 6, quaest. 113, num. 8. Hinc vero id sequitur, quod si baptizatus infans non ad parentes infideles rediret, sed christiano cuipiam committeretur, is baptizari deberet, etiamsi non a parentibus oblatus esset ut catholicus evaderet, verum ut ab aegritudine ac morbo aliquo servaretur. Apposite ita concludit Azorius *Institut. moral.* par. 1, lib. 8, cap. 25, quaest. 6: *Ex quo perspicuum est eiusmodi infantes iure donari et ablui Baptismo posse, quoties commoda occasio sese obtulerit a patrio eos iure et potestate liberandi.*

Negari profecto nequit grave perversionis periculum in hac materia rem esse maximi momenti. Episcopus Quebec alias significavit, barbarorum aliquot, etiamsi christianae militiae adscriptos, nullum religionis specimen exhibere: hoc enim habent in more positum, ut,

statim ac filius nascitur, eum christianis offerant baptizandum; is vero, ubi adolevit, a religionis nostrae sanctimonia abhorret, parentum scilicet exemplo edoctus. Quare non sine causa praedictus Episcopus postulavit, iisne infantibus Sacramentum esset Baptismatis conferendum? Huic petitioni diligenter expensae, in Cong. S. Off. habita die 3 Maii 1703 responsum fuit: Baptismum conferre infantibus non licere, qui filii infidelium essent, atque in eorum potestate mansuri. Hoc tamen decretum eos excepit pueros, qui gravissime aegrotantes vita periclitarentur: *Non licere, si sint filii infidelium, et in potestate eorum relinquendi; secluso tamen mortis imminentis periculo.* Licere autem si filii quidem barbarorum sint, sed iam Christi militum, dum tamen, aut a viris apostolicis illic degentibus, aut ab ipsis parentibus, de sanctae religionis praeceptis ac mysteriis edoceantur, cum adoleverint: *Licere vero, si sint filii barbarorum baptizatorum; curandum tamen per missionarios ac per ipsosmet eorum parentes, ut, cum ad annos discretionis pervenerint, a se, vel ab aliis instruantur, praesertim in illis regionibus, si non praevideatur in promptu adfuturos ministros evangelicos qui in hoc parentum commode supplere possint defectum.* In Servia audivimus pauperculas esse christianas mulieres invito cum turcis matrimonii vinculo copulatas, quae cum filium pariunt, eum sacerdotibus offerre solent, ut baptizetur; idcirco postulatum fuit, quî debeant in casu huiusmodi sese gerere sacerdotes. De hac re decretum habetur in nostro Bullario, n. 89, § 8, p. 304, ubi apparet conferendum esse Baptismum, si constet mortem oblato puero imminere: *Istarum vero filios, quos parochis baptizandos exhibent, ubi eorum vitae periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere praedicti parochi minime dubitent, admonitis matribus ut, si convaluerint, ipsos in christiana religione educare sedulo curent.* Si nullum adsit vitae periculum, certa regula generalis statuta non est, cum oporteat diligenter omnes expendere circumstantias, et praesertim, *vel eos in Evangelicae legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab eiusmodi matribus fraudatos, mahumetani patris impietatem secuturos esse.* Si sacerdotes, postquam pie et religiose hoc negotium Deo commendaverint, aequum bonumque existiment praedictos infantulos baptizare, id quidem facerent, matres tamen enixe admonerent de gravissimo quo tenentur munere filios de christiana religione sedulo edocendi.

Nos certe ignoramus accidisse, ut pater aliquis hebraeus Romae, aut alibi, infantem obtulerit sacris Baptismi aquis tingendum, non quod eum cuperet christianum fieri, sed a morbo aliquo liberari. Hoc si unquam eveniat, S. Augustini sententia, nempe pravam parentum intentionem Baptismati non obesse rite collato, prae oculis habita; et coniunctim communi opinione considerata, in hoc casu Baptismum minime negandum esse, dum nullum sit periculum perversionis, quod sane est maximum, si baptizatus in infidelium potestatem sit rediturus; prudentum certe iudicio rite lustrari deberet infans, et christianis tradi, ut probe educatus, aetate et sapientia coram Deo proficeret; hoc autem si diligenter fieret, ut semper post Baptismi Sacramentum decet, nullum esset periculum perversionis (quod vitari non potest, si patri hebraeo filius restituatur); atque hoc pacto omnis etiam difficultas tolleretur, quae saepissime in causa fuit, cur responsio categorica missionariis negata sit enixe postulantibus, liceretne Baptismum conferre infidelium infantibus sacro fonti oblatis, non pietatis, non religionis causa, sed rerum temporalium caducarumque cupiditate. Vid. Card. Albizi cit. cap. 33, *De inconst. in fide,* num. 47.

Collatum baptismum potest unius testimonio comprobari.

.... In quibusdam praefatis resolutionibus innuitur eum qui hebraeorum filios sine parentum consensu Baptismo lustrare ausus fuerit, exceptis iis casibus in quibus hoc liceat, eum, inquam, poena mulctandum esse; baptismum autem unius testimonio comprobari ..... Iam vero Baptismati comprobando unius sufficere testimonium, vetus iurisperitorum axioma est, ut videtur in Glossa, cap. *Nuper,* ad verbum *Nisi iuratus, De testibus et attestationibus: Quandoque tamen bene creditur uni, quando non fit praeiudicium alicui; puta utrum aliquis sit baptizatus vel utrum esset ecclesia consecrata, et ubi quis vult probare se egisse poenitentiam per confessorem suum.* Et in Can. *Placuit,* in verbo *Testentur, De consecrat.,* dist. 4: *Creditur ergo testimonio unius in Baptismo, et in consecratione ecclesiae.* Hoc tamen intelligendum est dummodo testi, aut mari, aut feminae, fides adhiberi prudenter possit, aut idem si testatur qui baptizavit; hic siquidem se ipsum asserens Baptismum hebraeo infantulo ministrasse, non rem modo a se gestam, sed etiam poena dignissimam suo ipse testimonio confirmaret. In Sancti Spiritus xenodochium *(Romae),* proiectorum perfugium, feruntur non raro infantes chartam collo suspensam prae se ferentes, in qua scriptum legitur iam Baptismum eisdem collatum esse. Cum adhuc in minoribus a Secretis S. C. Concilii munere fungebamur, Sancti Spiritus parochus interrogavit quid sibi agendum esset in huiusmodi casibus. Proposita quaestio fuit in Congregatione, die 18 Decembris 1723 ut declarat *Thesaurus resol.* tom. 2 pag. 412; die autem 15 Ianuarii 1724, ita rescriptum fuit: Si non lateret qui chartulam scripserat, eidemque fides tuto praestari posset, tunc infantem ut baptizatum habendum esse, ac ne Baptismo quidem

initiandum *sub conditione,* ut aperte liquet in tom. 3 praefati *Thesauri,* pag. 2.

De hebraeis seu infidelibus qui iam rationis compotes baptismum petunt.

... Sermonem (nunc) de hebraeis adultis ac ratione pollentibus habituri (sumus) ...In primis constituendum est quaenam plerumque ea aetas sit in qua hebraeus sponte Baptismum expetens, non infans, sed sui compos censendus est et quodammodo adultus; atque hac quidem in re duos iurisperitos, licet haud indoctos, cavere necesse est, Nattam scilicet, *in Consil. 454,* lib. 2, et Bursat. *in Consil. 231,* lib. 3, quibus, in casu de quo agitur, necessaria videtur duodecim annorum aetas; id autem perperam quibusdam decretis probant aeque antiquis ac antiquatis. Hac in re consulendus est sedulus accuratusque Praesul Sperellus in sua *Decis.* 1, num. 32, et duobus seqq., ubi probat rationis usum ab anno septimo completo inchoari; idemque confirmaturus, praeclara quaedam in unum collegit Cardinalis Albizi, *De inconst. in fide,* cap. 11, num. 39; Ricciul. in tract. *De personis extra gremium Ecclesiae,* lib. 2, cap. 33, num. 3; Zasius in tract. *De Iudaeis,* quaest. 2; Clericat. *De iurisdict.,* discur. 18, num. 25; Sessa *De Iudaeis* cit. cap. 43; quibus addimus Congr. Concilii resolutionem quae extat lib. 16. *Decretorum,* pag. 233 a tergo, in quadam causa Vilnae, die 16 Iulii 1639. *S. C. Concilii respondit filios iudaeorum non esse invitis parentibus baptizandos, donec perveniant ad aetatem legitimam: et tunc, si ipsi consentiant; aetatem vero legitimam regulariter censeri completo septennio.* Animadvertere opus est illud *regulariter,* nam indicat oportere praesidem ecclesiasticum etiam atque etiam considerare quisnam sit Baptismi petitor, cum possit contingere ut is etiam, non completo septennio, sufficienti sit praeditus ratione; ideoque baptizandus, invitis licet reclutantibusque parentibus, ut sapienter disserit Sotus *in 4 sententiar.* dist. 3, quaest. unic., art. 10, dub. 2: *Certissima regula est, quod si citra illam aetatem certo constet puerum, fidei catechismis instructum, satis intelligere quidnam sit baptizari, et quemadmodum fit professio christianae legis, baptizandus est, quoniam aetas ad contrahendum matrimonium lege humana statuitur; lex autem divina Baptismi neutiquam ab humana dependet.*

Si vero de perfecto rationis usu dubitaretur, ut Baptismum implorantis capacitas anceps ac incerta esset..., Sacramentum est differendum, sed hoc qui postulat retinendus, ac sic interea informandus, ut idoneus evadat Baptismati postmodum suscipiendo.

... De iis iam disseremus qui aut ab adolescentia, aut aetate etiam maturiori Baptismum postulant. Quoad hanc aetatem, parentum consensum necessarium omnino non esse auctor est S. Thomas, in praefato loc. id est, in 2–2, quaest. 10, art. 12, quo in loco disputans de baptismo filiorum hebraeorum, dissentientibus parentibus, sic scribit: *Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, iam incipit esse suus, et potest, quantum ad ea quae sunt iuris divini vel naturalis, sibi ipsi providere; et tunc est inducendus ad fidem non coactione sed persuasione; et potest, etiam invitis parentibus, consentire Fidei et baptizari, non autem antequam habeat usum rationis.* Eadem vero repetit in 3 part., quaest. 68, art. 10: *Respondeo dicendum quod pueri, infidelium filii, aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, iam quantum ad ea quae sunt iuris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse, et ideo propria voluntate, invitis parentibus, possunt Baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere; et ideo tales licite moneri possunt, et induci ad suscipiendum Baptismum.* Quae quidem cum iis conveniunt quae scripta reliquit idem Doctor Angelicus in *Quodlibet* 2, art. 7.

S. Thomae doctrina de modo quo hebraei, iam rationis compotes, ad fidem catholicam amplectendam inducendi sunt, omnino congruit cum S. Gregorii sententia in Can. *Qui sincera,* dist. 45 cuius haec sunt verba: *Qui sincera intentione extraneos a christiana religione ad fidem cupiunt recta perducere, blandimentis, non asperitatibus, debent studere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, et eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis quam Dei causas probatur attendere.* Accedit Concilii Toletani quarti auctoritas in Can. *De iudaeis,* dist. 45: *De iudaeis autem praecipit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. Cui enim vult Deus, miseretur, et quem vult indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma iustitiae. Sicut enim homo, proprii arbitrii voluntate, serpenti obediens periit, sic, vocante se gratia Dei, propriae mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi.* Idem sentit Clemens III in sua Decretali, cuius hoc est exordium: *Sicut iudaei,* sub tit. *De Iud. et Saracen.: Statuimus ut nullus invitos vel nolentes iudaeos ad Baptismum venire compellat. Si quis autem ad christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, christianus absque calumnia efficiatur, quippe Christi fidem habere non creditur, qui ad christianorum Baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.*

De praevia baptizandorum institutione.

.... Praeviam *(baptizandorum)* institutionem multum... conferre fatendum est. Sapientes Instructiones pro missionariis Romae in

lucem editae anno 1699 pag. 187 haec habent: *Enimvero comprobatum est experientia, christianos peiores non inveniri quam qui, ante competentem instructionem, ad Baptismum admissi sunt, quippe qua facilitate Christo nomen dederunt, eadem, ut plurimum, nuntium ei remittunt,* etc.; *quodque miserabilius est, deteriores multo sunt quam ante Baptismum, et correctionis omnino impatientes.* Concilium Tridentinum, sess. 6, cap. 6, indicat quae adulto, ad Baptismum cum spirituali utilitate accipiendum, sunt necessaria. Catechismus Romanus, part. 2 *De Baptismo,* moram et tarditatem in hoc negotio inculcat, cum mortis discrimen abesse videatur: *Dilatio aliquas videtur utilitates afferre: primum enim, quantum ab Ecclesia providendum est, ne quis ad hoc Sacramentum ficto et simulato animo accedat, eorum voluntas qua ad Baptismum accedunt, magis exploratur atque perspicitur; deinde in fidei doctrina quam profiteri debent et christianae vitae institutionibus erudiuntur perfectius.* Quoad ea quae ante Baptismum adulto credenda sunt, animadversione dignum est dubium seu quaestio ab Episcopo Quebecensi S. Officii Congregationi proposita, definita 5 Maii anno 1703. *Utrum antequam adulto conferatur Baptisma, minister teneatur ei explicare omnia fidei nostrae mysteria, praesertim si est moribundus, quia hoc perturbaret mentem illius; an non sufficeret si moribundus promitteret fore ut, ubi a morbo convalesceret, instruendum se curet, ut in praxim redigat quod ei praescriptum fuerit? -- Respondetur non sufficere promissionem, sed missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare mysteria fidei quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.*

361

De facultate impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis.

Ex Constit. *Pia Mater* **Bened. XIV** *5 Aprilis 1747.* — .... Apostolicae caritatis Nostrae viscera dilatantes, et tam veteribus quam recentioribus ecclesiasticae benignitatis exemplis inhaerentes; siquidem extat illustre monumentum tertii Ecclesiae saeculi in epistola Sancti Cypriani, quae in novis editionibus impressa est *num. XII,* qua scilicet in eorum gratiam, qui libellos martyrum obtinuerant, et in mortis periculo versabantur, quum ipse aestivis ardoribus praepediretur, quo minus, ut optaverat, ad eos reconciliandos sese conferre posset; permittit ut id, vice sua a quocumque presbytero, aut etiam diacono, praestari queat. Novissimis vero temporibus, ex secunda mediolanensi provinciali synodo constat, a felicis recordationis Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII, omnibus Episcopis illius provinciae concessum fuisse, non solum ut ipsi benedictionem cum indulgentia plenaria moribundis fidelibus impertiri, sed etiam, ut aliis huiusmodi facultatem libere subdelegare possent; his igitur, aliisque exemplis, nec non rationibus superius relatis permoti, hac nostra perpetuo valitura Constitutione novas in hac materia regulas praefinire, quodque olim, ut praemisimus, de alterius sententia deliberandum nobis fuerat, nunc demum de concessa nobis apostolicae potestatis plenitudine absolvere ac perficere constituimus.

Ampliatur dicta facultas *quoad tempus* pro Episcopis qui eam obtinuerunt.

Itaque primum volumus atque decernimus, ut quae facultates impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis, Ven. Fratr. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis nunc existentibus a Nobis vel a Praedecessoribus nostris ad hanc diem concessae reperiuntur, licet illae in consuetis epistolis secretarii Brevium ad triennium dumtaxat, vel alias ad definitum tempus indultae fuerint, nihilominus praesentis nostrae constitutionis vigore eo usque in suo robore maneant, quoad iidem Antistites earum ecclesiarum atque dioecesum regimen obtinebunt, quarum favore et intuitu easdem facultates a Nobis et ab Apostolica Sede impetrarunt. Nos enim eas ad omne tempus huiusmodi, motu proprio et auctoritate praefata, atque earumdem praesentium Litterarum serie extendimus, et prorogamus.

Ampliatur etiam *quoad subdelegationem.*

Utque praeterea unusquisque ex Antistitibus praefatis, unum aut plures pios sacerdotes sive saeculares, sive regulares, prout necessarium fore iudicabunt, in eorum civitatibus subdelegare valeant, qui, dum ipsi Antistites aliquo legitimo impedimento detinebuntur, quamvis huiusmodi impedimentum diurno tempore occurrat, eorum vice, benedictionem huiusmodi cum indulgentiae plenariae applicatione christifidelibus in praefato articulo constitutis impertiantur, aliosque similiter per dioecesim saeculares, aut regulares sacerdotes, quotquot pro numero animarum in dioecesibus existentium necessarios iudicaverint, ad praedictum effectum deputare et subdelegare possint; nec non eosdem a se deputatos et subdelegatos removere, aliosque in eorum locum pro suo arbitrio et prudentia subrogare valeant; iisdem motu potestate et tenore, concedimus et indulgemus.

Praedicta indulta etiam futuris Episcopis conceduntur.

Si vero aliquem ex Antistitibus nunc per ecclesias constitutis, et praefata facultate gaudentibus, ad aliarum ecclesiarum regimen apostolica auctoritate transferri contingat; sive aliquis eorum sit, quorum favore consuetae litterae secretarii Brevium ad hunc diem expeditae non fuerint; ac denique quum novi Episcopi catholicis gregibus in posterum praeficientur; volumus atque statuimus, ut singulis eorum huiusmodi facultatem a nobis, sive a Romano pro tempore Pontifice postulantibus, apostolicae lit-

terae in forma Brevis gratis per omnia expediantur, quibus praedicta facultas ipsi concedatur, non ad triennium, sed ad omne tempus, quo adeptum semel ecclesiae regimen obtinebunt ; adiecta etiam facultate subdelegandi tam pro civitate, quam pro dioecesi, non quidem in casu dumtaxat impedimenti cum nocturno tempore coniuncti, sed in omnibus et per omnia ad normam eorum, quae pro Episcopis nunc existentibus, et indulto huiusmodi actu gaudentibus, supra statuimus.

Item aliis Praelatis inferioribus.

Insuper pro Praelatis inferioribus territorium separatum habentibus, cum vera qualitate nullius, et activa in clerum et populum iurisdictione ; quamvis Praedecessores Nostri hanc de praeterito consuetudinem non habuerint, nihilominus de apostolica liberalitate, ac simili motu et tenore concedimus et indulgemus, ut, si ab ipsis huiusmodi facultas petita fuerit, similes Litterae in forma Brevis in posterum singulis eorum expediantur, iuxta eamdem formam, mutatis mutandis, quam pro Episcopis constituimus ; ne excepta quidem facultate subdelegandi, ut supra ; dummodo ipsi praelati hanc gratiam postulantes apostolicis litteris nostris anno Incarnationis dominicae 1740 nono kalend. decembris datis, quarum initium est : *Quod Sancta,* impressis in Bullario nostro *Tom. 1, lib. 7,* obtemperaverint, nimirum sacra Apostolorum Limina praescriptis temporibus visitaverint, et relationem status ecclesiarum sibi subiectarum Apostolicae Sedi exhibuerint, vel, quatenus praelationis honorem de novo accipiant, debitum iuramentum in memorata Constitutione praescriptum antea praestiterint.

De praefatorum indultorum perpetuitate.

Dum autem huiusmodi facultatem Episcopis eam actu obtinentibus prorogavimus, et ampliavimus, ut praefertur ; caeteris vero tam Episcopis, quam Praelatis inferioribus in posterum eam petentibus, supradicta forma et amplitudine concedendam fore decrevimus ; sequitur, ut huiusmodi indulta nequaquam morte concedentis expirent ; quum iurisdictio delegata in iis, quae non iustitiam, sed gratiam concernunt, etiam post obitum delegantis manere debeat. Quoniam vero iisdem Episcopis, et Praelatis permittimus, ut huiusmodi facultatem pro incolarum civitatum, locorum atque dioecesum opportunitate et necessitate, uni vel pluribus sacerdotibus in posterum subdelegare valeant ; statuimus atque decernimus, huiusmodi subdelegationes, per subdelegantis cessum aut decessum similiter non expirare ; sed potestatem ipsi tributam perseverare usque ad superventum novi Praesulis, cuius arbitrio relinquimus eosdem in huiusmodi officio confirmare vel ab eo removere. Atque ita quicumque Antistes memoratam facultatem a Romano Pontifice semel obtinuerit, eo decedente, opus non habet pro illius confirmatione ad Apostolicae Cathedrae Successorem recurrere. Sicque etiam cedente vel decedente Episcopo, seu Praelato, a quo eadem facultas in sua dioecesi aut territorio subdelegata fuerat, nova concessione opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capitularium aut Apostolicorum regimine ; quum subdelegatorum auctoritas semper manere debeat quamdiu vel Episcopus ipse, aut Praelatus, vel illius successor eamdem ipsis non ademerit.

Hac igitur ratione animarum saluti consulentes, quantum Nobis in Domino licuit, piam consuetudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indulgentiam Ecclesiae filiis in mortis articulo constitutis, ampliare et faciliorem reddere curavimus. Permissaque Venerabilibus Fratribus ac Dilectis Filiis, Ecclesiarum Episcopis et Praesulibus, facultate alios sacerdotes ad hunc effectum, tam in civitatibus, quam in dioecesibus subdelegandi, non parum levaminis eorum anxietatibus, et sollicitudinibus per Nos allatum esse putamus. Verumtamen ipsis declaratum volumus, non id propositum Nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab hoc paternae charitatis officio, per seipsos adeundi miseros aegrotos Plenariae absolutionis in extremo articulo adipiscendae cupidos ; sed ut eorum pietatem opportune iuvaremus, ne, dum ipsi aliis pastoralibus curis detinentur, dolere debeant, commissos sibi fideles hoc tanto spirituali beneficio destitutos ex hac vita migrare. Qui vero pium huiusmodi opus per semetipsos exercere gaudent (quod sane omnes, quoties legitime impediti non fuerint, facturos esse confidimus), meminerint, non id dumtaxat erga nobiliores et potentes huius saeculi, sed erga pauperes quoque, et abiectae sortis homines praestandum esse. Qua de re utiliter legi poterit Praedecessoris Nostri S. Gregorii Magni Homilia XXVIII in Evangelia ad Cap. IV Ioannis — *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum* — in qua mirabilem atque caelestem observat amantissimi Redemptoris Nostri Iesu Christi agendi rationem, qui ad invisendum aegrotantem reguli filium invitatus ire abnuit, ad centurionis servum nec invitatus iturum se profitetur : — *Quid est quod regulus rogat, ut ad eius filium veniat, et tamen venire recusat ; ad servum vero centurionis non invitatur, et tamen se corporaliter ire pollicetur ? Reguli filio per corporalem praesentiam non dignatur adesse ; centurionis servo non dedignatur occurrere.*

Adhortatio ad Episcopos et Praesules.

Ut autem indulgentiae fructus a fidelibus in mortis articulo percipiatur, hoc sedulo agendum erit, ut populus in sacris concionibus et cathechesibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gratiae Dei, quam in baptismo acceperunt ingrati per actualia peccata Spiritum Sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti, quamtumvis aeterna supplicia in Poenitentiae Sacramento condonata fuerint, ni-

Fideles opportune instruendi quoad Indulgentias.

hilominus temporalis plerumque poena divinae iustitiae exsolvenda superest, cuius remissio obtinenda est non solum per satisfactiones a sacerdote confessario in ipso Poenitentiae Sacramento pro mensura delicti impositas, aut per christianam tolerantiam earum adversitatum, a quibus mortalium vita immunis esse nequit; verum etiam per ieiunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae exercitia. Alioquin verendum esset, ne salutis remedia ab Ecclesiae benignitate fidelibus suppeditata, paulatim in pravae libertatis et licentiae fomentum traherentur; compluribus sibi temere blandientibus de remissione tum sempiternae poenae, per sacramentalem absolutionem, tum temporalis, per Indulgentiae Pontificiae applicationem, in exitu vitae impetranda; neque cogitantibus quam incertum sit omnibus non solum qua hora, et quo mortis genere ex hac vita migrandum sibi fuerit; sed etiam an Indulgentiam, licet externo ritu sibi applicatam, cum effectu sint percepturi. Praepostera aeque ac periculosa antiquis Ecclesiae temporibus inoleverat consuetudo, ut non pauci ex iis, qui ad Baptismum nomina obtulerant, ad finem usque vitae ipsius Sacramenti perceptionem prorogarent, quo scilicet interim ingenio libere indulgerent, ac demum quum e vita discessuri essent, per salutare lavacrum, ab omni culpa, et tam ab aeterna, quam a temporali poena soluti, ad coeleste regnum recte transferrentur; contra quos extant gravissimae obiurgationes Sancti Gregorii Nazianzeni in Oratione XL, et Sancti Ioannis Chrysostomi in Homilia I super Acta; sed et Ecclesia Catholica pravam huiusmodi confidentiam improbare se declaravit, dum eos, qui in mortis periculo Baptismum susceperant, si convaluissent, a sacris Ordinibus et ab officiis ecclesiasticis arcendos, ac perpetuo irregulares fore decrevit.

Dispositiones in moribundis excitandae ad Indulgentiam consequendam.

Et quoniam sacerdotibus, qui fideles in extremo agone laborantes pie adiuvant, vel Ecclesiae Sacramenta ipsis ministrant, Rituale Romanum iniungit, ut si aegrotus Indulgentiam Plenariam legitima auctoritate concessam consequi valeat, eam illi in mentem reducant, proponantque quid ad eam consequendam agere debeat: ex his autem, qui ad huiusmodi statum redacti sunt, alii quidem cum plena cognitione integrum loquelae usum retinent, alii vero loquendi facultatem amiserunt, licet antea sincerae contritionis indicia dederint, aeque adhuc ratione utentes, identidem dare non desinant; ideo, quo certius praedicti omnes Indulgentiae fructum consequi valeant, praefatis sacerdotibus mandamus, ut omni ratione studeant moribundos fideles excitare ad novos de admissis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimae in Deum charitatis affectus; praesertim vero ad ipsam mortem aequo ac libenti animo de manu Domini suscipiendam. Hoc enim praecipue opus in huiusmodi articulo constitutis imponimus et iniungimus, quo se ad Plenariae Indulgentiae fructum consequendum praeparent, atque disponant. Qua in re auctor Nobis est Sanctus Doctor Augustinus, qui in *Libro XIII, de Civit. Dei Cap. 6,* postquam horridam mortis speciem, eique renitentes hominum animos descripsit, quodque in aliis suis operibus non semel docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis poenam, ibi quoque asseruit et confirmavit; haec ad rem nostram apposite subdit: — *Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum gravi sensu adimit sensum, pie fideliterque tolerando, auget meritum patientiae, non aufert vocabulum poenae. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors poena nascentis; tamen, si proprietate iustitiaque pendatur, fit gloria renascentis; et cum sit mors peccati retributio, aliquando impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

De formula pro impertienda Benedictione in arculo mortis.

Pro impertienda vero Benedictione fidelibus in mortis articulo constitutis, applicandaque ipsis Plenaria Indulgentia, quum nulla certa formula olim praescripta foret, sanctae memoriae Praedecessor Noster Benedictus Papa XIII anno Domini 1726, pias quasdam preces et orationes ad hunc effectum adhibendas publicari mandavit, quarum exemplo, in his quae opportuna iudicavimus, inhaerentes, aliam de novo formulam, cum his, quae in hac Nostra Constitutione praescripta sunt, magis congruentem confecimus et instituimus, quam ab omnibus in posterum usurpari praecipimus (1); mandantes hoc ipsum inculcari et iniungi in Apostolicis Litteris, quae deinceps pro concessione praedictae facultatis Indulgentiae Plenariae moribundis impertiendae, ut praemisimus, expediendae erunt.

Ac decernentes ipsas praesentes Litteras *etc.*

362

De annua relatione exhibenda S. Congregationi circa missionarios.

Litt. Encycl. S. C. de Prop. F. *17 Iunii 1747* (AD EPISCOPOS ET VIC. AP.). — Egli è un debito preciso di questa S. C. non solamente invigilare con la più premurosa attenzione al buon servigio delle Missioni apostoliche da essa dipendenti, ma di accorrere altresì con prontezza, e con l' uso dei mezzi opportuni al riparo di quegli abusi e disordini, che possono talvolta derivare o dall' imprudenza o dal poco zelo, o anche dalla non edificante condotta di qualche particolare missionario. Quindi è che giudicando molto confacevole a tale intento l' essere annualmente informata non meno del numero, che degli andamenti di quei soggetti, e più particolarmente

(1) Formula, de qua agitur, in Ritualibus reperitur.

degli Ordini e Istituti Regolari, i quali attualmente dimorano nelle rispettive Missioni, destinati dalla medesima all' esercizio dell' evangelico ministero: siccome incarica con una sua lettera circolare ciascuno dei Prefetti da essa costituiti tali in virtù di suo Decreto, o Patente, che debbano ogni anno dar conto dei loro subordinati, così per mezzo della presente, parimente Circolare, commette lo stesso carico a ciascuno dei Metropolitani, Vescovi e Vicarii Apostolici, in riguardo a quei missionarii, che si trovano dalla medesima S. Congregazione sottoposti espressamente all' autorità e direzione degli stessi. Desidera pertanto, che V. S. rispetto a somiglianti soggetti, tanto del clero secolare, che del regolare, favorisca verso il termine di ogni anno trasmetter qua un distinto catalogo dei medesimi, con l' individuazione dei loro nomi, specificando coram Deo, e in sua coscienza, quali siano i costumi di ognuno, l' integrità o i difetti della di lui vita, l' idoneità e la diligenza con cui adempie i doveri del suo impiego, e qual frutto corrisponda alle sue industrie e fatiche in beneficio delle anime alla di lui assistenza confidate. Si attenderanno adunque con particolare espettazione circa questo importante affare gli effetti del zelo ben noto e della vigilante accuratezza di V. S. per necessario lume e governo della detta S. C., la quale l' assicura, che la richiesta annuale informazione sarà da essa custodita con la dovuta segretezza. Inoltre si compiacerà Ella di conservare la presente per notizia e regola dei suoi successori in *codesta diocesi* con avvertenza, che se mai (che Dio nol permetta) venisse nel decorso dell'anno ad accadere qualche inconveniente bisognoso di pronto rimedio, quale potesse o dovesse dalla stessa Sagra Congregazione apprestarsi, in tal caso non manchi di darne subito l' avviso.

363

De annua relatione S. Congregationi praebenda circa missionarios.

Litt. Encycl. S. C. de Prop. Fide *17 Iunii 1747* (AD PRAEFECTOS MISSION.). — Essendo intenta questa S. Congregazione a promuovere con la dovuta premura, e con l' uso dei mezzi più proprii il buon servigio delle apostoliche Missioni da essa dipendenti, e singolarmente di quelle che sono commesse agli Ordini Regolari, giudica molto confacevole a tal fine l' essere annualmente informata, non meno del numero, che della condotta di quei Religiosi che in esse dimorano impiegati nell' esercizio dell' evangelico ministero. In virtù pertanto della presente Lettera circolare, la quale contemporaneamente si spedisce a tutti i Prefetti e Superiori delle dette Missioni, viene ingiunto alla P. V. e conseguentemente a tutti i di lei successori nel suo uffizio, che verso il termine di ogni anno debba trasmettere direttamente alla medesima S. Congregazione un distinto catalogo dei missionarii del suo proprio Istituto, che si trovano esistenti nei limiti della sua Prefettura, e soggetti alla di Lei autorità e direzione, individuando, oltre al nome di ciascuno, il tempo che gli manca a compir quello prefisso nel Decreto della sua destinazione, e specificando con ogni sincerità, coram Deo, e in sua coscienza, quali siano i costumi di ognuno, e l' integrità, e i difetti della di lui vita, l' idoneità e la diligenza, con cui adempie i doveri del suo impiego, e qual frutto corrisponda alle sue industrie e fatiche in beneficio delle anime alla di lui assistenza confidate. Si attenderà dalla vigilanza e puntualità della P. V. l' esatto adempimento di quanto se le incarica con la presente, quale sarà sua cura di conservare per lume e governo dei futuri Prefetti di codeste Missioni, accertandosi peraltro, che l' accennata annuale informazione verrà qui custodita con la dovuta segretezza.

364

De dispensatione matrimon. super impedimento aetatis.

Ex Litt. Ap. *Magnae nobis* **Bened. PP. XIV** *29 Iunii 1748* (AD EPISCOPOS POLONIAE). — Facultas contrahendi matrimonium ante praescriptum aetatis tempus, quoties malitia supplet aetatem, ab ipsa legum et canonum dispositione provenit. Quin immo Episcopi ipsi et Ordinarii locorum iure suo pronunciare possunt super ea quaestione quae facti est, an scilicet malitia, ut asseritur, aetatem suppleat, et consequenter matrimonii contrahendi licentiam impertiri valeant; neque necesse est Apostolicam Sedem adire, nisi pro maiori actus solemnitate, et *ne de contractus matrimonii huiusmodi validitate propter minorem aetatem dubitari contingat:* ut habet formula quae in concipiendis Litteris Declaratoriis super minori aetate adhiberi consuevit. Siquidem canonistae docent cumulativum ius esse inter Apostolicam Sedem et Iudices Ordinarios cognoscendi et pronunciandi de hac re, an scilicet malitia suppleat aetatem; privativum vero Apostolicae Sedis ius esse concedendi dispensationem ad contrahendum matrimonium impuberi qui per aetatem nondum coniugali copulae maturus est, sed tamen rationis usu ita pollet ut matrimonii contrahendi vim et naturam intelligat. Etenim ad validitatem matrimonii, quemadmodum rationis usus requiritur de iure naturali et divino, ita actualis ad coniugalem copulam potentia requiritur de iure positivo canonico. Romanus autem Pontifex est supra ius canonicum; at quilibet Episcopus eo iure inferior est, proindeque illius legibus derogare nequit.

365

consensu (in iptis) Ordinarum, parorum etc. pro *ae Crucis* ere-one.

S. C. Indulg. *3 Aug. 1748.* — Cum diversis non obstantibus regulis a S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 3 Aprilis 1731 ex Brevi s. m. Clementis XII die 16 Ianuarii eiusdem anni, et sub die 10 Martii 1742 ex Brevi SSmi D. N. diei 30 Augusti 1741 ad varia explananda dubia circa modum erigendi Stationes, quas *Vias Crucis* seu *Calvarii* vocant, emanatis, non semel controversiae ad ipsammet S. C. delatae fuerint super subsistentia vel nullitate erectionis Stationum huiusmodi, ex defectu licentiae vel consensus respective obtinendi, ut in praeallegatis Brevibus clare praecipitur; eadem S. C. ad quascumque in futurum eliminandas in hac re difficultates, die 30 Iulii 1748 censuit praescribendum esse, quod in erigendis in posterum eiusmodi Stationibus, tam sacerdotis erigentis deputatio ac Superioris localis consensus, quam respectivi Ordinarii, vel Antistitis, et parochi, nec non superiorum ecclesiae, hospitalis et loci pii, ubi eiusmodi erectio fieri contigerit, deputatio, consensus et licentia, ut praefertur, in scriptis, et non aliter expediri, et quandocumque opus fuerit, exhiberi debeant, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae. De quibus facta... SSmo D. N. die 3 Augusti eiusdem anni relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit (1).

366

De monialium confessariis.

Const. Bened. PP. XIV *5 Aug. 1748.* — Pastoralis curae nobis impositae munus, hanc, inter alias, sollicitudinem a Nobis exposcit, ut pusillorum animis in afflictione et angustia constitutis opportuna solatia ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conscientiae tranquillitatem recuperare aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam Omnipotenti Deo servitutem alacri et prompta affectione exhibere. Huiusmodi angoribus et afflictionibus confici passim constat religiosas mulieres in claustris degentes, quibus certus et unicus Sacramenti Poenitentiae minister a monasterii Praelato ad tres ut minimum annos designari solet; cui, si aliquando prae pudore vel alia quapiam de causa, non omnes conscientiae suae recessus aperire audeant, atque ideo confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis aeternae se ipsas misere coniiciunt. Quod sane haud raro evenire, satis Nobis exploratum atque compertum est, tum ex iis quae in Apostolicae Poenitentiariae officio tractari vidimus dum olim, in minoribus constituti, plurium annorum spatio, munus doctoris in Decretis in eodem officio sustinuimus, tum etiam ex iis quae in Episcopalis Anconitanae primum, deinde in Metropolitanae Bononiensis Ecclesiae regimine frequenti usu cognovimus, tum demum ex his quae saepius ad Nos in Petri Cathedra octavum iam annum Dei miseratione residentes, deferri contingit, sive ex parte diversarum huiusmodi monialium, quae animarum suarum angustias paternis oculis Nostris identidem subiicere coguntur, sive ex parte Venerabilium Fratrum Nostrorum Ecclesiarum Antistitum, qui Nobis earumdem monialium in suis Dioecesibus existentium calamitates ex praeallegata causa ortas, aut viva voce aut per litteras non semel repraesentarunt, ac super ea re Apostolicae providentiae opem postularunt. Hinc est quod Nos, earum spiritualibus indigentiis per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem opportune prospicere volentes, non quidem intendimus consultissimam illam et veteris disciplinae auctoritate roboratam legem tollere aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat Confessarius deputetur, qui sacramentales confessiones universae earum communitatis excipiat, neque liceat unicuique moniali peculiarem confessarium pro libito sibi deligere, sed hoc dumtaxat Nobis propositum est constituere, ut si quando generalis huiusmodi legis rigor, in peculiaribus casibus, non sine animarum detrimento aut periculo servari posse videatur, in promptu sit opportunae dispensationis et indulgentiae remedia occurrentibus necessitatibus admovere.

De ordinario monialium confessario.

Prooemium.

Sane iamdudum S. Thomas Aquinas, scholarum princeps Ecclesiaeque Doctor, in *Supplemento tertiae partis,* quaest. 8, art. 4, ad sextum, sive *in quartum sententiarum,* ex quo commentario desumptum est huiusmodi Supplementum, hoc superioribus monitum dedit, ut subditis suis, quibus certum et unicum confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri sacerdoti: propterea quod multi infirmi et imbecilles animo reperiuntur, qui potius eligerent sine sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa peccata certo alicui sacerdoti

De confessario extraordinario.

(1) Dubium: « Utrum in casu quo, ob Crucium ve-« tustatem vel ob aliam iustam causam, renovari de-« beant Stationes Viae Crucis in eadem Ecclesia sive « Oratorio, in quo rite cum omnibus documentis ut « supra a S. Sede praescriptis erectae reperiebantur, « praefata omnia et singula documenta denuo, sive in « scriptis, postulanda sint; vel sufficiat tantummodo ut « novarum Stationum Benedictio fiat a sacerdote le-« gitime ad id deputato ».

S. C. Indulg. respondit die 11 Ianuarii 1896: « Dum-« modo praesumi possit perseverare consensum eorum « ad quos pertinet: *Negative* quoad 1.am partem; « quoad 2.am sufficere tantummodo novarum Crucium « benedictionem ».

Concilii Tridentini decretum.

a superiore designato aperire. Iam vero sacrosancti Concilii Tridentini Patres hanc legem distincte sanxerunt, sess. XXV cap. 10 *De Regular.*, ut Episcopi aliique monasteriorum Praelati subiectis sibi monialibus confessarium extraordinarium duabus aut tribus vicibus in singulos annos exhibere debeant, per haec verba: « Praeter ordinarium autem confessorem alius » extraordinarius ab Episcopo aut aliis Superioribus bis aut ter in anno offeratur, qui » omnium confessiones audire debeat ». Quod quidem non alia de causa praescriptum fuit, quam quia satis constabat nonnullas aliquando moniales esse, quae nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum suum ordinario confessario confiteantur, adeo ut necesse omnino sit alterius confessarii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis integre, rite atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probe animadvertit magnus Ecclesiae Dei sacerdos, sanctus Carolus Borromaeus qui praedicti Concilii Tridentini absolutionem ope sua plurimum iuvit, eiusque executionem et observantiam in sua Mediolanensi civitate et provincia non sine immensis laboribus et curis invexit. Is enim hac de re decrevit: « Praeterea, Su» periores ex Decreto sacri Tridentini Concilii » quotannis idoneum confessorem extraordina» rium monialibus sibi subiectis exhibeant, cui » curent ut universae confiteantur, ut quae hu» iusmodi indigent medicina, propter aliquem » occultum animae morbum, neque ipsae eam » postulare aut accipere ab usitato confessore » unquam auderent, liberius mederi suis malis » possint ac diaboli laqueos evadere, una cum » reliquis Confessario novo sua peccata confi» tendo », uti legere est in *Actis Ecclesiae Mediolanen.* impress. anno 1599 pag. 53, in editione autem Lugdunensi tom. 1, pag. 46.

Porro quicumque Conciliaris Decreti sensus penitius introspexerit, non modo salutarem illius providentiam facile agnoscet, sed et circumspectam eiusdem aequitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodo iniungitur ut duabus tribusve vicibus infra annum confessarium extraordinarium monialibus exhibeant: *bis aut ter in anno offeratur.* Huiusmodi autem Confessarius iubetur earum omnium Confessiones excipere, quotquot eidem confiteri velint: *qui omnium confessiones audire debeat.* Neque tamen omnibus ac singulis monialibus praecipitur ut peccata sua extraordinario sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in monasterio degentibus, tam scilicet a superiorissa caeterisque monialibus professis atque novitiis, quam a saecularibus quae vel educationis causa vel alio titulo in eodem monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario confessario singulae se sistant, sive ad Sacramentalem confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita etiam extra sacramentalem confessionem ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne, si moniales aliquae extraordinarium confessarium adirent, aliae autem coram ipso non comparerent, suspiciones atque oblocutiones excitarentur, et illae quidem censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactae essent, aliae vero ab huiusmodi necessitatibus et causis immunes iudicarentur. Quam agendi rationem communi Doctorum calculo comprobatam, san. mem. praedecessor Noster Clemens Papa XI, Edicto suo (quod est 15 in secunda parte ipsius Bullarii) inviolabiliter servari mandavit, eamdemque omnium dioecesum consuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac in re addendum superest, nisi ut Venerabiles Fratres Nostros Ecclesiarum Antistites enixe hortemur, ut, quamvis Tridentina Synodus de solis claustralibus monialibus in praemisso decreto loquatur, nihilominus eamdem disciplinae formam observent tam cum aliis Monialibus, quae licet clausurae legibus minime adstrictae sint, in communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque mulierum aut puellarum coetibus seu conservatoriis, quoties tam illae quam istae unicum ordinarium Poenitentiae ministrum a Superioribus designatum habeant.

Quaecumque enim circa moniales in rigorosa clausura viventes cavenda sunt, eadem in aliis quibuscumque mulieribus, sive regularibus sive saecularibus, in communitate aut collegio degentibus locum habere possunt, ideoque pari providentia iisdemque remediis arceri aut emendari debent. Et Nos quidem, quum hanc consuetudinem offerendi Confessarios extraordinarios bis aut ter in anno singulis tam Monialium non claustralium Communitatibus quam piis aliarum puellarum et mulierum coetibus et Communitatibus in Nostra civitate et dioecesi Bononiensi induxerimus (qua de re exstat edictum nostrum, n. 66, inter Pastorales Institutiones, italico primum sermone a Nobis vulgatas, deindeque in latinum conversas), omnibus testari possumus, vel potius debemus, uberem spiritualium utilitatum messem Nos inde evidenter collegisse. Quum vero super relati conciliaris textus intelligentia nonnullae quaestiones alias excitatae, eaedemque iam pridem per opportuna Sedis Apostolicae Decreta definitae fuerint, operae pretium ducimus huiusmodi definitiones, ab omnibus ad quos spectat omnino tenendas atque servandas, his Nostris Apostolicis Litteris complecti, et auctoritatis quoque Nostrae robore communitas, in praedictorum omnium notitiam deducere.

Quaestiones circa praefatum Conc. Tridentini Decretum.

Et primo quaesitum fuit, ad quem superiorem pertineat extraordinarium confessorem monialibus deputare atque offerre. Sed facilis fuit responsio, quam Nos quoque decreto no-

Ad quem pertineat confessarium extraordinarium monialibus offerre.

stro ratam habemus; huiusmodi scilicet deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet confessarii ordinarii electio et deputatio, ideoque Episcopus sive Ordinarius loci qui monialibus sibi subiectis confessarium ordinarium dare consuevit, idem confessarium extraordinarium bis aut ter in anno ad normam Tridentinae sanctionis eisdem offerre tenetur; Praelatus vero regularis, ad quem pertinet ordinarium Confessarium subditis sibi monialibus, servata Apostolicarum Constitutionum forma, designare et constituere, ipse etiam eisdem extraordinarium Confessarium in vim praefati decreti et iuxta easdem Constitutiones, duobus aut tribus per annum temporibus exhibere potest ac debet. Quae tamen ideo regulariter obtinere diximus, quia si Episcopus aliquis (quod Deus avertat) adeo in hac re negligens adesset, ut monialibus suis bis terve in anno extraordinarii confessarii copiam facere praetermitteret, obtendens, ut moris est, nullam hac de re monialibus ipsis sollicitudinem aut curam esse, tunc volumus dilectum filium Nostrum S. R. E. Cardinalem modernum et pro tempore existentem Maiorem Poenitentiarium, statim ac pro parte monialium huiusmodi requisitus fuerit, Ordinarii Pastoris negligentiam supplere debere, earumque monasterio extraordinarium confessarium, ex eorum tamen numero qui ad excipiendas monialium Confessiones ab ipso Ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis et opportunis facultatibus concedere et deputare. Quod si Praelatus regularis eamdem Concilii legem de confessore extraordinario bis aut ter in anno monialibus sibi subiectis exhibendo similiter implere neglexerit, tum locus fiet Decreto Cong. S. R. Ecclesiae Cardinalium ad ipsius Concilii interpretationem et executionem auctoritate Apostolica deputatorum, quo scilicet eadem Congregatio ad quaestionem ab Episcopo Vercellensi propositam die 23 Augusti anni 1631, rescripsit ut infra: *Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi: an deputatio confessarii extraordinarii monialium regularibus subiectarum spectet ad Ordinarium loci. — S. C. censuit: ad Episcopum non pertinere, nisi in casu negligentiae eorumdem regularium;* ut videre licet decretorum lib. XIV p. 493. Nec aliter respondit quaestionibus ab Episcopis Belgii exhibitis, die 6 Aprilis anno 1647, ut legitur Decretor. lib. XVIII, pag. 397. Quae quidem Rescripta et Decreta, Nos etiam praesentium tenore et Apostolica auctoritate, in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus.

Quum autem Tridentina Synodus de universa quidem monialium communitate, ut supra, decreverit, sed nihil de singulis monialibus statuerit, ut patet legenti textum citati capitis X, utque etiam iam usque ab anno 1575 iudicatum fuit ab ipsa Cong. Cardinalium Concilii Interpretum per subsequens Rescriptum, quod exstat Decret. Lib. IV, pag. 90: « Sacra » etc., censuit extraordinarium confessorem » offerendum non alicui moniali singulariter, » sed omnibus monialibus universe, ut omnium » confessiones audire debeat; in arbitrio tamen » cuiusque monialis esse ut confessario extra- » ordinario velit confiteri »; hinc ortum habuit alterum controversiae seu dubitationis caput: an scilicet, ubi iam universae communitati bis terve infra annum confessarii extraordinarii copia facta est, et nihilominus aliqua monialis confessarium peculiarem extra ordinem sibi concedi petit, an, inquam, huiusmodi petitioni sit indulgendum. Id autem primo loco quaesitum fuit, proposito casu monialis graviter aegrotantis, quae, in mortis periculo, pro spirituali consolatione postulet alium sacerdotem, qui tunc non sit ordinarius monasterii confessor, suprema sibi ecclesiasticae pietatis officia et Poenitentiae Sacramentum ministrare. Huic annuendum facile esse praedicta Congregatio pluries iudicavit, ut videre est ipsius Decretor. lib. XVIII, pag. 322 *a tergo,* sub die 6 Aprilis anni 1647, et eodem libro pag. 586, die 22 Feb. anni 1649, quae pariter Decreta a Nobis, praesentium tenore, approbantur et confirmantur, ut, scilicet, Episcopi subiectis sibi monialibus, in gravi infirmitate constitutis et id expetentibus, peculiarem confessarium concedere debeant; iidemque etiam idipsum praestent erga moniales regularibus Praelatis subiectas, quum aliqua ex illis a suo Superiori Regulari huiusmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem casu, nihil statuitur de Cardinali Maiore Poenitentiario, non ideo, quia nequeat is pro singulis monialibus idem facere quod supra diximus eumdem pro toto monasterio facere posse, sed quia tunc, ob temporis angustias, interclusa praesumitur via recurrendi ad ipsius officium. Quod si nihilominus ipsius adeundi tempus et modus suppetat, ad eum pertinebit, eadem prorsus ratione, peculiaribus supplicantium necessitatibus providere, qua dictum est superius, universae religiosae Communitati ab ipso consulendum esse.

An peculiares confessarii extra ordinem monialibus concedendi.

Actum deinde fuit de peculiaribus quibusdam monialibus, quae nec corpore infirmae, nec morti proximae, ordinario tamen ministro confiteri obfirmate recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est et sublevanda, adeoque ubi earum reluctantia superari nequeat, confessarius extra ordinem deputandus est, qui earum confessiones peculiariter excipiat. Id vero, circa moniales Episcopo seu Ordinario loci subiectas, ab ipso Ordinario praestari debet. Quod autem ad illas pertinet quae Regularium regimini subsunt, ad Regularem Praelatum pertinet, servatis servandis, peculiarem ipsis destinare confessarium ex ap-

probatis ab Ordinario ad confessiones monialium; vel, si sacerdos ille cui eiusmodi monialis confiteri cupit, pro illis non sit approbatus, cum ipso Ordinario agendum erit, ut pro excipienda saltem illius monialis Confessione, et pro tot vicibus quot expedire iudicabitur, eumdem approbet. Sin autem contingat (neque id adeo rarum est) ut Regularis Superior ad concedendum huiusmodi confessarium extraordinarium moniali communem confessarium recusanti nullo pacto adduci possit, iam huic casui provisum est per Decretum anno 1573 a praedicta Congregatione Concilii editum et a fel. record. Gregorio Papa XIII, tunc Apostolicum thronum obtinente, approbatum et confirmatum, quod nunc iterum confirmationis Nostrae auctoritate roboramus. Decreti verba, relata Lib. 1 Decretorum ipsius Congregationis, p. 66 a tergo, haec sunt: « Monialis per aliquod tempus noluit confiteri confessariis Regularibus. Dubitatum fuit: an Episcopus Regiensis posset dare dictae moniali confessorem alterius Ordinis Regularem vel saecularem cui illa semel vel pluries confiteatur peccata sua, et a quo absolvi possit? SS. D. N. etiam ex sententia Cong. Concilii declaravit: dictum caput decimum ita esse intelligendum, ut etiam possit Episcopus concedere confessarium alterius Ordinis vel saecularem ». Praeterea nihil obstat quominus ipsa Monialis recursum habeat ad Cardinalem Maiorem Poenitentiarium, a quo ipsi providendum erit, ut supra dictum est, per deputationem confessarii ex approbatis ad moniales, apud quem illa confiteatur.

Quaesitum denique fuit de monialibus illis quae neque aegrotant neque recusant ordinarium Poenitentiae ministrum a monasterii Praelato pro universa communitate deputatum, verum pro maiori animi sui quiete atque ulteriori in via Dei progressu, facultatem petunt confitendi aliquoties sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones iam approbato. Qua de re non semel Nobis in minori statu degentibus accidit, ut cum aliquibus Episcopis aut regularibus monialium superioribus agere debuerimus. Porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos, qui aspera quadam verborum brevitate respondebant, quod, quum moniali postulanti libera fuisset facultas confitendi extraordinario sacerdoti, qui universae communitati non semel eo anno iam datus fuerat, tunc oportebat eam conscientiae suae consuluisse: quod si oblata commoditate uti noluerat, id sibi imputaret, neque pergeret Superiori molestiam afferre, ut peculiarem confessarium extra ordinem ipsi concederet. Nobis autem obiicientibus monialem huiusmodi ad Apostolicae Poenitentiariae officium facile recursum habituram ibique haud aegre impetraturam id quod ab ipsis Superioribus ei denegatum fuisset, iterum constanter respondebant extraordinarium huiusmodi confessarium, post impletam ab ipsis erga universum monasterium Tridentini Concilii legem, ab alio quidem concedi posse, sed a se nunquam concessurum iri.

At vero neque tunc Nobis arridebat, neque profecto nunc Nobis placet rigida isthaec agendi ratio. Persuasum enim habebamus adeoque habemus, non solum integrae communitati, sed singulis etiam monialibus indulgendum esse in iis rebus, quae iuste et rationabiliter petuntur, maxime quum illae ad earum conscientiae quietem et securitatem conferre dignoscuntur. Neque sane huiusmodi postulationes, aut temere exaudiri, aut sine causa reiici debere censemus, sed inquirendum in primis esse de qualitatibus tum monialis quae confessarium extra ordinem petit, tum confessarii qui ab ea requiritur, ut, utrisque diligenter inspectis, deliberari possit an illius votis annuendum sit an non. Si enim monialis, ex una parte, nullum det adversae suspicioni locum, ex altera vero, confessarius non modo legitimam Ordinarii approbationem, sed etiam commune probitatis testimonium pro se habeat, nullo modo probare possumus tam firmum huiusmodi Praelatorum in renuendo propositum; nec intelligimus cur post confessarium extraordinarium integrae communitati, iuxta legem Concilii Tridentini, oblatum, nulla omnino monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem confessarium, cuius consilio et opera iustis fortasse de causis, indigere se arbitrentur. Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille animarum rector S. Franciscus Salesius, cuius doctrinae summam, ex illius operibus tum editis tum manu scriptis collectam, bon. mem. Ioannes Petrus Le Camus, Episcopus Bellecensis, iusto volumine complexus est, cui titulum fecit: *Spiritus S. Francisci Salesii.* In huius compendio, quod ex gallico in italicum sermonem conversum, Venetiis, anno 1745, pro quarta vice typis editum est, parte XVII, cap. 6, aperte legitur, quod quum beatus Episcopus non ita intelligeret praemissum Concilii Tridentini Decretum, ut vetitum existimaret confessarium extraordinarium, pluribus etiam quam tribus vicibus in anno, religiosae communitati offerre: quae quidem sententia plures habet suffragatores, quos refert Diana, in *Editione coordinata,* tom. VII, tractatus 1, res. 348; non solum solebat suis monialibus Visitationis B. M. V. quater in anno videlicet in singulis hebdomadis quatuor Temporum, confessarium extraordinarium deputare, verum etiam earum respectivis Superioribus commendatum reliquit ut singulis monialibus, quae non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate, confessarium extraordinarium peculiariter peterent, haud se difficiles in eo concedendo praeberent. Nec ali-

ter se gerere consuevit ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadicus, Episcopus Patavinus; Is enim, ut testatur illius quondam Vicarius generalis, Ioannes Clericatus, in tractatu *de Poenitentia*, decis. 41, num. 7, et Patrum Tridentinorum Decretum, quoad omnia monialium monasteria in sua civitate et Dioecesi existentia, quotannis reipsa exequebatur, et nihilominus exorari se patiebatur a monialibus quae aliquando, rationabilibus de causis, peculiarem pro se confessarium expeterent. Huiusmodi regulis et exemplis Nostram quoque agendi rationem in spirituali monialium regimine conformare curavimus, maximumque utilitatis et quietis fructum Nos inde percepisse cognovimus. Quapropter Venerabiles Fratres Ecclesiarum Antistites atque dilectos filios quarumcumque Religiosarum mulierum rectores hortamur in Domino et enixe monemus ut eamdem viam, quoad fieri potest, insistere non recusent, et non adeo difficiles se praebeant peculiaribus monialibus extraordinarium confessarium aliquando expetentibus; quin potius nisi aut monialis postulantis, aut confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeant, earum iustis precibus obsecundare studeant: illud cogitantes, quod etsi liberum sit cuilibet moniali Cardinalem Maiorem Poenitentiarium adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a Romano Pontifice tribuitur, nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempestive adveniat; et quamvis etiam quorumlibet negotiorum expeditiones, quae in Officio Poenitentiariae Apostolicae fiunt, ab omni vel minima pecuniae solutione inviolabiliter sunt immunes, non omnibus tamen monialibus facile est invenire, qui earum negotia in Urbe procurare velit et possit.

Adhortatio ad Praelatos ut iustis monialium petitionibus benigne intendant.

Iam vero postrema superest quaestio, nimirum de qualitatibus confessarii extraordinarii, qui vel pro universa monialium communitate, vel pro aliqua moniali peculiariter deputari debeat. Porro nullo unquam tempore dubitatum fuit, an in huiusmodi sacerdote aetatis maturitas, morum integritas, prudentiae lumen requiratur, quas quidem dotes in eo, qui ad huiusmodi munus adhibetur, necessarias esse omnes fatentur. Sicut etiam minime dubitatur, quin idem ab Ordinario loci specialiter pro monialibus approbatus esse debeat, quum huiusmodi approbatio, ex Apostolicarum Constitutionum lege, omnino requiratur non solum in omnibus tam ordinariis quam extraordinariis confessariis, qui monialibus, etiam Regularibus subiectis, ab earum respective superioribus deputantur, sed etiam in iis qui a Cardinali Maiori Poenitentiario conceduntur, etiam Apostolica Sede vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus, ut videre est in Nostra Constitutione super illius facultatibus edita, quae est 95, in tomo I, Bullarii Nostri, ubi paragrapho 54, eidem conceditur ut, vacante Sede, *monialibus confessarios extra ordinem valeat deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas monialium confessiones eligendos.* Quamobrem ad id dumtaxat redacta est controversia; an scilicet e clero saeculari, an vero e Regulari eligendus sit huiusmodi confessarius? Tum inter Regulares, an assumi possit ex quolibet Ordine alias permisso, an vero semper deputari debeat ex ipso Ordine Praelati regularis ad quem monasterii regimen spectat?

De qualitatibus confessarii extraordinarii.

Utrum e clero saeculari, an e regulari confessarius extraordinarius eligendus.

Sane pro monialibus Episcopo immediate subiectis regula est, ut ordinarius eárum confessor sit sacerdos saecularis, extraordinarium vero ex Ordinibus Regularibus saepissime assumi, apud plerosque Episcopos usu receptum esse constat, deficiente forsan per singulas dioeceses saecularium presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. Regulares autem Praelati monialibus sibi subiectis confessarium ordinarium designant e suo ipsorum Ordine, extraordinarium autem etiam ex alio Ordine Regulari deputare possunt, iuxta Decretum a saepedicta Congregatione Concilii editum die 26 Septembris 1595, ac relatum in libro III. Decretorum pag. 143 a tergo, ubi sic legitur: *Sacra etc. respondit: Superiores Regulares teneri offerre confessarium extraordinarium eiusdem Ordinis, alterius vero Ordinis posse quidem, sed non teneri.* Nunquam tamen, quod meminerimus, ullum sacerdotem saecularem, aut diversi Ordinis Regularem vidimus a regulari Praelato monialibus sibi subiectis extraordinarium confessorem deputari. Denique, quum aliquando evenire possit, ut, in casu negligentiae Superioris Regularis, ad Episcopum, ut supra dictum est, pertineat deputatio confessarii extraordinarii, etiam pro monialibus Regularium regimini subiectis, nulla ipse lege tenetur ad huiusmodi confessarium eligendum ex eo Ordine cuius est monasterii Praelatus, sed tali casu liberum est illi quemlibet idoneum presbyterum saecularem aut alterius Ordinis Regularem ad audiendas earum monialium confessiones deputare. At quum superioribus annis Apostolicae Sedi expositum fuisset, pluribus de causis iisque gravissimis, quae hic referre opus non est, non tam opportunum quam plane necessarium videri, ut monialium monasteria Regularium regimini subiecta, semel saltem in anno confessarium extraordinarium diversi Ordinis Regularem, aut e saeculari clero presbyterum haberent, huius rei examen, iubente felic. record. Praedecessore Nostro Innocentio Papa XIII, assumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus composita, cui

Nos, tunc in minoribus constituti, in Secretarii munere operam praestabamus, quaeque per annum et ultra, singulis hebdomadis cogebatur ad discutienda et definienda quamplura ecclesiasticarum quaestionum capita, quae deinde inserta sunt in Apostolicis Litteris ab eodem Innocentio Praedecessore editis, die 13 Maii anni 1723 quarum initium est: *Apostolici Ministerii,* quae etiam a san. mem. Praedecessore quoque Nostro Benedicto Papa XIII in forma specifica confirmatae fuerunt per alias similes Litteras datas die 23 Septembris anni 1724.

Cum autem negotia, quae in ea Congregatione tractabantur, nullius privatas rationes attingerent, sed de restituenda potissimum Tridentini Concilii observantia in quibusdam Catholici Orbis regionibus, ut ferebatur, non parum labefactata, unice ageretur, necessarium minime iudicatum fuit aliquem velut in iudicium vocare, ad deducenda iura, si quae sibi adversus illa, quae decernenda viderentur, competere forsan putaret. Sed Nostra peculiaris cura erat, ad singula proposita capita totidem dissertationes, unicuique ex praefatis Cardinalibus exhibendas, elucubrare, ad demonstranda videlicet fundamenta illius disciplinae, quae in usum revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, quum in eadem Congregatione, ut praefertur, in deliberationem venit, an decernendum foret ut Regulares monasteriorum Praelati, una saltem ex tribus vicibus quibus extraordinarium confessarium monialibus sibi subiectis in annos singulos exhibere debent, aliquem saecularem aut alterius Ordinis Regularem presbyterum ad id deputare tenerentur, utque, ipsis hac in re deficientibus, liberum esset Episcopis Ordinariis eorum defectum supplere et emendare.

Verum quum Regularibus innotuisset a praedicta Congregatione conditum esse decretum eorum intentioni contrarium, utpote qui minime adstringi volebant ad huiusmodi annuam deputationem confessorum extraordinariorum e clero saeculari vel ex aliis Ordinibus, nonnullarum Religionum procuratores generales petierunt admitti ad deducendas rationes quas huiusmodi decreto obstare putabant; cumque id facile impetrassent, ac suam totiusque coetus Regularium causam per eximios illius temporis in romana curia advocatos defendi curassent, sed nihilominus praedicta Cardinalium Congregatio in priori sententia permansisset, placuit praefato praedecessori Innocentio, antequam decretum huiusmodi approbatione sua confirmaret, aliorum Cardinalium sententias audire. Itaque, exclusis illis omnibus qui ex ipsius Pontificis deputatione in praecedentibus sessionibus per annum integrum negotia discusserant, aliisque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi secreto fecerat conscriptarum allegationum exempla, Nobis etiam adesse iussis, qui rationum momenta a priori Congregatione prae oculis habita, si opus esset, exponere possemus, novam Cardinalium Congregationem ex improviso coram se convocavit, in qua iterum proposita quaestio diligenter ac mature discussa fuit, ac demum ipse Pontifex, de ipsius Congregationis consilio et assensu, super hac re decrevit ut sequitur; « Cumque ex » eodem Concilio Tridentino confessor extraor- » dinarius bis aut ter in anno offerri monia- » libus debeat, qui omnium confessiones audiat, » si in posterum Superiores Regulares, quoad » monasteria ipsis subiecta, toties praedictum » extraordinarium confessorem deputare negle- » xerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine » semper deputaverint, nec saltem semel in » anno ad id minus elegerint sacerdotem aut » saecularem aut regularem alterius diversi Or- » dinis professorem, in his casibus, Episcopi, » pro suo arbitrio et conscientia, deputationem » huiusmodi facere possint, nec illa quovis ti- » tulo aut praetextu a Superioribus Regularibus » valeat impediri ».

Tenor resolutionis a Pontifice editae.

Praescriptum sane fuit huiusmodi decretum ea occasione, qua agebatur de restituenda in certis quibusdam regionibus ecclesiastica disciplina ad formam Concilii Tridentini; verum ipsius decreti vigor ad eas dumtaxat regiones minime restrictus fuit, quum et animarum pericula, quae ex perpetua confessorum eiusdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus monasteriis Regularium regimini subiectis locum habere possint; et quaecumque adversus decretum ipsum adducta fuerunt, ex generalibus Ordinum statutis et ex constitutionibus monialium Regularibus subiectarum fuerint desumpta. Cumque iudicatum fuerit ea omnia nequaquam obstare, quo minus ita decerneretur, sequitur ut, quamvis eidem decreto causam dederint peculiarium quarumdam regionum necessitates Apostolicae Sedi eo tempore expositae, illud tamen generale sit, et universos per orbem Regulares monasteriorum monialium Praelatos affigere debeat. Cum vero deinde alter laudatus praedecessor Benedictus XIII Innocentii litteras in forma specifica confirmaret, Nobis constat illius mentem fuisse, ut huiusmodi decretum universalis et inviolabilis legis vim obtineret. Super quo nihilominus, ne ulla apud aliquos supersit dubitatio, Nos ipsi praesentium Litterarum vigore, ac motu proprio et certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ipsum relatum Innocentii praedecessoris decretum, statutum, mandatum atque praeceptum, ad omnia per orbem ubique existentia et Regularium regimini subiecta monialium monasteria, quatenus opus sit, expresse extendentes et ampliantes, decernimus atque statuimus, ut singulis annis, incipiendo a proximo 1749 a Nativitate Domini decurrendo, Regulares monasteriorum Praelati teneantur bis aut ter in anno confessarium extraordinarium

universis monialibus in iis degentibus offerre; si vero ipsi forsan huiusmodi confessarii extraordinarii deputationes intra praescripta tempora omiserint, vel semper proprii Ordinis regularem sacerdotem ad hunc effectum deputaverint ita ut praefatae moniales semel saltem in anno confessarium extraordinarium e clero saeculari aut ex alio Ordine Regulari non habeant, ad Episcopos dioecesanos, omni appellatione remota, devolvatur ius supplendi eorumdem praelatorum defectum (si nempe, pensatis rerum circumstantiis, ita expediens esse iudicaverint) per deputationem confessarii extraordinarii, quem tam in uno quam in altero casu, aut e clero saeculari aut ex alio Regulari Ordine, pro ipsorum arbitrio, deligere possint et valeant.

Quocirca, dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali moderno Nostro et pro tempore existenti Romani Pontificis in Urbe eiusque Districtu Vicario in spiritualibus Generali, earumdem praesentium tenore, committimus et mandamus ut haec Nostra decreta atque statuta tam in omnibus eiusdem Almae Urbis monasteriis, quae Regularium regimini subsunt, quam in aliis quibusque Regularium aut saecularium mulierum aut puellarum domibus seu collegiis atque conservatoriis, quibus unicus ordinarius confessor a superioribus deputari solet, in omnibus et per omnia iuxta earumdem Litterarum praescriptum, exactissime observari et adimpleri faciat, ne forte audiri contingat, quod cum magna animi nostri molestia dictum aliquando esse cognovimus, Apostolicas Constitutiones Romae quidem ferri et publicari, sed eas minime in ipsa Urbe ad effectum perduci.

Eamdem porro curam et sollicitudinem iniungimus et demandamus Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis per omnes universi Orbis Ecclesias constitutis, quibus, ut satis perspectum putamus voluntatis nostrae studium, tam in eorum rationabilibus querelis iustisque petitionibus suscipiendis, quam in corruptelis, quas irrepsisse iudicaverint, eliminandis; idque non ex ingenio Nostro quidquam statuendo, nec peregrinas novitates inducendo, sed veteres ut plurimum leges et regulas vigili Praedecessorum Nostrorum providentia iampridem constitutas, in pristinum debitumque vigorem et usum revocando; ita eosdem meminisse volumus, proprium zeli pastoralis officium non in eo situm esse, ut adversus ea quae contra leges fiunt inutiliter deplorando declament, sed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem iam praestitutis, implorato etiam Apostolicae Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati et legum executioni afferri contingat, omnesque diligentias et curas, quas corrigendis abusibus ipsi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

Durante confessarii extraordinarii munere cessat ordinarii officium.

Quoniam vero, tam in superius allegato Clementis XI edicto quam in synodalibus plurium Episcoporum constitutionibus statutum esse conspicimus, ut quo tempore extraordinarius confessor alicui communitati deputatus ministerio suo fungitur, ordinarius confessor nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multoque minus praesumat per id temporis alicuius monialis sive superiorissae, sive novitiae, sive conversae, neque demum alterius cuiuscumque personae intra septa monasterii aut piae domus commorantis, sacramentalem confessionem audire; Nos, id quoque approbatione Nostra roborantes et confirmantes, statuimus et mandamus ut Episcopi quidem, si de monasteriis aut domibus eorum regimini subiectis agatur, Regulares autem Superiores, quod ad illas communitates attinet quibus ipsi praesunt, pro huiusmodi legis implemento advigilent, et contravenientes meritis poenis coerceant et afficiant.

Extraordinarii expleto officio, accessus ipsi ad claustra et commercium cum monialibus interdicitur.

Ac demum quibuscumque confessariis extraordinariis, qui vel alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui personae in monasterio degenti, concessi ac deputati fuerint, districte inhibemus, sub poenis adversus accedentes ad monasteria monialium et cum ipsis conversantes, praesertim Regulares, a praedecessoribus Nostris quandocumque statutis (quas etiam praesentium vigore confirmamus et innovamus), ne, postquam suum officium impleverint, ad idem monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causae aut necessitatis obtentu et colore, audeant aut praesumant. Decernentes etc.

367

Utrum liceat aliquando matrimonium ratificare coram ministro haeretico.

S. C. S. Officii *14 Novembris 1748.* — Utrum catholicus coram proprio catholico parocho cum haeretica contrahens licite possit, urgentibus haereticis, matrimonium hoc ratificare coram ministro haeretico, si nulla hinc ritus haeretici professio habeatur aut colligatur, et quidquid minister haereticus in casu peragit, civilis dumtaxat et politica gratulatio sit ac censeatur. — R. Affirmative.

368

De declaranda prole legitima in dispensationibus matrimonialibus.

S. C. S. Off. *12 Decembr. 1748.* — 1. Cum in facultate dicatur *prolem susceptam legitimam declarandi* (1), an dispensator Episcopus vel

(1) In Formula III facultatum sub n. 3 conceditur facultas: « Dispensandi in 3 et 4 simplici, et mixto » tantum, nedum cum pauperibus sed etiam cum di» vitibus in contrahendis et in contractis; cum hae» reticis vero conversis etiam in 2 simplici, et mixto, » dummodo nullo modo attingat primum gradum, et » in his casibus *prolem susceptam declarandi legiti*» *mam* ».

Vicarius generalis in dispensatione sua addere possit et declarare legitimam prolem susceptam et suscipiendam.

De dispensat. super gradu remotiori, proximiori reticito.

2. An matrimonium contractum praevia dispensatione super gradu remotiori, proximiori reticito, sit validum, non obtentis prius litteris declaratoriis iuxta Constit. S. Pii V (1).

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Sanctitas Sua docuit huiusmodi matrimonia esse quidem valida sed illicita, dummodo dispensationes non attingant primum gradum, adeoque donec litterae declaratoriae, seu ut vocant *perinde valere* expediantur, coniuges separari debere. Et ita in posterum rescribi mandavit, non obstante contrario decreto huius S. Congregationis emanato sub die 13 Nov. 1732.

369

De contractis fructiferis ex pecunia mutuo data.

S. C. S. Officii *17 April. 1749* (Praef. Miss. Tuneti). — Mercatores hebraei, Tuneti degentes, olim societatem cum turcis inibant, pecuniamque suam collocabant super naves piratarum contra christianos bellantes, atque his fundamentis inter christianos captivos introductus fuit usus pecuniam dare hebraeis in foenore, usuramque percipere, singulis mensibus, tres pro centum, etiam cum pignore; attamen periculum erat et pignus et sortem principalem amittendi, quod pignus multorum non erat securum, et aliquoties aliqui et pignus et sortem principalem amittebant. Nunc autem Bey hebraeis prohibuit, ne amplius commercium cum turcis exerceant in navibus, sub poena pecuniae et etiam vitae iacturae. Ideo scire desidero quomodo me gerere in futurum, et quam usuram percipere valeant captivi fideles, tuta conscientia. Mercatores galli, atque etiam alii, qui sunt liberi, quando in commercio pecuniam foenori dant inter se, solent exigere unum pro centum singulis mensibus, quod quidem a mercatorum societate massiliensium fuit concessum. At vero, captivi maiorem usuram exigere possunt, ratione iniustae captivitatis, et periculi sortem principalem amittendi, ut saepe contingit; ipsimet haebraei eis sponte offerunt tres pro centum; existimo eos id facere posse more pristino. Insuper advertendum est, quod hebraei nativi tam erga christifideles perfidi sint, ut occasionem non praetermittant eos prodendi.

R. Fiat Instructio mittenda ad P. Carolum Felicem, missionarium Ordinis Capuccinorum, in qua, iuxta epistolam circularem Sanctitatis Suae ad Episcopos Italiae, sub die 1 Novembris 1745, incipientem *Vix pervenit*, eidem significetur quod contractus, ad hoc ut pariant fructus debent suam denominationem habere, nempe census, cambii maritimi, cambii per nundinas, lucri cessantis et damni emergentis certi cum interpellatione, iuxta notoria requisita Pauli de Castro, vel fructuum recompensativorum et similium, ut fructus legitime parere valeant, alias pro mutuis reputari debent, quarumcumque usurarum prorsus exclusivis.

Instructio circa praefatos contractus.

Instructio S. C. de Prop. Fide — Ad tenorem Litterarum Benedicti XIV. *Vix pervenit* se gerere tenebitur, quibus intelliget contractus fructiferos ex pecunia mutuo data illicitos esse, quando denominationem non habent census, vel cambii veri, sive litteris, sive nundinis vel societatis realis, vel rationem compensativam tituli lucri cessantis, aut damni emergentis, quibus praeter sortem percipere valeat tantum fructus quantum sufficit ad damnum aequiparandum quod mutuans pati tenetur, aut lucrum quod amisit; idcirco, si in contractu desint supradictae denominationes, aut tituli memorati compensativi, tunc in alium contractum constitui nequeunt, nisi mutui, proindeque illicitum est ullo modo aliquid recipere aut exigere ultra capitale seu sortem, tam a pauperibus quam a divitibus. Istis regulis a Sanctissimo Domino nostro in sua epistola circulari praescriptis, dictus Pater perspicere potest quomodo se gerere debeat circa contractus, quos christiani captivi ineunt cum mercatoribus hebraeis, quos quidem eis permittere non est licitum sine conditionibus supra relatis. Cum autem inter illum qui pecuniam suam dat, et mercatorem qui eam cum pignore recipit, sortemque datoris tutam facit, fit tamen pactum lucri certi ultra sortem, verus non est contractus societatis; ideo quidquid percipitur est contra iustitiam et illicitum, quamvis non intendat dare

(1) S. Pius V in Constit. *Sanctissimus* 20 Aug. 1566 « statuit et ordinavit quod de cetero in quibuscumque » dispensationibus, quas pro matrimoniis contractis » aut contrahendis inter viros et mulieres, invicem di- » versis prohibitis consanguinitatis et affinitatis, aut » mixtis, ex communi seu ab eodem stipite surgenti- » bus, quicumque illi sint, (dummodo primum quo- » quomodo non attingant, cum in eo Sanctitas Sua » nunquam dispensare intendat) gradibus coniunctos, » ab eadem Sanctitate Sua, et pro tempore existente » Romano Pontifice aut Sede Apostolica impetrari vel » alias concedi contigerit, ac litteris commissionibusque » desuper, etiam locorum ordinariis, faciendis, gradus » remotior attendatur trahatque secum propinquiorem, » ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum expri- » mere, obtentis tamen postea super propinquiore lit- » teris declaratoriis, iuxta Gregorii et Clementis prae- » decessoris huiusmodi constitutiones, quas, quoad hoc, » innovavit et inviolabiliter observari mandavit; dispen- » sationesque seu dispensandi commissiones, ac desuper » confectas litteras et processus habitos per easdem dis- » pensatis, seu his cum quibus dispensari mandatur, pro- » pter proximioris gradus huiusmodi non expressionem, » de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis » defectu notari non posse, sed in omnibus et per omnia » suffragari, perinde ac si in litteris seu commissionibus » huiusmodi de proximiore seu utroque gradu specialis » et expressa mentio facta fuisset ».

supradictam pecuniam ratione mutui; sed, solum in casu quo intervenirent supradicti tituli compensationis, possit a capitalista exigi ultra sortem fructus qui sufficeret ad compensandum aut damnum quod subit aut lucrum quod perdit. At vero ratione periculi a natura negotiationis non provenientis, sed ab alio eventu extrinseco, cui tamen periculo dator seu mutuans sortem exponit, a negotiante lucrum proportionatum periculo ultra ipsam sortem exigere potest. Cum autem illud in praxi difficillimum sit, periculum iuste appretiare, et periculosissimum sit exigere fructum proportionalem, ideo, ad securitatem conscientiae captivorum christianorum, tutius esse existimatur, ut dictus Pater a tali contractu eos abstinere adhortetur, manifestando eis periculum in quod incurrunt, atque suadendo pecuniam suam in alios contractus reapse licitos impendere, qui propriam denominationem habeant, ut venditionis, aut realis societatis, quibus, industriam adiungendo, lucrum honestum ex pecunia fas illis sit percipere.

370

Observatione expositione Sacramenti.

Ex Const. *Quamvis iusto* **Bened. XIV** *30 April. 1749* — ..... Iuxta canonicam disciplinam sacrosancta Eucharistia in ecclesiis quae parochiales non sunt retineri non potest absque praesidio Apostolici indulti, vel immemorabilis consuetudinis quae huiusmodi indulti praesumptionem inducit, ut late ostenditur in Commentariis bon. mem. Cardinalis Vincentii Petra ad Romanorum Pontificum Constitutiones, et signanter ad *Const. 1. Urbani IV sect. unic. n. 29 et seqq. tomo 3;* Episcopi autem est licentiam impertiri ut idem augustissimum Sacramentum publicae fidelium venerationi exponatur, quoties iusta et publica causa id fieri suadeat, ut videre est in nostra Institutione Pastorali, in editione italica *tom. 2. n. 20,* in latina vero *num. 39.*

371

De famulis haereticorum qui ecclesiae praecepta observare nequeunt.

Ex Instr. S. C. S. Off. *5 Aug. 1749* (AD VIC. AP. ALGERIAE). — Si proponeva....: *Se debbano tollerarsi i cattolici che dai consoli e dai negozianti eretici, ai quali servono, sono alle volte impediti dall' ascoltar la Messa nei giorni festivi, e vengono inoltre obbligati a preparare, apporre e ministrare nei giorni di vigilia vivande di carne.* Essendosi considerati i motivi, le cause e le circostanze da V. S. esposte che fan vedere i poveri cattolici posti in una gravissima necessità di far le cose sopradette, si è risoluto che, quando non vengano a farlo per odio o disprezzo della santa nostra religione, nel qual caso dovrebbono piuttosto sopportare la morte, Ella possa astenersi dall' inquietarli, avvertendoli però che nel farle non abbiano intenzione di cooperare all' inosservanza della legge ecclesiastica, nè per altro pravo fine.

372

De facultatum prorogatione.

S. C. S. Officii *7 Augusti 1749.* — Sanctissimus mandavit quod in posterum non confirmentur peculiares et extraordinariae facultates alias concessae et concedi solitae ad tempus Archiepiscopis, Episcopis et Missionum Praefectis nisi exhibitis recentioribus decretis earumdem concessionum seu confirmationum.

373

De actione patrini in Confirmatione, et de impositione novi nominis.

S. C. SS. Rit. *20 Sept. 1749* IAURINEN. — 1. Cum in Rubricis de Sacramento Confirmationis dicatur: *Adulti seu alii maiores ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui,* quaeritur: 1. An sufficiat, si patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi? – 2. An confirmandus, tempore Confirmationis, quando Episcopus dicit: *N., signo te signo Crucis,* etc. praeter nomen suum baptismale, possit aliud nomen Sancti sibi imponi curare?

R. Ad 1. Sufficere. – Ad 2. Posse.

374

De quibusdam precibus et benedictionibus pro infirmis infidelibus.

Instr. S. C. S. Officii *11 Dec. 1749* (AD EP. SCODREN.). — In Congr. Gen. S. R. et Univ. Inquisitionis habita in Palatio Ap. montis Quirinalis coram SS. D. N. Benedicto div. prov. PP. XIV. ... relata epistola R.P.D. Petri Campsi Episcopi Scutarensis in Albania, data ad S. C. de Prop. Fide, et ab eadem ad S. C. S. Officii remissa tenoris sequentis, videlicet: « È stato » uso antico in questi paesi che gl' infedeli abbiano o siano ricorsi nelle loro infermità ai » sacerdoti cattolici, i quali sopra di essi infedeli si sono serviti di leggere alcuni salmi » posti nel Rituale Romano, ove dice *de visitatione et cura infirmorum.* Si recita pertanto » in primo luogo il salmo 90. *Qui habitat in* » *adiutorio Altissimi* etc. finito il quale si leggono gli Evangelii: *Cum introisset Iesus Capharnaum* etc. Così gli altri salmi ed Evangelii ivi descritti. Ai cristiani però si leggono » interamente con tutte le orazioni proprie ancora secondo la regola esposta nella rubrica » della sopraddetta visita e cura degl' infermi, » il che si tralascia ai turchi. A tutti però si » usa recitare ancora il responsorio di S. Antonio con la sua orazione. Intendiamo con » ciò supplicare sua Divina Maestà, acciò siano » illuminati ad abbracciare la vera e santa fede » di Gesù Cristo nostro Signore. Si recita alla » fine questa orazione esposta nel medesimo

» Rituale : *Super aegros manus imponent et* » *bene habebunt* etc. Poscia l' inizio di S. Gio- » vanni *In principio erat Verbum* etc. ».

I Brevetti poi che si scrivono a portarsi seco sono : « *Potentia Dei Patris* ✠, *Sapientia* » *Dei Filii* ✠, *Virtus Dei Spiritus Sancti* ✠, » *intercedente beata Virgine Maria, liberet te* » *ab omni febri tertiana, quartana, continua,* » *maligna. Amen.*

» *Ecce Crucem Domini nostri Iesu Chri-* » *sti, fugite partes adversae, vicit leo de tribu* » *Iuda, radix David, Alleluia.*

» *Super aegros manus imponent, et bene* » *habebunt; Iesus Mariae Filius, mundi salus,* » *et dominus, meritis et intercessione sancto-* » *rum Apostolorum suorum Petri et Pauli et* » *omnium sanctorum, sit sibi propitius et cle-* » *mens. Amen.*

» Moltissimi sì cristiani come turchi, con » arte magica dai maligni invidiosi vengono » spessissime volte ad esser legati, i maritati, a » non poter fare l' uso loro. In tali bisogni » pure ricorrono a tali brevetti ; onde in simili » occasioni si scrive il brevetto seguente : *Po-* » *tentia Dei Patris* ✠, *Sapientia Dei Filii* ✠, » *Virtus Dei Spiritus Sancti* ✠, *intercedente* » *beata Virgine Maria, liberet te ab omni* » *vinculo maleficiorum. Amen.* – *Ecce Crucem* » *Domini nostri Iesu Christi, fugite partes* » *adversae, vicit leo de tribu Iuda, radix Da-* » *vid, Alleluia.*

» Per i dolori del capo, il seguente : *Per* » *spineam coronam I. C. D. N. liberet te Po-* » *tentia Dei Patris, Sapientia* etc. come sopra, » *a dolore capitis. Amen.*

» Questo uso è introdotto antichissimamente » onde non si può da ciò esimere veruno. In- » tanto l' Eminenze Vostre, non approvando il » sopraccennato, supplico caldamente ad asse- » gnare altre orazioni per poterci servire in- » torno ai cristiani, e intorno agl' infedeli ; al- » trimenti rigettando questi, seguirebbero molti » guai, come l' EE. VV. possono imaginarsi ».

SSmus D. N. Papa praedictus, auditis votis subscriptorum Emorum decrevit, transmittendam esse dicto R. P. D. Episcopo Scutaren. sequentem instructionem, nempe :

Quando i missionarii, o altri sacerdoti sono chiamati a benedire gli ammalati infedeli, o vengono cercati acciò loro concedano gl' indicati brevetti da portar seco, dovranno primieramente avvertir quelli che benedicono, o ai quali danno detti brevetti, che con ciò non può loro promettersi infallibilmente la salute, o l' effetto desiderato, e specialmente dovranno ciò avvertire alle persone legate per l' uso del matrimonio, ma che pregheranno, o pregano il Signore acciò le voglia consolare. Inoltre dovranno avvertirle, che non pongano fiducia in alcuna cosa vana, come sarebbe nel numero delle parole, se siano o non siano scritte in carta vergine, nel portarli alla tale ora, nel legarli con tali e tanti fili, nella tale o tale figura o piegatura, nel portarli in tale o tale maniera, e simili vanità, che non sono di alcun valore.

Dovranno di più avere intenzione, che nei detti brevetti non siano mescolati, colle parole sagre e segno di croce, altri segni o caratteri vani, incogniti, e supestiziosi, e che gl' infedeli di essi non si abusino, nè vi sia pericolo alcuno di disprezzo, o superstizione, che gli infedeli fossero per farne.

Finalmente per li supposti legati, o impediti all' uso del matrimonio potranno servirsi dell' infrascritta benedizione :

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit coelum et terram.* — ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* — *Oremus : Domine Iesu Christe, Dei et beatae Mariae Virginis Filius, qui in paradiso terrestri matrimonium instituisti in officium, conservationem, et multiplicationem humanae naturae, et ipsum matrimonium mirabiliter honorasti in adventu tuo, et primordiis miraculorum tuorum; Tu per merita et preces beatissimae Virginis Mariae matris tuae, beatorum Apostolorum tuorum Petri et Pauli, vel sanctorum tuorum N. N. et omnium Sanctorum et Sanctarum tuarum, digneris hos quos matrimonialiter coniunxisti, benedicere* ✠ *et plene liberare ab omni ligatura, fascinatione, et maleficiis satanae, et dare eis foecunditatem, et gratiam, ut libere possint uti matrimonio suo ad generandas, concipiendas, portandas, pariendas ac nutriendas proles Deo et hominibus gratas. In nomine Patris* ✠ *et Filii* ✠ *et Spiritus Sancti* ✠ *Amen.* — Psalmus : *Domine, quid multiplicati sunt.* — *Qui habitat in adiutorio Altissimi.* — *Beati omnes qui timent Dominum.* — *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* — *Pater noster* etc. *Et ne nos* etc. *Sed libera* etc. — ℣. *Mitte eis Domine auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos.* — ℣. *Nihil proficiat inimicus in eis.* ℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere eis.* — ℣. *Esto eis, Domine, turris fortitudinis,* ℟. *A facie inimici.* — ℣. *Domine exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* — ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* — *Oremus : Domine Iesu Christe Fili Dei vivi, qui uterum beatissimae Mariae semper Virginis mirabiliter foecundasti, ut de Spiritu Sancto conciperet, portaret, pareret et nutriret : te Deum et hominem Salvatorem humani generis, invocamus per clementiam tuam, ut his N. N. sublato omni daemonis impedimento, et maleficio, liberum coniugii usum donare digneris, ut generare, concipere, portare, parere et nutrire, tibi valeant prolem in vitam aeternam. Amen.*

Psalmus : *Beatus vir, qui non abiit* etc.

usque ad quartum versiculum inclusive; *Gloria Patri, et Filio etc.*

Deinde sacerdos imponens manus super capita, primo viri, postea mulieris, dicat:

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus Sancti ✠ amen. — Ite in pace, et Dominus sit vobiscum. Amen.

Le seguenti orazioni potranno dirsi anche sopra gli ammalati:

Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe propitius orationem nostram, et libera istos a mahumetana pravitate, et aggrega Ecclesiae tuae sanctae ad laudem et gloriam nominis tui.

Omnipotens sempiterne Deus, moestorum consolatio, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per Dominum etc.

375

De Episcoporum facultate quoad sacras Reliquias.

S. C. Indulg. et SS. Reliq. *16 Decembris 1749.* — Cum Sancta Tridentina Synodus *Sess. 25 cap. de Reliquiis* decreverit: *Non esse recipiendas novas Reliquias, nisi recognoscente et approbante Episcopo,* nonnulla dubia exorta sunt super facultate Episcopis tributa recognoscendi et approbandi Sanctorum Reliquias, quae, ut quam citius dirimantur, Sacrae Congregationi proponuntur, nempe:

1. An unusquisque Episcopus extra Romam, sua in dioecesi quascumque sacras Reliquias valeat authenticare.

2. An sacrae Sanctorum Reliquiae a quodam Episcopo in Italia authenticatae (si ex parte subscriptionis, sigilli et thecae nulla erroris aut falsitatis nota deprehendatur), ab altero Episcopo ultra montes possent reprobari, quin et confiscari, vel impediri ne publicae venerationi exponantur.

Ad 1 et 2. Affirmative ad formam Concilii.

376

De diaconis cophtis in puerili aetate ordinatis.

Ex Const. Bened. XIV *Anno vertente 19 Iunii 1750* (PRO COPHTIS). — .... Cum examen dubii aggredi placuerit: *An, si diaconi ordinati in aetate puerili, ministrent adulti in ordine suscepto et in statu coelibi, inferri possit, eos ante nuptias, ratam ordinationem habere; cum compertum sit, teste P. Benart, eos a puero functionibus ecclesiasticis assuescere, et in magno numero ordinari, ne aliquando desint, qui Ecclesiae ministeriis operam navent;* post latum (in particulari Congregatione) a quolibet ex congregatis suffragium, pronunciatum est a Nobis decretum in haec verba: *Diaconi in aetate puerili ordinati, licet ante decimum sextum aetatis annum ministraverint in Ordine suscepto, et in statu coelibi, tamen non censetur ante nuptias Ordinationem ratam habuisse, eo quod nihil faciendi sint illi actus, quos in aetate puerili et ante decimum sextum aetatis annum exercuerint.* Quod decretum nunc pariter a Nobis confirmatur.

Ut vero ea, quae decreta sunt, planius intelligantur, opus est aliquantulum digredi; hac enim ratione procedendo, via munietur, ut ad propositum finem perveniamus.

Nemo est, qui ignoret, duobus modis religiosam professionem fieri; vel, ut melius dicamus, duplicem esse professionem religiosam, unam expressam, alteram vero tacitam. Expressa fit, quum, debitis servatis solemnitatibus, tria vota castitatis, paupertatis et obedientiae conceptis verbis emittuntur, quae in constitutionibus Ordinis, in quo quis se velle vivere profitetur, praescripta sunt: tacita autem in eo posita est, cum quis ea exercet et operatur, ex quibus arguitur, ad vivendum in aliqua Religione se obligare voluisse, etsi solemniter et expresse eam professus non fuerit.

Tacita professio a sacro Tridentino Concilio iuxta communiorem sententiam sublata non est, ut late testantur Navarrus *Conc. 35 de Reg. num. 5,* Azorius *Instit. part. 1, lib. 12, cap. 4, quaest. 6,* Sanch. *de Matrim. lib. 7, disp. 37, n. 2,* Fagnanus *in cap. Perlatum de iis, quae vi etc. num. 46.* Sed cum in eodem Concilio decretum fuerit, nullas ac irritas esse professiones, quae in quacumque Religione fiunt ante annum decimum sextum aetatis profitentis, et antequam integer annus probationis expletus fuerit, hinc recte deducitur, etiamsi a Concilio tacita professio sublata non sit, eam tamen locum non habere, si actus, ex quibus illa inducitur, peracti non fuerint post annum decimum sextum aetatis profitentis, et postquam annus probationis completus est; ita ut a Concilio Tridentino magna ex parte temperata sit dispositio *Cap. Is qui, de Regularibus, in sexto, et Clementina 2 eodem titulo, de Regularibus.*

Ad instar conciliaris dispositionis a Nobis constitutum est, ut diaconi cophti in infantili aetate ordinati, ubi ad annum decimum sextum aetatis suae pervenerint, a Praefecto missionum interrogentur, num velint, necne, perseverare in Ordine suscepto et obligationes omnes Ordini adnexas implere, ut inde statui possit, quid in futurum in reliqua eorum vita ab ipsis servandum sit, sicut quisque videre potest in pluries laudata Instructione nostra anni 1745. Itaque quemadmodum stabilita per Concilium aetate anni decimisexti ad professionem regularem emittendam, tacita locum non habet, etiamsi ante praedictam aetatem actus illi expleantur, ex quibus secundum canonicas dispositiones tacita professio inducitur, sed omnes illi nullo in numero, et pro nihilo habentur ad tacitam professionem regularem inducendam, nisi expleti fuerint post annum

aetatis decimumsextum, et postquam anno probationis evoluto, expressa professio emissa non est; ita constituto a Nobis anno aetatis decimosexto, quo, ut dictum est, Praefectus missionum diaconos in puerili aetate ordinatos interrogare debet, velint ne, an secus, perseverare in Ordine suscepto, et obligationibus Ordini coniunctis satisfacere, ex Ordinis exercitio ante annum decimumsextum eorum aetatis peracto nulla tacita ratihabitio argui debet: cum ad summum huiusmodi actus tacitam ratihabitionem importare possint, si gesti fuerint post annum decimumsextum, eo casu, quo Praefectus missionum anno decimosexto eorum aetatis ipsos interrogare, quemadmodum ab illo fieri debere saepius monitum est, neglexerit.

De dispensatione super matrimonio inito post Ordines sacros.

Remanet ultimum ex iis, quae responso nostro definiri posse diximus; illud autem est huiusmodi: *An plus commodi et utilitatis, vel potius scandali et detrimenti allatura sit rei catholicae dispensatio super matrimonio inito post Ordines sacros, libratis in utramque partem omnium rationum et circumstantiarum momentis.* Praemissa in praecedenti instructione Ecclesiae Orientalis consuetudine retinendi cum Ordine sacro uxorem, quae tamen ante Ordinis susceptionem accepta sit, atque indicata etiam controversia, an matrimonium ab Orientalibus initum post Ordinem sacrum irritum sit, an potius dumtaxat illicitum; transitus factus est ad aliam quaestionem: an rectum, probe factum, ac utile videretur, an potius scandalo esse posset, aliquem dispensare, qui uxorem post Ordinem sacrum duxerit, ut eam retinere, ac simul sacro Ordine perfungi et sacra munia exercere possit, quia huiusmodi dispensationes interdum a Sede Apostolica concessae fuerunt. Cum autem, quae ad quaestionem definiendam necessaria videbantur, non satis nota ac perspecta essent, placuit rem differre et interim exquirere, quae opus erant, ut plenius de re tota instrueremur. Cum autem ad nostram cognitionem, quae expectabamus, relata sint; auditis congregatorum suffragiis, in ea fuimus sententia, ut nemini facultas dispensandi concederetur, sed Sedi Apostolicae reservaretur: ut, cum casus contigerit, et dispensatio postuletur, mature expendantur, quae necesse est considerare, ut vel concedatur vel denegetur dispensatio, cum de re gravissima ac magni momenti agatur. Decretum autem conditum est in haec verba: *Recurrant ad Apostolicam Sedem in casibus particularibus: in quibus, si ob graves causas dispensatio super matrimonio inito post Ordines sacros concedenda videbitur, tunc nullum verbum fiat de renovatione consensus.* — Haud ignotum est, quanta difficultas occurrat, quoties super matrimonio, ex impedimento dirimenti nullo, dispensatio conceditur solita conditione, ut inter coniuges consensus renovetur: cum accidere possit, et nonnumquam contigerit, ut mulier haud contenta viro, vel vir uxorem fastidiens, ut se in libertatem vindicet, eorum alter vel uterque, novum consensum praebere renuat. In decreto mox relato haud mens nostra fuit, renovationem consensus excludere, cum matrimonium extra dubitationem nullum est; sed, cum gravis illa controversia, ut dictum est, adhuc vigeat, an matrimonium in Ecclesia orientali post Ordinem sacrum contractum, perinde nullum sit ac in Ecclesia Occidentali, an potius sit solummodo illicitum; et cum huiusmodi controversia (exceptis Italo-Graecis, quorum matrimonia post Ordinem sacrum inita, statutum est, nulla et irrita esse, ut in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi pastoralis § 7, num. 28,* quae est quinquagesima septima in ordine Bullarii nostri *tom. I*), quoad caeteros orientales graecos nullo adhuc decreto apostolico definita fuerit, licet tribunalia huius almae urbis opinioni eorum adhaereant, qui haec matrimonia nulla existimant; nihilominus satius visum est, ut adveniente casu concedendi dispensationem, conditio renovationis consensus non exprimatur. Decretum autem, de quo agitur, nunc etiam a Nobis solemniter confirmatur.

De conditione renovationis consensus in dispensationibus matrimonialibus.

377

De mulieribus matrimonio coniunctis cum mahumetanis.

S. C. S. Officii *9 Iulii 1750.* — Relata instantia R. P. D. Pauli Campsi Episcopi Scutarensis in Albania supplicantis pro permissione admittendi ad sacramenta plures mulieres in matrimonio coniunctas cum mahumethanis, sicuti quoque eorum consanguineos et fautores talium matrimoniorum; relato voto Rmi P. Commrii huius S. O. in scriptis exarato, SSmus auditis votis Emorum PP., decrevit iuxta votum praedicti P. Commissarii, nempe, quoad fautores et consanguineos habere locum resolutionem captam simili casu ab hac S. Congne die 18 Nov. 1745, videlicet: « Graviter esse reprehendos christianos, qui citra ullam dispensationem filias suas collocant in matrimonium cum gentilibus: nihil esse omittendum ut gravitatem criminis percipiant; impositas pro crimine poenitentias debere esse graves et non leves; nec eorum poenitentiae aut resipiscentiae statim esse fidendum ita ut ad sacramenta admittantur. Esse tamen ad sacramenta admittendos, postquam praemissis praemittendis iam supra expositis, satis clare apparent doloris, poenitentiae et resipiscentiae signa ». Respectu vero ad mulieres non habere locum permissionem a praefato Episcopo petitam.

378

De facultate missionariorum quoad dispensationes matrimoniales.

Ex Inst. S. C. S. Off. *13 Augusti 1750.* — Il senso della clausola *neque in utroque*

foro ubi erunt Episcopi (1) è che i missionarî in quei luoghi che sono sotto la giurisdizione di una Sede vescovile non hanno facoltà di dispensare *in utroque foro,* nè suffragando che la Sede vescovile sia vacante.

379

An liceat comiti simul cum haereticis cadavera ad coemeterium.

Litt. S. C. S. Officii *21 Ianuarii 1751* (AD VIC. AP. ALGERIAE). — Essendosi esaminato nella S. C. del S. Offizio fra gli altri dubbî anche quello che concerne l'invito, ed accompagnamento scambievole, che fanno li cattolici ed eretici, nel portare i loro defunti alla sepoltura, e fattasi matura riflessione su quanto V. S. ha rappresentato relativamente ai quesiti fattile, cioè che l'accompagnamento del cadavere si fa solamente sino al cimitero ; che ivi giunti si allontanano gli eretici dai cattolici, o li cattolici dagli eretici, nel mentre che gli uni o gli altri celebrano secondo il loro rito l'esequie e le preci ; che questo è un uso da lungo tempo introdotto, il quale sarebbe molto difficile anzi impossibile a togliersi senza grave danno dei cattolici ; e finalmente che il tutto si riduce a cosa civile e politica ; questi Emi Sig. Card. coll'approvazione di N. Signore hanno creduto che possa permettersi la detta prattica, e che, restando le cose in quello stato che ha esposto, Ella possa astenersi dall'inquietare i suoi cattolici, se la continuano, riconoscendosi non eccedere lo stato presente la civiltà, nè portar seco veruna comunicazione *in divinis*.

380

De denuntiationibus matrimonialibus seu *bannis*.

Ex Litt. Ap. Bened. XIV *19 Mart. 1751* (AD ARCHIEP. GOANUM). — ... Odo de Soliaco vigilantissimus Parisiensis Antistes, qui vixit sub initium saeculi decimi tertii, promulganda statuit in suae dioeceseos paroeciis matrimonia priusquam inirentur, ut scilicet hoc pacto dignosci posset num inter contrahentes impedimentum ullum subesset ; atque inde denuntiationum manavit exordium, quae tum *Bannum* nuncupatae fuerunt. A dioecesi parisiensi mos iste laudabilis ad alias quoque per Galliam permeavit, uti colligitur ex Rescripto Innocentii III ad Episcopum Belluacensem in Cap. *Cum it.i, de sponsal. et matrim.* Idem Innocentius in Concilio Lateranensi, ad universam Ecclesiam eiusmodi denuntiationum morem propagavit, ut videre est in cap. *Cum de clandestina desponsatione.* Atque Sacra Tridentina Synodus, sess. 24, *De reform. Matrim.* cap. 1. Lateranensis Concilii vestigiis inhaerendo, id ipsum praecepit. Quamvis vero denuntiationes ad matrimonii validitatem neutiquam pertineant, adeo ut matrimonium iisdem omissis celebratum illicitum quid sit, sed tamen validum, non idcirco denuntiationum omissio gravi caret culpa, neque propterea negligi impune queunt in paroeciis in quibus contrahentes inhabitant; quod si velint matrimonium extra dioecesim, quam incolunt, celebrare, tenetur is qui matrimonio interest, exigere prius ut denuntiationes factae iam fuerint in loco prioris domicilii, quamvis sit alterius dioecesis, ad hoc ut tuto interesse possit matrimonio quod in sua dioecesi celebratur. Observetur Concilium Aquense, anni 1585, a Sixto V. Pont. Max. confirmatum, sicuti etiam Rituale Rom. Quod si vetustiora monumenta prae manibus sumere opus esset, in secunda collectione Decretalium, cap. 1. *De clandestina desponsatione,* reperitur Decretalis Alexandri III, relata etiam per Gonzalez in cap. *Cum inhibitio,* sub num. 10, *De clandestina desponsatione,* ubi fit mentio oneris, quod districte incumbit ei qui matrimonio interest in sua dioecesi contracto, ne scilicet interesse debeat, nisi requisierit antea ab Episcopo loci ubi contrahentes inhabitant, praevium denuntiationum edictum, unde appareat nullum inter eosdem impedimentum obsistere.

381

De Calicibus stanneis in sacrificio Missae.

Ex Const. *Imposita nobis* **Bened. XIV** *29 Mart. 1751.* — Porro quod attinet ad calices stanneos, omissis iis quae repeti possent ex priorum Ecclesiae saeculorum memoria, quum scilicet et lignei et vitrei calices in altaris ministerio adhibebantur, ut ostensum a Nobis est in tractatu *De Sacrificio Missae,* nullum generale decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit huiusmodi calicibus e stanno confectis in Missa uti, si ecclesiarum vel sacerdotum paupertas tanta sit, ut maioris pretii vasa comparari nequeant. Quinimo in Can. *Ut Calix, De consecr.* distinct. 1, haec expressa verba leguntur: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat.* Et quidem, ad comprobandam asserendamque huiusmodi Ecclesiae indulgentiam, plura leguntur apud S. Thomam, aliosque scriptores de hoc disciplinae capite agentes.

382

De facultate recipiendi SS. Eucharistiam sub utraque specie.

Litt. Apost. Bened. XIV *1 Maii 1751* (AD NUNTIUM AP. N). — Fra la moltiplicità degli affari non ci siamo punto scordati di

(1) Haec clausula apposita est Formulae IV facultatum (pro Praefectis Ap.) sub n. 8 ubi haec habentur: « Hae vero dispensationes matrimoniales... non » concedantur nisi cum clausula: *dummodo mulier rapta non fuerit; vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat;* neque in utroque foro ubi erunt » Episcopi, sed in foro conscientiae tantum etc. ».

quello da Lei rappresentatoci nella sua lettera dei 15 di marzo, della nobile donna luterana, che maritata con un nobile uomo cattolico, è pronta ad abiurare gli errori di Lutero; ma nello stesso tempo domanda la dispensa di poter proseguire a ricevere la santa Eucaristia sotto l' una e l' altra specie, non in pubblico ma in privato, e previa anche una protesta, da porsi in iscritto, di convenire nel credere, che nulla di più riceva quegli che si comunica sotto le due specie, di quello che si comunica sotto una sola, e di credere anche tutto ciò, che crede la S. Chiesa cattolica in ordine all' Eucaristia.

1. Tre sono le cose stabilite dai Concilii di Costanza, di Basilea e di Trento: la prima, che tutto ed intero Gesù Cristo si contiene sotto ciascheduna delle due specie, e che tutto ed intero Cristo si riceve tanto da chi si comunica sotto una specie, quanto da chi si comunica sotto ambedue le specie: la seconda, non restare defraudato, chi lo riceve sotto una sola specie, di veruna grazia propria del Sagramento e necessaria per la salute eterna: la terza non esservi verun precetto divino, che astringa i non sagrificanti a ricevere la Comunione sotto ambedue le specie; dal che può facilmente dedursi, che, stante la buona credenza della dama, sarebbe facile accomodare la protesta che essa è pronta di fare, salvando in essa tutto il dogma; riducendosi perciò la difficoltà alla disciplina, che colla richiesta che si fa, quando si ammettesse, resterebbe lesa in tutto e per tutto, alla deficienza di causa legittima per concedere la dispensa, ed alle cattive conseguenze, che da una simile dispensa potrebbero derivare.

2. Abbiamo detto che, concedendosi quanto dalla nobile donna si richiede, resterebbe lesa in tutto e per tutto l' ecclesiastica disciplina, giusta la quale chi non sagrifica, riceve la Comunione sotto la sola specie di pane. Di questa disciplina sono pieni i libri; e noi stessi ne abbiamo diffusamente discorso nella nostra opera *del Sacrifizio della Messa*. Nè qui altro resta da aggiungere, se non che il gran Cardinale Osio nel suo dialogo *de utraque specie*, dopo aver detto, non raccorsi dalle storie e monumenti della Chiesa di Polonia, essere mai stata distribuita al popolo la Comunione sotto ambedue le specie, conchiude, aver la Chiesa Polacca sino dal suo principio ricevuta la disciplina della Comunione sotto la sola specie del pane ne' laici, e per conseguenza in chi non sagrifica; della qual disciplina della Chiesa Polacca parla ancora il Cardinal Bellarmino *De Sacramento Eucharistiae, lib. 4, cap. 24, § Cardinalis Hosius*.

3. Abbiamo detto, mancare le cause per potere legittimamente dispensare; non consistendo queste nel solo spirituale profitto, che sperasi che i requirenti conseguiranno ottenendo ciò che chiedono; ma essendo necessario, che tutto ciò ridondi nel bene della cristiana repubblica, che è lo stesso che dire, non bastare una causa privata, ma dover alla privata esser unita ed accoppiata la pubblica; come si deduce dal Concilio di Trento *alla sess. 22* nel decreto *super petitione concessionis calicis*, ove rimettendo l' affare al Romano Pontefice soggiunge: *Qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile reipublicae christianae, et salutare petentibus usum calicis, fore iudicaverit*.

4. Tale fu la concessione ai Boemi e Moravi di comunicarsi sotto l' una e l' altra specie, fatta dal Concilio di Basilea, che poi fu rivocata. Tale l' autorità data dai due Pontefici Paolo III e Giulio III ai suoi Nunzii in Germania, di poter concedere l' uso del calice, della quale però essi non si servirono. Tale pure fu la celebre concessione fatta dopo il Concilio di Trento dal Pontefice di Pio IV in cui accordò agli Arcivescovi ed Elettori ecclesiastici di deputare nelle loro provincie sacerdoti cattolici ad amministrare il Sacramento sotto l'una e l' altra specie a que' laici, che ne avessero fatta divota premura, dalla quale concessione non essendosi poi ricavato quell' utile spirituale, che speravasi, non dubitarono i sommi Pontefici S. Pio V e Gregorio XIII di rivocarla: cose tutte, che si ricavano dalle storie della Chiesa, memorate anche da noi nel citato nostro trattato *del Sacrifizio della Messa*, e che involvendo la conversione di nazioni e di popoli, non v' ha dubbio che ridondavano in pro ed utile della cristiana repubblica.

5. Alla categoria altresì dell' utilità della cristiana repubblica si possono ridurre le concessioni fatte ad alcuni principi e principesse, di comunicarsi sotto l' una e l' altra specie; sapendosi quanto al pubblico bene contribuisca il far grazie ai principi, quando ne sono meritevoli, e quando quello, che domandano, non è contrario al ius divino, o naturale: e forse per questi motivi il Pontefice Clemente VI concesse al Re di Francia il poter, ogni volta che voleva, ricevere la santa Eucaristia sotto l'una e l' altra specie; della quale facoltà però non si sono mai i Re cristianissimi serviti, che nel solo giorno, in cui si consagrano, come da noi è stato osservato nel più volte nominato nostro trattato *del Sagrifizio della Messa*; aggiungendo a quanto ivi abbiamo esposto, l' attestazione del Tournely teologo francese, che nella 2 parte del suo trattato *de Eucharistia* alla pag. 68 della stampa di Parigi, parlando di quanto fu stabilito dal Concilio di Trento in questa materia, soggiunge: *intacto tamen laudabili Regum nostrorum usu, qui die, qua inaugurantur, Eucharistiam sub utraque specie percipiunt*: ed ora altresì aggiungendo noi,

che lo stesso Clemente VI forse per gli stessi motivi concesse al primogenito di Filippo VI Re di Francia, ed a Bona sua moglie, come pure alla Regina Giovanna moglie dello stesso Filippo Re di Francia, il ricevere la Comunione sotto l' una e l' altra specie, delle quali concessioni si ritrovano i monumenti appresso il Raynaldi *all' anno di Cristo 1344 e 1345.*

6. Nè dallo stato della pubblica utilità può o deve in veruna maniera sottrarsi la concessione da noi rinnovata agl' Italo–greci di potersi comunicare sotto l' una e l' altra specie in que' luoghi però solamente, ne' quali tal uso è introdotto e vigente, colla condizione però che ammettano e credano quanto si ammette e si crede dai latini in ordine alla Comunione, che si riceve sotto la sola specie del pane, come può vedersi nella nostra Costituzione *Etsi pastoralis,* che è la LVII *nel tom. I del nostro Bollario al § 6, num. 15,* avendo noi creduto, che il tutto si sarebbe sconvolto, se si fosse pensato a sradicare l' antica introdotta consuetudine.

7. Richiedendosi dunque, come sinora si è detto, per causa della dispensa, oltre il profitto del requirente, l' utilità della cristiana repubblica, e concedendosi ancora, che nella dispensa, di cui si tratta, s' involva il motivo della salute dell' anima di chi ne fa premura, giacchè dice di volersi convertire, purchè se le conceda la comunione sotto l' una e l' altra specie, non vi è chi non vegga, che sempre manca l' utilità della repubblica cristiana, il che porta la mancanza della causa per la dispensa, non essendo causa sufficiente la sola privata utilità disgiunta dalla pubblica.

8. Se non c' inganniamo, chiaro è l' esempio di colui che, ridotto in punto di morte, chiede il santissimo Viatico; dubitandosi però con buon fondamento, e forse anche sapendosi di certo, che ricevendolo sotto la specie di pane, non potrà inghiottirlo: cercasi dai teologi, se ad esso possa amministrarsi il Viatico o sotto la specie del vino, o almeno intingendo la specie del pane nella specie del vino consecrato, acciò in questo modo possa cibarsi del santissimo Viatico. Alcuni pochi hanno creduto ciò potersi fare; altri hanno detto potersi intingere il pane nell' acqua o nel vino non consecrato; altri sono arrivati al segno di asserire, che dicendo i medici che il vino o l' acqua potessero essere di nocumento all' ammalato, sarebbesi anche potuto immergere il Viatico nel brodo, porgendolo all' ammalato con un cucchiaro; ma la comune opinione rigetta tutto, non obbligando il precetto di ricevere in punto di morte l' Eucaristia, se non quando questa si può ricevere nelle maniere prescritte dalla Chiesa, che è lo stesso che dire sotto la sola specie del pane. I nomi di questi autori, che così opinano, ed il sentimento de' quali fa la loro sentenza comune, sono da noi riferiti nel più volte allegato trattato nostro *del Sagrifizio della Messa.*

9. Ora si osservi nel caso proposto e risoluto come sopra, che non manca in esso la privata spirituale utilità del requirente, ma che, concorrendo la deficienza dell' utilità della repubblica cristiana, si esclude dai migliori teologi qualsivoglia epicheja, e si sta al rigore della legge, nè v' è fra loro chi ricorra alla presunta volontà del Papa, che, informato del caso, se fosse richiesto, darebbe la dispensa. Nelle materie, nelle quali si concede la dispensa, quando ve ne sia il bisogno preciso ed urgente, e nelle quali basta la sola privata utilità del requirente, non hanno i teologi difficoltà d' insegnare e sostenere, che, non essendovi modo nè tempo di ricorrere al sommo Pontefice, si può, ed anche alle volte si deve, procedere all' atto, ancorchè manchi la pontificia dispensa per altro necessaria, dovendosi credere, che se il Papa ne fosse informato, l' avrebbe accordata. Ciò particolarmente si vede ne' matrimonii, che si contraggono in punto di morte per debito di coscienza, e per legittimare la prole, ancorchè al contratto matrimoniale osti qualche impedimento dirimente, non essendovi tempo allora di ricorrere al Papa per la dispensa, e presumendosi, che, richiesto, l' avrebbe accordata. Somigliante discorso nè si è fatto nè si fa nel caso dell' ammalato, che non può inghiottire il Viatico, che gli si vuol amministrare, secondo il solito, sotto la sola specie di pane; ed il discorso non si fa, sapendosi, che in queste materie il Papa non dispensa pel solo motivo della privata utilità, volendovi accoppiata la pubblica, che nel caso del detto ammalato non si può rinvenire.

10. Restano le cattive conseguenze di sopra accennate, che, dalla richiesta dispensa, quando si concedesse, potrebbero derivare. Sono queste ben avvertite dal celebre Silvio sopra *la terza parte di S. Tommaso, quaest. 80, art. 12, quaesit. 4,* e si riducono ai seguenti capi. Il primo, che chi è stato una volta seguace dell' errore della necessità della Comunione sotto l' una e l' altra specie, dà un giusto fondamento di sospettare, non ostanti le contrarie proteste, che, volendo proseguire di ricevere l' Eucaristia nello stesso modo, ritenga in testa o l' errore già professato, o nel cuore l' affetto al predetto errore. Il secondo, che, essendo impossibile che, praticandosi ancora qualsivoglia cautela, resti occulta la dispensa, o resti occulto l' uso della dispensa, renderassi impossibile l' escludere la iattanza degli eretici, che anderanno disseminando fra i poveri rozzi cattolici, avere finalmente la Sede Apostolica confessato, che essi avevano ed hanno ragione nel punto dell' Eucaristia da amministrarsi sotto l' una e l' altra specie. Il terzo, che non man-

cherebbero fedeli, che domanderebbero la stessa cosa, o credendo esser essa anche buona per loro, o pure, dubitando se sia vero quanto sopra l'articolo è stato loro insino ad ora insegnato. Il quarto, che si aprirebbe una strada alla novità, leverebbe l'uniformità tanto necessaria, e particolarmente in questo augustissimo Sagramento.

11. E così conchiudendo, si esorti la pia e nobile donna a spogliarsi dell'affetto, che le resta verso il Calice, sottoponendosi intieramente ai dettami della S. Romana Cattolica Chiesa, che essa vuol riconoscere per sua pietosissima madre, quale amando i figli, sa molto bene ciò che è buono, e ciò che è cattivo per loro, come in tal proposito discorse eloquentemente nel sacro Concilio di Trento il Villalpandeo teologo di Segovia nella sua celebre orazione stampata appresso l'Arduino nel tom. 10 della sua *Collezione de' Concilii p. 312.*

383

De nonnullis circa Oratoria privata controversiis.

Ex Litt. Ap. Bened. XIV *2 Iunii 1751* (AD EPP. POLON.). Magno cum animi nostri dolore a nobis intellectum est, nonnullas in dioecesibus vestris controversias ac molesta dissidia, propter oratoria privata, insurrexisse; quibus praecidendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis, sed et in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certae vobis regulae indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati oratorii privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut, cum ordinationes vestrae pontificia auctoritate nostra munitae fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum maius semper eisdem honoris atque aestimationis pondus accedat. Licet autem vestrae huiuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de huiusmodi materia doctrina traditur praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum decretis conformis, quam alios etiam, quorum scriptores, dum de privatis oratoriis agunt, ea Sanctae Sedis decreta vel dissimulant, vel ignorant, quae assertionibus eorum omnino opponuntur; nihilominus, cum nos venerabiles personas vestras praecipuo ac speciali affectu prosequamur, per encyclicam hanc epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorumdem decessorum nostrorum, tum nostram hac super re mentem sensusque aperiemus: quibus quidem, praeter obedientiam, quae eisdem debetur, ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid maioris ponderis inest, materiae ipsius nomine, quae eorum obiectum est, quaeque in quaestione versatur; cum omnis huiusmodi res ab apostolicis privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo iure Summis Pontificibus reservata est, cumque eadem praecipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cuius sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet, adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quae in encyclica hac epistola nostra continentur, ordinabitur et statuetur, id pro exequendis Summorum Pontificum praescriptis praestitum esse dicendum sit; cuius rei gratia Apostolicorum Delegatorum qualitatem, et auctoritatem Fraternitatibus Vestris additam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus sit, Nos ipsarum praesentium litterarum tenore vobis ad huiusmodi effectum concedimus et impertimur.

De regulis pro privati oratorii privilegii exercitio.

De oratoriis privatis in Episcoporum aedibus extructis.

1. Nihil sane expositum nobis est, quod ad ea pertineat sacella, quae in episcopalibus palatiis vestris habetis, pro Missa vel per vos, vel per alios celebranda, aliave quapiam sacra functione, quae officii ac dignitatis vestrae propria sit, obeunda; de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hoc a proposito nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetusta sacellorum exempla indicabimus, quae Episcopi in proprio episcopio a publicis ecclesiis distincta ac separata habebant, in quibus sanctum Missae sacrificium celebrabant. Horum primum sacellum est S. Cassii Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius *in Homilia 37 super Evangelia* narrat, quod licet gravi morbo opprimeretur, *in oratorio Episcopii sui Missas fecit,* tam ut propriae, quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Ioannis Eleemosynarii Episcopi Alexandrini, qui, sicut in Actis ipsius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui, Missa nondum peracta, discedebant, quum ipse ad eamdem celebrandam in publicam ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos descendo in sanctam ecclesiam, nam poteram mihimet facere Missas in Episcopio.* Praedictum exemplum legere est apud Thomassinum *de veteri ac nova Ecclesiae disciplina, part 1, lib. 2, cap. 93, num. 6.* Alia exempla in opere *de oratoriis privatis* inscripto *cap. 6* collecta reperiuntur (quod opus novissime a Ioanne Baptista Gattico canonico Lateranensi Romae in lucem editum est) per quae Episcoporum ius circa sacella in propriis episcopalibus palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

2. Huic quidem iuri sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo *sess. 22 de observandis et evitandis in celebratione Missae,* propter multa quae parum decenter fieri identidem contingebant, Episcopis praecepit, ne, saecularibus ac Regularibus, Missam celebrare permitterent *privatis*

in domibus, et extra ecclesias aut oratoria publica, quae divino cultui destinata essent; quod nullam cum cappellis, quae in episcopalibus palatiis sunt, rationem habet, quum haec sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries a Congregatione venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Concilii Tridentini interpretum, in aliquot eiusdem resolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum est, quas nos in nostro *de Sacrificio Missae* tractatu retulimus *sess. 2, § 45 et seq. latinae edit. Patavinae;* Nos enim, tunc etiam cum in minoribus constituti, opus aliquod inscriberemus, illud praecipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanae Curiae Tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a pontificiis oraculis auctoritatis robur accedit.

3. Illud tantummodo de huiusmodi Episcoporum privilegio dici poterat, quod, cum idem ad sacella, quae in episcopiis sita sunt, restringeretur, nullo modo Episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos versarentur, cum visitationem obirent, sive cum iter haberent; adeo ut, cum vel Missam celebrare vel eidem interesse vellent, ad publicas ecclesias se conferre cogerentur, vel a locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret vel Missam celebrari facere, vel ipsi eamdem celebrare, in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

De privilegio altaris portatilis seu viatici Episcopis concesso.

4. Verum rec. mem. praedecessor noster Bonifacius Papa VIII in decretali sua: *Quoniam Episcopi, de Privilegiis, in sexto,* male factum reputans, Episcopos sine rationabili causa Missam quotidie non celebrare, aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam dioecesim altari portatili, seu viatico, uterentur: *Praesenti Constitutione indulgemus iisdem, ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, aut facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel audire divina.* Dignum animadversione verbum est *ubicumque,* quod quidem procul dubio loca etiam, quae extra dioecesim sita sunt, comprehendit.

5. Praecipuam etiam animadversionem dictae Congregationis Concilii resolutiones merentur, cum ad quaesitum eidem propositum, num videlicet Episcopus, qui extra propriam dioecesim est, ad utendum privilegio altaris viatici, petere eius rei veniam ab Episcopo locali teneatur; minime eum teneri respondit; alioquin frustratorium Bonifacii VIII privilegium fuisset: quoniam illius Pontificis aetate antiquum ius in vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a Concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod Episcopi facultatem concedebant Missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congregationi alterum quaesitum propositum fuisset: num privilegio per Bonifacium VIII Episcopis concesso, vel Tridentinum Concilium vel Pontificis Pauli V decretum, de quo pariter mox dicetur, praeiudicium ullum attulissent; nihil pariter privilegio illi detractum fuisse respondit; cum tam in Concilio, quam in citato decreto, sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam iuribus illis expoliati remanserint, quae proprias personas respiciunt, quaeque eorumdem dignitatis atque characteris propria sunt. Praedictae resolutiones a Nobis referuntur in nostro tractatu *de Sacrificio Missae* latinae editionis Patavinae *sect. 2, § 42,* nec non in commentariis bon. mem. Cardinalis Petra ad Constitutiones Apostolicas *tom. 4 super Constitutione 2 Urbani V, num. 15 et seq.,* et a Gattico in recenti eiusdem tractatu *de oratoriis domesticis in tit.* De usu altaris portatilis, *cap. 12, num. 1 et seq.*

6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem maius praeiudicium privilegiis afferre, quam abusum eorumdem; quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu huius privilegii altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, et quod post Concilium Tridentinum, ac Paulinum Decretum illaesum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui, vel intra vel extra dioecesim, ad laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi Missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur Missae, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium privilegium ostentarent, vel ut laicorum petitioni satisfacerent. Cum huiusce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non praetermisit huiusmodi excessum prohibere, eiusdemque abusus corrigendi curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum iurisdictioni subiectis contigisset. In codicibus actorum, seu regestis Congregationis praedictae *lib. 48 decretorum fol. 471* resolutiones ipsae referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a fel. rec. praedecessore nostro Clemente Papa XI die 15 decembris 1703 sequens decretum publicatum fuit, in quo postquam inconveniens expositum fuit, nimirum: *Episcopi etiam in aliena dioecesi extra domum propriae habitationis in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, aut plures e suis capellanis vivificam Christi hostiam immolant;* ad remedium gradus fit: *Ad abusus huiusmodi eliminandos etc. Sanctissimus Dominus noster* etc. *expresse declarat, Episcopis et his maioribus praelatis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in corpore Iuris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriae habi-*

tationis, in domibus laicis, etiam in propria dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum Missae sacrificium celebrare, sive celebrari facere.

7. Magni huius Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur, numquam autem ut recto privilegii usui quidquam detraheretur; et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla et effraenata, cuipiam praebere ansam poterant affirmandi, non licere Episcopis uti privilegio altaris portatilis, tum cum vel dioecesim visitant vel iter faciunt, aut alia iusta de causa extra residentiam sunt, atque in laicorum domibus morantur; illato de huiusmodi re sermone in Congregationibus, quae sub Innocentio XIII, immediato Clementis eiusdem successore, habitae fuerunt quarum Nos tunc in minoribus existentes, a Secretis fuimus, opportunum factu iudicatum est, ut ea, quam mox subiicimus, declaratio fieret, quae postea inserta fuit in eiusdem Innocentii Litteris incipientibus: *Apostolici ministerii,* quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum Regnis bono ecclesiasticae disciplinae regimine condidit, quasque etiam eiusdem successor Benedictus XIII *in forma specifica* confirmavit et, ut in omnibus locis pro regula ac norma haberetur, in Appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter eiusdem Concilii decreta retulit *tit. XV, cap. III* in quo quidem Concilio Nos quoque ad sacrorum Canonum interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apponimus: *Declaramus quod, cum in praedicto Decreto,* de Clementis XI decreto sermo est, *statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis, in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere; huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte, occasione visitationis vel itineris, hospitio excipiantur; ut nec etiam quando Episcopi in casibus a iure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis.*

8. Optimum factu iudicavimus in encyclica hac epistola nostra exponere vobis haec, quae ad Fraternitates Vestras praecipue pertinent, nimirum quantum vobis concessum est quoad sacella seu cappellas, quae in episcopalibus palatiis vestris sunt; quantum item vobis in alienis domibus, et extra vestram dioecesim facere permissum est; causas etiam concessionum ac privilegiorum indicavimus, necnon eorumdem abusus atque abusuum prohibitiones apposuimus; tum ut vos discrimen agnoscatis quod intercedit inter cappellas episcopalium aedium vestrarum, per quas non minus spirituali consolationi et commodo vestro, quam dignitatis vestrae decori providetur, et privata oratoria in domibus laicorum, sive intra sive extra dioecesim vestram, in quibus aliquando vobis, pro praecipuo fine huiusmodi commodi et consolationis vestrae, privilegio altaris erigendi, ac celebrandi vel celebrari faciendi, uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum vos contra abusus privatorum oratoriorum in domibus laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii sitis, quod, alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestrae domi atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum oratoriorum propositum, quae in domibus laicorum sunt, gradum facientes, aliqua praetermittemus.

De oratoriis privatis in domibus laicorum.

9. Primum quidem est, privatorum oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse, cum constet, Apostolos sacra mysteria privatis in domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus *in suis notis ad Canones Trullanos* apposite animadvertit. Alterum autem, privata oratoria in domibus laicorum, subsequentibus etiam saeculis, fuisse, cum persecutiones iam cessassent; cum in Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius *tom. I Musaei Italici* impressum edidit, *Collecta* legatur, quae recitanda erat in Missa quae celebratur *in domo cuiuslibet:* nec ad huiusmodi quidem assumptum aliae deficiunt probationes, quas Nos in Tractatu nostro *de Sacrificio Missae sect. I, § 10* cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis huiusmodi oratoriis privatis in domibus laicorum, seu potius facultatibus Missam in ipsis celebrandi, pluries cogitatum esse. Nihil de Iustiniani Novella 58 dicemus, in qua, ne in domesticis oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil praeterea de Novellis 4 et 15 Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit asserens, adeo tunc privata oratoria multiplicata fuisse, in quibus Missae celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines, in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quae proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quae in dicto Tractatu *de Sacrificio Missae loco superius citato* a Nobis allata fuerunt.

10. Quartum, quod licet fere semper in laicorum domibus privatorum oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus Missa celebrabatur; semper tamen Episcoporum licentia necessaria fuit. Ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant: *Missarum solemnia non ubi-*

que, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus. Verba sunt *Can. Missarum, de Consecr. dist. 1.* Haec autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu fuit in Ecclesia Orientali, ob id potissimum, quod in Ecclesiis graecorum non nisi unicum altare erat, et, postquam una super ipso Missa celebrata esset, altera per eumdem diem celebrari minime poterat. Balsamon *in Commentariis ad Canones Trullanos* testatur, quod, sine ulla alia formula, impertita ab Episcopo censebatur sacerdoti licentia celebrandi Missam in privatis laicorum oratoriis, quoties super mappis ab Episcopo consecratis celebraret.

A Concilio Trid. adempta Episcopis facultas concedendi usum oratorii privati in domibus laicorum.

11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Quum, post varios sermones in sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici Regni gloria, tanto plausu acceptum fuit, opera Cardinalis Osii et Nuncii Commendonii, in magno conventu habito coram Rege Sigismundo Augusto quemadmodum in ipsius Concilii historia per Cardinalem Pallavicinum conscripta *lib. 24, cap. 13* videre est) *in sess. 22* in Decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae,* sequenti modo statutum et ordinatum fuerit: *Neve patiantur,* de Episcopis sermo est, *privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi,* cum adiecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni et consuetudini, *non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque;* ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum oratoriorum privatorum in domibus laicorum, causa in iisdem Missam celebrandi; cum licentia quae ab ipsis daretur celebrandi Missam in oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde praedictum ius ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiae temporum et oratoriorum privatorum in laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque huiusmodi semper fuit conciliaris textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, privativa eiusdem interpres; quaeque etiam a fel. rec. praedecessore nostro Paulo Papa V in epistola encyclica anno 1515 ad omnes Episcopos expedita, approbata fuit; quae quidem epistola tum apud varios auctores, tum etiam in citato Tractatu nostro *de Sacrificio Missae sect. 2, § 42,* impressa reperitur. Et in ea quidem alia quaecumque verborum Concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga Missae sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione aut cautela, non parum fomenti praebebat. Denique in eadem ita concluditur: *Facultatem huiusmodi licentias dandi, ipsius Concilii decreto unicuique ademptam esse, solique beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.*

Leges a S. Sede praescriptae pro oratoriorum privatorum erectione et usu.

12. Postquam ius concedendi oratoria in privatis laicorum domibus Sedi Apostolicae reservatum fuit, dici vix potest, quantum curae ac diligentiae adhibitum sit pro recto eiusdem moderamine. Qua de re in archivo Congregationis Concilii, cuius olim Secretarii munus Nos ipsi, antequam ad maiores dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiuntur. Haec tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis litterarum in forma Brevis, quae conceduntur, colligere licet: Oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens et apte compositum sit, et num aliquid eorum quae necessaria sunt in eodem desit; ut Episcopus sit, qui celebrandi Missam licentiam impertiatur, et quod licentiam huiusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum Missa in oratorio celebretur; et quod haec Missa celebretur a sacerdote vel saeculari vel regulari, dummodo saecularis ab. Episcopo approbatus sit, regularis autem licentiam habeat a suo regulari superiore; ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, et aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniae et Ascensionis Domini, Annunciationis et Assumptionis B. Mariae Virginis, omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Titularis ecclesiae loci. Exprimuntur personae, quarum praesentia necessaria est, ut in privato oratorio Missa celebrari possit; aliae item, quae, dum supradictis praesentibus Missa celebratur, eidem interesse possunt, et ecclesiastico praecepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine parochialium iurium praeiudicio fieri debere.

13. Atque haec sunt, quae in consuetis privatorum oratoriorum Brevibus continentur. Quaedam vero alia expediri contingit Brevia, quae extraordinaria sunt; ut quum, exempli gratia, iustis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam Missam celebrari facere possit, vel ut eadem aliquanto citius, aut aliquanto serius eo temporis limite seu termino celebretur qui in rubricis praefixus est; vel etiam in diebus exceptis, et alia huiusmodi. Cum autem interdum tam circa Brevia privatorum oratoriorum

prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus, controversiae exortae sint; Apostolica Sedes per huiusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non praetermisit.

Variae circa indulta pro oratoriis privatis notiones.

14. In ordinariis Brevibus, ut plurimum duobus coniugibus licentia conceditur faciendi ut in privato oratorio Missa celebretur; exprimiturque, ut Missa celebrari possit tum iisdem praesentibus, tum eorum filiis, consanguineis, atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Nunquam exorta difficultas est, an, cum aut vir aut uxor Missae intersunt, si consanguinei et affines, qui in eadem domo habitant, praesentes pariter adsint, ecclesiastico praecepto diebus festis satisfaciant; id tanquam tutum ac Brevis litterae cohaerens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut dispiceretur num, cum neuter coniugum adsit, sed unus ex consanguineis aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo iubente in privato oratorio Missa celebrari; et num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei et affines, eamdem audientes festo die, ecclesiastico praecepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem divisae de more auctorum opiniones erant; verum cum huiusce difficultatis punctum in Congregatione Concilii *die 3 decembris 1740* in causa, cuius inscriptio erat *Marsicen. Oratorii,* propositum ac discussum esset, decisum fuit, non posse in privato oratorio Missam celebrari, nisi indultariorum praesentia ibidem haberetur; quod idem est ac si dicatur, viri vel uxoris, ad quos Breve directum erat; quemadmodum *in tom. 9.* Resolutionum Concilii *anni 1740 ad pag. 89 et seq.* videre est.

15. Cum autem decreti huiusce facta nobis relatio esset, idem per Nos *sub die 7 ianuarii 1741* confirmatum fuit; ac praeterea demandatum, ut in huiusmodi Brevibus, in quibus certis quibusdam ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato oratorio Missam celebrari facere possint, quae Missa pro filiis, consanguineis et affinibus valeat, maioris claritatis gratia, subiecta clausula adiungatur: *Volumus autem, quod nati, ac consanguinei, et affines praedicti unicam dictam Missam, vobis quidem praesentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant.* Ut autem quae indultariae personae sint, facile agnosci posset, sine quarum praesentia Missa celebrari non potest, neque, qui eamdem audit, praecepto satisfacit; adiunximus, ut pro indultariis personis illae haberentur, quae in fronte seu inscriptione Brevis nominatae forent, cum ad easdem ipsas Breve dirigatur.

16. Nos ab huiusmodi norma minime recedimus: verum, quia aliqua interdum in corpore Brevis persona nominatur, qua praesente, conceditur, ut Missa celebrari possit, et quod alii affines, consanguinei, vel familiares, eamdem audientes, praecepto satisfaciant, etiamsi praedicta persona in fronte Brevis minime nominetur, hinc est, quod firma semper ea regula manente, ut possit in privato oratorio Missa celebrari, dum aliqua ex indultariis personis adsistit, quae in fronte seu inscriptione Brevis nominatur; dicimus, posse Missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum praesens adsit, quae in fronte seu inscriptione Brevis nominatur, dummodo illa praesens sit, cui in Brevis corpore nominatim et expresse facultas tribuitur, ut possit in privato oratorio, tum cum ipsa adsistat, facere ut Missa celebretur.

17. Atque, ut res exemplo magis pateat: Datur viro et uxori facultas faciendi, ut in privato oratorio Missa celebretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem vir superstitem habet matrem; haec vero in fronte seu inscriptione Brevis minime nominatur; verum, cum in Brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque mater eamdem Missam celebrari facere possit et valeat, id sufficiens est, ut, sola matris praesentia adhibita, Missa in oratorio celebrari possit, etiamsi mater in fronte seu inscriptione Brevis nominata non sit. Quae hactenus dicta sunt, in huiusmodi generis Brevibus indicantur; verum curae nobis erit, ut in posterum felicius etiam et sine ulla confusione exprimantur.

18. In consuetis sive ordinariis Brevibus solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet sacerdote Missae celebrantur. Interdum illi, qui privati oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur, in quo eidem, valetudinis causa, Missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in huiusmodi Brevibus de unica tantum Missa sermo sit, orta difficultas fuit, num possent die Natalitio a sacerdote qui in ipso celebrabat, tres Missae celebrari: de quo, cum Nos eo tempore, quo Concilii eiusdem a Secretis eramus, peculiarem dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus *sub die 13 ianuarii anno 1725,* resolutum a Congregatione fuit, quod a sacerdote tres Missae celebrari possent, quemadmodum *tom. 3.* Thesauri Resolutionum, *p. 109 etc. et pag. 116* videre est.

De sacris functionibus in oratoriis quae in domibus privatorum sunt:

19. Reliquum est, ut de sacris functionibus dicatur, quae in iis oratoriis fieri possunt, quae in domibus privatorum sunt, et in quibus non plures, quam unicam tantum Missam, celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod ad Baptismatis sacramentum attinet, iam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri posset, praeterquam in ecclesiis, in quibus sacri huius lavacri fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset,

1. Quoad administrationem sacramenti Baptismatis.

aut cum de regum vel principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica *de Baptismo et eius effectu,* videre est.

2. Quoad sacramentum Poenitentiae.

20. Quod autem sacramentum Poenitentiae respicit, iam in Rituali Romano sub titulo *de Sacr. Poenitentiae,* cum de sacerdote sermo sit, qui confessiones audit, statutum fuit: *In ecclesia, non autem in privatis aedibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco praestare.* Rituale a Pontifice Paulo V confirmatum fuit. Et magnus ecclesiasticae disciplinae instaurator Sanctus Carolus Borromaeus, tum in instructione Sacramenti Poenitentiae, tum in monitis ad confessarios, atque in primo suo provinciali Mediolanensi Concilio, id inculcare non praetermisit, quemadmodum in Actis Ecclesiae Mediolanensis, editionis civitatis eiusdem *part. 1, pag. 11; part. 4, pag. 520; eadem part. 4, pag. 761 et 773,* videre est; *pag.* autem *775,* superioribus regularium inculcat, ut id a subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a praedictis confessariis regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique confessiones fidelium, quam sibi ea ratione asserebant, quod in Pontificis Clementis X Bulla *Superna* nulla loci limitatio fieret; idem ipse Pontifex declaravit, *nullam facultatem* (in praedicta Constitutione sua) *fuisse tributam Regularibus audiendi confessiones sacramentales in privatis domibus ac proinde minime licere eisdem Regularibus cuiusvis Ordinis etc. Sacramentum Poenitentiae administrare in domibus privatis extra casus a iure permissos.* Quod decretum cum Praesulis Fagnani subscriptione editum variis in locis impressum est; ut in Appendice ad Synodum Fulginatensem, quae a bon. mem. Iosaphat Baptistelli civitatis eiusdem Episcopo anno 1722 celebrata fuit.

3. Quoad Communionem paschalem.

21. Quod pertinet ad Communionem Paschalem, quae ab unoquoque catholico Paschatis tempore recipienda est, ex praescripto tum decreti Concilii Lateranensis *in cap. Omnis utriusque sexus, De poenitentiis, et remissionibus,* tum Concilii Tridentini *sess. 13, cap. 8, can. 9,* nemo est, qui ignoret, praeceptum hoc in propria parochiali ecclesia adimplendum esse, aut in alia ecclesia cum proprii Episcopi vel parochi licentia, secundum varias dioecesum consuetudines. Porro fel. rec. praedecessor Noster Paulus Papa IV Fratribus Minoribus privilegium concessit, ut sacram Eucharistiam omnibus christifidelibus in eorum ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis; atque hoc privilegium a sanctae mem. altero praedecessore Pio Papa V *per communicationem,* ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.

22. Verum, quia, secundum praecedentem Eugenii IV Constitutionem, paschale tempus, intra quod communionis praeceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum Regularibus foret intra praescriptum eorumdem dierum terminum sacram Eucharistiam fidelibus in eorum ecclesiis distribuere; resolutum fuit: die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra Sanctiorem Hebdomadam paschali praecepto in propria parochiali ecclesia satisfecissent; posse quidem Regulares aliis paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut Communione refecti scirent, non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria parochiali ecclesia Communionem recipere deberent. Illustria Congregationis Concilii decreta sunt quibusdam in causis, Senonensi videlicet, Burdigalensi et Mechliniensi, quae a Nobis in nostro *de Synodo Dioecesana* tractatu *lib. 7, cap. 42, num. 3* relata sunt.

4. Quoad Communionem non paschalem.

23. Extra Paschalem vero Communionem, cum in sacro Tridentino Concilio, *sess. 22, cap. 6, de Sacrificio Missae,* quae subiicimus verba leguntur: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quod ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior perveniret,* non defuit qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe et clare inde consequatur, ut in privatis oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui Missae praesentes adsunt; neque ad hoc praestandum ullo particulari indulto opus sit. Super huiusmodi quaestionis capite Nos *in nostra Institut. 34, § 3,* disseruimus, inter eas, quas tum, cum Bononiae resideremus, Ecclesiae illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem institutiones cum italico sermone edidissemus, postea Romae latine redditae atque impressae sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subiunximus, quae Episcopi licentiam requirit, ut qui domesticum oratorium domi habet, dum Missae in eodem interest, communicare possit. Huiusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum romanae etiam consuetudini, sive praxi, cohaerens nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in privato oratorio recipi communio posset ab iis, qui in eodem Missae intersunt, quam vel saecularis sacerdos, vel sacerdos regularis celebraret, nisi vel nostram, vel generalis Vicarii nostri licentiam obtinuisset.

24. Neque etiam in praesens voluntas Nobis aut ratio est, cur ab hoc systemate recedamus. Siquidem, cum nos in magna illa controversia, super Communione illis distribuenda, qui Missae praesentes cum sint, eamdem petunt, quae aliquot ab hinc annis in Italia exorta fuit, post-

quam Tridentini Concilii verba retulissemus, atque eorum zelum commendassemus, qui inter sanctae Missae celebrationem Communionem recipiunt; ecclesiasticos quoque pastores excitavissemus, ne Eucharistico cibo illos fraudarent, qui eiusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, eiusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis vel loci ratione Episcoporum prudentia opportunum factu existimet, sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missae interfuit, minime distribui; eo magis quod, iuxta praesentis temporis disciplinam libera eidem facultas pateat, ut eamdem alio loco atque alio tempore recipere possit; ordinavimus, ut in hoc debita proprii superioris praecepto obedientia praestari deberet; cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium praebuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad altaris Sacramentum recipiendum; quemadmodum in litteris nostris, quarum initium est *Certiores effecti,* et quae in Bullario nostro *t. 1, n. 64* leguntur, videre est.

Conclusio. 25. Atque haec sunt, Venerabiles Fratres, quaecumque in encyclica hac epistola nostra vobis exponere opportunum existimavimus, a quo quidem satis intelligetis, quod legendis et considerandis Apostolicis Litteris concessionum oratorii, decessorum nostrorum decretis, harum congregationum resolutionibus, quae a nobis etiam in praesentia confirmata sunt, nullus amplius litibus et controversiis locus reliquus sit.

384

De quadam processione catholicorum cum schismaticis.

S. C. S. Officii *24 Februarii 1752.* — In Congreg. Generali *etc.* coram SSmo D. N. Benedicto div. prov. PP. XIV ac Emis *etc.* proposita fuerunt, loco casus, nonnulla dubia a S. C. de Propaganda Fide ad S. Officium remissa, et exposita per R. P. D. Archiep. Antibarensem circa quamdam processionem, quae in eius dioecesi fieri solet in die solemnitatis Corporis Christi a catholicis unitim cum graecis schismaticis, et defensam in scriptis pro licita a quodam parocho Nicolao Giorga, cuius opinionem ipse Archiepiscopus reprobavit; nec non votum P. Bianchi Ordinis Min. Observ. Consultoris S. Officii super discussione eorumdem dubiorum efformatum. SSmus D. N. PP. praedictus, antequam DD. Consultores ab aula discederent, cum assueta sua amplissima eruditione ac profunda doctrina, in casu proposito docuit, Romanam Sedem, statutis a se legibus, atque consuetudinibus ita inhaerere, ut ab illis numquam abduci patiatur, nec a contraria quidem aliquorum doctorum opinione. Quamobrem, etiamsi theologorum plerique tueantur matrimonium ratum non consummatum esse de iure divino indissolubile, quia tamen canonicae leges et ecclesiastica consuetudo stant in oppositum, propterea Rom. Pontifex in quibusdam casibus ita devenire potest ad matrimonii rati non consummati dissolutionem, ut si quis theologorum assereret, non convenire Romano Pontifici hanc potestatem, redargui utique de audacia mereretur.

Dissertatio Benedicti PP. XIV.

De communicatione in divinis: 1. cum excommunicatis.

Ad negocium deinde communicationis in divinis cum excommunicatis descendens, docuit Romanam Sedem hunc perpetuo morem servasse, ut nimirum, praeter publicos clericorum percussores, non alios iudicaret vitandos, quam quos tales, idest excommunicatos, post legitimum iudicium sententia publica declarasset. Hinc SSmus sermonem instituit de celebri interdicto Siciliae, quo vigente non deerant in Urbe qui contenderent et instarent, ut nonnulli violatores Interdicti declararentur excommunicati. Pro hac declaratione instabant quidem, et urgebat etiam pro eadem re R. P. D. Tedeschi. Verum Romana ista Sedes tunc solum ad id devenit, quando ex actis legitime super hoc negotio confectis, vere constitit quinam fuissent interdicti violatores *etc.*

2. cum haereticis.

Addidit praeterea communicationem in divinis cum haereticis non posse, nec debere tam facile ac tam generaliter pronunciari in omni penitus circumstantia de iure vetitam: idque constare docuit in matrimoniis catholicum inter ac haereticum initis; idipsum demonstrari potuisse per pontificias illas Constitutiones, per quas haeretici ad Tridentinum Concilium, data incolumitatis fideiussione, invitati fuere. Ac demum animadversione dignum esse, quod sacerdotibus catholicis mandatur, ut a divinis non cessent si haeretici etiam notorii ad ecclesias se conferant; ex quibus passiva in divinis communicatio permissa dignoscitur contra sententiam Fagnani, qui in hoc erravit.

Quod pertinet ad Constit. Martini V. *Ad evitanda* dixit non obstare quod in actis Concilii Constantiensis non reperiatur: neque enim negare possumus Martinum V rogatum fuisse, ut saltem ad quinquennium eam conderet: et quod ipse Pontifex eam promulgare voluit absque ulla prorsus limitatione temporis. Addidit praefatam Constitutionem inter decretales modo recenseri: nec mirari quisquam debet, supposita quandoque legem adoptari, tum maxime, cum reperta fuerit proficua, rationi consona, et ecclesiasticae disciplinae conformis; monuit propterea omnes, ad quos suffragium, seu votum facere pertinet, ut in scribendo moderatae criticae leges non praetergrediantur.

De graecis Episcoporum latinorum iurisdictioni subiectis.

Descendit postremo SSmus ad sermonem super graecis, ac mirabili eloquentia docuit, quod ubi Galli atque Veneti Constantinopolim parta victoria occuparunt, Innocentius III non sapientia minus quam sagacitate et dexteritate clarus, statim de Patriarcha latino voluit providere, inaugurato Morosino. Ex tunc graeci omnes Episcopis latinis parebant, et res erant non modo pacatiores, sed etiam puritati reli-

gionis propinquiores. Excrescentibus interim supra latinos graecis, postularunt isti peculiarem suae gentis habere Pastorem, sive Episcopum. Pius II, ac Leo X graecorum votis annuerunt; et ex tunc, sublato iugo erectaque cervice, schisma fovere audacter coeperunt; et divini cultus puritas maculari coepit ac foedari. Adesse voluit, ac mederi hisce malis Pius IV, graecos ad tramites ab Innocentio III praefixos revocando: sed graeci Pii II, ac Leonis X constitutionibus freti, Pium IV detrectarunt audire. Ubi ergo proprios Episcopos licuit graecis habere, ex tunc factum est, ut in locis dominio praesertim Veneto subditis, et Episcopus latinus, et Episcopus graecus schismaticus reperiantur. Inter ipsos non modo civilis, sed etiam in divinis conversatio, sive communicatio inducta est. Qua de re memoravit celebrem processionem Corcyri fieri solitam in solemnitate Corporis Christi, in qua graeci ac latini bini incedunt, dexteram istis, laevam illis manum tenentibus, ac postremo hinc ad dexteram Archiepiscopus latinus, inde ad laevam Episcopus graecus incedit. Solemnis iste ac permixtus incessus displicuit R. P. D. Quirino, quo tempore Corcyrensi praeerat Ecclesiae, utque rem sub oculos Romani Pontificis poneret, in tabula publicam mox descriptam supplicationem depictam Romam misit, quae diu in Quirinali Palatio servata est, nunc in Arce Castri Gandulphi aptiorem locum occupat. Hinc petiit, ut Romana Sedes solemnem hanc supplicationem inhiberet. Verum responsum illi fuit, quod si ex hac prohibitione damna, turbationes, et alia mala prudenter timeri potuissent, tolerari potius, quam inhiberi posset. Hinc SSmus iterum deduxit, hanc cum schismaticis communicationem non posse omnino, et in omni eventu conclamari prorsus illicitam. Exinde vero dimissis consultoribus, et auditis votis Emorum decrevit scribendum ad Archiepiscopum Antibarensem cum laude omnium a se gestorum pro impedienda communicatione schismaticorum cum catholicis in solemni processione SSmi Corporis Christi, cum talis communicatio sit in divinis, et proinde de genere prohibitorum; quod idcirco inhibeat parocho Nicolao Giorga etiam sub poena privationis parochiae in casu inobedientiae, ne audeat schismaticos admittere in relata processione. Quatenus vero ab huiusmodi provisionibus rite capiendis oriri possent gravissima scandala, et eiusdemmet Archiepiscopi perturbationes, ac persecutiones in eius persona, et forsan etiam, quod absit, expulsio, pro sui arbitrio et prudentia se gerat, ac dissimulet, ad peiora mala vitanda.

A processione, de qua nunc agitur, schismatici excludendi.

385

Instr. S. C. de Prop. Fide *1753* (AD VIC. AP. TUNKINI ORIENT.) — I dubbî proposti da V. S. a nome di tutti i missionarî di cotesto Regno sopra alcuni impedimenti del matrimonio stabiliti dalle leggi e dalle consuetudini del medesimo Regno, essendo stati esaminati, e discussi nella Sagra Congregazione del S. Offizio, ella è stata di sentimento, in quanto al primo, non essere spediente entrare nella discussione, o risoluzione del fatto, cioè se la ceremonia *Cheo Lang* sia o no necessaria secondo le leggi e le consuetudini di coteste regioni alla validità del matrimonio, cosicchè la mancanza di essa costituisca o no impedimento dirimente appresso cotesti popoli, ma lasciando da parte questo dubbio di fatto, e considerando, che qualunque sia la potestà de' Principi infedeli nello stabilire tal sorta d' impedimenti ne' matrimonî de' loro sudditi infedeli, come contratti civili, non possono i Principi laici, molto meno infedeli, costituire impedimenti dirimenti ne' matrimonî cristiani, i quali vestono le ragioni di Sagramento, ma lo stabilire gli impedimenti dirimenti appartiene unicamente all'autorità della Chiesa, cui privativamente spetta giudicare dell' idonea materia del Sagramento, la quale nel matrimonio è il contratto; non può approvare, nè tollerare, che la detta ceremonia sia considerata da' fedeli come necessaria alla validità del matrimonio cristiano, e che la mancanza di essa si abbia da loro come impedimento dirimente, ma nulladimeno per non esporre i matrimonî de' fedeli contratti secondo il rito della Chiesa al pericolo di esser violentemente disciolti dai giudici e magistrati gentili per lo difetto della ceremonia *Cheo Lang,* ordina a V. S., che avverta i missionarî parrochi, che nelle occorrenze, che i cristiani voglian contrarre matrimonio, prima di contrarlo legittimamente dinanzi al parroco o sacerdote missionario, facciano loro adempiere la detta ceremonia, con ammonirli però, non essere questa necessaria al valore del matrimonio. Ma l' adempimento di essa essere spediente a schivare le odiosità de' gentili con accomodarsi alle loro leggi civili. Ma nel caso che il matrimonio fosse stato legittimamente contratto secondo il rito della Chiesa senza la riferita ceremonia, dovranno avvertire i coniugi che la mancanza di quella non rende loro lecito sciorre il matrimonio, e passare ad altre nozze; che anzi le seconde nozze vivente l' uno de' coniugi sono nulle e adulterine.

Praefata caeremonia nil officit validitati matrimonii christiani.

In quanto al secondo dubbio, per le medesime ragioni, non può approvare, o tollerare, che ne' matrimonî cristiani l' impedimento della consanguinità in linea laterale ne' consanguinei discendenti dai maschi si stenda fino al decimo grado; ma avendo la Chiesa nel Concilio Lateranense per gravissime ragioni, ristretto questo impedimento tanto ne' consanguinei procedenti da maschi, quanto ne' consanguinei propagati per femmine sino al quarto, vuole, che

Reprobatur extensio impedimenti consanguinitatis usque ad decimum gradum.

De caeremonia *Cheo-Lang* in nuptiarum celebratione.

in questi gradi solamente, e non altro, tanto negli agnati, come ne' cognati abbia luogo nei matrimonî de' fedeli l'impedimento dirimente della consanguinità. Ma nulladimeno, se comodamente, e senza pericolo dell'anima possono i cristiani astenersi dal contrar matrimonio con quelli, che per via di maschi son loro lateralmente consanguinei dentro il decimo grado, potranno astenersene non perchè sia loro vietato il contrar con questi matrimonio, ma perchè accomodandosi ai costumi di quel Regno non recheranno ammirazione a que' popoli gentili. Ma debbono però avvertire i cristiani, che in qualunque grado di consanguinità dopo il quarto, e dentro il decimo contraggono le nozze coi consanguinei propagati per maschi, il matrimonio è valido; siccome il matrimonio tra consanguinei propagati per femmine non è valido sino al quarto grado.

De impedimento matrim. ex luctu ob propinquorum mortem.

In quanto al terzo dubbio riguardante l'impedimento del lutto, cioè la proibizione di cotesti Regni di contrar nozze nel tempo determinato per la morte de' genitori, de' mariti, de' fratelli e di altri propinqui, non può approvare, che questo tempo serva d'impedimento dirimente alle nozze de' cristiani; contuttociò per non scandalizzare i gentili, e far loro credere, che i cristiani mancassero al debito della natural pietà e gratitudine verso i genitori, i fratelli e altri propinqui, potranno i missionarî prescrivere a que' cristiani un tempo discreto per questo lutto rispettivamente secondo i gradi di propinquità, che aveano coi defunti, ed in questo tempo esortarli ad astenersi dalle nozze, le quali nulladimeno contratte dentro questo tempo non sarebbero nulle. Quando però in questo lutto intervenisse qualche superstizione di cotesti popoli gentili verso i loro defunti, per la quale nel tempo di esso venissero interdette le nozze, non dovrebbe tal lutto, nè il tempo per quello prescritto in alcuna maniera osservarsi dai cristiani. Questi sono i sentimenti, e le risoluzioni della Sagra Congreg. del S. Offizio, le quali V. S. dovrà esser contenta di parteciparle non solamente ai missionarî del suo vicariato, ma anche a Monsignor Vic. del Tonkino Occidentale, acciocchè da quello similmente siano comunicate ai missionarî del suo distretto.

386

Circa illicitos ethnicorum ritus erga defunctos.

Instr. S. C. de Prop. Fide *14 Ian. 1753* (ad Vic. Ap. Tunk. Orient.) — I dubbî proposti da V. S. concernenti le *Permissioni Alessandrine* colle risposte dei missionarî di cotesto suo Vicariato essendo stati letti e considerati da questa Sagra Congregazione, è restata essa maravigliata, che dopo la chiarissima disposizione della Costituzione di Nostro Signore Benedetto XIV *Ex quo singulari,* dalla quale credeva essere stata affatto tolta e troncata ogni occasione di dubbio o di contesa sopra i riti di cotesti popoli gentili verso i loro progenitori defunti, o contenuti nelle condannate permissioni di Monsignor Patriarca Alessandrino, o riferibili alle medesime, siensi nondimeno eccitati costà nuovi dubbî, e quello, che più importa, siensi proposte risoluzioni affatto contrarie allo spirito della medesima Costituzione. Per la qual cosa questa Sagra Congregazione coll'approvazione di Nostro Signore ha stimata cosa necessaria senza rispondere a tutti i dubbî in particolare, (cosa che potrebbe somministrare occasione agli spiriti inquieti d'eccitar nuovi dubbî sopra le risoluzioni, che si dessero), dichiarare a V. S. ed a cotesti missionarî la mente espressa della S. Sede Apostolica, acciocchè questa dichiarazione serva di regola per la retta intelligenza ed osservanza delle Costituzioni Apostoliche emanate sopra gli accennati riti.

Fa dunque intendere a V. S., ed a tutti cotesti missionarî del Tunkino essere stata sempre mente della Sede Apostolica, e tuttavia essere, che gli operai evangelici armati di zelo e di vigore apostolico adoperino tutte le forze per sradicare affatto dai novelli cristiani tutti i riti e le ceremonie di cotesti popoli infedeli verso i defunti progenitori. Non aver essa mai tollerato, nè tollerare al presente sotto nome di culto civile alcun atto in ispecie di quei riti e di quegli ossequî, o contenuti nelle condannate permissioni, o inducibili alle medesime, i quali sono usati da cotesti popoli gentili verso i defunti. Tutto quello che si prattica da cotesti gentili in culto dei loro progenitori e propinqui defunti, a riserba degli officî della naturale pietà consistenti nel sotterrare o collocar ne' sepolcri i loro corpi, o degli ossequî civili consistenti nel ritenere a memoria della posterità le loro immagini, e le insegne dei magistrati civili che eseguirono vivendo, e nello spiegare in epigrafi domestiche o pubbliche le loro gesta e i loro ufficî, debba tenersi come superstizioso, o per lo meno come gravemente sospetto di superstizione, e per conseguenza in nessuna maniera pratticabile dai cristiani. Esser nientedimeno lecito ai cristiani verso i fedeli defunti usare tutti quegli ossequi e quelle ceremonie, che secondo il costume e il rito della Chiesa Cattolica sogliono dai cristiani pratticarsi verso i defunti trapassati nella comunione della stessa Chiesa. Nessuno però di questi cattolici riti potersi pratticar dai cristiani verso i defunti gentili. Nei funerali dei fedeli defunti non doversi ammettere i gentili, acciocchè non credano, che da noi sia dato quel culto ai nostri morti, chè essi prestano ai loro defonti, e se comodamente non si possano escludere, debbansi quelli istruire qual sia la pietà della Chiesa verso l'anime de' morti. Richie-

Quid attendendum in fidelium defunctorum exequiis.

dere la stessa Sede Apostolica da tutti i missionarî l'esattissima osservanza in tutto, e per tutto alla Costituzione *Ex quo singulari,* così che non voglia tollerare alcuna cosa, la quale, o si contenga nelle condannate permissioni, o a quelle sia riferibile. Finalmente questo essere lo spirito delle Costituzioni Apostoliche emanate sopra i riti chinesi, al quale spirito debbono i missionarî conformarsi come regola della loro condotta nella guida di cotesti novelli cristiani.

De prohibitione rituum superstitiosorum inscios poenitentes confessarii admonere omnino debent.

Ma in quanto alla controversia insorta tra i missionarî di cotesti Regni, se debba il confessore ammonire e istruire i penitenti, che ignorano invincibilmente la proibizione d'alcuni riti superstiziosi, o la condannazione delle Permissioni Alessandrine, quando prevede, che ammoniti ed istruiti non saranno per emendarsi e continueranno negli atti superstiziosi, oppure debba lasciargli nella loro buona fede; considerando la Santità di Nostro Signore che l'abbandonare cotali ignoranti nella loro ignoranza circa i casi, di cui si tratta, non solo è un chiuder la porta all'osservanza uniforme delle costituzioni Apostoliche in tutti cotesti cristiani, ed un eludere le premure della Santa Sede, che sieno notificate a tutti i cristiani le sue dichiarazioni circa detti riti; ma che in oltre il pretermetter quest'istruzione ritorna in grave scandalo de' gentili, e in pregiudizio pubblico del nome cristiano in cotesti Regni: perciò dichiara che sebbene in alcuni casi, dove non si tratta dell'ignoranza dei primi principî della nostra santa fede, o delle cose, che son necessarie a sapersi da tutti per conseguimento dell'eterna salute, ma dell'ignoranza di altre cose, la cui scienza non appartiene ai principî della nostra santa religione, e dove il lasciare nella loro invincibile ignoranza i penitenti non apporta scandalo, nè reca pubblico danno, anzi giova per ovviare a qualche scandalo, possano i confessori pretermettere l'istruzione di cotali penitenti ignoranti, quando prevedono, che non sia per apportar alcun frutto la loro ammonizione; contuttociò nel caso presente non può aver luogo questa dottrina, trattandosi d'ignoranza riguardante il primo precetto del decalogo circa il culto d'un solo Dio, al qual culto s'oppone ogni atto di superstizione tendente all'idolatria, e trattandosi inoltre di permettere una prattica contraria alla purità della religione, e difforme dagli altri cristiani con scandalo degli infedeli, e che perciò debbano i confessori, o i missionarî ammonire e istruire non solamente i penitenti, ma chiunque altro cristiano, che ignori invincibilmente la proibizione dei riti superstiziosi, e la condannazione delle Permissioni Alessandrine, ancorchè non sperino frutto dall'ammonizione; mentre l'istruire cotali ignoranti è un debito dell'ufficio degli operai evangelici ingiunto ad essi dalle stesse costituzioni Apostoliche, che proibiscono l'uso delle dette permissioni; e il non riportar frutto dalle ammonizioni deriva unicamente dalla colpevole pusillanimità di tali cristiani, i quali da nessun timore di danno temporale possano essere scusati dall'uso degli atti superstiziosi. Doverà pertanto V. S. notificare a Monsig. Vicario Apostolico del Tunkino Occidentale questa dichiarazione della S. Congr. acciocchè la notifichi ai missionarî del suo Vicariato, affinchè tutti si uniscano a stabilire una prattica conforme in tutti i cristiani.

Nefas christianis gentilium conviviis ob defunctorum memoriam interesse.

Così in quanto al dubbio singolare, se possano i cristiani per causa urgente intervenire ai conviti, che si fanno dai gentili in occasione di celebrar le memorie dei loro defunti dopo i sagrificî, e l'oblazione dei cibi fatta ai defunti medesimi, e mangiare insieme coi gentili anche i cibi offeriti, non intervenendo però essi cristiani nè a' sagrificî, nè all'oblazioni: La Sacra Congregazione considerando che i sagrificî, le oblazioni, e i conviti, in cui i gentili onorano le memorie de' loro defunti si fanno da essi per modo d'una stessa azione mangiando in essi conviti anche i cibi offeriti, e che perciò tali conviti hanno una necessaria relazione alle offerte superstiziose, non può tollerare, che i cristiani per qualunque urgente causa intervengano agli accennati conviti, per non confermare colla loro presenza gl'infedeli nella loro falsa credenza, e nei riti superstiziosi verso i defunti. Ordina perciò, ed incarica a V. S. ed al Vic. Apostolico del Tunkino Occidentale e missionarî di cotesto Regno che onninamente proibiscano ai cristiani rispettivamente soggetti alla loro cura l'intervenire ai detti conviti. Doverà pertanto V. S. notificare al sopradetto Vicario Apostolico queste determinazioni della Santità Sua, non dubitando essa punto, che tanto V. S., quanto i missionarî coopereranno col loro zelo alle sue sante intenzioni, per render pura e incontaminata da ogni macchia di superstizione codesta novella cristianità, attendendo più allo spirito della Santa Sede manifestato nelle Costituzioni Apostoliche, che alle vane sottigliezze di alcuni, che vorrebbono oscurarne l'intelligenza, e deluderne l'esatta e semplice osservanza. — *Die 14 Ianuar. ann. 1753 Sanctissimus* (Bened. XIV) *Instructionem hanc approbavit.*

387

Consulitur regimini Vicariatuum, obitu Vicarii Ap. vacantium.

Litt. Ap. Bened. PP. XIV *26 Ian. 1753* (ad Vicarios Apost. Indiarum Orientalium). — Ex sublimi hac Sacrosancti Apostolatus specula, in qua per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praesidemus, impositam imbecillitati nostrae omnium Ecclesiarum solicitudinem, et omnium animarum Iesu Christi Sanguine redemptarum procurationem assidue cogitantes advigilare ac providere

adnitimur, ut opportunas apostolicae charitatis potestatisque nostrae partes in regionibus praesertim et provinciis ab Europa tam longe dissitis, quoad Nobis integrum est, desiderari minime patiamur. Quoniam autem non sine gravissima Pontificii animi nostri molestia accepimus saepe accidisse aliquem scilicet ex Vobis Venerabiles Fratres, istarum Indiarum Orientalium Apostolicis Vicariis, Episcopali titulo et charactere insignitum, sed sine Coadiutore cum futura successione viam universae carnis ingressum ad repositam in Coelis coronam apostolicis laboribus paratam evolasse, ac neminem qui ordinariam pro defuncto Vicario Apostolico iurisdictionem exerceret, repertum aut deputatum fuisse: hinc est, quod omnibus et singulis Vicariis Apostolicis huiusmodi iniungimus et mandamus, ut qui neque Episcopum Coadiutorem cum futura successione, neque Vicarium ex clero sive saeculari, sive regulari Generalem habent, statim atque ad unumquemque eorum praesentium nostrarum litterarum certa notitia pervenerit, deputent Vicarium ex clero sive saeculari, sive regulari Generalem, habilem tamen atque idoneum, qui eveniente cuiusvis Apostolici Vicarii sine Coadiutore cum futura successione obitu, tanquam Apostolicae huius Sanctae Sedis Delegatus teneatur assumere et obire regimen et gubernium Apostolici Vicariatus usque ad captam eiusdem Vicariatus Apostolici huiusmodi possessionem a novo Vicario Apostolico, quem eadem haec Sancta Sedes constituerit, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsa Sancta Sede ineundam ordinationem. Porro Vicario Generali huiusmodi per Apostolicum quemque Vicarium sibi, ut praemittitur, deputando Nos earumdem praesentium tenore nunc pro tunc Apostolica auctoritate nostra concedimus et tribuimus omnes et singulas facultates perpetuis futuris temporibus valituras, quae Vicariis Capitularibus cuiusvis Cathedralis Ecclesiae, Sede vacante, inesse et de iure competere dignoscuntur. Praeterea eidem Vicario Generali, post tamen Apostolici Vicarii obitum, concedimus pariterque impertimur usum et exercitium earum facultatum, quibus utebatur et gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus Vicarius Episcopus, iis dumtaxat exceptis, quae requirunt Ordinem et characterem Episcopalem, vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur. Quandocumque vero necessitas urgeat, saepedicto Vicario Generali potestatem etiam indulgemus et damus consecrandi Calices, Patenas, et Altaria portatilia, cum sacris oleis omnino ab Episcopo benedictis. Itaque, Venerabiles Fratres, ex Apostolicae providentiae auctoritatisque nostrae ratione, maxime ad procurandam salutem animarum consentanea, a Nobis suscepta, atque unicuique vestrum praecepta, animadvertite, quanta sit apostolici muneris unicuique vestrum iniuncta cura, atque eapropter satagite ut per assiduos labores, vigilantiam pastoralem, solicitudinemque contendatis ne quispiam christifidelium vobis commissorum, et de quibus ratio supremo Pastorum Principi aeterno Iudici reddenda est, pereat; sed potius, ut omnes aeternam salutem consequantur, ut vobis merces vestris meritis debita a iusto remuneratore Deo tribuatur. Nos interim coelestis praesidii auspicem Apostolicam Benedictionem, in populos etiam vestrarum dioecesium vel provinciarum redundaturam, Fraternitatibus vestris peramanter impertimur.

Vicarii App. sine Coadiutore deputent Vicarium Gener. qui post eorum obitum regimen assumat.

Praedicto Vicario Generali amplae facultates tribuuntur.

388

Decr. S. C. de Prop. F. *30 April. 1753.* — Ad tollendas nonnullas corruptelas inductas Smyrnae, et in oppidis finitimis praesertim in celebratione Missarum:

1. S. Congregatio, si SSmo placuerit, omnino prohibet sacerdotibus missionariis tam saecularibus quam regularibus cuiuscumque Ordinis et Instituti, etiamsi indigeant speciali mentione, celebrari Smyrnae Missas in privatis domibus et in domiciliis ubi consules schismatici et haeretici commorantur.

Inhibetur celebratio Missae in domibus acatholicorum.

2. Tempore pestis permittit Missae celebrari in privatis domibus, de licentia tamen Vicarii Ap., decenti loco, et per ipsum Vic. Ap. approbando, ubi neque iudaei, neque schismatici et haeretici commorentur.

Facultas celebrandi, tempore pestis, Missam in domibus catholicorum.

3. Prohibet celebrari Missas in aedibus privatis, etiam ex causa infirmitatis, cum minus incongruum sit infirmos sine Missa persistere, quam quod sacrosanctum Sacrificium ex indecentia iniuriam patiatur.

Id vero prohibetur in aliis casibus, etiam infirmitatis.

4. In singulis oppidis, ubi nullae ecclesiae neque sacella publica existunt, duae Missae tantum diebus festis, habita prius licentia Vicarii Ap., celebrari possint in domo alicuius privati in qua nulli degant turcae, iudaei, schismatici et haeretici; ac locus, in quo Sacrum peragi debet, sit decens, et ab omnibus domesticis usibus liber, ab eodem Vic. Ap. visitandus et approbandus.

Exceptio pro locis ubi nullae sunt ecclesiae neque sacella publica.

5. Caveant omnino missionarii, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, cum festivitas aliqua celebratur, consules schismaticos ad ecclesias invitare, et illis introeuntibus aquam benedictam porrigere, ac quodcumque honoris signum in ecclesiis exhibere; et P. Dominicus a Belvedere (missionarius) accedat ad Urbem ut se iustificet.

Prohibentur missionarii schismaticos ad ecclesias invitare.

6. Denique interdicit missionariis S. Congregationis exercere in posterum absque eiusdem facultate munus capellani in sacellis consulum catholicorum. — Die 8 Iulii 1753 relato supradicto decreto... SSmo D. N., Sanctitas Sua benigne approbavit mandavitque ab omnibus ad quos pertinet inviolabiliter observari.

Iisdem munus capellani apud consules interdicitur.

389

De communicatione in divinis cum acatholicis.

S. C. S. Officii *10 Maii 1753* (Miss. Tenos in Peloponneso). — 1. An liceat catholicis latinis concedere vel permittere ut in eorum ecclesiis Missam celebrent presbyteri graeci ritus schismatici et haeretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum.

2. An liceat catholicis graeci ritus non habentibus catholicam ecclesiam eiusdem ritus communicare in divinis cum graecis schismaticis et haereticis.

3. An liceat confessariis vel sacerdotibus latinis administrare Sacramentum Poenitentiae graecis catholicis communicantibus in divinis cum graecis schismaticis.

R. Ad 1. Ad primam partem dubii: Non licere: maxime cum Patriarchae Constantinopolitani commemorationem faciant, et festum celebrent infamis Palamas. Id enim perinde est ac consentire eorum haereticis ritibus, et communicare cum eis in eorum sacris, schismatico et haeretico furfure pollutis; aut saltem occasionem praebere catholicis, ad latinas intervenientibus ecclesias, communicandi cum haereticis in divinis rebus, aût ad minus scandalum concipiendi. Quo vero ad secundam partem eiusdem dubii, quatenus schismatici comitantes funera catholicorum *meram praesentiam materialem* exhibeant, causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis, quibus mos est funera efferre, et defunctos ad sepulchrum deducere: tolerari posse; quatenus vero in ílla functione *proprios ritus adhibeant,* vel nostris se immisceant: non licere, nec esse permittendum.

Ad 2. Non licere, quia in casu proposito confugere possunt ad ecclesiam catholicam latinorum, et in defectu sacerdotis catholici ritus graeci, a sacerdotibus latinis Sacramenta suscipere.

Ad 3. Non licere extra casum extremae necessitatis.

Pro maiori vero instructione eiusdem missionarii, aliorumque missionariorum transcribi mandavit (S. C.) id quod SSmus ad materiam docuit in eius Tractatu de Synodo Dioecesana *lib. 5* (1), *cap. 5, ibi:* « Et nihilominus ea est misera nostrorum temporum conditio, ut multis in provinciis, in quibus haereses aut dominantur, aut grassantur impune, duram catholici subeant necessitatem cum haereticis conversandi et familiariter agendi (2). Verum quamvis iuxta praesentem disciplinam inductam a Martino V in celebri Extravagant. *Ad evitanda,* de qua nonnulla inferius, liceat catholicis cum haereticis, modo non sint expresse et nominatim denunciati, libere conversari, et cum iisdem communicare in rebus mere profanis et civilibus; non idcirco tamen arbitrari debent catholici, fas quoque sibi esse cum iisdem haereticis consortium habere etiam in rebus sacris et divinis. Siquidem Paulus V post maturam rei discussionem, neutiquam licere definivit catholicis Regni Angliae haereticorum templa adire ritibusque interesse, quos inibi exercent, uti legere est in duobus decretis ab eodem Pontifice editis, uno scilicet anni 1606, altero anni 1607, quae referuntur a Cardinali Lauraea *in 3 Sententiar. part. 2, tom. 3, disput. 11, artic. 9, § 4, num. 292.* Haud equidem ignoramus, non deesse theologos ab omni culpa absolventes catholicos, qui cum haereticis et schismaticis nominatim non denunciatis, communicant in divinis, atque etiam Sacramenta ab iisdem recipiunt, dummodo hae simul concurrant rerum circumstantiae: primo scilicet, ut ad praedictam communicationem catholicos adigat gravissima et urgentissima causa; secundo, ut haeretici aut schismatici, a quibus Sacramenta exposcunt, sint valide ordinati, et sacra administrent ritu catholico absque ulla admixtione ritus damnati; tertio, ut communicatio cum iisdem in divinis non sit externa protestatio falsi dogmatis, qualis erat ingressus in protestantium ecclesias, cum catholicis Angliae illud inhibuit Paulus V, ideo quippe regis edicta omnes adire iusserant haereticorum templa, ut tali pacto se cum protestantibus sentire faterentur; quarto demum, ut catholicorum cum haereticis communicatio in divinis nulli scandalum ingerat. Verum in primis praedicta theologorum sententia suos habet adversarios, neque ab omnibus admittitur tamquam in praxi secura: deinde, ea etiam admissa, cum omnes enumeratae circumstantiae simul et coniunctim adesse deberant, ut catholicorum cum heterodoxis in rebus sacris societas omni vacet culpa, quemadmodum docent Silvius *in part. 3 Sancti Thomae, tom. 4, quaest. 24, art. 6, quaest. 3, concl. 3.* Cardinalis De Lugo *De Fide, disput. 22, sect. 1, num. 11.* Thomas a Iesu *Tractatus de omnium gentium salute procuranda, lib. 8, part. 2, § 4, vers.:* Sed maior

(1) *Lib. 6* in altera editione, in qua nonnulla ipse Pontifex auctor variavit.

(2) Quae immediate sequuntur nonnihil immutata in praedicta nova editione prostant; ibi: « Quamvis autem per Canonem Concilii Constantiensis a Martino V approbatum, qui incipit *Ad evitanda,* quique in suo semper vigore permansit, non obstantibus contrariis subsequentibus constitutionibus Concilio- rum Basilaeensis et Lateranensis, nonnihil relaxata fuerit disciplina in eo quod pertinet ad conversandum, atque etiam in divinis communicandum cum haereticis, qui tolerantur et expresse denuntiati non sunt tamquam vitandi, ut fuse Cabassut. in *Theoria et Praxi Iuris Canon. lib. 5, c. 11 n. 3 et seq.*, non idcirco tamen arbitrari debent catholici *etc.* ».

» est difficultas *(pag. 556)*. Cardinalis Albitius » *De inconstantia in Fide cap. 18, num. 30,* » *et seqq.* Cardinalis Gottus *in 2. 2. Sancti* » *Thomae, quaest. 4, dub. 6, § 3, num. 2, et* » *quaest. 3. De infidelibus comparate ad fi-* » *deles, dub. 3, § 2;* idcirco fere impossibile » est usuvenire, ut a flagitio excusari valeant » catholici sese in rebus sacris cum haereticis » et schismaticis admiscentes. Quamobrem Sa- » crae Urbis Congregationes, Sancti Officii vi- » delicet et de Propaganda Fide, illicitam sem- » per reputarunt communionem, de qua est » sermo, doctamque concinnarunt Instructio- » nem, Nobis in minoribus tunc degentibus, » qualemcumque nostram operam navantibus, » ad missionarios, cum opus fuerit, transmit- » tendam, ubi rationes expenduntur, propter » quas, vix unquam accidere potest, ut in praxi » sit innoxia catholicorum cum haereticis com- » municatio in divisis ».

390

De absolutione a casibus Episcopo reservatis.

S. C. de Prop. Fide *6 Augusti 1753* (C. G.). — Missionarios, gaudentes facultatibus a S. Sede concessis, non posse absolvere a casibus Episcopo reservatis, nisi de licentia Ordinarii.

391

An possit lue infectis SS. Eucharistia per aliquam virgam administrari.

S. C. S. Officii *11 Iulii 1754* (Vic. Ap. Algeriae). — Utrum SS. Eucharistiae Sacramentum administrari possit lue infectis non immediate manuum porrectione, sed oblonga aliqua virga in cuius extremitate adsit lunecula aurata ex argento, quae post infusam in os infirmi particulam igne purificetur.

R. Potranno codesti missionarî regolarsi nelle maniere ed usi altre volte praticati nelle occasioni di peste in codesti paesi tanto frequente, purchè si faccia colla dovuta decenza e si cerchi di scansare ogni inconveniente che potesse in qualsivoglia modo esporre alla irriverenza un azione sì sagrosanta.

392

De concessione et usu Pallii.

Ex Allocut. Bened. PP. XIV in Consistor. *22 Iulii 1754.* — Patriarchae (Armen.) ius, post receptum a nobis Pallium, concedendi praedictis (metropolitanis) usum pallii, restrictum est ad pallium largius et longius crucibus rubris ut plurimum distinctum, quod est pallium graecum; nec se extendit ad pallium latinum quod ipse a nobis recepturus est; hoc enim ipse solus uti potest diebus et locis praescriptis, nec eius usum ulli alii concedere valet, cum pallii latini concessio soli Romano Pontifici reservata sit (1).

393

S. Cong. S. Officii *26 Septemb. 1754.* — De clausula *cum pauperibus tantum* in facultate dispensandi.

1. Henricus Maria de Fleury Archiepiscopus Turonensis in Gallia nullam dispensationem circa impedimenta matrimonium dirimentia concedere potest, nisi ex speciali Sedis Apostolicae indultu, quo ipsi potestas data est dispensandi cum pauperibus tantum; quaerit an cum iis solis pauperibus dispensare valeat, qui adeo miserabiles existunt, ut labore manuum, et industria tantum vivant.

2. Ex hypothesi, quod cum iis dumtaxat pauperibus dispensare possit, quaeritur an dispensationes huiusmodi ipsis concedere queat pro causis dumtaxat infamantibus, seu inhonestis, etiamsi alii plures Episcopi iisdem circumstantiis easdem dispensationes pro causa qualibet honesta largiantur. Ratio dubitandi, quod Summus ipse Pontifex, a quo specialem hanc facultatem obtinent, nonnisi pro causa inhonesta cum talibus pauperibus ordinario saltem dispensat.

Circa causas dispensationum matrimonialium.

3. Si praefatus Archiepiscopus dispensare valeat pro causa etiam honesta, potestne dispensare pro iis dumtaxat causis honestis pro quibus ipsa dispensat Apostolica Sedes, an pro aliis quoque similibus? Sic exempli causa Summus Pontifex super impedimento consanguinitatis, seu affinitatis, dispensat cum puella quae alii viro propter angustiam loci, vel ob defectum dotis nubere non posset; possetne etiam dictus Archiepiscopus super eodem affinitatis, aut cognationis, sive carnalis sive spiritualis impedimento dispensare cum puella, quae alii viro nonnisi difficulter nubere queat sive ob causas memoratas, sive quia gibbosa est, clauda, vel alias deformis, sive etiam quia aliquis ex ipsis consanguineis in 1, 2 et 3 aut 4 gradu publica infamia per sententiam iudicis notatus fuisset, aut capitali poena damnatus?

4. Debetne Archiepiscopus ab iis quibuscum dispensat pro causa sive turpi, sive honesta exigere non solum easdem causas, sed easdem etiam circumstantias, aut conditiones, quas in similium dispensationum largitione Summus Pontifex exigere solet?

Circa facultatem dispensandi in 3 et 4 consanguinitatis et affinitatis gradu.

5. Pontificio indulto quod dictus Archie-

(1) In Litt. Ap. Pii PP. VI 9 Dec. 1783 ad Ep. » Babylonen. haec habentur: « Pallium quod ex lana » contextum (est), ovis illius quam Dominus aberrantem » quaesivit inventamque humeris suis sustulit, pellem » significat, ut Episcopus, qui Christum ipsum gerit, » ipsius munere fungatur, atque etiam ipso habitu illud » omnibus ostendat se boni ac magni illius Pastoris » imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas » proposuit ».

piscopus obtinuit, datur ipsi facultas dispensandi in 3 et 4 consanguinitatis vel affinitatis gradu simplici et mixto; potestne vi huius facultatis dispensare in secundo gradu ad tertium?

R. Placuit SSmo Dño N., auditis Consultorum et Cardinalium suffragiis, ad quintum dubium rescribere: *Negative;* ad quatuor vero priora *iubere ut significaretur quomodo Sedes ipsa Apostolica se gerere soleat in dispensando cum pauperibus circa impedimenta matrimonium dirimentia.* Tuum enim erit, ut ipse SSmus D. N. addidit, his iisdem uti regulis, quum delegatus a delegantis moribus et consuetudine, vel tantisper recedere, nec possit, nec debeat. Deinde subiunxit: — Sedi Apostolicae ab antiquissimo tempore in more esse non dispensandi in forma pauperum circa tertium et quartum simplicem consanguinitatis, vel affinitatis gradum, nisi vera concurrat paupertas, et aliqua ex causis inferius recensendis.

Vere autem pauperes non utique alii existimantur, quam qui adeo miserabiles sunt, ut labore manuum, et industria tantum vivant; quo fit ut dispensatio in forma pauperum non aliter a Sede Apostolica concedatur quam si de paupertate dispensandorum constet ex proprii Episcopi attestatione, et ea quidem quae exarata est iuxta Decretum Urbani VIII quod nimirum *oratores ita pauperes et miserabiles existant, ut ex suis laboribus et industria tantum vivant.*

Quia tamen illi etiam ita pauperes merito dici possunt, qui aliqua possident bona, hinc non denegatur a S. Sede dispensatio in forma pauperum, etiamsi oratores bona in capitali possideant valoris scutorum 300 monetae romanae, si ipsi citra montes degunt; vel, si ultra montes, valoris ducatorum auri de Camera 300 summam attingentium scutorum 525 dictae monetae. Quod si bona habent ad quantitatem usque scutorum, vel respective ducatorum mille auri de Camera, dispensatio nihilominus in forma pauperum conceditur, soluta tamen eleemosyna, quae vulgo dicitur *componenda,* scutorum quatuor pro quolibet centenario; quam SSmus memorat et vult vel erogandam esse in subsidium pauperum, vel ipsis dispensandis eleemosynae titulo remittendam, si nihilominus eorum conditione inspecta pauperes esse videantur. Amplius vero possidentibus dispensatio in forma pauperum non conceditur, sed sub altera forma *Ex honestis* quae tamen in facultatibus concessis minime comprehenditur.

De causis dispensationum *in forma pauperum.*

Ad causas vero quod pertinet, ob quas huiusmodi dispensatio in forma pauperum a Sede Apostolica conceditur hae sunt quae sequuntur:

1. Scilicet *ob copulam* sequutam inter matrimonium contrahere volentes.

2. *Ob infamiam,* videlicet quia vir et mulier insimul conversati sunt, carnali tamen copula inter eos minime subsequuta; et nihilominus orta est suspicio, licet falsa, quod se carnaliter cognoverint.

3. *Pro muliere viginti quatuor annorum* et ultra, quae hactenus virum paris conditionis cui nubere posset non invenit.

4. *Ob angustiam loci, seu locorum,* quia nempe vir et mulier in loco, in quo orti sunt seu in locis, in quibus ipsi orti sunt, etiam de uno ad alium se transferendo, propter illorum angustiam, virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis cui nubere possit invenire (mulier) nequeat.

5. *Pro indotata:* ex quo mulier indotata existat, nec habeat rationem unde dotari possit, et vir illam sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem secundum dictae mulieris qualitatem competenter ex integro dotare intendat: apponitur tamen decreto: *Et postquam dicta mulier competenter ex integro dotata fuit, ut praefertur.*

6. *Ob inimicitias:* explicatur haec causa sequentibus verbis: quod cum inter viri et mulieris parentes, consanguineos, vel affines, graves inimicitiae ortae iam sint, et ad praesens vigeant, aliunde tamen quam ex causa matrimonii inter ipsos contrahendi provenientes, et ante illius tractatum exortae; et certum sit, quod si vir et mulier praefati invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiae huiusmodi omnino componerentur; pro illis igitur componendis ac pro bono pacis cupiunt invicem matrimonialiter copulari.

7. *Pro confirmatione pacis:* Causa haec ita explicatur: quod cum inter virum, et mulierem, nec non eorum parentes, consanguineos vel affines, graves inimicitiae viguerint, aliunde tamen quam ex causa matrimonii inter virum et mulierem praefatos contrahendi provenientes et ante illius tractatum exortae, et licet pax de recenti inita fuerit, nihilominus pro illius confirmatione cupiunt matrimonialiter copulari.

8. *Ob lites:* quia nempe cum inter virum et mulierem, seu eorum parentes graves lites super rebus magni momenti ortae iam sint, et ad praesens vigeant, aliunde tamen quam ex causa matrimonii inter ipsos contrahendi provenientes, ante illius tractatum exortae, et certum sit quod si vir et mulier praefati invicem copularentur, lites huiusmodi omnino componerentur; pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis cupiunt etc. Hac tamen expressa conditione (dispensatio conceditur): *et facta prius litium huiusmodi hinc inde cessione, seu illarum compositione.*

9. *Ob haeresim:* Quod ipsi qui orthodoxae fidei cultores vere existunt, et sub obedientia S. R. E. vivunt, et vivere et mori intendunt, et in illis partibus, in quibus multi adsunt haeretici, non possint singulorum animos explo-

rare, et qui catholicam religionem vere profitentur internoscere; ac propterea ne contingat eos cum haereticis matrimonium contrahere, cupiunt etc., addita tamen clausula: *Et dummodo vir et mulier praefati orthodoxae fidei cultores vere existant, et sub obedientia S.R.E. vivant, vivereque et mori intendant.*

394

De illicito linguae vernaculae usu in Missa.

S. C. de Prop. Fide *7 Ian. 1755* (C. P. PRO SIN.). — Moneatur missionarius Pekini eo quod in solemnitatibus lingua sinensi Missam celebrari permiserit; quod fieri in posterum omnino prohibetur. Caveat etiam ne in Missae sacrificio preces et cantica lingua sinensi admisceantur.

395

De proposita kalendarii mutatione pro *armenis et syris*.

Const. Bened. PP. XIV *26 Iulii 1755*. — 1. Allatae sunt ad Congregationem venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum litterae sacerdotis cuiusdam, sacris missionibus exercendis deputati in civitate Balserae, quam vulgo *Bassoram* vocant, quaeque itinere quindecim dierum a Babylonia distat, et mercatorum negotiationibus est celeberrima; quibus litteris exponendum censuit plures in illa urbe commorari catholicos ritus orientalis, Armenos nempe aut Syriacos qui peculiari templo carentes ad latinorum missionariorum ecclesiam se conferunt, ubi eorum sacerdotes Missarum sacrificia iuxta peculiares ipsorum ritus offerunt, aliasque sacras caeremonias perficiunt; laici autem huiusmodi sacris intersunt, et Sacramenta ab iisdem sacerdotibus suscipiunt. Indeque occasionem arripuit quaerendi, utrum praedicti Armeni et Syriaci catholicum suum ritum observare debeant, an vero ad tollendam varietatem in ipsa ecclesia, in quam latini etiam, ut diximus, conveniunt, magis consentaneum videatur, ut Armeni et Syriaci, relicto veteri kalendario, novum amplectantur, in iis quae pertinent ad statuenda tempora paschalis solemnitatis et annuae Communionis, sicuti etiam quadragesimae dierumque festorum tam mobilium quam immobilium: atque ulterius progrediendo, quaesivit, quatenus praedictis Balserae Armenis et Syriacis novum kalendarium observandum decernatur, utrum aliis quoque orientalibus praescribi debeat, qui peculiare quidem habent templum, sed adeo angustum, ut sacris functionibus decenter obeundis impar deprehendatur; ideoque ad ecclesiam latinorum plerumque se conferunt.

De petitione dispensationis (pro praedictis) ab abstinentia a piscibus tempore ieiunii.

2. Insuper idem missionarius praedictae Congregationi subdidit, quod quum catholicis orientalibus armenis et syriacis praeceptum sit, diebus ieiunio dicatis a piscibus abstinere, plures inter ipsos reperiuntur, qui id minime observant, non ullo sane adducti contemptu, sed partim naturae fragilitate pertracti, partim ex eo, quod latinis catholicis aliam esse consuetudinem intuentur: ideo non alienum videri si facultas missionariis tribuatur permittendi, non quidem universis, sed speciatim his aut illis, ut piscibus utantur ieiunii tempore, ita tamen, ut nullum inde scandalum oriatur, et aliud pietatis opus loco abstinentiae a piscibus, subrogare iubeantur.

A S. C. de Prop. F. statuitur *nihil esse innovandum.*

3. Haec, uti diximus, a praedicto missionario proposita sunt Congregationi de Propaganda Fide, quae de more eadem examinanda remisit alteri Congregationi Generalis Inquisitionis. Habita vero haec fuit coram Nobis die 13 martii huius anni 1755, et unanimi Cardinalium Inquisitorum consensu, responsum fuit: *nihil esse innovandum.* Id quod Nos etiam auctoritate nostra firmavimus, permoti potissimum decreto alias a primodicta Congregatione de Propaganda Fide die 31 ianuarii 1702 edito, quod deinde confirmatum et renovatum non semel fuit, et est huiusmodi: *Referente R. P. D. Carolo Augustino Fabrono Secretario, Sacra Congregatio mandavit praecipi, prout praesenti decreto praecipitur, omnibus et singulis Missionum Apostolicarum Praefectis et missionariis, ne ullus eorum in posterum, quavis occasione aut praetextu, audeat dispensare cum catholicis quarumcumque nationum orientalium super ieiuniis, orationibus, caeremoniis et similibus, a proprio earumdem nationum ritu praescriptis, et a Sancta Sede Apostolica approbatis. Praeterea eadem Sacra Congregatio censuit, non licuisse, nec licere praefatis catholicis ullatenus a proprii ritus, a Sancta Romana Ecclesia ut supra approbati, consuetudine et observantia recedere. Huiusmodi autem decretum sic confirmatum ac renovatum, iidem Eminentissimi Patres ab omnibus et singulis praedictis Praefectis et missionariis omnino et absque ulla tergiversatione observari debere mandarunt.* Quod quidem decretum respicit catholicos orientalis Ecclesiae, eorumque ritus ab Apostolica Sede approbatos; orientalem autem Ecclesiam omnibus notum est quatuor ritibus constare, graeco videlicet, armeno, syriaco et cophtico, qui sane ritus universi sub uno nomine Ecclesiae Graecae aut Orientalis intelliguntur, non secus ac sub Ecclesiae Latinae Romanae nomine, ritus romanus, ambrosianus, mozarabicus, et varii peculiares ritus Ordinum Regularium comprehenduntur.

4. Adeo perspicua est decreti sententia, ut nullo commentario indigeat. Quare nostra haec encyclica epistola eo tendit, ut huiusmodi lex omnibus cognita fiat atque perspecta, utque deinceps executioni diligentius mandetur. Merito namque dubitari potest quaestiones a mis-

sionario Balserae propositas, ex ignoratione decretorum, quae iampridem edita sunt, promanasse. Sed quoniam ex aliis multis atque frequentibus indiciis coniicimus, missionarios latinos in id curam et cogitationes intendere, ut in convertendis orientalibus a schismate et errore ad unitatem sanctamque catholicam religionem, orientalem ritum de medio tollant, aut saltem labefactent, catholicosque orientales ad latinum ritum amplectendum alliciant, non alia quidem de causa, nisi studio religionis amplificandae, et opus bonum, Deoque gratum operandi; ideo consentaneum putavimus (quoniam animum ad scribendum appulimus) hac nostra encyclica epistola brevius, quo fieri poterit, ea omnia complecti, quae iuxta huius Apostolicae Sedis sententiam pro norma haberi debent, quoties orientales ad catholicam religionem convertuntur, quaeque servanda sunt cum orientalibus catholicis, qui versantur in locis, ubi aut nulli degunt latini, aut latini catholici simul cum ipsis orientalibus catholicis commorantur.

De cura Rom. Pontificum ad orientales in unitatem adducendos.

5. Sane historiam ecclesiasticam ne quidem primis, ut aiunt, labiis attigisse dicendus esset, qui ignoraret quantum elaboraverint Romani Pontifices, ut orientales ad unitatem adducerent post funestum schisma Photii, qui, tempore Summi Pontificis Sancti Nicolai I, Constantinopolitanam Sedem, depulso per vim sancto Ignatio Patriarcha legitimo, invasit. Sanctus Leo IX praedecessor noster Legatos suos Constantinopolim misit, ut huiusmodi schisma, quod per duo circiter saecula sopitum Michael Cerularius redintegraverat, extirparet; sed illius conatus in irritum ceciderunt. Urbanus deinde II graecos ad Barense Concilium invitavit; sed exiguum fructum consecutus est, tametsi Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiep. omnem curam impenderit, ut ipsos Ecclesiae Romanae conciliaret, ipsisque errores, in quibus versabantur, doctrinae suae lumine patefecerit. In Lugdunensi Concilio, quod Beatus Gregorius X coegerat, Michael Palaeologus Imperator et graeci Episcopi, unitatem Romanae Ecclesiae amplexi sunt; verum mutatis animis ab illa rursum desciverunt. In Concilio autem Florentino sub Eugenio IV Summo Pontifice, ad quod Ioannes Palaeologus et Ioseph Patriarcha Constantinopolis, cum caeteris orientalibus Episcopis, convenerant, Unio statuta fuit, et uniuscuiusque subscriptionibus acceptata; eodemque in Concilio, Armenorum et Iacobitarum ecclesiae ad obedientiam Sedis Apostolicae redierunt; deinde Eugenius Pontifex Florentia Romam profectus, legatos etiam Regis Aethiopum excepit, ac Syros, Chaldaeos et Maronitas ad obedientiam Romanae Sedis redegit. Sed quoniam, uti legitur in Evangelio sancti Matthaei *cap. 13*, semen, quod cecidit super petram, nullum affert fructum, quia non habet ubi radicem defigat: *Hi sunt, qui cum gaudio suscipiunt continuo verbum Dei, non habent autem in se radicem; facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizantur:* ideo vix Marcus Archiepiscopus Ephesinus, tamquam novus Photius, unionem convellere adnixus est, et adversus ipsam coepit vocem extollere, statim omnis optatus fructus deperiit.

Numquam actum esse ut orientali ritui detrimentum afferretur, Pontifex pluribus ostendit.

6. Praeterea ecclesiasticae historiae ignarum se proderet, qui pariter nesciret, ita cum orientalibus unionem peractam firmatamque fuisse, ut dogma processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio reciperent, atque adeo licitam fuisse admitterent additionem vocis *Filioque* Symbolo factam; ut panem non minus fermentatum, quam azymum, sacramenti Eucharistiae materiam esse faterentur; ut dogma Purgatorii, visionis beatificae, ac primatus Romani Pontificis amplecterentur; uno verbo, omnem curam collatam fuisse, ut errores catholicae fidei adversi evellerentur; nunquam vero id actum esse, ut venerabili orientali ritui detrimentum ullum inferretur. Sed praesentem quoque Ecclesiae disciplinam prorsus ignoraret, cui satis exploratum non esset, Romanos Pontifices, qui infelicibus praeteritorum temporum successibus minime deterriti, de reducendis ad unitatem graecis semper cogitarunt, eamdem viam quam paulo ante indicavimus, semper institisse et adhuc insistere, sicut ex ipsorum tum dictis tum factis manifeste colligitur.

7. Undecimo saeculo nonnullae Constantinopoli, Alexandriae et in patriarchatu Ierosolymitano reperiebantur latinorum ecclesiae, in quibus latinus ritus servabatur, quemadmodum Romae non deerant graecorum templa, in quibus ipsi graeco ritu sacra munera persolvebant. Michael Cerularius, impius schismatis instaurator, latinas ecclesias iussit obserari. Verum Sanctus Leo IX Romanus Pontifex par pari nequaquam retulit, quamvis id facillime posset, neque graecorum templa Romae clausit, sed aperta esse voluit. Itaque de iniuria latinis illata conquestus in sua *epistola prima cap. 9* ita subdidit: *Ecce in hac parte Romana Ecclesia quanto discretior, moderatior et clementior vobis est! Siquidem, cum intra et extra Romam plurima graecorum reperiantur monasteria sive ecclesiae, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione, sive sua consuetudine; quin potius suadetur et admonetur eam observare.*

8. Initio saeculi decimi tertii, cum latini in potestatem suam Constantinopolim redegissent, et Summus Pontifex Innocentius III decrevisset Patriarcham latinum in ea civitate constituere, cui non solum latini, sed etiam graeci obtemperarent; nihilominus palam declarare non praetermisit, nullum se velle graecis ritibus inferre detrimentum, nisi si quae forte

consuetudines inter eos receptae, periculum animarum parerent, aut honestati ecclesiasticae adversarentur. Decretalis huius Pontificis, in Concilio Lateranensi IV edita, refertur tum in *tom. VII* collectionis Conciliorum Harduini *p. 22*, tum *in cap. Licet, de Baptismo: Licet graecos diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicae revertentes fovere ac honorare velimus, mores ac ritus eorum, quantum cum Domino possumus, substinendo, in his tamen illis deferre nec volumus, nec debemus, quae periculum generant animarum et ecclesiasticae derogant honestati.* Honorius postea III, qui Innocentio immediate successit, iisdem verbis usus est, cum litteras dedit ad Regem Cypri, qui duos Episcopos in nonnullis Regni sui civitatibus optabat, latinum videlicet pro latinis, qui in illis versabantur, graecum alterum pro graecis, qui iisdem in locis commorabantur. Atque haec Honorii epistola typis impressa legitur in Annalibus Raynaldi *ad ann. Christi 1222 a. 5.*

9. Documentis eiusmodi plurimum redundat saeculum decimum tertium. Ad hoc quippe saeculum pertinet epistola Innocentii IV ad Danielem Regem Russiae, apud Raynaldum *ad annum 1247, n. 29*, qua ipsius Regis specialem devotionem erga Ecclesiam Catholicam commendans, concedit, ut ritus, qui fidei Romanae Ecclesiae non repugnarent, in eiusdem Regno serventur, ita scribens: *Ea propter, charissime in Christo Fili, tuis supplicationibus inclinati, Episcopis et aliis presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere, et alios eorum ritus, qui fidei catholicae, quam Ecclesia Romana tenet, non obvient, observare auctoritate praesentium indulgemus.*

Huc etiam spectat eiusdem Innocentii IV epistola ad Othonem Cardinalem Tusculanum Sanctae Sedis Legatum in Insula Cypri, cui munus demandaverat nonnullas controversias componendi, quae graecos inter ac latinos excitatae fuerant, uti deprehenditur ex eius Constitutione, quae incipit: *Sub catholicae*, quaeque *in veteri Bullario tom. 1* numero decimo quarto recensetur: *Verum quia nonnulli graecorum iamdudum ad devotionem Sedis Apostolicae redeuntes, ei reverenter obediunt et intendunt, licet et expedit, ut mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Ecclesiae Romanae obedientia praeservemus. Quamquam in his, quae animarum periculum parerent, vel honestati ecclesiasticae derogarent, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.* Postquam vero in eadem epistola praescripsit ea, quae a graecis facienda erant, tum ea enumeravit, quae illis permittenda arbitrabatur, his verbis concludit: *Memoratis autem Archiepiscopo Nicosiensi, et eius suffraganeis latinis communiter auctoritate nostra praecipias, ut eosdem graecos super praemissis, contra huiusmodi provisionem et deliberationem nostram, non inquietent aliquatenus, nec molestent.* Idemque Pontifex Innocentius IV Laurentium minoritam poenitentiarium suum, Apostolicum Legatum constituens, eique plenam auctoritatem tribuens, in graecos omnes, qui in Regno Cypri, in patriarchatibus Antiocheno et Hierosolymitano morabantur, et iacobitas etiam, maronitas ac nestorianos, hoc illi potissimum mandavit, ut graecos universos auctoritate sua vindicaret ab omnibus molestiis, quae ipsis a latinis inferri possent: *Mandamus, quatenus graecos illarum partium, quocumque nomine censeantur, auctoritate Apostolica protegens, turbari eos violentiis vel quibuscumque molestiis non permittas, iniurias quaslibet et offensas a latinis illatas eisdem, plenarie faciens emendari, et latinis ipsis districte praecipiens, ut a similibus de caetero penitus conquiescant.* Haec sunt Innocentii verba ad praedictum Legatum Apostolicum quae a Raynaldo *ad annum Christi 1246 num. 30* recensentur.

10. Alexander IV in locum Innocentii Pontificis immediate suffectus, cum irritam cessisse Praedecessoris sui voluntatem animadvertisset, cumque turbas ac dissensiones graecos inter ac latinos Episcopos in regno Cypri adhuc vigere percepisset, latinis Episcopis indixit, ut graecos ecclesiasticos suas ad Synodos accerserent; eos autem decretis synodalibus subiectos declarans, sequentem conditionem adiecit: *Recipere et observare synodalia statuta, quae tamen graecorum ritibus fidei catholicae non adversis, et a Romana Ecclesia toleratis non obvient.* Huiusmodi laudabili exemplo inhaerens Elias Archiepiscopus Nicosiensis *anno 1340* decretis suis synodalibus hanc declarationem inseruit: *Per hoc autem non intendimus inhibere graecis Episcopis, et eorum subditis, quin ritus suos, fidei catholicae non adversos, sequantur, iuxta compositionem a felicis recordationis Domino Alexandro Romano Pontifice in Regno Cypri inter latinos et graecos editam et observatam.* Haec omnia perspici possunt in Labbeana collectione Venetae editionis *tom. 14, pag. 279, et tom. 15, pag. 775.*

11. Finem saeculo decimo tertio imponit memorata graecorum latinorumque unio statuta in generali Concilio Lugdunensi sub Beato Gregorio X Summo Pontifice, qui ad Michaelem Palaeologum fidei confessionem unionisque decretum a Concilio firmatum et a Legatis orientalibus iuratum misit, ut ipse quoque Imperator ac reliqui graeci Episcopi eisdem subscriberent. Peracta fuerunt omnia ab Imperatore et orientalibus, adiecta tamen hac conditione, quae ipsorum litteris continetur, ab Harduino relatis in sua collectione, *tom. 8, pag. 698:* « Sed rogamus Magnitudinem Vestram etc. quod permaneamus in ritibus nostris, quibus utebamur

ante schisma, qui scilicet ritus non sunt contrarii contra supradictam fidem, nec contra divina praecepta ». Quamvis autem responsum Gregorii Pontificis ad has Orientalium litteras interierit, quum tamen ipse unionem ab iis acceptatam atque subscriptam satis firmam reputaverit, merito inde colligitur, praedictam conditionem ab ipso receptam probatamque fuisse. Et sane Nicolaus III, Gregorii successor, per suos legatos, quos Constantinopolim misit, his verbis animum suum patefecit, uti habetur apud Raynaldum *ad annum Christi 1278:* « De ceteris autem graecorum ritibus, eadem Romana Ecclesia intendit, graecos, quantum cum Deo poterit, favorabiliter prosequi, et ipsos in illis ritibus, de quibus Sedi Apostolicae visum fuerit quod per eos catholicae fidei non laedatur integritas, nec sacris statutis canonum derogetur, perseverare permittit ».

12. Quod attinet ad saeculum decimum quintum, sat esse potest indicata superius unio in Concilio Florentino statuta, cui ab Eugenio Pontifice probatae Ioannes Palaeologus subscripsit hac lege: *ne ex ritibus nostrae Ecclesiae aliquid immutetur:* ut videre est *tom. 9* Collectionis Harduini, *pag. 395*. Verum, cum nobis in animo non sit singula percensere, quae a Romanis Pontificibus, sequentibus deinde saeculis gesta sunt, praecipua quaedam attingemus, ex quibus manifesto deprehendatur, ipsos quidem omni conatu studioque egisse, ut insidentes orientalium animis errores ab iis evellerent, sed simul etiam manifestis argumentis id ostendisse, sartos tectosque se velle ritus, quibus eorum maiores ante schisma, approbante Sede Apostolica, usi fuerant; nec unquam ab orientalibus postulasse, ut, si catholici esse vellent, latinum ritum amplecterentur.

13. In graecorum Enchiridio edito Beneventi, duae Summorum Pontificum Leonis X et Clementis VII habentur Constitutiones, quibus vehementer increpantur latini illi, qui in graecis reprehendebant observantiam eorum, quae in Florentino Concilio eisdem permissa fuerant; praesertim, quod Sacrificium offerrent in fermentato, uxorem ducerent, antequam sacris Ordinibus initiarentur, eamque post susceptos Ordines sacros retinerent, quodque Eucharistiam sub utraque specie etiam pueris exhiberent. Pius IV in Constitutione: *Romanus Pontifex,* quae numero est 75, *tom. 2 veteris Bullarii,* dum graecos in latinorum dioecesibus commorantes, latinis Episcopis subiectos fore decernit, ita subdit: *Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi graeci ab eorum graecanico ritu detrahantur, vel alias desuper quoquo modo per locorum Ordinarios, aut alios, impediantur.*

14. Annales Gregorii XIII a patre Maphaeio conscripti, et Romae impressi anno 1742, complura referunt, quae idem Pontifex gessit, licet exitu parum felici, ut Cophtos Armenosque ad catholicam fidem reduceret. Sed ad rem nostram potissimum faciunt ea, quae leguntur in ipsius Constitutione 63 *in novo Bullario, t. 4, part. 3,* et in duabus aliis, videlicet *157 et 173 in eodem Bullario, tom. 4, part. 4,* de fundatione trium collegiorum in Urbe ab eodem Pontifice institutorum pro Graecis, Maronitis et Armenis, in quibus alumnos dictarum nationum educari voluit, ita tamen, ut semper in suis ritibus orientalibus perseverarent. Celeberrima fuit unio Ruthenorum cum Apostolica Sede tempore fel. record. Clementis Papae VIII peracta, cuius monumenta relata leguntur in Annalibus vener. Cardinalis Baronii, Romanae editionis, ann. 1596, *tom. 7,* ubi *p. 682,* exhibetur decretum ab Archiepiscopis et Episcopis ruthenis pro ineunda unione confectum, cum hac conditione: *Salvis tamen et in integrum observatis coeremoniis et ritibus cultus divini peragendi, et sanctorum Sacramentorum, iuxta consuetudinem Ecclesiae orientalis, correctis tantummodo iis articulis, qui ipsam unionem impedirent; ut more antiquo fierent omnia, sicut olim unione durante fuerunt.* Sed cum paulo post ad pacem turbandam rumor percrebuisset, sublatos esse in unione ritus universos, quibus rutheni antiquitus usi fuerant in divina psalmodia, in Missae sacrificio, in Sacramentis administrandis, aliisque sacris caeremoniis; Paulus V litteris apostolicis in forma Brevis datis anno 1615, quae in eodem graecorum Enchiridio impressae sunt, voluntatem suam his verbis solemniter declaravit: « Dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per unionem praemissam tollere aut extinguere, Ecclesiae Romanae intentionem, mentem et voluntatem non fuisse, nec esse; nec id dici vel censeri potuisse, nec posse; quin imo dictos ritus eisdem ruthenis Episcopis et clero ex apostolica benignitate permissos, concessos et indultos esse ».

15. Aptissime hic recenseri possent ecclesiae, quas diversis temporibus posteriores Romani Pontifices Graecis, Maronitis, Armenis, Cophtis, Melchitis in Urbe addixerunt, quaeque etiamnum extant et patent, ut sacras functiones in ipsis, iuxta ritum suum, singuli expleant. Opportune hic quoque referri posset, quemadmodum Clemens Papa VIII in sua Constitutione 34 § 7 *veteris Bullarii,* graecum Episcopum Romae constituit, ut italo-graecis latinas dioeceses incolentibus Ordines iuxta graecorum ritum conferret; deinde vero alium a Clemente XII proximo praedecessore nostro, in sua Constitutione incipiente: *Pastoralis,* fuisse superadditum graecum Episcopum, qui fixam in Bisinianensi dioecesi sedem habet, ut italo-graecis Ordines conferat; ne, qui longius ab Urbe distant, longum iter aggredi cogantur, ut

Ordines ab Episcopo graeco Romae degente, iuxta allatam Clementis VIII Constitutionem suscipiant; ac ne ipsis quidem Episcopis catholicis Maronitarum, Cophtorum et Melchitarum, qui aliquando Romae versantur, denegari facultatem conferendi Ordines iuxta ritum suum nationis suae hominibus, dummodo idonei reperiantur. Ad rem pariter hic addi posset, quoties aliqua de disciplina orientalium vel italo-graecorum excitata est controversia, Apostolicam Sedem nihil praetermisisse, ut si quae emendatione digna visa sunt, emendaret, edicendo statim, velle se, ut ceteris in rebus omnibus orientalis ritus inviolatus firmusque maneret; aut aperte declarando, quae pro Italo-graecis inter nos degentibus et latinorum Episcoporum iurisdictioni subiectis statuebantur, ita accipi oportere, ut eos dumtaxat alliciant, neutiquam vero protendantur ad graecos orientales, qui a nobis longe dissiti, graecis Episcopis suis catholicis subsunt.

16. Deprehenditur id ex confirmatione Synodi provincialis Ruthenorum coactae in urbe Zamosciae anno 1720, ad quam examinandam Nos quoque, quippe qui tunc munere Secretarii Congregationis Concilii fungebamur, acciti fuimus a fel. record. Benedicto XIII, qui licet obsecundandum putasset insinuationibus Patrum eiusdem Concilii, a quibus nonnulli ritus inter graecos vigentes, suis decretis vel temperati fuerant vel sublati; praedictam Synodum confirmavit quidem suis apostolicis litteris in forma Brevis, datis an. 1724, hac tamen addita declaratione: *Ita tamen, quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, et decretis Conciliorum generalium emanatis super ritibus Graecorum, quae, non obstante huiusmodi confirmatione, semper in suo robore permanere debent.* Idem quoque colligitur ex pluribus nostris Constitutionibus, quae in nostro Bullario continentur, de ritibus Cophtorum, Melchitarum, Maronitarum, Ruthenorum et Italo-graecorum generatim, atque etiam speciatim de ritibus cleri collegiatae ecclesiae Messanensis Sanctae Mariae *de Grafeo* nuncupatae, ac postremo de graeco ritu in Ordine Sancti Basilii servando. Siquidem in Constitutione 87, *eiusdem Bullarii tom. 1,* de graecorum melchitarum ritibus haec leguntur: « De ritibus igitur et moribus Ecclesiae graecae illud in primis generatim statuendum decrevimus, nemini licuisse aut licere, quovis titulo et colore, et quacumque auctoritate aut dignitate, etiamsi patriarchali aut episcopali praefulgeat, quidquam innovare, aut aliquid introducere, quod integram exactamque eorumdem observantiam imminuat ». In praecedenti vero Constitutione 57 quae incipit: *Etsi pastoralis, § 9, num. 1,* haec de Italo-graecis praescribuntur: « Quoniam orientalis Ecclesiae ritus, utpote non minima ex parte a Sanctis Patribus profecti, vel a maioribus traditi, sic animis graecorum aliorumque insederunt, ut praedecessores nostri Romani Pontifices satius consultiusque duxerint ritus huiusmodi, qua in parte nec fidei catholicae adversantur, nec periculum generant animarum, aut ecclesiasticae derogant honestati, approbare seu permittere, quam illos ad Romanarum coeremoniarum normam reducere etc. ». Et *§ 9, num. 24,* haec leguntur: « His insuper, quae superius in quacumque parte Italo-graecis concessimus, indulsimus, declaravimus, praecepimus, ordinavimus et interdiximus, seu prohibuimus, graecorum in oriente, sub propriis catholicis Episcopis, Archiepiscopis vel Patriarchis commorantium, et aliarum christianarum nationum quorumcumque rituum a Sancta Sede approbatorum, seu permissorum, iuribus qualibuscumque, si quae illis de iure, vel ex consuetudine, vel alias quomodolibet legitime competant, aut Apostolicis Constitutionibus vel Conciliorum generalium aut particularium, seu Congregationum venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium decretis quae super ritibus graecorum seu aliorum orientalium emanarunt, ullo pacto praeiudicatum, vel praeiudicium ullum illatum esse, non intendimus ».

De fidei professione orientalibus praescripta.

17. Verum his aliisque pluribus praetermissis, libere asseremus, Romanos Pontifices assiduam atque indefessam curam impendisse, ut haereses, a quibus schisma inter occidentalem atque orientalem Ecclesiam dimanavit, profligarent; ac propterea earum detestationem sive abiurationem expoposcisse ab iis orientalibus, qui ad Ecclesiae unitatem redire postulant, aut de quibus explorandum est, utrum vere ad unitatem Apostolicae Sedis pertineant. Duae sunt formulae professionis fidei, quarum prima graecis praescripta a Summo Pontifice Gregorio XIII, *tom. 2 veteris Bullarii Romani trigesima tertia* recensetur; alteram vero pro orientalibus statuit Urbanus VIII. Ambae typis Congregationis de Propaganda Fide editae fuerunt, prima quidem an. 1623, altera an. 1642. Cum autem deinde, anno 1665, Patriarcha Antiochenus Syriacus Hierapolis, necnon Archiepiscopus Syrorum in eadem urbe Hierapolis commorantium, suae fidei professionem ad Urbem transmisissent, eaque data fuisset examinanda Patri Laurentio de Lauraea Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium, tunc temporis Sancti Officii Consultori, et deinde S. R. E. Cardinali: is die 28 aprilis eiusdem anni suffragium suum scripto exaratum protulit, quod etiam subinde fuit a Congregatione probatum, illudque his verbis concluditur: *Omnes sunt admittendae, sed significandum est iis, ad quos spectat, ut in posterum curent, emitti professionem fidei alias a felicis record. Urbano VIII orientalibus praescriptam, quia illa continet*

multarum haeresum detestationem et alia pro iis regionibus necessaria.

De peracta emendatione librorum liturgicorum orientalium.

18. Cumque inimicus homo, ut superseminaret zizania, eo nequitiae nonnullorum animos impulisset, ut missalibus, breviariis ac ritualibus admiscerent errores, quibus ecclesiastici ceterique de clero inficerentur, opportuno consilio et post accuratum examen, Romani Pontifices typis Congregationis de Propaganda Fide missale cophticum maronitarum, sicut etiam illyrica aliaque huiusmodi missalia recudenda curarunt. Neque silentio praeterire possumus, quantum curae ac laboris collatum fuerit in emendando graecorum euchologio, quod e typographia eiusdem Congregationis superioribus mensibus prodiit absolutum. Huius operis examen magno quidem studio sub Urbano VIII Pontifice coeptum fuit, at post non multum temporis intermissum; instauratum autem novissime sub Clemente XII proximo praedecessore nostro: ast Deus Optimus Maximus eo nos gaudio perfudit, ut post innumeras vigilias, labores, ac discussiones, pontificatus nostri tempore, a Cardinalibus, Praesulibus, theologis ac viris orient. linguarum peritissimis peractas, quin nobis ipsi pepercerimus, investigando nimirum, perlegendo et expendendo quaecumque inspicienda, legenda et examinanda erant, gravissimum huiusmodi opus absolutum intueremur, ea semper adhibita accurata ac quodammodo scrupulosa circumspectione, ne quid nimirum laederetur graecus ritus, sed illibatus omnino retineretur et integer; quamvis ceterequin superioribus temporibus inter nostros theologos non defuerint, qui orientalium lyturgiarum rituumque, qui ante schisma in orientali Ecclesia obtinuerant, penitus ignari, improbarent quidquid adversabatur occidentalis Ecclesiae ritui, quem tantummodo probe noverant. Utque uno verbo complectamur omnia, in reditu graecorum schismaticorumque orientalium ad catholicam religionem curando, id unum Romanis Pontificibus maxime curae fuit, ut ex illorum animis radicitus evellerent Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Dioscori, monothelitarum aliorumque errores, in quo infeliciter proruerant; salvis tamen et intactis ritibus ac disciplina, quam ante schisma servabant et profitebantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis lyturgiis ac ritualibus innititur; quin unquam iidem Romani Pontifices poposcerint, ut ad catholicam fidem redeuntes, suum ritum dimittere, et latinum amplecti deberent; id namque Ecclesiae orientalis et graecorum ac orientalium rituum omnimodam secum ferret internecionem, quod porro non modo numquam tentatum, imo vero semper fuit et est ab huius Sanctae Sedis consilio quammaxime alienum.

Quid attendendum a missionariis in conversione schismaticorum procuranda.

19. Ex his, quae huc usque latiori calamo relata sunt, plura facile inferri possunt. Primum quidem, conatus omnes omnemque diligentiam in id unum impendendam esse ab eo missionario, qui orientales schismaticos et graecos ad unitatem, Deo iuvante, redigere contendit, ut scilicet ab illorum animis errores depellat catholicae fidei adversantes, quos maiores eorum amplexi sunt, ut causam aliquam praetenderent, qua se ab Ecclesiae unitate segregarent, subtraherentque ab obedientia ac obsequio Romano Pontifici, tamquam eiusdem Ecclesiae capiti, exhibendis. Quod vero spectat ad argumenta, quibus missionarius uti debet; quum orientales propriis veteribus Patribus magnopere adhaereant, peracta iam res est operosa sedulitate diligentissimi Leonis Allatii aliorumque clariorum theologorum, qui perspicue demonstrarunt, convenire maxime inter sese veteres spectabilioresque graecorum nostrosque Ecclesiae occidentalis Patres in iis omnibus, quae ad dogma pertinent, et ad confutationem errorum, quibus orientales et graeci nunc temporis misere implicantur. Quapropter horum librorum studium maximam indubie afferet utilitatem. Conati sunt sane lutherani praeterito saeculo orientales et graecos in errores suos pertrahere. Idem quoque tentarunt calvinistae infensissimi hostes praesentiae realis Christi in Sacramento Eucharistiae, et transubstantiationis panis ac vini in eiusdem Corpus et Sanguinem; et in partes suas Patriarcham Cyrillum, ut aiunt, adduxerunt. Attamen, cum graeci, licet schismatici, animadvertissent, novis lutheranorum erroribus adversari suorum veterum Patrum auctoritates, praesertim Sanctorum Cyrilli, Ioannis Chrysostomi, Gregorii Nysseni, Ioannis Damasceni, tum authentica argumenta, quae ex ipsorum lyturgiis depromuntur, ad realem praesentiam et transubstantiationem asserendam, se decipi minime passi sunt, nec ullo modo a catholica veritate recedere voluerunt. Constat id omne ex Schelestrate in dissertatione: *De perpetua consensione Orientalis Ecclesiae contra Lutheranos:* sub titulo: *De transubstantiatione, p. 717, tom. 2 Actorum Ecclesiae Orientalis.* Iidemque duabus in Synodis Patriarcham Cyrillum, seu edita sub eius nomine calviniana dogmata, unanimes damnarunt, uti videre est apud Christianum Lupum, *part. 5,* ad Concilia generalia et provincialia, ac potissimum in dissertatione: *De quibusdam locis, cap. 9 in fine.* Ex quo primum haud levis spes affulget, fore ut ipsorum oculis subiectae auctoritates veterum Patrum, quae novis eorumdem erroribus adversantur, catholico autem nostro dogmati favent quam maxime, facilem iisdem viam ad reditum sternant, eosque ad veram conversionem impellant. Deinde alterum quoque potest inferri, nimirum, non modo opus non esse, ad orientales et graecos in viam unitatis revocandos, ut laedantur ipsorum ritus aut corrumpantur; quandoquidem id semper alienum fuit ab instituto Sedis Aposto-

licae, quae, in hac ipsa sacrorum rituum materia, zizania a tritico, quoties oportuit, secernere novit; verum etiam conatus huiusmodi plurimum optatissimae unioni adversari, uti recte perpendit Thomas a Iesu: *De conversione omnium gentium procuranda, lib. 7, cap. 2:* « Ostendendum etiam, Ecclesiam Romanam probare ac indulgere, ut quaevis ecclesia propriis adhaereat ritibus et caeremoniis: quippe cum schismatici propriorum rituum tenacissimi sint. Ne ipsos eorum perdendorum ingruens aliqua suspicio ab Ecclesia Romana alienet et avertat, opportune laborandum, ut se in propriis coeremoniis insectandis conservandos esse persuadeantur ». Demum ex iis, quae supra praeiecimus, illud tertio infertur, cavendum omnino esse missionario, qui orientalem schismaticum reducere cupit, ne eumdem ad latinum amplectendum ritum inducere contendat: munus namque hoc unum missionario demandatur, revocandi orientalem ad catholicam fidem, non vero ipsum ad latinum ritum inducendi.

De transitu a latino ritu ad graecum.

20. Peracta in Florentino Concilio unione, quam superius memoravimus, quidam ex latinis catholicis, in Graecia commorantes, arbitrati sunt, fas sibi esse a latino ritu ad graecum transire, allecti fortasse ea libertate, quam noverant graecis praeservatam, retinendi post Ordinem sacrum uxores, quas duxerant antequam eumdem sacrum Ordinem suscepissent. Verum Nicolaus V Pontifex Maximus opportunum huic corruptelae remedium afferre non praetermisit, uti colligitur ex eius Constitut. *tom. 3, part. 3 Bullarii* recenter Romae editi, *pag. 64: Pervenit ad aures nostras, quod in locis, quae catholicis in Graecia subiecta sunt, multi catholici, unionis praetextu, ad graecos impudenter transeunt ritus. Mirati admodum sumus, mirarique non desistimus, nescientes, quid sit, quod eos a consuetudine ac ritibus, in quibus nati enutritique sunt, in alienigenarum ritus transposuit; nam, etsi laudabiles orientalis Ecclesiae ritus sint, non licet tamen ecclesiarum ritus permiscere, neque id unquam sacrosancta Synodus Florentina permisit.* Cum latinus ritus is sit, quo utitur Sancta Romana Ecclesia, quae mater est et magistra aliarum Ecclesiarum, reliquis omnibus ritibus praeferri debet: Ex quo porro sequitur, haud licere a latino ritu ad graecum transire; nec illis, qui semel a ritu graeco vel orientali, ad latinum transierunt, licitum esse ad pristinum graecum ritum reverti (quemadmodum patet ex nostra Constitut.: *Etsi Pastoralis 57, § 2, num. 13 Bullarii nostri tom. 1*), nisi forte peculiares quaedam intercederent circumstantiae, quae impertiendam hac super re dispensationem suaderent; sicuti superioribus temporibus aliquando, et nunc etiam accidit in collegio Maronitarum huius nostrae Urbis, in quo, cum quandoque reperiatur aliquis Societatis Iesu sacerdos, qui societatem ingrediens dispensationem obtinuit transeundi ad latinum ritum, nonnunquam cum eo dispensatur, ut in ecclesia memorati collegii Missam celebret ritu syriaco et chaldaico, divinumque Officium iuxta eumdem ritum persolvat, nempe, ut alumnos in eodem collegio degentes ritum ipsum edoceat. Id liquido apparet ex pluribus Decretis Congregationis Sancti Officii, uno videlicet dato die 30 decembris anno 1716, altero die 14 decembris anno 1740, nec non ex alio recentiori, quod Nos die 19 augusti anno 1752 iussimus expediri.

De transitu a graeco seu orientali ritu ad latinum.

21. Haec transitum de latino ad graecum ritum spectant. Nunc autem verba facientes de transitu ab orientali et graeco ad latinum ritum, libere affirmari potest, transitum huiusmodi non aeque ac primum interdici; sed tamen nequaquam licere missionario, graecum et orientalem, ad catholicae Ecclesiae unitatem reverti exoptantem, inducere, ut proprium ritum dimittat, cum ex hac agendi methodo, gravissima detrimenta, sicuti paulo ante innuimus, promanare possint. Melchitae catholici libenter olim a graeco ritu ad latinum transibant, sed vetitum id ipsis fuit, monitique missionarii, ne illis suaderent huiusmodi transitum; cuius permissio est privativo Apostolicae Sedis iudicio reservata, uti manifestum fit ex nostra Constitutione *Demandatam 85, § 35, Bullarii tom. 1:* « Praeterea omnibus et singulis melchitis catholicis, graecum ritum servantibus, ad latinum ritum transire deinceps expresse vetamus. Missionariis vero omnibus districte mandamus, sub poenis etiam infra exprimendis, aliisque arbitrio nostro decernendis, ne cuiquam ex illis huiusmodi transitum a graeco ad latinum ritum suadere praesumant, aut etiam cupientibus, inconsulta Apostolica Sede, permittant ». Consentanea sunt decreta Urbani VIII praedecessoris nostri quoad ritum graeco-ruthenum, edita in Congregatione Propagandae Fidei coram ipso habita die 7 februarii ac die 7 iulii anno 1624. Quamvis autem aequum videri posset liberam italo-graecis relinquere facultatem transeundi, si liberet, a graeco ritu ad latinum, cum ipsi inter nos versentur, et latino Episcopo subiiciantur; tamen constitutum est, ut Sedis Apostolicae auctoritas ad id omnino requiratur, si de ecclesiasticis tam saecularibus quam regularibus agatur: si vero laici et saeculares transitum huiusmodi postulaverint, Episcopi sufficiat licentia, quam ob iustas ac legitimas causas, certis quibusdam personis moderate impertiri quidem potest, numquam vero integrae universitati: in hac enim facti specie Apostolicae Sedis auctoritate opus est, uti videre est in saepe memorata nostra Constitut.: *Etsi Pastoralis 17, § 2, n. 14, Bullarii nostri tom. 1.*

22. Quod si defendi vellet, orientales et

graecos haeresim abiurantes et ad unitatem redeuntes, allici iure posse ac urgeri ad ritus suos deserendos, ritumque latinum omnino amplectendum, eo quod alias probatum fuerit, atque nunc etiam probetur, orientales et graecos latinum aliquem ritum sectari, opportuna haud desideratur responsio. Orientales siquidem et graeci duas veluti classes constituunt. Prima est illorum, qui nequaquam contenti iis rebus, quae ab Apostolica Sede ipsis ad unionem conservandam permittuntur, extra honestatis limites impudenter feruntur, iactantes, quaecumque a se fiunt, ea iure optimo fieri, latinosque decipi, qui eadem non peragunt. Exemplo sit azymum: Graeci et orientales, ut catholici sint, fateri debent, tam azymum quam fermentatum panem materiam esse aptam sacramenti Eucharistiae, et quemlibet Ecclesiae suae ritum sectari oportere; adeo ut quicumque improbat Ecclesiae latinae ritum, quae in Eucharistiae consecratione utitur azymo, a veritate recedat, et in errorem prolabatur. Hilarion monachus in Dialectica sua Oratione, quam Leo Allatius e graeco sermone latinam reddidit *tom. 1 Graeciae Orthodoxae,* edita typis Congregationis de Propaganda Fide 1652, *p. 762,* haec advertit: « Et haec scripsi vobis, graeci amicissimi, non panem vestrum, quem adorans aeque ac nostra azyma revereor, incusans, sed exponens, neque probe, neque ut christianum addecet, vos gerere, dum latinorum azyma dicto factoque laeditis, iniuriaque afficitis; in utrisque enim, ut dictum est, verus Christus continetur ». Exemplum est itidem ex libertate, orientali et graecae ecclesiae relicta, ut qui in ea sacris Ordinibus, atque etiam sacerdotio, sunt insigniti, uxores, quas ante sacrum Ordinem duxerunt, retinere valeant, uti patet *ex Can. Aliter, dist. 31, et cap. Cum olim, de clericis coniugatis.* Romani siquidem Pontifices perpendentes id nequaquam adversari divino aut naturali iuri, sed tantum ecclesiasticis sanctionibus, opportunum censuerunt consuetudinem hanc inter graecos et orientales vigentem ferre, ne, auctoritate apostolica ad eam evellendam interposita, illis occasio ab unitate recedendi praeberetur; quod recte expendit Arcudius *in sua Concordia, lib. 7, cap. 33.* Attamen, quis crederet? non defuerunt, neque desunt ex graecis et orientalibus, qui latinam Ecclesiam iniuria arguunt, tamquam matrimonio infensam, propterea quod exemplum Apostolorum sequuta, in suis subdiaconis, diaconis ac presbyteris coelibatum servaverit ac servet. Legi potest Hincmarus Rhemensis, *tom. 2 suorum Operum, epist. 51.* Tertium denique exemplum suppeditant nonnulli ex cophtis, quorum ritus praescribit, ut post Baptismi sacramentum illico adiungatur Confirmatio; qui mos non obtinet in occidentali Ecclesia, quae plerumque talem in confirmandis aetatem exposcit, ut, quid bonum, quidve malum sit, possint dignoscere. Romana Ecclesia veteri cophtorum consuetudini non adversatur. Verum (quis crederet?) extant ex ipsis nonnulli, qui Baptismum a latinis collatum ideo perhorrescunt, quod post Baptisma Confirmationis etiam sacramentum non fuerit ministratum. Quamobrem in nostra Constitutione 129 quae incipit: *Eo quamvis tempore, Bullarii nostri tom. 1,* merito a Nobis arguuntur atque damnantur: *Sicuti lenitati et patientiae Sedis Apostolicae consonum videri potest, quod cophti in suo iamdiu recepto et ab eadem Sede tolerato usu perseverent, ita ferendum non est, quod Baptismum ritu latino, et seorsim a Confirmatione collatum, acerbo alienoque animo perhorrescant.*

De orientalibus qui aliquos ex latinorum ritibus sequuntur.

23. Alteram classem constituunt orientales illi et graeci, qui retinentes maiori ex parte ritus suos, et insimul occidentalium ac latinorum ritus venerantes, ex his nonnullos sequuntur, ex veteri consuetudine suis Episcopis perspecta et approbata, atque insuper ab Apostolica Sede expresse vel tacite confirmata. In hanc classem referri possunt armeni ac maronitae, qui fermentatum deseruerunt, et Eucharistiam, sicuti latini, in azymo conficiunt, uti testatur Abrahamus Echellensis *in suo Eutychio vindicato, pag. 477:* quam quidem Armenorum disciplinam nonnulli tribuunt Sancto Gregorio Illuminatori, primo Armeniae Episcopo, qui initio saeculi quarti, sub Tiridate rege, martyrii coronam est consecutus; alii vero, Sancto Silvestro Pontifici, aut Sancto Gregorio Magno, eamdem referunt acceptam, in conventionibus cum armenorum natione initis, quae indicantur a Summo Pontifice Gregorio IX in suis epistolis ad regem Armeniae, relatis a Raynaldo *ad annum Christi 1139 num. 82.* Eam certe disciplinam ab Ecclesia Romana armenis traditam testatur eorumdem armenorum Sisensis Patriarcha Gregorius in epistola ad Haytonem patrem Leonis regis Armeniae coenobitam *apud Clementem Galanum, in conciliatione Ecclesiae Armenae cum Romana, tom. 1, pag. 449,* sic scribens: *Quocirca nos a S. Romana Ecclesia, aquae commixtionem* (cum vino in calice) *modo recipimus, sicut ab eadem acceptum habemus azymum, mitram episcopalem, et modum signandi crucem.* Vetustissima pariter et immemorabilis est apud maronitas azymi consuetudo, uti constat ex Morini *Praefatione ad maronitarum Ordinationes, et ex bibliotheca orientali Assemani senioris tom. 1, pag. 410,* atque ex Synodo nationali in Monte Libano congregata anno 1736 et a Nobis in nostra Constitutione: *Singularis 31, Bullarii nostri tom. 1,* confirmata, in cuius *cap. 12 de sacramento Eucharistiae,* cum de azymo agitur, haec leguntur: *Qui mos et in Ecclesia nostra et apud Armenos quoque in oriente ab immemorabili tempore obtinuit,*

et authentica etiam huius rei documenta proferre possumus. Hoc Armenorum et Maronitarum exemplo, Bessarion Cardinalis, cui primum abbatia Cryptae Ferratae sita in dioecesi Tusculana fuerat commendata, id obtinuit, ut graeci monachi in illa degentes in azymo consecrarent, quemadmodum legere est in nostra Constitutione 33 *Inter multa, § Ut autem, Bullarii nostri tom. 2.* Idem semper servatum fuit, hodieque servatur in ecclesia collegiata Sanctae Mariae *de Grafeo* nuncupata, sita in Messanensi dioecesi, licet ipsius clerus ritum graecum retineat, uti videri potest in nostra Constitutione 81 quae incipit: *Romana Ecclesia, § 1, Bullarii nostri tom. 1,* quamvis, generatim loquendo, presbyteri italo–graeci servent in Italia insulisque adiacentibus suam disciplinam ac ritum conficiendi in fermentato Eucharistiam: moneanturque impensius sacerdotes latini vel graeci ritus, ne Eucharistiam consecrare ac distribuere iuxta proprium cuiusque ritum praetermittant, uti declaratur in nostra Constitutione, quae incipit: *Etsi pastoralis, 57, § 1, n. 2, ac § 6, num. 10 et seq., Bullarii nostri tom. 1.*

24. Quibusdam Ecclesiae saeculis is usus obtinuit, ut post Baptismi sacramentum Eucharistia pueris traderetur, haud quidem ex ea persuasione, quod esset ad aeternam puerorum salutem necessaria, sed ex mero ritu et consuetudine tunc temporis vigente, quemadmodum sapienter animadverterunt Tridentini Concilii Patres *sess. 21, cap. 4.* Inter errores armenorum a Summo Pontifice Benedicto XII damnatos, quinquagesimus octavus apud Raynaldum, *ad annum Christi 1341, § 66,* recensetur ille, quo asserebant, ad aeternam puerorum salutem et Baptismi iis collati validitatem, praeter Confirmationis sacramentum, Eucharistiam etiam iisdem esse administrandam. In occidentali Ecclesia, quadringentis et amplius ab hinc annis, Eucharistia pueris post Baptismum non administratur. Verum negari nequit, in libris ritualibus orientalium commemorari ritum Communionis post baptismum pueris administrandae. Assemanus iunior *lib. 2 Codicis Liturgici cap. 149,* refert ordinem ministrandi Baptismi apud melchitas; *pag.* quoque *309* ordinem exscribit Baptismi Syrorum, editum a Philoxeno Mabugensi Episcopo monophysita; *pag. 306* alium affert desumptum a veteri rituali Severi Patriarchae Antiocheni monophysitarum antesignani: et *lib. 4 eiusdem codicis, pag. 95 et pag. 130,* binos alios ordines commemorat, servatos inter armenos et cophtos in ministrando Baptismo; quibus omnibus praecipitur, ut pueris post baptismum Eucharistia ministretur. Huiusmodi consuetudinem apud nonnullos graecos ad sua usque tempora obtinuisse ait Sanctus Thomas *3 par., qu. 70, art. ad tertium.* Arcudius vero *lib. 3 de sacramento Eucharistiae, cap. 11,* hanc esse graecorum disciplinam scribit; sed aliqui ex ipsis paulatim eam deseruerunt, propter incommoda quae in praebenda pueris post baptismum Eucharistia identidem intercedebant. In actis Synodi sub Sergio Patriarcha Antiocheno Maronitarum, habitae in Monte Libano die 18 sept. anno 1596, cui praefuit pater Hieronymus Dandinus Societatis Iesu, nuncius Summi Pontificis Clementis VIII, haec verba leguntur *can. 7: Quoniam parvulis sine indecentia maxima, venerabilisque Sacramenti iniuria, vix potest sacra Christi Communio dari; caveant in posterum sacerdotes universi, ne quemquam ante rationis usum ad eam admittant.* Consentiunt patres Concilii Zamosciae habiti anno 1720 *§ 3 de Eucharistia.* Idemque firmatum legitur in actis Libanensis Concilii, quod habitum fuit anno 1736 *cap. 12 de sanctissimo Eucharistiae sacramento, num. 13,* cuius haec sunt verba: « In antiquis quidem nostris ritualibus, sicut et in Ordine vetere Romano et in euchologiis graecis, Baptismatis ministro diserte praecipitur, ut infantes mox a baptismate, chrismate delibutos, pascat Eucharistiae sacramento; nihilominus, tum ob debitam huic augustissimo Sacramento reverentiam, tum quia idem non est infantibus ac pueris ad salutem necessarium, praecipimus, ut infantibus quidem, dum baptizantur, Eucharistia nullo pacto, neque sub specie sanguinis, porrigatur ». Quod ipsum statutum fuit in Constitutione pro italo–graecis, incipiente: *Etsi pastoralis, 57, § 2, num. 7, Bullarii nostri tom. 1.*

25. De usu administrandae Eucharistiae sub utraque specie etiam laicis, quoad orientalem et graecam disciplinam, fuse disserunt Arcudius *in concordia occidentali et orientali in Sacramentorum administratione lib. 3, cap. 4;* et Leo Allatius *in prima adnotatione de Ecclesiae occidentalis atque orientalis consensione, p. 1614 et seq.* In graecorum Collegio, quod Romae, uti diximus, erectum fuit a Gregorio XIII, ea indicta lege, ut graecus in eo ritus servetur, quemadmodum praefatus Leo Allatius testatur *in suo tractatu de aetate et interstitiis, pag. 21,* iuxta ipsius Collegii constitutiones a Summo Pontifice Urbano VIII confirmatas, debent alumni quolibet octiduo animi sordes Poenitentiae sacramento eluere et sacram Eucharistiam sumere quintadecima quaque die, nec non festis diebus solemnibus, et singulis Adventus et Quadragesimae Dominicis, latino ritu servato; in festis vero solemnioribus, videlicet diebus Paschatis, Pentecostes et Nativitatis Domini, iubentur, Eucharistiam sub utraque specie ritu graeco suscipere, hoc est in fermentato, Sanguine intincto, ad quam rem perficiendam sacerdos utitur parvo cochleari, quod infert in os suscipientis Eucharistiam. Idemque ritus servatur cum reliquis graecis omnibus, qui prae-

dictis diebus ad solemne Missae sacrificium conveniunt, aut qui aliis per annum diebus in ecclesia graeci collegii sibi Eucharistiam ritu graeco administrari deposcunt. Verum Italo-graecis in memorata Constitutione: *Etsi pastoralis, 57, § 6, num. 15,* Eucharistia sub utraque specie permittitur in illis dumtaxat locis, in quibus ritus huiusmodi Communionis retentus viget; sed in aliis locis, ubi idem ritus obsolevit, Eucharistia sub utraque specie prohibetur. Ab hac disciplina seu ritu sumendae Eucharistiae sub utraque specie, licet in universa orientali Ecclesia recepto, nonnulli graeci et orientales paulatim recesserunt. Lucas Holstenius, vir sane clari nominis, in epistola ad Bertoldum Nimisium, quae typis impressa affertur in opusculis graecis ac latinis Leonis Allatii, *pag. 436* refert, se praebuisse Eucharistiam in Vaticana Basilica presbytero abyssino, qui cum aliis communicaturus, ad sacram Mensam accesserat: cumque eum sub unica specie panis Eucharistiae participem fecisset, ab ipso deinde, atque etiam ab aliis aethiopicae Ecclesiae hominibus, sciscitatum fuisse, an, iuxta patriae suae ritum, Eucharistiam sub unica specie panis sumere consuevissent, tam in solemni lyturgia, quam in quotidiana Eucharistiae participatione, nec non cum ad eos extremo morbo laborantes eadem in Viaticum afferebatur; testaturque, fuisse sibi ab ipsis responsum, sacram Synaxim sub unica specie panis sibi semper administrari, hancque esse veterem disciplinam in aethiopica Ecclesia obtinentem. Inter quaesita Summo Pontifici Gregorio XIII proposita a Patriarcha maronitarum, sequens recensetur: *Nos Missam celebramus in solo azymo: laici vero nostri sub utraque specie communicant.* Cui Pontifex his verbis respondit: *Si volunt in azymo consecrare, non videntur prohibendi: laici vero a Communione sub utraque specie pedetentim arcendi sunt; totus enim Christus sub unica specie continetur, et in usu calicis magnum est periculum effusionis:* uti legere est in laudato Opere Thomae a Iesu *de Conversione omnium gentium, p. 486 et seq.* Patres etiam Concilii Libanensis habiti anno 1736, *part. 2, cap. 12, num. 21,* huiusmodi consilio inhaerentes, ita statuerunt: *Deinde eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae institutis inhaerentes, praecipimus et stricte mandamus, ne cui laico, vel clerico in minoribus Ordinibus constituto Communio sub utraque specie tradatur, sed sub una tantum, panis nimirum;* solis diaconis permittentes, ut in solemni missa Eucharistiam sub utraque specie a sacerdote accipiant, hoc est sub specie panis primum, deinde sub specie vini, semoto tamen, quem superius commemoravimus, cochlearis usu: *At vero diaconis, ut Hostiam Sanguine intinctam a sacerdotibus, in solemni praesertim Missa, accipere possint et valeant, concedimus et permittimus, modo absit cochlearis usus, quem omnino abrogandum esse statuimus.*

De ritu fundendi aquam in Calicem post consecrationem.

26. Postremo, ab Eucharistiae Sacramento minime recedentes, hic verba faciemus de alio orientali et graeco ritu, quo nimirum sacerdos, post consecrationem et ante consummationem, paululum aquae tepidae in calicem fundit. Matthaeus Blastares *in Syntagmate alphabetico, cap. 8, tom. 2 Syndicon Graecorum, p. 153,* huiusmodi ritum commemorat, eiusque significationem affert. Eutymius, Tyri ac Sidonis Archiepiscopus, anno 1716 Summo Pontifici Clementi XI nonnulla quaesita proposuit, quorum alterum erat, utrum melchitis Syriae ac Palestinae interdicere deberet, aquam tepidam divino Sanguini post consecrationem effundere; cui redditum fuit responsum, adiecta accurata et luculenta instructione ab eodem Pontifice approbata, eiusque iussu transmissa ad superiores missionum Terrae Sanctae, Damasci, Tyri ac Sidonis: iniunctumque praedicto Archiepiscopo, ne id fieri interdiceret cum de veteri ritu ageretur, Sedi Apostolicae perspecto, et graecis sacerdotibus etiam Romae permisso; per quem innuitur fidei ardor, qui maximus erga tantum mysterium debet conflagrare. Simile responsum die 31 martii an. 1729 iussu Benedicti Papae XIII datum fuit Cyrillo graecorum Patriarchae Antiocheno. Idem ritus Italo-graecis permittitur in citata Constitutione 57 *Etsi pastoralis, § 6, n. 6, Bullarii nostri t. 1.* Cumque subinde in congregationibus, quae pro correctione librorum ecclesiasticorum Ecclesiae orientalis habitae fuerunt, ad accuratiorem quamque diligentiam adhibendam, diu multumque disputatum fuisset, utrum interdicendus esset ritus infundendi in calicem aquam tepidam post consecrationem, cum potissimum Humbertus Cardinalis Sylvae Candidae superioribus temporibus plurimum adversus eumdem ritum declamasset, responsum fuit die 1 Maii 1746, *nihil esse innovandum,* quod rescriptum a nobis deinde confirmatum fuit; rationibus enim a praedicto Cardinali allatis nil ponderis inesse compertum fuit. Attamen Patres Concilii coacti in urbe Zamosciae an. 1720, graves ob causas inhibuerunt ruthenis sacerdotibus, ne aquam tepidam post consecrationem in calicem funderent, uti legi potest § 4 de celebratione missarum: *Inhibet gravem ob causam et abrogat toleratam in orientali Ecclesia consuetudinem, ad consecratas calicis species aquam tepidam effundendi, post consecrationem, ante Communionem.*

Allata exempla transitum a ritu orientali ad latinum haud insinuant.

27. His sane et aliis huiusmodi exemplis, quae facile cumulari possent, inniti valent, qui erga transitum a ritu orientali et graeco ad occidentalem et latinum sunt propensiores, vel certe quidem putant se iure optimo agere, dum schismaticum orientalem ad Ecclesiae unitatem

convertentes, satagunt eumdem abducere ab aliquo ritu, quem servare consueverat, priusquam nobis consentiret, quique a reliquis omnibus orientalibus et graecis, ex veteri disciplina, firmiter retinetur et observatur. Verum neque superius allata exempla, nec cetera, quae in medium proferri possent, quidquam illorum opinioni suffragantur; tum quia in transitu a ritu orientali et graeco ad occidentalem et latinum tollitur omnino quidquid ab ipso graeco ritu praescribitur et nostro ritui non conformatur; quod non contingit in iis exemplis, quae paulo superius allata sunt, quibus nempe, si aliqua peculiaris solemnitas graeci ritus tollitur, ritus tamen ipse ac reliqua omnia eodem ritu praescripta intacta servantur; tum quia partem etiam aliquam demere ex aliquo ritu, salvis reliquis eiusdem ritus partibus, non est privati viri, sed auctoritas publica intercedat necesse est, videlicet supremi Capitis universalis Ecclesiae, qualis plane est Romanus Pontifex. Sedes namque Apostolica ea est, quae praecipuo quodam iure, quoties ipsi consentaneum visum fuit, ab orientali Ecclesia ritum aliquem desumpsit et in occidentalem traduxit; aut permisit, ritum aliquem graecum in aliqua latina Ecclesia usurpari. Eademque Apostolica Sedes, quoties deprehendit, periculosum vel indecorum aliquem ritum in orientalem Ecclesiam irrepsisse, illum damnavit, improbavit, eiusque usum ipsi prohibuit. Ipsa denique Apostolica Sedes, postquam vidit orientalem vel graecam aliquam gentem in aliquo latino ritu usurpando ac defendendo vehementer obfirmatam, ac potissimum, quando ritus ipse ab antiquo tempore invectus fuit, ab omnibus communiter receptus, atque expresse vel tacite ab Episcopis probatus, ritum ipsum tolerando, et sic approbando, firmavit.

De recitatione Symboli in Missa.

28. In latina et graeca lyturgia recitatur Symbolum, eiusque recitatio in Missae sacrificio in Ecclesia orientali primum instituta, deinde in occidentalem traducta est, uti colligitur ex tertio Toletano Concilio habito an. 589 *can. 2, tom. 5* collectionis Labbeanae, *p. 1009*, cuius haec sunt verba: *Ut per omnes ecclesias Hispaniae vel Gallaeciae, secundum formam orientalium ecclesiarum, Concilii Constantinopolitani, hoc est centum quinquaginta Episcoporum, Symbolum Fidei recitetur, et, priusquam dominica dicatur oratio, voce clara a populo decantetur.* Quare cum Patres Toletani Concilii, disciplinam statuentes recitandi symbolum in sacrificio Missae, se ad ritum orientalium Ecclesiarum retulerint, id satis est ad agnoscendum, huiusmodi disciplinam in oriente primo institutam, inde in occidentem promanasse; sicut advertunt Cardinalis Bona *Rerum Lyturgic. lib. 2, cap. 8, num. 2*, et Georgius *de Lyturgia Romani Pontificis tom. 2, cap. 20, num. 2, pag. 176*. Sed rem proposita persequendo, Amalarius *in lib. de Divinis Officiis, cap. 14*, postquam innixus auctoritate S. Paulini in epistola *ad Severum* retulit, sola feria sexta maioris Hebdomadae in Ecclesia Hyerosolymitana exponi consuevisse populo adorandam Crucem ipsam, in qua Christus pependit, huic graecae consuetudini tribuit ritum adorationis Sanctae Crucis, quae in officio praedictae feriae sextae in unaquaque latina ecclesia ad hanc usque diem peragitur.

De adoratione S. Crucis in Feria VI. maioris hebdomadae.

De Trisagio.

Trisagium « *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis* » pia est et frequentissima oratio in graecorum lyturgia, uti recte advertit Goarius in notis ad euchologium in Missam Sancti Ioannis Chrysostomi, *pag. 109*. Eius orationis origo repetitur ex miraculo, quod medio saeculo quinto contigit in regia Urbe Constantinopolitana; cum enim Theodosius Imperator, Patriarcha Proclus, et universus populus in aperto ad Deum preces effunderent, ut ab imminenti liberarentur excidio, quod ipsis ab ingentibus terrae motibus impendebat, puer repente in caelum rapi visus est, qui deinde in terram demissus, retulit se audivisse angelos praedictum trisagium canentes; quare, cum iussu Procli Patriarchae universus populus illud devote cecinisset, terra ab horrendis, quibus concutiebatur, motibus conquievit, uti narrat Nicephorus *lib. 14, cap. 46*, recteque prosequitur Summus Pontifex Felix III in epistola tertia ad Petrum Fullonem, quae habetur *tom. 4* Labbeanae collectionis. Idem vero trisagium in ecclesia occidentali feria sexta maioris Hebdomadae graece et latine canitur, quemadmodum apposite animadvertit Cardinalis Bona *rerum lyturgicar. lib. 2, cap. 10, num. 5*. Aquae benedictio in pervigilio Epiphaniae ex ritu est graecae Ecclesiae proprio, uti fuse ostendit Goarius in euchologio, sive rituali Graecorum, et nunc etiam praedicta die Romae in Graecorum ecclesia peragitur haec functio, de qua in allata superius Constitutione nostra 57, *§ 5, num. 13*, mentio habetur, simulque permittitur, ut fideles eadem aqua benedicta aspergantur. De transitu ritus huiusmodi ab orientali in aliquas occidentales ecclesias videri possunt, quae congessit eruditus Martene *tom. 4 de antiqua Ecclesiae disciplina in divinis celebrandis officiis cap. 4, num. 2*, et quae afferuntur in dissertatione Patris Sebastiani Pauli Congregationis Matris Dei, edita Neapoli anno 1719 cui titulus est: *De ritu Ecclesiae Neritinae exorcizandi aquam in Epiphania*, ubi propterea, *part. 3, pag. 177 et seq.*, opportune monet Episcopos, in quorum dioeceses longo ab hinc tempore nonnulli ritus ab Ecclesia graeca manantes irrepserunt, ut illos de medio tollere tantopere non contendant, ne turbae excitentur, et ne videantur improbare rationem agendi Sedis Apostolicae, quae ritus illos irrepsisse cum optime noverit, eosdem ta-

De aquae benedictione in pervigilio Epiphaniae.

men servari et frequentari permisit; affertque etiam *pag. 203* epistolam Cardinalis Sanctorii, Sanctae Severinae nuncupati scriptam, an. 1580 ad Fornarium Episcopum Neritinum, de hoc ipso argumento, et de aquae benedictione in Epiphania, quae in illa dioecesi peragitur. Graecus pariter est ritus spoliandi ac lavandi altare feria quinta in Coena Domini. Huiusce ritus monumentum aliquod reperire est saeculo quinto: de eo namque meminit in suo Typico, sive Ordine recitandi officium ecclesiasticum per totum annum, S. Sabas, qui, teste Leone Allatio, *de libris Ecclesiae Graecae dissert. 1, pag. 9,* obiit anno 451. Si certo affirmari posset Ordinem Romanum ab Hittorpio editum, Sancti Gelasii Pontificis iussu compositum fuisse, ritus lavandi altaria feria quinta in Coena Domini praedictae graecorum consuetudini fuisset quasi coaevus in latina Ecclesia, cum Sanctus Gelasius Pontifex obierit *anno 496*. At, cum incertum sit, utrum Romanus Ordo ab Hittorpio vulgatus, tantae antiquitatis merito praestet, et cum, eo seposito, Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus inter Latinos primus extiterit, qui de hoc ritu verba fecerit; idemque S. Isidorus *anno 636* sit vita functus: satis id est, ut ab oriente in occidentem fluxisse asseratur ritus praedictus, qui in hunc usque diem in nonnullis latinis ecclesiis retinetur, probantibus Romanis Pontificibus; ac potissimum in Vaticana Basilica, magna cum solemnitate, feria quinta in Coena Domini quotannis peragitur. Suaresius Episcopus Vasionensis et Vicarius eiusdem Basilicae, et Ioannes Chrysostomus Battellus Archiepiscopus Amasenus, qui in minoribus inter beneficiatos eiusdem Basilicae recensebantur, duas elucubratissimas dissertationes ediderunt, quibus praedictum ritum illustrarunt. Quae cum ita sint, exemplis et factis aperte evincitur id, quod paulo ante diximus, Sedem videlicet Apostolicam non omisisse, quoties id rationi consentaneum putavit, aut adsciscere in universam latinam Ecclesiam ritus, qui ad graecam Ecclesiam pertinebant, aut permittere, ut peculiares quidam ritus, qui ab Ecclesia graeca manarunt, in nonnullis latinis ecclesiis observarentur.

De ritu spoliandi altaria in feria V. in Coena Domini.

29. Iam paulo superius de Trisagio sermonem fecimus, deque admirabili modo, quo cantus eiusdem in sacras lyturgias Ecclesiae graecae inductus fuit: cum tamen Petrus Fullo, cognomento Gnaphaeus, fautor haeresis Apollinaristarum, qui Theopaschitae appellantur, ausus fuisset Trisagio haec verba superaddere: *Qui crucifixus es pro nobis:* sicuti fuse commemorat Theodorus lector *lib. 1 Collectanear.*; et cum nonnullae orientis Ecclesiae, ac potissimum syrorum et armenorum, opera cuiusdam Iacobi syri, teste Nicephoro *lib. 18, cap. 52,* additamentum huiusmodi recepissent; haud praetermiserunt Romani Pontifices, pro ea quam in similibus adhibere consueverunt vigili cura et sollicitudine, inolescenti errori se opponere, factamque Trisagio additionem interdicere; reiicientes interpretationem, qua, Trisagium ipsum referendo ad solam Filii personam, non vero ad tres divinas personas, omnem erroris suspicionem adimi iactabatur: tum quia periculum semper supererat adhaerendi dogmati haeretico; tum quia humanae mentis praesumptio ad solum Christum referre minime poterat hymnum ab Angelis in honorem Sanctissimae Trinitatis decantatum, sicuti Lupus recte expendit *in notis ad can. 81 Trullanum,* ubi, postquam retulerat, a Felice III et Romana Synodo damnatam fuisse additionem Trisagio factam, ita subdit: *Hymnum soli divinae Trinitati a Sanctis semper Angelis adcantatum, Ecclesiae ab ipso Deo ac eisdem sanctis Angelis in puero laudato traditum, malorum regiae urbi impendentium depulsione confirmatum, ac in eodem sensu et ratione comprobatum a plena Synodo Chalcedonensi, constanter asseverant* (loquitur de Episcopis tum in praedicto Concilio congregatis, tum de aliis additamentum Trisagio factum respuentibus), *humana praesumptione non potuisse ad solum Christum detorqueri.* S. Gregorius VII eodem religionis studio ipsam additionem improbavit in sua epistola prima, *lib. 8,* scripta ad Archiepiscopum sive Patriarcham armenorum. Idem praestitit Gregorius XIII in nonnullis suis epistolis datis in forma Brevis ad Patriarcham maronitarum die 14 Februarii anno 1577. In Congregatione autem Propagandae Fidei, habita die 30 Ianuarii anno 1635, cum examini subiecta fuisset armenorum lyturgia, atque inter caetera accuratiori disquisitione fuisset expensum, utrum additio inducta Trisagio tolerari posset, ob indicatam causam, quod illa ad solam Filii personam relationem habere posse videretur, responsum fuit, id non esse permittendum additionemque omnino expungendam. Summus Pontifex Gelasius in sua epistola nona ad Episcopos Lucaniae, *cap. 26,* pravam consuetudinem iam invectam improbavit, iuxta quam mulieres sacerdoti missam celebranti inserviebant; cumque idem abusus ad graecos transiisset, Innocentius IV in epistola, quam ad Episcopum Tusculanum dedit, eumdem severissime proscripsit: *Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio repellantur omnino.* Iisdem verbis a Nobis quoque prohibetur in nostra saepius citata Constitutione: *Etsi pastoralis § 6, n. 21, tom. 1 Bullarii nostri.* Feria quinta maioris hebdomadae, ad recolendam Dominicae Coenae memoriam, sacra peragitur functio, in qua consecratur panis, qui per integrum annum asservatur, ut illo reficiantur lethali morbo laborantes, qui sacram Synaxim in Viaticum sibi deposcunt, et aliquando etiam eidem pani con-

De reprobata additione ad Trisagium.

De improbato mulierum servitio ad altare in Missa.

De illicita per integrum annum asservatione panis consecrati in Fer. V. maioris hebdomadae.

secrato exigua pars vini consecrati effunditur. Ritus huiusmodi a Leone Allatio describitur in suo tractatu *de Communione orientalium sub specie unica, num. 7.* Summus Pontifex Innocentius IV in laudata epistola ad Episcopum Tusculanum, ritum illum graecis interdixit, hisce verbis: *Eucharistiam in die Coenae Domini consecratam, usque ad annum, praetextu infirmorum, ut videlicet de illa ipsos communicent, non reservent:* addiditque ut paratam semper Eucharistiam haberent pro infirmis, sed illam qualibet decima quinta die renovarent. *Arcudius in tract. de Concordia Ecclesiae occidentalis et orientalis, lib. 5, cap. 55 et 56,* absurditates, quae ex eo ritu promanabant, indicare haud praetermisit, deprecans Romanos Pontifices, ut illum penitus abrogarent. Praestitit id Clem. VIII in sua Instructione, idemque et Nos praestitimus in nostra Constitutione: *Etsi pastoralis 57, § 6, num. 3 et seq.* In Concilio Zamosciae a duabus Congregationibus, Concilii videlicet ac Propagandae Fidei, examinato, *§ 3 de Eucharistia,* legitur statutum, ut si alicubi adhuc vigeret ritus consecrandi Eucharistiam feria quinta in Coena Domini, eam suffundendi aliqua gutta Sanguinis, servandique pro infirmis in annum integrum, in posterum omnino praetermittatur; sed parochi Eucharistiam pro infirmis servent, ipsam qualibet octava, aut decima quinta die renovantes. Eamdem viam institerunt Patres Concilii Libanensis a Nobis confirmati, sicuti patet *ex cap. 12 de Sacramento Eucharistiae, num. 24.* Quibus sane exemplis manifesto comprobatur, quod Sedes Apostolica nunquam omiserit graecis interdicere ritus aliquos, licet apud eos iampridem obtinerent, quoties eosdem perniciosos et malos esse, aut evadere posse deprehendit.

De processione Spiritus Sancti a Patre et Filio.

30. De processione Spiritus Sancti a Patre ac Filio, quemadmodum superius indicavimus, praecipue disputatum est, quoties de unione graecae et orientalis ecclesiae cum latina et occidentali actum fuit. Huius articuli examen trinam veluti faciem praesetulit, atque adeo ad haec tria capita redactum est. Primum an processio Spiritus Sancti a Patre et Filio esset fidei dogma: et quoad primum hoc caput, firmissime responsum fuit non esse ullo modo dubitandum, quin processio Spiritus Sancti a Patre et Filio inter fidei dogmata adnumeretur; neque catholicum revera esse, qui illud non recipit, ac profitetur. Alterum, an, posito hoc esse unum ex fidei dogmatibus, licuerit in Symbolo Missae superaddere verbum *Filioque,* quamvis neque in Nicaena, neque in Constantinopolitana Synodo illud reperiretur, cum potissimum ab Oecumenica Synodo Ephesina decretum fuerit, ne quid Nicaeno Symbolo adderetur: *Statuit Sancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, praeter definitam a Sanctis Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu Sancto congregati fuerunt.* Quod autem ad alterum hoc caput attinet, firmatum fuit, non modo licuisse, sed et valde conveniens fuisse, ut huiusmodi additio fieret Nicaeno Symbolo, eo quod Ephesinum Concilium solummodo inhibuerit additiones fidei oppositas, aut temerarias et a communi consuetudine devias; non vero orthodoxas et quibus aliquis fidei articulus in eodem symbolo implicite contentus, explicatius declararetur. Tertium denique, utrum, posita pro indubio fidei dogmate processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, agnitaque insuper in Ecclesia potestate addendi Symbolo vocem *Filioque,* permitti posset, ut orientales et graeci in sacrificio Missae Symbolum recitarent ad eum modum, quo prius et ante schisma consueverant, quod perinde est ac dicere, praetermissa voce *Filioque.* Quod autem pertinet ad postremum hoc caput, non eadem semper fuit Sedis Apostolicae disciplina; quandoque enim orientalibus et graecis Symbolum absque voce *Filioque* recitare permisit; tunc nimirum, cum certo constiterat, priora duo capita seu articulos ab illis recipi, noveratque omnino, fore ut, si iisdem denegaretur id, quod tanto studio deposcebant, exoptatae unioni aditus intercluderetur. Nonnunquam vero Symbolum cum additione *Filioque* ab orientalibus et graecis recitari omnino voluit; cum scilicet merito suspicari potuit, eosdem ideo nolle Symbolum cum additamento recitare, quod adhaererent errori opinantium, ac asserentium Spiritum Sanctum a Patre et Filio non procedere, vel ab Ecclesia additionem illam *Filioque* Symbolo fieri non potuisse. Duo Summi Pontifices, nempe Beatus Greg. X in Lugdunensi Concilio, et Eugenius IV in Florentino, primam agendi rationem, ob indicatas causas, cum graecis adhibuerunt, uti constat ex *tom. 7* collectionis Concil. Harduini, *pag. 698 D,* et *tom. 9* eiusdem collectionis, *pag. 305 D.* Alteram vero rationem, ex causis itidem supra allatis, amplexus est servavitque Summus Pontifex Nicolaus III, cum deprehendit, Michaelem Imperatorem ex bona fide non agere, neque iis stare, quae pollicitus fuerat in tractanda unione, quam cum Pontifice Gregorio X praedecessore suo absolverat atque firmaverat. Huius rei documentum e Vaticano archivo desumptum in Raynaldi Annalibus impressum est *ad annum Christi 1278, § 7.* Eamdem viam institerunt Martinus IV et Nicolaus IV. Et quamvis de Pontificibus istis, quod ad hanc rem pertinet, scriptores diversa tradiderint, Pachymeres tamen, qui tunc temporis Constantinopolitanam historiam posterorum memoriae commendabat, *lib. 6, cap. 14,* aperte testatur, eos Praedecessorum suorum epicheiam non fuisse secutos, sed voluisse, ut ab orientalibus et graecis Symbolum cum additione *Filioque* recitaretur, ut iniecta sibi de orthodoxa illorum fide dubitatio tolleretur *ad cer-*

tum experimentum capiendum fidei et sententiae graecorum: eius vero pignus idoneum fore, si et ipsi Symbolum, sicut latini, pronunciarent. Idem Pontifex Eugenius, qui in Florentino Concilio orientalibus concesserat, ut sine ea voce *Filioque*, Symbolum recitarent, cum deinde armenos in unitatem Sanctae Ecclesiae reciperet, eisdem praecepit, ut Symbolo praedicta additione adaucto uterentur, uti videre est in collectione Conciliorum Harduini *tom. 9, pag. 435 B*, eo quod fortasse armenos, non aeque ac graecos, eiusmodi additamento repugnantes deprehenderat. Callistus itidem III Romanus Pontifex, cum Fratrem Simonem ex Ordine Praedicatorum munere Inquisitoris decoratum in Cretam ablegaret, quam in insulam se receperant plures graeci aufugientes ab urbe Constantinopolitana, cuius ante biennium turcae potiti fuerant, iussit ipsum vigilem adhibere curam, ut iidem graeci Symbolum cum additione *Filioque* recitarent, sicuti narrat Gregorius Trapezuntius *in sua epistola ad Cretens., tom. 1 Graeciae orthodoxae, apud Allatium pag. 537*, quod confirmatur etiam *ab Echard. tom. 1 Scriptorum Ordinis Sancti Dominici pag. 762;* fortasse enim Pontifex suspicabatur, ne praedicti graeci, quippe qui ex urbe Constantinopoli advenerant, in eo fidei dogmate minus firmi essent. In duabus formulis professionis fidei, quas iam superius commemoravimus, quarum alteram Gregorius XIII graecis, alteram Urbanus VIII orientalibus praescripsit, nihil aliud continetur, quam quod in Florentino Concilio fuit constitutum. In duabus Constitutionibus, altera videlicet Clementis VIII, quae est *34, veteris Rom. Bullarii tom. 3, § 6*, Nostra altera incipiente: *Etsi pastoralis, § 1, Bullarii nostri tom. 1*, utraque edita pro latinis Episcopis, in quorum dioecesibus versantur graeci aut albanenses graecum ritum servantes, dummodo hi Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere fateantur, et agnoscant Ecclesiae fuisse potestatem addendi Symbolo vocem *Filioque*, minime iubentur Symbolum cum hac additione recitare, nisi forte, ea praetermissa, scandalum immineret; aut certo aliquo in loco peculiaris consuetudo iam invaluisset recitandi symbolum cum additione *Filioque;* aut denique necessarium putaretur, ut Symbolum ab illis cum praedicta additione recitaretur, ad eliciendam indubiam rectae ipsorum fidei probationem. Recte autem non modo Patres Concilii Zamosciae, *tit. 1 de Fide Catholica*, sed etiam Patres Libanensis Concilii, *part. 1, eodem tit., num. 12*, ad omnem scrupulum submovendum, provide statuerunt, ut sacerdotes omnes eorum legibus subiecti, Symbolum, iuxta consuetudinem Romanae Ecclesiae, cum particula *Filioque* usurpent.

31. Ex his, quae huc usque dicta sunt, plene concluditur, Sedem Apostolicam hac ipsa in re quandoque, ex peculiaribus circumstantiis, perspectaque sibi gentis alicuius indole, consensisse, ut certus adhiberetur modus, quem tamen ab aliis, ob diversas circumstantias, diversumque locorum et populorum genium, nullatenus usurpari permisit. Quamobrem, ut oneri suscepto satis faciamus, nihil aliud superest, quam ut ostendamus, aliquando eamdem Sedem Apostolicam, dum novit gentem aliquam orientalium et graecorum, in aliquo latino ritu adhibendo tenaciorem esse, illius usum ei benigne permisisse, praesertim si huiusmodi ritus usurpandi consuetudo a vetustioribus temporibus inolevit, et Episcopi non modo eidem nunquam adversati sunt, sed aut tacite aut expresse eamdem comprobarunt. Verum, cum hac ipsa de re perspicua exempla iam fuerint superius allata, dum verba fecimus de ea classe orientalium et graecorum, qui ritus suos maiori ex parte retinentes, atque latinos aeque ac orientales ritus venerantes, aliquem ex nostris ritibus amplexi sunt, ab inutili idcirco repetitione abstinebimus, ea hic revocantes, quae superius in his ipsis litteris plene fuerunt exposita. Duo solum exempla ex maronitis desumpta subnectemus iis, quae iam adduximus. Nonnullis abhinc saeculis maronitae pontificales ac sacerdotales vestes adhibent eiusdem plane formae, quam latinus ritus praescribit, quemadmodum in citato saepius Libanensi Concilio habito anno 1736 legitur *cap. 12* de Sacramento Eucharistiae, *num. 7*. Summus enim Pontifex Innocentius III epistola ad Hieremiam Patriarcham anno 1215 data, quae incipit: *Quia divinae sapientiae bonitas*, illos adhortatus est, ut se latinae Ecclesiae in pontificalibus ornamentis conformarent. Quam ob causam tum idem Pontifex, tum eius successores, ad illos sacra indumenta, calices ac patenas dono miserunt, uti narrat Petrus Patriarcha in duabus epistolis ad Leonem X datis, relatisque *tom. 14* Collectionis Conciliorum Labbeanae, *pag. 346 et seq.* Nuper autem in praecitato Libanensi Concilio *cap. 13* unanimi consensu, nostraque subsequuta approbatione, iidem maronitae, quoad Praesanctificatorum Missam, latinum ritum amplexi sunt, illam tantummodo feria sexta in Parasceve celebrantes, relicta, iustis gravibusque de causis, disciplina graecorum, qui diebus quadragesimalis ieiunii nonnisi Missam Praesanctificatorum celebrant, excepto sabbato, die Dominico et festo Annunciationis Beatae Virginis, si forte in quadragesimam incidat, iuxta praescriptum *in Trullano Can. 52*. Hisce siquidem diebus, sacerdos panem consecratum in tot particulas dividit, quot dies subsequuntur, quibus Missa Praesanctificatorum celebratur; quibus nimirum vescitur pane eucharistico, quem antea consecravit, asservans in ciborio reliquas consecratas particulas, ut sequentibus

De aliquo ex latinis ritibus apud orientales, praesertim maronitas.

diebus, quibus Missam Praesanctificatorum celebrabit, iisdem vescatur, atque aliis etiam, qui adstant petuntque, distribuat; uti fuse commemorat Leo Allatius in Prolegomenis ad Gabrielem Naudaeum *de Missa Praesanctificatorum pag. 1531, num. 1.*

32. Huic nostrae epistolae finis hic imponendus alicui forte videri poterit, cum in ea et allatum iam fuerit responsum redditum quaesitis a sacerdote missionario Balserae propositis, nimirum, *Nihil esse innovandum,* et indicatae itidem fuerint firmissimae regulae, quas sequantur missionarii, qui orientales a schismate et erroribus ad unitatem, sanctamque catholicam fidem revocare satagunt; neque enim ex iure canonum et Apostolicarum Constitutionum se gerit, qui in convertendis orientalibus, ritum quoque orientalem et graecum, in iis quae ab Apostolica Sede tolerantur atque admittuntur, de medio auferre contendit; aut id agit, ut, qui convertuntur, ritum, quem hactenus servaverunt, dimittant, et latinum amplectantur. Nihilominus, antequam finis huic epistolae imponatur, nimis congruit, ut nonnulla insuper attingantur, quae propius pertinent ad quaestiones a praedicto missionario propositas, quibus iam responsum fuit *nihil esse innovandum.*

De exercitio ritus orientalis in latinorum ecclesiis.

33. Porro, si in urbe Balserae degunt catholici ritus orientalis, armeni aut syriaci, ipsique peculiari ecclesia carentes, ad missionariorum latinorum ecclesiam conveniunt, ubi sacerdotes orientalis ritus rem divinam reliquasque peragunt suis ritibus coeremonias, laici autem Missae sacrificio intersunt et Sacramenta suscipiunt, non magnopere adlaborandum est, ut defendatur, nihil esse innovandum, uti rescriptum fuit; quodque antea obtinuit, idipsum et in posterum servari oportere, permittendo videlicet praedictis sacerdotibus et laicis, ut in latina Ecclesia ea facere pergant, quae ad hanc usque diem peregerunt. Nam iure canonico illud quidem statutum habetur, ritum orientalem et graecum cum latino haud esse miscendum, uti videre est ex integra decretali Caelestini III apud Gonzales *cap. Cum secundum, de temporibus Ordinationum;* atque in Decretali Innocentii III *cap. Quanto, de consuetudine, cap. Quoniam, de Officio iudic. ordinar.,* et in Decretali Honorii III *cap. Litteras, de celebrat. Missar.* At nullo iure affirmari potest, ritus commixtionem apostolica aliqua constitutione vetitam, induci ex eo tantum, quod armenus, maronita, aut graecus iuxta ritum suum in latina ecclesia vel Missae sacrificium, vel alias coeremonias cum populo sui ritus exerceat, aut versa vice latinus in orientalium ecclesia idem praestet, dum praesertim legitima aliqua subest causa, de qua in praesenti facti specie nullo modo dubitari potest, cum orientales illi in civitate Balserae peculiari careant ecclesia, ita ut, si ipsis latinorum ecclesia non pateret, loco plane omni destituerentur, in quo Missae sacrificium offerre possent, et cum populo sui ritus ea exercere, quae peragenda sunt, ad illos in sancta unione retinendos ac confovendos.

De vetita ritus admixtione.

34. Vetita sane ritus admixtio esset, si latinus in fermentato consecraret et Eucharistiam in fermentato consecratam latinis administraret. Idemque dicendum esset, si orientales, qui azymi consuetudinem haud amplexi sunt, in azymo rem divinam facerent, et genti suae sacram Eucharistiam in azymo distribuerent. Curare siquidem debent sollicite Ordinarii quoque latini, quibus italo-graeci subiiciuntur, *ut latini semper in azymo, graeci autem, ubi propriam parochiam habent, in fermentato communicent;* uti praecipitur in Constitutione nostra *Etsi pastoralis 57, n. 6, n. 14, Bullarii nostri t. 1.* Vetita quoque ritus permixtio esset, si latinus sacerdos, modo iuxta latinum, modo iuxta graecum ritum; aut sacerdos graecus, modo graeco, modo latino ritu, Missam celebraret. Id enim interdicitur in Constitutione S. Pii V, quae incipit: *Providentia,* quaeque est 21, *tom. 4, part. 2 Bullarii novi* Romae impressi; ubi facultates omnes quae praecedentibus temporibus nonnullis presbyteris super hoc concessae fuerant, omnino revocantur. Huic constitutioni S. Pii V congruit quoque praeindicata nostra, *§ 7, num. 10.* Quod si presbyteris Societatis Iesu qui collegiis nationum orientalium Romae erectis praesunt, et qui praedictae Societatis institutum amplectentes, a graeco ritu ad latinum transierant, indultum fuit, uti supra indicavimus, ut aliquando Missae sacrificium graeco et orientali ritu celebrent; hoc ideo factum est, sicuti praemonuimus, ut alumni, qui graecorum et maronitarum ritum profiteri debent, Missam praedicto ritu celebrare addiscant, et iuxta eumdem divina officia toto vitae suae curriculo persolvere: verum circumstantiae peculiares huiusce plane singularis casus satis evincunt, non posse illum in exemplum afferri ad similia indulta obtinenda: quod adeo verum est, ut, quamvis Cardinalis Leopoldus Kollonitz Clementi XI praedecessori nostro exposuerit, valde profuturum catholicae religioni, si latinis missionariis permitteretur, ut in Hungaria graeco ritu celebrarent, quoties ita necessitas postulare videretur, relicta tamen ipsis libertate, ut ad latinum ritum redirent; idem tamen Pontifex perpendens animo debere unumquemque, iuxta canonicas sanctiones, in suo ritu permanere, neque licere sacerdoti, modo latino, modo graeco ritu celebrare, facultatem quae a praedicto Cardinali petebatur, impertiri recusaverit, uti patet ex eius epistola in forma Brevis, quam ad eumdem Cardinalem dedit 9 maii ann. 1705, et quae continetur *tom. 1 Epistolar. et Brev. selectior. eiusdem Pontificis typis editorum, pag. 205.*

35. Haec et alia plura exempla, quae facile possent cumulari, pertinent ad ritus permixtionem ab Ecclesiae legibus vetitam: verum, uti iam diximus, interdicta ritus permixtio appellari nunquam poterit, si ob legitimam aliquam causam sacerdos orientalis ritus ab Apostolica Sede probati, in latinorum ecclesiam admittatur, ut ibi Missam caeterasque functiones celebret et sacramenta populo nationis suae administret. Id palam Romae fieri intuemur, ubi sacerdotibus armenis, cophtis, melchitis et graecis patent ad Missam celebrandam templa nostra, ut illorum pietati satisfiat; quamvis suas peculiares ecclesias habeant, ubi rem divinam facere possent: dummodo tamen sacra indumenta et caetera, quae ad Missae celebrationem iuxta ipsorum ritum necessaria sunt, secum afferant, eosque comitetur nationis suae minister, qui eisdem celebrantibus inserviat, et a custodibus et sacrario praefectis opportune caveatur, ne ob rei novitatem in adstantibus turbae ac tumultus excitentur; quemadmodum in edicto, quod pro ecclesiasticis et laicis orientalibus Romae degentibus die 13 februarii anno 1743 per vener. Fratrem Nostrum Ioannem Antonium tunc tituli Sancti Silvestri et Martini in Montibus presbyterum, nunc Episcopum Tusculanum, S. R. E. Cardinalem Guadagni nuncupatum, nostrum in Urbe eiusque districtu Vicarium generalem, iussu nostro promulgatum fuit, plenius continetur. Verum ad rem hanc nostram plurimum facere videtur, quod mox indicabimus. Medio circiter saeculo decimo quinto, uti notum est, Mahumetes II Constantinopolim vi oppugnatam coepit, nonnullique ex graecis, qui schismaticorum errores aversati, communionem cum Latina Ecclesia servaverant, Venetias se contulerunt, ibique mansere. Quam in urbem cum Isidorus Cardinalis natione graecus pervenisset, detulit ad Senatum Romani Pontificis desideria, ut huiuscemodi graeci ritus hominibus templum aliquod assignaretur, in quo functiones suas exercerent. Excitata senatus pietas profugae genti ecclesiam S. Blasii concessit, ubi spatio plurium annorum Graeci quidem in certo eiusdem ecclesiae sacello divina officia ritu graeco, in reliquis vero sacellis, Latini ritu latino peregerunt, sicuti Flaminius Cornelius scriptor clari nominis testatur in *Decad. 14 Venetarum Ecclesiarum, p. 359.: Gemini ita ritus officia per aliquot annos in una ecclesia, licet in diversis sacellis peracta fuerunt:* quod eo usque obtinuit, donec aucto graecorum numero, praedictae ecclesiae S. Blasii, latinis graecisque communi aliud subrogatum fuit templum, quod graecorum proprium esset ac privativum.

De latini ritus exercitio in ecclesiis graecorum.

36. Haec ad graecos pertinet, qui celebraturi in latinas ecclesias recipiuntur. Verum, ut eo clarius ostendatur, nullam exinde sequi ritus permixtionem ab Ecclesiae legibus proscriptam, non abs re erit verba facere de latinis quoque, qui ad sacrificium Missae offerendum et divina officia persolvenda in graecorum ecclesiis, ex iusta aliqua causa, admittuntur. Quod quidem non modo propositam sententiam confirmabit, sed etiam plurimum conferet ad demonstrandum, quam necessaria sit mutua inter catholicos, licet diversi ritus, animorum coniunctio ac benevolentia. In Russia Alba rutheni catholici, quos unitos vocant, plures habent ecclesias, paucas vero latini, et quod magis est, longe dissitas a pagis latinorum, qui inter ruthenos versantur. Latini quandoque diutius sacrificio latinae Missae carebant, eo quod suis negociis detenti, nequibant tam longum iter aggredi, ut ad latinas ecclesias se conferrent: neque latini presbyteri facile poterant ad paucas illas latinorum ecclesias, quae in Russia Alba reperiuntur, accedere, ut Missam celebrarent, propterea quod ecclesiae ipsae ab illorum domicilio nimis longo intervallo seiungerentur. Itaque, ne latini Missa latino ritu celebrata tamdiu carerent, unum illud supererat, ut latini sacerdotes, in Latinorum commodum latinas Missas in ruthenis ecclesiis celebrarent. Verum hac ipsa in re, ea occurrebat difficultas, quod altaria graecorum sacro lapide careant, cum ipsi celebrent super antimensiis, quae sunt lintea quaedam ab Episcopo consecrata, quorum angulis Sanctorum reliquiae includuntur; quamobrem latini sacerdotes sacrum lapidem secum deferre cogebantur, haud levi intercedente incommodo ac discrimine, ne in itinere frangeretur. His omnibus incommodis tandem opportunum remedium, opitulante Deo, inventum adhibitumque fuit: siquidem, consentientibus etiam ipsis ruthenis, indultum fuit latinis presbyteris, ut Missam latino ritu celebrarent in ruthenis ecclesiis et super illorum antimensiis: idque eo vel expeditius visum est, quod rutheni sacerdotes, accedentes quandoque ad latinas ecclesias Missam inibi celebraturi, super nostris sacris lapidibus Sacrificium conficiebant. Id omne cognosci potest ex Constitutione nostra: *Imposito Nobis,* quae quadragesima tertia est Bullarii nostri tom. 3.

37. Praeclarum pariter est ad rem nostram id, quod mox subiiciemus. Discrepant inter se eruditi viri, extiterit ne, iuxta veterem disciplinam, in Basilicis Ecclesiae occidentalis unum, an plura altaria. Primum quidem affirmat *Schelestrat. part. 1 Actor. Ecclesiae Orientalis c. 2 de Missa privata in Ecclesia latina,* sed contra Cardinalis Bona *rerum lyturgicar. l. 1, cap. 14, num. 3,* innixus auctoritate Walfridi, *cap. 4,* plura altaria fuisse in Romana Basilica S. Petri demonstrat. Verum, si de templis atque basilicis orientalibus et graecis sermo sit, perspicuum videtur, nonnisi unum altare in ipsis extitisse, atque nunc etiam temporis plerumque existere, uti colligitur ex lineari descriptione

De numero altarium in ecclesiis.

huiusmodi templorum quam Du Cangius *in Constantinopoli christiana,* Beveregius in notis *ad Pandectas canonum,* et Goarius *in Euchologium Graecorum* attulerunt. Cumque in templo Sancti Athanasii, quod Romae a Graecis obtinetur, plura extarent altaria, Leo Allatius in epistola ad Ioannem Morinum scripta *de templis graecorum recentiorum num.* 2 asserere non dubitavit, in praedicta ecclesia nihil graecae formae reperiri, praeter *Bema,* idest sepimentum, quod aram maiorem a reliquis ecclesiae partibus secernit. Ad illud autem altare, ad quod sacerdos Missam celebravit, nequit aliud sacerdos eodem die iterum Missae sacrificium offerre. De hac graecorum disciplina verba faciunt Dionysius Barsalibaeus iacobita, Amidae Episcopus, *in explanatione Missae,* et Cyriacus iacobitarum patriarcha apud Gregorium Barhebraeum item iacobitam *in suo directorio,* quos citat Assemanus *t.* 2 *Bibliotheca Oriental., pag. 184; ac tom. 3, part. 1, pag. 248.* De hac eadem disciplina Cardinalis Bona *cit. cap. 14, num. 3,* ita scriptum reliquit: *Unicum altare in suis ecclesiis habent, nec fas esse putant intra septa eiusdem templi Sacrum eadem die iterare.* Euthimius Tyri ac Sidonis Archiepiscopus et Cyrillus Patriarcha Antiochenus graecorum, in pontificatu Clementis XI, Benedicti XIII et Clementis XII pluries sciscitati sunt, an vigentem relinquere deberent praedictam disciplinam vetantem ne secundum Missae sacrificium eadem die eodemque in altari offeratur. At illis semper responsum fuit, nihil esse innovandum, sed veterem ritum omnino retinendum. Quoniam vero error in vulgus manaverat, ideo non offerri secundum Missae sacrificium eadem die idemque ad altare, in quo alius sacerdos celebraverat, quia sacerdos, qui posterior celebraret, iisdemque sacris indumentis, quibus primus, uteretur, ieiunium frangeret; idcirco in nostra epistola encyclica ad Patriarcham Antiochenum graecorum melchitarum et ad Episcopos catholicos eidem subiectos conscripta, iisdem praecipimus, ut omni studio curarent errorem illum populo adimere; ita tamen, ut integram servarent disciplinam, iuxta quam ad altare, ubi sacerdos celebravit, alius sacerdos eadem die offerre prohibetur, uti videri potest in Constitutione nostra, quae incipit: *Demandatam, 87, Bullarii nostri tom. 1.*

38. Denique communis olim fuit occidentali aeque ac orientali Ecclesiae ritus, ut presbyteri cum Episcopo Missae sacrificium offerrent: huius rei documenta congesta fuerunt a Christiano Lupo *in Appendice ad Synodum Chalcedonensem tom. 1 ad Concilia generalia et provincialia, primae editionis pag. 994,* dum haec verba Bassiani interpretatur: *Mecum Missas celebrabat, mecum communicabat,* et a Georgio *tom. 2 Lyturgiae pontificiae pag. 1 et seq., ac tom. 3, pag. 1 et seq.* Concelebrandi ritus nunc temporis in occidentali Ecclesia obsolevit, praeterquam in Ordinatione sacerdotum, quam peragit Episcopus, et in consecratione Episcoporum, quae ab Episcopo cum duobus aliis Episcopis assistentibus perficitur. Sed in orientali Ecclesia viguit, vigetque adhuc, frequentior usus concelebrationis presbyterorum cum Episcopo, aut cum alio sacerdote qui primi celebrantis personam sustinet, isque usus refertur ad Constitutiones quae Apostolicae nuncupantur *lib. 8,* et ad canonem octavum ex iis, qui *apostolici* dicuntur. Porro ubicumque ea consuetudo inter graecos et orientales viget, non modo approbatur, sed etiam custodiri praecipitur, uti constat ex eadem Constitutione nostra superius allegata, *Demandatam, § 9.*

De privatarum Missarum usu in Ecclesia orientali.

39. Ex graeco et orientali hoc ritu, quem hucusque commemoravimus, nonnulli occasionem arripuerunt revocandi in dubium, an privatis Missis, quae ab uno sacerdote celebrantur, in orientali et graeca Ecclesia locus esse possit, cum in graecis templis unicum, uti praediximus, altare existat, unicum ad illud Missae sacrificium offeratur, et sacerdotes cum Episcopo concelebrent, aut cum sacerdote, qui primi presbyteri munere fungitur. Non neglexerunt quidem lutherani Confessionem Augustanam, in qua privatae Missae tolluntur, ad Hieremiam Constantinopolitanum Patriarcham mittere, eumque ad eamdem amplectendam allicere: cum tamen privatae Missae usus ac disciplina in Orientali Ecclesia desumatur ac vindicetur *ex Canone 31* Concilii Trullani, et ex notis, quas in ipsum composuit Theodoretus Balsamon; ideo et ritus frequentis concelebrationis sacerdotum cum Episcopo, et intacta pariter privatarum Missarum consuetudo in orientali Ecclesia permansit. Quare in irritum cesserunt conatus lutheranorum; quibus responsum fuit damnari quidem ab orientalibus, sicut ab occidentalibus pravum illorum usum, qui improba consequendae eleemosynae cupiditate ad altare impelluntur, non vero illorum, qui, qua decet pietate ac religione, privatas Missas celebrant, ut Deo sacrificium offerant acceptabile. Haec patent *ex actis Ecclesiae orientalis contra lutheranos,* auctore Schelestrato *cap. 2 de Missis privatis in Ecclesia Graeca, circa finem.* In commodum autem sacerdotum, qui privatum Missae sacrificium offerre cupiunt, salva semper consuetudine, ut ad unum altare unum tantummodo sacrificium in dies singulos offeratur, graeci constituere ceperunt *Paracclesias,* de quibus verba facit Leo Allatius *in citata epistola ad Ioannem Morinum.* Paracclesiae nil aliud sunt, quam oratoria quaedam ecclesiae contigua, in quibus erectum adest altare, ubi sacerdotes Missam celebrant, quam in ecclesia celebrare nequeunt, eo quod ad altare in ea extructum alius sacerdos iam celebraverit.

A celebratione Missae nec latini orientalium, nec orientales in latinorum ecclesiis excluduntur.

40. Alii vero ab hac orientalium et graecorum disciplina merito timendum censuerunt, ne latini sacerdotes ab offerendo Missae sacrificio in graecis ecclesiis perpetuo excluderentur, eo quod, uti supra dictum est, in illis unicum altare existat, ubi eodem die unus tantum sacerdos potest celebrare: neque latini presbyteri celebrare possint *in Paracclesiis,* utpote pro graecis tantummodo constitutis. Verum ad hunc ipsum timorem auferendum, in graecis ecclesiis hoc tempore erectum plerumque cernitur secundum altare, in quo divinum sacrificium a latinis sacerdotibus offeratur. Tres graecorum templorum formas expressit Goarius *in Euchologium Graecorum,* quarum tertia secundum altare exhibet latinis presbyteris positum, sicut ipse Goarius *loco citato* perpendit, et prosequitur Schelestrat. *loco superius allato pag. 887.* In ecclesiis nationis maronitarum et graecorum, Romae existentibus, praeter aram maiorem, alia occurrunt altaria, in quibus a latinis sacerdotibus Missa celebratur; et in nostra Constitutione: *Etsi pastoralis 58, § 6, n. 8 et 9 nostri Bullarii tom. 1,* qua italo-graecis tutissima traditur agendi norma, prohibentur latini sacerdotes in Graecorum templis super ara maiori celebrare, nisi omnimoda necessitas id postulet, et parochi graeci consensus intercedat; ibique insuper graecis conceditur, ut suis in templis, praeter altare maius, alia quoque altaria possint erigere, in quibus latini sacerdotes, si velint, Missae sacrificium celebrare valeant.

41. Ex his, quae huc usque dicta sunt, videtur iam perspicue demonstratum, sicuti antea, ita et in posterum permitti debere catholicis armenis et syriacis, qui Balserae latinis commixti commorantur, propriaque carent ecclesia, ut in latinam conveniant et in ea iuxta ritum quique suum sacras functiones peragant; idque eo magis, quia non solum nulla exinde oritur ritus permixtio per apostolicas constitutiones damnata, sed urbanitatis officia exercentur, vel potius praecepta implentur aequitativi cuiusdam iuris, exposcentis, ut non habenti opportunum locum ad ea peragenda, quae iure aliquo praestare iubetur, locus ipse libenti animo concedatur. Quamobrem nil aliud superest, quam praecipere, ut omnia ad debitae caritatis leges exigantur, ut sacellum orientalibus assignetur, aut pars aliqua ecclesiae, in qua suis functionibus obeundis incumbant; et quanta fieri potest cura impendatur, ut aliis horis latini, aliis orientales suas peragant functiones. Si enim aliter fieri contingat, proxima suberit causa dissensionum, quae binos praedecessores nostros Leonem X et Clementem VII tantopere vexarunt; tum scilicet, quum contra pacta conventa in Florentino Concilio sub Eugenio IV, ne graecis ulla molestia in suis ritibus ac coeremoniis observandis inferretur, relatum est ad praedictos Pontifices, quod nonnulli ex latinis graecorum ecclesias adibant, et ad illorum altare Missam latino ritu celebrabant, eo consilio, ut graecis sacerdotibus impedimentum crearent, ne sacrificium ritu suo offerre, suasque functiones peragere possent: adeo ut graeci nonnunquam ipsis diebus festis Missae sacrificio carerent: « *Nescitur, quo spiritu ducti* (de latinis presbyteris sermo est) *interdum altaria dictarum parochialium ecclesiarum praeoccupant, et ibi, contra voluntatem eorumdem graecorum, Missas et forsan alia divina officia celebrant, adeo quod dicti graeci saepenumero sine auditione Missarum, cum magna animorum molestia, festivis et aliis diebus, quibus Missas audire consueverunt, remaneant.* Pontificias hasce querelas refert monumentum, quod incipit: *Provisionis nostrae,* extatque in Enchiridio Graecorum impresso Beneventi an. 1717 *pag. 86.* Non est profecto cur illi nostras addamus conquestiones, quae tamen nec leviores essent, neque opportunis remediis destitutae, si unquam ad Nos deferretur, Balserae a latinis nostris prohiberi orientales, ne in latinis ecclesiis possint functiones suas peragere.

Circa tempus celebrationis Paschalis.

42. Primae huic altera succedit quaestio, eosdem attingens armenos et syros, qua disquiritur, an iidem, ad statuendum tempus Paschatis aliorumque ei respondentium festorum, possint veteri kalendario uti, vel potius novum emendatumque sequi debeant, cum in latinis ecclesiis sacra conficiunt; et quatenus iisdem licitus dicatur veteris kalendarii usus, an huiusmodi definitio afficiat illos quoque orientales, qui suam quidem habent ecclesiam, sed adeo angustam atque exiguam, ut, cum omnes in illam convenire non possint, eorum plerique latinas ecclesias adire compellantur.

De kalendarii correctione iussu Gregorii XIII.

43. Neminem latent, quae a sanctis Romanis Pontificibus Pio et Victore, atque etiam a Nicaena Synodo, de recta Paschatis celebratione sancita fuerunt. Omnes pariter norunt Romano Pontifici a Concilio Tridentino reservatam fuisse provinciam correctionis kalendarii, ac demum, Gregorio XIII Pontifice, fuisse rem hanc numeris suis omnibus absolutam. Quamobrem Bucherius *in Commentario de doctrina temporum,* in praefatione ad lectorem, ita scripsit: *Computi paschalis in futurum certitudini, iubente Greg. XIII Pontifice noster abunde providit Clavius.* Is fuit ex Societate Iesu sacerdos matheseos peritissimus, qui in kalendarii correctione egregiam Pontifici navavit operam. Exhibiti itidem Pontifici fuerunt calculi cuiusdam Aloysii Lilii, qui plures annos in illis componendis insumpserat. Perpensis denique libratisque omnibus, in pluribus Congregationibus, adstantibus adhibitisque in consilium peritissimis quibusque viris, prodiit anno 1582 Constitutio praescribens kalendarii normam, quae incipit: *Inter gravissimas,* in ordine 74, in veteri Bullario tom. 1.

De veteris et novi kalendarii usu penes orientales.

44. Veteri igitur kalendario hac pontificia constitutione abrogato, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque praelatis imperatum fuit, ut novo emendatoque kalendario uterentur, quemadmodum in eadem Constitutione legere est fusiusque eruitur ex eiusdem Pontificis annalibus Romae impressis *anno 1742, tom. 2, pag. 271.* Verum, cum in constitutione nullum de orientalibus factum eius fuerit verbum, exurgit hinc quaestio, num eadem orientales afficiat; quae quidem quaestio non a doctoribus modo instituitur, ut videre est apud Azorium *Institut. Moral. tom. 1, lib. 5, cap. 11, quaest. 7,* et apud Baldellum *in sua Theologia Morali, tom. 1, lib. 5, disput. 41;* sed etiam proposita discussaque fuit in praestantium virorum conventu habito die 4 iulii anno 1631, in aedibus Cardinalis Pamphilii, qui ad summum pontificatum evectus, Innocentii X nomen assumpsit. Haec autem tunc prodiit resolutio: *Subditi quatuor Patriarcharum Orientis non ligantur novis pontificiis Constitutionibus, nisi in tribus casibus: primo in materia dogmatum fidei; secundo, si Papa explicite in suis Constitutionibus faciat mentionem et disponat de praedictis; tertio, si implicite in iisdem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus appellationum ad futurum Concilium* (1). Refertur haec resolutio tum a Verricello *de apostolicis missionibus, lib. 3, q. 83, num. 4;* tum a Nobis in nostro opere de *Canonizatione Sanctorum, lib. 2, cap. 38, num. 15.*

45. Hanc quaestionem Nos missam facimus, cum de illa disputare nulla nunc necessitas urgeat; satis enim Nobis erit indicare, quid ad rem hanc nostram gesserit Sedes Apostolica, quandoquidem ipsa praecedentia facta evincunt, consultissimum esse responsum quaesito redditum, nimirum: *Nihil esse innovandum.* Italo-graecis, qui inter nos vivunt et regimini subiiciuntur latinorum Episcoporum, in quorum dioecesibus constitutum habent domicilium, ab Apostolica Sede mandatum fuit, ut se ad novum kalendarium conformarent, uti perspici potest in citata Constitutione nostra: *Etsi pastoralis, 57, § 9, num. 4 et seq., Bullarii nostri tom. 1.* Et clerus quidem ecclesiae collegiatae S. Mariae *de Grapheo* civitatis Messanensis, qui graecum ritum retinet, accuratissime novum kalendarium servat, uti videre est in altera Constitutione nostra: *Romana Ecclesia,* quae est 81, § 1, eodem tom. nostri Bullarii. Attamen non illud ita severe fuit indictum, quin nonnunquam, gravioribus id requirentibus causis, epicheiae locus sit relictus. Renuebant armeni catholici Liburni degentes sese kalendario gregoriano subiicere, precesque Innocentio XII obtulerunt, ut eos veteri kalendario uti permitteret. Etenim in Congregatione S. Officii feria IV die 20 iunii 1674 decretum huiusmodi emanaverat: « Nuntii apostolici Florentiae relatis iterum litteris datis die 10 aprilis, circa petitiones ei factas ab armenis orandi in Missa pro Patriarcha armenorum, et circa celebrationem Paschatis et aliorum festorum secundum eorum ritum, idest secundum calculationem antiquam, quae erat ante correctionem kalendarii, et circa celebrationem Paschatis, etc. Necnon relata scriptura remissa a sacra Congregatione de Propaganda Fide circa modum orandi in Missa pro Patriarcha armeno: Rescribatur Nuntio, quoad permissionem orandi in lyturgia pro Patriarcha armenorum, quod sacra Congregatio stetit in decretis emanatis die 7 iunii 1673, videlicet, *non posse;* et omnino prohibeatur. Quo vero ad celebrationem Paschatis, etc. et aliorum festorum, etc. steterunt pariter in decretis, videlicet, quod in celebratione Paschatis et aliorum festorum, armeni Liburni existentes omnino servare debeant kalendarium gregorianum ». Quum igitur huic decreto obtemperare armeni praedicti renuerent, huius rei cognitio delegata fuit particulari Congregationi Cardinalium doctrina praestantium, quos inter fuere Card. Ioannes Franciscus Albanus, qui summum deinde pontificatum obtinuit, et Cardinalis Henricus Norisius praeclari nominis in-

(1) Haec habentur in Actis S. C. de Prop. Fide: « Die 4 Iunii 1631. Fuit Congregatio particularis super « dubiis missionariorum orientis in Palatio Emi D. « Card. Pamphylii, cui Sua Eminentia interfuit cum « Rmis P. Magistro Sacri Palatii, et P. Horatio Iustiniano, ac P. Thoma de Afflictis theatino. In ea..... « fuit latissime discussus articulus: An Summus Pontifex intendat graecos et alios Sedibus Patriarcharum schismaticorum subditos comprehendere in Bulla « *Coena Domini* aliisque Constitutionibus Apostolicis, « in quibus casus sibi et Sedi Ap. reservat. — Et post « allegatum et ponderatum Canonem 6 Nicaen. primae « Synodi, Cap. 17 Sess. 10, Synodi 8, et simul Synodum Chalcedon. circa Epistolam S. Leonis Papae, « et eumdem Canonem 6, Epistolam primam Marcelli « Papae ad Antiochenos, Anacleti Epistolam 2, Cap. *Licet, de Baptismo,* Cap. *Antiqua, de privileg.,* Gregorium « Cyzicaenum, Canones orientales, Azorium part. 1. « lib. 5. cap. 11..., S. Gregorium de tribus Patriarchis; « factum Episcoporum Aegyptiorum qui noluerunt subscribere praefatae Epistolae S. Leonis Papae quia tunc « vacabat eorum Sedes patriarchalis, Epistolam Synodicam eiusdem Concilii Chalcedon., Can. 2 Constantinop., Concilii primi, et ad hoc sanctorum Leonis « et Damasi Rom. Pontificum contradictionem, in quibus de potestate Papae, et Patriarcharum, divisione neque Provinciarum inter Patriarchas late agitur, aut « ex eis deducuntur diversa argumenta pro et contra « supradictam Papae potestatem; — Patres praedicti « quoad dictum articulum convenerunt in negativam « sententiam, quam tamen limitarunt tripliciter: 1. In « materia dogmatum fidei. 2. Si Papa explicite in suis « Constitutionibus faciat mentionem, et disponat de « praedictis subditis Patriarchalium Sedium, et in casu « schismaticorum Bullae Coenae. 3. Si implicite in eis- « dem Constitutionibus de eis disponat, ut in casibus « appellationum ad futurum Concilium, et deferentium « arma ad infideles, et simil ».

ter litteratos viros. Porro ipsa Congregatio habita die 23 septembris anno 1699 huiusmodi edidit decretum, a praedicto Pontifice eadem ipsa die confirmatum: *Re mature tractata, perpensis omnibus facti circumstantiis, censuerunt, secundum ea quae proponuntur, conniveri posse cum armenis catholicis Liburni commorantibus, et qui peculiarem obtinent ecclesiam, circa usum kalendarii veteris, donec ipsi ad omnimodam kalendarii gregoriani observantiam disponantur, et interim ad Sedis Apostolicae beneplacitum: hac insuper conditione adiecta, quod diebus festis de praecepto iuxta kalendarium gregorianum occurrentibus, ab operibus servilibus abstinere, et sacrum audire omnino teneantur.*

46. Si vero de graecis orientalibus sermo sit, constat quidem, aliquando propositum ipsis fuisse, ut novo emendato kalendario uterentur; sed tamen id nullum exitum habuit. Inter articulos et conditiones Ruthenis propositas in unione sub Clemente VIII tractata et absoluta, ea quoque de kalendario recipiendo inserta fuit, cui redditum responsum: *Kalendarium novum, si secundum antiquum fieri possit, suscipiemus;* uti legere est in Opere Thomae a Iesu, *pag. 329;* et licet responsum illud ambiguitatem quamdam praeseferret, tamen ea de re nihil ulterius actum fuisse deprehendimus, neque hoc super articulo iudicium ullum protulit theologus, qui ad rem examinandam fuerat deputatus, quemadmodum patet ex eodem Opere *pag. 335 et seq.* Aliquando tamen ipsimet orientales sponte sua novum kalendarium susceperunt, uti cognoscere licet ex saepius citata Synodo provinciali Maronitarum habita anno 1736: *Tam in ieiuniis, quam in festis anni diebus, sive mobilibus, sive immobilibus, romanum kalendarium a Greg. XIII summo Pontifice, de nostra natione optime merito, emendatum, in omnibus ecclesiis nostris observari districte mandamus, eiusque kalendarii rationem et usum, quemadmodum et cantum ecclesiasticum in unaquaque ecclesia a magistris pueros edocéri praecipimus.* Sed quoties orientales minime consenserunt, iustusque adfuit timor, ne tumultus dissensionesque excitarentur, si novi kalendarii ipsis iniungeretur usus, tulit Apostolica Sedes, ut orientales et graeci in remotis regionibus degentes veterem suam disciplinam retinerent, videlicet antiquum servarent kalendarium, occasionem opportuniorem expectans inducendi usum novi emendatique kalendarii. Qua in re consona quoque sunt decreta Congregationum de Propaganda Fide et Sacrae Inquisitionis; quemadmodum, quoad primam, deprehenditur ex decretis editis die 22 augusti 1625 et die 30 aprilis 1631; quoad secundam vero, ex decretis dierum 18 iulii 1613, ac 14 decembris 1616. Imo res eo quandoque processit, ut missionariis quoque veteris kalendarii usus fuerit permissus, dum moram traherent in regionibus, in quibus veteris kalendarii usus solummodo obtinebat; veluti cognoscere est ex nonnullis decretis a Congregatione de Propaganda Fide die 16 aprilis 1703 et die 16 decembris 1714 evulgatis.

Circa facultatem dispensandi orientales ab abstinentia a piscibus.

47. Reliquum est, ut de postremo quaesito, de ieiunio scilicet, verba fiant. Syri armenique catholici, iuxta ipsorum ritum, ab usu piscium ieiunii tempore abstinent; verum, cum latinos iis vesci conspiciant, et caeteroquin impossibile vel saltem difficillimum asseratur eos temperare posse a piscibus, quibus latinos vesci intuentur; ideo tamquam rationi consentaneum proponitur, ut missionariis facultas tribuatur cum iis dispensandi, caute tamen omnique secluso scandalo, et pio aliquo opere in locum abstinentiae a piscibus subrogato. Aptissimus hic fieret locus disserendi de vetustate ieiunii apud Orientales, eiusque lege, licet severiori, exactissime tamen semper servata; sed ne longiores simus, quam par est, id unum dicimus, Apostolicam Sedem toties Patriarchis obstitisse, quoties veterem rigorem ieiunii suis subditis praescripti relaxare voluerunt. Petrus Maronitarum Patriarcha, Archiepiscopis et Episcopis sibi subiectis, carnibus vesci latinorum more indulsit, licet iuxta veterem disciplinam carnibus abstinerent; universo autem populo quadragesimae tempore pisces edere vinumque bibere permisit, quamvis id illis esset prohibitum. Sed Pontifex Paulus V datis ad Patriarcham Petri successorem litteris apostolicis in forma Brevis die 9 martii 1610 iussit, ut abrogatis iis, quae Petrus Patriarcha concesserat, res in pristinum statum restituerentur. In pontificatu nostro ad examen revocata est nimia facilitas atque indulgentia Euthymii Archiepiscopi Tyri et Sidonis, et Cyrilli Patriarchae Antiocheni erga graecos melchitas, fuitque improbata, ut patet ex Constitutione nostra: *Demandatam 87, § 6, Bullarii nostri tom. 1:* « Nos huiusmodi innovationem et abstinentiarum relaxationem et coarctationem, in nimium detrimentum veteris graecarum ecclesiarum disciplinae vergere iudicantes, licet alioquin, deficiente auctoritate Apostolicae Sedis, nullius roboris esse dignoscantur, eas tamen auctoritate nostra expresse revocamus, et nullum effectum in posterum habere, neque ullatenus executioni mandari, sed omnia in pristinum restitui debere iubemus; atque insuper in toto tractu patriarchatus Antiocheni laudabilem consuetudinem a maioribus derivatam, abstinendi etiam qualibet feria quarta et sexta per annum ab esu piscium, quae ab aliis quoque finitimis populis eiusdem graeci ritus exacte custoditur, indistincte servari praecipimus ». Incongruum vero est asserere, ideo dispensationem concedendam esse, vel potius generalem dispensandi facultatem, quod nempe orientales aspicientes latinos vesci piscibus tempore ieiunii, exinde facile adducantur, ut

et ipsi non quidem ex aliquo contemptu, sed naturae fragilitate victi, piscibus ieiunii diebus utantur; hoc namque argumento, si quid illud valeret, in primis omnimoda induceretur rituum confusio; deinde, si illius ratio haberetur, illud etiam consequeretur, ut latini inspicientes graecos peculiaribus quibusdam vivere institutis, quae latinis minime permittuntur, imo inhibentur, dispensationem petere possent, ut sibi liceret ea facere, quae a Graecis fieri intuentur; profitentes se latinum quidem ritum suscipere, sed ob naturae fragilitatem eum diutius servare non posse. Haec sunt, quae duximus exponenda in hac encyclica nostra epistola, non solum ad patefacienda fundamenta, quibus innituntur responsiones redditae missionario, qui quaestiones sub initium exscriptas proposuit, sed etiam ut omnibus perspecta fiat benevolentia, qua Sedes Apostolica Catholicos Orientales complectitur, dum praecipit, ut omnino serventur veteres ipsorum ritus, qui neque catholicae religioni, neque honestati adversantur; nec a schismaticis ad catholicam unitatem redeuntibus exposcit, ut ritus suos deserant, sed ut haereses solum eiurent atque execrentur: exoptans vehementer, ut diversae eorum nationes conserventur, non destruantur, omnesque (ut multa paucis complectamur) catholici sint, non ut omnes latini fiant. Finem denique huic nostrae epistolae imponimus, apostolicam benedictionem cuicumque eam legenti impertientes.

Conclusio.

396

De regimine dioecesum et Vicariatuum App., Praelatis decedentibus, vacantium.

Litt. Apost. Benedicti PP. XIV *8 Augusti 1755* (AD OMNES EPISCOPOS ET VICARIOS AP.). — Quam ex sublimi hac sacrosancti apostolatus specula, in qua per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam plane immerentes praesidemus, pro iniecta nobis gravissima omnium ecclesiarum solicitudine, impositaque omnium animarum Iesu Christi sanguine redemptarum procuratione, alias, nempe die 26 mensis ianuarii anno 1753, inivimus apostolicae providentiae rationem pro Indiis Orientalibus; eamdem quoque, Venerabiles Fratres ac dilecti filii in iis partibus, in quibus vos constituti ac deputati, apostolicum ministerium vestrum, non sine magnis assiduisque laboribus et incommodis, laudabiliter obire pergitis, haud patimur desiderari, quemadmodum immensa supremi pastorum Principis Iesu Christi caritas maximopere urget, ut eo alacrius omnem operam studiumque nostrum ad hoc conferamus, quo longius a Nobis regiones illas abesse non ignoramus.

Quae ad rem statuta sunt pro Indiis Orientalibus, ad alios Vicariatus extenduntur.

Quoniam autem non sine gravissima pontificii animi nostri molestia tunc acceperamus, aliquem scilicet ex Indiarum Orientalium Apostolicis Vicariis episcopali titulo et charactere insignitum, sed sine coadiutore cum futura successione, viam universae carnis ingressum, ad repositam in coelis coronam apostolicis laboribus partam evolasse, ac neminem, qui ordinariam pro defuncto Vicario Apostolico iurisdictionem exerceret, repertum ac deputatum fuisse; eapropter omnibus et singulis Vicariis Apostolicis huiusmodi iniunximus et mandavimus, ut qui neque Episcopum coadiutorem cum futura successione, neque Vicarium ex clero sive saeculari sive regulari generalem haberent, statim atque ad unumquemque eorum aliarum Nostrarum in simili forma Brevis desuper expeditarum litterarum certa notitia pervenisset, deputarent Vicarium ex clero sive saeculari sive regulari, habilem tamen atque idoneum, qui, eveniente cuiusvis Apostolici Vicarii sine coadiutore cum futura successione obitu, tanquam Apostolicae huius Sanctae Sedis delegatus, teneretur assumere et obire regimen et gubernium Apostolici Vicariatus usque ad captam eiusdem Apostolici Vicariatus huiusmodi possessionem a novo Vicario Apostolico, quem eadem haec Sancta Sedes constituisset, aut usque ad quamcumque aliam ab ipsa Sancta Sede ineundam ordinationem. Porro Vicario Generali huiusmodi per Apostolicum quemcumque Vicarium sibi, ut praemittebatur, deputando, Nos laudatarum nostrarum litterarum tenore, Apostolica auctoritate concessimus et tribuimus omnes et singulas facultates perpetuis futuris temporibus valituras, quae Vicariis Capitularibus cuiusvis cathedralis ecclesiae, sede vacante, inesse et de iure competere dignoscuntur. Praeterea eidem Vicario generali, post tamen Apostolici Vicarii obitum concessimus et impertiti fuimus usum et exercitium earum facultatum, quibus utebatur et gaudebat, dum viveret, defunctus Apostolicus Vicarius Episcopus; iis dumtaxat exceptis quae requirunt ordinem et characterem episcopalem vel non sine sacrorum oleorum usu exercentur. Quandocumque vero necessitas urgeret, saepedicto Vicario generali potestatem etiam indulsimus et dedimus, consecrandi calices, patenas et altaria portatilia, cum sacris oleis omnino ab Episcopo benedictis.

Porro, cum, sicut pariter accepimus, easdem omnino occasiones eosdemque prorsus casus, in istis, in quibus munus vobis demandatum adimplere contenditis, regionibus accidere, atque insimul reperiri aliquibus in locis nonnullos Apostolicos Vicarios haud episcopali titulo et charactere insignitos, sed per Apostolicas dumtaxat Litteras sive sub plumbo, sive in simili forma Brevis expeditas, pro Vicarii Apostolici huiusmodi officio defungendo destinatos, propter quorum obitum eadem quoque momenta urgere possunt; eapropter easdem provisiones et facultates, ut supra expressas et pro Indiis Orientalibus initas et concessas, sub iisdem modo et forma, et non aliter, extendimus ad omnes istarum regionum Apostolicos

Vicarios sive titulo et charactere episcopali insignitos, sive sacerdotali dumtaxat dignitate praeditos, atque hisce quidem sacerdotibus, ita ut praemittitur, Apostolicis Vicariis, pariter iniungimus et mandamus, ut unusquisque, memor resolutionis suae, teneatur deputare Pro-Vicarium, habilem tamen atque idoneum qui post cuiusque obitum assumere debeat regimen Vicariatus Apostolici, atque in eiusdem Vicariatus munere permanere, et cum usu earum tantummodo facultatum, quibus utebatur, fruebatur et gaudebat defunctus Vicarius, adlaborare debeat, donec et quousque novus Apostolicus Vicarius ab Apostolica hac Sancta Sede designatus, ipsius Vicariatus possessionem et regimen adierit.

De dioecesum vacantium regimine per Vicarios Capitulares.

Praeterea, cum compertum exploratumque nuper fuerit, in Hibernia, Albania, Macedonia, Servia, Bulgaria, Insulis maris Egaei, Perside, Mesopotamia (quemadmodum alibi fortasse reperiatur) reperiri aliquos Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos locorum Ordinarios et residentiales, quorum aliquot quidem Capitulum canonicorum habent, aliquot vero eiusmodi canonicorum Capitulo destituuntur; idcirco, tenore et auctoritate paribus, statuimus, praescribimus et mandamus, ut, eveniente cuiuslibet Antistitis huiusmodi obitu, statim procedatur ad electionem Vicarii capitularis, iuxta morem, usum et consuetudinem hactenus servatam; nimirum, ubi canonicorum Capitulum fuerit, vel a canonicis dumtaxat, si ita in more iam positum servatumque fuit, vel a canonicis una cum aliis ecclesiasticis viris, quos in casibus huiusmodi semper intervenisse et suffragium suum in ea electione tulisse constat. Quando autem Capitulum canonicorum non habeatur ii parochi, sive soli, sive cum aliis ecclesiasticis viris, iuxta modum itidem, usum et consuetudinem de praeterito servatam, ad Vicarii Capitularis electionem habendam accedant. Sed in hisce electionibus Vicariorum Capitularium quorumcumque volumus, praecipimus et mandamus ut omnino serventur constitutiones Concilii Tridentini, praesertim in Sessione vigesima quarta, capite decimosexto.

Insuper volumus et mandamus, ut in iis locis, in quibus ven. Fratres Antistites Ordinarii eorumdem locorum residentiales, neque capitulum canonicorum, neque parochos in suis civitatibus et dioecesibus habent, sed dumtaxat sacerdotes aliquot et missionarii reperiuntur per terras et oppida dispersi, ita ut, cum quemlibet Antistitem eiusmodi mori contingat, insimul convenire minime valeant, tunc Vicarius generalis iam a defuncto Antistite constitutus, ipso facto intelligatur, sit et habeatur Vicarius capitularis, cum supra expressis facultatibus ad Vicarios capitulares de iure spectantibus, exerceatque munus Vicarii capitularis huiusmodi, donec et quousque novus Antistes ab eadem Apostolica hac Sancta Sede designatus illuc advenerit, ac regimen susceperit. Verum probe intelligentes, haud facile in iisdem locis reperiri ecclesiasticos viros, qui sive doctores sive licentiati in iure canonico in aliqua studiorum universitate fuerint, quemadmodum pro Vicariatus cuiuslibet sive capitularis sive generalis munere obeundo requiritur, nos earumdem partium calamitates commiserantes, tenore et auctoritate paribus quemcumque in Vicarium capitularem ut praemittitur, in casibus antedictis eligendum, dummodo ad gubernium et regimen habilis et idoneus fuerit, nunc pro tunc talem esse et haberi volumus et declaramus, perinde ac si doctor sive licentiatus in iure canonico fuerit.

Decernentes easdem praesentes literas *etc.*

397

Circa gentiles polygamos baptizandos.

Ex Instr. S. C. de Prop. Fide *15 Februarii 1756.* — Si aliquis gentilis plures habens uxores velit Baptismum suscipere, et quaevis ex illis, quanquam prima non sit, christiana fieri velit, poterit in tali casu usus fieri facultatis in prima Formula contenta sub numero 11 (1). Animadvertendum tamen est quod tunc renovandus erit a coniugibus consensus. Si vero una ex pluribus uxoribus quae ssmam religionem amplecti vult, prima non sit, haec libera est ut nubat cui vult, utpote quae legitimo contractu alligata non erat.

398

Circa ministrum sacramenti Extremae Unctionis.

Ex Constitut. *Ex quo primum* **Bened. PP. XIV** *1 Martii 1756.* — Quamvis Quintaduenas in *Tract. 5 de Extr. Unct.* asseruerit licere parochis mittere ad aegrotos aliosque petentes Oleum sanctum infirmorum, ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a tribunali ecclesiastico plecteretur vel tamquam abutens Sacramento Ecclesiae, vel tamquam suspectus non rectae fidei circa Sacramentum Extremae Unctionis, ut opportune advertit Clericatus *de Sacram. Extr. Unct. decis. 70, n. 32.*

399

De facultate Episcoporum circa impedimenta matrimonialia.

Ex Instr. S. C. S. Officii *8 Iunii 1756* (AD EP. PANAMEN.). — Noveris quidem impedimenta dirimentia vel a Conciliis Generalibus universam Christi Dei Ecclesiam repraesentan-

(1) En n. 11 Form. I facultatem: « Dispensandi cum « gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut « post conversionem et baptismum, quam ex illis ma- « luerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi « prima voluerit converti ».

tibus, vel a Romanis Pontificibus supremis universalis Ecclesiae Pastoribus imposita essa. Quapropter nullam particularis Episcopus adiudicare sibi potest auctoritatem in huiusmodi publicis impedimentis, quaevis urgeat necessitas, valide ac licite dispensandi. Hinc sub die 13 Martii anno 1660 propositum fuit sequens dubium videlicet: *An Episcopus in casu urgentissimae necessitatis possit ante contractum matrimonium in impedimento publico dispensare.* Et S. C. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit: *Negative.* Quinimo institutum deinde fuit examen super opinione quae asserebat id Episcopo licere: et S. R. Universalis Inquisitionis censores theologi, quibus praefatae opinionis examen demandatum est, sequens protulere iudicium: *Propositio asserens Episcopum posse dispensare in publico impedimento matrimonii dirimente consanguinitatis pro matrimonio contrahendo, sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint expectare dispensationem Sedis Apostolicae, est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa et seditiosa.* Hoc censorum iudicium praelaudata S. C. Concilii sub die 19 ianuarii 1661 probavit et confirmavit. Sola itaque Apostolicae Sedis facultas, vel, praeter hanc, immemorabilis consuetudo, aut saltem centenaria, unde posset Romani Pontificis benignus assensus legitime deprehendi, dispensationem in publicis impedimentis dirimentibus reddere potest validam licitamque. *(V. S. C. S. Officii 20 Februarii 1888).*

400

De coniugis infidelis interpellatione difficultati obnoxia.

S. C. S. Officii *13 Ian. 1757* (Ind. Orient.). Iuxta Bullam Gregorii XIII quae incipit: *Populis ac nationibus* dat. die 25 Ianuarii 1585 (1) potest dispensari in matrimonio ante Baptismum contracto, dummodo constet coniugem absentem *moneri legitime non posse.* Quomodo intelligenda sunt haec ultima verba? An de impossibilitate mere physica, an vero simul de morali?

Occurrit casus in quo plena erat facultas monendi maritum gentilem, cuius uxor indecore aufugerat in aliam regionem, sed non poterat moneri absque gravissimo periculo istius, quae contractis in alia regione secundis nuptiis illegitimis, volebat ad Baptismum venire cum secundo marito a quo nolebat separari. Primus maritus alteri pariter nupserat, sed, ultione stimulante, primam uxorem investigasset, forte ad illam occidendam, si loci in quo latebat minima oborta esset suspicio.

Inde aliud oritur dubium, scilicet: Cum maritus gentilis post fugam uxoris aliam duxit, et illum primam coniugem iterum non recepturum manifestum sit tum ex lege gentilitia tum ex voluntate mariti bene perspecta, an nihilominus monendus sit. Saepe religionis interest ut non moneatur. Huc usque tamen usum monendi missionarii sequuti sunt.

R. Quoad casum in concreto, *Dilata;* et pro nunc rescribendum per organum S. Congregationis de Prop. Fide:

1. Quod mulier separetur a secundo viro omnino et cum effectu.

2. Quod ambo de more instruantur, notificando praecipue mulieri, suscepto Baptismo, non dispensari ab obligatione quam habet redeundi ad primum virum.

3. Quod quatenus post debitam instructionem constet utrosque moveri ad recipiendum Baptismum ex vero religionis motivo, et non intuitu obtinendi facultatem contrahendi inter ipsos matrimonium, admittantur ad Baptismum.

---

(1) Const. Greg. PP. XIII 25 Ianuarii 1585. — « Populis ac nationibus nuper ex gentilitatis errore ad fidem catholicam conversis expedit indulgere circa libertatem contrahendi matrimonia, ne homines, continentiae servandae minime assueti, propterea minus libenter in fide persistant, et alios illorum exemplo ab eius perceptione deterreant. Quoniam igitur saepe contingit multos utriusque sed paecipue virilis sexus infideles, post contracta gentili ritu matrimonia, ex Angola, Ethiopia, Brasilia et aliis Indicis regionibus, ab hostibus captos, a patriis finibus et propriis coniugibus in remotissimas regiones exterminari, adeo ut tam ipsi, captivique qui in patria remanent, si postea ad fidem convertantur, coniuges infideles tam longo locorum intervallo disiunctos, an sine contumelia Creatoris secum cohabitare velint, ut par est, monere nequeant, vel quia interdum ad hostiles et barbaras provincias ne nuntiis quidem accessus pateat, vel quia ignorent prorsus in quas regiones fuerint transvecti, vel quia ipsa itineris longitudo magnam afferat difficultatem: idcirco Nos, attendentes huiusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint, talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati, universis et singulis dictorum locorum Ordinariis et parochis, et presbyteris Societatis Iesu ad confessiones audiendas ab eiusdem Societatis Superioribus approbatis et ad dictas regiones pro tempore missis, vel in illis admissis, plenam auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Cristifidelibus incolis dictarum regionum et serius ad fidem conversis qui ante Baptisma susceptum matrimonium contraxerunt, ut eorum quilibet, superstite coniuge infideli, et eius consensu minime requisito, aut responso non expectato, matrimonia cum quovis fideli alterius etiam ritus contrahere, et in facie Ecclesiae solemnizare, et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint remanere licite valeant: dummodo constet, et summarie, et extraiudicialiter, coniugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse; quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit coniuges priores infideles suam voluntatem iuste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma, prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus. Non obstantibus *etc.* ».

4. Quo illis tradito, significetur primo viro quod eius mulier amplexa est fidem catholicam, et Baptismum suscepit, quodque ex corde dolens de fuga et defectione sua, parata est ad illum redire, eique debita obsequia matrimonialia praestare; id vero fiat per medium tertiae et probae personae; cum opportuna circumspectione, ne vir veniat in notitiam loci ubi mulier iam baptizata reperitur, quatenus ista grave aliquod sibi malum ab illo vereatur.

5. Eodem autem tempore interrogetur primus vir utrum velit etiam ipse fidem catholicam amplecti, vel saltem sine contumelia Creatoris cum praefata muliere vitam traducere. Quod si annuat, caveatur ne id subdole et vocetenus tantum affirmet, animum de cetero in illam infensum adhuc retinens. Si vero aperte renuat, interrogetur qua de causa, nempe utrum religionis odio, vel ob iniuriam adulterii ab ea sibi illatam, aut ob has binas rationes simul coniunctas, et de omnibus resultantibus (missionarius) certioret, et deinde providebitur.

6. Interea vero sciat mulier quod tenetur innupta manere, et vitam coelibem ducere.

401

Quibus de causis mutari possint parochi.

S. C. de Prop. Fide *10 Ianuarii 1757* (C. Gen.). — Scribatur Episcopis (Albaniae) posse mutari parochos, ex causis tamen rationabilibus et canonicis, puta persecutionis infidelium, odii vel inimicitiarum cum populo, vel gravis scandali, et tandem ratione maioris utilitatis parochianorum; non tamen intuitu privati commodi vel lucri ipsorum parochorum, quibus Episcopi consulere poterunt in casu vacantiae pinguioris et commodioris parochiae.

402

Qui *neophytorum* nomine appellentur.

Ex Constit. *Cum venerabilis* **Benedicti PP. XIV** *27 Ianuarii 1757*. — Ad personas quod attinet, cum quibus missionarii (in Indiis) sive pro conscientiae, sive pro iudiciali foro, iuxta praemissa, dispensare possunt: neophyti quidem hi sunt. Neophytorum autem appellatione, secundum editas, et a Summis Pontificibus approbatas resolutiones, non solum intelliguntur ii qui paulo ante Baptismum susceperunt, sed etiam eorum filii, quamvis in infantia baptizati fuerint; ac insuper ii qui ex indo neophyto, et ex muliere europaea, vel ex europaeo viro et indica muliere sunt progeniti, ideoque *mixti* seu *mixtitii* vocitantur. Atque hae sunt omnino personae, cum quibus dispensare possunt missionarii: interdicta ipsis quacumque facultate dispensandi cum *quarteronibus* et cum *pucuellibus,* cum iis nimirum qui vel pro una tantum parte ducunt originem ab indis neophytis, ideoque dicuntur *quarterones,* vel per proavum aut proaviam dumtaxat ab indis neophytis trahunt originem, proindeque *pucuelles* appellantur; quum hi neophytorum nomine seu appellatione contineri non possint, ac consequenter nequeant missionarii cum illis, sive in foro conscientiae, sive in foro iudiciali, super matrimonii impedimentis dispensare; eorum enim facultas cohibita est ad neophytos, quorum nomine veniunt tantummodo ii qui fuerunt superius designati.

Quinam *mixti quarterones*, et *pucuelles* vocitentur.

403

Esse illicitum transitum ab orientali ritu ad latinum.

S. C. de Prop. F. *8 Martii 1757* (C. G.). — Nec licuisse nec licere orientalibus quarumcumque nationum, inconsulta Apostolica Sede, a proprio ipsorum ritu ad latinum ritum transire, ac nullis prorsus missionariis licuisse nec licere, inconsulta Apostolica Sede, huiusmodi transitum orientalibus quarumcumque nationum permittere.

404

Dispensari nequit cum subditis extra dioecesim.

S. C. de Prop. Fide *18 Aprilis 1757* (C. G.). — Come si abbiano da intendere le parole del Rescritto per le dispense: *nec ullo modo uti possit extra fines dioecesis,* cioè, se possa il privilegiato dispensare col suo suddito che stesse fuori della sua diocesi.

R. Negative.

405

Parochis ante dimissionem aliud beneficium conferendum.

S. C. de Prop. Fide (Albaniae) *18 Aprilis 1757* (C. G.). — 1. Se possa un Prelato dar licenza ad un parroco di rinunziare la sua cura senza che sia prima provvisto *aliunde* di altro benefizio.

De parochi officio quoad praedicationem.

2. È obbligo d'ogni parroco predicare nei giorni festivi; si domanda se siagli ancora di obbligo predicare *inter missarum solemnia* quando c'è poco numero per ascoltarlo; cioè quante persone bisogna che vi sieno presenti per obbligare il parroco a far loro la predica in tali giorni.

An possint parochi aliquid recipere ob adm. baptismi.

3. Se possano i parroci ricevere denaro per l'amministrazione del Battesimo.

Quid emolumenti operariis praediorum eccl. a turcis ereptorum.

4. Se i cattolici lavoratori dei beni di chiesa usurpati dai turchi possano godere della porzione che tocca loro dall'avere lavorati tali beni; e se possano nascondere dei frutti, biade, ecc. che toccano ai turchi usurpatori, per consegnarli al parroco che in realtà n'è il padrone, e far celebrare tante Messe pel benefattore.

An liceat sacerdotibus eleemosynam Missae pro defunctis a catholicis recipere.

5. Sono soliti gli scismatici (nell'Albania) di chiamare i sacerdoti latini nell'esequie dei loro morti a far celebrare Messa per l'anima loro. I nostri c'intervengono, ricevono limosina per la Messa, ma l'applicano per gli an-

tenati degli scismatici, stati una volta cattolici quando erano uniti colla Chiesa Romana. Se non c' intervenissero, non ricevessero limosina, e non mostrassero applicarla secondo le loro intenzioni, farebbero confusione al popolo e danno contro i nostri. Si domanda se sia lecita e senza peccato tal pratica in tali circostanze.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Teneri, non attento exiguo numero populi, diebus saltem dominicis et festis solemnibus.

Ad 3. Negative; sed posse aliquid recipi a sponte dantibus titulo merae et liberae eleemosynae.

Ad 4. Affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam.

Ad 5. Non licere.

406

De illicitis quibusdam ritibus erga defunctos.

S. C. S. Officii *30 Iunii 1757.* — Utrum in Regno Tunkinensi permitti possint reverentiae coram solo feretro et genuflexiones coram defuncto, cum conditione tamen quod exclusa sit quaecumque res quae redoleat superstitionem, id est, quando non est ciborum oblatio, nec tabella adhuc correcta ante vel coram tumulo; necnon utrum concedi possint accensiones candelarum et thuris coram feretro et tumulo, exclusa pariter omni re superstitionem redolente?

R. Bene provisum per decretum factum a S. C. de Prop. F. sub anno 1753 *(V. n. 386)* ideoque ritus, de quibus agitur in proposito dubio, non licere, et missionarii eidem decreto omnino pareant.

407

De requisito locali motu in *Viae Crucis* exercitio.

S. C. Indulg. *6 Augusti 1757.* — 1. An, in peragendo Viae Crucis exercitio, semper necessario requiratur localis motus de una Statione ad aliam, pro acquirendis Indulgentiis pium huiusmodi opus peragentibus? Et quatenus negative:

2. An et quaenam methodus sit praescribenda?

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Ad mentem..., ut nimirum pro publico exercitio Viae Crucis, quando perturbatio excitari potest, observetur methodus a P. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, sistens in qualibet Statione, ibique recitans peculiares consuetas preces, caeteris alternatim respondentibus: pro privato autem, tribuatur Episcopis facultas praescribendi tempus pro peragendo dicto exercitio opportunum. — Sanctitas Sua S. Congregationis votum benigne apptobavit.

408

An liceat catholicis sacerdotibus Missam celebrare in schismaticorum ecclesiis.

S. C. S. Officii *1 Decemb. 1757.* — Archiep. Antibaren. — An toleranda sit praxis quam habent parochi catholici castri Lastruae S. Missae sacrificium celebrandi in ecclesiis catholicis, a graecis schismaticis usurpatis atque ab iisdem officiatis, seu etiam in illis quae pure ad ipsos schismaticos pertinent.

R. Haberi pro regula universe accepta et servata, non licere catholicis communicare in divinis cum haereticis et schismaticis; verum in quibusdam casibus particularibus regula haec aliquas patitur exceptiones, nempe si in eadem ecclesia habeantur cappellae et altaria separata, quorum aliqua tantum catholicis, alia schismaticis inserviant; si eiusdem ecclesiae partes sint separatae, et in una celebrent solum catholici, in altera tantum schismatici: tum promiscuus ecclesiae usus tolerari poterit. Quatenus vero haec deficiant, R. P. D. Archiepiscopus mandare poterit suae dioecesis parochis ut altaribus portatilibus utantur iuxta facultates illis in Formula impertitas, quasque Sanctitas Sua rursus dare et renovare intendit.

409

De vetita latini ritus cum orientali admixtione.

S. C. de Prop. F. *12 Martii 1758* (C. G.). — Prohibitam esse omnibus omnem rituum mixturam et confusionem. Debent enim qui latinum ritum sequuntur eidem ritui se conformare, et idcirco abstinentias et ieiunia Ecclesiae Latinae observare; festa iuxta Calendarium Gregorianum sanctificare, et parochis latinis immediate subesse. Eodemque modo quicumque orientalem aliquem ritum profitentur, servare tenentur omnia ieiunia, abstinentias aliasque laudabiles proprii ritus consuetudines, suisque catholicis superioribus, ubi isti reperiantur, immediate subesse.

410

De impedimento clandestinitatis, et de domicilio in ordine ad matrimonium.

Ex Litt. Apost. Benedicti PP. XIV *19 Martii 1758* (ad Archiep. Goanum). — Paucis ab hinc hebdomadis Fraternitatis Tuae litteras accepimus, die 16 decembris 1754 datas nescientes usque adhuc, quaenam diuturnae huius morae fuerit causa. Exposuisti autem in iis, quod, cum receptum fuerit in dioecesi tua Tridentinum Concilium, servatur adamussim ibidem sanctio illa, quae nulla declarat matrimonia, quae sine praesentia parochi sponsi vel sponsae, et sine duobus testibus, celebrantur. Cum vero dioecesi tuae finitimus sit locus quidam, Sunda vocatus, ubi nonnulli missionarii sacerdotes inhabitant ad regionis incolas ad fidem catholicam pertrahendos edocendosque, contigit aliquando, atque nunc etiam contingit, ut quispiam difficultates praenoscens, quae ma-

trimonium fortassis impedirent, quotiescumque in tua dioecesi contrahendum foret, ab eadem discedit una cum muliere, atque Sundam pergit, ubi neque receptum neque promulgatum fuit Concilium Tridentinum, ibique matrimonium, coram missionario contrahit, ac subinde regrediens ad dioecesim tuam, validum esse contendit eo quia matrimonium non alibi nullum esse reputatur praeterquam iis in locis, in quibus Concilii decretum receptum ac promulgatum fuit. Haec est quaestio, de qua nos interrogasti, ut normam praefiniremus, quacum in eiusmodi matrimoniis gerere te oporteat. Quamvis autem ob longaevam, quin immo decrepitam aetatem, quam agimus, nos a laboribus excusare liceret, eosdemque aliis committere, ultima nobis definitione servata ; nihilosecius, cum divinae placuerit maiestati sanam Nobis ac integram mentem servare, etsi, praeter senium binae gravissimae infirmitates, quas perpessi sumus, Nos eo perduxerint, ut sacro Viatico et extrema Olei unctione semel ac iterum muniremur, petitionibus tuis recta responsum dare non omittemus, cum ob experientiam, quam in eiusmodi controversiis nacti fuimus, ut videre est in nostra *Ecclesiastica Institutione,* in lucem edita, dum in archiepiscopali Bononiensi cathedra sedebamus, quae est 33 latinae editionis *sub num. 9,* tum vero etiam ob munus exercitum pluribus annis a Secretis Congregationis Tridentini Concilii, dum in minoribus agebamus, ubi similia negotia tractantur.

In integra Decretali Alexandri III Nostri praedecessoris, sexta sub titulo *de homicidio,* quae in collectione Decretalium, qua utimur in scholis et foro, non integra est, sed decurtata, sequentia leguntur verba, quae nostrae favent intentioni: *Sicut dignum et omni rationi consentaneum est, graves et difficiles quaestiones ad examen Apostolicae Sedis deferri: ita etiam Nobis ex ministerio susceptae solicitudinis imminet easdem quaestiones, prout Nobis Dominus dederit, solvere, et singulis a Nobis consilium postulantibus respondere: ut providentia Romanae Ecclesiae, quae ubique terrarum obtinet, disponente Domino, principatum, quaestiones solvantur, et removeatur in his ambiguitas singulorum de cordibus. Licet autem super quaestionibus, quas Nobis discretio tua solvendas dixerit, te non dubitamus providum et circumspectum existere ; cogimur tamen ex suscepto servitutis ministerio, iuxta discretionem et providentiam Nostram, tibi exinde respondere.*

An validum matrim. in loco ubi non viget decr. Trid., si contrahens habet domicilium, ubi viget.

Thomas Sanchez, qui quidem, nemo ignorat, qualem sibi famam conciliaverit in controversiis ad matrimonium spectantibus, quaestionem hanc agitat in suo opere *de Matrimonio, lib. 3, disp. 71 et seq.,* ubi *sub num. 29* defendit validum matrimonium initum in loco, ubi promulgatum non fuerit Tridentinum Concilium, quamvis ille, qui contrahit, domicilium habeat in loco, ubi Concilium receptum est, indeque discesserit, ut eas difficultates aufugeret, in quas inciderat, vel incidere se posse rebatur, si matrimonium ibidem contrahere voluisset: cum vero opponitur intercedere fraudem, tunc respondet, vel nullam inesse fraudem, ubi quis iure suo utitur, quoniam vetitum non est a loco, in quo receptum fuit Concilium, transire ad alium, ubi non sit receptum ; vel, etiamsi fraus intercessisse credatur, eiusmodi fraudem illicitum quidem, non sic vero nullum matrimonium efficere. Pontius, qui non tam facile Sanchesii opinionibus adhaeret, in hac tamen eidem consentit ; ut videri potest *lib. 5 de Matrim., cap. 9.* Et Diana *in coordinata editione, tom. 1, tract. 3, resol. 116 et 117,* Sanchesio, et Pontio subscribit. Eiusdem sententiae sunt Bonacina, *de Matrim., quaest. 2, punct. 7, num. 2, tom. 1,* Castropalaus, *part. 5, disput. 2, de Sponsal., punct. 13, § 8, num. 4,* Leander *part. 2, tract. 9 de Matrimonii sacramento, disp. 7, qu. 11,* Filliucius *tract. 10 de Matrimonio, part. 1, cap. 6, num. 199,* Rosignolus *de Matrimonio 1, contract. 15, praenot. 21, n. 8.*

Ne vero plus, quam par est, sermonem protrahamus in aliorum doctorum atque theologorum nominibus cumulandis, tantummodo innuemus, non deesse, qui contrariam sententiam tueatur, doceatque, nullum esse matrimonium ab eo contractum, qui ad evitandas difficultates, in quas incidit, vel incidere se posse veretur si matrimonium ineat in loco domicilii, ubi viget Tridentina lex, transit ad alium, ubi promulgata non fuit, adeoque neutiquam recepta, et post initum matrimonium, domum suam revertitur: qua de re observari poterunt: Gobat *in Theologia experimentali, tract. 9, num. 481,* Cardinalis de Lauraea *de Matrimonio disp. 22, num. 138, et seqq.,* Clericatus *de sacramento Matrimonii, decis. 35, n. 24,* Giribaldus *tract. 10 de Matrimonio, cap. 7, n. 22,* Sgobar *in Theologia radicali, tract. 116 de Matrimonio num. 52,* Schmalzgrueber *ad tit. de clandestina desponsatione, num. 112,* Pichler *in eumdem titulum, num. 14,* Bockhn *ad tit. de Constitutionibus § 3, num. 4,* Elbel *in Theologia Morali, part. 3, n. 301, et seq.,* Pontas *verb. Impedimentum clandestinitatis, cas. 3, § Ceterum ad casum.* Et ipse Diana, qui secutus fuerat in locis supra memoratis Sanchesii et Pontii sententias, *in eadem editione coordinata, tom. 2, tract. 6, resolut. 74,* ab iisdem recedit, ut hanc postremam amplectatur. Sylvius vero *tom. 5 Operum suorum, edit. Antuerpien. anni 1698,* inter varias resolutiones *verb. Matrimonium, num. 8,* sapienter animadvertens, matrimonium esse validum, si quis, admissa etiam fraude, patriam suam deserens, ubi Tridentinum Concilium promulgatum fuit, illud contrahit in loco, ubi

non est promulgatum, postquam tamen ibidem novum quasi domicilium acquisierit; ex eo infert, nullum esse matrimonium, quotiescumque ille, qui contrahit, regreditur illico ad locum unde discessit, quin speciem quamdam domicilii adeptus fuerit in loco, ubi matrimonium contraxit.

Resolutiones S. Congregationis Concilii.

Sedente fel. rec. Urbano VIII Pontifice Maximo, Archiepiscopus Coloniensis Elector tria haec dubia proposuit coram Congregatione Concilii: *Quaeritur humiliter a sacra Congregatione, an incolae tam masculi, quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum et acceptatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere.*

Secundo, Quid, si eo praedicti incolae tam masculi, quam foeminae, solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes.

Tertio, quid, si iidem incolae tam masculi, quam foeminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant.

Hoc autem Congregatio dedit responsum *die 5 septembris 1626: Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum ad primum et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude.*

Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum.

Institerunt postmodum Archiepiscopi Coloniensis procuratores, ut Congregationis responsum Pontificio Brevi confirmaretur, siquidem Archiepiscopus Elector cupiebat illud dioecesanae synodo, quam habiturus mox erat, adnectere. Petitioni Urbanus VIII indulsit, iussitque expediri Breve; cuius prima perscriptio authographa, ab eodem subscripta, reperitur inter eiusdem Brevia anni 1627. Summa vero eiusdem ita se habet: *Confirmatio resolutionis nonnullorum dubiorum super contrahendis matrimoniis a sacra Congregatione Concilii emanatae, est iuxta eiusdem Congregationis decretum.* Huius vero definitionis contextu bene perpenso, facile intelligitur, matrimonia primo ac secundo loco exposita, irrita ac nulla ab eadem Congregatione decerni, eo quia fraus intercessit; validum autem censeri matrimonium tertio loco positum, in quo licet fraus intercesserit, nihilominus is, qui matrimonium contrahit, antequam illud iniret, domicilium seu quasi domicilium adeptus erat eo in loco, ubi matrimonium inivit: *Nisi domicilium vere transferatur.* Siquidem novum non est, neque inusitatum, quod quis domicilium habeat aliquo in loco, et quasi domicilium adipiscatur in alio: in quo rerum statu si versetur, tunc eidem liberum erit, matrimonium contrahere coram illo parocho, intra cuius paroeciae fines tunc inhabitat cum matrimonio iungitur, iuxta communem sententiam, a Nobis relatam sancitamque in superius memorata *Institutione* Nostra *Ecclesiastica*, 33, latinae editionis.

Firmiter eiusmodi principiis semper adhaesit eadem Congregatio, quotiescumque materiae huius discutiendae sese dedit occasio: etenim in quadam *Abulen.* proposita sub die prima decembris 1640, *lib. 16 decretor., pag. 470 a terg., et pag. 471*, ita respondit: *Sacra etc. censuit, non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium contrahendi.* Dum in minoribus fungeremur munere a Secretis Congregationis eiusdem, irritum ac nullum pariter declaratum fuit matrimonium ab eo contractum, qui, ut declinaret difficultates, quas proprius parochus obiiciebat, ad alium locum transierat, atque connubium fecerat coram parocho eius loci, a quo postmodum, contracto matrimonio statim discesserat, ut ad pristini domicilii locum rediret; uti videri potest in *Lauretana* proposita ac definita die 13 iulii 1725, *tom. 3 Thesauri resolutionum Congregationis edition. Urbinaten. de ann. 1739, pag. 185.* Ex adverso eadem Congregatio validum censuit matrimonium ab eo contractum, qui discesserat a loco proprii domicilii, ut difficultates aufugeret, in quas offendisset, si matrimonium coram eiusdem loci parocho inire voluisset, atque illud inierat coram parocho alterius loci, postquam tamen legitimum ibidem quasi domicilium adeptus fuerat, eodemque in loco, etiam post matrimonium contractum, ad aliquod tempus permanserat: quae definitio lata fuit die 20 februarii 1723 in *Caesenaten. seu Forolivien. Matrimonii*, quemadmodum videre est *tom. 2 supradicti Thesauri Resol., pag. 274 et seq.*, ubi alias quoque similes observare licebit, quas tum diligenter collegimus. Demum, ne prolixior evadat oratio, in celebri *Leopolien. Matrimonii*, proposita sub die 9 iunii 1725, Congregatio principia eadem ad amussim retinuit, quemadmodum legere fas est *tom. 3 Thesauri eiusdem, pag. 161*, quibus pariter in eadem causa omnimode institerat Rota Romana *in decisione 1298, tom. 6* coram honorabilis memoriae Lancetta, Rotae decano et sacrae Poenitentiariae regente.

Praefatae S. C. sententiam confirmat Urbanus PP. VIII.

Exposita Congregationis sententia, operae pretium erit modo referre, quid Urbanus VIII pro illius confirmatione peregerit. Equidem innuimus, iam tum ab eodem Pontifice roboratam fuisse pontificio diplomate: cuius cognitio cum temporis decursu ad spectabilis memoriae Cardinalem Ioannem de Lugo pervenisset, curavit is, exhiberi sibi ab administris Coloniensis Archiepiscopi authenticum Brevis exemplum; quod cum obtinuisset, operibus suis adnexum

typis edidit *lib. 1, dub. 36 Respons. Moral.* Id ipsum quoque alii fecerunt scriptores a Nobis collecti in superius memorata *Ecclesiastica Institutione 33,* latinae editionis; atque hoc ipsum Breve nuperrime in lucem vulgatum reperitur *in Bibliotheca canonica* P. Ferraris: adeo ut, ex sententia communiter hodie recepta atque observata, nullum atque irritum habendum sit matrimonium, in fraudem proprii parochi, coram parocho alterius loci contractum, dummodo tamen ille, qui contrahit, antequam matrimonio iungatur, legitimum domicilium, vel quasi domicilium, revera in hoc altero loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post matrimonium contractum, ad aliquod tempus commoratus non esset. Consulantur Salmanticenses *in cursu Theologiae Moralis, tom. 2, tract. 9 De Matrimonio, cap. 8, punct. 2, num. 31.*

Breve Urbani P. VIII.

Mittimus interea fraternitati tuae Urbani VIII Breve (1) quod apostolicae auctoritatis robore confirmamus, iubentes una simul, ut confirmationis Nostrae documentum asservetur in Actis Congregationis Concilii, atque in Nostro secretiori Vaticano Tabulario... tibique propterea, tuisque successoribus mandamus observantiam et implementum eiusmodi Brevis in ista dioecesi, ubi frequenter eiusmodi quaestiones incidunt, quibus per idem Breve opportune prospicitur: atque hoc pacto satisfecisse Nos arbitramur petitioni, quam proposuisti in epistola diei 18 decembris 1754 ubi normam, quam sequereris, commonstrari tibi cupiebas, si contingant, uti paulo ante dicebamus, matrimonia eorum, qui ad evitandas difficultates, in quas vel offenderant, vel offensuri erant, si matrimonium in tua dioecesi celebravissent, transeunt ad finitimum locum, in quo coram aliquo missionario matrimonium contrahunt, deinde vero ad eam regionem, ubi verum domicilium habent, revertuntur.

Quid requiratur ad acquirendum *quasi domicilium.*

Post haec, necessarium fore censemus nonnihil adiungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum *in cap.* Significat, *de Parochiis,* ubi earumdem contextu perpenso, haec habet *sub num. 39: Vir et mulier Traiectenses, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam sè contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, sacra Congregatio, consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.* Natalis Alexander *in Theologia Dogmatica et Morali lib. 2, de sacrament. Matrim., cap. 2, art. 2, regul 6,* animadvertit, ad acquirendum quasi domicilium, oportere, ut contrahentes, antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco, ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti iam sint atque perspecti. Dubitari autem posset, num ad quasi domicilium acquirendum matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere.

De matrimonii denunciationibus.

Quod vero mox sequitur, respicit matrimonium initum alio in loco, ubi iam contrahentes quasi domicilium adepti fuerunt, ac proinde illud ipsum, quod prosequebatur epistola Fraternitatis Tuae. Verum de hoc sermonem habere nequimus, nisi prius a proposito paulisper digredientes, quidquam opportune praemittamus. Odo de Soliaco, vigilantissimus Parisiensis Antistes, qui vixit sub initium saeculi decimi tertii, promulganda statuit in suae dioe-

(1) Breve Urbani VIII de quo agitur datum fuit die 14 Augusti 1627 atque ita se habet: « Exponi Nobis fecit venerabilis frater Archiepiscopus Coloniensis, quod habito nuper per eum ad venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales Sacri Concilii Trident. interpretes, recursu super infrascriptis dubiis, videlicet, *Primo,* an incolae tam masculi quam feminae loci in quo Conc. Trident. in puncto matrimonii est promulgatum transeuntes locum in quo d. Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere? *Secundo,* quid, si eo praedicti incolae, tam masculi quam feminae, solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? *Tertio,* quid, si iidem incolae, tam masculi quam feminae, eo transferant habitationem, illo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant? Iidem Cardinales, ad *primum* et *secundum,* non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes ac transeuntes cum fraude; ad *tertium* vero dubiorum huiusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt et resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, dictus Archiepiscopus responsum, seu dubiorum praedictorum resolutionem huiusmodi pro illius subsistentia firmiori, Apostolicae Nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret; Nos eumdem Archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine Nobis per hoc humiliter porrectis inclinati, responsum, seu dubiorum praedictorum resolutionem huiusmodi, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, decernentes illud seu illam, nec non praesentes literas, valida, firma et efficacia existere et fore *etc.* ».

ceseos paroeciis matrimonia, priusquam inirentur ; ut scilicet hoc pacto dignosci posset, num inter contrahentes impedimentum nullum subesset: atque inde denuntiationum manavit exordium, quae tum *Bannum* nuncupatae fuerunt. A dioecesi Parisiensi mos iste laudabilis ad alias quoque per Galliam permeavit, uti colligitur ex rescripto Innocentii III ad Episcopum Bellovacensem *in Cap.* Cum in tua, *De Sponsal. et Matrim.* Idem Innocentius in Concilio Lateranensi quarto ad universam Ecclesiam eiusmodi denuntiationum morem propagavit, ut videre est *in Cap.* Cum inhibitio, *de clandestina desponsatione.* Atque sacra Tridentina Synodus, *sess. 24 de reform. matrim., cap. 1,* Lateranensis Concilii vestigiis inhaerendo, id ipsum praecepit. Quamvis vero denuntiationes ad matrimonii validitatem neutiquam pertineant, adeo ut matrimonium, iisdem omissis, celebratum, illicitum quidem sit, sed tamen validum, non idcirco denunciationum omissio gravi caret culpa, neque propterea negligi impune queunt in paroeciis, in quibus contrahentes inhabitant ; quod si velint matrimonium extra dioecesim, quam incolunt, celebrare, tenetur is, qui matrimonio interest exigere prius, ut denuntiationes factae iam fuerint in loco prioris domicilii, quamvis sit alterius dioecesis, ad hoc ut tuto interesse possit matrimonio, quod in sua dioecesi celebratur. Observetur Concilium Aquense anni 1585 a Sixto V Pontifice Maximo confirmatum, sicuti etiam Rituale Romanum. Quod si vetustiora monumenta prae manibus sumere opus esset, in secunda collectione Decretalium *Cap. primo de clandestina desponsatione,* reperitur Decretalis Alexandri III relata etiam per Gonzalez *in Cap.* Cum inhibito, *sub. n. 10, de clandestina desponsatione,* ubi fit mentio oneris, quod districte incumbit ei, qui matrimonio interest in sua dioecesi contracto, ne scilicet interesse debeat, nisi requisierit antea ab Episcopo loci, ubi contrahentes inhabitant, praevium denuntiationum edictum, unde appareat, nullum inter eosdem impedimentum obsistere.

Constat igitur, presbyterum missionarium, coram quo matrimonia, de quibus sermo est, Sundae celebrantur, iisdem interesse neutiquam debere, nisi prius exhibeantur sibi denuntiationum edicta promulgata in tua dioecesi, ubi contrahentes domicilium habent, e quibus pateat, nullum inter eosdem impedimentum reperiri. Quod si missionarius obiiciat, Tridentinum Concilium Sundae promulgatum non esse, tum fac ipse ut bene percipiat, quod, si onus eiusmodi repetere ac derivare nolit a Tridentini Concilii lege, non potest quin illud fateatur ac noscat sibi a Lateranensi Concilio impositum. Postquam vero, qui Sundae matrimonio iuncti fuere, ad dioecesim tuam redierint, si Fraternitas Tua iusserit fieri tum denuntiationes, ut pateat, num inter eosdem impedimentum ullum intersit, non tam muneri tuo satisfacies, verum, sic agendo, paulatim e medio tolles pravum nonnullorum morem adeundi Sundam, ut matrimonio copulentur, ob metum difficultatum, in quas inciderent, si tua in dioecesi, ubi domicilium habent, nubere voluissent.

Notiones historicae circa decr. Trid. *Tametsi* de matrimoniis clandestinis.

Decretum sacri Tridentini Concilii, quo clandestina matrimonia irrita ac nulla declarantur, illud ipsum est, de quo plusquam de ceteris aliis in sacro illo conventu disceptatum fuisse legitur, propter diversas patrum sententias: quemadmodum testatur Cardinalis Pallavicinus in *Historia Concilii, lib. 22, cap. 4,* atque idem referunt P. Ioannes Stoz *in succincta Relatione de gestis in Concilio Trid., sess. 4, art. 24, § 10, punct. 1, num. 548,* Ernestus Salomon Cyprianus, in libro, cui titulus *Tabularium Ecclesiae Rom. saeculi XVI num. 159 et num. 180,* et Mutius Calinus, Iaderensis Archiepiscopus, in epistola diei 11 novembris 1563 ad Cardinalem Aloysium Cornelium Camerarium, cui quidquid in Concilio eveniret, feliciter referebat, ut ex manuscripto eiusdem epistolarum codice.

Dubitabatur primo utrum Ecclesia abrogare posset clandestina coniugia, propterea quod legitimus contractus materia insimul ac forma est sacramenti Matrimonii: mutua nempe ac legitima corporum traditio, verbis ac nutibus interiorem animi assensum exprimentibus, materia ; et mutua pariter ac legitima corporum acceptatio, forma. Ex quo nonnulli arguebant, quod, legitima traditione et acceptatione simul coniunctis, subest materia ac forma, quae non ab alio immutari potest, praeterquam ab eo, qui divinae gratiae est auctor, quae per sacramenta confertur: verum, reponentibus aliis, Ecclesiam posse conditionem quamdam praescribere, quae prius non aderat, sine qua contractus in posterum neque legitimus neque validus foret, quemadmodum etiam neque legitima neque valida traditio et acceptatio corporum, id satis erat, ut clandestina matrimonia irrita fieri possent, quod quidem potestatis ecclesiasticae limites non excedit. Desumitur responsum hoc ex doctrina S. Thomae Aquinatis, *Quodlibet 5, quaest. 8, art. 15, Ad primum.* Non destitit quidam scriptor Paulus Sarpius *in Historia Concilii Tridentini,* quin contradicentium partes amplecteretur: verumtamen tanta est vis veritatis, ut Petrus Franciscus Courayer, qui Sarpium quacumque sequitur, hoc tamen loco eum deserat atque impugnet, uti observari potest in adnotationibus ad eamdem Historiam Concilii *lib. 8, § 86, n. 88 et seq.,* et praesertim *num. 90.*

Asserta Ecclesiae potestate, alia successit dubitatio, num scilicet legitimae intercederent causae ad clandestina coniugia, quae secundum canones erant dumtaxat illicita, ut infertur ex

canone *Aliter,* aliisque subsequentibus, quorum unus incipit *Nullus,* alter *Nostrates quaest. 1, caus. 30,* nulla in posterum decernenda. Verum, cum demonstratum fuerit, ex clandestinis coniugiis frequenter evenire, ut qui uxorem duxerat, eam derelinqueret, atque superinduceret alteram, quodque interdum nonnulli uxorem habentes ad sacros Ordines ascenderent, et una cum uxore ecclesiastica beneficia retinerent, quibus gravissimis malis ecclesiastici iudices mederi nequibant, cum matrimonii contracti necessariae probationes deessent, hoc satis superque valuit ad evincendam necessitatem infringendi clandestina connubia, ut colligitur ex littera ipsius conciliarii decreti, advertitque sagaciter Natalis Alexander *in Theologia Dogmatica et Morali, de sacrament. Matrim., lib. 2, cap. 2, art. 2, proposit. 1.*

Iniiciebat scrupulum aliis consideratio illa, ne scilicet, clandestinis coniugiis abrogatis, iis nempe, quae sine parocho viri aut mulieris celebrantur, *huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos in praesenti decreto irritos facit et annullat* (sunt verba Concilii), posset id exasperare graviter haereticorum animos, quorum matrimonia fuissent nulla et consequenter illegitima soboles, quoniam coram catholico parocho ac binis testibus nunquam celebrata fuissent. Verum, Concilii Patribus sapienter in hunc modum statuentibus « *Decernit insuper, ut huiusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem parochia factae, numerandos* », sicuti credibile non erat, decretum eiusmodi ab ipsis promulgandum, inde sequebatur, quod eorum matrimonia sine praesentia parochi et duorum testium facta irrita nunquam dici potuissent: ut prosequitur Cardinalis Pallavicinus *loco citato, cap. 8.*

Tandem cum praevideretur, facile deperditum iri probationes, unde constaret de promulgatione Tridentini Decreti in qualibet paroecia, atque exinde orituras plerumque dubitandi causas, num executioni demandata fuisset praescripta conciliaris decreti promulgatio, numque propterea vim suam obtinere deberet, approbante Pontifice Maximo, sancitum fuit a Congregatione Concilii, ad eamdem promulgationem comprobandam sufficere diuturnam observantiam eiusdem conciliaris decreti, cuius publicatio inducitur ex diuturnitate temporis, quo matrimonia in paroeciis coram parocho ac duobus testibus celebrata fuerunt: ut videre est in *Tricarien.* 26 septembris 1602, *lib. 10 Decretorum,* quae existunt in secretario eiusdem Congregationis *pag. 47,* et in quadam *Poloniae* 13 novembris 1638, *lib. 19 Decretorum eorumdem pag. 117,* atque nos ipsi observavimus in opere nostro *de Synodo Dioecesana,* novissimae editionis, *lib. 12, cap. 5, num. 6.*

411

S. Congr. de Prop. Fide *17 Aprilis 1758* (C. G.). — 1. Domanda (l'Arcivescovo di Sofia) se deve lasciar correre l'uso di battezzare i fanciulli coll'acqua benedetta dal sacerdote in occasione dello stesso battesimo, non essendovi in quelle parti nè scalpelli nè pietre per fare un fonte battesimale; e quando anche vi fossero, non potendosi conservare che nella casa di qualche particolare, si corre rischio che dia nell'occhio dei turchi, che entrano da per tutto come padroni. De aqua baptismali.

2. In mancanza di sacerdoti cattolici sentono (i fedeli) la Messa degli scismatici, e si servono dei loro preti per assistere ai funerali; l'Arcivescovo riferisce di non avere su di ciò istruzione alcuna. De assistentia sacerdotum schismaticor. in funeribus catholicorum.

3. In alcuni luoghi i greci (scismatici) vogliono che il missionario nel giorno dell'Epifania vada a benedire le loro case; il che dice Monsignor Arcivescovo che i missionarî non hanno potuto negare per timore di maggior male. De benedictione domorum schismaticorum per sacerdotes catholicos.

4. Se ne' luoghi ove non è nè chiesa, nè casa del missionario, sia più decente celebrare la Messa nella casa dell'infermo, od in altra abitazione particolare. De celebratione Missae in domibus infirmorum.

R. Ad 1. Transmittatur decretum anni 1660 *(V. n. 139);* ubi tamen deficiat fons aquae baptismalis, utantur missionarii aqua naturali, ut rescriptum fuit a S. C. S. Officii sub die 6 Aprilis 1741 *(V. n. 325).*

Ad 2. In funeribus catholicorum sacerdotes schismaticos tolerari non posse, nisi forte pure materialem praesentiam ac civile ministerium exhibeant, ut ex decreto S. C. S. Off. sub die 10 Maii 1753 *(V. n. 389).*

Ad 3. Toleretur quod in die Epiphaniae sacerdos catholicus vocatus, ac metu coactus a schismaticis, eorum domibus benedicat, modo ne cum iis in oratione communicare videatur.

Ad 4. Non licere ex devotione; licere tamen ex necessitate.

412

S. C. de Prop. F. *22 Ian. 1759* (C. G.). — 1. An initium quindennii ad quod conceduntur facultates desumendum sit a die *datae* illarum, an a die quo ipsae perveniunt ad dioecesim et ad manus Episcopi cui conceduntur. Unde desumendum initium temporis *ad quod* conceduntur facultates.

2. An sacerdotes quibus ab Episcopo communicatae sunt facultates, ut sede vacante, sit qui possit supplere, illis uti possint donec per adventum novi Episcopi vel alio modo Apostolica Sedes provideat, etiamsi expiret quindennium, ad quod illae concessae fuerunt, demortuo Episcopo, an potius debeant ab illarum usu cessare, etiam ante novam provisionem eo ipso tempore quo propter lapsum quindennii cessare deberet Episcopus ipse si viveret. De facultatum exercitio tempore Sedis episcopalis vacantis.

3. An si contingat sacerdotes, quibus Episcopus tempore sui obitus praedictas facultates communicavit, e vivis excedere, vel discedere a dioecesi, sede adhuc vacante, et ante novam provisionem Apostolicam, possit Vicarius Capitularis illas exercere eodem modo quo posset si ipsis nemini communicatis obiisset Episcopus.

Quinam veniat nomine Vicarii Capitularis.

4. An nomine Vicarii Capitularis in relato Indulto veniat non solum Vicarius electus a Capitulo in dioecesibus illud actu habentibus, sed etiam in iis, quae Capitulum actu non habent (qualis inter alias est Coccinensis), gubernator designatus a metropolitano, et generaliter cui regimen dioecesis sede vacante committitur auctoritate legitima, quocumque nomine et titulo appelletur.

R. Ad 1. Esse computandum a die receptionis et non a die datae.

Ad 2 et 3. Non esse tam attendendum numerum 28 Formulae I, et epistolam encyclicam S. Congregationis emanatam a. 1743, quam duo Brevia Benedicti XIV, primum scilicet a. 1753, et alterum anno 1755 *(V. nn. 387 et 396)* expresse edita, ut melius consuleretur indemnitati dioecesum. Ex iis autem constare quod quilibet Episcopus tenetur, dum in vivis est, eligere Vicarium generalem qui sede vacante facultatem habet, ex vi eorumdem Brevium, exercendi tam iurisdictionem ordinariam quam delegatam, quam exercebat Episcopus, usque ad novam provisionem faciendam a Sede Apostolica. Propterea eos, quibus communicatae sunt facultates ab Episcopo dum viveret, non posse (iisdem) uti post mortem Episcopi nisi durante quindennio iam inchoato, et de consensu expresso vel tacito Vicarii generalis qui successit Episcopo. Cessare autem omnem difficultatem circa eos qui iuxta numerum 28 Formulae I, deputati sunt ab Episcopo tempore sui obitus, cum satis provisum sit indigentiis fidelium per deputationem Vicarii generalis qui ex vi supradictorum Brevium, et etiam ex nova declaratione SS. D. Nostri, constituitur delegatus Apostolicus omnesque facultates exercet, non vi delegationis habitae a defuncto Episcopo, sed ex auctoritate sibi tradita a Summo Pontifice. Neque obstare quod in aliquibus dioecesibus necessario sit eligendus Vicarius capitularis, cum vigore supradictorum Brevium eaedem facultates tribuantur Vicariis capitularibus, quibus gaudent Vicarii generales ab Episcopo adhuc superstite deputati.

Ad 4. Idem quoque dicendum de gubernatore dioecesis Coccinensis, qui deputari solet sede vacante, a metropolitano; habendus est enim tamquam Vicarius capitularis iuxta morem, usum et consuetudinem regionis, quas Benedictus XIV statuit esse servandas in ultimo Brevi edito anno 1755 *(V. n. 396)*.

413

Circa facultatem largiendi *ter in anno* indulg. plenariam.

S. C. de Prop. Fide 22 *Ian.* 1759 (C. G.). — 1. An ad lucrandam ter in anno indulgentiam plenariam vigore facultatis (scil. *Largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis ac sacra Communione refectis)* debeat Episcopus designare pro qualibet vice unum tantummodo diem, quo omnes illam lucrari volentes, confiteri ac sacra Communione refici teneantur; an potius possit, saltem in sua dioecesi designare aliquot dies continuos, v. g. aliquod festum cum praecedenti aut sequenti triduo, vel etiam octiduo. Ratio est quia fideles, attenta eorum conditione, nequeunt omnes concurrere ad ecclesiam uno eodemque die, imo nec solent concurrere nisi illis diebus quibus in unaquaque respective Ecclesia celebratur aliquod festum solemne. Huiusmodi autem festa non in unam eamdemque incidunt diem. Insuper vix aliqua est ecclesia in qua duo reperiantur confessarii; ac saepe fit ut unus sacerdos pluribus ecclesiis per diversos pagos sitis deservire debeat.

2. An debeat similiter assignare eosdemmet dies pro tota simul dioecesi, vel potius possit designare diversos respective dies pro singulis seorsim ac successive parochiis, missionibus aut districtibus, ita ut fideles modo unius, modo alterius, et sic successive omnium possint in sua quique ecclesia praedictam Indulgentiam ter in anno lucrari diebus ab Episcopo pro illo districtu designatis, licet diversi sint a designatis pro alio districtu.

R. Ad 1. Posse per triduum, vel per integram octavam.

Ad 2. Non teneri, sed posse assignare diversos dies pro diversis parochiis seu missionibus, dummodo non sint in eodem loco.

414

De vetito transitu ab uno ad alium ritum.

S. C. de Prop. F. *12 Martii 1759* (C. G.). — S. Congr. confirmavit decretum editum die 8 Martii 1757 quo statutum est non licuisse nec licere (post editas scilicet an. 1755 litteras encyclicas f. r. Benedicti XIV incipientes *Allatae sunt*) orientalibus quarumcumque nationum, inconsulta Apostolica Sede, a proprio ipsorum ritu ad latinum ritum transire. Et nullis prorsus missionariis licuisse aut licere, inconsulta Apostolica Sede, huiusmodi transitum orientalibus quarumcumque nationum permittere. Quia vero eadem S. C. audierat nonnullos ex orientalibus esse qui in aliqua tantum parte, et non in omnibus latinum ritum amplexi fuerant; quosdam vero post editas an. 1755 a f. r. Benedicto XIV Litteras encyclicas incipient. *Allatae sunt*, relicto proprio ritu ad latinum transiisse: idcirco eodem in decreto statuit, et nunc iterum confirmat, huiusmodi orientales, hoc est, tam eos qui ante praedictas Litteras ad latinum ritum

in aliqua tantum parte, non in omnibus, transierant, quam illos qui post praedictas Litteras latinum ritum, etiam in omnibus suis partibus amplexi sunt, ipsos vere ad latinum ritum non transiisse, sed teneri illos in proprio orientali ritu perseverare, atque eiusdem legibus in omnibus obtemperare, idque sub poena peccati gravis a quo, quamdiu in eo pertinaces fuerint, sacramentaliter absolvi non possent.

Ceterum si qui ante praedictas Benedicti XIV Litteras Encyclicas latinum ritum in omnibus suis partibus amplexi sunt, et hucusque in eo perseveraverunt, his, si SSmo placuerit, indulgeri posse existimavit ut in eodem permaneant. Quam quidem indulgentiam etiam ad graecomelchitas esse extendendam censuit: quamvis enim pro istis nominatim edita fuerit Decretalis *Demandatam*, itemque Breve *Praeclaris*, post quae decreta nullo modo ipsis licuit ad latinum ritum transire, nihilominus si illorum aliqui post dicta decreta, sed ante Encyclicas Litteras *Allatae* latinum ritum in omnibus suis partibus amplexi fuerint, et hucusque in eo perseveraverint, ut in eodem permaneant indulget, non obstantibus dictis decretis, super quibus hac in re, et pro hac vice tantum ad omnimodam quietem in posterum obtinendam, Sanctitas Sua benigne dispensat. — Noverint insuper prohibitam esse omnibus omnem rituum mixturam, et confusionem. Debent enim, qui latinum ritum sequuntur, eidem ritui integre se conformare; et idcirco abstinentias et ieiunia Ecclesiae latinae observare, festa iuxta calendarium gregorianum sanctificare, et parochis latinis immediate subesse. Eodemque modo quicunque orientalem aliquem ritum profitentur, servare tenentur omnia ieiunia, abstinentias aliasque laudabiles proprii ritus consuetudines, suisque catholicis superioribus, ubi isti reperiantur, immediate subesse.

Vetita rituum mixtura et confusio.

Cum vero propositum a quibusdam dubium fuerit, quem ritum sequi coniuges debeant, si forte diversi ritus fuerint, S. Congregatio SSmi D. N. Papae auctoritate permitti posse censuit ut uxores suorum virorum ritum sequantur, dummodo uxor non sit ritus latini, quo casu, inconsulta Sede Apostolica ad mariti ritum transire non permittatur.

Indultum pro uxoribus.

Noverint autem omnes ablatam omnem variandi facultatem. Nemo proinde, inconsulta Apostolica Sede, vel a latino ad orientalem, vel ab orientali ad latinum ritum transire deinceps praesumat. Qui secus fecerit, eorum transitus prorsus illicitos, irritos ac nullos fore declarat. — SSmus in omnibus approbavit.

415

De matrimoniis mixtis coram haeretico ministro contractis.

S. C. de Prop. F. *21 Martii 1759* (C. G.). — Se per i matrimonî contratti di latini con parte eretica in Costantinopoli *coram ministro haeretico*, e conseguentemente non proprio parroco, debba concedersi al Vicario Patriarcale la facoltà di rivalidarli non ostante la permanenza di una delle parti nell'eresia.

R. Huiusmodi matrimonia, quatenus contrahantur inter coniuges qui sint latini, esse nulla et non debere convalidari. Si vero contrahantur inter coniuges, quorum unus sit catholicus et ritus latini, alter vero sit haereticus vel schismaticus et ritus orientalis, coram parocho licet haeretico vel schismatico alterius coniugis, esse valida sed illicita.

416

Circa praecedentiam et privilegia missionariorum regularium.

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide *7 Aprilis 1759* (ad Praef. Mission. Oens.) — Essendosi maturamente esaminati i due dubbi dalla P. V. proposti cioè 1. Se li missionari (religiosi) debbano precedere secondo la data del decreto col quale sono stati spediti alla Missione, ovvero secondo l'anzianità dell'abito religioso; 2. Se un missionario il quale abbia già ottenuto da questa S. C. i soliti privilegi debba goderne nella Missione come ne godrebbe nella sua Provincia; l'EE. LL. avendo udite le informazioni ed i sentimenti del P. Generale dell'Ordine, e del P. Procuratore delle Missioni, hanno dichiarato, e colla presente dichiarano, che li missionari trovandosi nei luoghi delle Missioni in servigio della S. Chiesa, ma fuori dell'Ordine, non debbono precedersi fra di loro secondo l'anzianità che contano nel detto Ordine, ma bensì secondo l'anzianità della respettiva spedizione che ricevono da questa S. C. per il loro ministero. Inoltre che li missionarî non debbono godere ne' luoghi delle Missioni di privilegi i quali hanno ottenuto da questa S. C., mentre nelle Patenti medesime che ad essi per tal effetto si spediscono espressamente si dice che debbano goderli nelle proprie rispettive Provincie; e tale ancora è la consuetudine così praticata invariabilmente nell'uno e nell'altro punto.

417

De transitu uxorum ad ritum virorum suorum.

Decr. S. C. de Prop. F. *19 Maii 1759*. — In Congregatione Generali de Propaganda Fide (habita die 12 Martii 1759) inter cetera etc. cum propositum a quibusdam fuerit dubium, quem ritum sequi coniuges debeant, si forte diversi ritus fuerint, Sacra Congregatio SSmi D. N. Papae auctoritate permitti posse censuit, ut uxores suorum virorum ritum sequantur, dummodo uxor non sit ritus latini, quo casu, inconsulta Sede Apostolica, ad mariti ritum transire non permittatur. — Relatione autem facta per R. P. D. Nicolaum Antonellum eiusdem Congregationis Secretarium SSmo D. N. div. prov. Papae Clementi XIII in audientia

habita die 13 mensis Maii, Sanctitas Sua omnia benigne approbavit, et Apostolicae auctoritatis robore confirmavit, mandavitque ab omnibus servari, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

418

De Confessione et ecclesiae visitatione pro Indulgentiis.

S. C. Indulg. *19 Maii 1759.* — Ut christifideles scire possint quid sibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis, in sententiarum varietate super intelligentia verborum *qui vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti ecclesiam visitaverint,* quae in Indulgentiarum Brevibus inseri solent, in S. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, discussis die 31 Martii proximi praeteriti nonnullis dubiis, eadem S. C. fuit in voto: *Confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis qui sibi lethalis peccati conscii non sunt; nec non praefatam Confessionem suffragari etiam posse, si expleatur in vigilia festivitatis. Quod autem ad ecclesiae visitationem spectat, eam impleri posse sive ante sive post aliorum piorum operum implementum.* — S. Congregationis votum SSmus benigne approbavit, illudque publicari mandavit.

419

Privatae ultiones omnino reprobantur.

S. C. de Prop. F. *21 Maii 1759* (C. G.). Pulat. — I cattolici di questa diocesi (di Pulati) sono inesorabili nella vendetta, e ciò perchè non vi è alcuno in quelle parti che amministri loro giustizia. Si domanda dunque:

1. Se, escluso ogni altro mezzo di aver ragione dei loro torti, possano i cristiani considerarsi riguardo a questo punto come se fossero nello stato naturale.

2. Se siano capaci dei Sagramenti fintanto che persistono in questo lor desiderio di vendetta. La ragione che adducono per provare la necessità in cui sono di vendicarsi è che l'uccisore e i suoi fautori diverrebbero più fieri e intollerabili contro i parenti dell' ucciso, e commetterebbero nuovi omicidî, se questi non resistessero e non opponessero forza alla forza.

R. Negative ad utramque partem.

420

De usu Corporalis telae bombycinae in Missa.

S. C. de Prop. Fide *30 Iulii 1759* (C. P. pro Sin.). — La s. m. di Gregorio XIII con sua Bolla che incomincia *A Summo Patrefamilias* de' 10 Febbraio 1563 concedette ai missionari soggetti al dominio di Portogallo la facoltà di celebrare in *corporali telae bombycinae.* Sopra la intelligenza di queste parole è insorto dubbio se debba intendersi di seta o di bombace; e ciò sul motivo che la parola *bombyx* significa la pianta dalla quale si produce la bombace, oppure quel verme che forma la seta.

R. Esse celebrandum in corporali telae vere bombycinae, non vero sericae.

421

Circa facultatem coniugis ad fidem conversi transeundi ad alias nuptias.

S. C. S. Off. *5 Aug. 1759.* — Coccin. — Saepe contingit ut ex duobus infidelibus, alter convertatur ad fidem, alter converti quidem tunc nolit, consentiat tamen cohabitare cum fideli sine contumelia Creatoris, et quin eum pertrahat ad mortale peccatum, imo promittat se quoque fidem postea amplexaturum, quod ob aliquam specialem rationem aliquandiu differre necessarium ducit. Quare fidelis infidelem non dimittit, sed cohabitare pergunt ut coniuges, idque ad longum tempus et aliquos etiam annos: at postea infidelis, mutata voluntate, non solum converti non vult, sed tentat fidelem pertrahere ad idolorum cultum, vel discedit, nec iam consentit habitare cum illo, imo ad alias nuptias ipse transit. Quaeritur:

1. An in hoc casu possit etiam fidelis derelictus discedere, et ad alias nuptias transire, habeatque hic locum privilegium ab Apostolo promulgatum: *Si infidelis discedit, discedat.*

2. An id solum habeat locum quando infidelis discedit odio fidei, an etiam quando discedit propter discordias, vel aliam causam a fide diversam.

3. An etiam possit fidelis transire ad alias nuptias quando infidelis quacumque de causa ab eo discessit, nec sciri potest vivat adhuc necne.

4. An fidelis, qui ex dispensatione valide contraxit matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, si infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eum pertrahat ad mortale peccatum.

5. An aliquo, et quanto tempore possit fidelis post conversionem cohabitare cum infideli, quin privetur potestate transeundi ad alias nuptias.

R. Ad 1. In casu de quo agitur, affirmative.

Ad 2. Cum militet ex parte coniugis conversi favor fidei, eo potest uti quacumque ex causa, dummodo iusta sit, nimirum si non dederit iustum ac rationabile motivum alteri coniugi discedendi, ita tamen ut tunc solum intelligatur solutum iugum vinculi matrimonialis cum infideli, quando coniux conversus (renuente altero post interpellationem converti) transit ad alia vota cum fideli.

Ad 3. Praemittendam esse interpellationem qua intimetur coniugi infideli an velit converti, a qua interpellatione Apostolica Sedes iustis de causis dispensat.

Ad 4. Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud

contraxisse cum explicita conditione, dummodo nimirum infidelis secum cohabitare velit absque contumelia Creatoris: quare, si infidelis non servat supradictam conditionem, adhibenda sunt iuris remedia ad hoc ut eam servet: alias separari debent quoad torum et cohabitationem, non tamen quoad vinculum; quocirca in casu de quo agitur, coniuge infideli superstite, non potest fidelis ad alia vota transire.

Ad 5. Conversus ad fidem in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc acquirit tantummodo ius transeundi ad alias nuptias, cum coniuge tamen fideli, idque si coniux infidelis renuat post interpellationem converti. Caeterum tunc solum coniugii vinculum dissolvitur, quando coniux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. Si autem coniux conversus ante susceptionem Baptismi habeat plures uxores, et prima recusat amplecti fidem: tunc legitime potest quamlibet ex illis retinere dummodo fidelis fiat, sed in hoc casu contrahentes mutuum consensum coram parocho et testibus renovare debent.

422

De precibus lingua vernacula tempore Missae.

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide *15 Septembris 1759* (AD P. S. MISSION.). — In quanto alle preci che in tempo della celebrazione della s. Messa sogliono ad alta voce cantarsi o recitarsi dai cristiani cinesi nella propria lingua nativa, colla lettera del 1755 furono bastantemente resi noti alla P. V. i giustissimi sentimenti della S. C. Laonde debba essere sua cura che le suddette preci non siano quelle medesime che dal celebrante, o dal diacono, o dal servente, ovvero dal coro si dicono in lingua latina, di maniera che in vece di essi si recitino dai laici in lingua volgare, e facciano in tal guisa parte della Messa. Nè giova l'esempio di ciò che si pratica dagli altri missionarî, poichè quando non fosse conforme a quello che in questa materia si prescrive dalle venerabili leggi della Chiesa cattolica, meriterebbe una giusta riprova.

423

Contra clericos negotiatores, et saecularibus negotiis se immiscentes.

Litt. Encycl. Clement. PP. XIII *17 Septembris 1759* (AD OMNES EPISCOPOS). — Cum primum incomprehensibili Pastoris aeterni iudicio in beati Petri Cathedra constituti dominici gregis curam suscepimus, complures audivimus ecclesiastico zelo ferventes viros, praesertim animarum pastores et verbi Dei praecones, qui civitates atque provincias peragrant, poenitentiam populis et morum emendationem indicentes, quorum unanimis conquestio fuit, inter abusus et corruptelas, quas pro ministerii sui officio notarunt, pro viribus reformare studuerunt, reprehendendam sibi frequenter occurrisse quorundam ecclesiasticorum avaritiam habendique cupiditatem. Quae quoniam malorum omnium radix a Spiritu Sancto appellatur, nil mirum, si eos omnes, quorum semel animos imbuit, utut in atrociora crimina non abripiat, talem in Dei cultu propriaeque vocationis muneribus obeundis socordes reddat, et ad saecularia desideria conversos mundanis addicat curis et occupationibus, quibus abrenunciare se publice addixerunt, quum inter sacrae initiationis mysteria solum Deum haereditatis suae partem agnoscere professi sunt. Hinc etiam litigiosi necessario fiunt, atque omnia miscere parati, ne vile aliquod lucrum, sive speratum, sive iam partum amittant. Hinc se ad abiecta quaelibet officia et ministeria, in gradus et ordinis sui dedecus, demittere non erubescunt. Quo fit ut laicorum plerique non eos ipsos dumtaxat, qui talia agunt, sed saepe etiam universum ecclesiasticorum coetum, contemnant; quin et amaro aversoque animo sint erga illud hominum genus, quorum lites et contentiones, ob temporalia negotia, sustinere coacti sunt, vel a quibus praerepta sibi viderunt honesta media, per quae suae suorumque sustentationi consulere potuissent.

2. Horum relationibus, quas satis superque veritati innixas existimamus, quibusque nonnullos etiam designari censemus regulares viros, qui aliquando ab imposita sibi sollicitudine de temporalibus communitatum suarum emolumentis, ultra ecclesiasticae moderationis fines ferri se sinunt, excitari nos quidem intelleximus, ut apostolica, qua immerentes fungimur, auctoritate, huiusmodi corruptelam, unde fidelis populi scandalum, aliique noxii consequuntur effectus, de medio tollere satageremus.

De canonicis in rem sanctionibus et pontificiis constitutionibus.

3. Verum, quum ab ipsis Ecclesiae incunabulis usque ad haec nostra tempora nihil apertius, nihil districtius aut conciliorum decretis, aut praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus statutum legatur, nihil a Sanctis Patribus ecclesiarumque Pastoribus frequentius aut impensius inculcatum appareat, quam ut Ecclesiae ministri, tum clerici, tum monachi, a temporalium lucrorum cupiditate abstinere, et a saecularium negociorum sollicitudinibus arcere se debeant; cumque non solum spirituales censurae, sed etiam gravissimae temporales poenae in eos decretae fuerint, qui canonicas regulas hac in re infringere aut violare praesumpserint: omnibus mature perpensis, nihil Nobis reliquum esse iudicavimus, nisi ut vos, Venerabiles Fratres, de constanti enixaque voluntate nostra, praedecessorum nostrorum menti, Ecclesiaeque spiritui per omnia inhaerentes, commonefactos, paternis fraternisque hortationibus excitaremus, ut debitam sacrarum legum observationem ab omnibus ecclesiasticis, tam ordinariae vestrae, quam dele-

gatae vobis iurisdictioni subiectis, ad formam sacrorum canonum et decretorum Apostolicae Sedis, ac respective synodalium uniuscuiusque dioecesis statutorum, exigere studeatis ac reipsa obtinere curetis.

4. Ut igitur clarius innotescat perpetuum Nostrum et Apostolicae Sedis studium, pro religiosa praedictarum legum custodia, simulque vis omnis adimatur contrario cuilibet usui, stilo, aut consuetudini (quae corruptelae potius et abusus, servata legitima vocabulorum proprietate, appellari debent), quibus ecclesiastici quicumque criminosam suam in negociis curisque saecularibus immixtionem obtegere aut excusare contenderent, Nos omnes et singulas canonicas leges et Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones adversus clericos negociatores et saecularibus negociis sese immiscentes, praesertim a Pio IV, Urbano VIII et Clemente IX latas atque editas, usque ad novissimam quam s. m. decessor noster Benedictus Papa XIV sub dat. V kal. martii 1741 pontificatus sui anno primo evulgavit, cum omnibus item et singulis poenis atque censuris per eas respective indictis, perinde ac si decreta omnia in praemissis contenta, eorumque poenales sanctiones, praesentibus nostris litteris de verbo ad verbum inserta forent, per easdem praesentes approbamus, confirmamus et innovamus; decernentes et declarantes, praedictis omnibus legibus ac poenis subiici, ac subiectas censeri debere, omnes et singulas personas ecclesiasticas, non solum e saeculari clero, sed etiam e regulari cuiuscumque sint Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, amplissimis licet et singularibus indultis, privilegiis et exemptionibus muniti, et cuius etiam expressam et individuam mentionem fieri oporteret; ita ut quicumque adversus huiusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis poenas incurrant, ac respective ab iis, ad quod pertinet, iuxta casuum distinctionem, et procedendi methodum alias a Tridentina Synodo, seu ab Apostolica Sede praescriptam, cum effectu mulctari et puniri debeant; non obstante contrario quolibet usu, stilo aut consuetudine, etiam immemorabili, quae aliquo in loco, dioecesi aut regione inolevisse dici posset; quam quidem Nos, veluti damnabilem abusum et imperscriptibilem corruptelam, earumdem praesentium tenore, damnamus, proscribimus, et viribus omnibus vacuamus.

Adhortationes ad Episcopos ad abusum, de quo agitur, evellendum.

5. Deinde vos omnes, Venerabiles Fratres, hortamur et in Domino obsecramus, ut pro ecclesiasticae disciplinae integritate et animarum salute advigilantes, in clericorum omnium, vobis tam ordinario quam delegato iure subiectorum, agendi rationem sedulo inquiratis; ac, si quos forte huiusmodi avaritiae labe infectos, adversus canones et apostolicas constitutiones peccasse comperietis, in eos, ad formam eorumdem canonum et constitutionum, cum omni severitate, etiam ex officio, procedere non omittatis.

6. In quo sane, duo vobis magnopere cavenda erunt: primum videlicet, ne subdolis delinquentium artibus diligentiam vestram eludi patiamini. Saepe enim contingit, ut qui legum scita non ignorant, res suas ita fraudulenter componant, ut quatenus eorum crimen in iudicium adducatur, tueri possint, se nihil contra leges ipsas admisisse. Modo enim, interposita alterius, sibi suaeque cupiditati inservientis, persona, aut alieno nomine tabulis et rationum libris inscripto, negotiationem aut conductionem, de qua quaeritur, ad se nequaquam pertinere contendent: modo, scientes intra quos fines districtior legum censura coerceatur, ita se gerere studebunt, ut si de lucrosis quaestibus a superiore arguantur, defendere possint, non se turpi cupiditate adductos, ad lucrum captandum primario animum intendisse, sed provido consilio de damno vitando unice laborantes, insperatum emolumentum fortuito temporis beneficio adeptos fuisse. Aliquando etiam non sua, sed suorum aut sanguinis aut alio necessitudinis vinculo sibi coniunctorum, bona, negociationibus implicita, ad eorum sustentationem, ex caritatis officio et directionis titulo, procurare se praedicabunt.

7. Quamvis autem, propria etiam experientia in episcopalis officii muneribus obeundis, satis edocti simus, quam difficile sit iudicium ferre de peculiaribus quibusdam casibus, in quibus potiorem sibi partem vindicat bona vel mala fides illius, qui de illicita negociatione accusatur; non ideo tamen censere debetis, diligentiam vestram omni effectu vacuam fore, ubi saltem ecclesiastici intelligant, vos minime conniventes esse super huius gravissimi ecclesiasticae disciplinae capitis violatione. Magnum enim fructum capietis ex eo ipso, quod vestram Ecclesiaeque mentem ab obscurioribus etiam eorum praevaricationibus abhorrentem saepius testatam facietis; iisdemque, oblata opportunitate, graviter denunciabitis, haud irrideri Deum, qui hominum renes et corda scrutatur, nihilque apud supremum illius tribunal profuturas aliquando cavillationes, quibus nunc Ecclesiae praesulem decipere, indictasque legibus poenas declinare satagunt. Caeterum non omnino impossibile erit, latentem rei veritatem plerumque agnoscere, occultumque crimen revincere, si debita cura atque solertia expendantur hominum mores, qui ex universo eorum vitae tenore se produnt, rerumque et casuum adiuncta, quae allatas excusationes probabilius admittendas reiiciendasve suadent. Id quod exemplis illustrare facile possemus, nisi de Fraternitatum Vestrarum sapientia et rerum usu, quantum par est, in Domino confideremus.

8. Alterum vero, quod aeque cavere de-

betis, illud est, ne pravas canonicarum legum interpretationes, quibus earum rigor enervatur aut indulgentia praeter fas extenditur, praeter mentem et spiritum Ecclesiae, ex privatis opinionibus adventas, et sine legitimi superioris assensu, ad proprii cuiusque casus opportunitatem accommodatas, apud vos ullo modo valere sinatis, ubi clericorum saecularium aut regularium negociationem, vobis iudicibus, ad trutinam revocari contingat. Si enim quaestio sit de ipsa natura contractus, qui aliqua in dioecesi ab ecclesiasticis iniri soleat, an scilicet ipsis licitus, vel potius interdictus censeri debeat, haud aequum erit pro iudicandi norma accipere vel frequentiam ipsorum actuum, de quorum natura quaeritur, vel ipsam contrahentium opinionem; sed ad tollenda dubia, reprimendamque opinantium licentiam et audaciam, expeditissima erit via recurrendi ad hanc Apostolicam Sedem, quae sicuti alias complures huius generis quaestiones, per organum praesertim Congregationis S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum definivit, ita etiam in posterum quid de propositis casibus sentiendum sit, decernere non omittet, idoneis editis responsis, ex quibus agendi iudicandique regula desumi valeat.

Cambium activum esse actum verae negotiationis declaratur.

9. Quo in genere, quum acceperimus, perspicuam nostram et Apostolicae Sedis declarationem desiderari super eo, an clericis liceat cambium activum contrahere; quamvis non aliam fere rem dubitationi minus subiectam putemus, nihilominus, ad omnem causandi occasionem amputandam, praesentium litterarum tenore declaramus ac definimus, cambium activum, natura sua, esse actum verae et propriae negociationis; ideoque ecclesiasticis omnibus vétitum censeri debere, tam proprio nomine, quam per interpositam personam illud contrahere; quicumque vero e saeculari vel regulari clero cambium activum contraxerit, omnibus obnoxium fieri poenis atque censuris, quae in clericos negociatores constitutae noscuntur.

Circa facultatem clericis negotiationem exercendi.

10. Si autem ecclesiasticorum quispiam, ad se excusandum, quod saecularibus negociis se immisceat, necessitatem proferat indigentiae, non quidem suae (quandoquidem unicuique clerico, canonicus Ordinationis titulus, vel saltem congruum sufficiens patrimonium esse debet, quo se sustentet; iisque forsan deficientibus, debet ipse honestioribus artibus, suaeque professioni conformibus, propriis necessitatibus consulere), sed aut parentum, aut sororum, aliarumque personarum, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur; primum volumus atque decernimus, huiusmodi excusationem a superiore ecclesiastico nequaquam admitti, eidemque clerico minime suffragari posse, quominus ad canonicae legis praescriptum pro modo culpae puniatur, nisi doceat se antea praefatas necessitates Apostolicae Sedi, si intra Italiam et insulas adiacentes exsistat, si vero in remotioribus regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu opportunam dispensationem et facultatem praedictas personas industria sua iuvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario impetrasse.

11. Deinde, pro eo quod pertinet ad huius curiae nostrae officia, notum facimus, nostram mentem et voluntatem esse, ut huiusmodi dispensationes et facultates nunquam concedantur, nisi cum ea conditione, quatenus adductae causae veritati nitantur, et nisi simul constet praedictas indigentias nulla alia ratione levari posse; eoque etiam casu nunquam ecclesiasticis permittatur, eiusmodi negociationis genus assumere, cuius administratio clericalem statum et characterem dedeceat; quin immo in ipsis indultorum rescriptis et litteris indicentur ac praescribantur honestiores modi, quibus clericus, iusta moderatione servata, et intra veram indigentiae mensuram, pauperibus consanguineis opem praestare valeat. Quae omnia similiter Ordinarii, ad quos pertinet, in huiusmodi dispensationibus et facultatibus concedendis observare debebunt: hoc insuper advertentes, ne ea quae vel ab ipsis, vel ab Apostolica Sede, peculiaribus quibusdam clericis hoc in genere aliquando permissa, et iustis concurrentibus causis, frequentius forsan indulta dignoscuntur (exempli gratia, ut ecclesiarum fundos, certa annua pensione conventa, colendos exercendosque conducerent); eadem a reliquis ecclesiasticis, tanquam generaliter omnibus concessa, absque iusta causa, et sine speciali indulto usurpentur.

12. Caeterum facultates ipsas, etiam ut supra dictum est obtentas, semper quoad tempus revocationi obnoxias censeri decernimus, ita ut pro irritis et revocatis ipso iure habeantur, quoties allegatae coniunctorum indigentiae cessaverint, vel alia legitima se offerat ratio iisdem opportune prospiciendi. Super quorum omnium tum exequutione, tum observantia, Ordinariorum localium vigilantiam atque conscientiam onerari volumus, et re ipsa oneratam fore denunciamus.

De aliis abusibus clericorum curis saecularibus se immiscentium.

13. Verum non uni dumtaxat negociationi tribuenda est, quae nunc temporis cernitur ecclesiasticae dignitatis depressio. Sunt alii quidam abusus, quibus ecclesiastici viri proprium decorem, totiusque coetus et ordinis existimationem eo frequentius atque securius abiicere dignoscuntur, quod eos norunt non tam aperte adversari litterae sacrorum canonum et constitutionum ab Apostolica Sede editarum; proindeque se censuris et poenis ibidem statutis nequaquam subiiciendos fore confidunt. Plurimi enim, ut ex praedictorum relatione cognovimus, in ipsa bonorum suorum administratione eorumque cultura, in distractione fructuum, animalium et coeterorum, quae in propriis Eccle-

siaeve fundis enascuntur seu aluntur, nec non in comparandis rebus, quae vel ad proprios usus, vel ad fundos praedictos instruendos sunt necessariae, adeo indecoris actibus se ipsos exercere conspiciuntur, adeo se totos curis et sollicitudinibus huius saeculi deditos, ac temporalibus lucris inhiantes ostendunt, ut qui sacrae dignitatis praestantia supra humanae conditionis sortem evecti merito reputantur, infra ipsos abiectissimi status homines se demittant; et qui filii lucis esse et apparere deberent, saeculi filios, terrenae aviditatis anxietate superare videantur. Hos, aiebant, omnibus nundinis atque mercatibus, laicali propemodum apparatu ac specie, se sistere, nec quidquam minus quam clericalis moderationis atque modestiae, vel ecclesiastici decoris et gravitatis, specimen praeferre.

14. Quibus nos quidem palam edicimus, nihil per Nos interdictum iri, quod ipsis, pro recta et provida ecclesiastici patrimonii administratione, quoad ipsam actus naturam, permissum dignoscitur, vel etiam a Sanctis Patribus et ecclesiasticarum legum conditoribus eorum diligentiae commendatum. Verum sicut alia complura sunt, quae clericis quoad rei substantiam non prohibentur, et tamen eorum usus sub certis dumtaxat modo et forma iisdem permittitur, iis autem qui praescriptum modum excesserint, statutamque ecclesiasticae disciplinae formam violaverint, tum temporales poenae, tum etiam spirituales censurae, a sacris canonibus infliguntur; cuius rei innumera extant exempla in generalibus canonici iuris legibus, ac etiam in peculiaribus dioecesum statutis, quae plura de vita et honestate, de habitu et tonsura clericorum, sive observanda, sive vitanda, praescribunt: ita vos, Venerabiles Fratres, oportet, ecclesiasticorum omnium, qui in dioecesibus vestris versantur, agendi rationem circa praemissa circumspectantes, si quid vobis constiterit frequentius ab iis admitti, quod clericalem statum dedeceat, non solum eos idoneis instructionibus docere, ut collatae sibi dignitatis celsitudinem cogitantes, non sibi licere putent indecoris actibus eam deturpare, debitamque ecclesiastico ordini existimationem et reverentiam, quae etiam spiritualibus populorum utilitatibus plurimum prodest, ex laicorum animis abolere; utque memores se in sortem Domini vocatos esse, non tam quae sua sunt, quam quae Iesu Christi, quaerant et curent: sed praeterea, quatenus opus esse noveritis, opportunis decretis conditis, ac severioribus edictis propositis, eiusmodi clericorum turpitudini et cupiditati obviam ire: ac delinquentium culpas, habita minoris maiorisque scandali ratione, nunc quidem increpando arguere, nunc autem salutaribus poenitentiis emendare, nunc demum districto poenarum ac etiam censurarum gladio ad caeterorum exemplum, coercere et punire.

Ecclesiasticos se laicorum servitiis addicere corruptela est.

15. Et parem quidem, vel etiam maiorem pastoralis zeli vestri sollicitudinem atque constantiam requirit aliud corruptelae genus, quod plures ecclesiasticos viros inficere, et ab Ecclesiae servitiis abductos ad saeculi curas convertere accepimus. Sunt enim, qui industriam operamque suam, quam totam divino cultui, et proximorum utilitatibus, ex caritatis lege, impendere deberent, laicorum obsequiis abiectisque servitiis addicere, aliquando etiam eorum negociis administrandis curandisque, pro temporali eaque satis vili mercede, locare non recusant. In quo difficile est iudicare, an magis deflenda sit eorum caecitas, qui proprii gradus dignitatem ipsi proculcant, an potius reprehendenda sit laicorum praesumptio qui Sanctuarii Ministros, a quibus christianae vitae documenta aeternaeque salutis subsidia petere deberent, tam parvipendunt, ut eos in domesticis officiis sibi dicto audientes, servilibus ministeriis adhibere non vereantur.

16. Verum, quod altius animum nostrum sollicitat, illud est, ne forte huiusmodi malum ex alio non minus detestabili abusu profluat; quod nempe aliquibus ad clericalem statum temere adspirantibus quandoque contingat, fallacibus corruptisque documentis Ordinarium suum decipere, confictoque sibi patrimonio, cuius fructus aut nulli sint, aut ad ipsos non vere pertingant, ad sacros Ordines, absque reditibus ad honestam vitae sustentationem sufficientibus, promoveri. Quare ne quis vestrum miretur, Venerabiles Fratres, si hac occasione arrepta, vos omnes et singulos enixe hortamur atque monemus, ut cautiores hac in re oculatioresque vos praebeatis, ne cui subditorum vestrorum detur ad sacram Ordinationem obrepere, qui ex beneficio ecclesiastico, vel ecclesiastica pensione, aut ex patrimonio sibi constituto, in casibus a iure permissis, omni submota collusione ac fraude, eam reipsa non percipiat annui reditus summam, quae synodalibus cuiusque dioecesis statutis, aut legitima consuetudine, definita dignoscitur.

17. Clericos autem et sacerdotes in laicorum domibus eiusmodi ministeriis addictos, quae eorum gradum et professionem dedeceant, quaeque eos a divinis obsequiis, et propriae perfectionis cultura, ad illiberalium occupationum et saecularium negociorum agitationem traducant, quantumvis honestioribus in speciem titulis susceptum servitii genus aliquando obtegere adnitantur, ne patiamini quietos in suo dedecore insordescere, aut forte obfirmatos, de sua ab Ecclesiae castris defectione impune gloriari; sed omni pastoralis sollicitudinis studio, et, quatenus opus sit, tota ordinariae ac delegatae iurisdictionis auctoritate, servatis servandis, eosdem ad ecclesiasticae vitae instituta, et ad clericalis militiae munera revocate.

Conclusio.

18. Haec sunt, Venerabiles Fratres, quae pro

apostolici ministerii nostri officio, ad ecclesiastici ordinis honestatem dignitatemque tuendam et vindicandam, sollicitudini vestrae suggerenda enixeque commendanda iudicavimus. Hac enim in re, quae ex peculiaribus actionum circumstantiis maxime pendet, vestras omnino partes primas esse oportet, utpote qui subditorum vestrorum facta, eorumque adiuncta, regionum necessitates, et personarum mores, quidque apud prudentes et probos viros honesti aut indecori speciem habeat, in singulis locis praesentes constituti, et melius agnoscere, et securius aestimare potestis. Ut autem liberum vobis sit in hoc rerum genere inordinata quaeque corrigere et reformare, quodcumque dispensationis aut facultatis indultum circa praemissa a quolibet Romanae curiae officio hactenus concessum, prudenti arbitrio vestro moderandum permittimus; nullum vero imposterum concedi volumus, nisi auditis prius Fraternitatum Vestrarum relationibus et votis, adiectisque eidem indulto eiusmodi formulis et conditionibus, per quas integrum vobis relinquatur arbitrium de illius exequutione et effectu ita cognoscendi, ut nemini ecclesiasticorum liceat illius praetextu negocium ullum aut ministerium minus honestum, contra interdictum vestrum assumere, aut susceptum retinere et protrahere. Interim in pastorali zelo vestro acquiescentes, Fraternitatibus Vestris apostolicam benedictionem ex animo impertimur.

424

Contra quasdam superstitiosas oblationes vulgo *kurbani*.

Instr. S. C. de Prop. F. *9 Febr. 1760.* — 1. Venuta alla fine sotto gli occhi della S. Cong. una relazione esatta, e di comune consenso formata dai missionari di Nicopoli e di Sofia intorno alla pratica de' *kurbani* usati nelle due rispettive diocesi, dopo lungo e maturo esame la medesima ha giudicato di doverli proibire con positivo decreto, e di ingiungere ai missionari dell'una e dell'altra diocesi di adoperarsi a tutto potere per l'esecuzione fedele e costante del risoluto divieto.

2. Ma perciocchè la medesima S. C. ha prudentemente stimato non bastare una decisione a svellere un abuso sì comune e sì antico specialmente dopo tanta varietà di opinioni, e dopo sì lunga connivenza per parte di alcuni, crede opportuno aggiungere una breve istruzione, che vaglia di norma ai missionari delle due respettive diocesi per istruire con costanza ed uniformità i fedeli, e per regolarsi nel dare le medesime risoluzioni e risposte a dubbi nei casi particolari. Niente certamente più preme alla S. C. che di stabilire nelle due diocesi, che sono vicine e contermine, un insegnamento, un linguaggio, una disciplina uniforme, sicchè non avvenga mai più in appresso, che quello, che si decreta come illecito e superstizioso in una, si permetta come lecito ed indifferente nell'altra, nè si varii il giudizio dei Pastori nei luoghi diversi, sebbene nelle medesime circostanze, nè si senta dai fedeli con ammirazione, turbamento e scandalo, per la bocca dei suoi Pastori sovente *est* et *non* tanto vietato dall' Apostolo delle genti, *II. ad Cor. cap. 1.*

3. Secondo la dottrina e linguaggio costante della Chiesa, devono i missionari mostrare perseverantemente ai fedeli tre cose: I. L'intrinseca malvagità dei *kurbani* considerati nel solo esteriore delle circostanze superstiziose. II. L'inseparabile reità dei *kurbani* considerati nel solo interiore della vana credulità. III. L'inutilità evidente dei *kurbani,* ancorchè spogliati d'ogni superstizione di fuori, d'ogni vana persuasione di dentro.

4. E certamente se si riguarda l'esteriore dei *kurbani,* in tutte le circostanze del rito, sono così chiari i caratteri di superstizione, che basta solo numerarli partitamente per concepirne tutto l'orrore. I. La scelta degli animali mondi, rigettata la capra ed il porco; la scelta dei pesci squamosi o d'altra determinata specie, esclusi gli altri tutti dall'uso. II. La differenza religiosamente serbata dei giorni destinati per *i kurbani,* diversi o di carne, o di pesce. III. Il rituale di ucciderli, dividerli, e distribuirli fra loro a guisa di vittime. IV. L'obbligo di non riserbarne, o portarne via, o venderne cruda porzione alcuna, ma mangiarle tutte intieramente, e roderle fino alle ossa. V. L'incenso fumante, le candele accese, *et concepta verba precationum,* che accompagnano la mensa. VI. La distinzione e di nomi, e di riti e di fini determinati per i diversi *kurbani.* VII. L'origine antica, l'uso costante, l'imitazione tenace di pratiche, che sono già nate nello scisma, sono fin ad ora durevoli nello scisma, e dallo scisma sono portate e ritenute anche dopo la conversione nul seno della Chiesa. Il tutto insieme con tutti i rapporti a luogo, tempo, e persone non è un velo in cui traspare, ma uno specchio, in cui si affaccia tutta intiera nella propria sua forma la superstizione tanto vietata, e condannata nelle Divine Scritture, tanto avuta in odio ed orrore dai Santi Padri, tanto detestata, e fulminata con pene severissime dai Concilii, e dai Sommi Pontefici, come direttamente opposta allo spirito della Religione e diametralmente contraria al culto divino, siccome con tutti i teologi dimostra S. Tommaso 2. 2. q. 92, art. 1: *Superstitio est vitium religioni oppositum secundum excessum, non quia plus exhibeat in cultum divinum, quam vera religio, sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo quo non debet.*

De superstitionis malitia.

5. Nè sembri leggiero un tal peccato. Chi tiene a cuore la religione, niente più deve avere in orrore, che la bugia in materia di religione. Chi si gloria del nome cristiano, chi è costan-

temente attaccato alla professione cattolica, niente più deve odiare che il carattere di mentitore del nome cristiano, e di traditore della professione cattolica. Ora ogni superstizione è una orrenda bugia in materia di religione, è un nero tradimento del nome e del carattere di cristiano cattolico. Per intender questo è d'uopo di profondamente riflettere con S. Tommaso 2. 2. *quaest. 93, art. 1,* che la verità della religione si professa, e coll'esteriore significato delle parole, e coll'esteriore significato del rito, essendo l'uno e l'altro istituito ad esprimere gl'intimi sentimenti dell'animo nel culto divino. Così parimenti la verità della religione si niega o colle parole e con motti, o colle azioni e coi fatti; l'uno e l'altro modo essendo un eloquente linguaggio, che attesta l'intima ritrosia dell'animo. Colle parole e con motti niegano la religione gl'infedeli e gli eretici: colle azioni e coi fatti in certo modo la niegano i superstiziosi e corruttori del culto divino; perciocchè siccome la professione esteriore della Fede si tradisce coll'esteriore espressione dell'errore, così il culto esteriore della religione si mentisce coll'esteriore osservanza d'un rito superstizioso. Il culto esteriore è un fatto parlante, nel quale si esprime coll'azione quel che si crede nel cuore, ed è un testimonio publico agli Angioli e agli uomini, nel quale si spiega l'interna disposizione dell'animo. Se tutto è retto e legittimo, è un argomento sensibile della rettitudine e bontà degl'interni sentimenti; se vi si mescola cosa falsa o bugiarda, è un attestato autentico della corruzione e guastamento degl'intimi sentimenti in materia di religione. Allora in certa guisa si mentisce coll'azione il nome cristiano, si tradisce coll'opera la professione cattolica, si niega col fatto il carattere di fedele, e, con un rovescio d'istituzione, il culto religioso, che dovrebbe per l'espressione del vero esser proficuo, diviene, per la mescolanza del falso, all'estremo dannoso.

6. Certamente dice S. Agostino *Lib. contra mend.* rapportato da S. Tommaso *loc. cit.* fra tutte le falsità, bugie e finzioni, che possono nelle cose umane adoperarsi, la più perniciosa è quella, che si aggira nelle cose risguardanti la religione: e siccome la religione cristiana contiene le verità e più sublimi e più importanti e più adorabili, così la menzogna, che si mescola nel suo culto, diviene e più grave e più dannosa e più orribile.

7. Tutto questo ragionamento è ristretto in poche parole da S. Tommaso 2. 2. quaest. 93. *Dicendum quod sicut Augustinus dicit in lib.* contra mendacium, « *mendacium maxime perniciosum est, quod fit in his quae ad christianam religionem pertinent* ». *Est autem mendacium cum aliquid exterius significatur contrarium veritati. Sicut autem significatur aliquid verbo, ita etiam significatur aliquid facto: et in tali significatione facti consistit exterior religionis cultus. Et ideo si per cultum exteriorem aliquid falsum significetur, erit cultus perniciosus.*

Quam damnabilis *kurbanorum* usus.

8. Più grave si rende una tal menzogna e tradimento nel caso presente per tre riflessi: I. Perchè è un resto di rito giudaico; II. Perchè è una pratica di setta scismatica; III. Perchè è un'imitazione del costume dei turchi.

Questa scelta di animali, questa destinazione di giorni, questo scannamento di vittime, questa intiera consunzione d'immolati, questa forma di sagrifizio sente assai il giudaismo, e fa in certa maniera rivivere l'uso dei sagrifizi usati nella vecchia Legge, figurativi dell'unico sagrifizio della nuova, quasi che ancora non fosse compito quel sacrifizio di salute, che si aspettava e si adombrava con quei sacrifizi di carne una volta celebrati dal popolo ebreo. Ora siccome quelli erano allora simboli veri, perchè significativi d'un vero sagrifizio da compirsi nella pienezza dei tempi da Cristo, così oggi nell'uso son falsi, perchè falsamente significativi d'un sagrifizio come ancor da compirsi, sebbene in realtà sia già da gran tempo compito; e siccome sarebbe pernicioso il confessar con parole che Cristo non ha ancora patito, così è dannoso il dimostrare coi segni che Cristo non ha ancor compito il suo sacrifizio. Qui il falso apparisce *ex parte rei significatae, a qua discordat significatio cultus,* dice S. Tommaso loc. cit., *et hoc modo tempore novae Legis, peractis iam Christi mysteriis, perniciosum est uti caeremoniis veteris Legis, quibus Christi mysteri a figurabantur futura; sicut etiam perniciosum esset, si quis verbo confiteretur Christum esse passurum.*

9. La circostanza parimenti di essere un rito immemorabile dello scisma tuttora durevole, basterebbe a dichiararlo come un atto protestativo di setta, abbominevole senza meno agli occhi d'un cristiano, d'un cattolico, d'un fedele. Il culto esteriore è una protesta visibile di religione e di fede. Il prendere, il ritenere, l'usare un rito superstizioso d'una comunione scismatica, che altro sarebbe nel fatto, che il riceverne in prestito un atto protestativo di scisma? E tanto più reo sarebbe chi di quel medesimo scisma, da cui per la divina grazia è uscito, volesse ancora riserbarne una reliquia ed un avanzo: parrebbe certamente che, uscito fuori dell'Egitto, e gustando la manna, ne desiderasse ancora le cipolle.

10. Finalmente l'imitazione sola d'un costume ricevuto come parte di religione dai turchi, compie la gravezza di un tal peccato. Se la superstizione *est simulata religio,* come la definisce S. Tommaso *loc. cit. qu. 92, art. 2 ad 3;* l'imitar quella dei turchi, in mezzo a cui si vive, che altro parrebbe, che un simulare una parte di religione dei turchi?

11. Nè occorre ridire che i *kurbani* tra fedeli si usano coll' intervento del missionario cattolico, che assiste e benedice la mensa: perciocchè quest' istesso, in vece di sminuire il reato, l'accresce vieppiù, aggiungendo un altro titolo e ragione per dichiarare superstizioso quell'atto. La falsità del culto esteriore, insegna S. Tommaso 2. 2. *qu. 93, art. 1,* si può considerare per due parti: la prima è *ex parte rei significatae,* della quale ragionammo di sopra, l'altra è *ex parte colentis:* e questo ha luogo principalmente nel culto comune, che si fa dai ministri in nome di tutta la Chiesa: poichè siccome sarebbe certamente falsario colui il quale trattasse in nome d'un altro cosa di cui non ha ricevuto commissione o mandato, così incorrerebbe la taccia di falsario quel ministro che per parte della Chiesa presentasse un culto a Dio contro il modo stabilito, ed usato nella Chiesa. Ora la Chiesa non ha giammai approvati i *kurbani,* che sono troppo difformi dalla regola ecclesiastica del culto divino, non ha giammai autorizzato i ministri o ad assistervi o a benedirli. L'assistenza dunque che da un ministro della Chiesa a tal atto si presta, non è che una nuova menzogna, un nuovo tradimento, una nuova simulazione di ministero in suo nome, che la Chiesa disapprova e detesta: *Alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis: et hoc praecipue in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiae. Sicut enim falsarius esset qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quae non essent ei commissa: ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum, et in Ecclesia consuetum.*

12. Passando ormai dalla parte esteriore dei *kurbani* a considerarne la parte interiore, ed esaminandoli come animati dallo spirito di credulità della gente volgare, sebbene fossero spogliati di tutte l'estrinseche circostanze, che abbastanza li macchiano, non possono apparire che come vane osservanze dei gentili. I. La persuasione, che la pratica di tali *kurbani* sia per giovare alla conservazione delle famiglie, alla salute dei bestiami, alla fertilità delle campagne. II. L'opinione di attribuire all'omissione, e mancanza di tali *kurbani* l' infelicità delle case, degli armenti, dei campi. III. L'errore di credere, che siano per suffragare alle anime dei trapassati, neglette le Messe ed i suffragî della Chiesa. IV. L'attacco ostinato di seguitarli dopo i rigorosi divieti, e le minaccie, e i timori posti a chi vorrebbe lasciarli. V. Finalmente gli stessi principî, che spingono gli scismatici e i turchi a praticarli, rimasti ancora in questi mal convertiti fedeli: tutto conduce a dichiarare l'esercizio dei *kurbani* superstizioso, e riprovato, ancorchè cessasse ogni altra cattiva circostanza di fuori.

13. Perciocchè o da tali *kurbani* si aspettano vantaggi temporali, o se ne pretendono grazie spirituali. Se vantaggi temporali, non potendo i *kurbani* per loro natura produrli, uopo è che si adoperino non come cause, ma come segni, il che si riduce ad un patto tacito coi demonî, secondo il principio di S. Tommaso 2. 2. quaest. 96, art. 2: *Si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est, quod nec adhibeantur ad hos effectus causandos tamquam causae, sed solum quasi signa. Et sic pertinent ad pacta significationum cum daemonibus inita.* E certamente adoperati come segni, da chi mai traggono la loro origine? non da Dio, da cui non sono nè rivelati, nè stabiliti: dunque dall'umana vanità ingannata, e sedotta dalla malizia dei demonî che scorgendo la rea disposizione degli uomini, la fomentano, e gli allacciano con avvenimenti nell' apparenza favorevoli, per involgerli in più e più errori, da cui difficilmente poi sanno distrigarsi: *Homines huiusmodi observationes attendunt, non ut quasdam causas, sed ut signa quaedam futurorum eventuum, vel bonorum, vel malorum. Non observantur autem sicut signa a Deo tradita, cum non sint introducta ex auctoritate divina, sed magis ex vanitate humana, cooperante daemonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare. Et ideo manifestum est omnes huiusmodi observationes superstitiosas esse et illicitas.... Hoc quod a principio in istis observationibus aliquid veri homines experti sunt, hoc accidit casu. Sed postmodum cum homines incipiunt suum animum huiusmodi observantiis implicare, multa secundum huiusmodi observationes eveniunt per deceptionem daemonum: ut in his observationibus homines implicati, curiosiores fiant, et se magis inserant multiplicibus laqueis perniciosi erroris, ut Augustinus inquit lib. II de Doctrina Christ.* dice S. Tommaso *loc. cit. art. 3.*

14. Se poi si attendono grazie spirituali, come il sollievo dei trapassati, non vi sono altri mezzi, se non quei, che la Chiesa ci porge: or in essi non trovasi certamente la prattica dei suddetti *kurbani:* anzi ella è più tosto contraria ai mezzi che ci somministra, come il digiuno, a cui è opposto il bagordo, e l' ubbriachezza: il Sacrificio incruento, a cui è opposta la sanguinosa immolazione delle vittime carnali; le orazioni, le limosine, e le altre opere buone, a cui s' oppongono la dissipazione, la prodigalità, e l' intemperanza, che accompagnano ordinariamente i predetti *kurbani;* come di simili prattiche dice S. Tommaso 2. 2. *qu. 93, art. 2.*

15. Ma purgati anche che fossero i detti *kurbani* d'ogni superstizione di fuori, e d'ogni vana persuasione di dentro, a che mai potrebbero essere proficui? La superfluità non ne sa-

rebbe meno evidente, perciocchè, come ragiona S. Tommaso, il fine del culto divino è, che l'uomo dia gloria a Dio, e a lui si consagri intiero e di mente e di corpo: Quindi qualunque azione, o prattica, che è dirizzata a glorificare Iddio, ed a soggettare a Dio la mente coi pensieri ed affetti, e il corpo coi freni moderati delle passioni, secondo l'ordinazione e consuetudine della Chiesa, non è nè superflua, nè inutile al culto divino. Ma se vi sia alcuna cosa, che quanto è da sè non conduce a glorificare il Signore, nè a consagrargli la mente nè a soggettargli il corpo dell'uomo nell'esercizio prattico della religione, ma piuttosto sia fuori dell'istituzione di Dio, fuori dell'ordinazione della Chiesa, fuori della consuetudine dei fedeli, tutto deve riputarsi inutile, superfluo, superstizioso: *Finis divini cultus,* dice S. Tommaso *2. 2. quaest. 93, art. 2, est ut homo Deo det gloriam, et ei se subiiciat mente et corpore. Et ideo quidquid homo faciat, quod pertinet ad Dei gloriam, et ad hoc quod mens hominis Deo subiiciatur, et etiam corpus per moderatam refraenationem concupiscentiarum secundum Dei et Ecclesiae ordinationem, et consuetudinem eorum, quibus homo convivit, non est superfluum in divino cultu. Si autem alquid sit, quod, quantum est de se, non pertinet ad Dei gloriam, neque ad hoc quod mens hominis feratur in Deum, aut quod carnis concupiscentiae inordinatae refraenentur; aut etiam si sit praeter Dei et Ecclesiae institutionem, vel contra consuetudinem communem (quae secundum Augustinum pro lege habenda est:) totum hoc reputandum est superfluum, et superstitiosum, quia in exterioribus solum consistit, et ad interiorem Dei cultum non pertinet: Unde Augustinus in lib. de vera Relig. inducit quod dicitur* Lucae *cap. 17:* Regnum Dei intra vos est, *contra superstitiosos qui scilicet exterioribus principalem curam impendunt.*

16. Nè vale il dire che vi si mescolino nel caso presente preghiere e voti. L'istessa mescolanza di cose sagre e profane è un nuovo argomento per dichiarare inutile a chi la prattica quel che vi sarebbe di sagro, per la compagnia di quel che vi si trova di vano, come accenna S. Tommaso *loc. cit. qu. 96, art. 4.*

17. S. Giov. Crisostomo nell'*Homil. 43,* rapportato da S. Tommaso *2. 2. quaest. 96, art. 4,* fa menzione del costume di alcuni cristiani che portavano sospesa al collo una particella scritta del Vangelo, e ne riprende e dichiara l'uso come inutile affatto e superfluo: *Quidam aliquam partem Evangelii scriptam circa collum portant. Sed nonne quotidie Evangelium in Ecclesia legitur, ut audiatur ab omnibus? Cui ergo in auribus posita Evangelia nihil prosunt, quomodo possunt eum circa collum suspensa salvare? Deinde ubi est servitus Evangelii? In figuris litterarum, an in intellectu sensuum? Si in figuris, bene circa collum suspendis. Si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa.* Se questo diceva il Crisostomo d'una pratica che parea per altro lodevole, che cosa avrebbe detto dei nostri *kurbani?*

Quomodo fideles a missionariis opportune instruendi.

18. Debbono perciò i missionarî, dopo aver dimostrato ai fedeli i *kurbani* malvagi per la parte esteriore, malvagi per la parte interiore, e precisa l'una e l'altra, inutili per ogni riguardo, ancorchè purgati d'ogni circostanza superstiziosa di fuori, e d'ogni vana credulità di dentro, applicarsi tutti ad istruirli pienamente dei mezzi salubri, che Iddio e la Chiesa loro porge per conseguire quei fini, che in vano si sperano da prattiche gentilesche, o giudaiche, o infette di scisma.

19. E primieramente si affatichino a scolpire nei loro cuori la dottrina dell'Apostolo delle genti tanto inculcata, e ripetuta *ad Galat. ad Haebreos etc.* che il Regno di Dio non consiste in cibi e bevande; che i doni, e le vittime non mondano la coscienza; che le purificazioni, e le lavande, e tutte le giustizie della carne non conducono l'uomo a cosa perfetta: che il sangue dei vitelli e dei capri non santifica i macchiati; che i peccati non si lavano col sangue degli agnelli e dei tori; che l'ombre e le figure furono per un tempo, e non sono più ora; che i sagrifizi antichi di carne sono svaniti, siccome l'antico sacerdozio e tempio è da gran tempo caduto; che Iddio non più si adora sopra questo o quel monte: che la verità è succeduta all'ombre, e la realtà delle cose alle figure; al sangue dei vitelli e dei tori è succeduto il sangue del Redentore, alle vecchie vittime e sacrifizi imperfetti e vuoti, un sagrifizio nuovo, perfetto, e pieno d'ogni benedizione, e salute: che le coscienze si mondano e le macchie si tolgono solamente con questo nuovo sangue; che un tal sagrifizio si è compito da Cristo nel Calvario sulla Croce immolando se stesso come vittima di propiziazione per noi, unica fonte di tutte le grazie che possono essere oggetto di nostre speranze: che il medesimo sacrifizio si perpetua su i nostri altari, quando si celebra dai sacerdoti ministri del Signore: che la Messa è una sequela e continuazione del medesimo sagrifizio; che vi è realmente presente sotto i mistici simboli di pane e vino la medesima Vittima, vi si offre ed immola il medesimo Corpo ed il medesimo Sangue: che l'uno dall'altro misticamente separasi per la forza delle parole: che non solo vi è l'istessa Vittima, ma l'istesso Sacerdote Cristo Signore, il quale è il principale offerente per le mani dei suoi ministri; che insomma l'offerta è l'istessa e nel Calvario e nell'altare, è solo diversa la maniera di offerire: Sagrifizio vero e propiziatorio, sebbene incruento, salu-

tevole ai vivi, proficuo ai morti, impetrativo d'ogni benedizione e grazia, d'ogni remissione e perdono, d'ogni bene spirituale e temporale: che conduce alla salute per liberazione e preservativo da tutti i mali, per tutela e custodia da tutti i nemici, centro della communione dei santi, vincolo di commercio tra il cielo e la terra, scopo di tutta la religione: che finalmente l'ostie, le vittime placabili che ci rimangono ad offerire su l'altare dei nostri cuori ed unirle al sagrifizio incruento della Chiesa, sono la mortificazione delle proprie passioni, la castigazione della carne, la crocifissione delle nostre concupiscenze, l'estirpazione dei nostri vizi, la distruzione del corpo del peccato: In vano si adoperano *kurbani* e conviti, fomento di passioni ed incitamento di vizi; è tutta pronta la mensa a cui siamo invitati, è tutto apparecchiato il cibo e la bevanda a cui siamo chiamati, tutta aperta la sorgente di grazie da cui possiamo attingere l'acqua viva che salisce fino alla vita eterna.

20. Non sono canali di grazie e di benedizioni le prattiche inventate a capriccio dalla vanità dello spirito umano, nè i tanti riti stabiliti per un tempo, come imagini dei beni futuri, ma i Misteri e i Sagramenti istituiti da Cristo, confidati alla Chiesa nostra madre, ed applicati a noi suoi figli, Sagramenti che succedono alle vecchie figure, e sono al dire di S. Agostino *numero pauciora, ritu simpliciora, virtute efficaciora.* E Iddio Padre non si adora più con attaccamento all'ombre e figure, ma in ispirito e verità; e l'opera della salute ricerca principalmente il cuore. Come dunque per ottenere le benedizioni, ed evitare le maledizioni divine si ricorre ai *kurbani,* ed a pratiche a cui manca l'istituzione divina, mancano le divine promesse, manca l'approvazione della Chiesa? e si abbandonano e si tralasciano li divini misteri, e Sagramenti, che traggono l'origine dalla istituzione divina, traggono la forza dalle divine promesse, hanno la testimonianza della Chiesa infallibile, e secondo lo spirito della Chiesa usati producono frutti di vita eterna?

21. E qui è duopo istruire i fedeli dello spirito della Chiesa, che apparisce nelle orazioni communi da essa stabilite e proposte per uso commune dei suoi figliuoli. L'orazione commune, dice S. Cipriano *de unit. Eccl.,* ha una forza infallibile dalla unanimità dei fratelli nella preghiera, e si usa una certa violenza a Dio dai congregati in suo nome a pregare qualche cosa o spirituale o temporale espediente per la salute, secondo l'espressa e formale promessa di Cristo Signore, Matth. *cap. 18, vers. 19: Iterum dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in coelis est: ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Or come si abbandonano, o si lasciano per ogni pretesto le preghiere communi fatte con unanimità nella Chiesa di Dio, ch'è l'assemblea dei fedeli, e come si nutre così poca fiducia nelle orazioni e gemiti della sposa di Gesù Cristo, ch'è assicurata di essere esaudita per i suoi figliuoli, e si ha poi tanta speranza nelle invenzioni umane, nelle prattiche capricciose, e in riti apertamente superstiziosi?

22. Uniscano piuttosto le buone opere per disposizione ad impetrare tutte le grazie da Dio, essendo questo il carattere dei fedeli cristiani chiamati dall'Apostolo *sectatores bonorum operum.* Le orazioni ed i digiuni, con cui si vince il demonio; le limosine ed aiuti di carità, con cui si estingue il peccato; le penitenze ed austerità, con cui si riduce a schiavitù ed all'ubbidienza dello spirito la carne, sono i veri mezzi da richiamare i beni, e rimuovere i mali che sono l'oggetto ordinario dei nostri timori.

23. Bisogna armare i fedeli con imprimere bene nella lor mente che se sono assaliti da mali, e per l'amor della religione e per la purità del culto rigettano coloro che vengono ad offerir loro istromenti o mezzi superstiziosi per guarire e liberarsi, se vengano per divina disposizione a perdere la vita, muoiono quasi martiri nel loro letto medesimo, testificando colla loro morte la religione pura ed immacolata, che conservano nel cuore, come più volte insegna S. Agostino.

24. Debbono parimenti armarsi a disprezzare i vani timori, le minaccie, le beffe, che di essi faranno gl'infedeli, e scismatici nel vederli abbandonare le antiche superstiziose loro prattiche: debbono incoraggirsi ad un tenore uniforme e costante di vita cristiana, per cui si distinguano da tutti coloro che non appartengono alla comunione della Chiesa, affinchè ammirati e sorpresi anch'essi della nostra maniera di pensare e di operare, siano costretti a gridare: Ecco il popolo savio ed intelligente, ecco l'eredità del Signore; così ammoniva Mosè gli antichi ebrei, Deuteron. cap. 4: *Scitis quod docuerim vos praecepta atque iustitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra quam possessuri estis: et observabitis et implebitis opere. Haec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa praecepta haec, dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna.* Devono anzi rallegrarsi, e stimarsi più che gli altri felici per la sicurezza d'essere sempre e veduti ed ascoltati da Dio: *Nec enim est alia natio tam grandis, quae habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris:* come prosiegue Mosè nel luogo citato.

25. Che se la S. Congregazione ha differito finora di venire ad un autentico universale divieto dei mentovati *kurbani,* ciò è avvenuto in

parte per l'esposto sempre vario e poco uniforme delle circostanze, sotto cui si rappresentava l'affare, in parte ancora per una savia e prudente economia, imitando lo spirito e condotta di S. Agostino *epist. 64, pag. 120,* che trattandosi di svellere un vecchio costume dei tempi suoi di far pranzi e conviti nelle chiese nei dì solenni, cagione di molti disordini, non credea doversi tutto d'un tratto togliere con assoluto e preciso comandamento, ma disporre prima gli animi a lasciarlo per via d'esortazioni e rimostranze, ed anche di restrizioni e limitazioni, per giungere alla fine a sradicarlo affatto.

26. Di questi principî forniti i missionarî cercheranno d'istruire i fedeli dall'Apostolica Sede alla loro cura commessi, affinchè sieno ministri *potentes exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.*

425

De dispensat. ab abstinentia primis tribus diebus anni annamitici.

S. C. S. Off. *28 Febr. 1760.* — In Regno Tunkini antiqua ab omni retro memoria traditio est, privilegium his neophytis ab Apostolica Sede pro tribus primis anni novi diebus, in quamcumque diem, sive abstinentiae, sive ieiunii inciderint, fuisse concessum ut carnibus vesci possent, ne caderent in offensam eorum quos his diebus, reverentiae aut urbanitatis gratia, visitare tenentur, si oblatis cibis uti recusarent. Huius quidem concessionis nullum nunc in hac Missione transumptum reperitur, sed immemorialis possessio tituli sufficientis locum tenere videtur... Humillime recurrimus ad S. C. supplicantes edoceri an revera extet supradictum privilegium hisce neophytis pro tribus primis anni novi diebus a S. Sede concessum; casu vero quo non extet, enixissime supplicamus pro impetratione talis privilegii, ad vitandum periculum violandi praecepti ecclesiastici, cui ineluctabiliter exponuntur christiani in toto hoc Regno, exceptis forte aliquot pagis qui, Deo miserante, toti fidem christianam sunt amplexati.

R. Privilegium (de quo quaeritur) non extare, nec esse generaliter concedendum; sed quoad abstinentiam a carnibus, servandum esse decretum an. 1663 oratoribus prout iacet transmittendum *(V. num. 155);* quo vero ad ieiunium citra abstinentiam a carnibus, teneri neophytos, si primi dies anni annamitici inciderint in feriam sextam, vel aliam diem qua nullo privilegio apostolico a ieiunii lege eximuntur (1).

426

An liceat graecis observare latinorum ieiunia et vigilias.

S. C. de Prop. F. *10 Martii 1760* (C. G.). — 1. An sacerdotes graeci (in archidioec. Rossanen.) possint compellere personas ritu graeco viventes ad observantiam ieiuniorum et vigiliarum ecclesiae latinae.

R. Non licere privatis personis, quae parochiam graecam habent, contra proprium ritum, latinorum ieiunia et vigilias servare, omissis ieiuniis ritus graeci. Licere tamen, dummodo ad id non cogatur, toti communitati, vel potiori laicorum parti cum parochis et presbyteris coniunctae, ieiunia et vigilias latinorum more servare, nec inde sequi communitatem ad ritum latinum transiisse.

427

Obligatio calendi idioma quo Confessiones excipiuntur.

S. C. de Prop. F. *17 Mart. 1760* (C. G.). — Missionarios teneri quocumque iure esse sufficienter instructos idiomate in quo Confessiones excipiunt; et Praefecti Missionum non permittant missionariis huiusmodi muneris exercitium nisi, praevio examine, vel per se vel per alios faciendo, de eorum idoneitate sibi constiterit.

428

Quoad matrimonium duas habentis concubinas.

S. C. de Prop. Fide *17 Martii 1760.* (C. G.). — Non licere virum qui duas habet concubinas se matrimonio iungere cum secunda, etsi iuret separationem a toro quantum ad primam, nisi hanc a domo reapse expellat; licere vero facta eiusdem separatione, nisi priorem in fraudem induxerit spe et promissione futuri matrimonii.

429

Cui debeantur decimae ab orientalibus latinum ritum observantibus.

S. C. de Prop. F. *2 Iunii 1760* (C. G.). — Se quegli orientali che, lasciato il proprio rito, osservano il latino, possano negare ai loro curati le decime.

R. Supposito legitimo transitu de orientali ad latinum ritum (quod absque Apostolica dispensatione evenire non potest) teneri decimas solvere parocho proprii ritus quem actu profitentur.

430

Circa usum facultatis dispensandi ab interpellatione coniugis infidelis.

Instr. S. C. S. Officii *11 Iunii 1760* (AD SUPERIOREM MISSION. PEGUAN.). — La facoltà che si chiede di dispensare i gentili convertiti, che vogliono contrarre matrimonio, dall'inter-

(1) In Formula facultatum extraordin. quae modo Vicariis App. Sinarum et Regnorum adiacentium conceduntur, habetur etiam (n. 16) facultas. « Dispensandi « fideles sibi subiectos a ieiunio et abstinentia in casu « coincidentiae exordientis anni sinensis sive cum prio- « ribus Quadragesimae diebus, sive cum aliis diebus « extra Quadragesimam abstinentiae consecratis, iuxta « Instructionem adiectam *(10 Iunii 1868)* ».

pellazione del coniuge infedele, si concede a V. P. come capo e superiore di cotesta Missione, con che Ella non debba servirsi di essa che rarissime volte, ed in caso di urgente necessità, potendo peraltro ella comunicare la medesima facoltà ad altri suoi correligiosi colla medesima condizione, cioè nel caso di urgente necessità, e ciò a tenore del Breve pontificio nel quale non si concede la facoltà di dispensare dalla interpellazione del coniuge infedele se non con la seguente clausola che trovasi inserita nel Breve di Gregorio XIII in data dei 25 Gennaio 1585 e confermata da altri Pontefici per le parti dell'Indie e degl'infedeli, cioè: « Quoniam saepe contingit *etc.* ». *(V. n. 400).* Questo Breve pontificio Le serva di norma nel presente caso, e benchè nel foglio delle facoltà che si concedono dalla S. Sede per mezzo di questa Suprema Inquisizione alli Vescovi, Vicarî e missionarî apostolici *in partibus infidelium* leggasi la seguente « Dispen» sandi cum gentilibus, et infidelibus plures » habentibus uxores, ut post conversionem et » baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam » ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima » voluerit converti », contuttociò s'incarica la coscienza di V. P. e de' suoi correligiosi che non debbano servirsi di simili facoltà, se non a norma e tenore del suddetto Breve gregoriano e della risoluzione di questa Suprema Inquisizione, che annessa se le trasmette insieme con la presente istruzione, cioè che non si dispensi dall'interpellazione del coniuge infedele, se non quando la parte infedele sia assente, ed o non si sappia ove essa si trovi, o per la lontananza si renda troppo difficile la interpellazione, ed anche per urgenti motivi, ed in caso di necessità, e rare volte. Osservi però diligentemente e con tutta la possibile cautela il Padre Superiore della Missione, che in ognuno di questi casi nei quali crederà necessario di dispensare dall'interpellazione, non basterà che egli ne sia internamente persuaso, ma dovrà fare un processetto sommario da cui per ogni futuro tempo apparisca questa necessità, o perchè l'interpellato non risponde, o perchè non si sa ove egli sia, o perchè ha dato prove col fatto del suo aperto dissenso; e sarà bene in tal caso, che per non mancare di cautela, si facciano anche le citazioni *ad valvas et per edictum* coll'assegnazione di congruo tempo *ad comparendum et declarandum* etc. Questo previo processetto sommario nasce dalla lettera e dallo spirito del Breve gregoriano indicato nelle seguenti parole: « dummodo constet etiam summarie et » extraiudicialiter, coniugem absentem legitime » moneri non posse, aut monitum, intra tempus » in eadem monitione praefixum, suam volun» tatem non significasse ». Nostro Signore felicemente regnante espressamente inculca, e vuole questa prova sommaria da farsi dal P. Superiore della Missione o da altri a cui delegherà le facoltà etc.

431

De usu Corporalis telae bombycinae in Missa.

S. C. de Prop. F. *28 Iulii 1760.* — Referente R. P. D. Mario Marefusco Secretario, magnam, in Indiis orientalibus, missionarios pati caritatem telae lineae, qua corporalia pro sacrificio Missae confici possint; qua de causa a nonnullis Summis Pontificibus, et praesertim a s. m. Pio PP. IV, anno 1563, concessum aliquibus missionariis fuit indultum celebrandi super corporali telae bombycinae: EE. PP. (S. Cong. de Prop. F.) censuerunt consulendum esse SSmo, pro extensione praedicti indulti ad omnes et singulos Episcopos, Vicarios Apostolicos, missionarios atque presbyteros cuiuscumque Ordinis, Instituti et nationis, non solum in Sinarum imperio, sed in reliquis quoque Indiarum orientalium Regnis et provinciis; et, quatenus opus sit, pro nova concessione eiusdem indulti. Quam S. Congregationis sententiam, ab eodem D. Secretario relatam SSmo D. N. Clementi PP. XIII, Sanctitas Sua benigne approbavit, petitamque extensionem, seu potius novam indulti concessionem impertivit; ita tamen, ut corporalia ex tela vere bombycina, non autem serica conficiantur.

432

Contra matrimonia fidelium cum infidelibus.

S. C. de Prop. F. *28 Iulii 1760* (C. P. pro Sin.) — Iniungatur Episcopis et Vicariis App. ut suspendant a facultatibus eos missionarios qui huiusmodi matrimoniis (christianos inter et infideles) absque dispensatione Apostolica contractis vel intersunt, vel consensum praebent, vel sic contrahentibus Sacramenta administrant.

433

Nulla Patriarcharum abdicatio sine Ap. Sedis assensu.

Ex Litt. Ap. Clem. PP. XIII *1 Augusti 1760.* — Abdicationis Patriarchae C... consequentisque in eius locum sacerdotis I... designationis negotium cum discutiendum delegaverimus nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Fidei Propagandae, auditis procuratoribus hinc inde Romam missis, censuerunt C... Patriarchae abdicationem nullam atque irritam fuisse, quia factam nullo prius ab Apostolica Sede permissu obtento, cum haec dicti Patriarchae electionem confirmavisset, ac praevio consueto iuramento, Pallii honore eumdem honestavisset: pari enim de causa non absimilem renunciationem Iosephi Primi chaldaeorum Patriarchae nullam irritamque sub finem praeteriti saeculi decreverunt. — In hac autem eo gravius peccarunt melchitae Episcopi electores, cum ad electionem devenire

veriti non sint, nullo habito respectu neque appellationis a quatuor Episcopis ad Apostolicam Sedem delatae, neque aetatis annorum viginti septem, quae sola praeter cetera, illum ab episcopatu repellere debuisset. Interim vero cum dictus Patriarcha C... viam universae carnis ingressus fuerit, nova electio in eiusmodi circumstantiis ad Apostolicam Sedem devoluta est, quae propterea, secundum sacros canones et antiquissimam consuetudinem, Patriarchali Ecclesiae de persona sibi benevisa debet ex integro providere.

434

De illicita quadam censurarum comminatione.

S. C. de Prop. F. *18 Aug. 1760* (C. G.). — Occorrendo talvolta che i comandanti regii e giudici secolari della Colonia (francese nell'isola di S. Domingo) pretendano di astringere il Prefetto Ap. a pubblicare dei monitorii con censure ad effetto di scoprire con tal mezzo i beni delle persone defunte, si domanda se sia lecito ad esso di farlo.

R. Non posse.

435

De observandis in dispensationibus super cultus disparitatis impedimento:

Instr. S. C. de Prop. F. *13 Sept. 1760* (AD VIC. AP. FOKIEN.) — La savia condotta, che V. S. dopo maturo esame e consiglio avuto coi missionarî, tiene nell'accordar le dispense sull'impedimento della disparità del culto nelle circostanze esposte, merita certamente approvazione e lode. La regola immutabile che la Chiesa Romana vuol che si guardi nel dispensare, è in primo luogo che si assicuri la fede del contraente cattolico, rimosso il pericolo probabile di perversione; — 2. che si assicuri la educazione della prole nella fede del contraente cattolico, date le cautele dovute; — 3. che vi sia probabile speranza piuttosto della conversione del contraente infedele, attesa l'indole, il genio e le sue maniere.

1. Quoad matrimonia contrahenda.

Nell'istesso indulto Ap. che si concede dalla S. Sede ai Vicarî App. nell'Impero della Cina vi si appongono sempre le condizioni che ne regolano l'uso: *1. gravibus tamen ex causis, in singulis casibus, in quibus dispensandum erit; 2. et in locis tantum, ubi sunt plures infideles quam christiani; 3. et quatenus absque contumelia Creatoris fieri possit.*

Ora la contumelia del Creatore deve evitarsi per rapporto: 1. al contraente fedele; 2. alla prole nascitura; 3. al contraente infedele: perciò nel contraente fedele deve cessare il pericolo della perversione: per la prole nascitura deve assicurarsi l'educazione nella vera religione: e nell'infedele deve esservi qualche speranza di convertirsi, affinchè sia più rimosso il pericolo della perversione e pel coniuge fedele e per la prole nascitura.

E veramente la dispensa allora può avere luogo, quando nelle persone e casi particolari cessa quel fine che la legge principalmente intende, come dice S. Tom. 1, 2, qu. 97, art. 4: *Rector multitudinis habet potestatem dispensandi in lege humana, ut scilicet in personis, vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat ut praeceptum legis non servetur: si autem absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat, non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem si non habet intentionem ad bonum commune: imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret.*

Ora il fine della legge irritante il matrimonio del fedele coll'infedele è così espresso dal medesimo Santo Dottore (3. p. Supp. qu. 59 art. 1): *Principalius matrimonii bonum est proles ad cultum Dei educanda. Cum autem educatio fiat communiter per patrem et matrem, uterque secundum fidem suam intendit ad cultum Dei prolem educare: et ideo si sint diversae fidei, intentio unius alterius intentioni contraria erit: et ideo inter eos non potest esse conveniens matrimonium.* Si ricerca la medesima professione di fede nei genitori, affinchè l'educazione comune allevi la prole nel medesimo culto della vera religione; e si vieta ed annulla il matrimonio fra dispari di culto, perchè non potrebbe salvarsi in una discorde educazione di culto diverso il bene della prole posta in pericolo di smarrire la strada della salute.

Dunque fra dispari di culto allora solo può aver luogo una fedele e prudente dispensa, quando cessa il pericolo della prole nascitura, e molto più il pericolo del coniuge cattolico, e vi è anzi speranza di convertirsi nel coniuge infedele.

Dai quali principî V. S. ottimamente raccolse: – 1. non doversi dispensare con donne fedeli, che vogliono contrarre matrimonio con uomini infedeli, (se non in casi straordinarî e rarî) perchè non cessa il pericolo di perversione e nel giorno dell'ingresso nella casa del coniuge infedele, e nei colloquî quotidiani in famiglia tutta infedele, come il complesso delle circostanze, e l'esperienza giornaliera regolarmente l'ha mostrato; – 2. potersi dispensare con uomini fedeli, che vogliono contrarre matrimonio con donne infedeli, in quelle circostanze in cui prudentemente si giudica cessare il pericolo della perversione nella parte fedele, e piuttosto apparire speranza di conversione nella parte infedele, ed essere moralmente sicura l'educazione della prole nascitura nella vera religione, come la serie degli avvenimenti e l'esperienza stessa l'ha fatto vedere; – 3. doversi sempre però sconsigliare simili matrimonî tanto ai genitori, quanto ai figliuoli, per gli ordinarî pericoli che li accompagnano,

e per l' impedimento della disparità del culto, che certamente gli annulla, senza una dispensa Apostolica, la quale non si accorda che nelle debite circostanze, e per gravi cagioni, e ne' casi di cessazione d'ogni morale pericolo di perversione e nel contraente fedele, e nella prole nascitura. È ben vero che vi possono essere tali cause e circostanze nell' uomo fedele, che pretende contrarre coll' infedele, e anco nella donna fedele che pretende contrarre coll' uomo infedele: ma, come nota V. S. siccome è rarissimo e straordinario il caso, così rarissimo e straordinario esser deve l' uso della dispensa. Onde non si devono certamente ammettere al Sagramento della Penitenza quelle madri e figliuole, che hanno contratto sponsali con gli infedeli, e non vogliono ritrattare la promessa quando, attese le circostanze, v' è il pericolo prossimo di perversione; il quale se cessasse, in casi straordinarî e rari, e vi fossero gravi cagioni da dispensare, la carità e prudenza di V. S. non gli escluderebbe dai Sagramenti, ma usando indulgenza, specialmente contratti gli sponsali, affinchè non venissero inconvenienti maggiori, accorderebbe loro la necessaria dispensa.

2. Quoad matrimonia contracta.

Fin qui V. S. ci ha descritta la sua condotta circa i matrimonî da contrarsi; passa poi a spiegarci la pratica usata intorno ai matrimonî già contratti fra le donne fedeli, e gli uomini infedeli; e dice che quando queste vengono a presentarsi al Sagramento della Penitenza, sono interrogate se hanno il permesso di vivere da cristiane, oppure sono o forzate a riti superstiziosi, o impedite dagli atti religiosi: se hanno il permesso di vivere da cristiane, allora, previa la dispensa, si rivalida il loro matrimonio: se non l' hanno, allora *non sunt admittendae ad Poenitentiae Sacramentum propter periculum proximum, in quo sunt, praesertim si frequenter incidunt in tentationem.* Soggiunge ancora che si deve mostrar loro lo stato miserabile, in cui si trovano e per il pericolo della perversione e per la nullità del matrimonio contratto fra dispari di culto, se di un tal impedimento hanno qualche notizia; che se alcuna notizia non ne hanno, devono solo essere ammonite del pericolo prossimo in cui si trovano, non già della nullità del matrimonio, chè hanno contratto, acciocchè la loro ignoranza, che sembra invincibile, non divenga vincibile, e i peccati materiali degli atti coniugali non divengano formali.

Dall'esposizione che V. S. fa della pratica si conosce che trattasi di donne, che senza dispensa Apostolica hanno contratto matrimonio nullo *propter disparitatem cultus,* e si approva la condotta di rivalidare i loro matrimonî, quando manca il pericolo di perversione *praevia dispensatione;* ma se il pericolo di perversione dura, perchè o sono spinte ad atti superstiziosi, o sono impedite dagli atti cristiani, allora fa d'uopo di riflessione maggiore.

E primieramente in questa materia, che è tutta di pratica, e dipende da infinite circostanze, vi è sempre bisogno di prendere consiglio e da libri più approvati, e da missionarî più prudenti ne' casi particolari, esposte le circostanze più individue e più determinate.

In secondo luogo sebbene non si possa dare una regola uniforme ed invariabile, si possono però ben dare i principî sicuri, donde poi varie conseguenze si debbono dedurre secondo le varie circostanze di fatto.

In terzo luogo è difficile in pratica conoscere dove si trova ignoranza invincibile, e dove è certamente vincibile: la sola mancanza di notizia dell' impedimento dirimente non sempre rende l' ignoranza e l' errore invincibile, perciocchè, secondo la dottrina di S. Tommaso *1. 2. qu. 19, art. 6,* « si ratio vel conscientia » erret errore voluntario, vel directe, *vel propter* » *negligentiam, quia error est circa id quod* » *quis scire tenetur,* tunc talis error rationis » vel conscientiae non excusat, quin voluntas » concordans rationi vel conscientiae sic erranti » sit mala. Si autem sit error, qui causat in» voluntarium, proveniens *ex ignorantia alicu*» *ius circumstantiae, absque omni negligentia,* » tunc talis error rationis vel conscientiae excu» sat, ut voluntas concordans rationi erranti non » sit mala ». Or chi potrà dire che sia in certe circostanze invincibile l' ignoranza e l' errore di un fedele che ha contratto matrimonio coll' infedele senza la notizia dell' impedimento dirimente? *Scire tenebatur, scire poterat,* o dall' uso notorio degli altri fedeli, o dall' istruzione de' missionarî, che *clamant quotidie:* ha mancato di assistere alle istruzioni, ha mancato di consigliarsi nel prendere lo stato coniugale: le passioni, i desiderî della carne, gli abiti corrotti sono stati sua guida. Or, secondo San Tommaso, l' ignoranza o l' errore che nasce da passioni ed abiti corrotti non può dirsi invincibile, nè scusare dal peccato, ma solo quella che viene da mancanza di sapere qualche circostanza, che non può essere conosciuta da' diligenti: « *Ignorantia particularis,* » *quae totaliter excusat, est ignorantia cir*» *cumstantiae, quam quidem quis scire non* » *potest, debita diligentia adhibita: sed passio* » *causat ignorantiam iuris in particulari, dum* » *impedit applicationem communis scientiae ad* » *particularem actum: quam quidem passio*» *nem ratio repellere potest* » *(1. 2. qu. 77, art. 7 ad 2).* Insomma allora vi è ignoranza invincibile, *quando manca, non per passione ma per necessità, e principio da dubitare, e modo da inquirere.*

In quarto luogo neppure è facile il definire per via di regola, quando sia lecito al confessore il lasciare il penitente nell' ignoranza di

un dovere che trasgredisce, e di una legge a cui manca di ubbidire. Se si tratta di assolverlo, non è regola di tacergli la verità, per timore che sapendola non pecchi formalmente, se prima per l'ignoranza materialmente peccava: perciocchè dovendo in lui essere una disposizione di cuore, una preparazione d'animo ad osservare tutti i precetti, come gli sono manifestati, per potere essere assoluto, deve piuttosto presumersi che apertagli la verità, che ignorava, sia per abbracciarla, e ridurla in pratica. Che se temesi di sua indisposizione, si può differire la notizia della verità, ma del pari si deve differire la grazia dell'assoluzione e frattanto disporlo a ricevere con frutto e l'una e l'altra. Solo potrebbesi tacere la verità d'una legge irritante a cui è mancato, quando il penitente, avvertito di quella, per uscire da uno stato pericoloso e cattivo, per le circostanze di fatto, dovesse passare ad un altro stato a maggiori pericoli ed inciampi esposto, per cui si moltiplicherebbero i peccati invece di togliersi o diminuirsi, attesa la comune debolezza umana.

Oggi però che non trattasi di assoluzione, ma solo di condotta da tenersi con una donna fedele invalidamente maritatasi con un infedele per la disparità del culto, e costituitasi nel pericolo prossimo di perversione per la seduzione continua del marito, si approva il sentimento di chi crede doverla seriamente avvertire dello stato miserabile, in cui si trova, e negarle l'assoluzione, mentre un tale stato deplorabile dura, e tacerle la nullità del suo coniugio, finchè o cessi il pericolo prossimo per poter essere soccorsa con la dispensa, o cessi quello stato di violenza, da cui non può uscire che col sacrificio della vita; la ragione è che per negarle i Sagramenti, non è necessario di spiegarne tutti i motivi, ma basta solo dire la cagione del pericolo prossimo della perversione, senza toccare la nullità del contratto, di cui l'ignoranza, ancorchè fosse invincibile, purchè non affettata, *si non excusat a toto, excusat tamen a tanto,* come dice S. Tommaso: e la donna non trovasi allora in uno stato capace d'istruzione maggiore senza maggior suo danno, che nasce tutto insieme e dalla sua debolezza, e dallo stato difficile ed arduo in cui si trova. Che se non si fosse ella volontariamente costituita in tale stato, ma per violenza e per forza tirata e ritenuta, allora dovrebbe procurarsi, che l'uno e l'altro pericolo della perversione e della fornicazione da prossimo si facesse remoto, e presa l'esperienza da' suoi sforzi e dissensi continui, per conforto, con prudenza accordarle i Sagramenti, veduta la sua disposizione, ma non accordare la dispensa giammai, ancorchè richiesta in appresso, se attualmente non cessa il pericolo della perversione, che viene dalla parte infedele, e la sua violenza e seduzione.

436

De conversorum ab infidelitate catechumenatu.

Ex Litt. S. C. de Prop. F. *13 Sept. 1760* (AD VIC. AP. FOKIEN.). — L'abuso della tabelle superstiziose ha certamente sorpreso l'Emze LL., essendo state necessitate di deplorare la perdizione in cui si ritrovano tante anime, per la loro naturale volubilità o per malizia. Sarà sempre un rimedio assai efficace il non ammettere alle acque del Battesimo gli adulti, se non dopo che saranno stati bene istruiti dei doveri che incombono ad ogni cristiano, e, mediante un lungo catecumenato, avranno dati chiari contrasegni di vera e viva fede, e di quella costanza che debbono avere di confessare la religione cristiana a fronte di qualunque tormento, e del pericolo della vita stessa quando lo richieda il bisogno.

437

Circa nonnulla pro lucrandis *Viae Crucis* indulgentiis requisita.

S. C. Indulg. *16 Decemb. 1760.* — CAMERINEN. — 1. An in ecclesia ubi canonice erecta est *Via Crucis,* si stationes et cruces renoventur, vel mutentur, cessent Indulgentiae, ac proinde opus sit nova erectione seu approbatione.

2. An, ad tempus ablatis et remotis ab ecclesia stationibus et crucibus, Indulgentiae ab iis acquirantur qui in dicta ecclesia, tanquam si stationes et cruces extarent, exercitium devote peragunt.

3. An, si dictae stationes et cruces remotae, ut supra, apponantur in parietibus sacrarii seu oratorii sub diverso tecto, vel alterius ecclesiae, lucrentur Indulgentias pium peragentes exercitium ante easdem stationes in praedictis locis ad tempus repositas.

4. An qui exercitium Viae Crucis peragunt et illud ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad Confessionem faciendam etc. Indulgentias lucrentur, si illud prosequantur; vel ad Indulgentiae acquisitionem oporteat in iis casibus illud ab initio reassumere.

R. Ad 1. Negative iuxta modum; et modus est quod si renoventur et mutentur salva substantia, Negative simpliciter, ut supra; si non salva substantia, Negative pariter, sed in hoc casu novae cruces denuo benedicantur ad formam Constitutionum.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Negative quoad diversas ecclesias; in reliquis recurrant in casibus particularibus.

Ad 4. Affirmative ad primam partem, dummodo notabiliter et moraliter exercitium non interrumpant; negative quoad secundam; et ideo non oportet in his casibus illud ab initio reassumere.

438

An liceat candelas acatholicis exhibere die benedictionis earum.

Ex Instr. S. C. de Prop. F. *Ian. 1761* (AD VIC. AP. CONSTANTINOP.). — Ella ci avvisa la pratica de' PP. Riformati e Conventuali, che nel giorno delle benedizioni delle candele, le presentano anche nelle case degli eretici e dei loro ministri. Sopra di che intesosi qualche Religioso, suppone che ciò si faccia a titolo di urbanità, e che non siano candele benedette. Quando sia così, e che si pratichi senza scandalo, par che si possa in qualche modo tollerare; ma essendo altrimenti, dovrà Ella in nome della S. C. ordinare ai suddetti Religiosi di assolutamente astenersene nell'avvenire.

439

Licitum catholicis quod schismaticos peccatorum confessionem audiregere.

S. C. de Prop. Fide *17 Febr. 1761.* — Nullo casu, neque necessitatis, licere catholico confiteri peccata sua et absolutionem obtinere a sacerdote schismatico (1).

440

Omittenda Missa *pro sponsis* si mulier est vidua.

S. Rit. C. *3 Martii 1761* — AQUEN. — Si mulier sit vidua, et iam benedictionem acceperit, debetne omitti Missa *pro sponso et sponsa*, ut omittendae sunt benedictiones infra eam descriptae post Orationem Dominicam et *Benedicamus Domino?*

R. Si mulier est vidua, ut in casu, non solum debet omitti benedictio nuptiarum, sed etiam Missa propria *pro sponso et sponsa.*

441

De obligatione dicendi Missas votivas vel defunctorum, iusta causa impellente.

S. Rit. C. *3 Martii 1761.* — Diebus quibus dici possunt Missae votivae privatae vel defunctorum, sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis vel accepti manualis stipendii, propriae obligationi non satisfacit dicendo Missam de die occurrente: expressa enim voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri.

442

Non quaevis adoptio impedimentum cognationis legalis constituit.

Instr. S. C. S. Officii *16 April. 1761* (AD VIC. AP. SOPHIAE). — Più di un quesito ha esposto Monsignor Vicario Apostolico di Sofia nella sua lettera, scritta l'anno scorso alla Sagra Congregazione di Propaganda Fide, e singolarmente quello, che concerne le affigliazioni, che fanno que' fedeli de' piccioli fanciulli dell'uno e l'altro sesso. Alcuni di loro privi di successione seco li prendono, gli educano nella propria casa come figli, e non avendo prole, li lasciano anche eredi delle proprie sostanze. Altri poi, benchè felicitati con legittima prole, incontrandosi in fanciulli abbandonati, mossi da cristiana pietà, gli accolgono in propria casa, gli allevano, e trattano come figli naturali: e tanto i primi, quanto i secondi sono communemente riputati dal popolo, come figli naturali de' loro nutritori. È nato dunque dubbio, se questa abusiva adozione, fatta senza l'intervento di pubblica autorità, voluta dalle leggi romane, porti seco l'impedimento della cognazione legale ne' gradi prescritti dal ius canonico, e specialmente tra li nutritori e le pupille, come sopra allevate, le quali essendo tenute dal popolo, come vere figlie adottive dei suddetti nutritori, recherebbero scandalo, qualora in età adulta contrar volessero matrimonio co' padri adottanti. — Questo dubbio con altri, a' quali tra non molto si darà la congrua risoluzione, è stato dalla Propaganda rimesso al S. Offizio, e se n'è fatta la discussione in una Congregazione generale tenutasi avanti Nostro Signore. Prima di alcuna cosa risolversi, è stato con previe scritture e consulte esaminato l'articolo proposto da Monsignor Vicario Apostolico. Pareva a primo aspetto che, altro non essendo l'adozione, secondo la dottrina de' Padri, che una recezione di un estraneo in luogo di figlio, o di nipote, l'uso de' fedeli di Sofia, qualunque egli fosse *quoad modum,* tendesse a questo fine: e sebbene non v'intervenisse l'autorità del Principe, o di altro magistrato inferiore, richiesta dalle leggi romane, riflettevasi però, che le adozioni non sono state introdotte per se medesime dalle dette leggi romane, ma dal ius delle genti, e dalla volontà dei popoli, i quali secondo la diversità delle nazioni hanno usato varî riti, e costumanze. Di questi riti poi n'è stata fatta una specifica rammemorazione sul rapporto di accreditati scrittori. Sembrava fiancheggiare questa opinione la ragione intrinseca, tratta dalla natura della materia, ossia dai motivi, per cui è nato questo impedimento; ed in *primo luogo* la riverenza che devesi scambievolmente usare tra queste persone adottanti ed adottate. In *secondo luogo* il freno, che l'impedimento della cognazione impone alle persone, tra le quali passa una continua familiarità capace di portare disordini ed offesa di Dio. In *terzo luogo* pareva assistere a questa opinione una risoluzione della S. Congregazione del Concilio emanata il dì 25 Settembre 1734, da cui fu dichiarato intercedere l'impedimento canonico in un caso, in cui l'adozione di un proietto di S. Spirito era stata fatta con molte circostanze dall'adottante, tuttochè non munita da decreto di giudice, nè da rescritto Pontificio.

Non ostante però queste ragioni, prevalsero giustamente le altre esclusive dell'impedimento

(1) Si agatur de casu mortis, V. S. Off. *7 Iulii 1864.*

nel caso concreto. Fu osservato non essere la cognazione legale impedimento derivato da diritto naturale, ma solamente da costituzione ecclesiastica, spettando alla Chiesa, e al suo Capo visibile il costituire ne' matrimonî quegli impedimenti che vuole, oltre quelli che provengono dal ius naturale. S. Nicolò I, nella lettera scritta ai Bulgari, registrata in parte nel Cap. unico *de Cognation. legal.*, e nel Can. *ita diligere 30, qu. 3,* prescrisse questo impedimento dirimente nato dalle adozioni, non però astratte, ma fatte secondo le leggi civili romane, le quali vogliono l' intervento dell' autorità del Principe, o di altro inferior magistrato. Questo appunto è stato comprovato con l'autorità de' Padri, de' Concilî, degli Scrittori, tra quali tiene il suo distinto luogo la s. mem. di PP. Benedetto XIV.

Si è data congrua risposta agli argomenti addotti in opposito, e specialmente alla risoluzione della S. Congregazione del Concilio, emanata nell' anno 1734, facendosi vedere che nel caso emanato allora, l'adozione era stata fatta con decreto ed autorità di Mons. Precettore generale di S. Spirito, che dai Pontefici antecedenti riportato aveva per chirografo una speciale opportuna facoltà. Nostro Signore pertanto nella Congregazione generale del S. Offizio tenuta avanti di sè, dopo aver sentito i concordi pareri degli Emi e Rmi Signori Cardinali Inquisitori Generali, ha decretato, che le affigliazioni di Sofia, proposte da Monsig. Vicario Apostolico non portano seco alcun impedimento canonico per mancanza in esse di pubblica autorità. È mente però della medesima Santità Sua e della piena S. Congregazione, che Mons. Vicario usi prudente contegno, che non propenda nè in uno, nè nell' altro estremo, cioè non dimostri avversione pubblica e palese, a simili matrimonî, che possa accrescere nella gente già prevenuta la mal fondata idea di cosa illecita, e nè tampoco pubblicamente dichiari senza bisogno, esser leciti i medesimi matrimonî, affinchè la troppa famigliarità dei nutriti e nutritori, ossia affiglianti ed affigliati, sciolta da qualunque rispetto, degeneri, o almeno apra adito a pericolosa confidenza. Il solo dunque suo contegno dovrà consistere, che in quel signato atto, in cui le parti chiederanno di voler contrarre il matrimonio, dichiari esser quello lecito, nè vietato dal suddetto impedimento della cognazione legale. E se nell' atto stesso alcuno ne prenderà scandalo, ne lo potrà disingannare colla ragione e colla decisione fattane dalla S. Sede Apostolica. Quando poi l'una e l'altra non bastino alla persuasiva, essendo questo uno scandalo meramente passivo, cagionato dalla indocilità e dall' ignoranza, non dovrà farsene conto, e permettersi il matrimonio, conforme, parlando di un simile scandalo che si prendeva dai popoli della Servia nella Turchia per un impedimento di cognazione spirituale che da essi senza alcuna ragione supponevasi, dispose la s. m. di Benedetto XIV nella sua Costituzione *Inter omnigenas* al § 17.

443

Nefas christianis turcicum nomen assumere.

Ex Instr. S. C. de Prop. Fide *1762* (ad Archiep. Scopien.). — Quod attinet ad fidei puritatem Amplitudo Tua significat, non paucos, atque adeo plerosque istius serviani Regni incolas, quamvis sacro baptismatis lavacro regeneratos, christianae tamen professionis immemores, turcicum nomen assumere, ne onerentur tributis, ne nimis perterreantur, neque iis subsint incommodis, quibus divexantur caeteri, qui de christiano nomine non erubescunt. Hinc parochorum exurgit turbatio. Nam huiusmodi homines a Sacramentorum participatione aegre admodum arceri patiuntur, rati se posse sacris frui mysteriis, quia christianam fidem corde servant incolumem, quamvis exterius mahumeticae impietatis sectatores, assumpto turcico nomine, appareant atque reputentur.

In hoc porro rerum genere ministerium suum quisque parochus impleat, atque a tam perverso errore huiuscemodi homines revocare, ac omni prorsus studio, cura, labore, adiectis etiam ad Deum precibus, satagat deterrere. Meminerint eorum, quae Apostolus scribit ad Romanos (cap. 10): « Si confitearis in ore tuo Do» minum Iesum, et in corde tuo credideris.... » salvus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, » ore autem confessio fit ad salutem ». Nec alia plane fuit sanctorum Patrum sententia. Quocirca sanctus martyr Cyprianus in libro *De lapsis* ita in praefatos homines animadvertit: « Et chri» stianum se putat, qui christianus esse con» funditur, aut veretur? Quomodo potest esse » cum Christo, qui ad Christum pertinere aut » erubescit, aut metuit? » Praeclarum Ecclesiae lumen Augustinus *de fide ac symbolo* tractatum ad nostram instructionem reliquit, in cuius primo capite ista exarantur: « Salvi esse non » possumus nisi ad proximorum salutem ni» tentes, fidem ore profiteamur, quam etiam » corde gestamus ». Illos praeterea christianos tota reprobavit antiquitas, qui ab ethnicis principibus libellos, enumerata pecunia, impetrabant, ne ad infidelium tribunalia ob fidei professionem se sistere cogerentur. Priscillianistas denique, atque helcesseitas anathemate percussere Concilia, quippe qui corde tantum fovendo fidem, exterius autem mentiendo ac negando, ad aeternam nihilominus salutem homines pervenire posse perperam arbitrabantur.

Concilium Albanum pro Regnis Albaniae et Serviae anno 1703 celebratum, atque a Benedicto XIV Constitutione quae incipit: *Inter omnigenas* sub num. 1 et 2 confirmatum, in-

concussam doctrinam istam proponit, ac sub num. 6, laudatus Pontifex Benedictus hisce verbis Episcopos, parochos ac missionarios omnes alloquitur: « Munus itaque Episcoporum, parochorum, et missionariorum erit serio christianos illos, qui supradicta (inter quae nomina turcica assumere enumerat num. 3) cum ingenti fidei iniuria nefarie praesumunt, docere et admonere... Ipsis aperte denuntient, quod quisque metu cuiuslibet potestatis, vel temporalium amittendorum formidine, fidem suam prodit, iram Dei super se provocat, seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit... Si qui autem obstinati in huiusmodi via impiorum pergere velint, incapaces erunt Sacramentorum in vita et, si impoenitentes decesserint, suffragiorum post mortem, ad quae nullus Ecclesiae minister illos admittere praesumat ». Haec usque ab anno 1744 Bened. XIV fel. record. pro recta salutis norma statuerat, iterumque ann. 1754 confirmavit aliis suis litteris *Quod Provinciale Concilium* in quibus extirpationem tam nefarii abusus iterum inculcans haec statuit. « Maximo « cum pontificii animi nostri moerore accepimus, quod quamplurimi istius provinciae, posthabita aeternae salutis ratione, eadem turcica sive mahumetana nomina usurpare pergant... Haec enim omnia, etsi fides Christi in corde teneatur, fieri tamen nequeunt sine Mahumetis errorum simulatione, sinceritati christianae contraria ».

Progreditur deinde in iisdem postremis litteris Summus Pontifex Bened. XIV, et animadvertit in parochos et missionarios qui « eos christifideles ipsorum curae creditos qui saepe dicta turcica seu mahumetana nomina assumunt, iisque vocari student, ad Sacramentorum participationem admittere non vereantur ».

Postremo in iisdem litteris ita de consilio Cardinalium contra haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum laudatus Summus Pontifex decernit: « Districte prohibemus, ne quilibet ex christifidelibus quocumque casu, vel praetextu, aut in quibusvis excogitabilibus circumstantiis eadem turcica seu mahumetana nomina, ut mahumetani credantur, assumere audeat. Qui autem contumaces fuerint, in vita Sacramentorum, et post mortem, si impoenitentes decesserint, suffragiorum incapaces « declarantur ».

Ex his sanae fidei documentis Amplitudo Tua plane intelliget, quid cum huiusmodi christifidelibus sit agendum, qui turcico assumpto nomine, se christianos fateri erubescunt. Eos propterea argue, obsecra, increpa in omni patientia, ut a tam pernicioso malo declinantes, discant christianam fidem non modo corde fovere, sed etiam sic ore confiteri, ut nulla externa ambiguitate offendatur, nulla detestabilium nominum assumptione decoloretur. Fiat igitur, ut abundet eorumdem integritas et iustitia plusquam schismaticorum et haereticorum, quorum tamen nullus mahumetanum nomen adoptare praesumit.

Quod si adhortationibus, caeterisque remediis eosdem pertinaces in tam nefario abusu fore contigerit, ad apostolicae disciplinae normam virga compesci debent, ita ut in vita Sacramentorum, et post mortem, si impoenitentes decesserint, suffragiorum incapaces declarentur.

444

Ad confessarii munus cognitio linguae regionis requiritur.

S. C. de Prop. F. *2 Aug. 1762* (C. G.). — Superiores (Regularium) neminem praesentent ad Confessiones excipiendas, nisi instruatur lingua vernacula regionis, ad formam decreti S. C. die 17 Martii 1760 *(V. n. 427)*.

445

Contra privatas ultiones.

S. C. de Prop. F. *24 Aug. 1762* (C. G.). — Nelle Missioni dell'Albania e della Macedonia accadono frequenti omicidî per vendetta e per falsa opinione che l'ucciso invendicato soffra gravissime pene.

R. Monendos esse missionarios ut tam privatis quam publicis adhortationibus falsas opiniones extirpent, nec administrent Sacramenta iis qui ulciscendi animum non deponunt.

446

De facultate Apostolicam Benedictionem elargiendi.

Const. Clementis PP. XIII *3 Septembris 1762*. — Inexhaustum Indulgentiarum thesaurum a Iesu Christo Domino Nostro Ecclesiae relictum, christiano populo maxime salutarem, et summopere in pretio habendum esse, Catholicae Ecclesiae auctoritas, et Summorum Pontificum praedecessorum Nostrorum gesta facillime suadent. Cumque per divinae gratiae abundantiam, nullis suffragantibus meritis, in suprema Beati Petri Cathedra constituti, modo ad pastoralem sollicitudinem Nostram pertineat, universum Domini gregem vigili cura providere, ut omnia in ea honeste et secundum ordinem fiant; veterem et probatam Ecclesiae consuetudinem circa Indulgentiarum dispensationem, quantum fieri potest, restituere et servare, simulque christifidelium utilitati occurrere studemus.

Inter caetera siquidem spiritualium gratiarum dona, quibus Summorum Pontificum liberalitate christifideles cumulantur, potissimum locum habet plenaria peccatorum indulgentia et remissio, quae statutis anni diebus conceditur, dum Romanus Pontifex, solemni caeremonia, populo coram ipso congregato benedicit; et non raro, ipsius Summi Pontificis nomine, effundendae Apostolicae benedictionis su-

per principes viros absentes delegata fuit facultas: sed inde invaluit, praeter modum, usus etiam verbi Dei praeconibus indulgendi, ut similiter, cum plenaria Indulgentia, Apostolicam benedictionem, non singulari alicui personae, vel familiae, sed universo ad ecclesiam confluenti populo impertiri valerent. Nonnullos pariter, non sine aliquo ecclesiasticae disciplinae discrimine, circa harum facultatum exercitium, irrepsisse abusus deprehendimus.

Ut autem spiritualium gratiarum dona pie, sancte atque incorrupte administrentur, quodque adeo salubriter institutum est, in perniciem non cedat abutentium, praemissa omnia Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae examinanda commisimus, quae, exquisitis etiam consultoribus, votum suum Nobis aperiret. Postquam igitur quid eadem Congregatio, auditis consultoribus, hac in re sentiret percepimus, omnibus mature perpensis, iustam rationem congruosque limites in his praescribere volentes, de ipsius Congregationis consilio, motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula particularia Indulta et privilegia effundendi supra populum Apostolicam benedictionem, per Romanos Pontifices praedecessores Nostros, ac per Nos etiam, quibusvis particularibus personis, sive ecclesiasticis saecularibus, sive cuiusvis Ordinis et Instituti Regularibus, ad certum tempus, seu ad eorum vitam, non tamen illa per praedecessores praedictos aliquibus Ordinibus regularibus attributa, quae modo infrascripto salva esse volumus, respective concessa et elargita, etiamsi eaedem particulares personae ex quavis causa illa impetrarint, et in possessione Indultorum, ac privilegiorum huiusmodi reperiantur, harum serie revocamus ac de medio tollimus et abolemus.

Porro ad submovendos quosvis abusus, qui in hac re, vel suborti deprehenduntur, vel quandoque suboriri possent, et ad augendam erga Pastores eminenti Episcopatus dignitate pollentes populorum devotionem, simulque christifidelium utilitati de immenso et inaestimabili thesauro Ecclesiae tradito consulere volentes, ipsarum tenore praesentium statuimus, quod deinceps Venerabilibus Fratribus Nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis necnon dilectis filiis Praelatis inferioribus mitrae et pontificalium usum, territoriumque separatum cum vera qualitate *nullius dioecesis* habentibus, et activa in clerum et populum iurisdictione gaudentibus, nunc et pro tempore existentibus; Patriarchis, videlicet, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, duabus anni solemnitatibus, nimirum Paschate Resurrectionis Domini, alioque die festo solemni, eorum respective arbitrio designando; Praelatis vero praemissis qualitatibus praeditis, et in propriis territoriis degentibus, semel in anno, in uno ex diebus, quibus eorum singulis pontificalium usus ab Apostolica Sede permittitur, populo in ecclesia congregato, Apostolica Summi Romani Pontificis pro tempore existentis auctoritate, illiusque nomine, facultas solemniter benedicendi cum elargitione plenariae Indulgentiae, iuxta ritum et formulam inferius tradendam, concedi possit, et ipsorum unicuique, quamdiu illi suis respective Ecclesiis praefuerint, gratiamque et communionem cum Apostolica Sede habuerint, per Litteras Apostolicas in forma Brevis, gratis, ut in similibus mos est, concedatur. Ad quorum effectum, ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, ac supramemoratos Praelatos, nunc et pro tempore existentes, in Domino hortamur, ut pro dignitatum eorum splendoris augmento, et fidelium populorum ipsis creditorum congrua erga divinam iustitiam satisfactione, a Nobis et successoribus Nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus facultatem huiusmodi, ultro ipsis oblatam, postulent et impetrare non praetermittant.

Quoniam vero eas facultates, impertiendi Romani Pontificis nomine Apostolicam benedictionem, aliquibus regularibus Ordinibus concessas praeservare intendimus, harum serie declaramus illas, iuxta concessiones Apostolica auctoritate factas, salvas et illaesas esse debere. Districte tamen dilectis filiis eorumdem Ordinum Superioribus et professoribus, etiam speciali mentione dignis, facultate et indulto huiusmodi gaudentibus, et qui in posterum gaudebunt, harum quoque serie praecipimus et mandamus, quod in illius exercitio, in omnibus ritum et formam a fel. record. Benedicto PP. XIV, per eius Epistolam encyclicam, sub die 19 Martii anni Domini 1748, Pontificatus sui anno octavo editam, praescriptum servare (1); et insuper in dictis duabus solemnitatibus, qua-

(1) In citata epistola encyclica Bened. PP. XIV. *19 Martii 1748.* haec habentur: « *Benedictio super populum* solemnis est: eamque in quacumque Orbis terrae parte Romanus Pontifex elargiri potest: Episcopus autem in sua dioecesi et locis ipsius etiam exemptis: Archiepiscopus in sua provincia et locis eius exemptis, eamdem exercere valet potestatem. Id constat decreto Clementis V in Viennensi Concilio, quod in Clementina *Archiepiscopo, de privilegiis,* recensetur. Porro abbatibus eiusdem benedictionis super populum tribuendae facultas conceditur in ecclesiis, quae ipsis plene subiiciuntur, modo tamen apostolicum privilegium ad id necessarium obtinuerint: quo sane uti nequeunt, nisi postquam Sacrum solemne, uti Vesperas in ecclesia peregerint: nam populo in via passim occurrenti benedicere ipsis non licet, nisi id clare in eodem privilegio declaretur, uti respondit Alexander IV *in Cap. Abbates, de privilegiis, in sexto.*

» Simplex ergo sacerdos nequit benedictionem super populum elargiri, iuxta *Can. Ministrare 26, q. 6,*

tenus Episcopi in illis facultate huiusmodi utantur, ab effundenda benedictione penitus abstinere respective debeant. Ac itidem, ad submovendam quamcumque dubii causam, declaramus etiam, per benedictionem Apostolica auctoritate, sive per ipsos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos, sive per regulares quoslibet, ut praefertur, impendendam, nullam prorsus a censuris et poenis ecclesiasticis, scienter vel ignoranter incursis, absolutionem concedi, neque ab illis absolutio praetextu benedictionis huiusmodi susceptae praetendi posse. Decernentes *etc.*

Ritus et formula ad Apostolicam Benedictionem impertiendam.

Ritus vero et formula a Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis pro impertienda benedictione una cum plenaria Indulgentia post Missarum solemnia, triplici signo crucis emisso, et in episcopali throno cum mitra ceterisque sacris paramentis indutis, circumstantibus ministris, adhibendus, quod congrue de Praelatis inferioribus intelligatur, talis esse debet:

Expleta in utraque solemnitate Missae solemnis celebratione, in primis alta voce per ministrum superpelliceo indutum legantur litterae apostolicae, quibus Indulgentia plenaria conceditur, una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione adstantibus constet, et concessio ex latino sermone in vulgarem ad populi intelligentiam translata recitetur. Postea Episcopus surgens, iuxta ritum in caeremoniali Episcoporum expressum, dicet:

Precibus et meritis B. Mariae semper Virginis, B. Michaelis Archangeli, B. Ioannis Baptistae, et SS. Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum:

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis omnibus peccatis vestris perducat vos Iesus Christus ad vitam aeternam.

Indulgentiam, absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, spatium verae et fructuosae poenitentiae, cor semper poenitens et emendationem vitae, perseverantiam in bonis operibus, tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

Et Benedictio Dei Omnipotentis Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti descendat super vos et maneat semper. ℟. Amen.

Demum post impertitam benedictionem publicabitur latino et vernaculo idiomate concessio plenariae Indulgentiae sequenti formula:

Benedictionem quoque super populum in ecclesia fundere, presbytero penitus non licebit: quod tamen eidem sacerdoti modo permittitur, postquam divinum Missae Sacrificium absolvit. Dictum est, modo permitti: si etenim sacram antiquitatem inquiramus, neque id presbytero licitum olim fuisse cognoscemus, uti Nos ipsi certis documentis ostendimus in nostro Tractatu *de Sacrificio Missae sect. 1, num. 382,* qui primo Bononiae *anno* MDCCXL typis editus fuit, ac *sect. 1, num. 391,* in eodem tractatu, qui deinde latine redditus publicam lucem iterum adspexit Patavii *an.* MDCCXLV. Etsi siquidem in usu semper fuerit, ut, re divina peracta, populus ab ecclesia benedictione dimitteretur, quemadmodum *in Can. Missas, de Consecratione, dist. 4* continetur; id tamen, non a sacerdote celebrante, sed vel ab Episcopo, si praesens aderat, vel, si aberat, ab Archipresbytero eius iussu praestabatur: quo sensu explicatur Decretalis *in Cap. Officium, de Officio Archipresbyteri,* ubi inter archipresbyteralia munera recensetur *benedictiones presbyterales in ecclesia dare;* prout animadvertit Gonzalez *in idem Cap. Officium, n. 2,* idemque antea plane comprobaverat Saussy in *Panoplia sacerdotali, pag. 558.*

» Quibus omnibus subsequens plurium saeculorum contraria praevaluit disciplina, quae sacerdoti celebranti potestatem fecit benedictionem super populum in fine Missae effundendi, ob eam potissimum causam, quam Bellotus recenset *in Ritib. Laudunensis Ecclesiae par. 3, pag. 136, n. 9: At, cum benedictio ad Missae perfectionem pertineat hodie, sine qua Jas non est ab incepto Sacro recedere, nec iure queat populus ante benedictionem ipsam egredi, ex praecitata Agatensi Synodo, quatenus integrae Missae non interesset quisquis praemature recederet; sequitur facultatem cuilibet celebranti concessam esse, privatam illam benedictionem ad finem Missae populo ubique locorum impertire.* Idem inter morales scriptores commemorat Quartus *ad Rubricas Missalis p. 386, in dubiis conscientiae.*

» In *Can. Ecce, dist. 95* haec leguntur: *Nemo hinc Episcoporum, invidia diabolicae tentationis inflatus, irascatur in templo, si presbyteri interdum exhortentur plebem, si in ecclesiis praedicent, si plebibus ut scriptum est, benedicant.* Si glossae fidem praestemus, illud *benedicere* declarat benedictionem, quae populo traditur a sacerdote, qui rem divinam perficit, nempe post ea verba: *Ite Missa est:* quam sane interpretationem Nos minime respuimus, cum certum habeamus, eumdem textum Sancto Hieronymo non esse tribuendum: quod nonnulli falso putaverunt, quos merito redarguit Theophilus Raynaudus *Operum tom. 16, pag. 211;* sed incerto auctori, qui inter vivos fortasse tunc agebat, cum benedictio in fine Missae inter benedictiones presbyterales iam haberetur, usque invaluisset, ut sacerdos, peracto Missae sacrificio, populum benedictione *iure suo* dimittat, sive absit, sive intersit Episcopus: ea tamen statuta lege, ut, si intersit, et in sua sit dioecesi, ad eum prius se convertat, eique caput inclinet, veluti facultatem populo benedicendi postulans; quod ab eodem sacerdote praemittitur, si Episcopus Missae intersit, sed extra suam dioecesim versetur, prout desumitur ex Rubricis Missalis *tit. de benedictione in fine Missae, et Evangelio Sancti Ioannis.*

» Cum iam perspectum sit, quo tempore et loco simplex sacerdos populo possit *iure suo* benedicere, necessario consequitur, nullam aliam benedictionem super populum ab ipso impertiri licere, nisi *iure delegato.* Huius naturae est benedictio, de qua nunc agimus, quae per delegationem Apostolicam cum unice concedatur, Nostrum est omnino ritum praescribere, quem inferius pro norma in posterum servanda subiiciemus, quo sane uti volumus ac decernimus eos Ordines Regulares, sive mendicantes, sive non mendicantes, monasticos, vel clericorum regularium, quibus Nos ipsi, vel praedecessores nostri, vel futuri Romani Pontifices, facultatem tribuendae populis benedictionis permiserint.

» Admoneatur itaque populus de indulgentia a Sede Apostolica concessa, de praeceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo visitanda est ecclesia, de hora denique qua datur pontificia benedictio; et admonitio haec fieri possit, quatenus opus sit, etiam schedis impressis, et consuetis locis palam affixis: licet etenim id

Attentis facultatibus a SSmo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Clemente, *divina providentia* Papa *Decimotertio, in enunciatis apostolicis litteris expressis, datis Rmo Domino Domino N., Dei et Apostolicae Sedis gratia huius Sanctae N. Ecclesiae Antistiti; eadem Dominatio sua Rma summi Pontificis nomine dat et concedit omnibus hic praesentibus Indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta. Rogate igitur Deum pro felici statu SSmi D. N. Papae, Dominationis suae Rmae, et S. Matris Ecclesiae.*

Clausulae. Nulli ergo *etc.*

447

Ad sacras functiones in catholicorum ecclesiis haeretici haud invitandi.

Instr. S. C. S. Officii *Ianuarii 1763* (AD PRAEF. MISS. TRIPOL.). — Sebbene possa tollerarsi, che i protestanti intervengano di spontanea loro volontà alle sacre funzioni, che fanno i cattolici nella propria chiesa, ed anche nella solenne amministrazione, che ivi si fa, del Sagramento del Battesimo, non devono però i medesimi cattolici invitare gli eretici ad intervenirvi, cooperando coll' invito alla communicazione *in divinis*, a cui si oppongono lo spirito e le leggi della Chiesa in tutte le occasioni pubblicate e fatte note al gregge cattolico, ed a quelli cui ne è commessa la cura. Ha recato pertanto amarezza il leggere nella di Lei relazione: « Già tre volte fino al presente si sono » fatte queste funzioni (cioè del Battesimo) alla » presenza di più sigg. Consoli sì cattolici, che » protestanti, i quali vengono alla nostra chiesa, » quando dai nostri cattolici siano invitati a si- » mili funzioni ».

De Baptismi administratione in Consulum domibus. In quanto poi al conferirsi il Battesimo nel rito latino con tutte le solennità prescritte dal Rituale Rom. nelle private case de' Consoli nazionali, si è creduto che, generalmente parlando, non sia questa una lecita costumanza, comechè opposta alla disciplina della Chiesa, innovata letteralmente nella *Clementina Unica de Baptismo*, quale vuole si amministri questo Sacramento nella chiesa, esentandone i soli figli dei re e dei grandi principi. Nondimeno quando sulla faccia del luogo si conosca dai missionarî che i genitori non si possano indurre a portare i loro figliuoli al sagro Fonte, e vi sia pericolo moralmente certo di qualche maggiore inconveniente, o di morte della creatura; in tal caso, e non altrimenti, prevalendo la necessità alla

---

a praedecessore nostro Clemente Papa VIII fuerit vetitum Fratribus Beatae Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum et Fratribus Sanctissimae Trinitatis Redemptionis pariter Captivorum, in communicatione indulgentiarum et orationum, uti habetur in eius Constitutione, qua incipit *Cum ad uberes* § *5*, et alia in Constitutione *Decet Romanum Pontificem* § *6*; visum tamen nobis est, id esse hypothesi inapplicabile; cum, caeteris praetermissis praedicta communicatio certum genus personarum, quosdam videlicet, ut plurimum, confratres, non autem populum universum, ut indulgentia et benedictio, de quibus agitur, complectatur.

» Postquam statutis die et hora populus ad ecclesiam convenerit, alta voce legantur apostolicae literae, seu decreta, quibus indulgentia conceditur, una cum potestate benedictionem apostolicam super populum effundendi, ut de delegatione audientibus constet; et concessio ex latino sermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam conversa pronuncietur: populus ad suorum scelerum detestationem pio brevique sermone excitetur: post quae sacerdos, nullis circum adstantibus ministris, stola et superpelliceo indutus (ut in Rituali Romano praescribitur, cum agitur de benedictionibus, quae extra Missam presbyteris permittuntur) ante altare genuflexus, sequentibus verbis Dei opem imploret:

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit coelum, et terram.*
℣. *Salvum fac populum tuum Domine.*
℟. *Et benedic haereditati tuae.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

» Deinde stans, sequentem recitat Orationem.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, da nobis auxilium de sancto, et vota populi huius in humilitate cordis veniam peccatorum poscentis, tuamque benedictionem praestolantis et gratiam, clementer exaudi; dexteram tuam super eum benignus extende, ac plenitudinem divinae benedictionis effunde: qua bonis omnibus cumulatus felicitatem et vitam consequatur aeternam. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

» Post quam ad cornu epistolae accedat, ut in actis Ecclesiae mediolanensis *part. 4*: *Benedicet in ecclesia ad altare, stans in cornu epistolae:* et stans in cornu epistolae, non trina, hoc est triplici signo Crucis, sed una benedictione, unico videlicet signo Crucis, benedicat, proferens alta voce haec verba.

Benedicat Vos Omnipotens Deus ✠ *Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.* ℟. *Amen.*

» Trina siquidem benedictio Episcopo competit, non sacerdoti: cumque nonnulli in fine Missae trinam usurpare coepissent, consuetudo Clementis VIII auctoritate sublata est, quemadmodum ostendit Meratus hac mortali vita nuper defunctus *tom. I, pag. 243*. Id Nos etiam advertimus in nostro Tractatu *de sacrificio Missae, sect. 1, locis supra indicatis*. In rubrica quoque Missalis haec habentur: *In Missa solemni celebrans eadem voce et modo, qua in Missis privatis, semel tantum benedicit populo.* Insuper Caeremoniale Episcoporum trinam benedictionem ipsis solum tribuendam decernit: quod eadem Missalis rubrica confirmatur: *Episcopus autem ter benedicit populo etiam in Missis privatis, ut in Caeremoniali habetur.* Postremo Alexander VII, decreto, quod *die* XXVII *septembris* MDCLIX edidit, tempora indicit ac recenset, quibus abbates usu pontificalium praediti, ritu solemni celebrantes, trinam benedictionem impertire possunt: quod iisdem penitus interdicitur, cum rem divinam privatim conficiunt; quod Nos ipsi indicavimus nostra *Institutione 14, § 4, n. 19, tom. 2*, si Bononiensis editionis ratio habeatur, quae peracta fuit *anno* MDCCXXXV; sin autem easdem Institutiones in latinam linguam conversas, et Romae impressas *anno* MDCCXLVII quis inspiciat, idem prorsus deprehendet *Institutione 34 § 4, in fine pag. 147* ».

disciplina, potranno i missionarî, facendo uso di un prudente arbitrio, conferire il Battesimo ai ragazzi nati da genitori cattolici, nelle case dei Consoli parimenti cattolici, mentre questa limitazione coerente alla necessità, viene ammessa dalla *Clementina* con quelle parole: *aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi.*

De baptizandis pueris haereticorum filiis.

Il punto d'ogni altro più sostanziale, ricavato dalla di Lei relazione, consiste in vedere se si debba dai missionarî amministrare il Battesimo *ritu catholico* ai figli dei protestanti, i quali, se sopravivono, rimangono sotto l'educazione dei genitori eretici, come denotano le parole della di Lei relazione: *Credo aver ben fatto, ancorchè sopravivano quelle creature, benchè educate poi etc.* In che non può la S. Congregazione non disapprovare la di Lei condotta, mentre oltre il non potersi tollerare, che un missionario apostolico vada a celebrare solennemente il Battesimo in casa di un eretico, quando anche si trattasse di Battesimo privato, ove non si tema che la creatura pericoli, milita sempre la regola contraria alla collazione del Battesimo in veduta di una quasi morale certezza, che i figliuoli seguano gli errori de' loro parenti, a cagione della educazione, o della cura, che sono per ricevere dai medesimi, potendosi, e dovendosi ragionevolmente, e con sodo fondamento temere che adulti, profanino il sagramento, e che cadano con abominevole apostasia da quella fede che nel Battesimo hanno professato, essendo tanto il padre, quanto la madre eretici, e cooperando ambedue all'educazione. Tutto ciò premesso, è inutile esaminare se nel Battesimo di un figlio di protestante possa un eretico far da patrino unitamente con un cattolico. Ma siccome può accadere che nel Battesimo di un figliuolo nato da genitori cattolici intervenga qualche eretico in qualità di padrino unitamente con un cattolico: anche in tal caso non dovrà Ella permetterlo, non solo perchè la pluralità de' padrini è vietata espressamente dal Tridentino, ma perchè dal Rituale e dal Catechismo Romano è espressamente interdetto un tale officio agli eretici per la ragione che i padrini « *spirituales filios suos quos de Baptismi fonte susceperunt opportune docere tenentur* ». Essi oltre questa obbligazione, fanno anche la figura di offerenti e di fideiussori promettendo che il rigenerato osserverà nella età adulta quella fede che ha professato. Questi fini della Chiesa non solo non si adempiono dall'eretico, ma egli stesso viene tacitamente ad irridere colle sue risposte varî di quelli articoli, che come eretico non ammette, benchè per parte sua gli ammetta il padrino cattolico. Il missionario pertanto quando non possa schivare l'intervento dell'eretico; dovrà prima dichiarare con esplicita designazione che il cattolico fa unicamente l'ufficio di padrino, onde l'altro venga ad esser presente *tamquam testis* non *tamquam patrinus;* e procurerà che nei registri dei battezzati si noti in coerenza la sola persona del padrino cattolico. Che se poi tant'oltre giungesse l'eretico che volesse espressamente esercitare quest'officio, dovrà allora astenersi dall'amministrazione del Sagramento, senza mettersi in pena della profanazione, che potrebbe commettersi, amministrandosi da un sacerdote scismatico o da un protestante, perchè a questo non vi coopera il ministro cattolico, laddove ammettendosi per padrino un eretico non si evita la profanazione del Sagramento, e si viene a concorrere ed a cooperare all'altrui peccato, il che non è mai permesso.

Acatholici a patrini munere omnino excludendi.

448

De Tertiariis mulieribus earumque privilegiis.

Instr. S. C. de Prop. F. *17 Ian. 1763* — Cum diuturna experientia Emi PP. non sine gravi moerore edocti sint non levia inter Ordinarios locorum, et Superiores Regularium, de Tertiariis, earumque exemptione ac iuribus in dies oriri dissidia, ea potissimum causa, quod Pontificum Constitutiones omnes hac de re non satis sint notae, ac privilegia a Sede Apostolica Tertio Ordini concessa non probe intelligantur: ne malum hoc diutius perseveret, in locis praesertim Missionum in quibus pacis et concordiae vinculum inter clerum saecularem et regularem maxime conservari oportuit ad cavendum a fidelium scandalis, ab infidelium blasphemiis, et ab haereticorum schismaticorumque calumniis, iidem Emi PP. in Congregatione Generali habita die 2 Augusti 1762, provide decreverunt instructionem aliquam esse adornandam, in qua exerta veterum decretorum summa, et norma in causis occurrentibus ab omnibus servanda contineatur.

Pro cuius decreti exequutione, ut ordine procedatur, primo illud prae oculis habendum, hic non agi de Tertiariis, quae latini ritus non sint; huiusmodi enim mulieres a missionariis latinis cuiusvis Ordinis, aut Instituti minime licere ad habitum Tertii Ordinis suscipiendum admittere; quin imo, et admissae, siquae fuerint, ab iisdem missionariis curandum esse, ut quantocius susceptum habitum deponant sub poenis Apostolicae Sedis arbitrio subeundis, iam declaravit Sac. Congregatio decreto edito in Congr. Gen. sub die 9 Maii 1757 et a san. mem. Benedicto XIV approbato, quod sic se habet: « Referente Emo ac Rmo Dno Cardinali Tamburino Ponente litteras R. P. D. Patriarchae Catholici Armenorum Ciliciae, quibus querebatur Patres Terrae Sancrae plures mulieres armenas ad habitum Tertii Ordinis admisisse, easque insolita in illis regionibus veste indutas incedere, aliaque in iisdem litteris plane

» exposita peragere unde gravia mala, scandala, » et incommoda oriebantur; ideo orabat, ut ali- » quod opportunum remedium adhiberetur: » Emi Patres, re mature perpensa, censuerunt » consulendum esse SSmo, ut praecipiat Patri- » bus Terrae Sanctae, aliisque religiosis viris » cuiuscumque Ordinis, et Instituti, ne mulieres » cuiuscumque ritus orientalis admittant ad ha- » bitum Tertii Ordinis, vel ad alium quem- » cumque eiusmodi: admissas vero habitum » iam receptum quamprimum deponere, et » veste illius regionis in qua degunt communi » uti omnino curent, sub poenis Sanctitati Suae » benevisis.

» Facta autem per R. P. D. Nicolaum An- » tonelli Secretarium SSmo Dño Nostro in au- » dientia eodem die habita de supradictis o- » minibus relatione, Sanctitas Sua sententiam » Sacrae Congregationis in omnibus appro- » bavit, eamque servari mandavit sub poena » privationis vocis activae, et passivae, non » obstantibus Apostolicis Constitutionibus, sta- » tutis, consuetudinibus auctoritate Apostolica » confirmatis, aliisque in contrarium quibus- » cumque. Datum Romae die et anno, quibus » supra ».

Cum igitur ad unius latini ritus mulieres Regularium circumscripta facultas intelligatur, pronum est, habitum Tertii Ordinis professas duas in classes referre: alteram earum, quae simul collegialiter vivunt, alteram earum, quae seorsum suis in domibus degunt. Quoad primas explorata res est, privilegiis Tertii Ordinis minime frui etiam illas, quae votum simplex castitatis emiserint, nisi vota solemnia nuncuparint, et clausuram sancte religioseque custodiant. Quamvis enim eiusmodi privilegiis olim fruerentur vigore Constitutionum Leonis X, quarum altera incipit *Dum intra,* altera incipit *Nuper,* ea tamen privilegia diserte revocata leguntur a san. mem. Pio V Constitutione quae incipit *Cura Pastoralis officii,* in qua districtius cautum est ne Tertiariis quae vota solemnia non emittunt, et clausurae lege obstrictae non sunt, usquam collegialiter vivere liceat. Quod etiam a Gregorio XIII plane confirmatum est Constitutione quae incipit *Deo Sacris Virginibus.*

Fatendum quidem est, his non obstantibus, et hactenus fuisse, et adhuc esse Conservatoria quaedam ubi Tertiariae collegialiter vivunt, etiamsi nec solemnia vota emittant, nec clausurae lege teneantur; At cum ea ab Apostolica Sede tolerata, non approbata esse intelligantur, ut religiosae domus canonice erectae haberi non possunt, sed potius ut domicilia fundata contra mentem Sedis Apostolicae, et contra decreta Pontificum Pii V et Gregorii XIII, ideoque certis privilegiis, quae nonnisi clausis Tertii Ordinis Monasteriis propria sunt, carere omnino necesse est: Quomodo enim Apostolicae Sedis indultis, et gratiis frui possent, quae, contra eiusdem Apostolicae Sedis mentem, sine clausura et votis solemnibus, adhuc tamen collegialiter vivunt? Sequitur ergo huiusmodi Tertiarias iurisdictioni Ordinarii integre solideque subiectas manere.

Quod huc usque deductum est iuxta doctorum omnium sensum, luculentissime docuit san. mem. Benedictus XIV *Institut. Can. 105 num. 76,* ac constanti stylo rescripsere Sacrae Urbis Congregationes, quarum celebriora duo afferre decreta abs re non erit. Primum nempe Sacrae Cong. Concilii in una *Lauden.* die 27 Maii 1677, in qua quidem causa, cum de Tertiariis oppidi Cottonei, vota quaedam simplicia castitatis, paupertatis, et obedientiae emittentibus, sine solemnitate tamen et sine clausura, ageretur, proposito dubio: « An mulieres hu- » iusmodi subsint visitationi et correctioni Epi- » scopi »: S. Congregatio, audito Procuratore Generali PP. Reformatorum S. Francisci, sub quorum cura vivebant, respondendum censuit: *Affirmative.* Alterum vero est Sacrae Congr. Concilii in una *Lunen. Sarzanen.* die 30 Ianuarii 1723, in qua quidem cum de mulierum, assumpto habitu Tertii Ordinis S. Francisci, collegialiter in Conservatorio Massae viventium exemptione disceptaretur, S. Congr. de more rescripsit: « Conservatorium esse subiectum o- » mnimodae iurisdictioni Episcopi, citra tamen » approbationem S. Congregationis quoad di- » ctum Conservatorium ». In quo quidem decreto, eodem temporis ac loci vestigio quo eiusmodi mulieres subiectae declarantur omnimodae iurisdictioni Episcopi, ne probari sub ea forma viderentur huiusmodi Conservatoria, verbis adiectis *citra approbationem* solertissime cautum est; adeo S. Congregationis mens ab eiusmodi collegiis sine votorum solemnitate, et sine clausurae lege fundatis, vel ipsa specie probandis aliena est.

Disciplinam hanc aliquantulum immutavit Benedictus XIII nonnullis Constitutionibus editis, nimirum ea quae incipit *Paterna,* altera quae incipit *Exponi Nobis,* tertia denique, quae incipit *Pretiosus,* quarum dispositione Tertiariae, quae sine solemnibus votis, et sine clausurae lege collegialiter viverent, a iurisdictione Episcoporum subductae, in iurisdictionem et curam Superiorum Ordinis redierunt; At vix defuncto laudato Pontifice, eius Successor Clemens XII Constitutione quae incipit *Romanus Pontifex,* sublatis iterum eiusmodi gratiis et privilegiis, pristinam de Tertiariis Ordinario subiectis disciplinam restituit; in ea quippe sic expresse habetur: « Statuimus, et decerni- » mus de omnibus, et singulis praedictis Lit- » teris et Constitutionibus, quae ab eodem an- » tecessore nostro Benedicto prodierunt, nec » non de omnibus privilegiis, gratiis, favori- » bus, indultis, exemptionibus, facultatibus, et

» declarationibus in iisdem contentis eam deinceps decisionem ac iudicium etiam in foro conscientiae habendum, quod sive ex iure communi, sive ex Concilio, sive ex Decretis, et Constitutionibus Apostolicis, sive ex aliis legitime habeatur, antequam eaedem Litterae, et declarationes ab eodem Benedicto concessae fuissent, perinde scilicet ac si illae non emanassent; ad quam dispositionem, eiusque pristinum statum ac terminum omnia superius enunciata omnino reducimus et reducta esse volumus; ita ut in posterum supradicti Ordines Regulares earumdem Litterarum et Constitutionum usu, commodo et effectu penitus carere debere intelligantur ». Ex quibus sane verbis colligit Benedictus XIV *Inst. Can. 105 n. 76:* « Redit in pristinum Ordinariorum iurisdictio supra Tertiarias collegialiter sine votorum solemnitate, et sine clausurae lege viventes; eademque de causa ut nobis subiectas eas libere visitavimus ».

Gradum nunc faciendo ad alteram Tertiariarum classem quae seorsim suis in domibus degunt, maioribus privilegiis olim gavisas eas fuisse compertum est, inter quae praecipua numerantur: 1. privilegium fori, quod tamen locum non habet in locis missionis ubi vix Religio toleratur; 2. ut Patribus illius Ordinis cuius regulam profitentur, sua peccata in sacramento Poenitentiae aperire liceret, quamquam ab Ordinario non approbatis: 3. ut Communionem paschalem in eorumdem Regularium ecclesia recipientes, praecepto Ecclesiae satisfacerent: 4. ut ab iis etiam Viaticum, atque Extremam Unctionem in exitu vitae possent percipere. Haec tamen omnia successivis temporibus a Summis Pontificibus, atque a Sacris Cardinalium Congregationibus, pluribus editis constitutionibus, et decretis, penitus sublata, atque ad terminos iuris communis redacta sunt, ut late Fagnanus in Cap. *Omnis* num. 64 de Poenit. et Remiss. ex S. C. rescripto refert his verbis: « Cum Fratres Monasterii S. Dominici de Lugo Imol. Dioecesis declarari postulassent an ipsis liceret praesertim ex suis privilegiis audire confessiones virorum et mulierum professorum Tertii Ordinis S. Dominici, eisque in Paschate Sacramentum Eucharistiae ministrare, Viaticum praebere, atque Extremam Unctionem ministrare, Sacra Congregatio consideravit, praesupposito quod huiusmodi professi eodem iure censeantur cum aliis professis Tertii Ordinis S. Francisci, de quibus in gloss. in Clem. *Cum ex eo* de sent. excom., eorum non esse aliquam Religionem, seu modum quemdam vivendi approbatum a Sede Apostolica, nec dici plene translatos ad Ordinem ita ut desinant esse de saeculo (Card. in Clem. *Per litteras* num. 9 de Praeb.). Quod cum ita sit, non magis horum, quam aliorum saecularium confessiones praedictos Religiosos audire posse, iuxta c. 15 sess. 23, ubi privilegiis quibuscumque derogatum est; et amplior derogatio habetur in Bulla Pii IV revocatoria omnium privilegiorum sub quibusvis formulis, in his quae Sacro Tridentino Concilio sunt contraria; Ex quo sequitur, tales Religiosos non esse prorios sacerdotes horum professorum; ac proinde non posse eisdem Sacramentum Poenitentiae, vel Eucharistiae in Paschate ministrare, iuxta cap. *Omnis utriusque sexus* de poenit. et remiss.; idemque iuris esse de Viatico, siquidem praecedente confessione exhiberi debet (*C. 7 de praepar. quae adhibenda est* etc. sess. 13 in Decreto de SS. Eucharistiae Sacramento). De Extrema Unctione non esse iudicium Congregationis, sed tamen constare eius administrationem, sicut aliorum Sacramentorum, pertinere ad parochum, de cuius parochia dicuntur esse tales professi, nisi speciali privilegio sint exempti ».

Latius hoc ipsum Benedictus XIV ex Pontificum Constitutionibus inter se collatis, et S. C. Decretis deducit *(Inst. Can. 105, n. 67, et seq.)* his verbis: « Si Leonis X Constitutio vim totam, et integram obtineat, hae Tertiariae privatim vitam agentes, Episcopi iurisdictione prorsus immunes esse deberent: eos sibi confessarios deligere possent, qui ad monialium confessiones, non vero saecularium excipiendas probantur: Ad parochiam accedere non tenerentur, ut paschali praecepto satisfacerent: Tandem a praefectis suis Regularibus Extremam Unctionem percipere et post mortem in ecclesia sui Ordinis sepeliri iure possent; sed aliter se res habet, nam Leonis X Constitutio ad certos quosdam limites redacta fuit a Summis Pontificibus, qui deinde Sedem Apostolicam tenuerunt. Cum hae mulieres revera non habeantur Regulares, eo quod tribus votis solemnibus non adstringantur, ideo non censentur immunes ullo modo ab Episcopi facultate ..... Insuper de his mulieribus Tertiariis haec S. Congr. Concilii decernit: – S. Cong. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum saepius respondit minime posse sacerdotes Regulates mulierum Tertii Ordinis, quas de *Poenitentia,* vel *Pinzocheras* vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad confessiones personarum saecularium audiendas, quemadmodum nec posse illis Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis Sanctissimi D. N. Iesu Christi –; Item ex epistola S. Congregationis pro causis Episcoporum et Regularium constitutae ad Episcopum Mutinensem die 17 Iunii anno 1639, haec in ipsas Tertiarias sancita deprehenduntur: – Circa Tertiariam similiter censuerunt (nempe Cardinales S. Cong.) permissum haud fuisse Fra-

» tribus eiusdem monasterii ob quodcumque » privilegium Ordinis administrare ipsi Sacra- » mentum Divinae Eucharistiae, et Extremae » Unctionis, neque eius cadaver domo efferre, » indicata funebri pompa, sine parocho aut » sine ipsius licentia. Nam haec revera ad pa- » rochos pertinent, qui debent assiduo, sed hoc » praesertim tempore, cognoscere, iuvare, ac- » curatoque studio fideles sibi traditos insti- » tuere. Accedit quod Tertiaria licet nuncupatis » votis, claustro non tenebatur, sed domi suae » intra parochi eiusdem ditionem habitabat ». Possunt tamen earum cadavera sepeliri in ec- clesiis sui Ordinis, si locus Tertiariis designatus seorsum existat; sin minus in parochiali ec- clesia, ut caeterarum cadavera, sepelienda sunt. Lucrantur etiam Indulgentias, gaudentque aliis spiritualibus gratiis Ordini adnexis, quem pro- fitentur, statim ac ad habitum Tertii Ordinis, ac ad votum simplex castitatis a Superioribus Regularibus admittuntur, quibus hanc facultа- tem ex Apostolicae Sedis indulto reservari com- pertum est. Non tamen ad omne mulierum genus haec facultas extenditur, sed ad eas dumtaxat, quae conditiones a Sacris Congrega- tionibus rite praescriptas habuerint, nimirum ut honestis probisque moribus fulgeant; ut an- nos quadraginta saltem attingant; ut necessaria ad congruam vitae sustentationem bona possi- deant; ut nonnisi cum consanguineis vel affi- nibus in primo gradu cohabitent. Huiusmodi autem conditionum examen et iudicium non ad Superiores ipsos Regulares, sed ad locorum Ordinarios pertinere Summi Pontifices decreve- runt, adeo ut recte subiiciat Benedictus XIV *loc. cit.* « Quare si quod proprium est uni- » cuique tribuatur, ad Praefectum Regularem » spectat religiosum habitum his mulieribus » impertiri: ad Episcopum vero facultatem » tradere, et praescriptas conditiones accurato » examine cognoscere ».

Haec omnia, quae exerte tradit Benedi- ctus XIV cit. *Inst. 105,* S. Congregationis Epi- scoporum et Regularium negotiis praepositae Decreto edito sub die 20 Decembris 1616 di- sertissime sanciuntur; Sic enim § 5: « Prae- » terea si contingat aliquas ex praedictis Ter- » tiariis sine sepulturae electione decedere, eas » sic decedentes ita demum in ecclesiis Ordi- » nis, cuius habitum assumpserunt, sepeliri de- » beant, si in ipsis earum communis sepultura » reperiatur; sin minus, in ecclesiis parochia- » libus sepeliendas esse decernit: Superioribus » autem Regularibus sufficienti facultate ad id » a S. Sede Apostolica suffultis (Cappuccinis » exceptis) libere mulieres ad huiusmodi habi- » tum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas » officium pertinere, non autem ad habitum ad- » mittendas, et recipiendas esse, nisi probatae » vitae ac bonis moribus praeditas, ac in aetate » saltem quadraginta annorum constitutas, quae » de proprio habeant unde sufficienter vivere » possint, et non cum aliis viris quam con- » sanguineis, vel affinibus in primo tantum » gradu sibi coniunctis cohabitent, et ab Ordi- » nario loci licentia prius impetrata, qui non » aliter eam concedat, nisi de praedictis praevio » examine diligenti sibi constiterit ».

Universa haec iterum a S. C. Concilii con- firmata sunt; nam Episcopo Mazarae quae- renti anno 1727. « Quaenam sint conditiones » requisitae, ut Regulares habentes facultatem » dandi habitum suae Religionis mulieribus non » collegialiter viventibus, dictum habitum dare » possint; et an examen dictarum facultatum » pertineat ad Episcopum? » S. Cong. Con- cilii respondit: « Examen facultatum conce- » dendi habitum pertinere ad Sedem Apostoli- » cam; examen conditionum quoad mulieres » vestiendas, et licentiam vestiendi pertinere ad » Ordinarium, et conditiones vestiendarum esse » expressas in decretis generalibus alias editis, » et haec decreta esse omnino servanda ». Ad normam huiusce decreti subiecta hac formula Episcopi uti consuevere, qua mulieri facultatem assumendi habitum Tertii Ordinis concedere te- stificantur:

« Dilectae Nobis in Christo N. salutem, et » benedictionem in Domino. Ut tu, quae bonis » moribus imbuta, bonaeque frugis, ac lauda- » bilis vitae existis, in aetate annorum quadra- » ginta constituta, propria bona, ex quorum » fructibus honeste vivere vales, possides, et » non cum aliis viris, quam cum tuis consan- » guineis, vel affinibus in primo gradu consti- » tutis habitas, prout haec omnia nobis praevia » informatione constare fecisti, habitum Tertii » Ordinis S. *N.*, quem postulasti, suscipere » possis per R. P. *N.* Ordinis Provincialem, » illum tibi conferendi licentiam, et facultatem » concedimus, et impertimur. In quorum etc. » Datum etc. *N.* Episcopus *N.* ».

Ex quibus omnibus consequitur, quam recte S. C. de Propaganda Fide in Congregatione Particulari habita die 31 Augusti 1761, per modum decreti generalis servandi in toto regno Hiberniae, inter alia rescripserit pro Tertiariis nullo modo licere Regularibus admittere ad habitum, nisi servatis servandis, et de licentia Ordinarii: aliter admissas declaretur ab Epi- scopis nec esse Tertiarias, nec ullis gaudere privilegiis, aut indulgentiis.

Etiamsi vero eiusmodi casus occurrere ali- quando possit, in quo potius expedire videatur adolescentulam aliquam habitu Tertii Ordinis ante prefixam aetatem, quodam veluti tegumento securitatis assumpto, a periculis liberare, quam medias inter insidias inermem relinquere: non ideo sequitur fas esse Superioribus Regularibus sine licentia Episcopi, vel Vicarii Apostolici puellas ad habitum suscipiendum admittere: Consulant ipsi potius in huiusmodi casibus loci

Ordinarium, qui se facilem pro sui prudentia atque adeo conscientia, motus ipsius periculi gravitate, praebebit. Nec expedit semper in adolescentulis votum castitatis cum habitus susceptione coniungi, quin potius ad aetatem provectiorem quandoque differri ; ab ea quippe longius abesse solent illa, sive pericula, sive scandala, quae ferventiori quam prudentiori zelo agitante possunt oriri.

Haec habet Sacra Cong. quo dissidia, ac iurgia hisce de rebus in posterum tollantur, iisque sublatis, unitas spiritus et vinculum pacis inter operarios vineae Domini conservetur. Et ut maxima, quae in terris a Domino relicta est, potestate roborentur, SS. D. N. P. Clementi XIII feliciter regnanti legenda, consideranda, probanda curavit ; et idem SS. D. haec omnia lecta, considerata, probata, auctoritate Apostolica confirmavit.

Confidit in D. Iesu S. Cong. hinc Superioribus Regularibus ad normam Instructionis huiusce ambulantibus, inde locorum Ordinariis et Vicariis Apostolicis ad aliorum iura servanda sollicitis, collatis utrimque studiis, illud concordiae gluten coaliturum, quo qui ex adverso sunt, nihil habentes malum dicere de eis, vereantur magis, et domus Dei, quae est Ecclesia, ipsa unitate terribilis ut castrorum acies ordinata, fideles laetitia, infideles, haereticos, schismaticos rubore suffundat.

Quam Sac. Congr. Instructionem Sanctissimo D. N. Clementi XIII per Secretarium eiusdem Sac. C. relatam in audientia habita die 16 Ianuarii anni 1763. Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit, et omnino servari mandavit.

449

Circa electionem Vicarii Capitularis.

S. C. de Prop. F. *29 Aug. 1763.* — 1. In dubiis emergentibus circa electionem Vicarii Capitularis servandam esse dispositionem Constitutionis Benedicti XIV quae incipit : *Quam ex sublimi* (8 Aug. 1755) et, ubi in Constitutione provisum non est, decreta Concilii Tridentini *sess. 24, cap. 16.*

De parochorum absentia.

2. Non posse parochos abesse a residentia ultra tres vel quatuor dies, etiam intra menses conciliares, nisi in casu necessitatis et de licentia Ordinarii, cuius super hac re conscientia oneratur.

Quoad parochorum aetatem.

3. Non posse (Episcopum) nisi habenti aetatem legitimam a sacris canonibus praescriptam, animarum curam committere, et proinde recurrere debere in casibus particularibus ad S. Sedem pro dispensatione.

An tolerandum ut catholicis habeant coemeterium commune cum schismaticis.

4. In casu tantum necessitatis, et non aliter tolerandum ut catholici habeant coemeterium commune cum schismaticis, iuxta formam resolutionis S. C. Concilii in Catharen : « Si obti- » neri possit ut sepulturae catholicorum, quam- » vis in eisdem coemeteriis, ab heterodoxis se- » paratae sint, rectum et optimum erit ; sin » minus curandum saltem ut defunctis iusta » secundum catholicum ritum solvantur, omnis- » que arceatur superstitio ».

450

De accessu schismaticorum ad catholicorum ecclesias.

S. C. S. Officii *22 Septembris 1763.* — An graeci schismatici adire possint catholicorum ecclesias, ibique materialiter tantum assistere eorum sacris et divinis.

R. Accessum graecorum non unitorum ad ecclesias catholicorum posse permitti, dummodo iis non administrentur Sacramenta, nec quoquo modo communicent in divinis, nec ad huiusmodi adventum fuerint invitati.

451

Inter catholicos et haereticos connubia quare Ecclesia reprobet.

Ex Litt. Ap. Clement. PP. XIII *16 Nov. 1763.* (AD EP. ARGENTORATEN.). — Quantopere a connubiis inter catholicos et haereticos abhorreat Catholica Ecclesia, et sit de aeterna filiorum suorum salute vehementer sollicita, ut semper eos absterruerit ne cum haereticis matrimonii vinculum iungant, dilecte Fili Noster, profecto non ignoras. Nunc autem id agi comperimus, ut in posterum in Alsatia licitum sit talia coniugia contrahere, quae videntur in rem fore catholicae religionis, si ea tantummodo conditione permittantur, ut suscepta inde soboles in Apostolica Romana fide educetur : hac ratione non longe abesse, aiunt (cum Deo gratulabimur), populum istius regionis universum ad veram religionem esse traductum.

Nobis vero longe aliter videtur, et ex huiusmodi coniugiis existimamus catholicae Ecclesiae magnam cladem allatum iri. Si enim mater, penes quam est prima sobolis educatio, a nostris sacris aliena sit, quid de liberorum religione non est timendum ? Illa enim pro materno amore de aeterna eorum salute sollicite cogitans, nullam praetermittet occasionem, qua illos imbibat suae sectae doctrina, quam unice veram putat. Ac si virum, vel in vigiliis ieiunantem et carnibus abstinentem, vel Poenitentiae Sacramento animae suae sordes eluentem, vel ad sacram Eucharistiae mensam accedentem, quasi inania sectantem, ut saepissime fiet, irrideat, id etiam certe fieri oportet paulatim ut in animos puerorum illabatur sacratissimarum rerum contemptus. Quae vero a tenera aetate arripuerint, ea ex illorum animis difficillimum est evellere.

Et contra, si mater quidem catholicam religionem colat, pater vero alicui haereticae sectae addictus, in puerorum conspectu dicta uxoris et facta quae ad religionem pertinent, ioculariter illudat, an non puerilis animus liberorum, penes quos plurimum valet patris auctoritas, de veritate religionis, quam sequitur mater, nonnihil dubitaverit ? Quid si seria ob-

oriatur inter virum et uxorem de religione disputatio? An non liberi, quorum mens, alternantibus in parentum disputatione momentis, hac illac impellitur, sensim in religionis prolabentur indifferentiam, qua nihil exitialius, nihil religioni inimicius, cum omnem religionem veram falsamve funditus tollat? Illud etiam perspicuum est, lutheranae haeresi per haec coniugia patentiorem aperiri campum, quo latius sese possit diffundere. Etenim puellae lutherano imbutae errore, quibus nunc nonnisi certis quibusdam in locis cum viris suis licet constituere domicilium, si catholicis nupserint viris, illos sequantur necesse est ubicumque iis libitum fuerit habitare. Praeterea et nova nupta plures e sua secta admittet in viri familiam; nec prohiberi poterunt ab eius domo falsae sectae ministri, qui salutandi gratia eam conveniant. Hi nimirum suo non deerunt ministerio, quo oves suas in errore confirment, artemque suggerent matri, qua in animis liberorum bonae doctrinae germina, ab ipso tempore quo incipiant erumpere, exarescant.

Frustra igitur fuerit catholicorum usque adhuc adhibitum studium, quo ex his regionibus, quas tenent, damnati ab Ecclesia errores eliminarentur, cum impune licuerit in posterum in medio eorumdem catholicorum eamdem veneficam doctrinam profiteri. Huc accedit, quod si alteruter coniugum, qui catholicus sit, vita functus, liberos in prima aetate reliquerit, alteri coniugi haeretico liberum erit venenatis sectae suae sensibus filios suos inficere. Vides igitur, dilecte Fili Noster, quid de prole ex his coniugiis suscepta polliceri sibi possit catholica religio, et num vehementer timendum sit, ne cum per haec connubia propagare intendunt catholicam fidem, latius propagetur haeresis; et, quod omnium deterrimum, maiores in dies vires capiat religionis cuiuscumque indifferentia, qua plerumque ad impietatem aditus aperitur.

Haec vero paulo fusius uberiusque persecuti sumus, non quod ea prudentiam tuam fugere existimemus, sed ut ex harum prolixitate Litterarum sollicitudinem Nostram intelligas, qui de re gravissima et maxima scribendi vix finem facimus. Sed ut sapientiae prudentiaeque tuae has rationes, quas supra tetigimus, quamobrem non sint permittenda haec coniugia, obscuras non fuisse arbitramur, sic religioni tuae et zelo domus Dei, quo flagrantem animum geris, plurimum confisi, dilectionem tuam obsecramus et in Domino obtestamur ut, quantum auctoritate valeas, id efficias ut his coniugiis nullus in Alsatia fiat in posterum locus.

452

Indultum quoad tempus Confessionis ad lucrandas Indulgentias.

S. C. Indulg. *9 Decem. 1763.* — Quum S. C. Indulg. die 31 mensis Martii anno 1759 fuerit in voto, confessionem sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiae consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt, necnon praefatam confessionem suffragari etiam posse, si in vigilia festivitatis expleatur, votumque S. Congregationis SSmus D. N. Clemens PP. XIII benigne approbaverit, illudque typis publicari sub datum 19 Maii praedicti anni mandaverit; quamplures supplices libelli tum Regularium communitatum, et praesertim monialium, tum etiam parochorum et nonnullorum Episcoporum pro suis dioecesibus porrecti sunt, quibus maxima exponebatur difficultas, quae interdum, imo persaepe incidit pro sacramentali confessione, sive in festo, vel ad minus in vigilia peragenda. Quamobrem ut adeo proficuus Indulgentiarum thesaurus reddatur fidelibus accommode comparandus, enixis precibus supplicabant Sanctitati Suae ut opportuno aliquo remedio de Apostolica benignitate providere dignaretur. Quibus precibus ad praedictam S. C. remissis, propositum in ea fuit dubium: *An et quomodo sit consulendum SSmo super praefati decreti executione vel declaratione in casu?* Et responsum fuit: — « Consulendum SSmo D. N. ut concedere dignetur indultum omnibus christifidelibus, qui, frequenti peccatorum confessione animum studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad Sacramentum Poenitentiae accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullius lethalis culpae a se post praedictam ultimam confessionem commissae sibi conscii sunt, ut omnes et quascumque Indulgentias consequi possint, etiam sine actuali confessione, quae caeteroquin iuxta praefati decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa Indulgentias Iubilaei, tam ordinarii quam extraordinarii, aliasque ad instar Iubilaei concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera iniuncta, ita et sacramentalis confessio tempore in earum concessione praescripto peragantur ». — Sanctitas Sua piis bonorum desideriis ac votis satisfacere, et Indulgentiarum gratias iis potissimum, qui pie sancteque vivendo, donis divinae misericordiae digniores efficiuntur, elargiri quam maxime cupiens, benigne annuit, et praefatum Indultum in forma suprascripta expediri et publicari mandavit; quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

453

Vox sinica *Chèn-Chên* retinenda in Baptismi forma.

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide *26 Ianuarii 1764* (AD VIC. AP. SUTCHUEN.). — Cum ex quorumdam querelis sibi allatis, haec S. C. intellexerit aliquos provinciae Sutchuen. missionarios, in Baptismi forma, vocem *Chèn Chên*, ad praesens usque adhibitam in sinicis Missionibus ad significandam Spiritus Sancti

personam, in aliam *Chèn Foùng*, tanquam eidem tertiae Divinae personae explicandae magis idoneam, commutasse: censuit rem tanti momenti haud esse negligendam, sed stricto examini subiiciendam S. C. S. Off., quae, omnibus mature discussis, et praesertim scriptis in quibus huiusmodi variatio defenditur, unanimi voto decrevit nihil esse innovandum in Baptismi forma quae post tot annos apud universos Sinarum christianos invaluit, atque usu perpetuo Vicariorum Ap. necnon missionariorum cuiuscumque Ordinis fuit roborata. Hoc decretum a SS. D. N. approbatum, eiusdem iussu, A. Tuae notum facio, ut, pro fidei zelo et pacis amore, quo es praeditus, in forma Baptismi consueta nil quidquam innovari permittas, sed missionarios omnesque alios tuae iurisdictioni subiectos, unum atque idem sentire cogas in religionis negotio, et praecipue in Sacramentorum administratione. Id enim quam maxime proderit, tum necessariae unioni et perfectae concordiae servandae inter sacros operarios, tum schismati et scandalis evitandis inter christianos, qui adhuc novi in fide, de purissimis eiusdem principiis male opinarentur, si quos haberent evangelicae veritatis magistros, in diversa abeuntes, nec eadem omnino docentes animadverterent.

454

De Synodis frequenter habendis.

S. C. de Prop. Fide *12 Iun. 1764* (C. P. pro Sin.) — Tunkin. — EE. PP. decreverunt atque expresse mandarunt: 1. Ut synodi sive congressus, ecclesiasticae disciplinae servandae apprime utiles, quam frequentissime potest, habeantur, ibidemque (missionariorum) dubia et ceterae omnes spirituales necessitates expendantur, declarantes insuper, S. Congregationem, exceptis casibus extraordinariis, nulli unquam dubio seu consultationi responsuram, quae sibi privatim fieret a quocumque missionario, neque ante ad synodos vel congressus de quibus agitur fuerit allata, vel saltem scripto approbata Vicariorum Apostolicorum, sive etiam Coadiutorum, ubi synodi praedictae aliquo intercedente obstaculo haberi non poterunt.

Actus theologicarum virtutum omnino docendi fideles.

2. Omnino curent (Vicarii App.) ut omnes fideles sibi subiecti addiscant, saltem quoad substantiam, actus virtutum theologicarum, nec non praecipiant missionariis, etiam sub censuris, ut non negligant eiusmodi actus quemcumque fidelem edocere.

455

Contra communicationem in divinis cum acatholicis in baptismo, matrim. et tumulatione.

S. C. de Prop. F. *6 Aug. 1764* (C. G.) — Vic. Ap. Aleppen. — Catholici orientales fere omnes, cum in plerisque locis ecclesiarum regimen sit penes schismaticos et haereticos habentes sibi faventem publicam Principum auctoritatem, ut certam eamque gravissimam persecutionem devitent, coguntur filios deferre sacerdoti haeretico ad baptizandum, matrimonia coram eodem contrahere, et sinere corpora catholicorum per eosdem haereticos tumulari. Cum haec omnia plerumque fiant cogente necessitate, quaeritur an permitti possint a missionariis.

R. Non licere, et ad mentem; mens est quod scribatur Vicario Apost. iuxta Instructionem.

Instructio. — La S. C. di Propaganda uniformandosi ai replicati decreti del Tribunale della Suprema Inquisizione, ha sempre risposto, ogni qual volta ne è stata interrogata, non essere mai lecito ai cattolici il comunicare *in divinis* con gli eretici o scismatici, e però al dubbio da V. S. proposto non ha potuto recedere dalla sua regola tante volte confermata e stabilita, ed ha rescritto non esser lecito ai cattolici di ricevere il Battesimo da un ministro o scismatico, o eretico, nè il celebrare il matrimonio con rito sacro avanti il medesimo, nè il farsi seppellire parimenti con rito sacro dagli stessi ministri eretici.

Ma perchè non ignora, e lo avvisa anche V. S. essere inveterato e quasi universale l'abuso di comunicare i cattolici *in divinis* cogli eretici nelle tre cose suddette: laddove questi assistiti dalla potestà pubblica hanno in mano il potere di muovere gravissime ed intollerabili persecuzioni contro i cattolici, e di fatti le muoverebbero, se nei tre casi esposti non si prevalessero dei loro ministri, così la S. C. ha giudicato opportuno di mandare a V. S. questa istruzione a parte, acciocchè ella nè rilassi il necessario rigore della costante disciplina circa la comunicazione *in divinis* cogli eretici, che ha sempre tenuta ferma la S. Sede, nè dall'altra parte, per volere anche nei detti casi zelarne l'osservanza, metta in sommo perturbamento e pericolo gran parte dei cattolici di coteste nazioni orientali.

Per di Lei regolamento adunque ha giudicato poter bastare, senza fare nuovo decreto, l'Istruzione che diresse in materia consimile la s. m. di Benedetto XIV al Vicario Patriarcale di Costantinopoli nell'anno 1754: a tenore della medesima, che qui compiegata se le rimette (1), Ella potrà regolarsi, adottando ai casi particolari dei battesimi, matrimonî e sepolture conferiti dai ministri eretici quella specie di tolleranza, che quel sapientissimo Pontefice, per evitare un male maggiore ha in-

(1) Haec habet instructio de qua sermo: « Espo- « nendo (il Vic. Ap. Patriarcale di Costantinop.) che « sono frequenti, e sempre più saranno frequenti i ma- « trimoni fra cattolici e scismatici o eretici, acciò non « prenda equivoco e non sparga oscurità, ove non sono, « sembra bene il fargli sapere che contraendosi senza

sinuata nella detta istruzione, tenendo però sempre ferma la massima non esser lecita la comunicazione cogli eretici neppure nei casi suddetti. Ma perchè gli eretici predominanti esiggono di conferire essi ai cattolici il Battesimo, il Matrimonio e la sepoltura, principalmente perchè da queste tre funzioni sacre ne ricavano dell'emolumento, così la S. C. desidera, che V. S. vada insinuando per mezzo dei missionarî ai suddetti cattolici, che, pagando per quanto possono gli stessi emolumenti ai ministri eretici, procurino di esimersi dal ricevere dalle loro mani il Battesimo, il Matrimonio e la sepoltura.

456

De extensione indulti altaris privilegiati.

S. C. Indulg. *27 Nov. 1764.* — Episcopus Wladislavien. exponit se obtinuisse Breve altaris privilegiati ad septennium pro omnibus et singulis ecclesiis parochialibus, nec non collegiatis et abbatialibus suae civitatis et dioeceseos, revocando intuitu huiusmodi indulti privilegia omnia paroeciis sive in perpetuum sive ad tempus concessa. *Quaeritur:*

1. An Indulgentiae altaris privilegiati adnecti possint altaribus portatilibus, quae plurima sunt in sua dioecesi.

2. Quum in sua dioecesi, ob tenuitatem beneficiorum, pleraeque parochiales unitae sint, an idem privilegium intelligatur concessum omnibus et singulis, vel iis tantum in quibus aliqua parochialia munia aliquando fiant per annum, licet cum ceteris maioribus sint unitae.

3. An Missis de festo vel de feria lectis, diebus in quibus Missae prohibentur, applicari possit idem altaris privilegium ad formam decretorum a S. Rituum Congregatione emanatorum de anno 1667, 1669 et 1688.

R. SSmus respondendum esse iussit: Ad 1. Negative; namque ex ipsis terminis concessionis, qua tribuitur Ordinario facultas designandi semel unum tantum altare, satis innuitur quod dictum altare debeat esse fixum ac stabile; nec non cum in casu reaptationis altaris privilegiati ad aliud altare, conceditur dicta translatio durante tantum tempore fabricae, ex quo colligitur, privilegium in eodem altari stabile permanere.

Ad 2. Eadem Sanctitas Sua declaravit, privilegium altaris privilegiati ad septennium illis tantummodo ecclesiis per extensionem concedendum esse, quae parochiali unitae, seu eiusdem subsidiariae, plerasque parochiales functiones (quae proprie parochiales sint) infra annum exercent.

Ad 3. Affirmative ex decretis tum Sacrorum Rituum Congregationis, tum huius Sacrae Congr. Indulgentiarum.

457

An baptizandi filii acatholicorum a patrinis catholicis oblati.

S. C. S. Officii *29 Novembris 1764.* — An presbyteri catholici licite extra mortis periculum baptizare possint acatholicorum filios a patrinis catholicis oblatos, quibus tamen nulla affulgeat spes illos de catholica religione imbuendi.

R. Negative; sed minister catholicus, caute se geret in danda repulsa, ne patrini aut parentes pueri oblati scandalum patiantur.

458

De accessu catholicor. ad ecclesias schismaticorum, ad eorum funera *etc.*

S. C. de Prop. F. *15 Dec. 1764* — Chios — 1. Se sia lecito ai cattolici entrare nelle chiese degli scismatici per mera curiosità, e fuori di quel tempo che essi celebrano i loro offizî; e se parimente è lecito ai suddetti cattolici adorare e visitare il SS. Sagramento tenuto dagli scismatici, ed anche fare orazione avanti le imagini dei Santi che ivi sono, e ciò alla presenza dei medesimi scismatici.

« 2. Se invitato il cattolico dagli scismatici » a vedere le loro chiese, oratorî o cappelle, può » andarvi per non disgustarli ».

« 3. Se è lecito ai cattolici ecclesiastici e » laici accompagnare il funerale degli scismatici » per mera civiltà ».

« 4. Se è lecito ai cattolici adorare il San» tissimo Sagramento che incontrano per le » strade quando il parroco scismatico lo porta » o agl' infermi per viatico o in altra forma ».

Circa absentiam alumnorum S. C. a respectiva dioecesi.

5. Se sia lecito agli alunni della S. C. ritornati in diocesi assentarsi da essa per lo spazio di lungo tempo, come di un anno o due soltanto, perchè il loro Vescovo così ordina, oppure perchè l'utilità della diocesi così richiede.

R. 1. Quoad primum, affirmative, dum-

« sua saputa, e non potendo esso impedirli, si regoli « come si regolano i buoni superiori ecclesiastici nei « paesi nei quali simili matrimonî sono frequenti, cioè « che non si accinga ad impedirli, li lasci correre, li « tenga per validi benchè illeciti, non potendosi in « tuttociò valutare che una semplice tolleranza o per« missione d'un male minore per evitare un maggiore. « Che se poi ad esso si fa ricorso per aver la licenza « di contrarre matrimonio fra un contraente cattolico, « ed un altro scismatico o eretico, deve il suo con« tegno essere il seguente, cioè deve ammonire il cat« tolico che facendo il matrimonio, il matrimonio « sarà valido ma illecito; ch'esso commetterà un grave « peccato; che mette sè in pericolo di perversione; « che espone la prole nascitura ad uno stato di per« dizione; e che se esso non si accinge ad impedirlo, « ciò deriva dall'infelicità delle circostanze e dal ti« more di mali maggiori. E regolandosi in questo « modo dice la verità, che è quella che sempre dee « dirsi, insegna le vere massime, non fa atto positivo « di approvazione; nè col fare schiamazzo per impe« dire il matrimonio, o contro il matrimonio dopo « che è contratto, si espone al pericolo di eccitare « tumulti ».

modo absit scandalum; quoad secundum, pariter affirmative, dummodo non coniungantur in precibus cum schismaticis.

2. Ut ad proximum *(praecedens)*.

3. Dentur decreta S. C. S. Off. diei 21 Martii 1746 (seu 9 Decemb. 1745) et 21 Ian. 1751. *(V. nn. 354. 379.)*.

4. Non modo licere, sed debere adorare SS. Sacramentum; sed tamen catholici abstinere debent ab associando.

5. Supradictis de causis licere.

459

Quid agendum a missionariis in defectu aquae baptismalis.

S. C. S. Officii *30 Ian. 1765* – SUTCHUEN – Dignentur (EE. VV.) nobis permittere ut in collatione Baptismi possimus uti aqua benedicta quidem iuxta ritum in Rituali Romano mandatum, sed tamen absque sacris oleis intra mixtis. Contingit enim saepe ut non tantum deferri nequeat aquae copia sufficiens numero baptizandorum, sed quoque desint sacra olea quibus adhibitis possit aqua nova benedici.

R. Negative, excepto casu necessitatis; et missionarii se gerant iuxta Instructionem S. Caroli Borromaei (in parte 2 quinti Synodi dioecesani), id est: « Quod si intra annum prae » temporis diuturnitate aliaque causa illam » aquam corrumpi contigerit, in sacrarium » prope Fontem parochus proiiciet, statimque » Fontem purgabit; et vero, si in urbe est, ad » Metropolitanam, si in dioecesi, ad plebanam » ecclesiam veniet, unde proprio vasculo nitido » aquam baptismalem accipiat, in parochialemque ecclesiam secreto ferat, ubi quamprimum » in Fontem effundat, baptismalique aquae allatae tantum etiam aquae purae, nitidae et » recentis addet, quantum satis erit. Hoc ipsum » quoque praestabit si etiam aqua baptismalis » per annum aliquo modo defecerit ».

460

De collatione baptismi pueris a schismaticis rebaptizandis.

S. C. S. Officii *19 Sept. 1765*. — Non esse prohibendos sacerdotes catholicos ne baptizent privatim infantes natos a parentibus catholicis, tametsi certo praevideant eosdem infantes fore iterum per ministros schismaticos sacrilege baptizandos; quantum tamen christiana prudentia permittere potest, monendos et instruendos eosdem infantium parentes de illicita eorum cooperatione ad iterationem praedictam baptismi.

461

Circa Missae celebrationem in privatis domibus.

S. C. de Prop. F. *18 Nov. 1765* (C. G.) – CONSTANTINOP. – Se i Regolari possano celebrare nelle case dei particolari, e specialmente di campagna senza licenza dell'Ordinario.

R. Dentur Decreta in Chien. 2 Dec. 1720 et anno 1746, et 14 Decembris 1761; ed il Vic. Patriarcale può aggiungere la pena della sospensione. *En decreta:* « *2 Decemb. 1720.* S. C. » iustis de causis animum suum moventibus » decrevit non licere in posterum sacerdotibus » chiensibus tam saecularibus, quam regula» ribus cuiuscumque Ordinis et Instituti in ci» vitate Chiensi sacrosanctum Missae sacrificium » in domibus privatis celebrare, quacumque de » causa, absque licentia Ordinarii, non obstan» tibus quibuscumque. — *29 Marti 1746:* Ad » abolendam frequentiam Missarum quae cele» brantur in domibus privatis, renoventur de» creta alias edita ab hac S. C. 2 Dec. 1720 ». *14 Dec. 1746:* Idem decretum.

462

Circa facultatem restituendi ius petendi debitum amissum.

S. C. S. Officii *3 Dec. 1765* – MISSION. SEPTENTR. – Saepius contingit quod confessarii petunt ab oratore (Vicario Ap.) facultatem dispensandi super restituendo ius petendi debitum amissum; nescit autem quomodo connectat ultimum membrum facultatis octavae (1) cum num. 10 in clausula sic sonante: « et in dis» pensatione tenor huiusmodi facultatum inse» ratur cum expressione temporis ad quod fue» rint concessae », cum scriptis nihil detur.

R. Detur dispensatio oretenus, dummodo in dispensante non expiraverint facultates.

463

Missionum Praefectura a Provincialatus officio omnino distincta.

S. C. de Prop. F. *3 Martii 1766* (C. G.). — Benchè la Prefettura di alcune Missioni (affidate a Religiosi) si dia al Provinciale *pro tempore* di qualche Provincia che abbia annesse le Missioni, nondimeno la S. C. non intende di darla all'officio del Provincialato, ma alla persona eletta, e perciò non si fa menzione nella Patente dell'officio del Provincialato. Il Provinciale adunque allorchè viene eletto non ha alcuna ingerenza nel governo della Missione, se non ne viene autorizzato dalla Patente di Prefettura della S. C., e perciò, morendo prima di terminare la prefettura, qualsivoglia persona eletta dalla Religione al governo della Provincia fino all'elezione del nuovo Provinciale, non può avere il governo della Missione senza che ne sia munita coll'autorità della S. C.

464

Circa iuspatronatum ab acatholicis hereditate acquisitum.

S. C. S. Off. *11 Dec. 1766*. — Non permettendo Mons. Vescovo (di Cracovia) che gli

(1) In Formulis I et II sub n. 8 datur facultas *dispensandi in impedimento criminis, neutro tamen conuige machinante; ac restituendi ius petendi debitum amissum.*

eretici, sebben divenuti eredi de' beni dei cattolici, ai quali era annesso il iuspatronato, presentino alcuno a quelle chiese e beneficî, quindi si trova del continuo soggetto alle maldicenze e molestie degli eretici colà in buon numero abitanti ; pertanto chiede se sia espediente permettere che gli eretici godano il iuspatronato annesso ai beni dei cattolici dei quali sono divenuti eredi, e quindi che presentino alle chiese o beneficî che appartengono alla loro eredità.

R. Respondendum esse Episcopo postulanti iuxta mentem, videlicet, quod ad vitanda mala quae prudenter timere posset, toleret Episcopus et dissimulet patronos haereticos, ad quos devoluta sunt bona quibus adnexum est iuspatronatus, nominare ad beneficia eidem iuri obnoxia, dummodo nominent personas idoneas, et non aliter : et in hoc diligenter invigilet, et constanter resistat, si forte personas indignas contingat nominari. Praeterea caveat Episcopus, ne, quando huiusmodi nominatis institutionem dare debebit, ullam faciat mentionem praesentationis ab haeretico factae, sed personam ab illo praesentatam proprio ordinario iure eligat atque instituat.

465

An infantes haereticorum filii domi baptizari possint.

S. C. S. Off. *21 Ian. 1767* – Siam – 1. Circa baptismum infantium, quem pro filiis suis aliquando petunt haeretici, iam definitum est eos non esse domi baptizandos sine necessitate : haec adhuc difficultas remanet, an sola voluntas parentum pro necessitate haberi debeat : sunt etenim hac haeresi imbuti, Baptisma non esse simpliciter necessarium ad salutem animae, maluntque filios suos exponere periculo moriendi sine Baptismo, quam consentire ut deferantur in templum catholicorum. Quaeritur a Religiosis lusitanis, an praeter mortis periculum non possit accipi pro vera necessitate obstinata parentum haereticorum voluntas non permittendi ut filii sui in ecclesiam deferantur.

2. Solent confratres Rosarii in campo lusitanorum dare pecuniam Confraternitatis mutuo, retento pignore superabundanti, et ex ea pecunia lucrum quindecim pro centum accipere quotannis. Volui (ego Vic. Ap.) hunc abusum impedire, (at) nondum potui quia dominicanus praetendit hanc pecuniam non oppignorari nisi christianis, qui omnes sponte solvunt usuram ad sustinenda Confraternitatis opera.

R. In Cong. Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram SSmo Domino Nostro Clemente PP. XIII, et coram Emis et Rmis Dñis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis, relatis dubiis a Vicario Apostolico Siami propositis Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, et ab eadem ad S. Officium remissis, SSmus Dñus Noster Clemens PP. XIII, auditis EE. DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum suffragiis, decrevit quod detur super utroque dubio Instructio hic adnexa, ab eadem Sanctitate Sua benigne probata.

Instructio. — Dubium de administratione Baptismi parvulis recens natis ex haereticis progenitoribus falso niti principio scilicet quod eos domi tantum baptizare non liceat extra mortis periculum, bene vero in ecclesia, si ad eam pro Baptismi susceptione deferantur. Quoniam vero ex hac falsa persuasione periculum imminet graviter delinquendi nedum adversus ecclesiasticam, sed etiam divinam legem, qua subiectum praescribitur, cui non licet administrare Baptismum; idcirco praesentem Instructionem exarari iussit (SSmus) praefato R. P. D. Vicario Apostolico transmittendam, quatenus, eâdem missionariis isthic degentibus communicata, singuli veram causam addiscant, propter quam pluries ab Apostolica Sede definitum est, non licere filiis ex haereticis parentibus natis Baptismi sacramentum extra periculum mortis, administrare atque in posterum caveant a sollicitandis parentibus haereticis ut filios suos ad ecclesiam baptismo initiandos deferant.

Prohibet quidem Ecclesia, *Clementina unica de Baptismo,* ne, articulo necessitatis excepto, *propter quam nequeat ad ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi,* domi baptizentur infantes, nisi sint magnorum principum filii ; verum hac lege, qua locus indicitur administrandi Baptismum, nihil statuitur de filiis ex haereticis parentibus natis, quod aliunde constat neque domi, neque in ecclesia, si bene valeant, posse a catholicis baptizari, scilicet, cum divino ac naturali praecepto interdictum sit *sancta dare canibus et proiicere margaritas ante porcos,* atque inter catholicae religionis mysteria maxime sancta sint ac utilia Sacramenta, per quae merita passionis D. N. Iesu Christi communicantur, et omnis vera iustitia in nobis vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, non licet ista dare canibus, idest profanis, qui cum primum per aetatem poterunt, ea contempturi sint suoque vitio corrupturi. Atqui nemo non videt filios ex haereticis parentibus genitos, qui suorum genitorum curae ac educationi permittendi sunt, cum primum ad discretionis aetatem pervenerint, in quo suorum actuum compotes esse possint, paternis erroribus fore imbuendos ; et fidem catholicam, quam per sponsores in Baptismo profiteri debent, sacrilege eiuraturos ad maiorem sui condemnationem, et catholicae Ecclesiae in qua regenerati sunt graviorem contemptum. Hac itaque de causa non licet eos in infantili aetate extra mortis periculum baptizare, et ministri catho-

lici contra fidelis dispensatoris officium peccant, qui eosdem ad suscipiendum Baptismum admittunt. Nullatenus ergo moveantur missionarii ad procurandum praedictis filiis Baptisma, quamvis futurum sit, ut hoc Sacramento perpetuo careant errore parentum, quo illud minime necessarium arbitrantur ad aeternam salutem consequendam. Equidem nec illis prodesse potest Baptismus, apostatis a catholica fide, usu rationis accepto, mox futuris, nec sanctitas Sacramenti patitur, ut cum manifesto profanationis periculo eisdem conferatur. Instante vero mortis periculo, aut quolibet valetudinis vitio infecti praedicti parvuli, quo prudenter decessuri credantur antequam annos discretionis attingant, non modo licet, sed sollicite curare debent missionarii, ut sacramento Baptismi tempestive regenerentur, non solum in ecclesia sed etiam domi, si parentes obfirmata voluntate nolint eos ad ecclesiam deferri; tunc enim cessat proximum perversionis periculum, atque aeternae saluti infantis necessario remedio, citra culpam, imo etiam cum merito ministri, prospicitur. Quotiescumque tamen in domibus haereticorum Baptismum eorum infantibus, ut supra periclitantibus, administrare contingat, solemnitates omittant, quae ad Sacramenti substantiam non pertinent; nam ecclesiastica regula cautum est ne coram haereticis in eorum domibus adhibeantur.

Ad alterum vero dubium quod spectat de mutuo sub certa usura dato a Confratribus ssmi Rosarii: Sacra Congreg. moleste accepit esse isthic aliquem ex religiosis missionariis, qui hanc opinionem foveat, licere scilicet Confraternitati praedictae mutuam dare pecuniam pacto lucro 15 pro quolibet centenario in annos singulos, donec integra restitutio fiat sortis principalis, ex ea ratione quod pecunia non oppignoratur nisi solis christianis qui usuram sponte solvunt ad sustentanda onera Confraternitatis. Quantum enim infirma sit haec ratio et inepta ad purgandum ab usurae labe lucrum, quod exigitur, nemo non sentit qui de usurae vitio aliquid cognovit: equidem quod pecunia solis christianis oppignoretur, usurae culpam non tollit, sed aggravat, cum adversus domesticos fidei exerceatur, ad quos maxime, Apostolo docente, tenemur operari bonum. Quod vero isti usuram sponte solvant, temere, ac verius, falso asseritur, quoties in ipsa stipulatione mutui pactum intercedat de lucro solvendo, vel scripto vel oretenus conventum. Denique non excusat quod lucrum perceptum ad sustentanda Confraternitatis onera impendatur: sicut enim non licet furari ad erogandam eleemosynam, ita neque usuras exercere ad Confraternitatis onera sustentanda. Neglecta proinde ratione quam dominicanus adduxit, S. Congregatio mandat Praefecto Missionum, ut diligenter inquirat utrum in stipulatione contractus mutui a Confraternitate praedicta huc usque adhibita, pactum vel conventio, scripto, aut oretenus a mutuatario facta intercesserit de quolibet lucro propter mutuum pendendo; vel etiamsi nihil in stipulatione conventum fuerit, vigeat tamen consuetudo aliquam usuram solvendi propter mutuum, quae obligationem importet; in his omnibus casibus, si nullus alius titulus concurrat mutuo extrinsecus, ex quo iusta ac legitima causa consurgat aliquid supra sortem exigendi, omnino prohibeat, ac usurarium esse declaret lucrum inde perceptum, adeoque etiam restitutioni obnoxium.

466

De confirmandis in fide ad eam denegandam iam paratis.

S. C. S. Officii *21 Maii 1767* – Fokien. – An, si aliquis christianus coram mandarino positus, et metu tormentorum iam paratus esset ad denegandam fidem adorando idolum, vel conculcando sanctas imagines Iesu Christi, B. Virginis et Sanctorum; alter christianus ibi praesens vidensque suum fratrem in hoc proximo periculo, teneatur ex praecepto ei subvenire et auxilium praebere, eius animum confortando.

R. SSmus auditis Emorum suffragiis decrevit eos omnes qui ex officio, videlicet Archiepiscopi, Episcopi, parochi, atque etiam missionarii, quibus in defectu parochorum animarum cura incumbit, teneri confirmare fratres in fide; non excusari in casu, de quo agitur, ob solam propriae fidei infirmitatem. Quoad vero christifideles, qui teneantur vel non teneantur, consulant theologos in casibus particularibus.

467

De baptismo administrato cum prava intentione.

S. C. S. Officii *4 Aug. 1768.* — N. sacerdos baptizaturus infantem, intra se dixit: *Non intendo facere quod facit Ecclesia,* hanc opinionem ut tutiorem tenens ac defendens. Quaeritur an praedictus infans rebaptizandus sit; itemque favore eiusdem sacerdotis preces pro absolutione a censuris porriguntur, quotiescumque existimetur in eas incurrisse.

R. SSmus decrevit: Puerum, de quo supra, secreto ac privatim, nec non sub conditione rebaptizandum esse; sacerdotem vero absolvendum a censuris; et ab irregularitate ad cautelam dispensandum.

468

An dare liceat in fidelibus Sanctorum reliquias.

S. C. S. Officii *11 Aug. 1768* — Scopiae — Se sia lecito dare e portare ai turchi le reliquie de' Santi.

R. Respondendum iuxta Instruct. *11 Decembris 1749 (V. n. 374).* In hac autem exponitur licitum esse presbyteris catholicis adire domos turcarum, ibique benedicere infirmos et orare super eos pro sanitate corporis et pro

illuminatione mentis. Non autem esse licitum relinquere in eorum manibus, ut dicitur, *brevia* (italice *brevetti*) quando adest periculum ut irreverenter tractentur et eiiciantur; secus vero si missionarii credant non adesse contemptum, et reverenter uti eisdem. Advertantur tamen missionarii ne in huiusmodi brevibus contineantur reliquiae sanctorum, res intinctae sacro chrismate, et multo minus si contineant vel immixta sint verba, signa crucis vel characteres quae inducere possint infideles ad actus superstitiosos. Insuper: *che le orazioni, benedizioni od altre divozioni, che si daranno dai preti cattolici ai turchi, si diano sempre gratis senza il minimo emolumento.*

469

De Indulto Pauli III circa ieiunia.

S. C. de Prop. F. *12 Dec. 1768* (C. P. PRO SIN.) — Si farà avvertire (al Vic. Ap. del Tonkino Occid.) che l'Indulto di Paolo III *(V. n. 114)* non concede altro che il poter cibarsi più volte al giorno nei dì di digiuno, eccettuati però alcuni giorni, fra i quali le Ferie VI di Quaresima, ma non dà la facoltà di potersi cibare di carne nei giorni di digiuno, se non per quei luoghi ove vi sia qualche altro particolar privilegio, come sarebbe quello della Crociata.

470

Circa usum ciborum idolis oblatorum.

S. Cong. S. Officii *15 Decem. 1768.* — Cum christiani (in Sinis), numero pauci, non possint quin saepe utantur gentilium consortio, reperiunt se quotidie ad mensas eorum, et convivia; quia autem pagani habent pro more, ut cibos non solum directe ad cultum idolorum, sed et ad comestionem ordinariam familiae praeparatos idolis offerant, apponantque indifferenter super mensam: christiani qui ibi sedent timidi indifferenter quoque comedunt, quia esset sibi rubor, et gentilibus iniuria si cibis appositis uti recusarent. Quaeritur ergo:

1. An possint isti christiani de istis comedere quando non est datum scandalum.

2. An possint et christianae uxores gentilium quae, nisi comedant, maledictis, iniuriis, et interdum ictibus impetuntur.

3. An possint et ipsaemet uxores, partu aliisque infirmitatibus praepeditae, in quo casu necessarius est usus carnium, nihil enim aliud offertur quam carnes idolis oblatae.

4. An possint operarii christiani, qui ut familiam suam sustentare valeant, tenentur saepe pro gentilibus laborare, eisque nonnisi semel intra hebdomadam offeruntur carnes, aut alii cibi, sed idolis oblati. Si autem isti omnes denominati prae debilitate, et timiditate prohibitioni cibis istis utendi non obediant, debentne a Sacramentis arceri?

R. Relato praemisso dubio ex Synarum Imperio Sacrae Congr. de Prop. Fide proposito et ab eadem ad S. Off. pro resolutione remisso SSmus D. N. auditis Emorum DD. Cardd. Gen. Inq. suffragiis decernit licitum esse comedere epulas indifferenter appositas, quamvis idolis oblatas, dummodo non in templo neque in loco idolis sacro, et dummodo omnis absit species cultus aut venerationis idolis, ac superstitionis, nullumque adsit periculum scandalizandi fideles vel infideles.

471

De baptizandis natis a patre gentili.

S. C. S. Officii *12 Ian. 1769* – SUTCHUEN. — Num baptizandi sunt infantes qui a matre catholica offeruntur, inscio vel invito patre gentili?

R. Servet regulas praescriptas a s. m. Benedicti XIV in sua Constitutione quae incipit: *Inter omnigenas. (V. n. 345).*

472

Circa facultatem dispensandi super impedimento *disparitatis cultus.*

S. C. S. Officii *12 Ian. 1769.* — SSmus (Clemens XIII) decrevit transmittendam esse Vicario Ap. Sutchuensi postulanti sequentem Instructionem: — Ut dubiis quae a Sinensi provincia Sutchuensi transmissa fuerunt ad S. C. de Prop. F. clara ac distincta dari possit responsio, necessarium duxit S. C. S. Off., ad quam remissa fuerunt, postulata circa facultatem dispensandi super impedimento disparitatis cultus ad nonnulla capita redigere.

I. Circa loca in quibus eadem dispensandi facultate uti debet, non dubium est quod in locis, ubi sunt plures infideles quam christiani, iure optimo dispensatio concedi possit; animadvertendum tamen est quod, cum missionarius habeat etiam facultatem dispensandi super impedimentis consanguinitatis et affinitatis, faciliorem se praebere debeat in huiusmodi dispensationibus concedendis, si hac ratione matrimonia inter catholicos iungi possunt, potius quam in dandis dispensationibus super disparitate cultus, ad effectum ut catholici cum infidelibus matrimonia contrahant.

II. Si matrimonia iam inita fuerint inter catholicos et infideles sine praevia dispensatione impedimenti disparitatis cultus, tunc missionarius sequenti modo se gerat; curet nempe:

1. Ut eae dispensationes non nisi vere catholicis indulgeantur, et ubi coniux in infidelitate remanens baptizari renuit.

2. Ut tunc solum concedantur, cum ex separatione gravia praevidentur incommoda secutura.

3. Et eaedem dispensationes gratis omnino et absque ulla prorsus mercede impertiantur.

4. Ut in concessione, coniugi catholico commendetur atque iniungatur catholica quo-

que prolis educatio, et quod curare debeat, modo quo fieri poterit, coniugis infidelis conversionem.

5. Ut easdem dispensationes impetrantes instruantur super necessaria renovatione consensus, quae ad persecutiones et ad scandala declinanda, sat erit ut inter solos coniuges privatim habeatur, patefacta tamen, quoad fieri poterit, etiam parti infideli prioris matrimonii nullitate.

6. Ut hac eadem sibi indulta facultate missionario extra suae Missionis fines uti minime liceat.

III. Si vero matrimonia contrahenda sint, distinguendum est, num dispensationem praefati impedimenti petant qui iam adulti sunt, et in hoc casu missionarius sese conformet omnino iuxta tenorem facultatum sibi concessarum et iuxta Instructionem Sacrae Congregationis de Propaganda Fide (1). Si vero dispensationem petant parentes pro filiis vel filiabus impuberibus, ut eos desponsent filiis infidelium, iuxta morem regionis, abstineat omnino missionarius a concedenda dispensatione; sed tunc solum illam largiatur, cum ambo sponsi ad annos pubertatis pervenerint, et mutuum consensum praestiterint, servatis semper conditionibus in praefata instructione contentis.

Quo vero ad aliud dubium (Vicarii Apost. Sutchuen.) circa parentes christianos qui citra ullam dispensationem filias suas collocant in matrimonium cum gentilibus, (SSmus) decrevit ut servetur decretum S. Cong. datum die 18 Nov. 1745 quod hisce terminis concipitur: *Graviter esse reprehendendos... (V. n. 377).* Missionarius instruatur ut, adimpletis exacte omnibus quae in eodem decreto praescribuntur, poenitentes ad sacramenta admittere non differat, praesertim si praevideat dilationem futuram cum periculo pereundi absque sacramentis.

Quoad particularem casum puellae viginti annorum (pagano olim a parentibus desponsatae) quae petit Baptismum: si puella adhuc baptizari cupiat, si probe fuerit edocta de mysteriis christianae fidei, si parata a pactis sponsalibus cum gentili resilire, quatenus dispensationem super disparitate cultus obtinere nequeat, baptizari poterit a missionario. Dispensationem autem super disparitate cultus pro contrahendo matrimonio cum gentili cui fuit desponsata, tunc largietur missionarius cum illae conditiones concurrent quas exigit Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide ad Vicarium Apost. Sutchuensem (seu Fokien. *V. n. 435*).

473

De dispensatione super festorum observantia quoad opera servilia.

Instr. S. C. S. Off. *13 Iulii 1769* (AD VIC. AP. SUTCHUEN.). — Essendo stati riferiti avanti la Santità di N. S... i dubbi da V. S. proposti alla S. C. di Prop. Fide sull'osservanza delle feste (2), la Santità Sua ha risoluto che fra i cattolici della Provincia di Sutchuen dee aver luogo l'Indulto di Paolo III dato per le Indie Occidentali l'anno 1537, giacchè ne fu fatta l'estensione anche alla Cina con decreto della medesima S. C. di Prop. dei 20 Marzo 1685. *(V. n. 229).*

Commiserando inoltre la Santità di Nostro Signore le circostanze, e la situazione di queste cristiane popolazioni, la povertà della maggior parte delle medesime, pur degni quei fedeli riconoscendo di tutta la più pietosa paterna sua benevolenza, come germi novelli della cattolica Chiesa, bisognosi ancora di esser nutriti di latte alle sue mammelle, e finalmente avendo anche riguardo alla consuetudine introdotta, concede la facoltà, per dodici anni, a V. S. come Vicario Apostolico di codesta provincia di Sutchuen, e suoi successori, communicabile a tutti i missionari del suo distretto, di dispensare tutti i cristiani a loro subordinati, a potere applicarsi in opere servili anche nei giorni di Domenica, e nelle altre feste di tutto l'anno, quando l'agricoltura, o la mercatura così esigessero, secondo l'arbitrio e coscienza de' medesimi missionari, che ne rimane incaricata: ben inteso però che debbano osservarsi le condizioni dallo stesso missionario postulante proposte, cioè la mattina delle Domeniche ed altre feste debba esser esente dall'opere servili; e che soltanto dal mezzogiorno fino alla notte

(1) Instructio quae modo S. C. de Propaganda Fide ad missionarios transmittit, ea est quae data fuit die 15 Novembris 1858 iussu Pii PP. IX *(V. n. 1169).*

(2) Vicarius Apost. Sutchuensis Sacrae Congreg. de Propaganda Fide haec exposuerat: « Inter decem « Dei praecepta adverti esse tertium ad quod observandum minus proclives sunt sinenses debiles in fide. « Statim ac perveni in Su-Tchuen nihil certe omisi « quo sinenses christiani huic mandato obtemperarent; « at comparata magis ac magis experientia, probe « novi quod ut intentum haberem, hoc opus et labor esset. Praeterea advertens ubique plures debitis « onustos, pluresque multo pauperes quam divites intra multitudinem gentium conversantes: gemensque « amare quod in tanta messe tam pauci adessent operarii qui christifideles in occupationibus spiritualibus « diebus Dominicis et festivis retinerent, iudicavi ob « eiusmodi rationes consultius tolerare ut ordinariis « praedictis diebus isti christiani rudes et pauperes in « maiori parte vacarent laboribus servilibus a meridie « usque ad noctem, eoque ad observantiam diei non- « nisi a mane ad meridiem usque, eos dumtaxat ad- « stringere; exceptis tamen diebus Natalis Domini, « Resurrectionis, Pentecostes, et Assumptionis B. M. V. « quorum festorum observantia totius diei ita praescripta est ut denegentur quidem sacramenta refraganti- « bus. Hanc agendi rationem fideliter expono ut, siquis « error irrepserit, emendationi promptae, si mandetur, « cito consulam ».

possano i cristiani incombere alle medesime. Che nelle quattro solennità di Natale, Pasqua, Pentecoste, e dell'Assunzione della SS. Vergine non possa aver luogo veruna dispensa pel lavoro, neppure nelle ore dopo il mezzogiorno. Finalmente che si esortino i fedeli a compensar questa condiscendenza della Chiesa che mostrasi verso di coloro così pietosa ed indulgente, con qualche pia meditazione, od orazione, o altro spirituale esercizio in quei giorni in cui saranno dispensati (1).

474

De illicita contributione pro aedificandis aut reficiendis templis idolorum.

S. C. S. Officii *16 Nov. 1769* – Sutchuen. — Expertus fui (ego missionarius N.) pluries difficultatem quam christiani superandam habent, ne scilicet conferant ullatenus superstitiosis. Modo enim prodit diploma praetoris quo mandatur ut quisque de plebe conferat aliquid argenti, vel ad construendum aut reficiendum templum, vel ad sacrificia idolis facienda. Quisque autem refragans, alligatus percutietur, et, si sit christianus, post ictus ad apostasiam compelletur. Modo septem vel octo superstitionibus a communitate praepositi veniunt exactum paululum argenti a christianis, qui, si recusent, vestibus exuuntur, aut res vi rapiuntur, aut ictibus impetuntur.

Quoad praetoris exactionem, quidam Illmus Episcopus et Vicarius Apostolicus Provinciae Fokien. in Sinis, consultus olim, respondit christianos posse conferre non quidem ratione superstitionis, sed potius ratione iuris quod habet praetor exigendi tributa.

Quod autem speetat exactores a communitate constitutos, probe novi missionarios antiquos permisisse christianis conferre modicam summam, ea tamen conditione, ut non inscriberentur nomina eorum in catalogo conferentium et fieret insuper protestatio a christianis, se nimirum non conferre pro superstitiosis, sed potius se conferre quasi munus exactoribus, ut possint inter se convivari, ut tandem hoc modo christiani debiles se possint a vexationibus et molestiis redimere...

Non obstantibus tamen eiusmodi decisionibus, fateor me semper anxiam habuisse conscientiam; ideo ut securius agere valeam, tutius censui consulendum circa eiusmodi casus etc.

R. In proposito casu non licere. Scribendum esse missionario postulanti, quod secundum ea quae in casu proponuntur, tam praetor in edicto, quam superstitiosis a communitate praepositi, pecuniam a christianis exigunt, vel ad construendum aut reficiendum templum, vel ad sacrificia idolis facienda, et christiani praeterea sciunt quidquid ab eis solvitur in eam causam esse erogandum. Itaque minime laudandum illum Vicarium Apostolicum provinciae Fokien. qui olim respondit christianos posse conferre, non quidem ratione superstitionis, sed potius ratione iuris quod habet praetor exigendi tributa; neque antiquorum missionariorum sententiam sectandam, qui permittebant christianis conferre modicam summam, ea tamen conditione ut non inscriberentur nomina eorum in catalogo conferentium, et fieret insuper protestatio a christianis se nimirum non conferre pro superstitiosis, sed potius conferre quasi munus exactoribus, ut possint inter se convivari. In utroque enim casu, quidquid solvitur, pro superstitiosis solvitur; haec causa proponitur in praetoris diplomate; ad eumdem finem, suique etiam ratione muneris exigunt imperatam pecuniam viri illi qui a communitate sunt praepositi superstitiosis. Qualiscumque igitur esset solventis animus, quaecumque etiam oris protestatio, si quis praetori, si viris illis pecuniam penderet, iam facto demonstraret se aliquo modo superstitiosis cooperari, quod christianis nefas est et summum scelus, nec etiam pro vitae incolumitate perpetrandum.

475

Circa causas dispensationis ab interpellatione coniugis infidelis.

S. C. S. Officii *23 Nov. 1769* – Chensi et Chansi — 1. An sub nomine legitimi impedimenti, per quod dispensatur coniux fidelis ab interpellatione coniugis infidelis, veniat sola praesumptio impudentiae viri, qui, sicut prima vice uxorem vendidit, timendum videtur ne, eadem recuperata, secundo etiam vendere audeat.

2. An veniat sola praesumptio quod pars infidelis nolit redire, quia scilicet in praecedenti cohabitatione, vel ob diversitatem temperamentorum, vel aliis ex causis, ambo inter se discrepabant, continuisque agitabantur dissensionibus.

3. An veniat sola praesumptio quod maritus infidelis, ex eo quia iam transiit ad alias nuptias, nolit reiicere secundam uxorem ut primae rursus adhaereat; vel, si forte velit rursus suscipere primam, nolit tamen reiicere secundam sed ambas simul retinere.

4. An veniat solus timor christianorum ne scilicet pars infidelis, ob interpellationem illi factam intelligens tali in loco haberi christianos,

---

(1) Inter facultates extraordinarias quae modo concedi solent Vicariis App. Sinarum et Regnorum adiacentium, quaeque recensentur in Formula *b*, est sequens: « Dispensandi cum catholicis pauperibus qui opera sua « valde indigent, ut serviliter laborare valeant diebus « Dominicis et festis, post tamen S. Missae auditionem, « si possit audiri; si vero non possit, recitatis preci- « bus suppletivis; exceptis diebus Paschae, Pentecostes, « Nativitatis D. Iesu, Assumptionis B. M. V. Cum iis « vero qui opera sua non indigent, dispensandi ut ser- « viliter laborare possint post meridiem iisdem diebus, « exceptis quatuor solemnitatibus supradictis ».

possit exinde christianae religioni molestiam afferre.

R. Ad 1. 2. et 3. Negative.

Ad 4. In huiusmodi casu consulatur Sedes Apostolica.

476

Non licet cibos idolis aut defunctis offerendos praeparare.

S. C. S. Officii *15 Dec. 1769* – Sutchuen. — Pagani, 1 et 15 die mensis cuiusque, in fine et initio anni sinici, in anniversariis defunctorum, aliquando semel aut ter in anno, offerunt, directe vel indirecte, sacrificia aut idolis aut defunctis: mulieres autem christianae uxores eorum, quorum officium est culinae gerendae, iubentur ut cibos ad hoc necessarios praeparent. Istae vero mulieres metu ictuum, maledictorum et iniuriarum obediunt... In responsione S. C. ad Vicarium Ap. Provinciae Chen-si consulentem, legi tolerari posse in istis mulierculis praeparare cibos ad comestionem familiae destinatos, cum protestatione se agere pro comestione familiae, non autem pro idolo; S. autem C. nihil decrevit circa cibos qui primario et directe ad idolum diriguntur. Occurrit mihi (Vic. Apost.) aliquando talis mulier confitenda; a me vero prius interrogata circa dictos modo cibos, respondit se non posse quin indifferenter praeparet, cum esset domi sola et unica mulier cuius maritus gentilis esset superstitiosus valde et iracundus. Advertens igitur ego huius mulieris debilitatem, absque Confessione cito remisi illam flentem amare eo quod in tanta ex utraque parte pressura esset constituta. Quaeritur ergo an istae mulieres, tantis oppressae angustiis, possent se salvare a superstitione quocumque modo in praeparandis cibis indifferenter, si faciant protestationem se non intendere pro idolis laborare, debeantque absolute sacramentis privari in casu quo praeparent cibos quos non possunt praeparare.

R. In proposito casu non licere christianis mulieribus, ad vitandam iram superstitiosi atque iracundi mariti, praeparare carnes quas sciant esse idolis progenitorumque spiritibus offerendas. Moneantur autem Vicarii Ap. et missionarii, quibus ab Apostolica Sede conceditur facultas dispensandi in matrimoniis super disparitate cultus, ipsis non licere ea uti quando periculum adsit perversionis coniugis fidelis. Quapropter caveant ut omnino et adamussim servent conditiones in formula indulti ipsis praescriptas, necnon declarationes et decreta hac de re a S. C. S. Officii alias edita, atque Episcopis et Vicariis Apostolicis in Regno Sinarum a S. C. de Prop. Fide superioribus annis transmissa. Cum vero, inter eas conditiones, ea praesertim servanda sit, quod omne absit periculum perversionis coniugis fidelis, si, quemadmodum in proposito casu, vir infidelis fidelem uxorem cogit ad praeparandos idolis cibos, iam illam ad peccatum mortale patrandum induxit. Itaque, antequam matrimonium contrahatur, si huiusmodi casus praevideri poterit vel ob nimiam superstitionem aut iram viri infidelis, dispensationes in hoc casu non sunt elargiendae.

477

De baptismo adultorum morti proximorum.

S. C. S. Officii *8 Martii 1770* — Mission. Loang et Kacong (Africae). — 1. Se in qualunque Regno, o la Religione vi si eserciti liberamente, o no, si possano battezzare gli adulti, che essendo in pericolo di morte non hanno tempo di essere istruiti, sebbene ne abbiano buona volontà, e possano solamente rispondere con un *sì* ad ognuno degli articoli di Fede, che vien loro proposto da credere come assolutamente necessario per esser battezzati, ovvero possono soltanto fare de' segni i quali indicano che credono quanto loro si dice, e che oltre la Fede hanno un gran dolore di aver offeso Iddio e un gran desiderio del Battesimo.

De baptizandis senibus memoria tardioribus.

2. Se si può amministrare il Battesimo ai vecchi, che non sono moribondi, nè malati, quando lo desiderano, sebbene non possono ritenere a memoria le cose necessarie a sapersi, ma che per altro dopo averle intese assicurano che le credono, e le confessano come quelli che inutilmente si sforzano di loro farle imparare.

De baptismo amentium.

3. Se i mentecatti di nascita, o divenuti tali avanti l'uso di ragione possano essere battezzati, sebbene materialmente essi vadano ora alle chiese dei cattolici, ora ai tempî ed idoli e facciano esteriormente tutte le ceremonie dell'idolatria come fanno quelle della Religione Cristiana.

R. SSmus auditis etc. decrevit: Affirmative in omnibus, et praeterea iussit ut quoad primum et secundum dubium moneantur missionarii ut caveant ne baptismus ab infirmis petatur potius ex superstitiosa concepta spe obtinendi per salutare lavacrum salutem corporis, quam spiritualem animae regenerationem. Pariter animadvertant, quod si adulti, de quibus quaeritur, a mortali infirmitate post susceptum Baptismum convalescant, tenentur missionarii pro virili parte in Fidei rudimentis imperitos instruere, et si senes tardiores memoria fuerint, iteratis instructionibus eorum succurrant imbecillitati. Quoad 3. dubium addidit, a missionariis curandum esse quantum fieri poterit, ne dementes de quibus in eodem dubio, ingrediantur templa idolorum, et ab idololatrarum coeremoniis se abstineant.

478

De adsistentia catholicorum concionibus, baptismis et matrimoniis acatholicorum.

S. C. S. Officii *10 Maii 1770* – Smyrn. – An liceat catholicis, baptismis protestantium et eorum concionibus interesse, nec non matrimoniis et baptismis graecorum, in quibus per se,

vel per alios aliquando etiam officio patrini funguntur.

R. Catholicis regulariter non licere haereticorum aut schismaticorum concionibus, baptismis et matrimoniis interesse. Absolute autem non licere, nec per se nec per alios, fungi officio patrini in baptismis qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur.

479

Circa dispensationem a ieiunio et abstinentia in casu coincidentiae exordientis anni sinici seu annamitici cum diebus abstinentiae.

S. C. S. Officii *12 Iulii 1770* – Vic. Ap. Fokien. — Cum sequenti anno secunda dies lunae primae sinensis incidat in diem Cinerum, ortum est dubium inter istos Patres missionarios, et ab ipsis interrogatus sum: An sinenses illo die teneantur ieiunare et a carnibus abstinere? Cum autem videam in kalendario perpetuo, facto et characteribus sinensibus impressioni mandato a missionariis antiquis, hanc notam: *Quod si prima luna sinensis inciderit intra Quadragesimam, non obligantur sinenses a carnibus abstinere, nec ieiunare ultima die ultimae lunae, et duobus primis diebus primae lunae,* infero hanc consuetudinem esse in hoc Imperio approbatam et publicatam a missionariis antiquis; quod quidem kalendarium multi sinenses prae manibus habent, ut sciant qualibet die de quo Sancto celebrat s. Mater Ecclesia. Non ausus sum contra hanc consuetudinem respondere. Pro sequentibus annis supplico ut S. C. dignetur respondere, an reprobanda et eradicanda sit talis consuetudo vel toleranda; et si reprobanda est, dignetur ad nos mittere reprobationis decretum.

R. Dentur decreta alias edita, et scribatur Vicariis Apostolicis utriusque Tunkini, necnon Vicario Apostolico Fokiensi, ut incumbant executioni eorumdem decretorum, et certiorem reddant S. C. an in eadem executione procuranda proficiant. Curent praeterea ut a kalendario deleatur nota quae in eo legitur, videlicet primis tribus diebus novi anni dispensatos esse christifideles ab abstinentia a carnibus, si iidem dies in Quadragesimam incidant.

480

Circa varios modos baptizandi pueros filios infidelium morti proximos.

S. C. S. Officii *8 Nov. 1770* — Mission. Loang et Kacong (Africae). — 1. Se nel caso che i re e i popoli siano contrarî alla propagazione del Vangelo, possa amministrarsi il Battesimo ai fanciulli moribondi con strofinare la loro fronte dalla parte davanti solamente o qualche altra parte considerabile, con una sponga imbevuta d'acqua, senza versarne sopra, per timore che i genitori i quali hanno fatta opposizione, e osservano da vicino i missionarî, se ne accorgano.

2. Se in quei regni nei quali i genitori si oppongono al Battesimo de' loro figliuoli per l'opinione in cui sono talvolta gl'idolatri che il Battesimo li faccia morire, possano battezzarsi in pericolo di morte col servirsi d'acqua in cui si saranno poste delle quintessenze, o degli odori forti, oppure alcune droghe, come il zafferano, o polvere di qualche altra specie per indurre cambiamento nel color naturale senza alterarne la sostanza, e con farne uso come se fosse un rimedio, o sia a guisa di docciatura, con versare l'acqua sopra una parte o sopra la testa, o sia in maniera di bagno, o sia per lavare o pulire il fanciullo, ovvero per rinfrescargli gli occhi, o nettargli le piaghe, o ancora con dargliela a bere, oppure in qualche altra maniera a guisa di rimedio, come se ciò fosse effettivamente, ma sopra tutto principalmente per battezzarlo, pronunziando sotto voce la forma del sagramento.

R. Considerati dalla S. C. del S. Offizio i proposti dubbî, la medesima è stata di sentimento di dover primieramente inculcare ai missionarî il grave obbligo, che hanno di uniformarsi al Rituale Romano eziandio nella privata collazione del Battesimo, e di non recedere da esso per quanto possono.

Nel caso peraltro di estrema e vera necessità, in cui è imminente la morte del fanciullo, nè ai missionarî può darsi altra e più commoda occasione di visitarlo, e i genitori sono al Battesimo avversi, come si espone nei dubbi, possono, anzi debbono in tal caso i missionari servirsi di materia prossima e remota, quantunque dubbia, dovendo prevalere al pericolo della invalidità del sagramento il soccorso, quantunque incerto, alla spirituale generazione del fanciullo. Quindi è, che, toltone il modo di dare il Battesimo per modo di bevanda, che pare si accenni nel secondo dubbio, il quale è certamente illecito ed invalido sarebbe il Battesimo così conferito; e tolto ancora l'uso di acque odorifere o essenze in cui la sostanza dell'acqua sarebbe alterata, tutti gli altri modi espressi nei diversi dubbi possono e debbono essere adoperati nel caso dell'allegata estrema necessità, e non altrimenti; su di che s'incarica la coscienza dei battezzanti; avvertendoli ancora, che in questi casi procurino sempre che qualche porzione di acqua scorra sul capo, se è possibile, e non potendosi in verun modo sul capo, scorra almeno su qualche principale parte del corpo del fanciullo. — Inoltre avvertano che in caso che questi fanciulli così battezzati, con dubbio della validità del sagramento, riacquistassero la sanità, cerchino ogni miglior modo i missionari di battezzarli di nuovo *sub conditione,* e d'istruirli.

481

De apostatarum in Sinis reconciliatione.

S. C. de Prop. F. *28 Dec. 1770* (C. P. pro Sin.). — Alla richiesta che fa l'alunno

G. Tai come debbano regolarsi i missionarî nell' ammettere alla comunione della Chiesa quelli che hanno apostatato dalla fede nella seguita persecuzione, si risponderà che dovrà regolarsi a tenore del decreto del 1629, e nel tempo stesso si avvertirà che non è stata generalmente approvata dalla S. C. la pratica, ch' egli ha asserito di tenere, di non ammettere alla Confessione i caduti pel timore che siano per ricadere in altra consimile occasione, poichè quando i caduti dessero sinceri segni di vero pentimento, non debbono escludersi affatto dai Sagramenti, e specialmente da quello della Confessione, lasciandosi però al di lui prudente arbitrio il regolarsi in vista delle circostanze nei casi particolari circa il differire l'assoluzione.

Decretum S. C. de Prop. Fide anni 1629 ita se habet: « Congregatio censuit apostatas » a Fide, redeuntes ad poenitentiam, omnino de- » bere abiurare apostasiam coram fidelibus ca- » ptivis, quibus dederunt scandalum, in propriis » carceribus publice et explicite. At coram in- » fidelibus non videtur hoc necessarium, sed » sufficit ut coram ipsis abstineant ab actibus » infidelitatis, deponantque habitum protestati- » vum falsae religionis, et curent ut progressu » temporis cognoscant etiam infideles, vel ab » ipsis vel ab aliis, eorum abiurationem, licet » id cum periculo vitae ».

482

De vetita librorum publicatione sine approbatione S. Congregationis.

S. C. de Prop. F. *28 Dec. 1770* (C. P. PRO SIN.). — S. Congr. decrevit nullo modo expedire ut in Imperio Sinarum et Regno Tunkini, scripta quaecumque, vel libri publicentur, sive de religione directe vel indirecte tractantes, sive disserentes de rebus ecclesiasticis, nisi praevio examine atque approbatione ipsius Sacrae Congregationis. Exceptas tamen ab hac lege declaravit parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac preces, quae fidelium usui quotidiano inserviunt; sub ea nihilominus conditione ut in vulgus spargi non possint, nisi prius eas Episcopi respectivi locorum, seu Vicarii Apostolici viderint atque in lucem permiserint emitti.

483

De acceptis et expensis ratio a missionariis reddenda.

S. C. de Prop. Fide *16 Sept. 1771* (C. G.) — Referente Em. Card. Bonaccursio Ponente, inter Minores Cappuccinos qui Missionem Thibetanam exercent, huiusmodi abusum invaluisse ut neque simplices missionarii, neque hospitiorum superiores nullam reddant P. Praefecto rationem de acceptis et expensis, contra id quod postulat boni regiminis ordo, et ratio Missionis facilius sustentandae, S. Congregatio censuit ac declaravit eosdem teneri ad rationem reddendam quolibet anno, ac etiam toties quoties requisiti fuerint a P. Praefecto, tam de pecuniis quam de rebus omnibus quae vel per eleemosynas fidelium, vel alio quocumque titulo ipsis obvenerint; voluit insuper ut ad id praestandum per censuras compelli atque adigi possint.

484

Quonam kalendario uti debeant missionarii proprium non habentes.

S. C. de Prop. Fide *16 Septemb. 1771.* (C. G.). — Cum missionarii (Cappuccini) Thibetanae Missionis nullius dioecesis sint, nec alicui Regno particulari subiecti, recitant Officia Ecclesiae universalis; ob quam causam semper eisdem dies aliqui vacui remanent, vel, ut dici solet, *De ea;* ideo supplicant ut se in recitatione Officii divini uniformare possint dioecesi romanae tamquam missionarii immediate subiecti Sacrae Congregationi, vel saltem ut dicere possint Officia Sanctorum quae recitantur in Italia, cum missionarii omnes sint Itali.

R. Missionarii, si nullum habeant proprium sui Ordinis kalendarium, romano potius utantur quam alterius cuiuscumque dioecesis.

485

De duplici Missa pro populo ali quando a parochis celebranda

S. C. de Prop. F. *17. Febr. 1772.* (C. G.). — Non teneri (parochos) nisi unam Missam pro populo offerre, quando secundam pro commoditate eiusdem populi in eadem parochia celebrant, ne scilicet fideles auditione Sacri priventur; teneri autem secundam Missam applicare pro populo cum duabus vel etiam pluribus parochiis praesunt, et secundam Missam celebrant pro populo diversae paroeciae.

486

De conditionibus, praesertim *urgentis necessitatis,* pro nonnullarum facultatum exercitio

S. C. de Prop. Fide *17 Febr. 1772.* — In facultatibus extraordinariis (Episcoporum Hiberniae) pro dispensatione in 2 et 3 gradibus tres ponuntur conditiones: 1. Ut personae contrahentes sint (eorum) dioecesanae. — 2. Ut urgens sit necessitas. — 3. Ut gratis concedatur dispensatio. — Quaeritur, si una ex his desit conditio, an dispensatio sit nulla.

R. Affirmative, ita tamen ut, quoad secundam conditionem, sub nomine *urgentis necessitatis* intelligatur comprehensa etiam vera ac momentosa utilitas quae causa sufficiens reputatur.

487

Circa iurisdictionem Patriarcharum orientalium.

S. C. de Prop. F. *17 Febr. 1772.* (C. G.). — 1. Utrum R. P. D. Patriarcha (Maronitarum) possit constituere procuratores in urbe A. ubi neque reditus neque ulla obtinet legata quae ad Sedem patriarchalem pertineant.

2. Utrum huiusmodi procuratores decorare

possit talibus privilegiis, quibus a proprii Episcopi iurisdictione eximantur.

3. An possit absolvere a censuris aliisque poenis ecclesiasticis alienos subditos, invito aut inconsulto proprio Episcopo.

4. An possit excommunicare aut alio modo punire Episcopum degentem in propria dioecesi, nisi prius in pleno concilio dignus tali poena censeatur.

5. An subditi Archiepiscopi A. tam ecclesiastici quam saeculares teneantur obedire mandatis atque ordinationibas D. Patriarchae, licet id Episcopo interdum non videatur expedire.

6. An liceat Patriarchae in contemptum Ordinarii interdicere presbyteris alienae dioeceseos praedicationem verbi Dei, ut huiusmodi munus a solo eius procuratore exerceatur.

7. An possit ad libitum expedire per dioeceses patriarchatus vicarios et visitatores cum facultatibus visitandi pastorem et gregem, idque non pro causa aut suspicione haeresis, sed propter aliquot abusus, aut inobservantiam ritus.

R. Ad 1. Affirmative ad formam Synodi Libanensis (1) et Litterarum Apostolicarum Benedicti PP. XIV (*Apostolica Praedecessorum* 14 Febr. 1742).

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Quoad censuras latas a iure, Affirmative; quo vero ad censuras latas seu declaratas ab homine: In gradu appellationis, servatis servandis.

Ad 4. Affirmative, praeviis monitionibus canonicis, aliisque servatis iure servandis.

Ad 5. Affirmative, ad formam Synodi Libanensis.

Ad 6. Negative.

Ad 7. Affirmative, iustis concurrentibus causis, et de consilio Fratrum Episcoporum seu Metropolitanorum, quos dicta Synodus (Libanensis) in rebus arduis et magni momenti, consulendos esse praescripsit.

488

Concessio facultatis impertiendi benedictionem cum indulg. plenar. *in articulo mortis*.

S. C. de Prop. Fide *5 Apr. 1772.* — Ne christifidelibus in locis Missionum in qualibet orbis parte degentibus, et in ultimo vitae discrimine constitutis, ea spiritualia auxilia desint, quae catholica pia mater Ecclesia filiis suis a saeculo recedentibus, solet misericorditer impertiri: Sanctissimus D. N. Clemens d. p. Papa XIV... Secretario Sacrae Congregationis de Prop. Fide referente in Audientia habita die 5 Aprilis 1772, pro eximia charitate, qua illos paterne complectitur, omnibus et singulis RR. PP. DD. Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Vicariis Apostolicis, nec non RR. Praefectis, seu Superioribus Missionum tam cleri saecularis, quam Regularis in locis Missionum, ut supra, modo existentibus, seu quocumque tempore extituris, peramanter concedit facultatem, impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria fidelibus praedictis ad extremum agonem redactis: cum ea etiam extensione, ut facultatem huiusmodi sacerdotibus, et respective missionariis, eorum iurisdictioni subiectis, pro locis tamen suarum dioecesum, vel pro Missionum districtibus tantum communicare possint, et valeant: dummodo in hac Benedictione impertienda servetur formula praescripta a san. mem. Benedicto XIV in Constitutione data 9 Aprilis 1747 quae incipit *Pia Mater* inferius registranda *(V. n. 361)*.

Quoniam autem facile continget, ut aliqui ex praedictis christifidelibus ex hac vita decedant, quin Ecclesiae Sacramentis fuerint muniti, et absque sacerdotis cuiuslibet assistentia: ideo Sanctitas Sua, ex ubere Apostolicae benignitatis fonte, etiam illis Plenariam Indulgentiam elargitur, si contriti nomen Iesu, corde saltem, invocaverint, et mortem de manu Domini, ea qua decet, christiana animi demissione, et spiritus humilitate susceperint, animamque in manus Creatoris sui commendaverint. Quae postrema decreti pars, ut christifidelibus omnibus innotescat, eam in suis dioecesibus ac Missionibus, Antistites et Superiores memorati identidem, et praesertim sanctae visitationis tempore, publicare curent ac satagant.

489

Concessio Indulgentiae plenariae pro Mission. Sinarum et Regnor. adiacentium.

S. C. de Prop. Fide *24 Maii 1772.* — Cum ad plenarias lucrandum Indulgentias necesse sit ut sacramentalis peccatorum confessio praemittatur, vel saltem, iuxta Indultum christifidelibus omnibus a sa. me. Clem. XIII sub die 9 Decembris 1763 concessum, omnino oporteat, ut qui eas consequi cupiunt, semel saltem in hebdomada ad hoc Sacramentum, nisi legitime impediantur, soleant accedere, et nullius lethalis culpae a se post peractam ultimam Confessionem commissae sibi conscii sint: per quod Indultum SS. D. N. Clemens d. p. PP. XIV, die 17 Maii currentis anni, declaravit fuisse derogatum quibuscumque aliis peculiaribus Indultis, etiam illis a sa. me. Clem. XII per organum S. C. de Prop. F. missionariis in regionibus infidelium degentibus concessis, acquirendi scilicet Indulgentias plenarias cum solo actu contritionis, et confessione in voto, quoties confessariorum copia desit: hinc S. Sua, animadvertens Episcopos, Vicarios Apostolicos et missionarios in imperio Sinarum, nec non in Regnis Tunkini, Siami, Cocincinae, Ciampae et Cambodiae commorantes, non raro confessariis carere, proindeque quamplurium Indulgentiarum,

(1) Synodus maronitica Libanensis habita est a. 1736, et a Bened. PP. XIV. approbata anno 1741.

praesertim certis statutisque diebus affixarum, adiumento destitui; inter innumeras pastoralis officii sollicitudines, huic incommodo consulere intendens, benigne eisdem, eorumque in perpetuum successoribus impertitur plenariam Indulgentiam, quater in anno lucrandam, in quacumque die, qua peccata sua fuerint confessi, Missam celebraverint, vel saltem sacram susceperint Communionem; dummodo tamen eadem die ferventes ad Deum pro sanctae fidei propagatione preces effuderint.

Christifidelibus vero utriusque sexus in dictis Regnis existentibus, idem SS. D. N. praefatam plenariam Indulgentiam bis in anno in perpetuum concedit, quatenus et ipsi suprascripta opera fideliter religioseque adimpleant.

Per hanc autem Indulgentiarum concessionem eadem S. S. non intendit aut revocare, aut irritas declarare alias quascumque Indulgentias vel a se, vel a praedecessoribus suis concessas, vel in posterum concedendas, quas, non omissis caeteroquin operibus iniunctis, supradicti Episcopi, Vicarii Apostolici et missionarii, caeterique christifideles lucrari possent.

Et ne Pontificia haec dispositio ab aliquo illorum ignorari contingat, Episcopis et Vicariis Apostolicis praecipit et mandat, ut praesens decretum populis suae iurisdictioni subiectis, meliori quo poterunt modo, notum faciant atque significent, ut de Ecclesiae thesauro participare possint et valeant.

490

De facultate Patriarcharum largiendi Indulgentias.

S. C. de Prop. Fide *13 Iulii 1772* (C. G.). — In proposito dell'Indulgenza *plenaria* concessa da Mons. Patriarca *N.* si propone il dubbio: Se i Patriarchi Orientali dopo il Concilio Lateranense IV, abbiano simile potestà.

R. Negative.

491

Circa spolia Episcoporum et missionariorum.

Decr. S. C. de Prop. F. *17 Aug. 1772.* — Quum compertum sit a plerisque ignorari, ad quem de iure pertineant spolia Archiepiscoporum, Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum, et Operariorum Regularium cuiuscumque Instituti, aere ac sumptibus Sacrae Congregationis missiones in locis haereticorum et infidelium exercentium, et in quem usum ea debeant converti; Emi Patres, referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, censuerunt renovandum esse, prout vigore praesentis renovat, decretum hac super re editum die 22 *Decembris 1716,* et a san. mem. Clemente XI adprobatum, et confirmatum, mandantes illud ab omnibus, ad quos spectat inviolabiliter observari. Decretum autem supradictum est huiusmodi: « Referente R. P. D. Silvio de Cavaleriis » Archiep. Athenarum Secretario nonnullos Re» ligionum Superiores in Regno Sinarum asse» rere atque praetendere spolia missionariorum » S. Congregationis spectare ad eorum respe» ctive Religionem, ea potissimum ratione, quod » missionarius Regularis, dum sacris missioni» bus inservit, non censetur esse extra claustra, » et quidquid acquirit monachus monasterio » acquirit: S. Congregatio, inhaerendo decretis » super hoc alias editis, decrevit spolia rerum » omnium tempore missionis acquisitarum non » modo a missionariis, sed etiam ab Episcopis » Regularibus, aere et sumptibus eiusdem S. C. » in missione degentibus, post eorum obitum » ad S. C. spectare, et in utilitatem missionis » esse eroganda ». — S. S. approbavit et confirmavit.

492

De re matrimoniali.

Instr. S. C. S. Off. *3 Sept. 1772* (ad Ep. Geneven.). — Secondando V. S. l'antica lodevol disciplina di ricorrere alla Sede Apostolica per essere istruita da essa che è la maestra di tutte le chiese in quelle più ardue e difficili cose che appartengono al suo pastorale ufficio, domandò fin dall'anno scorso la risoluzione di alcuni casi che sogliono con frequenza accadere nella sua diocesi ad effetto di potere in quelle circostanze rettamente regolarsi coll'autorevole decisione della S. Sede. Fu pertanto dalla Santità di N. S. meritamente lodato lo zelo di V. S., ed il filiale rispetto col quale Ella dimostrava la sua dipendenza dal capo visibile della Chiesa, ed essendosi però stimato doveroso il prendere in considerazione le sue richieste, furono dati ad esaminarsi i suoi dubbî a teologi di profonda dottrina ad effetto di passar poi col loro consiglio a pronunziare la suprema decisione. La difficoltà della materia sopra cui si è dovuto fare un accurato e maturo esame, ha fatto sì che prima d'ora non Le sia stata data alcuna risposta. Ma essendosi finalmente ben ponderati i medesimi dubbî, ha la Santità Sua deliberato di rispondere sopra di essi come qui appresso Le verrà significato.

Circa matrimonia clandestina.

Intorno al 1° e 2° dubbio che riguarda i matrimonî clandestini, i quali si contraggono contro la legge del Concilio di Trento, è da osservarsi dove i contraenti hanno fissato il lor domicilio o quasi domicilio in paesi nei quali è stata promulgata la legge tridentina, siansi pure eglino cattolici o eretici, sono tenuti a contrarre il matrimonio con quelle condizioni che dalla medesima legge son prescritte, altrimenti contraggono invalidamente, e invalidamente ancora contraggono, se in fraude della legge, senza mutare l'antico domicilio, si portano appostatamente in paesi dove non è stata la stessa legge promulgata, per solo fine di celebrarvi clandestinamente il matrimonio. Quindi a questi due dubbî debbesi rispondere che i matrimonî

sono invalidi perchè, secondo ciò che si propone, i contraenti hanno il domicilio o quasi domicilio nella diocesi di Ginevra, ove la legge del Concilio è pubblicata, e senza trasferirlo nel paese degli Svizzeri ove il Concilio non è pubblicato, colà si portano all'unico effetto di contrarvi il matrimonio.

Circa matrimonia a vagis contracta.

Sul 3° dubbio *(circa matrimonia a vagis contracta)* non ha presa N. S. alcuna risoluzione. È così difficile di ben stabilire la natura e la qualità dei vaghi, ed è così incerto il fissare le circostanze nelle quali debbano i vaghi considerarsi per soggetti alle leggi di quei paesi ove vanno vagando, e dove talvolta contraggono matrimonio, che molto più facile e sicuro riesce il decidere ciascun caso particolare, che pronunziarne in astratto un generale giudizio. Quindi la Santità Sua Le insinua che quando in pratica accaderà in codesta sua diocesi alcun caso di matrimonio clandestinamente contratto da vagabondi, Ella accuratamente si informi di tutte le circostanze del caso stesso, della qualità del vagabondo, dei luoghi e del tempo in cui ha vagato, e della disposizione del di lui animo per contrarre il domicilio, e facendone un' esatta relazione, la trasmetta a questa S. C., e non si mancherà di darle allora in ciascun caso definitiva risposta.

Matrimonii vinculum nulla auctoritate solvendum.

Intorno al 4° e 5° dubbio, deve V. S. aver sempre avanti gli occhi che, secondo la legge evangelica, il Concilio di Trento stabilì per cosa certa l'indissolubilità e perpetuo vincolo del matrimonio, una volta validamente contratto, di modo che vivendo il primo legittimo coniuge non possa mai sciogliersi il legame matrimoniale da qualsivoglia autorità, e molto meno dall' autorità illegittima di un eretico magistrato. Quando dunque il matrimonio fin da principio, o tra eretici dall' una e l'altra parte, o tra un cattolico ed una eretica, o tra un eretico ed una cattolica sia stato valido, non si potrà mai in qualunque caso, anche della conversione del coniuge eretico alla religione cattolica, contrarre dai coniugi validamente altro matrimonio con altra persona fintanto chè sopraviverà il primo coniuge; nè mai potrà loro giovare la dichiarazione del magistrato eretico che illegittimamente sciolga il primo valido matrimonio, e permetta alla parte eretica di passare ad altre nozze. Sicchè dunque, supponendosi nell'esposizione del 4° e 5° dubbio che i matrimonî contratti o in Losanna oppure in Ginevra, e nel paese degli Svizzeri siano stati validi, ne viene in conseguenza che sono stati nulli tutti quegli altri che sono stati contratti dopo lo scioglimento dei primi fatto dall' illegittima potestà del magistrato protestante.

De modo sponsalia contrahendi.

Finalmente intorno al 6° dubbio che risguarda gli sponsali *de futuro,* il Concilio Trid. non ha prescritto alcuna forma con cui si debbano contrarre, e pertanto il lodevole stabilimento del rituale di Ginevra, e la consuetudine ad esso corrispondente di contrarre gli sponsali in chiesa avanti il parroco e i testimonî, può certamente far sì che i sudditi ne siano tenuti all'osservanza, ma se si trascura, non rimangono perciò gli sponsali invalidi, e resta anche fermo conseguentemente l'impedimento della pubblica onestà che essi producono, come può vedersi nel lib. 12 cap. 5 *De Syn. dioec.* dell'insigne Benedetto XIV.

493

De spoliis Episcoporum et missionariorum.

S. C. de Prop. Fide 2 *Ian. 1773* (C. P. pro Sin.). — S. C. mature perpensis, ac iterum discussis omnibus quae pertinent ad spolium tam Episcoporum et Vicariorum Apostolicorum, quam missionariorum, qui aere et sumptibus aluntur eiusdem S. Congregationis, novo hoc decreto olim ac alias super hac re statuta firmavit ac roboravit, nempe spolia omnia antedicta in integrum absque ulla exceptione sibi suoque aerario deberi.

494

De ritibus erga defunctos illicitis.

S. C. S. Officii 25 *Febr. 1773* – Tunk. Orient. — 1. An liceat christianis Tunkini prosternere se ad imaginem Crucifixi ad latus feretri, vel supra feretrum, vel in manibus defuncti collocatam, exclusa omni re superstitionem redolente?

2. An liceat, addita protestatione publica ab omnibus adstantibus intellecta, qua declaratur nec defunctum, nec feretrum, sed crucem coli, Christoque pro defuncti anima hoc obsequium exhiberi?

3. An christiani possint salutare missionarium vel sedentem in suppedaneo feretri, vel ad latus illius, vel etiam feretrum circumeuntem, thus eidem incendendo. Mos in hac Missione est christianis et missionariis, defunctorum preces eo in loco dicere in quo est feretrum; cum vero interdum ibi etiam primum aliquid superstitiosi fuit, edixi ego (Vic. Ap.) ut, quoties deinceps hoc fieret, non domi, sed in ecclesia preces dumtaxat funderentur. Hanc ob agendi rationem nimiae severitatis insimularunt me quamplures; nihilominus ab ea sententia recedere aequum non habui, ne inter actus christianos et superstitiosos aliqua videatur connexio.

R. Sacra Congregatio generalis s. Officii habita coram Clemente XIV, decrevit respondendum esse ad omnia dubia: *Non licere,* et addidit: *transmittatur Vicario Apostolico et omnibus Praefectis eiusdem Regni instructio anni 1753. (V. n. 386).*

495

De officiis missionariorum erga Episcopos.

S. C. de Prop. F. 9 *Maii 1773* (C. G.). — Missionarios sub poena expulsionis a Missione teneri litteras Patentes locorum Ordina-

riis, in quorum dioecesibus missiones exercent, cum primum accesserint exhibere iuxta decreta Sacrae Congregationis. Eosdem Episcopis subiectos esse in iis quae ad curam pertinent animarum ad formam Constitutionis s. m. Clementis IX 13 Septembris 1669. *(V. n. 186).* Invitatos ad synodos debere accedere sub poenis prout de iure.

496

Cuinam ius parochos convocandi in electione Vicarii Capitularis.

S. C. de P. Fide *15 Iunii 1773* (C. G.). — Scodrae — Se il parroco antiquiore della diocesi, a cui si è dichiarato dalla S. Congregazione che spetti il diritto di convocare i parrochi per l'elezione del Vicario Capitolare debba essere il primo tra quelli che sono stati alunni, ovvero il più antico di parrocchia.

R. Dev' essere il più antico di parrocchia.

497

De modo agendi cum christianis occultis in mortis periculo, et in matrimoniis.

S. C. de Prop. F. *15 Iunii 1773* (C. G.) — Albaniae — Pei cristiani occulti che fanno qualche atto protestativo della falsa setta maomettana, onninamente si osservi la Costit. *Inter omnigenas* di Benedetto XIV *(V. n. 345),* e che quando sono costituiti in pericolo di morte, non deve in verun modo permettersi che vengano assistiti dall'*hoggia* turco, essendo questo un nuovo atto protestativo della falsa setta. Se però, escluso lo stesso, daranno quei cristiani segno di pentimento per avere in qualunque maniera simulato la religione, e di vero proposito di astenersene per l'avvenire da poter formare un prudente giudizio della loro verità, ed inoltre, a riparare lo scandalo da loro dato, faranno qualche protesta di questi loro sentimenti alla presenza di più persone, potrà il parroco amministrare loro i Sagramenti. — Circa i matrimonî dei cristiani che occultano la loro fede con simulare la falsa, non dovrà permettere Mons. Vescovo (di Scutari) indistintamente ai parrochi che li uniscano in matrimonio, ma ricorrendo a lui nei casi particolari, potrà colla sua prudenza permetterli, purchè i parrochi esigano da loro un preventivo atto di contrizione, e un fermo proposito di astenersi da qualunque atto della suddetta simulazione, e che si manifestino per cristiani facendo qualche atto protestativo di questa loro risoluzione, per togliere lo scandalo, avvertendo però gli stessi parrochi di non procedere a congiungerli in matrimonio, se non avranno dato segni di queste necessarie disposizioni che siano tali da poter formare un prudente giudizio che siano vere e sincere, e dovrà prima farli confessare a maggior cautela.

498

De privilegio Missarum pro defunctis missionariis.

S. C. de Prop. Fide *27 Iunii 1773.* — SSmus D. N. Clemens d. p. PP. XIV,... infrascripto S. C. de Prop. F. Secretario referente in nonnullis Indiarum orientalium Missionibus laudabilem vigere consuetudinem, ut in obitu Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum, Missionum Praefectorum, vel simplicium missionariorum tam cleri saecularis quam regularis, una vel plures Missae pro eorum expiatione a singulis missionariis celebrentur: declaravit Missas huiusmodi, vel alias quae in suffragium illorum, qui in Imperiis Sinarum, Magni Mogoris, et Persidis, necnon in Regnis Tunkini, Cocincinae, Siami, Ciampae, Cambodiae, Thibet, Avae, Pegu, et in Oris Malabaricis sacris missionibus, dum viverent, operam dederunt, et in actuali missionum exercitio decedunt, a quocumque sacerdote, quocumque titulo, loco aut tempore celebrabuntur, esse et fore privilegiatas.

499

Privilegiu pro confratrib ss. Rosarii in S nis circa Indi gentias.

S. C. de Prop. F. *19 Sept. 1773.* — Cum christifideles in Imperio Sinarum, nec non Tunkini, Siami, Ciambae et Cambodiae, inter haereticos et infideles degentes, Confraternitati Rosarii SS. Dei Genitricis adscripti, ob frequentes infidelium persecutiones, piis quibusdam exercitiis a Sede Ap. confratribus ad Indulgentiarum consecutionem praescriptis vacare, ut plurimum, impediantur, SS. D. N. Clemens XIV benigne concessit confessariis uniuscuiusque ex praedictis christifidelibus, facultatem commutandi memorata pia exercitia in aliud opus, quod virtutem charitatis vel religionis respiciat, ac circumstantiis personarum, locorum et temporum conveniat. Quibuscumque in contrarium nihil obstantibus.

500

De precibus li gua sinensi ter pore Missae.

S. C. de Prop. Fide *23 Sept. 1773* (C. P. pro Sin.) — Circa la consuetudine per la quale i cristiani in tempo della Messa cantano in lingua cinese il *Gloria,* il *Credo* ecc. si dovrà mandare il decreto del 1755 *(V. n. 394)* e la risposta data nel 1759 *(V. n. 422);* e si è detto che può tollerarsi che continuino in simil pratica recitando tali orazioni, purchè non contengano errori, *secretamente e privatamente,* e non *con voce alta* e unitamente insieme.

501

Contra c cultantes fide christianam, infidelitatem s mulantes.

Decr. S. C. de Prop. F. *19 Febr. 1774.* — Cum ad aures Sac. Congregationis pervenerit, in quibusdam Albaniae dioecesibus, aliisque finitimis provinciis christianos nonnullos adhuc existere, qui, non obstante saluberrimo *Synodi Albanensis* decreto, ac repetitis san. mem. Benedicti XIV. Constitutionibus, videlicet, *Inter omnigenas* diei 2 Februarii 1744, et

Quod Provinciale diei 1 Augusti 1754, Christum erubescentes, eiusque praecepta, infidelitatem simulare audent, actusque peragere a verae fidei sinceritate prorsus alienos; sollicitudinis suae partes esse duxit, facto verbo cum SSmo D. N. Clemente XIV die 6 Februarii 1774, declarare sequentes praefatorum christianorum praxes innoxias nec esse, nec ullo modo tolerandas.

In primis itaque a simulatae infidelitatis nota excusari non posse subdolam agendi rationem illorum, qui, dum diebus solemnioribus Missae sacrificio intersunt, adstantium ex curiositate turcarum praesentiam formidantes, numquam omnino caput aperiunt, nec signant se crucis signo, abstinentque a ceteris catholicae religionis actibus, qui ab aliis, qui christiano censentur nomine, palam solent exerceri; atque ita agentes id obtinent, ut mahumeticae superstitionis sectatores reputentur, nec alia quam curiositatis aut levitatis causa, ad ecclesiam vel ad conventus locum advenisse, ibique manere credantur.

Quoniam vero non desunt qui conantur excusare excusationes suas in peccatis, asserentes se simili prorsus modo gerere, cum, nemine turcarum adstante, aliis diebus, Missae ceterisque functionibus praesentes sunt: ideo eademmet S. Congregatio pariter declarat, huiusmodi responsum non tam valere ad purgandam eorum agendi rationem, quam ad ostendendam desidiam, ac fidei languorem in iis quae sunt ad Deum, vel potius indicio esse posse, iam tunc ab eis praeconceptam mentem esse falsae religionis simulandae, cum tempus et occasio tulerit.

Praeterea gravi culpa non caret, quod iidem occulti credentes, cum diebus ecclesiastico ieiunio aut abstinentiae consecratis, turcarum mensis accumbunt, vetitis in illis diebus ab Ecclesia vescuntur cibis, aut se manducare fingunt; simulatio enim haec non alio animo facta praesumi potest, quam ut christianorum legibus nequaquam obstricti videantur, sed plane mahumetani inter mahumetanos existimentur.

Nec quidquam eis prodest, quod identidem propositum iactant palam profitendi catholicam religionem, quoties a publica potestate interrogentur; id enim fieri ab eis necessario debet, sed simul opus est ut in privatis actibus ab illis simulationibus abstineant, per quas fieri nequit, quin verae fidei exortes, et falsae sectae addicti exterius appareant.

Multo minori dubitatione damnanda S. Congregationi visa est illorum agendi ratio, qui turcarum verentes offensionem, profana eorum templa ingrediuntur, precationesque apud mahumetanos in more positas peragere fingunt; factum enim ipsum nimis apertam praesefert mahumeticae religionis simulationem, licet ab aliis damnatae sectae observationibus, et coeremoniis abstineant.

Idipsum dicendum de praxi illorum censet qui ad funera deducenda mahumetanum ministrum advocant, ut vel ipsi, vel defuncti a falsa secta non recessisse existimentur. Quae si ex defunctorum voluntate quomodocumque explicata, nec ante obitum retractata, id fieri constiterit, S. Congregatio eosdem defunctos ecclesiasticae sepulturae, et suffragiorum beneficio incapaces esse decernit: si vero ex solo damnabili superstitum arbitrio supradictus mahumetanus minister assistentiam funeri praestabit, eo in casu illorum crimine defunctos non illigari; bene vero superstites ipsos gravissimae impietatis reos, et canonicis poenis obnoxios fore declarat. Hoc enim, ut cetera omnia superius expensa in enunciatis circumstantiis, (et fortasse aliae etiam praxes, quae ad notitiam S. Congregationis nondum advenere) mahumeticae sectae simulationem, christianaeque fidei negationem saltem virtualiter includit, summamque Christo Domino iniuriam, et proximo scandalum parit.

Ceterum Emi Patres Archiepiscopos, Episcopos, et Superiores Missionum Albaniae, Serviae, aliarumque provinciarum, quae turcarum imperio subsunt, in Domino hortantur, ut zelo fidei succensi a gregibus pastorali suae curae commissis supradictos damnatos abusus avertere satagant; pari zelo et charitate unumquemque illorum, qui praemissa factitare non verentur, arguentes, increpantes, admonentes, se in nullo casu posse Christum erubescere, falsamque religionem simulare, quin spem aeternae retributionis abiiciant. Factum insuper magni Eleazari ante illorum oculos constituant, qui cum compelleretur simulare de sacrificii carnibus lege vetitis manducasse, ut vitae periculum effugeret, gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam elegit, memorandam illam sententiam pronuncians: *Etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam.*

Quod si forte, hac solerti Pastorum cura non obstante, aliqui adhuc obstinati, ac caelestis vocationis immemores reperiantur, qui impiorum viam insistere pergent, detestabiles simulationes in Fidei negocio adhibentes, iidem Archiepiscopi, Episcopi, et Missionum Superiores, ut supra, illos Sacramentorum participatione in vita, et, si impoenitentes decesserint, ecclesiastica sepultura, et suffragiorum beneficio post mortem incapaces declarabunt.

502

Vestibus ac ornamentis episcopalib. presbytero Confirmationem conferenti uti haud licet.

Decr. S. C. de Prop. F. *23 Apr. 1774.* — Referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, nonnullos Missionum Superiores, aliosque, quibus ab Apostolica Sede extraordinaria Sacramentum Confirmationis administrandi fa-

cultas conceditur, in illius administratione usos quandoque esse vestibus, ac ornamentis episcopalibus: Eminentissimi Patres declararunt, ac vigore praesentis Decreti declarant, nemini prorsus charactere episcopali non insignito, vel cui alias usus pontificalium ex vero legitimoque privilegio non competit, licuisse vel licere in collatione Chrismatis adhibere rochettum, mitram, baculum pastorale, annulum, vel crucem pectoralem; statueruntque supplicandum esse Sanctissimo pro approbatione huius declarationis, necnon efformandam Instructionem pro simplicibus sacerdotibus Confirmationem, ut supra, administrantibus.

Facta vero SS. Domino Nostro Clementi Papae XIV per praefatum Dominum Secretarium, in audientia diei 3 Aprilis currentis supradictae Sacrae Congregationis sententiae relatione, Sanctitas Sua illam benigne approbavit, et ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari mandavit. *(V. n. seq.)*.

503

Pro presbytero Confirmationem ex S. Sedis delegatione administrante.

Instr. S. C. de Prop. Fide *4 Maii 1774* (Pro simplici sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apost. delegatione administrante). — Etsi iuxta Sacrosancti Tridentini Concilii definitionem solus Episcopus sit ordinarius huius Sacramenti minister (1); solet tamen, quandoque iustis de caussis Sedes Apostolica simplici sacerdoti, tamquam extraordinario ministro, facultatem tribuere illud conferendi (2).

Sacerdos igitur, cui facultas haec fuerit concessa, in primis curet apud se habere Chrisma, per catholicum Antistitem cum eadem S. Sede communionem habentem, confectum, ac sciat, sibi numquam licere (3) sine eo Confirmationem administrare, vel illud ab Episcopis haereticis, aut schismaticis recipere.

Animadvertat insuper, num in facultate sibi ab Apostolica Sede impertita alia etiam facultas expressa legatur, utendi scilicet Chrismate ante annum benedicto, alias eo non utatur, nisi forte in casibus necessitatis (4), cum a sacris canonibus id prohibitum sit (5).

Licet omni tempore administrari valeat Confirmatio, congruum tamen est, ut praecipue in hebdomada Pentecostes, et circa horam tertiam, in qua Spiritus Sanctus illapsus est Apostolis, conferatur (6).

Quod ad aetatem confirmandorum attinet, prae oculis habendum est Catechismi Romani (7) monitum in haec verba: *Illud observandum est, omnibus quidem per Baptismum Confirmationis Sacramentum posse administrari, sed minus tamen expedite hoc fieri, antequam pueri usum rationis habuerint; Quare si duodecimus annus non expectandus videatur, usque ad septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit;* Quod sane monitum in pueris benevalentibus locum habet. Nam, si agatur de eo, qui gravi morbo laboret, ex quo decessurus praevideatur, non solum prohibitum non est illi ante septennium sacrum Chrisma administrare, sed expedit, ut id fiat, unde ex hac vita demigrans maiorem gloriam, iuxta S. Thomae doctrinam (8), in coelis consequatur. Aliae insuper, iuxta probatam plurium theologorum sententiam (9), esse possunt legitimae causae antevertendi septennium in collatione huius Sacramenti, et praesertim, cum praevidetur futura diutina absentia Episcopi, vel presbyteri, cui, ut supra, facta sit facultas illud administrandi, vel alia urget necessitas.

Ut confirmandi, qui usum rationis habent, digne hoc Sacramentum recipiant, debent esse in gratia, et ideo conveniens valde est, ut illius susceptioni praemittant Sacramentalem Confessionem (10). Si enim conscii alicuius peccati lethalis, quod absit, ad Confirmationem accederent, non solum huius Sacramenti gratiam non reciperent, sed gravissimo sacrilegio se illigarent.

Iuxta veterem Ecclesiae usum, confirmandi deberent esse ieiuni (11), optandumque propterea esset ut id ipsum in praesenti etiam servaretur.

Sacro Chrismate liniendi ante diligenter erudiendi sunt iuxta doctrinas Catechismi Romani de natura, dignitate, effectibus, ac dispositionibus ad digne Sacramentum huiusmodi recipiendum praerequisitis. Item oportet, ut instruantur circa Fidei rudimenta, decalogi, et Ecclesiae praecepta; actus virtutum theologalium, ac orationem dominicam, et Apostolorum symbolum memoria teneant.

Ceterum missionarii non omittant populos sibi creditos etiam hortari, ut Confirmationem debito tempore recipiant, nec non ut parentes filios suos confirmari curent; etsi enim hoc Sacramentum non sit de necessitate medii ad salutem, tamen sine gravis peccati reatu respui non potest, ac negligi (12), cum illud su-

---

(1) Sess. 7 *de Confirm.* can. 3.
(2) Eugen. IV in Decret. pro Armenis.
(3) S. Thomas 3 part. quaest. 72 art. 5 in corp.
(4) Bened. XIV Constit. *Anno vertente* Bull. Tom. 3 pag. 288.
(5) Can. *Litteris* de Consecr. dist. 3 et Can. *Si quis de alio* de Consecr. dist. 4.
(6) Catech. Rom. de Sacram. Confirmat. S. Carolus in V Synodo Mediolanen. cap. de confirm.
(7) Loc. cit.
(8) S. Thom. 3 par. quaest. 73 art. 8 ad 4.
(9) Bened. XIV in lib. 7 cap. 10 n. 5, 6 et 7. de Synodo Dioecesana.
(10) Instructio Eminentis. Almae Urbis Vicarii pro iis, qui suscepturi sunt hoc Sacramentum (an. 1773).
(11) Cathech. Rom. de Confirm.
(12) Bened. XIV in Constit. *Etsi Pastoralis* § 3 n. 4 Bull. Tom. I.

scipiendi opportuna adest occasio. Porro haec doctrina, si pro omnibus, qui sunt undique, christifidelibus vera est, multo magis locum habet in illis, qui in terris degunt haereticorum, vel paganorum, in quibus quandoque adversus catholicos persecutiones ingruunt: unde opus est, ut septiformis Spiritus virtute roborentur, qua non solum corde credant ad iustitiam, sed etiam ore confessionem faciant ad salutem, seque paratos exhibeant pro Christo etiam sanguinem fundere.

Cum hoc Sacramentum indelebilem in anima characterem imprimat, reiterari non debet, et propterea qui est confirmatus, ad illud recipiendum non audeat accedere, sicuti nec excommunicatus, interdictus, in divinis communicans cum haereticis, aut schismaticis, vel qui ritus idololatricos usurpat, sive alio modo publice peccat: item qui praeceptum paschale non adimpleverit.

Caveant confirmandi ne sordida fronte (1) capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant; vestibus tamen sint induti, quemadmodum et patrini. simplicibus, et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscepturae, et quae matrinarum officium exercebunt, non se in Ecclesia cum vanis ornamentis, aut fucata facie, sed cum omni modestia, et reverentia praesentent.

Si quis ex confirmandis turpe nomen, vel christiano homini non conveniens, haberet, aliud in Confirmatione assumat (2).

Quamquam de necessitate huius Sacramenti non sit, ut in eo recipiendo patrinus, vel matrina adhibeatur, id tamen laudabilis Ecclesiae consuetudo suadet, sacrique canones praescribunt (3).

Ab hoc vero munere excludantur tum minores annis quatuordecim (4), tum qui Sacramentum Confirmationis nondum receperunt (5). Verum quia contingere potest, ut in locis Missionum nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini ceterorum esse poterunt.

Ad patrinos huiusmodi quod attinet, hae insuper regulae erunt observandae:

I. Ut non plures (6), sed unus tantum, sive vir, sive mulier, in patrinum aut matrinam adhibeatur.

II. Ut nec feminis mares (7), nec maribus feminae patrini officium praestent, sed suo quisque sexui patrinus adhibeatur.

III. Ut, nisi necessitas cogat (8), idem non sit, sed diversus Confirmationis patrinus a patrino Baptismi.

IV. Ut a patrini munere arceantur excommunicati (9), interdicti, publici peccatores, aut qui praeceptum paschale omiserint.

Circa cognationem spiritualem, quae in hoc Sacramento contrahitur, haec statuit Tridentina Synodus (10): *Ea quoque cognatio quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem et matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis.*

Quod quidem Concilii decretum locum habet in iis, qui ad Tridentini statuta servanda adstringuntur. Ceteri vero disciplinae in suis regionibus vigenti hac in parte se conforment.

Cum tempus advenerit, quo sacerdos, utens facultate sibi ab Apostolica Sede, ut supra, tributa, administrare Confirmationem intendit, vestibus sacerdotalibus, vel saltem alba et stola indutus, stans ante Altare versus ad populum hinc inde dispositum (masculis a dexteris, feminis vero a sinistris) circumstantes summarie de praemissis admoneat, eisque praesertim denunciet, quod nullus alius nisi solus Episcopus Confirmationis ordinarius minister est; se vero paratum esse illam conferre iure per S. Sedem delegato.

Mox delegationis decreto, sive Brevi Apostolico, lingua vernacula, alta et intelligibili voce lecto, iterum moneat adstantes, quod nullus confirmatus discedat, nisi benedictione accepta quam ipse post omnium Confirmationem daturus est. Item, quod infantes, si quos in prima aetate iusta de causa confirmandos existimaverit, per patrinos teneantur in brachiis dexteris, et quod adulti ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui.

Hac altera monitione completa (11), pariter stans, et versa facie ad confirmandos, iunctis ante pectus manibus, confirmandis vero genua flectentibus, et manus ante pectus iunctas tenentibus, dicit:

℣. *Spiritus Sanctus superveniat in vos, et virtus Altissimi custodiat vos a peccatis.*

℟. *Amen.*

Deinde signans se manu dextera a fronte ad pectus signo Crucis dicit:

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit coelum et terram.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

---

(1) Concil. Aquense an. 1585. Instructio supradicta.
(2) Concil. Aquense an. 1585, Concil. Tolosan. anni 1590, S. Carolus Borromaeus in V Syn. Mediolanensi.
(3) Sacramentar. S. Gregor. M. Ordo Romanus apud Hittorpium.
(4) Instructio praedicta.
(5) Can. *In Baptismate* 102 de Consecrat. dist. 4.
(6) Can. *Non plures* 101 dist. 4.
(7) Pontific. Rom.
(8) Can. *In Cathechismo* 100 de Consecr. dist. 4.
(9) Pontific. Rom.
(10) Sess. 24 de Reform. Matrimonii cap. 2.
(11) Pontific. Rom.

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Tunc extensis versus confirmandos manibus, dicit:

OREMUS

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua, et Spiritu Sancto; quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum; emitte in eos septiformem Spiritum tuum Sanctum Paraclitum de coelis.

℟. *Amen.*

℣. *Spiritum Sapientiae et Intellectus.*

℟. *Amen.*

℣. *Spiritum Consilii et Fortitudinis.*

℟. *Amen.*

℣. *Spiritum Scientiae et Pietatis.*

℟. *Amen.*

Adimple eos Spiritu Timoris tui, et consigna eos signo Cru†cis Christi in viam propitiatus aeternam. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

Post haec sacerdos confirmat per ordinem genuflexos, primo mares, secundo feminas. Uno ordine confirmato, illi surgunt, et alii genuflectunt, et confirmantur, et sic usque in finem. Inquirit autem singillatim de nomine cuiuslibet confirmandi sibi per patrinum vel matrinam flexis genibus praesentati, et summitate pollicis dexterae manus Chrismate intincta dicit:

N. Signo te signo Cru†cis: quod dum dicit, producit pollice signum Crucis in frontem illius; deinde prosequitur: *et confirmo te Chrismate salutis. In nomine Pa†tris, et Fi†lii et Spiritus†Sancti.*

℟. *Amen.*

Deinde leviter in maxilla caedit, dicens: *Pax tecum.*

Ligandae essent vitta linea recens confirmatorum frontes iuxta Pontificalis Romani praescriptum (1). Verum quoniam publica vittarum delatio apud infideles ludibrio exponere posset Sacramentum, ideo, si praevideatur hoc scandalum eventurum, consultius erit vittas huiusmodi non adhibere; sed in hoc casu opus erit, ut sacerdos postquam frontes confirmandorum linierit Sacro Chrismate, eas gossypio, mox comburendo, diligenter abstergat, ac deinde lavet (2).

Omnibus confirmatis, tergit cum mica panis, et lavat pollicem, et manus super pelvim; deinde aqua lotionis cum pane fundatur in piscinam sacrarii, in qua reponi debent etiam supradictorum gossypiorum cineres.

Dum lavat manus, si adsint ministri, cantatur, vel legitur sequens antiphona; alias post lotionem ab ipso sacerdote dicatur:

Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Ierusalem. Gloria Patri etc. et repetitur Antiphona tono octavo: *Confirma hoc Deus etc.* qua repetita, conversus ad altare, iunctis ante pectus manibus, dicit:

℣. *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.*

℟. *Et salutare tuum da nobis.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Iunctis vero adhuc ante pectus manibus, et omnibus confirmatis devote genuflectentibus dicit:

OREMUS.

Deus, qui Apostolis tuis Sanctum dedisti Spiritum, et per eos, eorumque successores ceteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice propitius ad humilitatis nostrae famulatum, et praesta, ut eorum corda, quorum frontem sacro Chrismate delinivimus, et signo Sanctae Crucis signavimus, idem Spiritus Sanctus in eis superveniens, templum gloriae suae dignanter inhabitando perficiat: Qui cum Patre et eodem Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum.

℟. *Amen.*

Deinde dicit: *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum:* et vertens se ad confirmatos, ac faciens super eos signum crucis pariter dicit:

Bene†dicat vos Dominus ex Sion, ut videatis bona Ierusalem omnibus diebus vitae vestrae, et habeatis vitam aeternam.

℣. *Amen.*

Expedita hoc pacto Confirmatione, sacerdos sedens, iuxta memoratum Pontificale Romanum (3), patrinos et matrinas monet, quod instruant filios suos bonis moribus, unde fugiant mala, et faciant bona: et si forte in infantili aetate essent confirmati, ut suo tempore doceant eos *Credo in Deum,* et *Pater noster,* et *Ave Maria,* quoniam ad hoc sunt obligati.

Hoc Sacramentum potest conferri minus solemniter et privatim tunc cum in privatis domibus, vel extra ecclesiam, seu oratorium, pueris aegrotantibus, de quibus supra, conferendum est, vel etiam adultis, qui ad ecclesiam quacumque ex causa, legitima tamen, accedere nequeunt: In iis casibus sacerdos non

(1) De Confirmandis.
(2) S. Carolus Borrom. in dict. V. Synod. Mediol.
(3) Loc. cit.

omittat uti saltem stola, si superpelliceum habere non possit; cavere etiam debet, ne coram haereticis, aut schismaticis, et multo minus eis ministrantibus, confirmet.

Quod si tandem per Sedem Apostolicam alicui fieri potestatem contingat Confirmationem administrandi in regionibus, in quibus, praeter latinos, degunt orientales catholici, non modo opus erit, ut supradicta diligenter observet, sed curabit etiam, priusquam orientalibus ipsis hoc Sacramentum conferat, ab Apostolica Sede instructionem petere, quo pacto se gerere debeat erga orientales uniuscuiusque ritus. Ut autem congruum quantocius responsum accipiat, de nonnullis S. Congregationem de Propaganda Fide singillatim certiorem reddat oportet. Et primo quidem cuius ritus sint orientales huiusmodi: an fuerint a quoquam confirmati, et a quibus, videlicet an a suis Episcopis, vel a presbyteris propriae nationis; an sponte petant confirmari; an Confirmationem commode a suis Episcopis recipere valeant; ac tandem an Confirmatio administranda sit in dioecesi, in qua actu resideat Episcopus orientalis qui sit confirmandi Ordinarius.

Quam Sacrae Congregationis instructionem SS. D. N. Clementi XIV per infrascriptum Secretarium eiusdem S. C. relatam in Audientia habita die prima Maii anni currentis Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit, et omnino servari mandavit (1).

504

Ad linguarum studium missionarii stricte obligantur.

Decr. S. C. de Prop. Fide *5 Maii 1774.* — Etsi pluries cautum sit ut apostolici missionarii officium suscepturi, omni diligentia et alacritate curarent, locorum ad quae ablegantur idiomata addiscere, ne ob linguarum imperitiam, in medio messis multae, contra S. Sedis expectationem, otiosi ac inutiles remanerent; nihilominus cum experientia constet nonnullarum regionum missionarios, posthabito propriae conscientiae, atque animarum ab eis divini verbi pabulum exposcentium detrimento, desides in hoc, et negligentes existere: EE. PP. R. P. D. Stephano Borgia Secretario referente *(in C. G. 21 Martii)* e re sua esse existimarunt, facto verbo cum Sanctissimo Domino Nostro Clemente PP. XIV, omnibus et singulis, qui pro Christo in terris haereticorum, et infidelium legatione funguntur, modis omnibus, ac etiam in virtute sanctae obedientiae iterum praecipere, ut cum primum ad stationes sibi assignatas pervenerint, sedulo studeant vernaculum illius gentis sermonem callere, atque in id nervos omnes intendere. Ne vero praeceptum huiusmodi impune a quoquam violari in posterum contingat: Vicariis Apostolicis, Praefectis, seu Superioribus Missionum mandant, ut post sex menses ab ingressu novorum missionariorum ad suas stationes, eos coram duobus missionariis, si commode fieri poterit, alias per se tantum, super linguae peritia examinent, vel alteri ut examinentur committant. Quod si deprehenderint illos nequaquam, prout opus erat, addiscendis idiomatibus populorum, quibus praesto esse, et Sacramenta administrare debent, operam dedisse, in primis serio moneant ne in re tam gravi diligentiam suam desiderari permittant; facultates, nisi urgeat necessitas, eis denegent, iniungantque, ut elapso sex aliorum mensium spatio se iterum examini omnino sistant. Quo termino elapso, et missionariorum desidia atque socordia durante, de ea S. Congregationem certiorem reddant, ut statuere valeat, num servi huiusmodi a bono opere torpentes, atque ad sacrarum missionum opus prorsus inutiles, ad Regularem provinciam sint revocandi, ac privatione privilegiorum, quae alias possent eis competere, aliisque poenis usque ad condignam satisfactionem puniendi.

505

Synodi a Patriarchis convocandae.

S. C. de Prop. Fide *8 Iulii 1774* (C. G.). — 1. Se sia tenuto il Patriarca de' maroniti di convocare almeno ogni triennio un sinodo provinciale de' suoi Vescovi per direzione della nazione.

In ss. oleorum distributione modus accipiendum.

2. Se sia lecito al Patriarca di ricevere danari nel dispensare gli Olî Santi, ancorchè siano dati spontaneamente.

R. Ad 1. Affirmative iuxta decretum synodi Libanensis p. 3, c. 4, n. 29, et dispositionem iuris.

Ad 2. Negative, et servetur omnino dispositum in Bulla *Apostolica* Benedicti XIV (2).

506

De Patriarcharum facultate quoad Indulgentias.

S. C. de Prop. Fide *8 Iulii 1774* (C. G.) — 1. Patriarcham *(maronit.)* non posse impertiri Indulgentias plenarias nisi habuerit in casibus particularibus privilegium Sedis Apostolicae, quo deficiente, Indulgentias huiusmodi esse nullas.

De iurisdictione Patriarch. si per Episcopos.

2. Episcopos non teneri accipere a Patriarcha litteras patentales quando ab ipsis dioecesium visitatio ordinario iure fiat.

---

(1) Haec Instructio, omissis quae missionarios proprie respiciunt, a S. C. S. Officii (mense Iulio anni 1888) ad quemlibet sacerdotem Sacramentum Confirmationis ex Apostolica delegatione administrantem extensa fuit.

(2) In hac Bulla praecipitur ut parochi et superiores ecclesiarum ac monasteriorum quasdam « pecunias oblationes sub nomine charitativi subsidii con« tribuant et solvant; ..... ipse vero pro tempore exi« stens Patriarcha alio opportuno tempore sacra Olea « gratis omnino transmittat sive distribuat, et nihil pe« nitus vel pecuniae vel alterius cuiuscumque rei, etiam « a sponte dantibus recipiat aut exigat ».

3. Non licere Patriarchae privare Episcopos sua dioecesi, neque in totum eis adimere iurisdictionem, inconsulto Synodo Episcoporum. In reliquis posse contra eos procedere iuxta canonicas sanctiones.

4. Examinatores deputandos ac tenendos esse per unumquemque Episcopum iuxta sanctiones Synodi Libanensis (1).

507

Circa eleemosynam pro Missis in altari privilegiato.

Decr. S. C. de Prop. F. *13 Aug. 1774.* — Quum in nonnullis Missionum locis abusus irrepserit, ut sacerdotes, quibus ab Apostolica Sede indultum altaris privilegiati personalis concessum est, vel ii qui in altari alias privilegiato Sacrum faciunt, praeter consuetam Missae eleemosynam aliquid audeant a christifidelibus exigere, ea de caussa, quod Missae in altaribus alterutro modo privilegiatis celebratae, magis prosunt illis, quorum favore applicantur: Eminentissimi Patres, ad relationem R. P. D. Stephani Borgia Secretarii, decreverunt mandandum esse praefatorum locorum Ordinariis, sive Superioribus, ut ecclesiasticis utriusque cleri sibi respective subiectis denuncient, nulli prorsus licere intuitu privilegii sive localis, sive personalis, pro Missae eleemosyna plus recipere, quam taxa synodalis, vel consuetudo regionum firmaverit, alias ad restitutionem teneri; quinimo privilegium, si personale sit, in perpetuum amittere; nec gaudere locali, quatenus ad altare privilegiatum Sacrum faciant, ut declaratum est per Sacram Congregationem super Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praepositam.

508

De indulgentiis pro missionariorum iuramento.

S. C. de Prop. Fide *7 Maii 1775. (Ex Aud. SSmi).* — SSmus D. N. Pius PP. VI pro eximio, quo flagrat Catholicae Religionis latius propagandae studio, animadvertens bono, ac incremento Apostolicarum Missionum plurimum posse conducere, si ii, qui in collegiis, sive seminariis utriusque cleri, Evangelii praecones mox futuri, educati sunt, vel qui titulo Missionis ad ecclesiasticos Ordines fuere promoti, animo identidem recolant iusiurandum, quo se obstrinxerunt, cooperandi Deo in salutem animarum; eos vehementer hortatur, ut in annos singulos, in anniversaria die praestiti iuramenti, illud repetere curent, serio meditantes divinam erga se bonitatem, quae eos constituit verbi ministros ad annuntianda mirabilia virtutis, ac potentiae suae: quam immarcescibilis gloriae corona eis in Caelis parata sit, si officium suum sancte, riteque impleverint: quamque e contra districtum maneat iudicium, si negligentia, vel socordia sua, quod absit, quemquam perire contigerit.

Id autem ut promptius, et alacrius praestent, Sanctitas Sua unicuique illorum Plenariam Indulgentiam, animabus quoque in Purgatorio detentis applicabilem, et perpetuis valituram temporibus peramanter impertitur, non modo cum praedictum iuramentum primo emiserint, verum etiam cum illud statuta iam die renovaverint; dummodo in utroque casu conscientiam suam Poenitentiae Sacramento expiare non omittant, ac Eucharisticam Communionem suscipiant, vel Missae celebrent Sacrificium.

509

Circa Constitut. Bened. XIV *Sacramentum Poenitentiae* contra sollicitantes.

Instr. S. C. de Prop. Fide *26 Aug. 1775* (AD VIC. AP. COCINCIN. SUPER DUBIIS AB EO PROPOSITIS, DE MANDATO S. M. PII PP. VI IN CONGR. S. OFF. DIE 1 IUNII 1775).

1. Dub. An Constitutio Benedicti XIV adversus sollicitantes obliget etiam missionarios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina.

2. Dub. An eadem Constitutio restringi possit, ac moderari in aliquo casu in eodem Regno Cocincinae.

Talis Constitutio obligat omnes et ubique.

Constitutio novissima Benedicti XIV cuius initium est *Sacramentum Poenitentiae,* aeque ac ceterae a pluribus Pontificibus editae adversus sacerdotes ad turpia sollicitantes in actu sacramentalis Confessionis, vel eius occasione et praetextu, et prout praescribitur in iisdem Constitutionibus, afficit absolute, et absque ulla limitatione omnes confessarios etiam cuiuscumque Ordinis et Instituti, in quibuscumque orbis partibus huiusmodi facinora perpetrantes. Hinc est quod ad dubia per te proposita, Sanctitas Sua, re mature perpensa, ad *primum* affirmative, ad *secundum* negative respondit.

Circa methodum procedendi in causis de crimine sollicitationis.

Verum cum non ubique datum sit in huiusmodi delicti prosecutione ea omnia deducere ad praxim, quae ex eisdem Apostolicis Constitutionibus, et tribunalium institutis sancita sunt, hinc est quod Sanctitas Sua, pro sua eximia sapientia, mandavit ut tibi aliqua praescribatur methodus, iuxta quam in re huiusmodi procedere possis, in quantum harum regionum circumstantiae tibi permittent, ad impediendum, saltem ex parte, ne tam immane facinus late serpat, neque altius radices agat in perniciem fidelium animarum tuae curae concreditarum, atque in maximum scandalum infidelium et detrimentum christianae religionis et fidei.

In primis tibi pro regula tenendum est, quod omnia iura vetant ne ad criminum punitionem deveniatur, nisi prius per probationes a lege praescriptas constet de delicti perpetratione.

(1) Synodus maronitica Libanensis habita est anno 1736, et approbata a Benedicto XIV anno 1741.

A lege statutum est ut probationes huiusmodi habeantur tantum vel ex rei confessione, vel ex attestatione duorum saltem testium probatae fidei, qui dictis vel factis, de quibus testimonium ferunt, una simul praesentes adfuisse nitide et absolute testentur.

Privilegium tamen est in causis quae instituuntur de crimine sollicitationis, quod, ut plurimum, remotis arbitris secreto perpetratur, ut ad plenam probationem faciendam admittantur etiam attestationes singulares mulierum vel virorum de facto proprio denuntiantium, dummodo tamen numerum trium personarum attingant. Huiusmodi denuntiationes tibi tamquam Superiori iurisdictionem habenti secreto deferri debent, neque a nemine omitti possunt absque culpa lethali.

Sed cum in summa difficultate itinerum in his regionibus, fere impossibile erit ut personae sollicitatae ad tuam audientiam accedant, ut rite deferant suas denuntiationes, tunc tibi permissum erit delegare ad eas recipiendas, modo ut supra enuntiato, aliquem sacerdotem probatae fidei, qui tamen non sit de ipsa sollicitatione vel suspectus vel denunciatus.

Acceptis per te, uno vel altero modo, denuntiationibus, quae semper esse debent iuramento firmatae, earum pondus, qualitates et circumstantias serio et accurate perpendas necesse est, et praesertim ullam curam non praetermittes ut tibi perspectum et exploratum evadat, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel odio, vel inimicitia, vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit.

Praemissis his, et audito reo eo modo quo commode fieri poterit, si ex omnibus rite et accurate perpensis, tibi satis perspecta evadat admissi criminis veritas, tunc demum poteris devenire ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates in id muneris eidem, etiam per quodcumque privilegium, vel etiam ab ipsa S. Sede impertitas. Praeterea, declarare poteris eumdem reum obnoxium esse ceteris poenis spiritualibus in Constitutionibus, et praesertim in Gregoriana sancitis. Tibi quoque fas erit illum suspendere a sacrosancti Sacrificii celebratione.

Cum vero difficillimum sane erit, in his tam dissitis et disparatis regionibus, haec omnia adamussim servare, et cum, si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur ut poenae infligantur adversus reos de quorum crimine tali pacto adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse ages, si in huiusmodi causis extra iudicii ordinem procedas ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos tibi suggeret in casibus particularibus tua perspecta prudentia cum animarum zelo coniuncta, et cura quam debes habere praecipuam de conservanda pace et concordia inter operarios apostolicos, praesertim diversi Instituti et nationis (1).

510

De baptismate infantium quos infideles parentes ad ecclesiam deferri nolunt.

Instr. S. C. de Prop. F. *30 Aug. 1775* (AD MISSION. LOANGHI; DE MANDATO PII PP. VI IN CONGR. GEN. S. OFF. DIE 27 IULII). — Quomodo (quaeritis) se gerere debeant (missionarii) cum parentes infideles suos filios baptizandos ad ecclesiam longe positam deferri nolunt; et an hoc casu, vel alio quolibet haud praeviso, Baptismi caeremonias omittere aut differre, ac etiam aqua communi uti possint. In primis vos serio monitos voluit, (Sanctitas Sua) ne sacro lavacro abluatis infantes parentum infidelium nisi vobis ex circumstantiis prope certum appareat, quod iidem infantes, postquam adoleverint, sint in christiana religione educandi (excepto tamen ab hac regula casu periculi imminentis mortis ipsorum infantium), ne tantum Sacramentum profanari contingat, quod sane eveniet, si homines effecti filii Dei per sacrum regenerationis lavacrum, et pro eius cultu indelebili caractere obsignati, efficiantur postea una simul daemonum mancipia, et sacrilegi idolorum cultores.

Hoc praenotato, profecto ignorare non potestis fuisse a primis saeculis in more positum in Ecclesia, ut Sacramentum Baptismi nonnisi in ecclesiis, vel in sacris aedibus divino cultui dicatis conferri possit, excepto casu necessitatis.

Exposuistis in his partibus frequenter contingere, quod infideles non permittant, quod eorum parvuli ad suscipiendum baptismum ad ecclesiam deferantur. Ne in hac re a sanctissimis Ecclesiae institutis recedatur, omnem curam adhibere debebitis, ut parentes ipsi ab hac sua irrationabili contradictione recedant; quod si id vestris persuasionibus, et monitis non obtinebitis, tunc vobis persuadere poteritis rem esse deductam ad casum necessitatis: impossibile enim erit hos infantes baptizare, obsistentibus parentibus in quorum sunt potestate. Proinde tunc vobis licitum erit iis infantibus baptismum conferre extra ecclesiam, et in privatis domibus, vel ubi a parentibus vobis permissum erit, omissis sacris ritibus, et caeremoniis, animo tamen retento eas supplendi in ecclesia quamprimum hoc fieri permissum erit. Si vero praevideatur, quod parentes infantium in eorum pertinacia manentes nunquam assensum suum sint praestituri, ut neque decursu temporis infantes sui ad ecclesias pro sup-

(1) V. Litt. encycl. S. C. de Prop. Fide 25 Iulii 1883.

plendis caeremoniis deferantur, tunc satius erit, ut in ipsis privatis domibus ritus et caeremoniae consuetae per Rituale praescriptae in actu collationis Baptismi adhibeantur, aqua, si fieri poterit, per vos benedicta, quod facile praestare poteritis. Tunc enim nulla causa subesse poterit parentibus puerorum, ut ad haec peragenda impedimentum afferre debeant. Potius est enim, ut laudabilis consuetudo, quae tantum concernit maiorem erga hoc Sacramentum decentiam et reverentiam, celebrandi baptismum in ecclesia, omittatur, quam ut priventur parvuli baptizati non exiguis spiritualibus bonis, quae ex adhibitis super eos sacris caeremoniis in eorum animabus ex Ecclesiae institutis multipliciter derivantur.

Si vero indomita parentum infidelium pervicacia eo usque perveniet, ut vel praetextu angustiae temporis, vel ex aliis causis non permittant ut sacrae Baptismi caeremoniae neque in ipsorum privatis domibus adhibeantur, tunc etiam omitti poterunt: melius enim est, ut parvuli baptizati bonis spiritualibus non necessariis, quae proveniunt ex caeremoniarum usu, destituantur, quam ex omissione necessarii regenerationis lavacri eorum animae in aeternum pereant. Curabitis tamen capere quamcumque occasionem, si quae aliquando vobis se offerat, supplendi omissas caeremonias, quod facile vobis evenire poterit, saltem quando pueri baptizati effecti fuerint compotes sui, ac proinde constituti in sua libertate.

511

Circa facultatem benedicendi coronas et cruces seu numismata.

S. C. Indulg. *20 Septemb. 1775.* — 1. Qui accepit facultatem benedicendi tercentum coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum divae Birgittae nuncupatarum, accepitne facultatem benedicendi totidem rosaria loco coronarum?

2. In facultate benedicendi cruces seu numismata cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis, etsi nulla de eo fiat mentio, subauditurne hoc additum: *cum applicatione omnium indulgentiarum in elencho recensitarum?*

Circa benedictionem in articulo mortis.

3. Benedictio in articulo mortis cum applicatione indulgentiae plenariae potestne, si sit periculum in mora, concedi tum valide tum licite iis qui etiam culpabiliter non fuerunt ab incepto morbo Sacramentis refecti vel Poenitentiae, vel Eucharistiae, vel Extremae Unctionis, vel nullo horum, subitoque vergunt ad interitum?

4. Benedictio supradicta potestne bis aut amplius in eodem morbo, qui insperate protrahitur, impertiri, etiamsi non convaluerit aegrotus? Si possit iterari haec benedictio, quodnam requiritur intervallum inter eius largitiones?

5. Invocatio saltem mentalis SS. Nominis Iesu, de qua fit mentio in Brevibus ad Episcopos de hac benedictione missis, praescribiturne, quamdiu aegrotus suae mentis est compos, ut conditio *sine qua non* ad indulgentiam vi istius benedictionis lucrandam?

6. Episcopus ad supradictam benedictionem impertiendam delegatus cum facultate subdelegandi: 1. Debetne perpaucos subdelegare sacerdotes, ut maius sit benedictionis istius et indulgentiae huic adnexae desiderium, simul et maior utrique concilietur reverentia? — 2. Potestne omnes suae dioecesis subdelegare confessarios, ne etiam una, si fieri possit, ex suis ovibus tanta privetur gratia? — 3. Potestne subdelegare omnes directe et speciatim parochos, sive plurimos sacerdotes in dignitate constitutos, et indirecte et confuse omnes confessarios hisce verbis: *Dilecto nobis in Christo etc. te delegamus, eligimus et deputamus quatenus valeas etc., insuper quemcumque confessarium a te ad tui libitum semel vel pluries, et quandocumque opus fuerit eligendum pariter eligimus et deputamus ad eamdem gratiam conferendam;* hic subdelegandi modus estne validus?

R. Ad 1. Rosaria et coronae promiscue accipienda sunt.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Affirmative ad formam Bullae Benedicti XIV. *(V. n. 345).*

Ad 4. Semel in eodem statu morbi.

Ad 5. Affirmative.

Ad 6. Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam; Affirmative ad tertiam quoad parochos speciatim ruri degentes.

512

De mentione Vicarii Ap. in canone Missae.

S. C. de Prop. F. *13 Ian. 1776* (C. P. pro Sin.). – Chan–si et Chen–si – 1. Utrum (nos missionarii) possimus et teneamur in canone Missae nominare Vicarium Ap. tamquam nostrum Antistitem, quemadmodum contendit ipse Vic. Apost.

Circa dependentiam missionariorum a Vicario Apostolico.

2. Utrum missionarii sint capellani Vicarii Ap., et teneantur inservire eius Missae toties quoties voluerit, etiam in Missis privatis.

3. Utrum missionarii destinati ad aliquem districtum seu territorium habeantur ut parochi. Supposito quod sint tamquam parochi, quaeritur an gaudeant iure parochorum, et an possint amoveri ad alterum districtum quacumque ex causa, etiam minima, arbitrio Vicarii Apostolici.

4. Utrum missionarius recens adveniens teneatur personaliter accedere ad Vicarium Apostolicum petiturus ab eo necessarias facultates, etsi id fieri nequeat sine magno suo incomodo et periculo.

R. Ad 1. Non debere (missionarios) men-

tionem facere in canone Missae Vicarii Apostolici cum non sit vere Ordinarius.

Ad 2. Valde conveniens esse ut alumni hoc sacrum ministerium praestent Vicario, si id fieri possit absque gravi eorum incommodo et praeiudicio eorum muneris missionarii.

Ad 3. Posse Vicarium mutare stationes missionariorum ex iusta et rationabili causa concernente bonum missionis.

Ad 4. Magis expediens esse ut Vicarius alumnis transmittat facultates, etiam per litteras vel per nuntios, quando valde difficilis erit ad ipsum accessus, ad evitandas expensas, pericula itinerum, et ceteras valde graves difficultates. Posse tamen Vicarium pro iusta et rationabili causa in aliquibus casibus particularibus mandare alumnis ut coram se sistant pro impetrandis facultatibus.

513

An liceat aliquando altaria ab ecclesiis auferre.

S. C. S. Officii *4 Iulii 1776* — TUNKIN. ORIENT. — Utrum liceat altaria et mensas tempore persecutionis ab ecclesiis auferre.

R. Affirmative, dummodo non adsit scandalum et contemptus religionis.

514

De celebratione Missae pro acatholicis.

S. C. de Prop. F. *19 Aug. 1776* (C. G.). — Non licere celebrationem Missae pro turcis et schismaticis.

515

De captivorum emptione furto sublatorum.

S. C. S. Officii *12 Sept. 1776.* – COCINCIN. – Ab aevo cambodienses christiani in sui famulatum emunt laossenses aliosque ex populis confinibus, idque agunt etiamsi dubium fundatum sit, immo etiamsi aliquando certo sciant, quod illa mancipia fuerint in patria sua furto ablata.

R. *Instructio Pii PP. VI:* In primis distinguendum est, num captivi laossenses qui a plagiariis veneunt, sublati fuerint *legitimo eorum domino*, vel potius liberi ac proprii iuris in plagiariorum iniustam servitutem devenerint. In primo casu non licet eos emere; etsi enim iniuste a plagiariis detineantur, nefas tamen est alienas res furto ablatas emere invito domino. In secundo casu iterum pariter distinguendum est, num laossenses se christianis venum ire detrectent, vel consentiant: si detrectant, emi nequaquam possunt, ipsi enim captivi domini sunt propriae libertatis, quamvis iniuste iis per furtum a plagiariis ereptae. Si vero postquam plene edocti fuerint iure sibi libertatem competere, a qua nonnisi aliorum iniuria excideruntur, ultro et sponte sua, et ex libera et propria voluntate, tamquam rerum suarum domini, se exhibeant christianis *ut ab eis recipiantur et detineantur in servitutem* eo prudenti consilio ut a graviori et dura plagiariorum servitute soluti, a qua ipsis datum non fuerit alio modo se emancipare, mitiorem apud emptores christianos servitutem sortiantur, penes quos etiam facile sibi persuadere poterunt, venire posse in agnitionem veri Dei cultus, eumque inaestimabili animarum suarum compendio profiteri; in his sane circumstantiis permitti poterit christianis, habito etiam respectu ad favorem fidei, ut possint eiusmodi captivos iusto pretio sibi comparare, et *in propriam servitutem redigere et retinere,* dummodo eo animo sint, ut eos tractent secundum praecepta caritatis christianae, et curent etiam rudimentis fidei illos imbuere, adeo ut, si fieri poterit, in libertatem filiorum Dei, quae in sola Catholica Ecclesia est, nulla tamen coactione facta, sed tantummodo opportunis suasionibus et hortationibus, libere et feliciter traducantur per eorum conversionem ad veram fidem.

516

An baptizandae puellae, ethnicis in matrimonium promissae.

S. C. de Prop. Fide *3 Ianuarii 1777* (C. P. PRO SIN.). — 1. Multi sunt inter christianos, praesertim novos, qui tempore gentilitatis promiserunt in matrimonium filias suas gentilibus: maxima autem difficultas est rescindendi huiusmodi contractum, neque ulla via ad id possunt cogi infideles, qui ad Praefectos appellant, quando puella ipsis denegatur, et causam semper obtinent consequenter ad leges Imperii. Quaeritur num istae puellae ante adultam aetatem licite possint baptizari, saltem quando harum pater vel mater, vel uterque, fidem amplectuntur, ab iisque usque ad matrimonii tempus possunt christiane educari. Ratio dubitandi nobis est, ex una parte quod si baptizentur, et postea cogantur gentilem ducere, forsan, deficientibus conditionibus requisitis, non erit locus dispensationi, et tunc matrimonium nullum erit, aut gravissimas molestias a Praefectis sustinebunt, qui habent ius per vim illas maritis tradendi, quando puellae matrimonium recusant. Ex altera parte, forsan ante matrimonii tempus resiliet a sponsalibus futurus maritus; vel ipse morietur, vel ipsa puella; vel fiet christianus; vel saltem locum dabit conditionibus quas exigit S. C. ad dispensandum. Nihil nunc probabiliter determinari potest, quia futuri sponsi adhuc in infantili aetate constituuntur.

De muliere post matrimon. baptizata, cuius prolis fides, vivente viro infideli, nullatenus est tuta.

2. Utrum mulier christiana, quae, postquam viro infideli coniugio fuit copulata, baptismo fuit abluta, cuiusque fides tuta est sub iugo mariti sui, sed eo vivente nullatenus tuta est fides prolis ex eo sive iam susceptae sive suscipiendae (separatio autem obtineri non possit absque gravibus damnis), ad Sacramentum Poenitentiae admitti possit absque eo quod praecedat divortium, ad minus quoad thorum.

3. Utrum dicta mulier saltem tum ad Sacramentum Poenitentiae admitti possit, cum ei praeclusa sit omnis spes prolis habendae, absque eo quod praecedat divortium, saltem quoad thorum?

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, dummodo promittat se fore curaturam omnibus modis educationem prolis in religione christiana.

Ad 3. Affirmative iuxta modum ut supra.

517

De matrimoniis christianorum qui ante conversionem ad fidem uxores suas gentilibus vendiderunt.

S. C. de Prop. Fide *3 Ian. 1777* (C. P. pro Sin.) – Sutchuen – Plures sunt inter christianos qui tempore gentilitatis vendiderunt proprias uxores gentilibus, postea fidem amplexi sacrum Baptisma receperunt, et bona fide novum matrimonium inierunt cum christianis mulieribus absque ulla praevia monitione, sive quia ipsius necessitatem ignorabant, sive quia nimis distabat vendita uxor, sive quia nesciebant ubi nunc degeret, sive tandem quia timebant ne propter monitionem male haberentur apud secundum maritum, et religione christiana apud Praefectos accusarentur. Quaeritur:

1. An matrimonium in his circumstantiis factum validum sit.

2. Num et quandonam competat Vicariis Apostolicis huius partis ius dispensandi a praedicta monitione, praecipue si ex secunda uxore christiana liberos susceperit christianus. Si vero non competat, suppliciter postulatur.

3. Quando istae mulieres sic venditae ad provincias migrarunt in quibus abundat christianorum numerus, nec possunt inveniri, nec ullum nuntium de illis est: num ignorantia facti utrum forsan christianae factae fuerint antequam venditor transiret ad secundas nuptias, dispensationem debeat impedire.

4. Denique utrum, in hypothesi in qua possint moneri istae mulieres, sufficiat semel ipsas hortari sive per se, sive per alium, ut fiant christianae, nihil dicendo de matrimonio ita ut si hac vice nolint praedictae mulieres converti, licitum sit parti fideli transire ad novas nuptias.

R. Supplicandum SSmo pro concessione Indulti iuxta decretum et Instructionem S. Officii anni 1760 quae transmittatur *(V. n. 430)*, et Breve Gregorii XIII anni 1585 *(V. n. 400)*.

518

De contributione pro aedificandis ethnicorum templis.

S. C. de Prop. F. *3 Ianuarii 1777* (C. P. pro Sin.) – Fokien. – Il governatore della provincia esige una colletta per fabbricare un tempio a Confucio, e vi concorrono alcuni cristiani.

R. Omnino non licere.

519

Circa prohibitionem publicandi libros de religione et de rebus ecclesiasticis.

S. C. de Prop. F. *3 Ian. 1777* (C. P. pro Sin.) – Sutchuen – S. C. prohibuit, decreto sub die 28 Decembris 1770 dato *(V. n. 482)*, ne scripta quaecumque vel libri publicentur, sive de religione directe vel indirecte tractantes, sive disserentes de rebus ecclesiasticis, absque praevio examine atque approbatione ipsius S. C. – Quaeritur: – 1. Num sub hac prohibitione comprehendantur scripta vel libri latini, aut alterius idiomatis apud catholicos in Europa passim communes, veluti *Imitatio Christi, Evangelia et Epistolae totius anni, Catechismus D. de Fleury, Mores israelitarum et christianorum (eiusdem auctoris), Acta Martyrum D. Ruinart*, caeterique id generis qui in sinicum sermonem verti possunt, aut iam versi, huiusque Imperii fidelibus verbo Dei per unum annum, et quandoque amplius destitutis, maxime utiles forent.

2. Licetne quosvis libros, iam ante decretum supradictum impressos erroribusque expurgatos, praevio examine et approbatione solius Vicarii Apostolici, aut alterius ab ipso ad id deputati, de novo typis mandare et publicare?

3. Si ex Cocincina et ex Cambodia, ad quas non extenditur supra memoratum S. C. decretum, ad nos mittantur scripta vel libri sinici de religione vel rebus ecclesiasticis disserentes, posito quod iudicio Vicarii Apostolici aut eius deputati nullus reperiatur in iis error, licebitne ea divulgare et publicare? Ratio quaesiti nobis est quia Vicarius Apostolicus praedictarum regionum intendit libros sinicis characteribus exaratos pro bono suae Missionis componere et publicare, quorum exemplaria Missioni Sutchuen promisit.

R. Attentis peculiaribus circumstantiis, permitti posse Vicario Apostolico ut in eius districtu, praevio ipsius examine atque approbatione eiusdem S. C., edi ac publicari possint, etiam lingua sinica, libri iam in Europa compositi et vulgati cum communi approbatione ecclesiastica, exceptis prohibitis a S. Sede vel nominatim vel generaliter in Indice expurgatorio, inter quos videntur esse nonnulli ex enunciatis nuper ab eodem Vicario. In reliquis servetur Decretum ann. 1770.

520

An liceat missionariis merces commutare.

S. C. S. Officii *6 Martii 1777*. — In Cambodiae provincia, ubi pecunia vel non est usui, vel nullo fere in pretio, solent ceteri merces vehere, ad iisdem vitae commodis necessaria commutanda. Quaeritur an idem liceat missionariis vel saltem collegio. Ratio dubitandi est quod alibi vel non vaeneant, vel carissimo pretio.

R. Licere per viam permutationis, quoad res correspondentes aliis rebus ad vitae necessitatem comparandis dumtaxat.

521

De sinicis prostrationibus *(Koteou)* erga defunctos.

S. C. S. Officii *10 Apr. 1777* — Sutchuen — 1. Num liceat prostrationes sinicas, vulgo *Koteou,* tanquam purae civilis observantiae signa erga progenitores defunctos aliquo in casu, gravium nempe inimicitiarum, vel persecutionis, permittere, non obstante prohibitione Sedis Apostolicae.

2. Cum difficile admodum sit christianos avertere a prostrationum praxi, an probandum sit missionariorum quorundam consilium, ut ante omnes orationes et caeremonias defunctus sepeliatur, nec nisi illo terrae demandato, fiant preces cum luminaribus et aliis caeremoniis, quae nullam cum gentilibus uniformitatem habent, aut superstitionis speciem habere videntur.

An prohibendi aliqui ritus Ecclesiae erga defunctos, ob uniformitatem cum caeremoniis gentilium.

3. An opportunum sit prohibere usum thuris et cereorum in exequiis defunctorum, preces quoque flexis genibus ad mortuorum sepulchra; ex iis quippe ritibus uniformitatem habentibus cum caeremoniis gentilium, et christiani parum tuti in fide facile revocantur ad pristinos errores, et infideles scandalizantur, putantes, christianos eumdem, quem ipsi, cultum defunctis praebere.

R. Ad 1. Mirata est plurimum Sanctitas Sua, post editas a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis Clemente XI et Benedicto XIV novissimas Constitutiones postque Instructionem anno 1753 ab hac Sac. C. de Prop. F. Orientali primum Tunkinensi Vicario Apostolico datam *(V. n. 386),* ad alias deinde Missiones extensam, qua cultus civilis defunctorum, quos intra limites contineatur, exprimitur, sinicas rursus prostrationes obtendi tamquam civilem et politicum dumtaxat cultum prae se ferentes, cum ex praefatis Constitutionibus, praedictaque Instructione, liquido constet prostrationes hasce a superstitione liberari nullatenus posse, quamlibet etiam gerant mentem, vel protestationem edant earum actores, aut a re quavis alia superstitionem olente easdem separent; sunt enim de se illicitae et superstitiosae, neque ideo malae quia prohibitae, sed prohibitae quia malae. Confidit nihilominus Sanctitas Sua nullam in posterum super his prostrationibus motum iri quaestionem, et, intrinseca earum pravitate inspecta, cunctos in Sinarum Imperio, aliisque finitimis Regnis et Provinciis, evangelicos operarios non modo in eumdem sensum, pro suo religionis studio ac puritate, suaque huic Sanctae Sedi debita reverentia, uniformiter consensuros, sed omnem praeterea operam daturos, ut opinio mere civilis obsequii in hac caeremonia quomodolibet implenda a suis quoque neophytis penitus eliminetur, eiusque praxis omnino arceatur, qualiscumque fuerit casus.

Ad 2. Improbavit Sanctitas Sua huiusmodi consilium; et sacras caeremonias ac ritus, quibus catholica Mater Ecclesia saluberrime utitur in filiorum suorum exequiis, sedulo servari praecipiens, mandavit consueta suffragia et Missam, praesente quantum fieri potest corpore defuncti, celebrari, antequam sepulturae tradatur. Quod si casus aliquando occurrat ut, retento super humum cadavere, certo praevideat missionarius futurum prostrationum periculum, nec illud valeat possibili quovis conatu praecavere, tum dumtaxat ante omnes orationes et quarumcumque caeremonias defunctum sepeliri benigne indulget Sanctitas Sua. Potius est enim ut laudabilis aliqua consuetudo quandoque immutetur vel nonnullo spirituali bono privetur defunctus, quam certus relinquatur idololatriae locus. Caeterum videant attente missionarii ne casum huiusmodi passim confingant, neve tunc urgere sibi arbitrentur, cum efficacibus monitis ac persuasionibus superstitionis posset periculum amoveri: super quo missionariorum, et eorum qui praesunt graviter oneratur conscientia. Eosdem praeterea cavere iubet Sanctitas Sua ne, revera instante necessitate, ullum corpus humari permittant, nisi post debitum temporis intervallum quo nulla de morte supersit dubitatio.

Ad 3. Antiquissimi ac piissimi moris ecclesiastici cum sit, cereos accensos in exequiis et funeribus defunctorum deferre, eosque feretrum iuxta corpusve defuncti circumponere, ac thus adhibere suis loco ac tempore, praecepit Sanctitas Sua ritum hunc omnimodis retinere. Nec facile pertimescendum fidelium vel infidelium scandalum, cum caeremoniae a caeremoniis differant, et aliter accendi lumina incensumque aduri a gentilibus quisque noverit, aliter cereos ac thus adhiberi ab Ecclesia Catholica: nec rei eiusdem usus, si modus diversus est, sufficiat inferendae institutioni eidem. Missionariorum praeterea est insipientes ac debiles, cum fert opus, instruere, et rituum diversitatem, diversumque Ecclesiae sensum suos praesertim neophytos edocere; casus propterea iustae timendae offensionis difficillimus est, quo caeteroquin occurrente, et insuperabili viso (nec enim praevideri omnia possunt quae a temporis locique circumstantia, vel personarum pendent) tunc solummodo permittit Sanctitas Sua a praedictis ritibus abstinere. Verum, ut superius dictum est ad 2, caveant omnino missionarii, ne casum effingant aut amplient, inconsiderata praesumptione, cuius districtam rationem Deo suisque Praelatis sint reddituri. Genuflexiones autem fidelium quod spectat, cum orant ad mortuorum sepulcra, siquidem nulla ecclesiastica lege praescriptae inveniuntur, has voluit Sanctitas Sua posse a Missionum Praefectis, aliisque Ordinariis, ac debere interdici, quoties affinitatem habeant cum gentilium prostrationibus, vel aliam quamlibet mali occasionem vel speciem prae se ferant.

522

Super nonnullis dubiis quoad Baptismi administrationem.

Instr. S. C. de Prop. F. *17 Apr. 1777.* — Retulit ad hanc S. Congr. P. Didacus a Varallo, qui Tripolitanis missionibus multos annos praefuit, plurimas, non sine gravi animarum detrimento, inter earum partium verbi divini administros subortas esse circa Baptismum dubitationes: An et quemadmodum pro diversis cum personarum tum periculi circumstantiis liceat ipsis, aut etiam ex debito incumbat, salutari lavacro infidelium, qui sibi consulere non possunt, necessitati subvenire. Quas dubitationes decem capitibus comprehensas, sed insuper multis velut incidentibus quaesitis implicatas S. Congregatio, diligenti examine adhibito, facile agnovit non tam nova ulla sanctione seu definitione indigere, quam simplici quadam explanatione communis doctrinae, quae de Baptismo infidelium filiis praebendo ex veteri Ecclesiae consuetudine profecta, multis identidem declarata est et confirmata Sacrarum Congregationum decretis et Apostolicis Constitutionibus, quarum summam duobus novissime decretalibus Benedictus XIV complexus est, opportunisque pro casuum et circumstantiarum varietate partitionibus velut distinctis luminibus illustravit. Atque ex his quidem tria imprimis documenta suppetunt ad subiectam materiam propius pertinentia, e quibus in omni eius generis dubitatione sacri ministri consilii capiendi agendique normam petere debebunt. Sunt autem 1. Extra imminens mortis periculum non licere invitis aut insciis parentibus baptizare infantes filios eorum infidelium qui aut suis legibus vivunt, aut christianorum imperio vel dominio civiliter tantum subiecti sunt. 2. Nec baptizandos eiusmodi filios infantes, ultro etiam ac sponte a parentibus oblatos, si post baptismum, in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. 3. Sic infantibus eisdem in proximum vitae discrimen adductis baptismum impertiendum, modo id fiat sine scandalo: quae plane constabunt ex decretis inferius proferendis. Ne vero in huius generalis doctrinae applicatione ad peculiares casus ambigendi locus relinquatur, censuit Sacr. Congregatio singulis quaestionum propositarum articulis totidem esse responsionibus satisfaciendum.

An baptizandi infantes filii infidelium.

An iidem baptizandi si sint amentes.

I. Primum quaesitorum caput tria haec dubia complectitur: 1. Utrum licite baptizari queant infidelium filii amentes a nativitate, de quibus nulla spes est fore ut aliquo deinceps rationis intervallo potiantur. 2. Utrum sacri administri teneantur de huiusmodi amentibus inquirere eosdemque baptizare. 3. Utrum per se, an per alios.

R. Quoad primum communis est doctorum sententia duce S. Thoma 3 p., q. 68, art. 12, amentes a nativitate in quibus nec praesens apparet, nec futurus speratur usus rationis, inter infantes computari, et quoad susceptionem Baptismi, eodem casu esse per totam vitam atque pueri qui versantur in proximo mortis periculo: sicut enim isti pueri, quia nondum rationis usum attigerunt, consulere sibi non valent, sic nec illi amentes ullo vitae tempore providere sibi possunt, quia, utpote perpetuo amentes, nunquam rationis usum attingunt. Quatenus ergo vere probabili ac prudenti iudicio censeatur illa rationis impotentia, licite baptizari possunt. Neque enim quoad huiusmodi amentes locum habet ea ratio quae generatim obstat ne licite baptizentur filii infidelium invitis parentibus, quod nimirum, praecavendae perversionis causa, non sine parentum offensione essent ab eorum cura et potestate abstrahendi: non, inquam, valet haec ratio quoad perpetuos amentes, quos a perversionis periculo subtrahit perpetua ipsorum amentia, tutoque ideo possunt in cura et potestate parentum relinqui. Caute tamen ac prudenter in illis aut inquirendis aut baptizandis gerere se sacros ministros oportebit, ne in christianam religionem infidelium odium, et saevitia in fideles concitetur.

Quoad secundum: cum sacris ministris id imprimis propositum esse debeat, ut Christo et Ecclesiae quamplurimas possunt animas lucrifaciant, non est ambigendum quin ad inquirendos et baptizandos huiusmodi amentes, teneantur moralem eam omnem diligentiam praestare, quam proprii muneris ratio in rebus gravissimi momenti exposcit: ea semper cautione adhibita, quam ad vitandum scandalum christianae prudentiae leges praescribunt.

3. Ad id vero tenentur missionibus addicti sive per se ipsos, quatenus legitime impediti non sint, sive per alios, quorum vicariam operam tum maxime laudabiliter adhibebunt, cum perspexerint commodius ac tutius per alios quam per se ipsos amentium saluti consultum iri.

II. Secundo dubio quaeritur quemadmodum se gerere missionum administri debeant erga filios infidelium amentes, quorum non ita stupida est amentia, ut non aliqua edant rationis indicia, in his maxime quae ad animalis vitae rationem pertinent, in quibus videlicet imbecilla quaedam se prodit vis et facultas rationis qualis apparet in pueris quatuor vel quinque annorum, quique adeo praecipua fidei mysteria percipere satis non valent. Quaeritur insuper an peccent ministri qui amentes huiusmodi quasi praescitos habentes, omnem de illis curam et sollicitudinem abiiciunt.

R. Ubi difficultas suboritur in gradu velut amentiae diiudicando, res eo demum revocanda est ut exploretur, an ii de quibus quaeritur tali rationis usu polleant, quo boni et mali moralis discrimen agnoscere, atque adeo in malo eligendo, culpae se reos reddere valeant. Hinc triplex casus emergit: vel enim moraliter constat

eos tali facultate pollere, vel moraliter constat non pollere, vel denique post sufficiens examen dubium incertumque manet an polleant. Primo itaque, si prudenti iudicio peccati capaces existimantur, utendum regula quam praescribit S. Thomas 3 p., q. 68, art. 12, his verbis: *Quidam sunt qui, etsi non omnino sanae mentis existant, in tantum tamen ratione utuntur, quod possint de sua salute cogitare et intelligere Sacramenti virtutem: et de talibus idem est iudicium, sicut de his qui sanae mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inviti.* Isti ergo more adultorum ad baptismum adducendi sunt. Qua in re servandae omnino regulae quas Ecclesia praescripsit, quasque utpote in Catechismo Romano dilucide explicatas, non attinet hoc loco repetere.

2. Si prudenti iudicio culpae capaces non censentur, velut pueri qui non adhuc sufficientem rationis usum attigerunt, tum distinctione utendum: vel enim ista rationis impotentia perpetua fore prudenti etiam iudicio existimatur, suntque baptizandi, ut superius ad primum dubium dictum est; vel spes aliqua subest fore ut deinceps esse magis in ipsis facultas rationis exserat, tumque iterum distinguendum: aut enim in proximo mortis periculo versantur, suntque baptizandi, modo id fiat sine scandalo; aut non adest huiusmodi periculum, suntque expectanda certiora rationis indicia, ut more adultorum ad fidem et baptismum adducantur.

3. Quod si dubia tantum signa suppetunt, locus erit prudenti regulae quam suppeditant probati doctores, nimirum: si necessitas non urgeat, expectari potest ac debet commodior et maior cognitio; si autem necessitas urgeat, tunc in casu dubio inclinandum in favorem religionis et fidei christianae, et spiritualis salutis baptizandi.

Ceterum qui eiusmodi homines quasi damnatos iam ac desperatos negligunt, turpem negligentiam turpiori excusatione obtegere satagunt. Deo soli compertus est electorum numerus in superna felicitate locandus, estque prorsus insanae temeritatis id sibi iudicium arrogare: *Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit?* (ad Rom. II). Hoc potius cogitent religiosi viri nolle Deum aliquem perire, sed omnes ad veritatis agnitionem venire, ipsosque in partem eius muneris vocatos, quod a Christo discipulis suis demandatum est, ut eant et fructum afferant, ut pro Christo legatione fungantur, atque in salute hominum procuranda Christo inserviant et collaborent.

Nusquam igitur fas est amentes illos negligere, sed intentis semper oculis et animis prospiciendum, ut siquidem in proximo mortis periculo versentur, eos prudenti cautione adhibita minister baptizet; sin minus, opportuna momenta expectet, ut, cum sufficientia rationis indicia ediderint, eosdem more adultorum ad suscipiendum Baptismum rite praeparent.

III. Utrum ipsi ministri, antequam ad Baptismum amentibus huius secundi generis aut praebendum aut negandum sese inducant, rem totam, ubi sine gravi incommodo fieri potest, ad Episcopos, Vicarios vel missionum Praefectos referre teneantur, ab eisdemque consilium et agendi normam petere?

R. Tenetur quisque in suo munere fungendo errandi periculum, quoad licet, praecavere, omnemque quam rei gravitas postulat diligentiam in id adhibere. Nil porro tam consentaneum ecclesiasticae disciplinae et ordini hierarchico a Christo in Ecclesia instituto, quam ut inferiores in sacris muneribus obeundis a superioribus dirigantur. Proinde ubi casus incidit quo sacerdos missionibus addictus anceps animi pendeat, num, attentis circumstantiis, fas sit nec ne Baptismum ministrare, non satis ille errandi periculum precavere censendus est, si, ubi commode fieri potest, maiores suos adire negligit, et paratum sibi in eorum sententia consilio et auctoritate subsidium respuit.

IV. Ubi non adsunt Episcopi, Vicarii aut Praefecti, num qui missionibus dat operam, proprio consilio inducere sese debeat ad baptizandos praedictos amentes, adhibito prius diligenti examine imploratoque Sancti Spiritus ope.

R. Tenentur sane religiosi ministri eo casu et diligens examen adhibere, et divinam opem enixe implorare. Sed meminerint in eo studium suum imprimis versari oportere, non ut ipsi novas sibi regulas fingant, sed ne in applicandis Ecclesiae regulis aberrent. Quae sint autem istae regulae, quod ad proposita dubia pertinet, partim ex iam dictis intelligi possunt, partim ex dicendis innotescent.

Circa baptismi conditionati formulam.

V. Utrum licite ageret minister qui post diligens examen ambiguos illos amentes, praetermissa instructione, occulte baptizaret, hanc vel simili conditione adhibita: *si incapax es auditus fidei, vel irremediabilis et invincibilis ignorantiae tenebris involutus:* aut etiam simplicius: *si incapax es instructionis et doctrinae adultis necessariae ante susceptionem baptismi, ego te baptizo etc.*

R. Nil ad hoc praecludendum dubium aptius afferri potest praeclara illa sententia D. Thomae 2–2, q. 10, art. 12: *Maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae semper et in omnibus aemulanda.* Huius consuetudinis auctoritate potissimum inductus est S. Doctor, ut negaret licere filios infidelium invitis parentibus baptizare, ut habetur in Const. *Postremo mense* n. 6, quo minime mirum est illam S. Thomae doctrinam et ab aliis communiter receptam, et cum aliorum tribunalium ecclesiasticorum, tum etiam Supremae Inquisitionis sententiis atque iudiciis roboratam et confir-

matam esse, quemadmodum testatur Benedictus XIV laudata Constitutione *Postremo mense* n. 2, et Constitutione *Probe* n. 10. Eiusdem porro consuetudinis auctoritas perinde valet ad illam excludendam conditionis formulam, quae in Baptismo ministrando adiicienda proponitur. Tribus fere de causis comperimus Ecclesiae consuetudine invaluisse, ut conditio in Baptismo conferendo adhibeatur, cum de Baptismo antea collato, utrum nec ne valeat prudenter dubitatur; cum necessitas cogit dubiam materiam adhibere; cum dubitatur num subiectum capax sit Baptismi, velut in mostruosis partubus, vel, ut in partu difficili, cum dubitatur num Sacramentum confici valeat eam partem abluendo quae sola potest ablui. Uno verbo: conditio ex Ecclesiae consuetudine in Baptismo tum adhibetur, cum dubitandi locus est, num aliquid defuerit aut desit quod ad valorem Sacramenti requiratur. Quoties vero constat nil tale deesse, nusquam auditum est licere ministro, dum ritum Baptismi exequitur, conditiones ex suo arbitrio adiicere quibus Sacramenti confectio impediatur. Proinde quod in illo primo casu S. Thomas concludebat, hic etiam concludendum est, periculosum esse praeter consuetudinem hactenus in Ecclesia observatam, hanc de novo assertionem inducere. Quamobrem sacros ministros ab usurpanda proposita formula omnino abstinere oportebit, eamque normam sequi quae ad secundum dubium praescripta est.

Infantes infidelium filii iuvitis aut insciis parentibus haud baptizandi.

VI. Utrum missionum ministris id liceat quod ab Honorato Turnelio propositum dicitur, qui, exposita quorumdam theologorum sententia existimantium infantes filios infidelium omnes insciis parentibus baptizari posse, subiicit, ut fertur, se in eo casu ad Sanctam Sedem aut ad viciniores Praelatos petendi oraculi causa recursurum: hoc praesidio deficiente, imploraturum Sancti Spiritus opem, atque ex eius ductu agendi consilium sumpturum, ac demum in tali materia unumquemque in sua sententia relicturum.

R. Doctorum opiniones ad Ecclesiae decreta sunt exigendae, non ipsa decreta ad opinantium libitum inflectenda. Proinde quidquid Turnelius aut privati alii senserint, firmior hic adest auctoritas posita in Summorum Pontificum constitutionibus et sacrarum Congregationum decretis, quae omnem nunc fidem penitus abrogant ei opinioni quae isto quaesito suscitari quodammodo videtur, quae generatim statuit licere infantes filios infidelium invitis aut insciis parentibus baptizare. Sane Bened. XIV Constit. *Postremo mense* num. 7, proponit velut fixum ac ratum, *quod nefas sit hebraeorum infantes reluctante parentum arbitrio baptizare,* nisi tamen urgeat mortis periculum, ut deinceps explicat. Ac ne quis per calumniam vellet aliud esse *invitis,* aliud *insciis* parentibus agere, inane istud ac plane commentitium discrimen exploditur Constitutione *Probe* n. 10, ubi S. Thomae doctrinam probat, qua docet infantes infidelium *sine parentum consensu* nequaquam baptizari posse. Quam doctrinam Pontifex ait et communiter receptam, et ecclesiasticorum tribunalium iudiciis confirmatam.

Ad planiorem porro huius doctrinae explanationem, operae pretium fuerit tria hic potissimum S. Congregationis (S. Off.) decreta subiicere, quae superius indicata quidem fuere, sed quae reiicere in hunc locum oportuit; ut responsorum series dubiorum seriei responderet. Primum anno 1705 die 18 Febr. quo in Constit. *Postremo mense* n. 8, quaestioni respondens felicis memoriae Praesulis Caroli Naigrot: « An filii infantes infidelium possint baptizari invitis parentibus? » editum est sequens responsum: « Emi audito voto DD. Consultorum dixerunt » non licere, nisi in articulo mortis ». Alterum quo ad postulatum Episcopi Quebec. de infantibus quos parentes ultro et sponte ad baptismum offerunt, responsum est die 3 Maii 1703. « Non licere si sint filii infidelium, et in pote» state eorum relinquendi, secluso tamen mortis » imminentis periculo ». Cui consentaneum est aliud editum die 13 Martii 1770. « Non licere » extra mortis periculum conferre Baptismum » (infantibus) ab utroque parente infideli oblatis, » quoties iidem infantes post receptum Baptisma » sub potestate et educatione eorumdem infide» lium genitorum sunt relinquendi ». Tertium die 28 Ianuar. 1637 ad dubium de infidelium infantibus filiis in proximo vitae discrimine constitutis responsum est: « Baptismum posse con» ferri infantibus in articulo mortis moraliter » certe constitutis, si tamen id fiat sine scan» dalo ». Ex quibus decretis tres illae generales praeceptiones eruuntur quae initio attingendae fuerunt, ut ad ipsa dubia enodanda ratio et via praemuniretur, nimirum: 1. Non licere nisi in articulo, seu moraliter certo imminentis mortis periculo, infantes infidelium filios invitis seu insciis parentibus baptizare. 2. Neque licere extra idem periculum seu articulum (siquidem in decretis *articulus* et *periculum* promiscue accipiuntur) infantes a parentibus infidelibus ultro etiam oblatos baptizare, si post baptismum in parentum infidelium potestate relinquendi sunt. Neque ad huius praescriptionis vim infringendam aut effugiendam valere debebit discrimen quod obiici solet inter materialem ac formalem perversionem. Hanc distinctionem non ignorabat magnus ille Pontifex Benedictus, qua tamen non attenta, generatim pronunciat (Constit. *Postremo mense* n. 23), grave perversionis periculum in hac materia rem esse maximi momenti. Idemque constat ex allatis decretis omnino praecavendum. 3. In ipso quoque mortis articulo baptizandos quidem filios infantes infidelium, sic tamen ut scandalum vitetur, nec proinde maius

quoddam infidelium odium in christianam religionem atque in christianos saevitia concitetur. Proinde in omni eventu divinam sane opem implorent sacri ministri, ne unquam aut istorum decretorum oblivio eos capiat, aut fas sibi esse putent privatum suum iudicium eisdem anteferre.

VII et VIII. Utrum liceat opinione illa superius exposita saltem uti cum, saeviente peste, de centum pueris, ut plerumque accidit, nonaginta pereunt; aut cum populares morbi pessimae indolis multo maximam partem absumunt puerorum, antequam rationis usum attingant?

R. Repetenda hic sententia D. Thomae de maxima parte auctoritatis quae inest in Ecclesiae consuetudine quae semper in omnibus est aemulanda, et adversus quam periculosum est nova inducere. Non defuerunt primis Ecclesiae saeculis, dum christiani cum infidelibus permixti degebant, vastitates et pestilentiae; nec propterea in more unquam positum fuit, ut Ecclesiae ssmi Pastores pueros infidelium quibuscum vivebant, invitis vel insciis parentibus baptizarent. Degunt etiam nunc vel in alma Urbe inter christianos hebraei, suisque moribus vivere permittuntur; nec tamen Summi Pontifices unquam concessere ut sive palam sive occulte infantes hebraeorum filii invitis aut insciis parentibus baptizarentur ob eam causam, quod saeviente populari lue multo plures ex illis infantibus intereunt. Ex quo facile intelligitur duplicem, quod ad praesens institutum pertinet, periculi rationem distingui oportere, videlicet: periculum illud commune et vagans quod sanis etiam hominibus in iis locis impendet, quae populari morbo affliguntur; alterum proprium ac certum, in quo sunt quos mali tabes inficit, aut qui quocumque modo in praesens vitae discrimen adducuntur. Pontificum porro constitutiones et Congregationum decreta, dum filios infidelium invitis parentibus baptizari vetant praeterquam in mortis periculo, loquuntur de isto praesenti periculo quod hominem baptizandum determinate attingit, quodque interdum velut per synonymam vocem nomine *articuli mortis* exprimitur, non autem loquuntur de illo communi et vaganti periculo, in quod nec vocabulum nec notio articuli mortis ullo modo convenit.

Deinde animadvertendum, tametsi vi morbi plerique infantes absumantur, semper tamen nonnullos superesse vel quibus morbus pareit, vel qui morbum vincunt. Isti porro, si omnes indiscriminatim infantes baptizantur, consequens est ut sub cura infidelium remaneant, pravis eorum superstitionibus imbuendi. Atque hoc ipsum est quod fieri vetant et Pontificum constitutiones et Sacrarum Congregationum decreta.

In illa tamen vastitate quam interdum barbaris praesertim regionibus exitiales morbi afferunt, erit plane in quo religiosi viri laudabilem operam impendant, ingentemque laborum suorum fructum referant. Multum proficient illos baptizando qui *in articulo mortis moraliter certo constituti*, ex laudatis decretis, caute semper ac prudenter baptizandi sunt. Qua in re studiose providere debent ne quis eorum incuria et negligentia pereat. Deinde illis calamitosissimis temporibus contingere quandoque poterit, ut extinctis parentibus dissipatisque incolis, plerique pueri abiecti ac deserti iaceant omni humana ope destituti. In illis perquirendis miseris infantibus praesentem et eximiam suae charitatis significationem edent religiosi viri missionibus addicti, non ut eos raptim baptizatos denuo abiiciant, sed colligant, paterna pastoralique ope iuvent curentque ut sive sua, quoad facultates ferent, sive exterorum opera, quibus illos rite commendare poterunt, ii pueri ab infidelium convictu seiuncti ad christianae vitae officia, simulque ad honestum aliquod laboris vel opificii genus instituantur.

IX. An potiori iure infantes filii haereticorum vel schismaticorum qui sub dubia materia vel forma baptizari solent, denuo sub conditione baptizari queant, dum videlicet non adhuc idonei sunt percipere speculativos errores parentum?

R. Involuta quaestio ac per partes singillatim enodanda. Quaeritur enim: 1. De baptismo infantibus haereticorum vel schismaticorum filiis ministrando. 2. De causa baptismi sub conditione iterandi. 3. De usu vel facultate rationis in puero baptizando.

Quoad 1. Certum est quidem penes Ecclesiam ius esse baptizandi infantes filios haereticorum, vel schismaticorum, ac praepedire ne parentum erroribus imbuantur: neque de hoc Ecclesiae iure ulla dubitatio moveri potest. Cardo proinde difficultatis in hoc vertitur, quid agendum cum Ecclesia ius illud suum exequi non potest, nec periculum amovere quod infantibus illis imminet, dum sub cura et potestate manent parentum haereticorum vel schismaticorum. Hinc non immerito sacri ministri uti poterunt praestantium theologorum sententia qui censent. « Idem dicendum videri in eo casu de » haeretico et de quocumque alio infideli, si » idem sit morale periculum ». Ex quo concludunt, ut minister catholicus licite baptismum praebeat, « necessarium esse ut probabilem spem » concipiat, fore ut huiusmodi puer baptizatus » possit suo tempore in vera fide instrui. Quod » si nulla via possit huiusmodi spem moralem » habere, deberet certe potius a baptismo abs» tinere, supponendo parvulum non esse in ex» trema necessitate, in qua quilibet alius ba» ptizari potest ».

Quoad 2. Ubicumque ad alias haereticorum pravitates haec etiam accedit, ut ad Baptismum dubiam materiam vel formam adhibeant, id

sane satis est causae, cur Baptismus sub conditione iterari debeat. Verum hac in re non quibuscumque rumoribus plane fidendum; sed ritus, quo puer baptizatus est, diligenter, quantum fieri potest, ac sollicite indagandus, tumque, si dubius manet valor prioris baptismi, baptizandus iterum erit sub conditione, siquidem casus incidat quo ex superiore doctrina Baptismus sit ministrandus.

Quoad 3. Latet aliquid ambiguitatis in extrema illa clausula, dum haereticorum vel schismaticorum filii *nondum idonei sunt percipere speculativos errores parentum*. Hic subobscure significatur provectior aetas in qua adolescens, licet iam usum rationis attigerit, non eo usque tamen adhuc progressus est, ut subtiles parentum errores dignoscere valeat. De tali puero vel adolescente quaeri videtur, num minister catholicus licite possit illum vel absolute vel sub conditione baptizare, nullo verbo habito de illis speculativis erroribus, hoc praetextu quod nondum valet satis illos percipere. Uno verbo quaeritur utrum puer pollens iam usu rationis, in haeresi vel schismate educatus eique adhaerens, licite baptizari queat, quin antea de illius sectae erroribus, quibus iam imbutus est moneatur, atque ad illam sectam detestandam eiurandamque adducatur. Responsio petenda ex his quae de preparatione ad Baptismum adultis ministrandum in Rituali et Catechismo Romano praescribuntur, ac passim a catholicis doctoribus explicantur. Adultus baptizandus petit *ab Ecclesia* fidem, proindeque ipsum praecipua fidei christianae capita edoceri oportet, eamque fidem profiteri quam Sancta Catholica Romana Ecclesia tenet ac profitetur, eique Ecclesiae ac Supremo eius Capiti Romano Pontifici debitam obedientiam spondere. Quamvis ergo puer, de quo quaeritur, nondum valeat speculativos parentum errores propria velut intelligentia introspicere ac penetrare, non licet tamen eum ignorare sectam illam pravos errores profiteri ab Ecclesia damnatos, debetque omnino et illam sectam et eius errores eiurare ac detestari, seque catholicum romanum profiteri. Religiosi viri qui missionibus navant operam, id sibi muneris datum esse existimare debent, ut oves quae perierunt ad ovile Christi adducant. Quis autem ad ovile Christi pertinere illos censeat, qui sectis adhaerent quae ovile Christi insectantur, hostilemque animum instar luporum adversus Ecclesiam gerunt? Amplificatur Ecclesia illis aggregandis qui eam ut matrem ac magistram agnoscunt, audiunt et colunt, nec ut suos agnoscit qui datam sibi a Christo potestatem iuxta fidem ac praescriptum ipsiusmet Ecclesiae agnoscere ac vereri impie detrectant.

X. Utrum sub gravi teneantur missionibus addicti operam ac studium adhibere, ut idonei paresque fiant exequendis muneribus de quibus hactenus dictum est, ne perire sinant tot animas quae ipsorum incuria et laboris impatientia damnantur.

R. Nullus hic ambigendi locus. Certum est apud omnes unumquemque teneri moralem quam potest diligentiam in eo ponere, ut aptus idoneusque suis muneribus obeundis reddatur. Quae obligatio eo gravior est, quo gravioris momenti sunt ipsa munera quibus quisque fungitur. Ex quo patet quam gravi se culpa obstringeret ille minister cuius incuria et negligentia, quod Deus avertat, perire contingeret minimum quemque pusillorum, pro quibus Christus sanguinem suum fudit. Quocirca suum imprimis studium in id conferre debent sacri ministri, ut ea doctrinae subsidia comparent quae sibi necessaria sunt ad sua munera rite obeunda. Haec autem petere illos oportebit ex probatis auctoribus, iisque maxime qui de rebus ad missiones pertinentibus pertractarunt, quos, utpote satis notos, haud opus est hoc loco nominatim percensere. Imprimis vero respicere nusquam desinant in decreta et rescripta Sedis Apostolicae inviolabili auctoritate comprobata, quam Christus fidelibus suis voluit esse, ut omnis salutaris veritatis, sic omnis verae pietatis certissimam ducem ac magistram.

523

De iurisdictione Patriarcharum (orientalium).

S. C. de Prop. F. *15 Sept. 1777* (C. G.) — 1. Se convenga far decreto che un Vescovo (graeco-melchita) non possa in avvenire essere castigato da Mons. Patriarca se non coll' intervento degli altri Vescovi, o almeno di parte di essi.

2. Se Mons. Patriarca possa costituirsi un Vicario Generale che lo assista anche negli affari del Patriarcato.

R. Ad 1. Serventur canones Ecclesiae universalis, et constitutiones synodales nationis graeco-melchitarum.

Ad 2. Rmum Patriarcham posse sibi constituere Vicarium Generalem pro sua particulari dioecesi; pro exercitio autem iurisdictionis patriarchalis non posse.

524

De sumptione Eucharistiae sub duplici specie.

Ex Instr. S. C. de Prop. Fide *6 Decemb. 1777* (pro Chaldaeis). — Rispetto all'uso del Calice, Monsig. Elia (Patriarca de' Caldei) rappresenta l' insuperabile attaccamento di alcune popolazioni, aggiungendo ancora gli ingiusti rimproveri, che dagli eretici si fanno ai Prelati, che insistono per abolirlo, quasi che si proibisca quello che da Cristo fu a tutti accordato, anzi (come essi pretendono) comandato, onde cerca direzione in tali scabrosi frangenti. — Gli abusi e disordini per tal uso, succeduti in passato, e troppo facili a rinnovarsi in

avvenire, fanno desiderare, che dai laici si tralasci in ogni luogo l'uso del calice. Contuttociò se in alcuni paesi e contrade della giurisdizione di Monsignor Elia, trovandosi attualmente vigente un tal uso, si vuole assolutamente ritenere, nè apparisce possibilità di levarlo senza gravi scandali, tolleri per ora tale repugnanza, purchè però fondata meramente sulla tenacità dell'antico costume, e non derivata dalla falsa persuasione, che l'uso del calice per i laici sia di precetto divino, ed abbia errato la Chiesa in proibirlo, poichè, in questo secondo caso, deve colle opportune istruzioni, e giusta spiegazione dei passi dell' Evangelo, di cui abusano i nestoriani, procurare di ritirare gli erranti dalla falsa ereticale opinione.

525

Circa separationem loci in ecclesia et in coemeterio inter *pareas* et nobiles in Indiis.

S. C. de Prop. F. *7 Ian. 1778* (C. G.) — Nella Costa del Coromandel le chiese sogliono costruirsi in forma di croce, di maniera che chiaramente si vede la distinzione del luogo che vi ha fra i *pareas* ed i nobili. Dice per altro (il Superiore di detta Missione) che il passaggio dell' uno all'altro luogo è libero a tutti, e che il Sagramento del Battesimo si conferisce sempre in un medesimo luogo, quantunque vi è la consuetudine che un catecumeno malabarese ha l' ingresso per una parte, ed un *parea* per l'altro. Riguardo poi agli altri spirituali soccorsi riferisce non esservi fra i neofiti alcuna differenza se non che rapporto al luogo di sedere, che tengono nella stessa chiesa. Or dimanda il Prelato se possa tollerarsi questa piccola divisione, come pure la distinzione del luogo delle sepolture, ad oggetto di evitare l'apostasia di quasi tutti i nobili.

R. Separationem loci et ingressus in ecclesiam iuxta exposita, et distinctionem sepulchrorum, pro nunc tolerari posse.

526

Circa cooperationem ad superstitiosa.

Instr. S. C. de Prop. Fide *21 Ian. 1778* (ad Vic. Ap. Siam). — Duo sunt quae postulas tibi ut diserte explicentur ad rectam et cuiusque erroris suspicione vacuam institutionem christiani gregis, quem tuae fidei et vigilantiae traditum esse laetamur.

An liceat vendere infidelibus quae isti ad superstitionem forsan adhibebunt.

Primum postulatum manat ab impia illa et stulta superstitione quae siamensium mentes ita occupat, ut falso putent sibi non licere quidvis animatum est interficere ac perdere; propterea non pullos, non gallinas, nullum animal enecant; quinimo neque audent ova infringere, vel integra coquere, ne germen vitae quod iis inest praefocent atque interimant. At christiani qui isthic versantur, ut aliquid utilitatis et quaestus ex infidelium stultitia occupent, ipsi gallinas, ipsi pullos iugulant, ipsi ova ovorumque cacumina praecidunt, et siamensibus vendunt, qui ea omnia sibi ad victum comparant et nonnunquam ad sacra idolis suis adhibenda. Quaeris igitur, utrum christianis ea venditio permitti debeat?

Hic autem primum occurrit animadvertendum, tantum abesse ut christiani cum, aut gallinas enecant, aut ovorum cacumina abscindunt, siamensium erroris suspicione afficiantur, quinimo erroris illius perversitatem et stultitiam facto ipso refutent, improbent et contemptui ac ludibrio habere videantur. Animadvertendum praeterea actiones illas christianorum, quas indicavimus, esse per se et suapte natura indifferentes, quas tamen et perniciosas et illicitas fieri posse intelligitur, si malus usus irrepat infidelium, quo iisdem rebus abuti velle praevideatur ad superstitionem et impietatem. Theologi autem inter sese conveniunt omnes, licere cuique res suas absque ullo culpae metu vendere, si emptorem iisdem rebus abuti velle plane ignoretur; imo neque teneri asserunt investigare et quaerere ad quem usum emere emptor velit. Vendit mercator cuivis, sive christianus sive infidelis sit, merces suas: vendit stragulatam vestem, scyphos, hydrias, lapides pretiosos, aliasque cuiusvis generis res: ignorat autem utrum iisdem rebus emptor uti velit ad ornatum sponsae, an ad cultum idoli splendidiorem. Numquid tenetur ipse ab emptore exquirere quid sibi in emendo propositum habeat? Minime quidem. Emit e macello christianus homo, qui apud infideles versatur, carnes ad vescendum: ignorat autem utrum eaedem carnes petantur a victimis quas infideles falsis diis immolarunt; teneturne antequam eo cibo utatur, sciscitari diligentius? Negat Paulus Apostolus ad Corinthios scribens (I. ad Cor. cap. 10, v. 25): *Omne, quod in macello vaenit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* At secus contingit si quis infidelis te ad coenam invitet, et profiteatur atque declaret epulas paratas reliquias esse victimarum, quae nefario in sacrificio immolatae fuerint. Tum quidem abstinere ab epulis debes, ne aliis sis offensioni et scandalo: *Si quis autem dixerit: hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum qui indicavit, et propter conscientiam.*

Habes nunc regulam et normam, quam sequi debes in quaestione quam proposuisti. Venditio actio est indifferens; ignorat christianus utrum emptor abuti velit re vendita ad superstitionem et impietatem; quinimo scribis plerumque contingere ut siamensis emptor et gallinas et ova decacuminata adhibeat ad victum domi suae particularem: licebit ergo christiano homini res illas vendere, neque tenetur ad quem usum siamensis eas sibi comparet sciscitari.

Sed quo cautius procedatur, cavendum ne mercatura illarum rerum fiat iis in locis, quae profanis idolorum templis propiora sint. Quod

si infidelis siamensis profiteatur emere ut idolis et talapoinis offerat, non est integrum neque omnino licet vendere, *propter illum qui indicavit, et propter conscientiam.* Neque enim licet unquam christiano homini offensionis et scandali occasionem praebere, multoque minus illi licita est ulla vel remota actio quae ad impietatem vel superstitionem prolabatur et confluat, cum nullo modo liceat *Christi famulis Belial inservire* (II Cor. VI).

De quadam superstitiosa tormentorum bellicorum explosione.

Secundum quod scribis est eiusmodi: Duas isthic bellicorum tormentorum explosiones fieri solere, alteram, novo ineunte anno e moenibus civitatis, alteram circum aram numinis *Attana;* utramque vero eodem tempore, quo huius falsi numinis festus et solemnis agitur dies. Postulas igitur utrum christianis, si primae tantum tormentorum explosioni, nullam autem secundae dent operam, id sine ullo superstitionis periculo fieri possit, permittendumque sit.

Huic postulato breve est quod respondetur. Quodcumque sit discrimen quod ex infidelium ritu alteram ab altera explosionem tormentorum distinguat, si semel ac eodem tempore, eademque profani festi occasione, tormentorum explosio e moenibus civitatis fiat, haec quoque ad falsi numinis cultum dirigi facile intelligitur, et propterea, sin minus superstitione, culpa tamen ac scandalo a christianis omnino vitando non vacat. Quaevis enim actio quae aut loco aut tempori ita accommodatur ut superstitioni consentanea videatur, certe quidem superstitionis contagione contaminatur. Ergo actionis auctor, licet alio mentem animumque conferre prae se fecerit, reipsa tamen a falsi cultus suspicione non vacat. Declarant, inquis, christiani et profitentur se, dum explodendis tormentis e moenibus urbis dant operam, id unice agere ad celebrandam ineuntis anni laetitiam, praeterea nihil; sed, cum ex communi earum gentium opinione id ad cultum numinis *Attana* solemniori ritu celebrandum dirigatur, certe quidem sine periculo offensionis et scandali fieri non potest, et propterea nullo modo permitti debet. Quid vero, si utraque tormentorum explosio idcirco fiat ut daemones e civitate expellantur? Scribis enim: *Opinio vulgaris et communis est omnia tormenta illa bellica simul explodi ad expellendum diabolum.* Hoc sine ulla dubitatione ferendum non est, tum quod erroris opinionem confirmaret, quasi tormentorum strepitus valeret ad diabolum deterrendum atque expellendum; tum maxime quod sacris Evangeliis adversatur, ex quibus intelligimus in solo Iesu nomine, et orationibus atque ieiuniis posse daemonia eiici atque exterminari.

Tuae igitur vigilantiae tuaeque diligentiae partes erunt, christianos isthinc homines monere ut, quo robore animi a tormentis circa aram falsi numinis explodendis abstinuerunt, eodem negent velle quidquam suae operae et laboris conferre ad explosionem tormentorum e moenibus civitatis.

527

Locorum missionum idioma sedulo addiscant missionarii.

Decr. S. C. de Prop. Fide *7 Martii 1778.* — Cum vehementer intersit, ut qui ad peragendas apostolicas missiones inter infideles, et haereticos expediuntur, ob linguarum imperitiam otiosi in medio messis multae non evadant, pluries cautum fuit, ac praesertim Decreto die 21 Martii *(seu 5 Maii)* 1774 edito *(V. n. 504),* ut omnes missionarii cum primum ad stationes sibi assignatas pervenerint, sedulo studeant vernaculum illius gentis sermonem addiscere, atque in id nervos omnes intendere. Ut autem ad huiusmodi Decreti observantiam efficacius excitentur missionarii Ordinis Minorum Conventualium, Emi Patres, referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, ad humillimas preces R. P. Ferdinandi Mariae Garzillo Procuratoris Generalis eiusdem Ordinis, decreverunt *(in C. G. 26 Ian.)* ut postquam praedicti Regulares praefinitum suae morae spatium in Missionibus compleverint, nullo modo privilegia sibi concessa per Constitutionem a fel. record. Clemente PP. XI editam sub die 21 Ianuarii 1710, quae incipit: *Crediti Nobis,* in posterum consequi valeant, nisi prius accurato examini se subiiciant, iussu atque arbitrio Sacrae Congregationis subeundo, super peritia linguarum, ubi munus exercuerunt, ac ipso bene instructi, atque idonei deprehendantur. Quam Sacrae Congregationis sententiam per eumdem Dom. Secretarium SSmo D. N. Pio PP. VI relatam in audientia habita die 31 praefati mensis, et anni, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, Apostolicae suae auctoritatis robur adiecit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

528

In Confirmationis administratione nil pecuniae excipiendum.

Decr. S. C. de Prop. F. *28 Martii 1778.* — Cum plurimum intersit ut catholicae Ecclesiae Pastores, qui inter infideles et haereticos apostolico munere funguntur, non solum praedicatione et verbo, sed etiam exemplo sint populis in aedificationem, nullamque infidelibus et haereticis occasionem praebeant praetexendi excusandique proprios errores catholicorum factis, sed quae Christi sunt pie casteque administrent, cumque relatum sit nonnullis in locis turcarum ditioni subiectis abusum vigere ut Episcopi, dum Confirmationis Sacramentum fidelibus conferunt, lances ad excipiendam a confirmatis pecuniam exponant: Emi Patres, referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, ad removendam in hoc genere quamcumque offensionis causam decreverunt, atque omnibus Episcopis in quibuslibet Aegaei Maris Insulis

ac caeteris Europae partibus quae turcicae potestati subsunt, degentibus, in virtute sanctae obedientiae mandarunt ut in administratione praefati Sacramenti nemini ipsorum in posterum omnino liceat pecunias quovis titulo excipere, etiamsi ultro offerantur, lances ad hunc finem exponere, ac fideles ad huiusmodi pecuniarias largitiones quomodolibet incitare.

529

Facultas, causae, et conditiones alienationis bonorum missionum.

S. C. S. Officii *20 Aug. 1778* — Sutchuen — Quaedam sunt territoria olim a christianis Ecclesiae ex voto vel absque voto tradita: urgentibus gravibus causis, licetne Vicariis App. huiusmodi territoria vendere aut dimittere, absque eo quod rei fiant criminis propter alienationem bonorum suae ecclesiae? Quandoque enim fit ut apostatae haec territoria sibi vindicent, nullusque datur recursus ad auctoritatem civilem; vel etiam posteri eorum qui tradiderunt haec bona, pauperes facti, illa postulant et exigunt; vel pars territoriis praedictis vicina gentilibus venditur, ita ut periculosa sit in locis mansio.

R. SSmus concedit ad decennium Vicario Apost. Sutchuensi facultatem vendendi ac alienandi bona ecclesiarum suae iurisdictionis, in casu quo vel grave periculum religioni immineat ni vendantur, vel moraliter praevideri possit quod bona praedicta ab apostatis, aut a successoribus donatorum, aut a vicinis paganis auferentur et diripientur, sublata omni spe, ut in facto exponitur, illa servandi per recursum ad potestatem saecularem; cum consilio tamen missionariorum, eorum videlicet qui commode in consilium adhiberi possint, et cum onere adiuncto pretium ex huiusmodi venditionibus retractum in Ecclesiae utilitatem impendendi, vel emendo alia bona, vel aliter erogando, prout magis expedire visum fuerit onerata super his Vicarii Ap. conscientia, additaque praeterea obligatione certiorem faciendi Sacram Congreg. de Prop. Fide de omni quacumque peracta alienatione.

530

Quid agendum sinensibus qui ad fidem convertuntur, circa superstitiosas progenitorum tabellas.

S. C. S. Officii *20 Aug. 1778* — Sutchuen — Est mos apud gentiles cum magna veneratione domi servare tabellam progenitorum, in qua scilicet legitur: *Sedes animae talis...* Coram ista tabella duplici vice in anno offerunt vinum, carnem, thymiamata. Porro saepissime evenit ut dictae tabellae reponantur in loco honorabili domus unius de familia, qui nomine familiae totius tenetur illas conservare; secus enim accusatur a parentibus coram Praefectis de impietate erga progenitores, atque graves propter hoc poenas patitur. Nunc quando gentiles, qui tabulas praedictas domi servant, ad fidem convertuntur, quomodo cum ipsis circa hanc causam agendum est?

1. Possuntne licite illas e domo tollere et tradere parentibus paganis ad quos pertinent?

2. Si non liceat tradere, saltem possuntne monere parentes ut illas tollant e domo sua?

3. Si non liceat monere, possuntne abscondere, et deinceps tradere Praefectis, aut parentibus, si ab ipsis ad id cogantur? Profecto si cogantur illas comburere sicuti propria sua idola, tremore imminentis sibi poenae, et adhuc in fide debiles, paucissimi erunt, si tamen unicus sit, qui mandatis obtemperent.

4. Pariter proselyti, qui apud se habent idola aliorum paganorum, quae per modum depositi acceperunt, ad quid tenentur?

Circa ementes territoria in quibus extant idola.

5. Denique christiani qui emunt territoria supra quae idola sunt, aut parva idolorum oratoria, possuntne monere gentiles, quorum prius erat territorium, e territorio tollere; ipsisque recusantibus, tenenturne confringere illa et destruere?

R. Ad 1, 2 et 3. Ut his dubiis opportuna atque apta detur responsio, distinguendum est num superstitiosae tabellae, de quibus agitur, speciali dominio spectent ad gentilem conversum, vel potius ad alios de familia in solidum, quemadmodum erui videtur ex ipsa facti expositione, ubi narratur *nomine totius familiae eas conservari in aliquo loco honorabili domus unius de familia.* Si primum, tum certe conversi ad fidem, neque eas domi servare, neque aliis paganis de familia tradere possunt, sed imo conterere, igni tradere atque disperdere debent; atque ita a missionariis docendum atque iniungendum est. Si vero praefatae tabellae ad alterius dominium et proprietatem pertineant, tunc ad 1, 2 et 3 dubium responsum est, teneri quidem christianos nuper a gentilitate conversos easdem superstitiosas progenitorum tabellas a propria domo tollere, sed licite posse eas tradere aliis de familia ad quos pertinent, vel illos monere ut illas tollant ac sibi sumant. Quemadmodum enim nefas esset ut christianus huiusmodi tabellas, si sui iuris ac potestatis essent, sibi retineret, aut aliis traderet colendas ac venerandas, quod vel occultationem verae susceptae fidei redoleret, vel participationem superstitiosi cultus; ita e converso, si tabellae ad alios pertineant, recens christianus eas a sua domo removens ac domino reddens, tum novam a se susceptam fidem testatur, abdicans ac reiiciens superstitiosum illarum cultum, tum iustitiae praecepto satisfacit quod iubet ut quod nostrum non est domino restituatur.

Ad 4. Pari iure idola, quae proselytus iure depositi servat, suis dominis sunt restituenda.

Ad 5. Cum territoria venduntur, videtur quod cum fundi dominio in emptorem transferatur etiam ius et proprietas idolorum aut oratoriorum idolis dedicatorum, quae in fundo

sita sunt. Si res ita se habet, tenetur christianus idola tollere ac oratoria destruere, vel in aliam formam ac usum ita redigere, ut nulla amplius species appareat oratorii idolis consecrati, et omnis superstitiosi cultus removeatur occasio. Monere autem gentiles ut ipsi idola tollant ac oratoria destruant, nec turbarum excitandarum periculo vacat, nec iustum est ut, quae idola per se potest christianus evertere, permittat paganis alio transferre ac profano cultu adorare. Si vero idola ac oratoria huiusmodi, quamvis in privatorum territoriis constituta, publici iuris ac sub principis potestate sunt, tunc non licet christianis ea tollere ac destruere; et potius abstineat ab iis territoriis emendis in quibus profana haec simulacra ac oratoria reperiuntur.

531

De quodam contractu oppignerationis in Sinis.

S. C. S. Officii *24 Aug. 1778* – Sutchuen – — Est mos in Sutchuen agros aut domos in pignus accipiendi, data rei domino summa pecuniae maiori vel minori, habita ratione redituum agri aut utilitatis domus, ea conditione ut, expleto oppignerationis termino, qui vulgo plurium annorum est, rei dominus reddat mutuatori integram pecuniam quam accepit, et ad id coram iudice cogi potest, mutuator vero rem oppigneratam restituat domino, sibique retineat fructus integros, quos durante contractu percepit, etiamsi valore superent laborem, industriam et expensas quae contulit in excolendo agro. Pariter, si de domo agitur, nihil deducit ex summa pecuniae ipsi restituenda, pro solvendo pretio utilitatis quam ex domo percepit. Interea rei oppigneratae dominus solvit tributa, et alia publica onera in se suscepit.

Contractus huiusmodi, sublato titulo lucri cessantis aut damni emergentis, certe usurarius est; verum iam a longo tempore factum est ut dictus contractus inter christianos et infideles obtinuerit, imo et toleratus a missionariis, quibus in mentem non venerat suspicari iniustitiam contractus tam universaliter recepti et legum auctoritate muniti, quique, nullis praecedentibus Vicariis Apostolicis, saltem quod scirent, reclamantibus, fere inter mediam partem christianorum publice in usu erat. Nunc, re maturius expensa, vitium detectum est, et statim christianis prohibitum ne postea talem auderent contractum inire.

At vero circa executionem prohibitionis non minima exarsit ex parte christianorum reclamatio, nec etiam inter missionarios circa modum prohibendi perfecta consensio est, atque eo res devenit ut existimaverint aliqui contractum huiusmodi esse ab omni usurae labe immunem. Sed nunc, hac de re, nulla inter nos amplius movetur controversia, licet forsan inter christianos sint qui, his principiis imbuti, mandatis obtemperare detrectant. Quod igitur difficultatem facessit, ad duo puncta reducitur: Primum est, num christiani, aut etiam pagani qui fidem amplectuntur, obligandi sint ad restitutionem fructuum, quos, durante bona fide, consequenter ad hunc contractum antea perceperunt. — Secundum est, num, habita ratione indolis huius gentis, quae divitiis tota inhiat et nunquam saturatur, tutius sit et animae salubrius, absolute et sine ulla modificatione contractum prohibere, vel mutare hunc in censum realem, qui de facto non obtinet inter sinenses, sed qui non difficulter introducetur: vel alio modo licito ex quo lucrum possint reportare christiani, quique propter hanc causam facilius apud ipsos obtinebit. — Circa primam difficultatem, ratio quae nobis videtur eos excusare ab onere restituendi, est quia, ordinarie loquendo, non videntur inde facti ditiores. Pauperes enim, qui sic titulo oppignerationis tenent agros, ordinarie nullam aliam pecuniam habent ad sustentandam vitam, quam eam qua utuntur ad oppignerandum, unde determinantur primario ad contractum aliquem quaestuosum ineundum. Oppignerationis vero contractum inierunt, quia legitimum bona fide iudicarunt, alias certo moraliter aeque quaestuosum inituri. Sic et divites bonae fidei, qui voluerunt pariter pecunia uti ad quaestum legitimum faciendum, propter ipsorum bonam fidem et intentionem determinatam pecunia licite uti ad lucrandum, potestne dici quod lucrum ipsis cessaverit, ex eo quod non alterum inierint contractum aeque quaestuosum, quem certe iniissent, si oppignerationi non fuisset locus? — Circa secundam difficultatem, moraliter impossibile est plerosque cogere ad mercaturam faciendam: unde, si tollatur absolute et sine modificatione dictus contractus, vel cogentur mori fame, vel territoria titulo locationis tenere. — Verum 1. in plerisque locationibus idem vitium deprehenditur ac in oppignerationе; dominus enim territorii exigit a locatariis summam pecuniae sub praetextu assecurationis fructuum, quos debet restituere locatarius, et, propter istam summam, quae postea integre restituitur, eximitur colonus a restituenda aliqua fructuum parte, a qua non eximeretur, si deesset huiusmodi pecunia pro assecuratione; unde videtur lucrum percipere tunc solum vi mutui. — 2. Multi erunt, et forsan media pars, quae non poterit agros invenire unice ad locandum; pecuniae enim summa quae datur in mera locatione longe minor est ea quae datur in oppignerationе: unde, cum domini agrorum in disponendis agris vel domibus, pecuniae potissimum inhient, merae locationi non consentient. — His consideratis, potestne mutari contractus hoc modo, nempe: 1. Fiet alienatio summae capitalis, ita ut nunquam poterit cogi dominus agrorum aut domus ad restituendam hanc pecuniae summam, nisi quando voluerit

repetere agros aut domum; et nullum assignabitur tempus repetendi agros aut domum, sed voluntas proprii domini sola erit regula. 2. Propter alienationem hanc, deductis expensis, industria et laboribus, poterit insuper colonus exigere quindecim pro centum: lex enim Regni ordinarie lucrum determinat triginta pro centum. 3. Si adhuc sit residuum, colonus restituet proprio domino; idem erit iudicium de domo. — Unde enixe supplico ut S. Congr. dignetur definire: 1. Contractum oppignerationis supra expositum usurarium esse.

2. Statuere num, rebus positis ut sunt, obligandi sint ad restitutionem christiani proselyti, aut ipsorum heredes, si antea bona fide contractum inierint.

3. Determinare num census realis, prout modo propositus est, licitus sit et expediens, aut saltem quonam altero modo meliori prohibendus sit contractus iste oppignerationis.

R. Ad 1. Secundum ea quae proponuntur est commendanda et confirmanda prohibitio iam facta a Vic. Apost. Sutchuensi contractus oppignerationis, qui, prout exponitur, est illicitus.

Ad 2. Nulla quoad hoc dubium capi potuit resolutio, cum singuli casus ex peculiaribus rerum ac temporum circumstantiis, atque ex contractuum particularibus conditionibus definiri debeant. Tria rationum momenta perpendit Vicarius Apostolicus, quae christianos qui huiusmodi contractus inierunt, aut eorum heredes, a restitutione excusent. Primum est bona fides cum qua contractum oppignerationis, inscii omnino quod esset illicitus, perfecerunt; alterum, quod ex huiusmodi contractibus facti non sunt locupletiores; tertium denique bona mens atque intentio, qua sinenses determinantur primario ad contractum aliquem quaestuosum ineundum, ita tamen ut, si scivissent oppignerationem huiusmodi vetitam esse, alterum potius contractum elegissent aeque quaestuosum. Attamen non ita firma ac solida visa sunt haec rationum momenta, ut absolute pronuntiari possit neminem ex christianis, qui pecuniam suam in exposito oppignerationis contractu fenori dedit, a restitutione excusari non posse; nam bona fides, in iis quae iure divino naturali prohibentur (quemadmodum usuram certum est prohiberi), non semper excusat. At praeterea bona fides atque invincibilis ignorantia excusare fortasse quandoque poterit contrahentem a peccato, non autem a restitutione alienae pecuniae ex iniusta acceptione perceptae. Quod autem non sint facti locupletiores, haud passim et indiscriminatim affirmari potest. Neque enim is ditior dumtaxat effectus est, qui ex aliena pecunia agros, fundos, aliaque huiusmodi comparavit, quae prius non habebat; contingere siquidem quandoque solet ut, licet quispiam locupletatus non fuerit aliqua bonorum accessione, attamen, vel lautius vivendo, vel rei suae parcendo, cum aliena pecunia se et familiam sustentaverit. Quisque vero facile percipit ditiorem hunc esse factum haud quidem alienis bonis, sed suis parcendo iisque propriam substantiam amplificando. Tandem quod ad intentionem ac mentem contrahentium spectat, quamvis recto animo eos in iis contractibus ineundis comparatos esse velimus, attamen, praeter intentionem, multae aliae a theologis exiguntur conditiones, ut vel contractus ab omni usurae labe sit expers, vel contrahentes ab omni restitutionis onere iudicentur immunes. Neque etiam, in casu de quo agimus, illud est praetereundum, quod, cum sinenses divitiis inhient, quemadmodum Vicarius Ap. in suis litteris declaravit, difficile sane est ut illi ad ineundum oppignerationis contractum eo animo ac mente accedant ut, si contractus aliquis aequior aut minus quaestuosus suppeteret, hunc potius inire mallent quam alterum oppignerationis, magis quaestuosum, sed usurae labe conspersum. In tantis itaque difficultatibus, cum neque mores gentis, neque contractus conditiones, neque rerum ac temporum circumstantiae, neque regionis leges atque consuetudines Romae perspectae sint, nihil statuere voluit Sanctitas Sua pro generali huius dubii resolutione, sed id totum missionariorum iudicio, prudentiae ac doctrinae commisit, ut hi, consultis probatis theologicis, si singularibus casibus quidquid expediens visum fuerit, divino etiam lumine implorato, iudicent ac definiant. Attamen iussit ut prae oculis semper habeant quae ab hac Sede Apostolica circa usuram sancita sunt, tam in Litteris s. m. Benedicti XIV, quae incipiunt *Vix pervenit* anno 1745 (1) quam in Instructione transmissa anno 1749 Missionariis Capuccinis Tuneti *(V. n. 369)*.

Ad 3. Contractum venditionis cum pacto redimendi licitum esse, si fiat iuxta aequalitatis regulas a doctoribus traditas. Alios vero contractus a Vicario Ap. propositos, nec probari, nec reprobari posse, tum quia non solet Apostolica Sedes ullum contractum singularem populis proponere ad quaestum faciendum, tum etiam quia liciti ac innocui contractus quibusdam quandoque conditionibus inficiuntur ut nullo modo permitti possint. Sequenda igitur a missionariis esse principia ac regulas a s. m. Benedicto XIV traditas in superius laudatis Litteris *Vix pervenit*, atque etiam in Instructione diei 17 Aprilis 1749 iussu eiusdem Pontificis exarata, pro responsione ad postulata Capuccinorum Tuneti degentium.

(1) V. Instr. S. C. de Prop. Fide *an. 1873* ubi refertur citata epistola encyclica Benedicti XIV *Vix pervenit* 1 Nov. 1745.

532

Contra sponsalia a parentibus inita pro filiis tenerae aetatis.

S. C. S. Officii *15 Febr. 1779* – SUTCHUEN — 1. Est mos communis inter sinas ut parentes pro suis infantibus in tenera aetate adhuc constitutis, et ante usum rationis, sponsalia ineant; atque eiusmodi sponsalia, vi legum civilium, ita firma sunt ut coram iudice vix unquam possint dissolvi; ita ut si puella, adulta iam facta, contra sponsalia huiusmodi reclamaret, ordinarie loquendo non audiretur, sed cogeretur ad matrimonium. Possuntne huiusmodi sponsalia inter christianos tolerari? Certum est ea fuisse ab antiquo usque nunc tolerata, neque unquam audivi fuisse in aliis huius Imperii provinciis prohibita. Cum vero, paucis abhinc annis, deprehenderimus exinde rixas et contentiones excitari inter christianos, qui, more gentilium agentes, volùerunt cogere etiam coram iudice huiusmodi sponsatos aut sponsatas ut praetensam hanc promissionem per matrimonium complerent, prohibui christianis parentibus ne in posterum absoluto modo sponsalia haec pro infantibus contraherent. Tantum permisi ut promitterent pro futuro huiusmodi inire sponsalia, quae unice effectum haberent quando duo sponsi, discretionis annos adepti, ad id scientes et volentes consentirent. Verum, quoad praeterita sponsalia contra Ecclesiae regulas inita, non ausus sum de facto et expresse horum rescissionem mandare. Sunt enim inter christianos plurimi qui ante conversionem ad fidem sponsalia contraxerunt, et profecto, saltem communiter loquendo, male exciperentur a gentilibus quibuscum contraxerunt, si talem rescissionem proponerent. Tamen haec duo intimavi, nimirum: 1. Ut in posterum nunquam invitos cogere ad matrimonium praesumant virtute praecedentium sponsalium. — 2. Ut tentent dissolutionem, vel, si non possint obtinere, ad minus promittant se in posterum, aút filios aut filias in matrimonium nunquam tradituros, nisi prius sit dispensationi locus, atque illam obtinuerint.

Contra abusum tradendi promissam puellam parentibus futuri sponsi.

2. Ex sponsalibus pro infantili aetate sic factis, alter ortus est abusus, nimirum: sæpe fit ut parentes tradant promissam puellam nutriendam et instituendam parentibus pueri, quibuscum contractum inierunt: ita ut, a secunda vel tertia annorum aetate usque ad matrimonii tempus, simul cum futuro viro sub eodem tecto maneat. Inde autem aliquando pessima data sunt scandala. Ut tanto malo occurrerem, prohibui christianis, ne tales nurus ante diem matrimonii ad propriam domum accerserent, nisi gravi urgente causa, cuius gravitatis solum iudicem missionarium constitui. Causa autem censetur gravis, si puellae parentes, neque eam nutrire, neque christiane instituere valeant, et utrumque possint alterius parentes. Pariter quando sponsalia contracta fuerunt tempore gentilitatis, et puella sub cura et institutione infidelium remanet, tunc permittitur, et etiam exhortamur christianos, ut apud se dictas puellas in infantili aetate recipiant, castitatem ipsarum sub custodia charitatis Deo committentes. Pro utroque casu conditio est absoluta, ut matrimonio coniungantur quo tempore facti sunt adulti, modo tamen uterque sponsus consentiat.

R. Ad 1. Nihil non scite, non prudenter, non pie a Vicario Apostolico sancitum esse. Sponsalia sive inter infantes contracta, sive a maiori cum infante, pro infectis haberi, adeo ut nec publicae honestatis impedimentum producant, iure praesertim canonico constitutum habemus. Ea ipsa quae inter impuberes celebrantur sponsalia, quamvis iure canonico cautum sit valere atque obligationem inducere, eodem tamen iure statutum esse, propter imbecillitatem iudicii, ut post pubertatem resilire liceat; neque is qui ad pubertatem primus advenerit teneatur alium expectare, sed statim resilire valeat, imo et debeat, si sponsalia probare nolit, alioquin postea non audiatur. Quae cum optime noverit Vicarius Ap., sapienter igitur iniquum patriae morem desponsandi filios in infantili aetate, qui quod iuraverint patres, hoc, velint nolint, sint impleturi cum ad nubiles annos venerint, exscindere curasse, prohibitis christianis genitoribus ab hisce sponsalibus ineundis, aut ita permissis, ut non sint valitura neque ullum habitura effectum, nisi annos discretionis adepti, in ea liberrime consenserint filii, censuit S. C. Sed et sponsalibus contractis iam a genitoribus in infidelitate ita mederi studuisse Vic. Ap., ut neque prudentius quiddam pro loci rerumque circumstantiis, neque efficacius aliquid pro tuenda filiorum libertate excogitari posset, animadvertit eadem S. C.; et propterea singula quae Vicarius edixit, vel de tentanda sponsalium dissolutione, non tamen extorquenda; vel de filiis invitis cogendis nunquam ad matrimonia; deque expectanda, quae nunquam dabitur nisi nubere volenti, etiamsi caetera concurrant, dispensatione Apostolica, calculo suo suisque laudibus prosecuta est.

Ad 2. Aeque laudabilia haec Vicarii Apost. consilia fuisse, meritoque praeceptum in primis illud esse, ne nurus in domum sponsi veniant innuptae, ut scandalis praecludatur via, atque ea innumera praepediantur peccata quae diu familiariterque versantibus sponsis inter se impossibile est non evenire. Neque ab hac prohibitione irrationale visum est excessisse in duobus enarratis casibus, cum sciatur quam grave periculum ingerat castitati alimoniae necessitas, et quam alte insideat animo prava educatio, vix unquam eradicanda. Attamen sibi suasit S. C. duo haec prae oculis habituros missionarios, ubi desponsas puellas in soceri domo alendas permiserint: primum quidem, id se

nunquam concessuros, nisi cum apud neminem quamque aliam honestam piamque personam easdem alere, seu ali facere posse viderint, accita in id soceri ope atque opera ; alterum, ubi non alibi quam in soceri domo eas ali educarique posse perspexerint, illud tamen praestituros ut occasio proxima peccandi amputetur omnino. Haec etenim, cum sit ex sese peccaminosa, nequidem vitandi maioris mali causa unquam licet : quae duo eisdem missionariis inculcanda idcirco voluit eadem S. C.

533

Circa facultatem absolvendi ab haeresi et apostasia a fide.

Instr. S. C. de Prop. Fide *1 Maii 1779* (ad Praef. Miss. Thibet.) — Essendosi comunicato alla Santità di N. S. il dubbio proposto da V. P. in materia dell'assoluzione dall'eresia, apostasia dalla fede, e scisma : cioè se in vigore della facoltà concessa ai missionarii nella Formola IV, n. 10 (1), debbano questi assolvere i delinquenti con quegli atti esteriori, che vengono prescritti nel Rituale oppure assolverli soltanto nel foro interno, ancorchè siano publici : Sua Beatitudine si è benignamente degnata di dichiarare qual sia su di ciò la sua volontà, commettendo a questa S. C. di Propaganda di parteciparla alla P. V. per proprio lume e governo. In adempimento adunque delle pontificie disposizioni, debbo notificarle, che la clausola apposta nel num. 10, delle suddette facoltà *et hos in foro conscientiae tantum,* si deve riferire a tutte quante le persone ivi nominate, e che il senso della clausola è questo, cioè che l'assoluzione vaglia soltanto per la coscienza, e nulla suffraghi ai delinquenti nel foro giudiziale esterno quante volte accadesse di dover dedurre in giudizio il delitto.

Rapporto poi alli neofiti del Tibet, i quali hanno pubblicamente apostatato dalla Fede, è mente di N. S. che ritornando questi al grembo della S. Chiesa, previa l'abiura da farsi alla presenza dei cattolici, si debbano assolvere dalla scomunica nella consueta forma della Chiesa, che vien descritta nel Rituale Romano Tit. 8, Cap. 3, e quindi ammetterli alle sacramentali confessioni, impostegli però gravi e salutari penitenze ad arbitrio del confessore.

Su la data distinzione dell'uno e dell'altro foro, penitenziale e giudiziale, Ella ben vede, che non solo rimane ben provveduto alla coscienza di quei fedeli, che sono trascorsi in somiglianti eccessi, ma si mantiene anche viva ed intatta la processura del foro giudiziale, in caso che dovesse pronunciarsene : come pure illesa si conserva l'autorità di chi deve giudicare su tali materie. Egualmente proprio e convenevole è il modo accennato, che dee tenersi nell'assolvere i neofiti di cotesto Regno, che caduti in apostasia ritornano alla Chiesa, poichè non potendosene istruire un formale processo, basta per rimuovere un publico scandalo che essi alla presenza dei soli cattolici ne facciano l'abiura, e quindi siano assoluti nella forma sopra indicata.

534

De non baptizandis adultis sine praevia institutione.

Instr. S. C. de Prop. Fide *8 Maii 1779* (ad Missionarios Caiennae). — Circa il costume che pretendesi sia stato introdotto nelle Missioni dell'Isole francesi dell'America di battezzare i negri quasi subito che sono stati presi dalle coste dell'Africa, senza veruna preliminare istruzione, non possono certamente prescriversi dalla S. Congregazione di Propaganda altre regole da osservarsi ai missionarî direttori, e mediatori, se non se quelle, che siano in tutto consentanee a quanto su tale articolo prescrivono tanto il Rituale, quanto il Catechismo Romano. Leggesi nel Rituale al cap. III, *de Baptismo adultorum* § I. — *Siquis adultus sit baptizandus, debet prius secundum apostolicam regulam in Christiana Fide, ac sanctis moribus diligenter instrui, et per aliquos dies in operibus pietatis exerceri, eiusque voluntas et propositum saepius explorari, et nonnisi sciens, et volens probeque instructus baptizari.*

Il Catechismo Romano poi lodando la prattica, e consuetudine della Chiesa nel differire per qualche tempo agli adulti che si convertono dall'infedeltà l'amministrazione del santo Battesimo : *neque enim* (prosiegue alla pag. 153 dell'ultima edizione romana dell'anno 1761) *ea dilatio periculum, quod quidem pueris imminere supra dictum est, coniunctum habet ; cum illis qui rationis usu praediti sunt, Baptismi suscipiendi propositum, atque consilium, et malae actae vitae poenitentia satis futura sint ad gratiam et iustitiam, si repentinus aliquis casus impediat, quominus salutari aqua ablui possint ; contra vero haec dilatio aliquas videtur afferre utilitates. Primum enim, quoniam ab Ecclesia diligenter providendum est, nequis ad hoc Sacramentum ficto et simulato animo accedat, eorum voluntas, qui Baptismum petunt, magis exploratur atque perspicitur... deinde in Fidei doctrina, quam profiteri debent, et christianae vitae institutionibus eruditur perfectius* etc.

---

(1) Facultas sub num. 10 Form. IV ita se habet : « Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam saeculares, « quam regulares ; non tamen eos qui ex locis fuerint « ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, delinquerint ; nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi « isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post « iudicialem abiurationem illuc reversi, in haeresim « fuerint relapsi, et hos in foro conscientiae tantum ».

Due adunque essendo le principali disposizioni delle quali debbono esser forniti gli adulti per ricevere validamente e lecitamente il sopradetto sagramento, cioè: 1. il consenso, se non attuale ed espresso, virtuale almeno, ed interpretativo, come dai teologi appellasi; 2. la fede ossia, una sufficiente nozione dei principali misteri della Religione Cristiana, dicendosi presso S. Marco cap. ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit:* per quanto sembri inconveniente l'esigere che i mori sopraccennati prima di essere battezzati vengano istruiti, come s'istruiscono preliminarmente in Europa li turchi e gli ebrei che si convertono alla nostra santa Fede, non sa comprendersi, perchè non possa farsi a meno di battezzare alcuni di essi (quando non siano affatto privi dell'uso di ragione), come se fossero fanciulli allora nati, vale a dire senza veruna istruzione preliminare.

In una Istruzione della S. Congregazione di Propaganda emanata sotto li 17 Agosto 1777 sopra varî dubbî e questioni proposte intorno all'amministrare il Battesimo ai figliuoli degli infedeli, o di quegli eretici, che battezzano con dubbia forma e materia, al seguente dubbio: *Utrum puer pollens iam usu rationis in haeresi vel schismate educatus, eique adhaerens, licite baptizari queat, quin antea de illius sectae erroribus quibus iam imbutus est moneatur, atque ad illam sectam detestandam eiurandamque adducatur,* conchiudesi che la risposta ad un tal quesito devesi onninamente desumere, *ex his, quae de praeparatione ad Baptismum adultis ministrandum in Rituali et Catechismo Romano praescribuntur, ac passim a catholicis doctoribus explicantur:* aggiungendosi immediatamente: *adultus baptizandus petit ab Ecclesia fidem, proindeque ipsum praecipua Fidei Christianae capita edoceri oportet, eamque fidem profiteri, quam sancta Catholica Romana Ecclesia tenet ac profitetur, ac supremo eius capiti Romano Pontifici debitam obedientiam spondere.*

Non possiamo adunque dipartirci da tali regole nel definire e determinare le disposizioni necessarie per ammettere al Sagramento del Battesimo li negri e gli indiani adulti, vale a dire il consenso, e la Fede; nè potranno giammai costoro validamente e lecitamente battezzarsi senza veruna previa istruzione, e come se fossero fanciulli allora nati, se non se nel caso, in cui ne siano affatto incapaci per mancanza totale di ragione: *Communis est doctorum sententia* (dicesi nella recente istruzione or ora citata) *duce S. Thoma* 3 part. quaest. 68 art. 12 *amentes a nativitate in quibus nec praesens apparet, nec futurus speratur usus rationis, inter infantes computari, et quoad susceptionem Baptismi eodem casu esse per totam vitam atque pueri qui versantur in proximo mortis periculo: sicut enim isti pueri, quia nondum rationis usum attigerunt, consulere sibi non valent, sic nec illi amentes ullo vitae tempore providere sibi possunt, quia utpote perpetuo amentes nunquam rationis usum attigerunt. Quatenus ergo vere probabili ac prudenti iudicio perpetua censeatur illa rationis impotentia, licite baptizari possunt.*

535

An liceat quasdam oblationes a turcis recipere, et Missas pro ipsis celebrari.

S. C. S. Officii *14 Maii 1779.* — Turcae Chocini in Moldavia incolae, occasione rerum suarum deperditarum aut furto ablatarum, ad Fratres Minores Conventuales proxime distantes oblationes quasdam mittunt, urgentes per suum missum quatenus ope divi Antonii Patavini, quem turcae Camenecii vivere opinantur, res amissas rehabere valeant. Tria ergo dubia quaerenda proponuntur: — 1. An Fratres Minores a turcis oblationes recipere valeant? — 2. An pro turcis possint Missae celebrari? — 3. An oblationes illas possint accipere, titulo eleemosynae, pro Missa celebranda ad altare S. Antonii secundum offerentis exigentiam seu intentionem?

R. SSmus decrevit respondendum ad omnia dubia: — Iuxta propositas facti circumstantias non licere, idque significandum esse per Istructionem.

Instructio. — Patres Minores Conventuales Camenecii in Moldavia prope turcicum dominium commorantes, proposituri dubia quaedam S. C. romanae Tridentini Concilii interpreti, apposite primum et prudenter exposuerunt factum, et facti circumstantias, unde dubia ipsa suboriuntur, ut inde facilius intelligatur legitimus dubiorum sensus, et certior atque aptior dari possit responsio dubiis ipsis eorumque circumstantiis accommodata. In hunc itaque modum praefati sunt: — Turcae Chocimii in Moldavia incolae occasione rerum suarum furto ablatarum aut perditarum, ad Fratres Minores Conventuales Conventus Camenecensis proxime distantis oblationes quandoque emittunt, urgentes per suum missum, quatenus ope D. Antonii de Padua, quem turcae Camenecii vivere opinantur, res amissas rehabere valeant. « Hinc triplex oritur quaestio », subdebant dicti Patres, oritur videlicet quaestio ex facto et circumstantiis descriptis; atque adeo S. Congregatio censuit responsum dandum esse ad proposita dubia non in abstracto, ut dici solet, et seiunctum ab iisdem circumstantiis; sed in concreto, et relate ad propositas facti eiusdem circumstantias. Triplex autem illa inde oriens quaestio, seu tria dubia a Patribus subinde proposita haec fuerunt: I. *An Fratres Minores a Turcis oblationes licite accipere possint?* — II. *An oblationes illas possint accipere titulo eleemosynae pro Missa celebranda ad altare*

D. Antonii; secundum offerentis exigentiam, sive intentionem? — III. *An pro turcis possint Fratres Minores Missas celebrare?*

Maturo igitur, ut semper solet, praemisso examine, S. Congregatio censuit nihil eorum quae in dubiis proponuntur, iuxta propositas facti circumstantias, licere. Confidit porro, certoque sibi persuadet S. Congregatio, futurum ut dicti Patres recurrentes, exacte in praxi sese conforment tali iudicio, quod ipsimet pro debita erga S. Apostolicam Sedem reverentia implorarunt ad sedandas propriae conscientiae anxietates. Credere enim par est ipsos, utpote viros religiosos in vinea Domini pro animarum salute adlaborantes probe intelligere, decere quam maxime, et omnino etiam debere iuxta monitum Apostoli abstinere ab omni specie mali: quae mali non species modo, sed res ipsa manifesta est in descriptis circumstantiis facti de quo agitur. In oculos enim statim incurrit putida, imo vero etiam ridenda superstitio turcarum, qua opem implorant S. Antonii Patavini, opinantes eum adhuc Camenecii vitam ducere; qua oblationes mittunt ad finem dumtaxat temporalem obtinendum; qua demum vel ipso sacrosancto Missae sacrificio, quo nihil in Ecclesia Christi augustius, abuti solent iuxta propriam exigentiam et intentionem sane non rectam, et intrinsecus superstitiosam. Omnino igitur cavebunt Patres praedicti ne oblationes a turcis recipientes, aut pro ipsis Missas offerentes, participes fiant superstitionis eorumdem, et cum conscientia usque modo turcicae superstitionis, conscientiam propriam polluant, ut in simili proposito praecipit Apostolus, et fidelibus, qui haec noverint, scandalo sint et offensioni, ipsisque turcis occasionem praebeant persistendi in suis erroribus et superstitionibus.

536

De modo quodam baptizandi infantes paganorum moribundos.

S. C. S. Officii *9 Iulii 1779* — Sutchuen — Christiani sunt qui, metu paganorum, praesertim moribundos infantes baptizant, tergendo manu, aqua naturali intincta, frontem infantis; vel digito, aut panno similiter madefacto eum in frontem signant, simulque verba formae proferunt, absque eo quod aqua fluat aut decurrat. Baptismus huiusmodi estne validus?

R. Se gerat (Vic. Ap.) iuxta regulas et consentanee ad Instructionem de an. 1770 (8 Nov.) transmissam Missionariis Africae *(V. n. 481)*.

537

Circa res pietatis infidelibus distribuendas.

Instr. S. C. de Prop. F. *11 Sept. 1779* (ad Ep. Scodren.). — 1. Esponeva Ella la gran fiducia, che hanno non solo i fedeli, ma anche i musulmani di coteste parti nei brevetti scritti e distribuiti dai sacerdoti cattolici, e quindi la pratica di dispensarli sì agli uni, che agli altri. Su di che dovrà Ella avvertire i suoi sacerdoti, e missionarî a non discostarsi punto su questo particolare dall' Istruzione e formola prescritta dalla S. C. del S. Offizio nel suo decreto emanato gli 11 Decembre 1749, copia del quale a quest' effetto le accludo *(V. n. 374)*.

De turcis a daemonio obsessis exorcizandis.

Rapporto poi all'altra consuetudine di esorcizzare i turchi ossessi, sarà cura di V. S. l'avvertire i missionarii e sacerdoti, che saranno stati da lei autorizzati ad un simile ministero (giacchè agli altri non si permette), perchè in primo luogo osservino bene le regole, e le cautele prescritte dalle rubriche del Rituale Romano al Tit. X. *De exorcizandis obsessis a daemonio,* non usando altre formole ed orazioni fuori di quelle, che nel medesimo Rituale si leggono espresse; ed in oltre, che non fomentino nei turchi la falsa credenza che presso di noi vi sia alcuna umana scienza ed arte per liberare le creature di Dio dalle infestazioni, o dal possesso degli spiriti maligni, ma che s' istruiscano, e procurino di persuaderli che quanto dai ministri della Chiesa si opera in questo genere, tutto è in vigore dell' autorità conferita e lasciata alla sua Chiesa da Gesù Cristo, a cui compete ogni potestà in cielo e in terra, ed a cui obbediscono tutte le creature nell'aspettativa della di lui gloriosa manifestazione, quando verrà a giudicare i vivi ed i morti.

De sacris functionibus coram infidelibus.

2. Circa la celebrazione della Messa, amministrazione dei Sagramenti, e predicazione, che costì si esercitano con molta frequenza non solo dei cattolici, ma anche dei turchi, i quali senza commettere irriverenze spesse volte vi assistono o per curiosità, o per voti fatti a coteste chiese, fa d'uopo avvertire non esser contro lo spirito della Chiesa, che gli infedeli assistano alla predicazione della cristiana dottrina, massime ove pongasi loro in vista la purità e perfezione della morale evangelica, senza molto internarsi nella esposizione dei misteri superiori alla loro capacità, e direttamente contrarî alle loro infelici prevenzioni. Ma per quel che riguarda la celebrazione della Messa, e l'amministrazione dei Sagramenti, Ella ben sa la clausola espressa nella formola delle sue facoltà, ove si permette è vero di far tuttociò anche in presenza di persone estranee dalla comunione della Chiesa, ma con la condizione, *si aliter celebrari non possit;* e però si dee, quanto è possibile senza pericolo di maggior danno, procurare che gli infedeli si ritirino dall' assistere alle nostre sacre funzioni, e specialmente al Sacrificio dell'Altare, alla comunione del quale nè realmente nè formalmente si ammettono altri, che i veri fedeli di Cristo.

De occulta delatione Eucharistiae ad infirmos, et de celebratione Missae in eorum domibus.

3. Circa la pratica di portare il Viatico senza lumi, e di celebrar talvolta in casa dell' infermo per comunicarlo, fin dall' anno 1776, in risposta alla sua altra relazione, le fu tra-

smessa copia del Decreto dei 14 Decembre 1668 *(V. n. 172)*. Ora ne le accludo nuovamente una copia, aggiungendole, che nella Enciclica *Inter omnigenas* fu stabilito da Benedetto XIV che *extra summae necessitatis causam apud infirmos, in aedibus non sacratis, Missam celebrare non licet.* E perciò ordinò, che il SSmo Sacramento, *siquidem sine periculo possit, ab Ecclesia sumptum, si aliqua ibi extiterit, ad infirmi domum deferatur*, soggiungendo immediatamente il modo da tenersi, ed il rito da osservarsi, secondo le diverse circostanze, nella delazione del medesimo, come si legge nel § 21 *Dum autem sacerdos etc. (V. n. 345)*.

De loco et de caeremoniis Baptismi.

4. Nè parimenti si può approvare che fuori de' casi nei quali non possa differirsi ai bambini il Battesimo senza pericolo della lor morte, e non possano i medesimi senza egual pericolo essere portati alla chiesa, vadano i parrochi a battezzare nelle case dei genitori: pratica riprovata anche dal Concilio Albanese (parte II, cap. II, *de Baptismo*); non potendosi comprendere come non vi sia difficoltà di portarveli pubblicamente per supplire alle sagre ceremonie, e solo s' incontri ostacolo per portarli a ricevere il Sagramento secondo le leggi e il rito della s. Chiesa. Neppur veggo il motivo perchè debbano escludersi dall'officio di padrini i consanguinei del bambino e dei suoi genitori, quandochè è ben noto che per l'assistenza prestata al compimento delle sagre ceremonie, quando realmente non si amministri il sagramento del Battesimo il preteso padrino non contrae alcuna vera cognazione spirituale nè col preteso figliano, nè coi genitori di lui.

De aqua baptismali et de benedictione Fontis.

5. Osservabile sopra tutto è sembrato l'articolo che tratta del Battesimo, ove Ella ne ha riferito che il Sagramento medesimo si amministra con la semplice acqua santa per mancanza dei Fonti Battesimali. Conviene adunque premettere che Benedetto XIV nella citata Enciclica *Inter omnigenas* coerentemente ai sacri canoni, e specialmente ai decreti del Concilio Albanese dell'anno 1703 espressamente prescrive: *ne, extra casum necessitatis, communis et naturalis aqua, vel etiam ea, quae pro lustrationibus benedicitur, in Baptismi administratione adhibeatur, ac temere omittatur usus aquae ad hunc praecise effectum benedictae, iuxta praescriptum Ritualis Romani.* Indi prosiegue dicendo che difficilmente potrà addursi motivo ragionevole, per cui non si faccia nelle parrocchie la benedizione solenne dell'acqua battesimale con i riti, e nei tempi stabiliti dalla Chiesa, che sono il Sabato Santo, e la vigilia della Pentecoste. Al che può aggiungersi che il non avere, nè il potersi ritenere stabilmente nelle chiese parrocchiali il Fonte Battesimale, non sembra motivo sufficiente per omettere la solenne benedizione dell'acqua a questo effetto destinata, potendo questa adattarsi con tutta proprietà in un decente vaso amovibile, quale poi si conservi presso del parroco, con quella cautela e decoro con cui si conservano e gli Olii Santi, e le altre cose sacre. Ma succedendo, che per inevitabile ostacolo non siasi potuto eseguire nei tempi debiti la benedizione dell'acqua battesimale, oppure che sia venuta a mancare quella che era stata benedetta col solenne rito prescritto nel Messale Romano, a questo caso ha ben provveduto il Rituale Romano nel Tit. II, Cap. VII, che ha per argomento *Benedictio Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschae et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur:* ove sono prescritte le preci, e formole da usarsi in tal benedizione solenne, e sopra tutto l'infusione degli Olî Santi, cioè di quello de' catecumeni, e del sacro Crisma. Ciò presupposto, non può assolutamente approvarsi la pratica da Lei replicatamente indicata di amministrare il Battesimo, fuori dei casi di necessità, o con l'acqua comune, o con la semplice acqua benedetta, che suole denominarsi *acqua santa.*

538

Indulta pro celebratione Missae defunctorum.

S. C. de Prop. F. *21 Nov. 1779.* — Ut animae christifidelium, qui ex hoc saeculo migrarunt, consuetis Ecclesiae suffragiis opportune iuventur, SSmus D. N. Pius d. p. PP. VI ad preces missionariorum in Indiis orientalibus existentium benigne indulsit:

1. Ut defunctorum cadavera, quae ob foetorem ante horas 24 sepulta sunt, tamquam praesentia censeantur, ideoque intra id temporis spatium Missae defunctorum pro iis celebrari possint, etiamsi Officium sit duplex.

2. Ut Missa solemnis defunctorum celebrari valeat pro animabus confratrum, qui alicui Confraternitati addicti fuerant, ea die quae sequitur Commemorationem omnium fidelium defunctorum, quamvis idem adsit Officii duplicis impedimentum.

3. Ut die quae immediate subsequitur Octavam Corporis Christi, solemne Missae Sacrificium peragi possit pro defunctis confratribus SSmi Sacramenti, licet Officium duplex, ut supra, recurrat.

4. Denique ut, absentibus missionariis die mortis vel sepulturae alicuius defuncti, iidem Missam cantatam, vel lectam defunctorum celebrare possint, etiamsi Officium sit duplex, cum primum ad locum pervenerint.

Declaravit tamen Sanctitas Sua ut in reliquis praedicti missionarii se omnino conforment Rubricis generalibus et Decretis Sacrae Rituum Congregationis, caeteris quibuscumque in contrarium non obstantibus.

539

Circa spolia sacerdotum et monachorum cophtorum.

Decr. S. C. de Prop. F. *25 Dec. 1779.* — Cum relatum fuerit eum apud cophtos vigere abusum, ut sacrae supellectiles, aliaeque res ecclesiasticae, quae sacerdotibus et monachis eiusdem ritus, vel a S. C. transmissae, vel piis fidelium largitionibus donatae fuerunt, post eorum obitum ab heredibus distrahantur, et alienentur, haud mediocri nationalium ecclesiarum detrimento: S. Congregatio, referente Emo ac Rmo D. Card. Thoma Maria Ghilini Ponente, inhaerens decretis alias latis, ac praesertim sub die 17 Augusti 1772, statuit ac decrevit, sacras omnes supellectiles, vasa, libros, et alia quaelibet instrumenta, penes sacerdotes, et monachos cophtos post eorum mortem reperta, si haec vel praefatae S. Congregationis, vel fidelium pietate acquisita fuerint, ad easdem ecclesias omnino spectare, proindeque illius Missionis beneficio eroganda esse, cui defuncti sacerdotes, vel monachi addicti erant. Quod si probetur, et constet praedicta sacra non Ecclesiae favore, sed directe vel sacerdotibus, vel monachis a fidelibus donata fuisse, tum indulget S. C. ut sacra eadem ad illorum heredes transire valeant: quo tamen casu Superioris nationis cophtae partes erunt, id sedulo curare, ne praefatae supellectiles ad sanctum Ecclesiae ministerium destinatae, vel infidelibus, turpis lucri gratia vendantur, vel in profanos alios usus ab heredibus erogentur.

Quam S. Congnis sententiam SSmo D. N. Pio PP. VI relatam in Audientia habita per R. P. D. Stephanum Borgia Secretarium die 19 Dec. 1779, Sanctitas Sua benigne approbavit, et Apostolica auctoritate munivit.

540

Circa tempus elargiendi indulgentiam plenariam *in articulo mortis*.

S. C. S. Officii *27 Ian. 1780* — Sutchuen — 1. Iuxta Indultum a S. Sede concessum, missionarii omnes habent per communicationem facultatem elargiendi Indulgentiam plenariam in articulo mortis constitutis. Verum cum raro inveniant fideles praecise in articulo mortis constitutos, inde fit ut alii dictam Indulgentiam elargiantur ubi tantum est mortis periculum, licet proxime admodum non videatur imminere; alii vero iuxta rigorem verborum non applicant nisi quo tempore agonia videtur proxima; et tunc, quando non observant tam proximum mortis periculum, sive ope medalliorum quibus, auctoritate S. Sedis, huiusmodi Indulgentiae adnexae sunt, quaeque fidelibus dant, sive invocatione SS. Nominis Iesu, prout concessum est a pluribus Summis Pontificibus, monent fideles ut conditiones apponant quibus tantum beneficium consequi mereantur. Si S. C. determinare censeat cui pacto potius adhaerendum, omnes quotquot sumus praesto erimus S. Sedis iudicio.

2. Saepe in hac provincia gentiles exigunt contributiones pro superstitiosis; plerumque christiani recusant: tunc gentiles ab ipsorum domibus vi auferunt, quasi in compensationem, plura utensilia quorum pretium longe superat valorem rei quam pro superstitiosis postulaverant. Ad vitandum istud damnum possuntne christiani haec utensilia ab ipsis redimere data pecunia, quae postulatur? Atque, si possint, tenenturne expectare, ut gentiles auferant dicta utensilia, quando praesertim sciunt ad hoc venisse, vel ut postulata recipiant, vel ut in compensationem depraedentur?

Circa contributiones pro superstitiosis.

R. Ad 1. Ad id quod inter missionarios controvertitur de tempore impertiendae Indulgentiae plenariae constitutis in mortis articulo, S. C. censuit eam temporis circumstantiam satis esse ut rite conferatur, quae sufficit Extremae ipsi Unctioni conferendae, cum nempe infirmus vi morbi cernitur ad interitum vergere. Neque proximius agoni tempus expectandum esse, quo aegrotus vix sui compos, ad eos plane animi motus edendos impar est, quos Rituale Romanum efflagitat ut tanti beneficii, sicut Extremae Unctionis, fructus uberius percipiatur. Quamobrem e missionariorum debito fore, post adhibitam infirmo sacramentalem Unctionem, eumdem excitare ad ea animo concipienda quae in eodem Rituali libro leguntur, mox vero tam insigni beneficio plenariae remissionis eumdem communire; idque tunc potissimum praestare cum se haud reversuros praevident.

Ad 2. Neutrum licere: non utensilibus praecavere, antequam diripiantur; non ea redimere postquam direpta sunt, illa, quae petebatur, pecunia contributa. Certum est enim contributionem huiusmodi externam saltem praeseferre consensionem cum superstitiosa gentilium voluntate, cui adhaerere ne cum vitae quidem discrimine licet.

541

Circa operationem caesaream sinensibus exosam.

S. C. S. Officii *15 Febr. 1780* — Sutchuen — Ubi de baptizandis parvulis Rituale Romanum hoc praescribit scilicet: *Si mater praegnans mortua fuerit, foetus quamprimum caute extrahatur,* huc usque inter christianos casus occurrit, sed regula praescripta nunquam observata est, neque unquam promulgata. Rationes sunt: summa repugnantia quam sinenses habent ad eiusmodi sectionem, absoluta apud ipsos artis anatomicae imperitia, gravissimum periculum atroces calumnias contra religionem excitandi, gravesque persecutiones sustinendi cum discrimine salutis et vitae saltem pro iis qui sectionem tentare auderent, si factum ad notitiam gentilium perveniret, quod admodum facile est. Causae praedictae possuntne silentium excusare?

R. Etsi caute prudenterque agendum sit,

ne, cum paucos quaerimus, multos amittamus, agendum esse tamen, et sectionis a Rituali praescriptae notitia ingerenda, ne oblivisci videamur eos, quos abundantiori caritate manifestum est indigere. Erit proinde e missionariorum debito, paulatim et opportune commonere sutchuenses de miserrima parvulorum peritione in uteris matrum decedentium, quibus opitulari nihilominus, quoad humanae possunt vires, postulat christiana charitas, postulat ecclesiastica sollicitudo. Neque improbum videri debere sutchuensibus, aut ullis fidelibus, secare matrem mortuam, cum et Dominicum latus dissectum sit pro nostra redemptione. Illud potius rationi absonum atque ab omni pietate remotum pro inani quadam integritate pudoreque servando defunctae genitrici, viventem natum aeternae morti addicere. Certe non modestia, non virtus, unde tantum profluit malum. Haec autem foetus extractio de praegnantis defunctaeque alvo matris, quamvis patefacienda, ut dicimus, ac persuadenda sit, expresse tamen cavet, prohibetque Sanctitas Sua, ne missionarii in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda. Sat proinde missionariis fuerit illius notitiam edidisse, curasseque ut eius perficiendae rationem perdiscant, qui chirurgicis intendunt, laici homines, tum vero, cum casus tulerit, eiusdem praxim ipsorum oneri ac muneri reliquisse.

542

Contra dispensationes ab impedim. disparitetis cultus anticipativas et communes.

S. C. S. Off. *15 Febr. 1780* — SUTCHUEN — Raro dispensatur mulier fidelis ad effectum nubendi cum viro gentili; sed difficultas longe minor est christianum fidelem dispensandi, ut matrimonium cum infideli muliere contrahat. Atque eo processum est ut aliqui inter nos non dubitent anticipativam et communem dispensationem ad hunc effectum dare. Ratio ipsis est, quia probabile non videtur Sanctam Sedem exigere ut decem, et aliquando amplius, dierum iter suscipiant, ut, occurrente casu, dispensationem postulent. Praeterea observarunt quod ex centum mulieribus paganis quae viris fidelibus nubunt, nonaginta sint quae fiunt christianae; unde generaliter et anticipative, habita ratione numeri christianorum loci alicuius determinati, horum determinatum numerum, non nominatis personis, a disparitatis cultus impedimento dispensant. Num excedant isti missionarii in praedictae facultatis usu, non audeo determinare.

R. Excessisse missionarios et excedere in concedendis dispensationibus anticipativis et communibus absque nominatione personae, eisdemque iniungendum ut deinceps se abstineant ab hisce dispensationibus concedendis, sub nullitatis poena; alienum quippe a more ac mente huius Sanctae Sedis prorsus est cuipiam facultates delegare velle, quae executioni mandentur, non prius visa diligenter causa, nec positis per eumdem executorem in tuto conditionibus quae apponuntur. Erit proinde e munere ipsius Vicarii Ap. facultatem, quae sibi adesse ac perdurare supponitur, dispensandi super disparitate cultus, iis tantum prudentibus ac piis in sua Missione laborantibus sacerdotibus subdelegare, qui neminem fidelium permittant matrimonium contrahere cum infideli, ni viderint antea graves illas causas concurrere in singulis plane casibus expetendas, quas accurate inspici iubet Apostolica Sedes, atque illud maxime caverint quod pars infidelis, nisi spem suae conversionis praebuerit, saltem sine contumelia Creatoris et christiani nominis iniuria sit cum parte fideli cohabitatura, nec ullatenus impeditura educationem prolis utriusque sexus in sancta religione. Ne vero super indebitis hucusque concessis dispensationibus angatur Vicarius Ap., clementissime indulsit Sanctitas Sua ne turbarentur qui contraxere, sanatis in radice, ut dicitur, ipsorum matrimoniis, atque a novi consensus obligatione absolutis coniugibus.

543

Missionarii non sunt vere ac proprie parochi.

Decr. S. C. de Prop. F. *17 Febr. 1780.* — Cum plurimum intersit, ut inter operarios, qui sacrarum Missionum ministerio dant operam, aequus ordo servetur, nec ulla inter ipsos emergat super cuiusque iuribus dissensionum causa, quae orthodoxae religionis incremento tantopere obesse solent: S. C. referente Emo ac Rmo D. Card. Boschi Ponente, censuit ac declaravit, ecclesias omnes, oratoria, cappellas, districtus, qui a sacerdotibus saecularibus, sive etiam regularibus diversarum nationum, tam in civitate Pekini, quam in eius dioecesi administrantur, nec vere, nec proprie parochias esse cum certarum animarum cura necessario coniunctas; missionarios vero, quorum fidei commissa est earumdem ecclesiarum administratio, nullo modo parochos esse, sed simplices verbi Dei praecones, nulla certa sede, aut residentia incardinatos; proindeque ad nutum pro tempore existentis Episcopi Pekinensis esse amovibiles.

Quod Sacrae Congregationis Decretum Sanctissimo Domino Nostro PIO PP. VI. relatum in Audientia habita per R. D. Stephanum Borgia Secretarium die 13. Februarii 1780, Sanctitas Sua benigne adprobavit, et Apostolica sua auctoritate munivit.

544

De annua circa scholas relatione S. Congregationi de Propag. Fide exhibenda.

Decr. S. C. de Prop. Fide. *15 Iulii 1780.* — Sollicitudo, quam habet S. Congregatio, ut christiana iuventus, sublatis ignorantiae tenebris,

orthodoxae fidei doctrina, et salutaribus disciplinis ubique imbuatur, unde religionis conservatio, integritas, atque incrementum maxime pendet, effecit ut permulta per varias mundi plagas gymnasia et scholas propriis impensis erexerit, ubi catholicorum filii, caeterique adolescentes, qui inter infideles et haereticos versantur, ac potissimum ii, qui ad sanctuarii ministerium vocati sunt, necessaria rudimenta possent addiscere, et sacris, iisque incorruptis doctrinis informari. Cum itaque plurimum intersit, ut ex huiusmodi scholis is profectus hauriatur, quem S. C. in earum institutione sibi proposuit, neque a praeceptoribus emolumenta percipiantur, nisi commissum sibi munus fideliter, et debita cum diligentia expleverint, Eminentissimi Patres, referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, inhaerentes decretis alias editis, ac praesertim sub die 3 Septembris 1659, statuerunt, ut in posterum consuetae mercedes pro scholis ubicumque erectis non persolvantur, nisi exhibito prius, et per singulos annos, documento approbato et recognito vel a Nuntio Apostolico, vel ab Episcopo dioecesano, ubi aderunt; ubi autem desunt, vel a Vicariis, et respectivis Missionum Superioribus, vel ab alio denique, arbitrio Sacrae Congregationis designando: in quo documento constare debeat non solum de numero magistrorum, ac discipulorum, sed etiam an in communi vivant, et propriis, seu communibus expensis alantur; qui sint praeceptores num laici, vel presbyteri saeculares, vel regulares; a quibus sint instituti, et a quibus confirmati; in quot classes sint distributi discipuli; quasnam disciplinas addiscant; quamdiu debeant ibi commorari, quinam denique sit in pietate ac studiis uniuscuiusque progressus. Praeterea, ut iuvenes ii qui a Sacra Congregatione in sua collegia recipiuntur, saltem primis rudimentis et aliqua linguae peritia instructi sint, ac scholasticae disciplinae assueti, decreverunt Eminentissimi Patres, ut alumni omnes qui a locorum Ordinariis aut Missionum Superioribus, vel ad Urbanum, vel ad alia ipsius Sacrae Congregationis collegia mittentur, non aliunde, nisi a praefatis gymnasiis, seu scholis, ubi istae fuerint, in posterum desumantur; de quo praefati Episcopi, et Superiores legitimum documentum Sacrae Congregationi transferre in alumnorum expeditione teneantur.

545

De clausurae lege a Regularibus servanda.

Decr. S. C. de Prop. Fide *26 Aug. 1780.* — Cum deceat viros qui saecularibus soluti curis per Regularia vota arctioris vitae institutum sunt professi, ab omni mulierum familiaritate abhorrere, hinc est quod tam Generalium ac Provincialium Conciliorum decretis, quam Summorum Pontificum, ac novissimis praesertim S. Pii V., Gregorii XIII., ac Benedicti XIV. Constitutionibus sancitum est, ut intra Religiosorum virorum septa, mulieribus quibuscumque non pateat aditus, sub gravissimis poenis inflictis, tam viris qui foeminas quocumque praetextu intra Regularium domorum ambitum admiserint, quam foeminis quae earumdem domorum clausuram violaverint. Saluberrimis hisce sanctionibus inhaerens Sacra Congregatio, etsi Praefectos Missionum identidem monere non destiterit, si quos aliquando ea in re non admodum vigilantes fuisse intellexerit: temporis tamen intervallo, vel legis oblivione, vel quod proclive est hominis ingenium ad legum quarumcumque sanctissimarum vim elevandam, saepius accidit, quemadmodum multorum litteris eidem Congregationi renunciatum est, quod in stationibus ac hospitiis missionariorum admissae quandoque fuerint mulieres, et in cubiculis, vel in aliis locis intra hospitiorum ambitum Poenitentiae Sacramentum susceperint. Quod quidem quam indecorum sit, quamque periculosum, probe noscens Sacra Congregatio, quae missionarios suos inter christiani nominis hostes versantes, non solum a malo, sed etiam ab omni specie mali abstinere desiderat, ut, iuxta Apostoli monitum, sine offensione sint iudaeis, et gentibus, et Ecclesiae Dei; referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, statuit ac iussit hospitia et stationes, seu domos quaslibet cuiuscumque Ordinis, Congregationis, aut Instituti Regularis, in locis Missionum ubicumque existentes, in quibus duo vel tres missionarii latini ritus commorantur, seu commorari contigerit, clausurae legibus subiici, ita ut nemini regulari cuicumque omnino liceat, ullam foeminam intra privata eorumdem hospitiorum, seu stationum cubicula, mansiones, recessus, sub quovis titulo, specie, ac praetextu introducere, multoque minus sanctissimum Poenitentiae Sacramentum ibidem ipsis administrare; nec mulieribus sub quarumcumque licentiarum obtentu praedicta hospitiorum privata cubicula, mansiones, recessus ingredi, sub poenis a sacris canonibus, ac supra memoratis Pontificum constitutionibus inflictis adversus clausurae violatores. Ut autem ad eorumdem hospitiorum interna oratoria, ecclesias, ac loca, ubi sacra peraguntur, mulieribus quoque pateat accessus, ut sacrosancto Missae Sacrificio, aliisque ecclesiasticis functionibus, intersint, atque Sacramentum Poenitentiae suscipiant; eadem Sacra Congregatio declarat, ac decernit, admitti posse mulieres in internis ecclesiis, cappellis, aut oratoriis publicis hospitiorum praedictorum, ad quae tamen recto tramite accedant, nec in cubicula, aut privatas mansiones deflectant, et per eamdem, per quam accesserunt, viam, revertantur. Iubet praeterea, et praecipit Sacra Congregatio, ut mulierum Confessiones

palam in ecclesiis, cappellis, aut publicis oratoriis, ubi adsunt: ubi vero desiderantur, in alio loco patenti, ac pervio, et ianuae hospitii quantum fieri potest viciniori, a respectivis Ordinariis, et his deficientibus, a localibus Missionum Superioribus designando, interposita crate ferrea, vel alio repagulo inter os confessarii, ac mulieris poenitentis, audiantur. Qui secus fecerint, ac saluberrimis hisce ordinationibus contraiverint, poenas contra clausurae violatores, ac sacrorum canonum, et Apostolicarum Constitutionum praefatarum contemptores incurrant.

Quod Sacrae Congregationis Decretum SSmo D. N. Pio PP. VI. relatum in audientia habita per eumdem D. Secretarium, die 2. Iulii currentis anni, Sanctitas Sua benigne confirmavit, Apostolicae Suae auctoritatis robur adiiciens, et ab omnibus sub memoratis poenis inviolabiliter observari iussit.

546

Sacris haereticorum functionibus interesse nullatenus licet.

Instr. S. C. S. Officii *28 Aug. 1780.* — (AD VIC. AP. CONSTANTINOP.) — Postulasti a Sacra Congr. de Propaganda Fide, num Tibi liceret Sacramentum Confirmationis, num aliis sacerdotibus alia Sacramenta administrare cuidam huius urbis adolescenti catholico, qui quamvis catholice vivat, sacris tamen lutheranorum functionibus, festis ad minus diebus, interesse cogitur a patre haeretico, nolente sui nominis iacturam facere, quam pertimescit, apud conlutheranos suos, nisi filium ad suae sectae imitationem perstringat. Esse autem id omne ab huiusce S. Sedis Apostolicae regulis alienum prorsus, atque adversum, etiamsi adolescens obtestetur, malo se prorsus invitoque animo praedictis functionibus exhibere, atque ad ea unice avertenda, quae domi gravissima orirentur incommoda, cum suae praeterea de hac re exheredationis et eiectionis periculo: et quamvis adolescens, adiens haereticorum sacra, non se immisceat illorum precibus, non coenam sumat, non aliud quidquam operetur: sed immobilis vere sicut lapis materialem solummodo praesentiam impendat, et denique licet iuvenis polliceatur, cum primo a patria potestate fuerit liber, eiusve actuali imperio, nusquam se haereticorum sacra haec aditurum: dignoscere poteris ex ea potissimum instructione quam typis edidit Sacra Congregatio de Prop. Fide super communicatione in divinis *(V. n. 311)*, exque decreto diei 19 Februarii 1774 *(V. n. 501)* ibique laudatis Benedicti XIV. Constitutionibus, quae tibi praesidio quoque erunt in consimilibus aliis casibus expediendis: interim adnotando, praeter periculum propriae perversionis, praeter scandalum quod fidelibus aeque ac infidelibus praesenti in casu ingeneratur, simulationem quoque aliquam externam saltem falsae religionis adesse, quae cum puritate fidei catholicae componi nullatenus potest.

Sed cum haec a nobis Tibi rescribenda veritas commendat doctrinae, illud etiam fervor charitatis a Te suggerit, esse procurandum ut periclitantem, et in tentatione positum adolescentulum, eiusdemque optimam matrem, flebiles forte refoveas, pusillanimes confortes: patris sponsique comminationibus perterritos, proposito eis futurae retributionis gaudio, ad praesens sustinendum certamen enixe adhorteris: doceas insuper nisi qui utrumque oderit, cum sibi in scandalum factus est, non posse Christi esse discipulum, eosdemque demum tuis monitis instruas, ut (illum), ne se ab iis tamquam despectum erubescat, coeteris quibuscumque obedientiae, atque venerationis significationibus obsequentissime prosequantur. Nisi haec vero iuverint, superest, ut pro eo, quo fungeris, Apostolici Vicarii ministerio, eorum incolumitati omnimodis satagas providere.

547

De nonnullis actionibus superstitiosis ad quas captivi christiani a mahumetanis coguntur.

S. C. S. Off. *14 Sept. 1780.* — ALGERIAE. — Le azioni seguenti relative specialmente alle moschee destinate alle istruzioni o preghiere pubbliche, ovvero ai *marabuti,* luoghi ove si conservano i corpi dei pretesi santi maomettani, non sono riguardate dagl'infedeli come un abbandono del cristianesimo, nè come una finzione del maomettismo, ma unicamente come un effetto della schiavitù che sottomette quegli sventurati all'assoluta volontà dei padroni sotto pena delle bastonate, della grande catena, della carretta, e talora della morte.

1. Spesse volte nella costruzione delle moschee, o dei marabuti, si chiamano gli schiavi cristiani per servire da manovali, e anche da muratori per lavorare insieme coi mori.

2. Altre volte viene ordinato a qualcuno dei medesimi schiavi di riattare o rilevare le mura di tali edifizi, o di aprire delle nuove finestre.

3. In certe feste alcuni sono mandati ad imbiancare con calcina i detti edifizî specialmente nella parte interna.

4. Nelle principali solennità lavano le porte delle prime moschee con le iscrizioni che sono al di sopra della facciata.

5. Talvolta è accaduto, benchè rarissimamente, che qualche schiavo fosse incaricato di accendere la lucerna di un marabuto.

6. Nelle disgrazie pubbliche dai cristiani si preparano le aste delle bandiere che gl'infedeli pongono sopra le moschee, o li marabuti, per annunziar le ore della preghiera, ed altri cristiani salgono a piantarle e a fermarle con corde, e poi un maomettano attacca il panno della bandiera.

7. Alcune volte s'inviano schiavi per dare calcina ai cimiterî degl'infedeli.

8. Altri sono deputati per intagliare sopra i cannoni la figura della luna, o iscrizioni in lingua turca significanti che quei cannoni furono fabbricati sotto il governo di tale Dey *di cui Dio conservi l'anima.*

9. È accaduto ancora che qualche cristiano abbia dovuto scolpire in pietra la detta figura della luna crescente, da riporsi sopra edifizî profani.

10. Quando li schiavi coloriscono l'esteriore dei bastimenti corsari, tengono ordine di colorire anche la luna che vi è rappresentata, e se nol facessero, vi sarebbero costretti.

11. Gli schiavi del Dey, e dei grandi del governo, alcune fiate gettano acqua sopra le mani e piedi dei loro padroni allorchè questi si preparano per le abluzioni o purificazioni legali, e dopo le medesime purificazioni o abluzioni gli stessi schiavi presentano un tovaglino ai padroni loro per limpiare il luogo umido.

12. Frequentissimamente gli schiavi si valgono dell'asilo dei marabuti, entrandovi a fine di evitare la morte giustamente o ingiustamente imminente; di obbligare un padrone crudele a migliori trattamenti; d'impedire vive persecuzioni contro la carità, e di sottrarsi generalmente a qualsivoglia pericolo urgente.

R. Quoad priora quatuor dubia, christianos captivos relinquendos esse in bona fide, dummodo actiones in illis contentae fiant sine contemptu religionis, et sine intentione cooperandi superstitioni.

Ad 5. Non licere.

Ad 6. et 7. Licere.

Ad 8. Licere dummodo enunciata verba non intelligantur a christianis pravo sensu.

Ad 9. et 10. Licere.

Ad 11. et 12. Christianos captivos esse relinquendos in bona fide, ut ad quatuor priora dubia.

548

De limitatione facultatis dispensandi in ieiuniis.

S. C. de Prop. F. C. G. *2 Aug. 1781.* — Facultatem dispensandi in ieiuniis ita concessam esse missionariis, ut ea uti nequeant nisi *cum personis particularibus,* et iustis occurrentibus causis, super quibus, eorum conscientia onerata, standum eorum iudicio.

549

Facultatum concessionem Episcopis diversa adiuncta moderantur.

Ex Instr. S. C. S. Off. *16 Aug. 1781.* — (AD EPISC. SCEPUSIEN.). — Non passim et pro cuiusque Episcopi merito facultates ab Apostolica Sede conceduntur, sed iuxta antiquam praestitutam praxim, prout regionum distantia ab Urbe, et dioecesum utilitas postulat, cuiuslibet regni aut provinciae Episcopis distribuuntur, ita ut minores iis, qui intra Europam, ampliores autem iis, qui in aliis mundi partibus commorantur, largiri consueverit. Ratio etiam habetur eorum, qui sub potestate vivunt Principum infidelium, eorumve qui in felici catholicorum Principum ditione degunt. Animarum salus, observantia canonum, custodia disciplinae, ac demum sobria quaedam legum retinendarum severitas moderatrix est omnium facultatum, quas Apostolica Sedes Episcopis indulget pro dispensationibus elargiendis. Si ab isto more, ac usu iamdiu recepto ac probato paullulum recedatur, iam vides perturbari omnia, atque misceri, atque invidiam inter eiusdem provinciae Episcopos creari, si unus prae altero amplioribus facultatibus augeatur. At vero universis illas indulgere, cum omnis dispensandi facultas, nihil aliud sit, quam iuris relaxatio, verendum maxime, ne iuris ac legum rigor, salubrisque severitas obsolescat atque labefactetur.

Quoad sepulturam haereticorum, et coemeteria iisdem cum catholicis communia.

Modo de sepultura, et funeribus haereticorum paucioribus agendum est; quamcumque enim in divinis communicationem cum haereticis sive vivis, sive defunctis, catholico viro esse prohibitam, tam notum est ac pervulgatum, ut nihil magis. Sed ad rem pressius, et primo quoad sepulturam: Cap. *Sacris, De sepulturis:* « Sacris est canonibus institutum » ut quibus non communicavimus vivis non » communicemus defunctis: et ut careant ec» clesiastica sepultura qui prius erant ab ec» clesiastica unitate praecisi ». Et *De haereticis* in 6. Cap. *Quicumque:* « Quicumque ec» clesiasticae sepulturae haereticos tradere scien» ter praesumpserint, absolutionis beneficium » non mereantur nisi propriis manibus publice » extumulent, et proiiciant eiusmodi corpora » damnatorum ». In Rituali autem Romano Pauli V. *De exequiis* Tit. 6. cap. 2, negatur ecclesiastica sepultura paganis, iudaeis, et omnibus infidelibus, haereticis, et eorum fautoribus; quin et Martinus V. cuius Constitutionem *Ad evitanda* nonnulli in favorem haereticorum nimium extendunt, in altera posteriori *Inter cunctas* sic decernit: « Si tales haeretici pu» blici et manifesti, licet nondum per Eccle» siam declarati, in hoc tamen gravi crimine » decesserint, ecclesiastica careant sepultura ».

Neque ut hoc ecclesiasticae sepulturae beneficio haeretici quidam fruantur, quidquam illis suffragari poterit, vel quod (ut inquis) non per ianuas, sed per ecclesiae cryptas eorum corpora inferantur, vel quod eo iure iamdiu illorum familiae potiantur, vel demum quod ecclesiae tectum, ac fabricam servare promittunt. Vides enim fucum fieri Ecclesiae legibus, si haeretici communi sepultura cum catholicis socientur, quamquam diverso utantur ad sepulchrum ingressu. Ius autem familiarum qualem esse poterit, si qui a fide desciverunt, omni etiam, iuxta sacros canones, iure ac pri-

vilegio, quod Ecclesiae beneficio consequuti sunt, privatos ac spoliatos esse oporteat? Tandem nec sumptus pro restaurandis ecclesiis ab haereticis promissi movere Te debent, ut pecunia existimes eosdem communi posse cum catholicis sociari tumulo. At valde timendum refers, ne quod ab Episcopo haereticis denegatur, id a saeculari potestate impetraverint. Catholicorum Principum pietas haud ita futurum esse suadet; attamen quidquid absque tuo consensu ac nutu factum fuerit, si quidem absque turbarum et discordiarum periculo prohibere nequeas, moerens ac tacitus patienter feres, ita tamen ut sis de christiana aequanimitate ac tolerantia laudandus, nunquam vero de consensu et approbatione culpandus.

Quamquam non tam de ecclesiis modo quam de coemeteriis quaeris, quae haereticis ac catholicis communia sunt; quod cum omnino sine offensione tolli non possit, « Episco» pus, inquis, disposuit, ut occasione sepultu» rarum, secundum recentiora regia toto Re» gno decreta, extra urbes, oppida, pagos ab » ecclesiae areis transferendarum, nova con» stituenda coemeteria, remotis arbitris, in pro» portionata sui parte pro catholicis humandis » benedicantur; in reliqua vero intra eamdem » coemeterii cincturam parte corpora acatholi» corum tumulentur ». Optime quidem haec a Te disposita ac constituta sunt pro ea, qua Episcopus in hac temporum iniuria uti patientia ac tolerantia debet. Videat tamen Amplitudo Tua, ut, quantum sublatis contentionum ac dissidiorum periculis fieri poterit, in humandis catholicorum corporibus tam quoad locum, quam quoad alias Ecclesiae caeremonias, omnia ad normam sacrorum Canonum, quos optime calles, conformentur.

550

De servis christianis qui coguntur turcarum templa restaurare ac revereri.

S. C. de Prop. Fide – *27 Augusti 1781* (C. G.) — Nelle Congñi Generali del S. Officio tenute alla presenza di Sua Santità li 31 Agosto, 8 e 14 Settembre dello scorso an. 1780 furono esaminati e discussi diversi punti del Vic. Ap. di Algeri risguardanti li cristiani schiavi che dai turchi vengono sottoposti alle opere e lavori, proponendo nei primi quattro: 1. Che spesse volte nella costruzione delle moschee si mandano gli schiavi cristiani per servire da bardotti e muratori, ancora con mori giuntamente travagliando. 2. Altre si prescrive ad alcuni dei medesimi schiavi di raccomandare o rilevare le mura di tali edifizî, di aprire in essi fenestre. 3. In particolari feste certuni sono inviati a bianchirli con calcina, specialmente nella parte interna. 4. Nelle precipue solennità lavano le porte delle prime moschee con le iscrizioni superiori nella parte esterna. E ricercando il Vicario sudd. se simili azioni e operazioni fossero lecite, si considerarono i motivi, le cause e le circostanze dal medesimo Vicario nella sua relazione esposte, che facevan vedere i poveri schiavi posti nella dura necessità di prestarsi alle opere suddette; la buona fede, in cui erano di poter fare; le difficoltà insuperabili che s'incontrerebbero se si volessero distorre, e le crudeli vessazioni alle quali anderebbero incontro se ricusassero di ubbidire, col pericolo inoltre più che probabile della espulsione dei missionarii e divieto ai ministri del Signore d'istruirli ed apprestar loro i Sagramenti. Fu perciò risoluto in dette Congñi, che quando non venissero dai turchi astretti a fare le cose suddette in odio e disprezzo della nostra s. religione, nel quale caso dovrebbero piuttosto sopportare la morte, dovesse il Vic. Ap. lasciare gli schiavi cristiani nella buona fede, in cui sono, purchè però non abbiano intenzione di cooperare alla superstizione. Ora per parte del medesimo Vic. Ap. si domanda: Se sia lecito agli schiavi cattolici, allorchè sono comandati d'imbiancare o risarcire le moschee, d'entrarvi a piedi scalzi e col capo scoperto, al che vengono parimente obligati.

R. Non esse inquietandos, dummodo non intendant mahumetanorum superstitionibus cooperari.

551

De consecratione episcopali nondum receptis Litteris Apostolicis peracta.

S. C. de Prop. F. – *30 Dec. 1781* (C. P. pro Sin.) — Exposito dubio de consecratione electi Episcopi Pekinensis, nondum receptis Litteris Apostolicis peracta, eo quia ex una parte adiuncta postulabant ne ulterius eadem consecratio differretur, ex alia habebatur certa et authentica notitia de earum Litterarum expeditione et transmissione, S. Congregatio respondit ut sequitur: Consecrationem in casu esse legitimam (1).

(1) Huiusmodi responsio data fuit ob peculiaria casus adiuncta. Ceterum in Litt. Ap. Alexandri PP. VII 27 Febr. 1660 haec habentur: « Alias pro parte Ven. Fratris Episcopi civitatis Assumptionis nuncupatae provinciae Paraquariensis in Indiis occidentalibus Congregationi VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardd. Concilii Trid. interpretum exposito quod ipse Episcopus possessionem Ecclesiae civitatis Assumptionis huiusmodi apprehendisset, et se a Ven. etiam Fratre Episcopo Tucumanensi consecrari curasset, non praesentatis Litteris Apostolicis provisionis et praefectionis suae in Episcopum eiusdem Ecclesiae, quae tamen revera concessae prius et expeditae fuerant, deque ipsa concessione et expeditione, praeviis quibusdam informationibus aliqualiter constabat; quodque consecratio huiusmodi ab unico praedicto episcopo Tucumanensi, assistentibus duobus de Capitulo canonicis, peracta fuisset, non exhibito Apostolico dispensationis indulto, quod tamen re ipsa pridem concessum fuerat, et sub aliquali huius concessionis notitia aut saltem praesumptione (quia

552

Latinorum infantibus Confirmatio a presbyteris graecis haud administranda.

Ex Instr. S. C. S. Officii 1782 (AD EP. SCEPUSIEN.) — Egregie actum est quod parochis ruthenis omnino prohibueris ne, si quandoque contingat latinorum infantes ab ipsis baptizari, Sacramentum quoque Confirmationis graecorum more post Baptismum administrent (1).

553

An sacerdotibus egenis licita negotiatio.

S. C. S. Off. *18 Martii 1782* – CONSTANTIN. – Utrum sacerdotes ad titulum *missionis* ordinati, possint conferre pecunias in societatem negotiationis, et ita accipere partem lucri ex negotiatione procedentem vel determinatam, vel eventualem. Ratio dubitandi est quia, cum beneficio vel patrimonio careant, non sunt sufficienter provisi pro sua sustentatione; vel pro casibus infirmitatis, pestis, incendii, senectutis, in quibus eleemosynis Missarum non multum vel nihil sibi providere possunt.

R. SSmus iussit per *Instructionem* responderi.

INSTRUCTIO — Tota quaestio in eo versatur: an sacerdotibus ad titulum *missionis* ordinatis, qui patrimonio ac beneficio carent, atque Missarum eleemosynis parum aut nihil comparare sibi possunt, permitti queat ut licita atque honesta aliqua negotiatione suae consulant sustentationi. Distinguere autem oportet, utrum sacerdotes isti ex nunc inopia premantur, cui ni consulatur, cum sui characteris dedecore victum sibi mendicare cogantur;

---

scilicet Sedes Apostolica solita sit circa numerum Episcoporum dispensare cum Episcopis consecrandis in Indiis) praenarrata consecratio facta fuerat; ac quaesito: — 1. An praedicta possessio, non praesentatis Litteris Apostolicis apprehensa, fuerit legitima; — 2. An praenarrata consecratio, ut supra peracta, fuerit valida; praefata Cardinalium Congregatio, die quidem prima Septembris 1657, respondit: — Ad 1um non fuisse legitimam: Ad 2um vero eadem Congregatio die 15 Decembris dicti anni, re mature discussa, secundum ea quae proponebantur, respondit: supradictam consecrationem Episcopi Paraquariensis, quantum spectat ad sacramentum et impressionem characteris, fuisse validam; quantum vero spectat ad licitam executionem Ordinis fuisse irritam et inanem, et Episcopum ita consecratum, ac respective consecrantem indigere absolutione et dispensatione.

Quare pro parte eorūmdem civitatis Assumptionis et Tucumanensis Episcoporum Nobis fuit humiliter supplicatum ut eorum statui opportune in praemissis providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, specialem eisdem Episcopis gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis etc., harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardd. consilio, ipsos civitatis Assumptionis et Tucumanensem Episcopos, et eorum singulos, a censuris et poenis ecclesiasticis quibuslibet per eos occasione consecrationis, sicut praemittitur, peractae, quoquo modo respective incursis, et quas ipsi incurrisse dici, censeri, praetendi vel intelligi possent, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, absolvimus et plenarie liberamus, ac cum eisdem Episcopis et eorum singulis super irregularitate per eos praemissorum occasione quomodolibet contracta, ita quod illa et eisdem praemissis non obstantibus, dummodo nullum aliud canonicum eis respective obstet impedimentum, clericali charactere quo alias rite insigniti fuerunt, illiusque privilegiis uti, ac in susceptis per eos pariter rite quatuor minoribus, nec non sacris subdiaconatus, diaconatus et praesbyteratus Ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare, episcopaliaque munia obire exequi et exercere libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis dispensamus. Non obstantibus *etc.*

Volumus autem ut dicti Episcopi poenitentiam, quam eis respective sacerdos idoneus propter praemissa imposuerit, omnino adimpleant, alioquin praesentes, quoad absolutionem eis in foro conscientiae, nullatenus suffragentur ».

(1) De Confirmatione quam presbyteri orientales immediate post Baptismum conferunt, haec tradit Benedictus XIV in Op. De Syn. Dioec. Lib. VII. Cap. IX, § 4: « Eadem Confirmatio est irrita reputanda in locis in quibus certo novimus talem facultatem graecis, alteriusque orientalis ritus sacerdotibus, esse ab Ap. Sede expresse ademptam. Praeter autem sacerdotes in Bulgaria, quibus eam ademptam audivimus a Nicolao I, et sacerdotes in regno Cypri quibus eamdem abstulit Innocentius IV, scimus, a Clemente VIII severe interdictum sacerdotibus italo-graecis ne baptizatos Chrismate consignare praesumant; cuius decretum Nos confirmavimus in nostra Const. 57 *Bullarii nostri* tom. 1 p. 167 in cuius § 3 haec ad rem diximus: – Episcopi latini, infantes, seu alios in suis dioecesibus baptizatos a presbyteris graecis absolute Chrismate in fronte consignatos confirment; cum neque per Praedecessores nostros, neque per Nos graecis presbyteris in Italia et insulis adiacentibus, ut infantibus baptizatis Sacramentum Confirmationis conferant, facultas concessa sit, aut concedatur; quin immo usque ab anno 1595 a fel. record. Clemente VIII Praedecessore nostro fuit presbyteris italo-graecis expresse interdictum ne baptizatos Chrismate consignent. Secus sub conditione, et cum cautela eos confirmare debent, de quibus verosimiliter dubitari potest utrum ab Episcopis graecis, ordinem Baptismi iuxta eorum Euchologium servantibus, fuerint baptizati. — In alia pariter nostra Constitutione 129. § 4 *cit. tom. eiusdem Bullarii pag. 513*, illata mentione eiusdem graecorum consuetudinis, haec addimus: – Quemadmodum enim graecis incolis Italiae expresse vetita est administratio utriusque Sacramenti ab eodem ministro contemporanee facienda, ita patientia quadam et facilitate Sedis Apostolicae factum est ut unum et alterum Sacramentum ab eodem sacerdote in oriente graecis conferretur; – et § 5 permittendum duximus cophtis perseverare in eodem ritu, iamdiu ab ipsis recepto, atque ab Apostolica Sede tolerato.... Ex omnibus consideratis optima et secura conflatur regula, ad quam dirigi debeat iudicium Episcopi, in cuius Synodo accidit disputari de robore Confirmationis a simplici sacerdote graeci ritus administratae. Antequam is quidquam definiat, diligenter inquirat oportet num in tali loco, eiusmodi graecorum mos fuerit unquam ab Apostolica Sede expresse improbatus, an potius eiusdem Sedis conniventia et lenitate toleratus. Si primum, Confirmationem irritam pronuntiabit, atque a sacerdote graeco inaniter confirmatos, absque scrupulo iterandi Sacramentum, iterum sacro Chrismate inunget; si alterum, Confirmationem ratam habebit. Quod si res dubia sit, nec possit certo diiudicari num eius regionis sacerdotibus aut expresse, aut sal-

an potius, providentes futuris casibus infirmitatis, senectutis, atque etiam pestis, incendiorum, ac terraemotus, quibus urbs ista frequenter obnoxia est, lucrum aliquod sibi ex negotiatione comparare velint, ut opportuna hac cautione futuram egestatem devitent. Quoad sacerdotes praesenti inopia laborantes, in promptu est Decretum S. C. de Prop. Fide, die 23 Novembris anno 1665 *(V. n. 163)*; quoad alios vero, futuris sed tamen probabilibus, suis necessitatibus providere cupientes, praestat etiam Epistola Encyclica s. m. Clementis XIII. diei 17 Septembris anni 1759, quae incipit: *Cum primum,* in qua, et praesertim in §§. *Si autem Ecclesiasticorum quispiam* etc. *Deinde pro eo* etc. *Caeterum facultates,* etc., quidquid ad rem opportunum est, sanctissime decernitur *(V. n. 423)*. Ex his autem Apostolicae Sedis sanctionibus, si regulas atque instituta, atque etiam indulgentiam in iis expressam, Vicarius Apostolicus Constantinopolitanus exacte ac diligenter sequatur, facile ipsi erit omne dubium dissolvere, et pauperum sacerdotum indigentiis, vel statim consulere, vel in posterum occurrere. Nam si urgeat praesens inopia, ex laudato Decreto anni 1665, poterit tolerare negotiationem aliquam a sacerdotibus fieri, iis tamen sub conditionibus quae in eodem Decreto adiiciuntur; si vero futuris necessitatibus dumtaxat est providendum, ea facultate utatur quam Clemens PP. XIII Episcopis extra Italiam concessit, et dispensationem sacerdotibus indulgeat, ut sua industria possint subsidia quaerere ad vitandam egestatem, iuxta tamen eas conditiones et regulas quas idem Pontifex in ea Epistola praescripsit.

« tem tacite data sit ab Ap. Sede facultas conferendi Sa-
« cram. Confirmationis, se abstinebit a proferenda sen-
« tentia, eamque expectabit a Rom. Pontifice, cui de-
« cet adeo grave negotium significari. Omnes eiusmo-
« di circumstantias prudenter examinatas invenimus a
« pluribus Synodis, et pro earumdem diversitate di-
« versam ab illis prolatam deprehendimus de Confir-
« matione graeco ritu administrata sententiam. In Syn-
« odo Maronitarum habita tempore Gregorii XIII,
« eodem Pontifice iubente, Synodi Praeses liberum esse
« declaravit, confirmatis a simplici sacerdote, denuo
« idem Sacramentum recipere ab Episcopo, quia non
« satis constabat an presbyteris Ecclesiae Ierosolymi-
« tanae, cui subduntur maronitae, concessum fuerit un-
« quam ab Ap. Sede tacitum saltem privilegium Sa-
« cramentum illud administrandi, quemadmodum re-
« ferunt Verricellus *de Apost. Mission. tit. 7, de Con-*
« *firmat. quaest. 131, n. 1,* et Thomas a Iesu *de con-*
« *versione omnium gentium lib. 3, cap. 5, pag. 484,*
« *et 508.* In Synodo Provinciali seu Nationali Albano,
« habita anno 1703, atque a Summo Pont. confirmata
« decisum videtur, solius Episcopi esse, baptizatorum
« frontes Chrismate linire; *cap.* enim 3, ubi de Con-
« firmat. est sermo, haec habentur: *Tanti porro Sa-*
« *cramenti, quod sola episcopalis persona suae vindicat*
« *dignitati* etc. Contra in Synodo Provinciali Ruthe-
« norum, celebrata Zamosciae anno 1720, cuius Acta
« a Nobis qui Congregationi Concilii Secretarii munere
« tunc fungebamur, diligenter antea recognita, fuere
« pariter ab Ap. Sede approbata, sancitum est vali-
« dam habendam fore, neque idcirco sine sacrilegio
« posse iterari Confirmationem receptam a simplici sa-
« cerdote, quia scilicet compertum est, ad ea quoque
« extendi tacitam delegationem graecis sacerdotibus fa-
« ctam a Rom. Pontifice: *Sacramentum Confirmationis*
« (verba sunt praefatae Synodi) *a Christo Domino in-*
« *stitutum, quod parochi in orientali Ecclesia extraor-*
« *dinario iure, et delegata ab Episcopo facultate, ex Ap.*
« *Sedis dispensatione, statim post Baptismum admini-*
« *strare solent, in genere visibilium signaculorum, sa-*
« *crosanctum est, ut ipse Baptismus, illudque nefas est*
« *iterare, propterea quod indelebilem characterem im-*
« *primit.* Denique in nupera Synodo nationali Maroni-
« tarum, coacta in Monte Libano anno 1736 ut in
« nostra Constit. 31, Bullar. tom. 1 pag. 74, haec ad
« rem edita sunt decreta, videlicet *Cap. 2 de Sacram.*
« *Bapt. can. 15:* - *Maiores nostri, sicut et ceteri orienta-*
« *lium ecclesiarum filii, statim post Baptismum, tam in-*
« *fantes quam adultos consueverunt sacro Chrismate per-*
« *ungere, atque adeo Sacramentum Confirmationis illis*
« *conferre, idque per simplices etiam sacerdotes, quibus*
« *Patriarcha et Episcopi hanc facultatem concesserant,*
« *quemadmodum a Ritualibus apparet. Quia vero Pa-*
« *triarchae nostri, ut eo, quo par est obsequio Romanis*
« *Pontificibus, qui frequentes ad illos hac de re litteras*
« *dederant, morem gererent, latino ritui consentien-*
« *tes, decrevere ut deinceps nemo, nisi episcopali digni-*
« *tate praeditus, Sacramentum Confirmationis admini-*
« *straret; ideo mandamus ac praecipimus omnibus pa-*
« *rochis, archipresbyteris, ceterisque dignitate episcopali*
« *carentibus, ne audeant in posterum baptizati frontem*
« *sacro Chrismate perungere, et verba illa quae ad Con-*
« *firmationis Sacramentum, adeoque ad Episcopum tam-*
« *quam ordinarium illius ministrum spectant, recitare;*
« *sed, illis omissis, intingant pollicem in sacro Chri-*
« *smate, et ungant baptizatum in summitate capitis in*
« *modum crucis, dicentes orationem ex Rituali Rom.*
« *desumptam, quae sequitur:* Deus omnipotens, Pater
« Domini N. Iesu Christi etc. *Si vero adfuerit Epis-*
« *copus, vel simplex presbyter adultum baptizaverit*
« *poterit idem Episcopus post Baptismum, si velit (ac*
« *praecipue cum conligerit ab illo baptizari adultum,*
« *seu infantem in mortis periculo constitutum), prose-*
« *qui cetera, quae ad collationem Sacramenti Confir-*
« *mationis in Rituali pertinent, ita tamen ut patrinus*
« *vel matrina adhibeantur, et nomen confirmati in li-*
« *bro ad id destinato, a parocho vel Episcopo adnote-*
« *tur. Hinc in Rituali quod auctoritate R.mi D. Pa-*
« *triarchae propediem est edendum, ante illa verba qui-*
« *bus, iuxta ritum nostrum, Confirmationis Sacram.*
« *confertur, apponenda est admonitio ad simplices sa-*
« *cerdotes, cum supradicta oratione:* Deus omnipo-
« tens etc., *et altera admonitio ad Episcopos cum ritu*
« *conferendi Sacram. Confirmationis, quem omnino a*
« *ritu Baptismi distingui et separari praecipimus.* —
« Et cap. 3. de Sacram. Confirmat. § 2: – *Quia vero*
« *tam in nostra, quam in reliquis orientalibus Eccle-*
« *siis, antiquus mos obtinuerat, ut statim post Bapti-*
« *smum etiam sacramentum Confirmationis conferre,*
« *quemadmodum et in Rituali continetur, et a Concilio*
« *Laodiceno his verbis praescribitur,* quod oportet eos,
« qui illuminantur, post Baptismum inungi supercaelesti
« Chrismate, et esse regni Christi participes; *hac tamen*
« *in re servandum praecipimus ac mandamus quod du-*
« *dum a R.mis DD. Patriarchis iniunctum est, Nosque*
« *supra de Baptismo monuimus, ne simplices sacerdotes*
« *de cetero praesumant hoc Sacram. administrare; sed*
« *illud Episcopi dumtaxat conferant, illum sacrosanctae*
« *Tridentinae Synodi canonem prae oculis habentes:* -
« Si quis dixerit, Sanctae Confirmationis ordinarium
« ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis
« simplicem sacerdotem, anathema sit ».

554

Circa fidei professionem a parochis et canonicis emittendam.

S. C. Concilii *11 Maii 1782.* — An obtinentes beneficium cum cura animarum, dignitates et canonicatus in ecclesiis metropolitanis vel cathedralibus satisfaciant praecepto S. Concilii Trid. *sess. 24. c. 12 de ref.* (de fidei professione emittenda), si professionem emittant post susceptam institutionem vel collationem, et antequam in possessionem immittantur in casu. — R. Affirmative.

555

Contra abusum recipiendi eleemosynam a poenitentibus.

S. C. de Prop. F. *17 Iunii 1782* (C. G.) — Improbari a S. C. abusum recipiendi eleemosynam a poenitentibus titulo vel occasione administrationis Sacramenti Poenitentiae.

556

Quoad facultatem restituendi ius petendi debitum coniugale.

S. C. de Prop. F. *19 Iulii 1782* (C. G.) — An liceat Vicariis Ap. in Anglia uti facultate restituendi ius petendi debitum coniugale, quando ex aliqua causa amissum fuerit, si altera pars fuerit haeretica.

R. Posse Vicarium Ap. vi facultatum quae a S. Sede eidem concessae sunt sub Form. II. n. 8. *(Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum)* coniugem catholicum, qui cum haeretico valide nupserit ad ius petendi debitum restituere.

557

Indulgentiae pro missionariis et christifidelibus in Sinis.

S. C. de Prop. Fide. *22 Sept. 1782. (Ex Aud. SSmi).* — SSmus D. N. Pius PP. VI. omnibus et singulis Vicariis et missionariis Apostolicis Gallis in Missionibus Sinensi, Tunkinensi, Cocincinensi et Siamensi commorantibus, aliisque christifidelibus illarum partium, qui vere poenitentes, confessi, et Sacra Communione refecti, per aliquod temporis spatium Deum devote oraverint pro sanctae Fidei propagatione, infrascriptas Indulgentias benigne in perpetuum concessit, nimirum: plenariam catechistis ipsa die eorum receptionis seu admissionis ad officium catechistarum; item plenariam omnibus christifidelibus supradictis in diebus festis SS. Sacramenti, Assumptionis B. M. V., S. Angeli Custodis, S. Iosephi eiusdem Deiparae sponsi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac S. Francisci Xaverii confessoris; easdemque Indulgentias, in omnibus praedictarum Missionum locis, ad dies quindecim continuos extendit; ac demum Vicariis, missionariis, catechistis et aliis obsequio Missionum mancipatis, qui orationi mentali operam dabunt, Indulgentias a sa. me. Benedicto XIV sub die 16 decembris 1746 concessas confirmavit, voluitque eas omnes et singulas praefatas Indulgentias, in perpetuum lucrandas, applicari etiam posse per modum suffragii animabus in Purgatorio detentis.

558

Circa baptismum infantium filiorum infidelium in mortis periculo.

S. C. de Prop. F. *13 Ian. 1783.* (C. P. pro Sin.). – Sutchuen. – Cum S. Franciscus Xaverius, missionariorum exemplar, moneat ut quaerantur diligenter infantes baptizandi, mittuntur prudentes et iam senescentes mulieres, quae, sub obtentu medicinae, baptizant infantes quos in periculo mortis iudicant, vel ratione morbi, infirmitatis, paupertatis etc., vel etiam quia recenter nati multis futuris periculis exponantur, ita ut experientia constet quod ex quatuor partibus baptizatorum, moriantur tres partes ante usum rationis, et vix supersit una pars, praesertim in urbibus. Porro missionarius non audet prohibere ut baptizentur recenter nati, et caeteri quos istae prudentes mulieres, attentis omnibus circumstantiis, praevident multis, sive praesentibus, sive futuris mortis periculis subiacere, quae innumera sunt in Sinis; sed monet tantum ut in dubio orent ut Spiritus Sanctus dignetur cor suum iuxta divinam voluntatem inclinare.

R. Renovetur instructio anno superiore tradita, et praeterea transmittatur exemplum Epistolae Bened. XIV ad Archiepiscopum Tarsensem Urbis Vicegerentem *(Postremo mense; V. n. 360)*, ut (Vic. Ap.) regulis ibidem praescriptis se conformet et suos missionarios conformare faciat.

559

An cibos praeparare liceat oblationi superstitiosae destinandos.

S. C. de Prop. F. *13 Ian. 1783* (C. P. pro Sin.) – Tunkin. Orient. – Utrum famulis et filiisfamilias licitum sit emere, coquere aut quovis modo praeparare edulia extraordinaria, sacrificio aut oblationi superstitiosae deputari solita, quando bene sciunt talia edulia a dominis, maritis, aut parentibus ad sacrificium aut oblationem suis defunctis faciendam destinari. Et quatenus negative:

2. An eisdem hoc saltem liceat ob gravem metum, seu damnum quod sibi ipsis, probabiliter, vel certo, de dictis eduliis non praeparandis modo exposito, imminet, et praemissa protestatione quod eorum animus a superstitione omnino alienus sit.

3. An hoc eidem liceat, quando illa extraordinaria edulia emuntur, coquuntur etc., si in maiori quantitate fiat (sive ex mutua collusione familiae, sive non) quam necessarium sit pro dicta mensa superstitioni deserviente instruenda, quando finis primarius di-

ctae praeparationis est praedictam mensam superstitiosam facere, quamvis ciborum pars quae superest, occasionaliter et accessorie ad licitam comestionem deserviat.

4. An eisdem licitum sit illos cibos modo itidem exposito praeparare pro mensis quas, peracto sacrificio, domini, mariti, et parentes afferunt ad sacrificii locum, ut insimul cum sacrificatis per modum unius comedantur, vel in alio loco adeo propinquo ponuntur, et eorum consummationis, sacrificii, seu oblationis tempore comeduntur, ita ut unus moraliter locus et una moraliter comestio censeatur.

5. Qualis sit verus et genuinus sensus illorum verborum: *il mangiare solito della famiglia* contentorum in responsione Episcopi Lorymensis *(Vic. Ap. Chen-si et Chan-si)* approbata a Sancta Sede die 26 Septembris 1718; an possit intelligi de cibis extraordinariis qui ad convivia aliquando per annum occurrentia parantur, an vero praecise de eduliis quibus quotidie, seu regulariter, sive communiter et ordinarie familia vescitur seu utitur.

R. Ad 1, 2, et 3. Negative.

Ad 4 et 5. Generaliter respondetur: licere coquere et praeparare cibos, si agatur de ordinariis servis et culinariis, qui toto anni tempore huiusmodi ministerio sunt addicti, si extraordinaria huiusmodi convivia pro laetitia familiae, pro hospitibus, aliisque occasionibus minime superstitiosis primario fiant: quamvis non ignoretur aliquam eorum partem idolis offerendam fore; si dapes non distinguantur, ut aliquae fiant pro oblatione superstitiosa, aliquae pro cibo convivarum, sed destinatio pendeat ex arbitrio patrisfamilias; si nulla dapes sit specialiter directa et praeparata pro idolo; si in divisione epularum nec in eorum appositione ad locum sacrificii vel ad mensam idoli cooperentur.

560

An licita quaedam capillorum incisio in morte propinquorum.

S. C. de Prop. F. *13 Ian. 1783* – (C. P. PRO SIN.) – TUNK. ORIENT. – Iudicium Sacrae Congregationis exquiritur circa sequentem ritum seu caeremoniam ab ethnicis huius regionis communiter observatam in morte parentum et maritorum, qui quidem ritus originem trahit a secta idoli *Thich cà,* cuius sacrificulis, dum eiusdem cultui mancipantur, comam deponere praecipitur, illamque postea nutrire prohibetur, et est ut sequitur: – Mos est in Tunkino ut quarto die a morte parentum seu maritorum sacrificulus accerseatur, ut filiis aut uxoribus ante cadaver genuflexis capillos incidat in parte anteriori, posteriori, ad aures, et in capitis summitate. Pro conficiendis forcipibus praescribitur ferrum ex quodam monte imaginario, quia inde omnia fausta sibi obvenire vana observantia sperant. Filiis igitur aut uxoribus sic genuflexis haec oratio seu adprecatio a sacrificulo recitatur: « Mons Con-lon (ille mons » imaginarius) lapides et ferrum gignit unde » forfices conficiantur, quibus capilli in debi» tum erga parentes obsequium abscinduntur. » Filii suos parentes honorantes felicitatibus re» plebuntur, et postea eorum animae ad regnum » idoli pervenient, illorumque filii ac nepotes » divitiis et nobilitate amplificabuntur »; qua apprecatione finita capilli inciduntur. His praenotatis, quaeritur num licitum sit filiis et uxoribus christianis, quarto die vel alio post mortem suorum parentum vel maritorum, hanc caeremoniam peragere non per sacrificulum, sed per aliquos viros christianos cum forfice communi et usuali, et remotis tam falsa credulitate, quam illa apprecatione. Ratio quaesiti est quia, adhuc iis exclusis, factum vere superstitiosum est.

R. Secundum ea quae proponuntur, non videri actum superstitiosum, dummodo nulla fiat genuflexio ante cadaver, nec coma recidatur per sacrificulum, sed per quemcumque quem maluerint virum christianum, nec cum forfice particulari, sed communi et usuali; nec praeterea observetur certus dies ad comam recidendam; demum absit omne scandalum, omnisque removeatur falsa credulitas, nullaque adhibeatur oratio vel apprecatio, ita ut civilis omnino sit actus, nec ullo modo superstitionem redoleat.

561

De usu oleorum sanctorum veterum in Sacramentis administrandis.

S. C. de Prop. F. *18 Februarii 1783* (C. G.) — SOPHIAE — Se possa il Vic. Ap. lecitamente servirsi per tutti i Sacramenti del vecchio Olio Santo finchè non gli arrivi il nuovo da Costantinopoli.

R. Posse ipsum uti veteribus Oleis Sanctis quoties, adhibita diligentia, olea recenter consecrata a catholico Episcopo cum Romana Ecclesia communionem habente, paschali tempore recipere nequeat, urgeatque necessitas Sacramenta administrandi.

562

Quomodo admittantur ad Sacramenta catholici matrimonio cum haereticis illicite coniuncti.

S. C. de Prop. Fide. *18 Feb. 1783* (C. G.) Scribendum esse Vicario Apostolico Sophiae catholicos sive mares sive foeminas habentes uxores aut viros ex photianorum aliorumque haereticorum secta in matrimonium coniunctos a turcarum ministro, non accepta missionariorum benedictione, quippe qui illicitis huiusmodi nuptiis non benedictionem modo, sed nec ullum omnino consensum nec praesentiam praestare valent, eosdem inquam catholicos, nisi aliud obstet canonicum impedimentum, si de gravissimo, quod patrarunt, crimine dolentes, manifesta dederint poenitentiae signa, impositis salutaribus poenis, impositaque praesertim lege

tam utriusque sexus prolem educandi in catholica religione, quam haeretici coniugis conversionem procurandi, admitti posse ad Ecclesiae Sacramenta. Quo vero ad photianos armenosve haereticos tam mares quam foeminas habentes uxorem aut virum catholicum, optantesque catholicam amplecti religionem, si manifesta dederint poenitentiae signa, abiurata prius haeresi, emissaque catholicae fidei professione, recipi eos pariter posse, eisdemque Sacramenta administrari, etiam secreto, si eae adsint loci temporisque circumstantiae in quibus fas illis sit catholicam, quam susceperunt, religionem occultare, eisdem praeterea coniugibus insinuare ut suarum nuptiarum benedictionem a catholico missionario petant, non tamquam ad validitatem matrimonii necessariam, sed tamquam eisdem maxime profuturam.

Quomodo recipiantur haeretici coniugem catholicum habentes.

563

Circa separationem inter *pareas* et nobiles.

Instr. S. C. de Prop. F. *9 Apr. 1783* — (pro Miss. Malabar.). — Distinctius explicare constituimus quinam sit verus nostri decreti sensus circa separationem inter *pareas* et *choutres,* quam ad avertenda graviora damna *pro nunc* tolerari posse respondimus *(7 Ian. 1778 V. n. 525).*

Animadvertendum itaque est, ex duplici principio oriri posse aversionem seu abominationem istam, qua nobiles malabarici adversus *pareas* afficiuntur, quorum unum prorsus erroneum, superstitiosum, et christianae religionis documentis essentialiter contrarium, idque est credendi, uti revera plerique ex ista natione credunt, *pareas* gentem esse a Deo reprobatam, aeternae salutis incapacem, atque ideo indignam cum qua ipsi ullam habeant communionem. Contra gravissimum hunc errorem, qui divinae bonitati iniuriam facit, quasi apud Deum esset acceptatio personarum, specialiter diriguntur condemnationes et decreta Apostolica, quibus absolute praecipitur, ne quis ad Baptismum admittatur, qui huiusmodi praeiudicio laborans, non se prius promptum praebuerit ad illud deponendum, mandando insuper missionariis ut, necessitate postulante, ad ipsa *parearum* tuguria accedere minime renuant, eosque aegrotos solari, piis sermonibus, precibus et Sacramentorum pabulo recreare curent, et nulla charitatis officia cum iis praetermittant, quae a sancta nostra religione praescribuntur.

Alterum vero principium, ex quo praedicta separatio oritur, esse potest praeiudicata opinio vilitatis et infamiae illius miserae gentis, et consuetudo mere civilis, contraria tamen humilitati et perfectioni religionis christianae. De tali separatione ab huiusmodi praeiudicio emanante nulla reperitur mentio in Constitutione sa. me. Benedicti XIV, quae incipit *Omnium sollicitudinum.* Verum cum in ipsa praecipiatur, ut missionarii in hos etiam *pareas* diligenter curam impendant, eosque in iisdem ecclesiis in quibus nobiles conveniunt, admittant, eodemque divini verbi et Sacramentorum pabulo reficiant, luculenter evincitur, ab Apostolica Sede magnopere exoptari, ut isti nobiles praeiudicatam huiusmodi opinionem, charitati et humilitati christianae adeo adversantem, tundem aliquando exuant, et infelices illos *pareas* uti fratres ac proximos benigne respiciant et, si fieri potest, fraterno amore complectantur. Talis etiam fuit huius Sacrae Cong. sententia in supradicto decreto. Quod si, ad maiora damna avertenda, censuit tolerari posse *pro nunc* divisionem de qua agitur, hac ipsa clausula praeclare ostendit, quam longe absit ab huiusmodi separatione approbanda, et quantum exoptet, ut, christiana religione maiorem in dies apud malabares progressum faciente, deplorabilis iste abusus penitus aboleatur. Quamobrem Eminentissimi Patres haud levi molestia affecti sunt, audientes, in recenti malabaricae istius ecclesiae restauratione, non modo non diminuta, ut par erat, controversae separationis indicia, sed adeo notabiliter aucta, ut missionarii, qui operi praefuerunt, nedum abusum tolerare, sed quasi approbare ac promovere visi fuerint. Quod quidem missionariis zelatoribus iusta causa fuit dolendi, et vehementer conquerendi apud Sacram hanc Congreg. Quare Ampl. Tuae omni ope curandum est, ut nova ista separationis indicia, quantum fieri potest, aboleantur, et singuli missionarii semper prae oculis habeant debitum quo districte tenentur ad evellendam ex neophytorum animis nefariam istam praeventionem, ideoque ipsis inculcare assidue studeant fraternam charitatem, qua omnes cuiuscumque generis christiani inter se invicem diligere atque amplexari debent tamquam fratres, et eiusdem Patris coelestis filii atque haeredes; quae quidem charitas, si, Deo adiuvante, in eorum cordibus diffusa fuerit, minime dubium est, quin ex neophytorum animis praeiudicatas huiusmodi opiniones eradicet ac prorsus expellat. Quod ut facilius impetrari possit, omnino necessarium est ut missionarii, unum atque idem sentientes, omnes ad eumdem scopum tendere curent, neque inter se opinionum varietate dissideant; quo nihil funestius Dominico gregi accidere potest. — Quod attinet ad alium litterarum articulum, quo A. T. exponit istos gentiles vehementer abhorrere nigra vestimenta, affirmatque plurimos christianam fidem amplexuros si togae albi coloris missionariis et clericis permitterentur: S. C., pro fine tam recto tantique momenti, minime dissentit quin missionarii in istis regionibus cuiuslibet coloris vestes adhibeant, dummodo a modestia et gravitate sui muneris minime abhorreant, ac praesertim nullum adsit

De colore vestium missionariorum.

periculum aut suspicio superstitionis, neque sit signum protestativum falsae religionis. Intendit tamen quod nihil innovetur nisi de consilio et communi consensu missionariorum, ut concordia et uniformitas, quae adeo missioni bene gerendae necessaria est, nullum detrimentum capiat.

564

De facultatibus Praefectorum Missionum quoad abstinentias et Missae celebrationem.

S. C. de Prop. F. *1 Sept. 1783* (C. G.). — CONSTANTINOP. — Se i Prefetti delle Missioni, attese le facoltà della S. Sede loro concesse, possano nei luoghi ove si trova l'Ordinario, indipendentemente da esso: 1. Dispensare i secolari per l'uso dei latticini o carni, riguardo a persone particolari. — 2. Se possano concedere ai loro religiosi la stessa dispensa; — 3. E dare ai medesimi la facoltà di celebrare la S. Messa nelle case private, ove non sia il privilegio dell'oratorio privato.

R. Ad 1 et 2. Affirmative pro iis missionariis qui gaudent facultatibus Form. IV, et qui Vicario Patriarchali eas praesentaverint.

Ad 3. Negative.

565

De officiis missionariorum in oriente, praesertim erga Pastores et populos ritus orientalis.

Ex Instr. S. C. de Prop. Fide *23 Septembris 1783* (AD EPISC. LATINUM BABYLONEN). — Monere primum necesse est missionarios omnesque alios qui per Orientem praedicandi Evangelii ac propagandae religionis praeclaro munere funguntur, in visceribus Iesu Christi obsecrare, ut digne ambulent vocatione qua vocati sunt, cum omni humilitate et mansuetudine, cum omni patientia supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Praecipuum illorum munus est, Dominicum agrum excolere, plantare, rigare; super fundamentum, quod est Christus Iesus, superaedificare aurum, argentum et lapides pretiosos; quin unquam inanis aucupandae gloriae cupidine abrepti, se supra ceteros extollant, suis studeant commodis, alienis invideant, sed potius suos conatus, curasque omnes eo tendant, ut nihil omnino ad sese, sed ad proximum omnia, et ad Deum referant, *nam neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* (ad Cor. 1 c. 7.). Qualiscumque enim fuerit Evangelii praeco, sive latinus ab hac Apostolica Sede missus, sive orientalis a proprio Episcopo constitutus, noverit se *adiutorem Dei esse, christianam autem plebem sibi commissam, Dei agriculturam, Dei aedificationem, ut non glorietur omnis caro in conspectu Dei, sed qui gloriatur in Domino glorietur,* quemadmodum eodem loco tradit Apostolus. Atque utinam in missionariis praesertim latinis, christianae humilitatis et coniunctionis spiritum adaugeat Deus, ut reminiscantur et intelligant, non se fraternae charitati consulere, neque ex Deo esse, si inter diversos eiusdem Missionis operarios, atque inter populos diversi ritus, eam, quam inter Corinthios acriter reprehendit idem Apostolus, foveant aemulationem: *Ego quidem sum Pauli, ego vero Apollo, ego autem sum Cephae;* sed illud suis mentibus infigendum, populisque tradendum studiose curent, Christum divisum non esse, et firmamenta christianae religionis illum convellere penitus ac disiicere, qui pro privatis rationibus salutem animarum negligat, fratrum consensionem non tueatur, ab officio praedicationis discedat, praepositorum mandatis non obtemperet.

Quomodo se gerere debeant missionarii.

Cum igitur ita affectos esse missionarios oporteat, eoque studio solum incensos, ut in Ecclesiae sinum, interque piae matris amplexus orientales populi reducantur, quid sane dicendum esset, si qui non aequo animo ferrent, quod orientales catholici Episcopi suos mitterent operarios ad pascendas oves in regionibus sibi subditis dispersas, imo eos perturbarent, impedirent, aspernarentur? Quid si invidiam quandoque pareret id, de quo maximopere laetantur Caelicolae, cum orientalis aliquis Episcopus, aut quilibet animarum Pastor, suae sectae erroribus repudiatis, probataque apud Summum Romanum Pontificem, Christianorum omnium Patrem et Magistrum, fide et coniunctione sua, popularium suorum regimen ac pastoralem curam susciperet? Quid si novarum harum segetum fructu, potiora ducerent sua iura et praerogativas, iisque ita mordicus insisterent, ut orientalium potestate redintegrata, suam laedi arbitrarentur?

At vero hoc fuit semper in nostrorum more positum institutoque maiorum, quod qui haereseos aut schismatis labe infecti, in sacris fuissent Ordinibus constituti, et erroribus ac schismate abdicato, in semitam veritatis reverterentur, nedum permanerent in Ordine clericali, sed suis etiam, quas prius obtinebant, dignitatibus, eademque, qua in suos antea pollebant, auctoritate, quantum iuxta catholicae Ecclesiae leges permitti poterat, fruerentur. Sic transacta res est cum novatianis in concilio Nicaeno can. 8.; sic gestum cum donatistis in celebri illa Carthaginensi collatione anni 411; sic cum graecis et iacobitis ab Eugenio IV in concilio Florentino; sic a Clemente VIII cum ruthenis: sic demum cum iisdem graecis, atque etiam cophtis a Benedicto XIV, cuius verba in decretali epistola *Demandatam* ad Patriarcham atque Episcopos graeci ritus an. 1743 transmissa, hic exscribere operae pretium ducimus, ut quaenam sit huius Apostolicae Sedis mens atque sententia, in hoc ecclesiasticae disciplinae capite, e purissimo fonte hauriatur. « In omnibus (sic inquit doctissimus Pontifex) » hisce decretis, venerabiles fratres, quae prae- » vio maturo examine, ut supra diximus, au-

» ditoque consilio venerabilium fratrum nostro-
» rum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium,
» aliorumque praestantium integritate ac do-
» ctrina virorum, statuenda, edenda, ac vobis
» denuncianda esse iudicavimus, minime du-
» bitamus, quin agnoscatis nihil aliud nobis
» propositum fuisse, quam ut, et venerabiles
» Ecclesiae graecae ritus ac mores in suo vigore
» persistant, et debita vobis a populis obedien-
» tia, vestraque simul in eos auctoritas et iu-
» risdictio sarta tecta servetur. Quorum utrum-
» que ex una eademque animi ac iudicii ae-
» quabilitate proficiscitur, per quam et varias
» ecclesiarum institutiones et consuetudines iu-
» sta aestimatione pensantes, unum illud ad
» animarum salutem omnino necessarium in
» votis habemus, ut scilicet omnes, qui ubi-
» que terrarum catholico censentur nomine,
» unico fidei atque unitatis vinculo teneantur;
» et supremam huius Sanctae Sedis auctorita-
» tem, qua super alias divina institutione praee-
» minet, ad promovendam omnium ecclesia-
» rum utilitatem solummodo interponentes, de
» cetero fraternitatibus vestris intacta manere
» volumus iura omnia ac privilegia, et liberum
» iurisdictionis vestrae exercitium, ad regendas
» oves vestrae fidei commissas, easque per se-
» mitas mandatorum Dei ad salutis aeternae
» metam, adiuvante divina gratia, dirigendas ».

Qua vero graecum Patriarcham et Episcopos charitate complectebatur Benedictus Pontifex maximus, eadem cophtos quoque parochos ad catholicam Ecclesiam redeuntes prosequutus est. In instructione enim pastorali *Eo quamvis tempore,* ad eorum Vicarium generalem data, post plura commemorata exempla ecclesiasticae lenitatis erga illos, qui in aliquo ordine aut dignitate apud haereticos et schismaticos constituti, catholicae Ecclesiae reconciliabantur, sic loquitur: « Praeclara haec le-
» nitatis argumenta attento nobiscum animo re-
» petentes, aequum visum est, ut parochi ri-
» tus cophti, valide tamen ac rite ordinati,
» qui ex atra errorum in quibus versabantur
» caligine, in lucem catholicae veritatis emer-
» gunt, capaces sint etiam inter catholicos ad-
» ministrationis sacramentorum parochialium,
» qua prius in schismate potiebantur, quamvis
» haec ipsa spiritualis auctoritas, nullo existente
» parocho catholico, tributa etiam sit PP. Mis-
» sionariis, et ab illis exerceatur... Ex hac porro
» indulgentia uberem in dies spiritualium gau-
» diorum messem expectamus, lucrum scilicet
» animarum ad gremium Ecclesiae redeuntium.
» Probe enim intelligent, nos Pastoris Iesu Christi
» vicem in terris tenentes, tantum quaerere, et
» salvum velle, quod perierat; ovesque inven-
» tas non virga timoris, sed officio charitatis
» ad ovile congregare ».

Neque vero missionarii latini suarum partium studium praetexere, aut conqueri possunt, vel sublatum vel imminutum iri suam potestatem, qua ab Apostolica Sede ornati sunt, si liceat orientalibus Praelatis suorum popularium curam capessere, et plenaria in illos iurisdictione potiri. His enim tergiversationibus, quaerimoniisque occurrit Benedictus XIV in ea, quam laudavimus, ad cophtos instructione; ita enim pergit: « Nec conqueri iure poterunt
» missionarii suam auctoritatem hoc pacto vi-
» deri imminutam, si opportune in memoriam
» revocaverint, quae ab eorum patre et insti-
» tutore S. Francisco in suo testamento scri-
» pta leguntur: *Et si haberem tantam sapien-*
» *tiam, quantam Salomon habuit, et invenirem*
» *pauperculos sacerdotes in parochiis in qui-*
» *bus morantur, nolo contra eorum voluntа-*
» *tem praedicare.* Cui sententiae consona sunt
» documenta S. Bonaventurae in suo tractatu:
» *Quare fratres Minores praedicent: Tempe-*
» *ratissime,* inquit Sanctus Doctor, *disposuit*
» *divina sapientia, et instituit Sedes Apostoli-*
» *ca, ut per ordines praenotatos, in praedi-*
» *catione et confessione defectus cleri supplea-*
» *tur, et animae salventur, et nec in spiri-*
» *tualibus nec in temporalibus ius clericorum*
» *aliquatenus minuatur.* Parique censura in si-
» mili negotio cum graecis melchitis nuperri-
» me discusso, a nobis definitum est: *Licere*
» *tantum fratribus Ordinis Minorum S. Fran-*
» *cisci custodiae Terrae sanctae parochialia*
» *munia obire circa graecos melchitas, eis-*
» *que sacramenta administrare in iis locorum*
» *et temporum circumstantiis, quibus omnino*
» *deficiat modus habendi Parochum, aut alium*
» *Antistitem graeci ritus* ».

Complura alia hic proferri possent Sacrae huius Congregationis decreta, Summorum Pontificum auctoritate munita, quibus semper est definitum, latinos sacerdotes in orientem missos latinorum curam cum omni potestate gerere primum debere: orientalium vero in subsidium, et quasi adiumentum, si forte alicubi (quod saepe accidit) nullus catholicus eiusdem ritus reperiatur Antistes, vel aut propter sacerdotum inopiam, aut etiam culpa sua negligat idoneos pastores praeficere, qui sacramenta administrent, populosque rudes, atque etiam parum in fide firmos, salutaris doctrinae pabulo reficiant. Potissima enim semper ab Apostolica Sede orientalis ritus habita ratio est, quem certe violari necesse esset, si non suîs, sed latinis Pastoribus orientales subderentur. Quo autem iure, quave etiam utilitate fieri posset, ut tot gentes consuetudinis, ritus, atque etiam linguae a nostris societate disiunctae, latinis pastoribus parerent, cum suos habere possent nobiscum fidei et charitatis vinculo coniunctissimos? Suopte ingenio ac natura, orientales suis sunt moribus ac institutis addictissimi, nec ad conflandum orientale schisma plus valuit, quam iniusta ab obtrectatoribus dolo malo excitata in

latinos invidia. Quamobrem vetus est, sed pura putaque haereticorum calumnia, voluisse Romanos Pontifices rectas probatasque consuetudines, ac ritus orientales delere, latinorumque mores et instituta subrogare, quam egregie refellit idem Pontifex Benedictus XIV in ea encyclica, quam ad *Missionarios per Orientem deputatos* scripsit, quaeque vulgata est tom. IV Bullarii eiusdem Pontificis num. XLVII. Ergo unum missionariis omnibus latini ritus, qui Evangelium orientalibus annuntiant, debet esse propositum, quod Apostolus Paulus vere de se praedicabat, scribens II ad Corinthios 12, 14: *Non enim quaero quae vestra sunt, sed vos.* Totis enitantur viribus, ut ab orientalium mentibus errores depellant, ut eos ad catholicae Ecclesiae communionem traducant, ut Romano Pontifici, tamquam eius capiti sese obedientes, ac morigeros praestent: eos pascant, foveant, amantissime tueantur, quoadusque proprii pastoris solatio destituuntur; ipsos etiam pastores imperitos aut desides urgeant, sublevent, opitulentur: non autem appetant illorum iura, neque id quod ipsis detraxerint, sibi assumant, omnemque praesertim de iurisdictione contentionem studiose devitent, quam si ad se quisque rapiat, continuo dissolvetur mutua animorum consensio, quae ad fidem propagandam omnino necessaria est, et charitas sine qua christiana religio incolumis esse non potest, penitus extinguetur.

Prorsus de medio tollat (Ep. latinus Babyl.) discordias et contentiones inter latinos missionarios et sacerdotes orientales; si cives alicuius ritus sacerdote carentes reperiantur, sed tamen adsit sacerdos alterius ritus orientalis, qui iis Sacramenta possit administrare, ultro sinat eos, si ita lubet, ad hunc sacerdotem potiusquam ad missionarios latinos in spiritualibus indigentiis confugere, quum longe inter se, ritu latino, proximiores sint diversi ritus orientales, praesertim si huiusmodi orientales fermentati usum facerent in Coena Eucharistica. Denique totius spiritualis sui regiminis sit veluti dux ac norma, virtutum omnium regina, charitas nimirum, *quae non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt.* Quin igitur latinus episcopus Babylonensis cum Praesulibus aut presbyteris orientalibus de iurisdictione contendat, si pro virili parte ea omnia praestiterit, quoad eius fieri poterit, ad eam excitandam, regendam, augendamque, ut totis viribus enitantur populares suos in viam salutis reducere; si etiam ad omnes illarum regionum necessitates exponendas sese communem veluti interpretem penes Sedem Apostolicam declaraverit, ac relationum omnium, quibus frequenter indiget Sacra Congregatio, ordinarium quodammodo internuntium ac ministrum praebuerit, mirum quam amplam messem colligere poterit in regionibus erroris aut superstitionis tenebris ac nocte circumfusis. Sic autem veram solidamque gloriam consequetur, dum propositum sibi finem, cuius caussa in tam dissitas regiones ab Apostolica Sede ablegatus fuit, obtigisse, et antiquiore Apostolatus sui munere functum esse cognoscet; siquidem, uti recte S. Cyprianus *de Unit. Eccl.* pronunciat, *nos unitatem firmiter tenere, et vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut Episcopatum quoque ipsum, unum atque indivisum probemus.*

Si missionarii latinorum curam suscipiant, iisque sacramenta administrent, procul dubio ab Episcopi (latini) nutu ac potestate pendere debent; ipse enim omnimodam habet supra latinos spiritualem iurisdictionem, eique propterea incumbit tota ea provincia, quae ad eorum curam spiritualem spectat, atque ad sacramentotum administrationem.

Si vero missionarii latini orientalium etiam regimen capessere debeant, vel quia nullus illis praesit catholicus Antistes, vel quia omnis deficiat eiusdem ritus sacerdos, denique vel ob nonnullam aliam ex iis caussis quas supra commemoravimus, debent tunc a latino Babylonensi Episcopo veniam petere, ut suis facultatibus, quas ab Apostolica Sede impetrarunt, uti queant. Consentaneum enim est, ut quemadmodum in iis casibus auxiliarem ac subsidiariam latini Episcopi Babylonensis potestatem exercendam esse in superiori dubio constituimus: ita etiam, qui illius esse debent adiutores atque administri, eidem tamquam capiti subsint, illumque de imposito munere reddant certiorem, eiusque exequendi ab ipso petant facultatem. Ita quoque statuit Benedictus XIV in saepius commemorato Decreto anni 1754, num. V.

Verum quoniam non raro accidit, vel latinos Regulares missionarios suis privilegiis, atque ea qua donati sunt ab hac S. Sede Apostolici muneris gratia, nimium confisos, parochialia munia tam supra latinos, quam super orientales obire, despecta prorsus Episcopi auctoritate; vel etiam, e contra, Episcopos ita contemnere missionariorum operam, ut quamvis maximo sumptu incredibilique labore, vel ab hac Sacra Congregatione, vel a Praesidibus Regularium Ordinum illuc missi, ut in vinea Domini excolenda laborent, otiosi tamen, et nihil agentes quandoque remaneant, ob denegatam ab Episcopo exercendi sui muneris potestatem; hinc Sacra Congregatio censuit huic malo, quantum quidem fieri potest, occurrere, eo saluberrimo consilio, quod nihil detrimenti afferat Episcopali iurisdictioni, nec missionariorum laborem aut laboris fructum impedire quoquo modo possit. Itaque secum animo reputans, quantum removen lis dissidiis inter missionarios atque Vicarios Apostolicos Sina-

rum, utilitatis attulerit provida Clementis PP. IX Constitutio edita anno 1669, quae incipit *Speculatores,* eadem prorsus ratione ac methodo, omnem de Apostolicarum facultatum usu in Missionibus Babylonicis controversiam, inter missionarios et Episcopum Babylonensem componendam esse decrevit.

Itaque primo iubet, quod omnes et singuli regulares cuiuslibet Ordinis, Instituti et Congregationis, qui in Assyriam, Mesopotamiam, Mediam, ac regiones Bassorae et Mossul, ad sacras peragendas Missiones, sive a suis Superioribus ablegati sunt, sive specialiter ab hac Sacra Congregatione deputati, suas Patentes, seu alias quascumque eorum deputationis et constitutionis litteras, Episcopo Babylonensi, seu illius Vicario aut Vicesgerenti exhibere, et licentiam suas facultates exercendi petere debeant et teneantur: et si quis id praestare neglexerit aut recusaverit, possit Episcopus tamquam Sedis Apostolicae Delegatus prohibere, ne facultates sibi per litteras huiusmodi concessas exerceat. Statim ac autem missionarii praedicti suas patentes litteras Episcopo exhibuerint, et veniam exercendi suas facultates ab ipso postulaverint, nequeat ille, sub inscientiae aut alio quovis praetextu impedire, quominus imposito sibi munere perfungantur; nisi in casu gravis caussae eidem Sacrae Congregationi statim communicandae. Quotiescumque vero iidem missionarii latinorum, aut eorum orientalium qui iuxta superius recensitos casus Episcopo Babylonensi subsunt, spirituali curationi operam dabunt, quoad parochiales functiones eiusdem Episcopi visitationi et correctioni subiecti sint, ab eo sancta olea et sacrum chrisma accipiant, ac demum illum de statu atque incremento Missionis identidem certiorem faciant, et coniunctis cum eo viribus, catholicae fidei propagationi, atque animarum saluti sedulo ac vehementer incumbant. Hac tamen sibi tradita potestate, caveat Episcopus, ne unquam ea in Missionis detrimentum abutatur, et quae illi ab hac Sacra Congregatione, ad cultum regionum eius fidei ac regimini concreditarum, suppeditantur, apostolicorum operariorum praesidia et adiumenta, inania ac vacua esse patiatur. Urgeat imo atque instet, illorum operi advigilet, ut quisque suo muneri cumulatissime satisfaciat, et in ea praesertim agri dominici parte excolenda, quae vepribus ac dumetis magis redundat, eorum consilium, laborem, ac solertiam quam aptissime adhibeat, ac demum praestitutis temporibus, iuxta sacramentum ab ipso in episcopali consecratione praestitum, de statu ac ratione Missionis Babylonicae Sacram Congregationem certiorem reddat, et si quid gravioris momenti inciderit definiendum atque explanandum, eidem referat, eiusque iudicio atque auctoritati committat.

Cum vero missionarii adiutricem operam suam navabunt circa populos orientales in Missionibus Babylonicis commorantes, qui proprios habent Episcopos, aut presbyteros ab ipsis constitutos, quoniam, ut supra definitum est, suis iidem populi Pastoribus subesse debent, tum Missionarii praedicti, si pro imposito sibi munere in iisdem Missionibus exercendo veniam et permissionem Episcopi Babylonensis, ut supra dictum est, semel petierint et obtinuerint, suis more solito facultatibus ab Apostolica Sede impetratis, durante eorum officio, uti libere possint erga orientales huiusmodi, absque ulla dependentia ab Episcopo Babylonensi, imo potius, quantum fas est, per locorum intervalla atque itinerum difficultates, quidquid agendum in procuratione salutis horum orientalium erit, suis Episcopis referre, atque cum eorum assensu perficere, maxime convenit.

566

De matrimoiis celebratis, sacerdote absente, coram testibus tantum.

S. C. S. Officii *15 Ian. 1784* — Sutchuen. — Quando fideles baptizati matrimonium inire volunt, et missionarius praesens est, tunc coram ipso contrahunt, et benedictionem solemnem recipiunt. Si vero longe absens sit, vel non detur loci aut temporis opportunitas, cum Concilium Tridentinum his in partibus publicatum non fuerit, indifferenter omnibus permittitur, modo alias non sit impedimentum, coram christianis praesentibus inter se contrahere. Missionario autem reduce, nec renovatur consensus, saltem sub conditione, nec ordinarie ipsis impertitur benedictio.

R. Non esse inquietandos fideles qui, missionario longe absente, matrimonia ineunt in Sinis coram christianis tantum, cum neque Tridentini lex publicata ibidem fuerit; hinc vera esse matrimonia, ideoque indissolubilia, quae in locis Sinarum contrahuntur solo contrahentium mutuo consensu, ab anno usque 1665 declaratum est; et, etiamsi promulgata ea lex foret, valere tamen matrimonia in praesentia duorum testium tantum, quoties in loco ubi matrimonium contrahitur, vel in vicino, ad quem sine periculo accedi possit, parochus vel alius sacerdos saecularis vel regularis non existat ab Episcopo deputatus, haec pariter Apostolica Sedes pluries interrogata respondit. Caeterum, ne Sacramenti dignitas vilescat, voluit Sanctitas Sua adhortandos fideles ut missionario reduci sese sistant, ab eoque benedictionem petant, praevia tamen facta declaratione a missionario benedictionem huiusmodi ad validitatem matrimonii nequaquam pertinere.

567

Publicatio decreti tridentini *Tametsi* quando praesumatur.

S. C. de Prop. F. *1 Martii 1784* – (C. P. pro Sin.) — Tunk. Orient. — Ad dubium propositum circa validitatem quorumdam matri-

moniorum quae inibi facta fuerint absque solemnitatibus praescriptis a Concilio Tridentino responsum fuit ut sequitur:

R. Scribendum Vicario Ap. nullum reperiri vestigium in actis S. C. de publicatione cap. 1, sess. 24 *De reformatione matrim.*, Concilii Tridentini in terris et locis de quibus quaesivit. Ideoque nisi ipsi constet revera publicatum fuisse illud Decretum, vel saltem semper observatum, ac matrimonia absque praesentia parochi inita tanquam irrita habita fuisse, tunc pro non publicatione sentiat. Attamen curet ut matrimonia coram parocho et testibus celebrentur; sed si secus factum fuerit, non ideo ea nulla declaret. Caveat praeterea, quod etiam in locis ubi Decretum Concilii Trindentini publicatum est, si tamen propter distantiam locorum parochus commode haberi non possit, valida etiam habenda sunt matrimonia, iuxta resolutionem S. Officii.

568

Circa lucrum ex mutuo, et de negotiatione quoad sacerdotes.

Instr. S. C. S. Officii *6 Martii 1784* — (AD VIC. AP. CONSTANTINOP.). — R. P. D. Ioseph Antonius Frachia Archiepiscopus Theodosiopolitanus et Vicarius Apostolicus Constantinopolitanus multas exposuit S. Congregationi de Propaganda Fide corruptelas circa contractus quosdam in eadem Constantinopolitana urbe celebratos, quos ab usurae labe excusari posse minime arbitratur. Cum itaque eiusdem Vicarii expositio a S. Congregatione de Propaganda Fide ad alteram S. Officii transmissa fuerit, ut melius atque sincerius quaestionibus a Vicario praedicto propositis satisfieret, sequentia dubia excerpta sunt.

1. Utrum propter deficientiam publicorum Montium, vel propter difficultatem creandi census, aliosque licitos contractus ineundi, aut etiam ad removendum detrimentum artificibus et mercatoribus obventurum, liceat cuique dare pecuniam suam mutuo cum actuario cuilibet, etiamsi nullus adsit damni emergentis et lucri cessantis titulus.

2. Utrum propter idem motivum absque iusto titulo liceat praedictum mutuum saltem viduis, pupillis, patribus-familias, aliisque personis, quae mutuo dant pecunias, non ad augendas proprias substantias, sed ad consulendum suis egestatibus, ad providendum familiae indigentiis propter varios eventus occurrentibus; quoniam si a mutuo abstinerent, vel familiae desunt honesta, aut necessaria, vel coguntur capitale consumere, et ad egestatem reduci.

3. An capsae nationum, vel communitatis mercatorum possint in urbe Constantinopolitana considerari pro Montibus publicis, ita ut licite illis mutuo pecuniae dari possint, cum pacto actuarii septem vel octo pro centum, ut fert consuetudo, et quamvis deficiat titulus lucri cessantis, aut damni emergentis?

4. Cum Constantinopoli non infrequentes sint casus incendiorum, pestis, calumniarum, vulgo *avanie*, quae aliquando a mutuatariis patiuntur cum gravi eorum damno, quaeritur: Utrum propter periculum, cui in praedictis casibus sors mutuorum exponitur, licitum sit propter pecuniam mutuo datam aliquid ultra sortem exigere?

5. Utrum actuarium ex mutuo, propter exposita pericula a mutuante pactum, exigi licite possit, quando mutuatarius, in assecurationem sortis mutui, pignus aequivalens vel excedens mutuanti tradit. Ratio dubitandi est, quia non restituente mutuatario sortem mutui tempore praefinito, pignus vendi non potest a mutuante, ut suam ex ipso pecuniam recuperet. Ideoque vel mutuans expectare debet restitutionem sortis, quando mutuatario placuerit, vel cum gravibus expensis debet mutuans ante tribunalia regionis cogere mutuatarium ad pignus vendendum, ut sibi sors mutui restituatur. Aliquando etiam accidit, raro tamen, quod pignus a mutuante ad securitatem sortis acceptum penitus amittatur, quia tertia persona ante tribunalia constare facit, quod pignus a mutuante detentum non erat mutuatarii, sed suum, illudque sibi per iudicem vindicet.

6. Utrum licitum sit absque titulo damni emergentis, et lucri cessantis mutuum dare cum actuario quatuor vel quinque pro centum Communitatibus Religiosorum, quae, exceptis periculis pestis, terraemotus, et aliqua ex parte incendiorum, ab aliis periculis sunt fere immunes, et sors mutui securior apparet apud easdem Communitates, quam penes alios incolas eiusdem civitatis.

7. Utrum Communitati Religiosae, quae mutuum accipit cum actuario quatuor vel quinque pro centum, liceat easdem pecunias mutuo acceptas alicui alteri personae mutuare cum actuario decem pro centum.

8. Utrum sacerdotes *ad titulum missionis* ordinati possint conferre pecunias in societatem negotiationis, et ita accipere partem lucri ex negotiatione procedentem, vel determinatam vel eventualem. Ratio dubitandi est, quia cum beneficio, vel patrimonio careant, non sunt sufficienter provisi pro sua substentatione, vel pro casibus infirmitatis, pestis, incendii, senectutis, in quibus eleemosynis Missarum non multum vel nihil sibi providere possunt.

Itaque cum haec omnia suprascripta dubia praeviis theologorum consultationibus in Congregationibus Supremae Generalis Inquisitionis habitis coram SSmo diebus 4, 11 et 18 Martii diligentissime perpensa, atque examinata fuerint: Sanctitas Sua, auditis Emorum DD. Cardinalium suffragiis, decrevit respondendum:

Quoad 1 et 2 dubium, nemini, nec etiam

viduis, pupillis, et patribus-familias ad consulendum indigentiis ob defectum publicorum montium, aut attenta difficultate creandi census, aliosve licitos contractus ineundi, aut intuitu detrimenti obventuri artificibus et mercatoribus, licere, nisi aliunde adsit iustus titulus damni emergentis, et lucri cessantis, mutuo dare pecuniam adiecto pacto aliquid ultra sortem recipiendi.

3. Quamvis secundum ea, quae proponebantur, vel minus videbatur, quam quod capsae nationum vel communitatis mercatorum reputari possent pro montibus publicis ita ut pro pecunia in illis mutuo collocata absque iusto titulo damni emergentis, vel lucri cessantis, aliquid ultra sortem recipi posset; attamen nihil hac de re sancire voluit Sanctitas Sua, sed prius a Vicario Apostolico exquiri iussit 1. An aliquo, et quo potissimum contractus titulo pecunia iisdem capsis nationum aut communitatis mercatorum mutuo tradatur. — 2. An illae habeant certos reditus, quos in huiusmodi contractibus vendant in commodum eorum, qui pecuniam mutuarunt. — 3. An aliqua publica auctoritate hae capsae nationum seu communitatum mercatorum constitutae sint. Cum his postulatis a Vicario Ap. dilucide satisfactum fuerit, tunc dabitur proposito dubio aptior, et certa resolutio.

Ad 4, 5 et 6 dubium, quamvis distincte proponebantur, una tamen omnibus danda est responsio, quae ut magis pateat, sequenti instructione comprehenditur: « Itaque illud in primis est exploratum etc. » (*V. Instruct. S. C. de Prop. Fide an. 1873.* De lucro ex mutuo *n. II.*)

Ex his autem unusquisque videt, quanto minus liceat a Communitatibus Regularium aliquid recipere ultra sortem absque iusto titulo damni emergentis et lucri cessantis, ob solum periculum obventurum ex publicis infortuniis, pestis, incendiorum, et terraemotus, cum iuxta facti speciem in dubio VI propositam, immunes illae plerumque sint ab aliis supra recensitis periculis, et tutius apud ipsas, quam apud alios istius urbis incolas pecunia mutuo collocetur.

Ad 7. Non licere Communitatibus Regularium pecuniam receptam cum onere persolvendi quatuor aut quinque in singula centena, maiori conventa usura, aliis dare.

Ad 8. Huic etiam dubio iussit Sanctitas Sua per instructionem respondi debere. Tota quaestio in eo versatur, an sacerdotibus *ad titulum missionis* ordinatis, qui patrimonio, ac beneficio carent, atque Missarum eleemosynis parum aut nihil sibi comparare possunt, permitti queat, ut licita atque honesta aliqua negotiatione suae consulant substentationi. Distinguere autem oportet utrum sacerdotes isti ea nunc inopia premantur, cui ni consulatur, cum sui caracteris dedecore victum sibi mendicare cogantur; an potius providentes futuris casibus infirmitatis, senectutis, atque etiam pestis, incendiorum, ac terraemotus, quibus urbs ista frequenter obnoxia est, lucrum aliquod sibi ex negotiatione comparare velint, ut opportuna hac cautione futuram egestatem devitent. Quoad sacerdotes praesenti inopia laborantes, in promptu est decretum S. Congregationis de Propaganda Fide diei 23 Novembris an. 1665 quod hic adiunctum transmittitur *(n. 163);* quoad alios vero, futuris sed tamen probabilibus suis necessitatibus providere cupientes, prostat etiam epistola encyclica s. m. Clementis PP. XIII. diei 17 Septembris an. 1759. quae incipit *Cum primum,* in qua, et praesertim in §§. *Si autem ecclesiasticorum quispiam* etc. *Deinde pro eo* etc. *Caeterum facultas* etc. quidquid ad rem opportunum est sanctissime decernitur *(V. n. 423).* Huius etiam epistolae exemplum hic adiungitur. Ex his autem Apostolicae Sedis sanctionibus, si regulas, instituta atque etiam indulgentiam in iis expressam Vicarius Apostolicus Constantinopolitanus exacte ac diligenter exequatur, facile ipsi erit omne dubium dissolvere, et pauperum sacerdotum indigentiis vel statim consulere, vel in posterum occurrere. Nam si urgeat praesens inopia, ex laudato decreto anni 1665 poterit tolerare negotiationem aliquam a sacerdotibus fieri, iis tamen sub conditionibus, quae in eodem decreto adiiciuntur. Si vero futuris necessitatibus dumtaxat est providendum, ea facultate utatur, quam Clemens PP. XIII. Episcopis extra Italiam concessit, et dispensationem sacerdotibus indulgeat, ut sua industria possint sibi subsidia quaerere ad vitandam egestatem, iuxta tamen eas conditiones et regulas, quas idem Pontifex in ea Epistola praescripsit.

569

1. Ob exiguum laboris fructum ne cadant animis missionarii.

Instr. S. C. de Prop. F. *29 Apr. 1784.* (AD VIC. AP. SUTCHUEN.) — Quod apud vos, quereris, in tanta messis copia exiguum reportari fructum, multosque christianos avaritia, fraudibus, aliisque flagitiis inquinari, plurimos vero, nullo religionis studio incensos, omnis boni operis cessatione torpere, dolendum quidem est fusisque lacrymis prosequendum. Attamen a Divo Paulo edocti quod *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus,* caelestem vineae cultorem toto corde deprecemur, ut steriles istas christianorum plantas dimittat adhuc, nec veniens succidat, sed sinat circa illas fodi, et stercora immitti, ut acriori ac vehementiori zelo atque industria excultae, atque a spinis vepribusque purgatae, retardatos fructus tandem aliquando lectiori ubertate compensent. Quod si forte, incomprehensibili Dei

iudicio, inanes fuerint labores vestri ac vacuae sollicitudines, vestra vobis semper in caelis constabit beata merces, nec ultra quidquam certe a vobis exigetur. Vinea Domini exercituum erat domus Israel; hanc ipse plantaverat, turres ac torcular in medio eius extruxerat, sepibus vallaverat, nihil demum praetermiserat quin speciosissimam redderet, uvasque gigneret feracissimas. Pro uvis tamen, praeter Domini expectationem, exortae labruscae sunt et sterilis evasit vinea, inculta atque deserta. Non id profecto vitio ac culpae cultoris vineae tribuendum est; nosque hoc exemplo edocemur animarum salutem, tota quanta est, Dei opus esse, suaque solum omnipotentia corda hominum ad bonam frugem converti, atque fidei, spei, charitatis studio inflammari; nihil praeterea aliud ab animarum pastoribus exigi, nisi ut in omni patientia ac doctrina, arguant, obsecrent, instruant; et cum omnibus sui muneris partibus cumulatissime satisfecerint, dicant quod Apostolis Dominus praecepit: *Sic et vos cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.*

2. De regulis pro Societate *Virginum christianarum.*

—. Quoad institutionem societatis Virginum Christianarum, quibus cura incumbit edocendi puellas in doctrina christiana, nihil sane est reprehendendum, si omni vitio careat, si nullum adsit offensionis periculum apud gentiles, si caste, prudenter ac religiose christianae virgines hoc pio munere perfungantur. Ut haec omnia assequi possint, optime cautum optimeque consultum erit, si regulae retineantur quas bo. me. D. Martillac, Episcopus Ecrinensis, servandas praecepit, quasque tu sapientissime renovasti. Ut autem, Apostolicae Sedis accedente auctoritate, et illis robur accrescat, et nonnullae aliae adiungantur quibus istiusmodi Virginum Societas sancta et inviolata coalescat, haec missionariis nostro nomine observanda praecipies.

1. Nullo modo permittant in publico virorum conventu Virgines illas vel verbum Dei praedicare, vel docere, aut palam legendo, vel singulariter praecinendo, quodam modo annuntiare; hoc enim vetitum est ab Apostolo qui ait: *mulieres in ecclesiis taceant; non enim permittitur eis loqui sed subditas esse, sicut et lex dicit.*

2. Votum castitatis Virgines non emittant nisi praetergressae fuerint annum aetatis vigesimum quintum, neque illud perpetuum sit, sed ad triennium duraturum, renovandum deinceps cum consensu missionarii singulis trienniis, si earum probata fuerit vitae sanctimonia et si eadem voluntas sese a nuptiis abstinendi perseveraverit.

3. Neque ad votum admittantur illae quae in domo paterna ali minime possunt, sed coguntur vagari, et aliorum domos circumire, ut victum sibi quaeritent. Decet enim virgines Deo devotas omne virorum consortium devitare, ac domi se continere, ut silentio, precibus ac sensuum custodia, a Deo impetrent quod pie sancteque voverunt.

4. Provectiores aetate, et si fieri poterit, saltem anno trigesimo iam transacto, moribus, scientia ac prudentia caeteris excellentiores eligantur ad munus docendi puellas.

5. Non in qualibet domo hoc munus ab ipsis exerceatur: sed vel in propria, vel in aliena a missionario designanda, in qua tamen viri non commorentur, vel nullus saltem ipsis pateat accessus, cum puellae ad audiendam doctrinam christianam in eam convenerint.

6. Haud ita crebri sint omnium puellarum conventus, ne forte in suspicionem veniant gentilium; sed potius magistrae seorsim puellas in propria, vel in illarum domo erudiant, atque ita demum se gerant ut non modo apte doceant, sed etiam cum magna prudentia circumspiciant, ne quid christiana res, quae in tantis periculis isthic versatur, detrimenti capiat.

Has tu regulas missionariis tuis nostro nomine denuntiabis, praecipiesque ut iis pareant exacte ac diligenter. Si vero perspexeris huiusmodi leges, propter locorum, temporum aut personarum circumstantias, retineri minime posse, satius quidem est hanc Christianarum Virginum Societatem dissolvere quam vos, fideles, ac ipsam religionem christianam in grave aliquod discrimen adducere. Tu ipse tamen pro tua prudentia videbis quod interea optimum factu sit; missionarii autem sciant tuis monitis ac praeceptis sese morigeros ac dociles esse debere, ni velint de gravissimo inobedientiae crimine coram Deo et coram hominibus incusari.

Petis ab Ap. Sede tamquam Ecclesiarum omnium magistra, ut talibus te praeceptis instruat, quibus tuam agendi rationem conformare possis, et gliscentes, si qui sunt, abusus prorsus exterminare. Aequissimae huic postulationi tuae, atque in Ap. Sedem observantiae atque obsequio plenissime satisfacere aggredimur, ex sententia S. Congnis, atque etiam ipsius Summi Pontificis Pii VI. Ac in primis abusus circa Poenitentiae Sacramenti administrationem, quos tribus prioribus articulis comprehendis, vel in gravioribus poenitentiis pro satisfactione infligendis, vel in diuturna nimiaque absolutionis dilatione, vel etiam in reiiciendis omnino criminosis quibusdam a Poenitentiae sacramento versantur.

3. De recta Poenitentiae Sacramenti administratione.

Quoad poenitentias satisfactorias, id primum pro certo habeant missionarii, non eas esse exigendas ante absolutionem, si quidem poenitens sit rite dispositus. Qui secus faceret, constantem Ecclesiae disciplinam plane interverteret, et recentiorum quorumdam sequeretur errorem iam ab Ecclesia improbatum. Satisfactio enim non est pars essentialis sacramenti Poe-

a) De poenitentiis imponendis.

nitentiae, sed integralis tantum, quae peracto iam Sacramento, potest accedere. Deinde et illud pariter retineant, pro occultis criminibus secretas quoque poenitentias imponendas esse; pro publicis vero et gravioribus, etiam publicas, si tamen urgeat necessitas scandali reparandi, si aliis exemplo esse possint, si acrius denique incendant animum peccatoris ad sua crimina detestanda. Egregie enim inquit Concilium Tridentinum (sess. XIV, cap. 8, *De satisfact.*) neminem unquam catholicorum sensisse *quod sacramentum Poenitentiae sit forum irae atque poenarum.* Ea quippe semper, in publicis poenitentiis irrogandis, Ecclesiae mens fuit, ut dum atrociora crimina publica aliqua poena ulcisci oporteret, non in contemptum et ignominiam poenitentis id fieret, sed in aliorum exemplum atque in ipsius delicti detestationem. At vero in publicis poenitentiis iniungendis optime se facturos missionarii arbitrentur, si nihil proprio marte decernant, sed vel simul plures conferant consilia sua, vel quod satius est, si tempus permiserit, nullumque adfuerit violandi secreti sacramentalis periculum, te, utpote illorum patrem ac magistrum, consulant, tuaque iussa, ut decet, exequantur.

Quae vero et quanta, vel pro occultis, vel pro publicis criminibus decernenda sit a confessariis poena satisfactoria, difficile dictu est. Illud prae oculis continuo habere debent quod Patres Concilii Tridentini in supra laudato capite sanxerunt, et praesertim quod huiusmodi poena non tantum sit *ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum vindictam et castigationem.* Quot autem sint opera satisfactionis, ex Cathechismo Rom. *De sacram. Poenit. part.* 2 *art.* 74 ediscant, qui sic habet: *Verum omne satisfactionis genus Pastores docebunt ad haec tria praecipue conferendum esse, orationem, ieiunium, et eleemosynam,* propter eas rationes quae ibidem fusius declarantur. Tandem si velint adhuc in hanc rem quasdam proponi sibi regulas, quibus certo possint insistere, consulant praeclarissimas Instructiones S. Caroli Borromaei ad confessarios datas. Nihil in iis nisi sanctum, rectum, atque huic qua vivimus Ecclesiae disciplinae accommodatum reperient; ex quibus haec dumtaxat excerpsisse sufficiat, ut omnibus isthic tecum in vinea Domini laborantibus innotescant: *Pro imponenda poenitentia prudens esse debet confessor, nec ita levem adhibeat, ut clavium potestas inde contemnatur, et ipse peccatorum alienorum evadat particeps; nec ita etiam gravem aut diuturnam, ut poenitentes ei obsequi recusent, aut acceptam ex integro non exequantur. Ideo sacerdos canones poenitentiales consulat, quibus, licet cum prudentiae discretione et modo, pro poenitentis contritione, qualitate, statu, aliisque circumstantiis, uti debeat, tamen iuxta eos, quasi traditam sibi regulam, sacerdos se gerat, prout expedire ei visum fuerit; et quando poenitentiam canonum rigori omnino conformem non imponet, eam tamen poenitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, et leviorem iniunctam poenitentiam ipse ardentius exequatur, motus scilicet ex hodierna Ecclesiae benignitate, qua antiquioris disciplinae rigor mitigatur.* Optimis hisce institutis imbuti, eamque ineuntes rationem missionarii isti tui, quam S. Carolus in administratione Sacramenti Poenitentiae confessariis explanavit, sperandum profecto est poenarum severitatem ita cum prudentia et lenitate temperaturos esse, ut nec illa lapsos deterreat, quin, perversitate abiecta, ad poenitentiae et emendationis semitas revertantur, et ad Sacramentum reconciliationis rite suscipiendum accedant; nec istos peccantes ita molliter corripiat, et sine congrua castigatione dimittat, ut ipsi peccata sua leviora putantes, occasione accepta, in eadem vel graviora deinde labantur, thesaurizantes sibi iram in die irae.

b) De absolutionis dilatione.

Alterum abusum in eo collocas quod absolutionis sacramentalis beneficium nimium differri suspicaris. In hac re certum iudicium ferri minime potest. Confessarius, qui tamquam iudex pro tribunali sedet, et tamquam medicus medicinam parare debet aegrotis, ipse solus scrutari potest quanta sit criminum atrocitas, quae aegritudinis pertinacia, quae dispositio poenitentis. Oportet propterea ipsum diligenter investigare, num qui ad Poenitentiae Sacramentum accedunt, eo animi dolore commissa crimina execrentur, qui a Concilio Tridentino (Sess. XXIV, cap. 4, *De Contritione*) ad Sacramenti integritatem requiritur; num vitae novae inchoationem, ac praeteritae odium, non voce dumtaxat ac labiis, sed intimo cordis affectu polliceantur; num, in testimonium bonae huius ac firmae voluntatis, cessasse iam se aliquamdiu a peccatis doceant; num eas occasiones, quae vel per se, vel ex propria malitia aut pravitate, ad peccatum inducunt, si in eorum potestate fuerit, plane dimiserint; num remedia alias ipsis proposita adhibuerint, quorum praesidio peccatum in necessariis atque involuntariis occasionibus devitent; num consuetudinem peccandi abiecerint; num, si alias beneficium absolutionis obtinuerint, iterum in eadem crimina ex propria malitia relapsi, in eodem fuerint coeno volutati: num rerum, famae atque honoris in quo proximum laeserint, parati ac prompti sint sarcire damnum aut iniuriam, si vires aut occasio suppetant. Haec, pluraque alia quae a laudatis S. Caroli instructionibus petere missionarii possunt, diligenter ab ipsis expendenda sunt, priusquam beneficium absolutionis impendant. Sed cum haec ipsa inter arcana Confessionis delitescant, difficile sane est iudicare, an ea, quam superius innuimus, iudicis potestate ac medici auctoritate abutantur, vel asperius

ac durius cum poenitentibus rite dispositis se gerant.

Caveant tamen diligenter missionarii, ne, si quandoque poenitentia publica sit iniungenda, atque etiam aliquanto tempore protrahenda, quempiam interim sinant sacramentalis absolutionis beneficio privari, dummodo is nullum ex sua parte obicem ponat, dignusque habeatur cui gratia reconciliationis cum Deo in foro conscientiae impertiatur. Non enim vos latere arbitramur plurimum inter se differre privatam peccatorum absolutionem, in foro sacramentali poenitentibus indulgendam, ac publicam cum Ecclesia reconciliationem. Nemini illa deneganda est qui rite sit affectus et necessarias prae se ferat ad hanc gratiam consequendam dispositiones. Benigna enim ac misericors est sancta mater Ecclesia, nec patitur manere quempiam sub iugo ac servitute diaboli, Dei hostem, omnibus carentem bonorum operum meritis, qui ex corde, et vera animi ac mentis contentione veniam a Deo suorum delictorum deprecatur. Altera vero, publica videlicet reconciliatio, iudicio Episcopi est reservanda, qui pro locorum ac temporum circumstantiis statuet quid factu opus fuerit, atque ita severitatem cum lenitate conciliabit, ut et noxiis poenam, et frenum insontibus sit allatura.

4. De dispositionibus ad Eucharistiam percipiendam.

Non est hoc loco praetereunda istorum pariter missionariorum consuetudo, qui nimiae forsitan severitati inhaerentes, nonnullos, quamvis sua crimina confessi ac detestati fuerint, arcendos tamen iudicant a Communione Eucharistica. Nemo profecto inficias iverit, quin antequam quis ad Eucharistiam accedat, praeparatum animum habere oporteat; quae autem, aut qualis huiusmodi praeparatio sit, aptissime docet Cathechismus Romanus *(De Sacr. Eucharist.* n. 55, 56, 57), quem missionarii saepius consulent; est enim liber et doctrina et auctoritate caeteris omnibus anteponendus. Praeparatio autem alia est huic Sacramento maxime conveniens ac consentanea, alia vero omnino necessaria, de qua loquitur Apostolus inquiens: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.* Concilium Tridentinum de hac necessaria animi praeparatione disserens, sess. 13 cap. 7, sic inquit: *Quare communicare volenti revocandum est eius praeceptum, scilicet Apostoli:* probet autem seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quamtumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali Confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* In capite vero 8. proxime sequenti fideles hortatur, *ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipiant.* Ac demum, sess. 22 *De sacrificio Missae,* cap. 6, sic loquitur: *Optaret quidem sancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali Eucharistiae etiam perceptione communicarent.*

Itaque si, ex his simul sumptis sententiis, Tridentinorum Patrum mentem penitus perscrutemur, illud certe exploratum habebimus, illos quidem ab Eucharistica mensa omnino removendos esse qui, peccati mortalis conscientia oppressi, tanto ac tam singulari Dei dono censentur indigni; caeterum frequentem Eucharistiae usum Tridentinos Patres fidelibus suadere; optare imo, ut in singulis Missis adstantes fideles de Eucharistica mensa participes fiant: quod sane non modo optari, sed nec sperari quidem posset, si Eucharistico pane ii solum reficerentur qui ab omni levioris etiam culpae labe immunes essent. Haec si missionarii tui diligenter perpendant, videbunt profecto num laudanda sit illorum consuetudo, qui, pro dignitate Sacramenti Eucharistiae, singulares quasdam et vix sperabiles dispositiones exigunt a fidelibus, longeque maiores quam quae sufficiunt ad absolutionem in sacramento Poenitentiae consequendam. Excitanda certe maior fidelium devotio est; acrius incendendi ad detestationem praeteritorum criminum; quaedam veluti fames ac desiderium vehemens in cibum Eucharisticum excitandum, ut qua maiori possunt reverentia atque pietate suscipiant; verum, quemadmodum corporis vires alimento sustentantur, ita animae languor atque infirmitas cibo hoc spirituali, quo pascimur, depellitur ac roboratur. *Quotidie peccas, quotidie sume,* inquit Augustinus (in sermone *De verb. Apost.); Et si quis attenderit diligenter,* subiungit Cathechismus Romanus, *omnium Patrum, qui hac de re scripserunt, sententiam eamdem fuisse comperiet.*

Atque eo praesertim promptiores faciliores-que decet esse istos Sinarum missionarios in admittendis fidelibus ad hoc coeleste convivium, quod rarissime illos se praebeat occasio Eucharistico pane reficiendi. Aut semel aut bis in anno, propter regionis amplitudinem, sacerdotis copiam habent; urget praeterea lex Communionis Paschalis; senectus, aegritudo, egestas, gentilium rabies atque ira, caeterae demum vicissitudines ac vitae huius nostrae discrimina, mortem aut prope adesse, aut adventare denuntiant. Numne nulla hora ratio habenda est, ut christiani et Ecclesiae praecepto pareant, et in tantis periculis constituti, ac mortem fortasse haud longo post tempore subituri, coelesti hoc pane et quasi arrha beatitatis aeternae reficiantur ac recreentur?

Neque tamen haec dicta volumus, quasi nulla sit facienda distinctio inter eos qui ad Eucharisticam coenam accedunt, omnesque passim sine diligenti probatione sint admittendi; consilium inde, rationem, iudicium huius proba-

tionis animarum pastoribus committendum esse ultro concedimus. Nec ignoramus, praeter actualia et per se mortifera peccata, inordinatas aliquando cupiditates et vitiosas quasdam habitudines hominum animis alte infixas reperiri, per quas ad pietatis studium desides, et ad venialia peccata proclives redditi, ad graviora deinde admittenda crimina facile dilabuntur, quibusque extirpandis pii et docti animarum curatores salutaria quandoque medicinalis severitatis remedia adhibenda esse non dubitant. Sed si nimius sit in hac agendi ratione rigor, et si plerique eorum qui sacramentalis absolutionis beneficio digni habiti sunt, a dominica Communione indistincte et sine gravi causa repellantur, non probamus.

Neque propterea aliunde evenire putamus (id quod non sine admiratione animadvertimus) in tanta copia Confessionum, tam exiguum esse numerum illorum qui Eucharistico pane refecti nuntiantur. Ebriosi, foeneratores, impuri, sacrilegi, pacis perturbatores, inconstantes in fide, hypocritae, qui filias nuptui tradunt gentilibus, scandalosi, aliique demum qui gravioribus flagitiis coinquinantur, a mensa Domini segregandi sunt, imo et repellendi iuxta regulam traditam in Rituali Romano, tit. *De Eucharistia.* At vero si miseros ac coinquinatos istiusmodi homines suorum criminum vere et salubriter poeniteat, si ea remedia, quae a confessariis tradita sunt pro emendatione vitae, pro alienarum rerum restitutione ac scandali reparatione, iuxta superius traditas regulas adimpleverint, atque propterea dignos exhibuerint poenitentiae fructus, quibus eos et veniam a Deo sperare, et relaxationem suorum criminum a poenitentiario sacerdote impetrare nihil prohibet, cur, ad Eucharisticam Communionem non admittantur? At sutchuenses christiani non haec produnt certa doloris ac poenitentiae argumenta: ergo non solum Eucharistiae Sacramento probantur indigni, verum criminum etiam relaxatione. Itaque si ex doloris indiciis atque ex novae vitae emendatione non dubitant missionarii quin illis sacramentalis absolutio impertiri possit, nec ambigere debent quin satis dispositi sint ad Dominicum panem manducandum, praesertim si aliqua urget necessitas ex iis casuum circumstantiis quas paulo ante commemoravimus, et nisi forte publice infligendae poenitentiae instet occasio, cum videlicet sacramentalis quidem absolutio non denegatur, sed ob grave aliquod palam patratum scelus, quod multorum oculos offendit, publica differtur cum Ecclesia reconciliatio, quae tamen, ut supra dictum est, non temere, neque, si fieri potest, ex privati cuiuslibet sacerdotis opinione, sed cum consilio aliorum atque praesertim Episcopi est imponenda.

Quinam a Poenitentiae Sacramento arcendi.

Tertia quae te commovet abusuum suspicio est, quod non modo times criminosis quibusdam sacramentalem absolutionem differri, sed eos etiam, levi forsitan ex causa, a tribunali Poenitentiae repelli. Non satis tamen declaras, quomodo res ista procedat. Neque enim suspicari fas est missionarios istos, quos tu ipse fateris egregiam navare operam in procuranda animarum salute, et pietatis ac charitatis studio plurimum apud te commendari, ita misericordiae ac lenitatis fuisse oblitos, ut peccatores, aliquo poenitentiae stimulo excitatos, ad se pro Confessione suarum culparum accedentes, repellant: absolutionem enim sacramentalem immerentibus denegare in potestate sacerdotis est; at criminum confessionem non audire, flagitium esset non ferendum. Quaestionem igitur a te propositam sic accipiendam esse existimavimus, ut de iis dumtaxat peccatoribus quaerendum sit, qui iis criminum nexibus implicantur, quibus a iure adiuncta est excommunicationis poena. Atque in hanc rem illud maxime considerandum videtur, num aliquis per sententiam iudicis fuerit excommunicatus ac publice denuntiatus, an vero eam censuram a iure contraxerit, haud quidem iudicis sententia declaratam, sed cum crimen, propter quod in excommunicationem incidit, ita notorium ac manifestum sit, ut nulla possit tergiversatione celari, aut iuris suffragio excusari, hinc passim apud reliquos fideles pro publico peccatore habeatur. Uterque profecto a Sacramento Poenitentiae repelli debet; nequeunt enim excommunicati participes fieri Sacramentorum. Discrimen tamen inter utrumque intercedit, quod excommunicatus et denuntiatus sententia iudicis, cum a caeterorum fidelium communione separetur, vitandus etiam est, ideoque nec in ecclesiam admitti potest, ut incruento Sacrificio assistat, publicas preces fundat, caeterisque communibus religionis officiis adstet, excepta duntaxat verbi Dei praedicatione, quam excommunicatos audire a iure permissum est, cap. *Respons.* 43, *De sententia excommunicationis.* Is vero cui excommunicationis nulla est indicta sententia, vel iudicialis declaratio, nec a fidelium coetu repellitur, neque aditu ecclesiae prohibetur, nec a publicis precibus excluditur; Sacramentorum tamen participatione, sicut in seipso incapax est, ita a fideli mysteriorum Dei dispensatore merito arcendus, propter criminis sui notorietatem et pertinaciam; ex quo, cum publicum scandalum exortum fuerit, nisi cessaverit, et apta ac convenienti poenitentia fuerit emendatum, indignus omnino censendus est ut mysteriorum Christi particeps fiat, ne contra Evangelii praeceptum margaritae mittantur ante porcos. Quae autem et quanta esse debeat poenitentia sontibus irroganda, qua ratione scandalum tolli possit, statuant missionarii oportet, libratis locorum ac temporum circumstantiis, atque illud praesertim curent, ut nihil nisi te auctore ac iudice decernatur, si te consulendi detur potestas. Atque hinc

propterea haud probanda est illorum agendi ratio qui, nulla adhibita distinctione inter excommunicatos vitandos, et inter toleratos, omnes passim prohibent, diebus etiam festis, ab aditu ecclesiae, atque a sacro fidelium conventu. Nam si id agunt quod excommunicationis eam esse vim arbitrentur ut, qui illi subiicitur, statim arcendus sit ab omni fidelium communione, memoratae distinctioni repugnant, atque ideo errant; si vero hanc ipsi poenam, arbitratu suo, omnibus passim excommunicatis decernunt, de nimia severitate sunt corripiendi. An vero qui puellas, a parentibus gentili viro desponsatas, invitas rapiunt et traducunt ad domum sponsi, in excommunicationis poenam incurrant, sic habe: aut sponsalia inita sunt a parentibus priusquam puellae usu rationis potirentur, nec constat post rationis usum illa confirmasse ac rata habuisse; cum haec sponsalia irrita omnino sint, profecto qui raptui harum virginum consilium, auxilium aut favorem praebent, sunt ipso iure excommunicati iuxta caput 6, sess. XXIV *De reformatione matrimonii,* Concilii Tridentini; secus vero, si sponsalia cum earum consensu vel primum inita, aut deinde confirmata sunt, ac proinde firma ac valida reputantur; non enim raptorum poenis subiiciuntur, qui sponsas ad sponsum vi pertrahunt, quamvis invitas et renuentes.

De charitate ac benignitate erga peccatores.

Expediti ab iis quaestionibus quas pro administratione Sacramentorum proposuisti, gradum facimus ad quartum querelarum tuarum caput. Itaque angeris animo missionarios quosdam isthic esse, qui christianitates aliquas derelinquunt, eo quod frustra in iis excolendis laboraverint, quamvis nec christiana fides, nec orandi studium in iis cessaverit. Aiunt enim in tanta messis copia et operariorum paucitate, operam potius impendendam esse in agro frugifero quam in sterili, a quo fructum sperare vix possunt. Hoc tamen nos arbitramur non missionariorum iudicium esse debere, sed tuum. Tibi potissimum istius vineae Domini Sabaoth est demandata plantatio. Tu vigiles qui vineam custodiant disponere, tu sepibus munire, tu muro cingere, tu infrugiferas arbores eradicare debes; qui tecum serunt, colunt, laborant, cooperatores tui sunt tuisque propterea iussis obtemperare oportet. Exemplo autem suo nobis Dominus commendavit, maiori studio atque animi contentione peccatoribus operam nostram navandam esse quam iustis. Ipse de se inquit: *Non veni quaerere iustos, sed peccatores;* atque iterum: *Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt, domus Israel.* Idcirco boni pastoris formam et similitudinem, qui dimissis in deserto nonaginta novem ovibus, illam unam quaerebat quae perierat, nobis ante oculos posuit, ut hoc exemplo doceret qua ipse charitate ac benignitate peccatores quoscumque complexus est, eadem nos prosequi debere. Fixa enim atque immota in evangelicorum operariorum mentibus haerere debet divina eiusdem Servatoris nostri sententia: *Dico vobis quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem iustis qui non indigent poenitentia.* Imitentur itaque egregii isti tui cooperatores cultorem vineae in eodem Lucae Evangelio commemoratum, cui cum aliquando eiusdem vineae dominus dixisset: *ecce anni tres sunt ex quo venio quaerens fructum ex ficulnea hac, et non invenio; succide ergo illam; ut quid terram occupat?* statim rogavit enixe ut arborem illam quamvis sterilem alio saltem anno vigere sineret, promisitque se fossione ac stercoratione foecundaturum. Ne tamen et alterum eiusdem Servatoris nostri Iesu Christi monitum contempsisse videamur, cum Apostolis suis dixit, ut etiam pulverem e pedibus excuterent, ubicumque non fuissent recepti, ita charitatem quae patiens ac benigna est, quae omnia sperat, omnia sustinet, infirmis impendamus, ut nihil validioribus detractum sit. Utrique colendi, hortandi, amplectendi; sed quo quisque in Fidem studio fertur, eo magis vel excitandus, vel confirmandus. Prudentia tua maxime qua gregi isti universo praesides, quaeque agendarum rerum magistra et gubernatrix est, providebis ne cui quidquam debeas, atque omnium veluti amantissimus parens ac doctor existimeris.

Asperioris zeli studium ac nimia severitas temperanda.

Quae multa congeris sub quinto abusuum capite, de orationibus, ieiuniis, abstinentiis, vigiliis, corporis cruciatibus, aliisque consuetudinibus, quas aliqui missionarii tui, bono quidem zelo, sed nimia forsan austeritate, cui plurimum addicti sunt, permoti, ad istos christianos invexerunt: de iis haud profecto possumus certi aliquid exploratique ad te scribere. Quoniam si hac austeriori disciplina, in fidei et charitatis operibus magis fideles isti proficiunt, non est istiusmodi austeritas improbanda; si vero perterriti hoc agendi rigore, a levi ac suavi iugo Christi se potius subducunt, tunc sane ea agendi ratio, nec utilis, nec probanda videretur. Quapropter generatim dicimus quod cum nos, tanto locorum intervallo disiuncti, minime de his iudicare possimus, tua esse debet deliberatio, atque a te maxime perspiciendum, quid in usibus istis atque consuetudinibus, ad pietatem, iustitiam, humilitatem, animique in fide constantiam maxime conducat; et quum tibi constiterit alacrius ferventiusque christianos viam mandatorum Domini cucurrisse, quo magis acrioribus severitatis stimulis excitati sunt, permittere sane poteris novas hasce missionariorum asperiores institutiones.

Caeterum, ut aliqua etiam singulatim tibi a nobis hac de re suppeditentur monita, quibus tuam agendi rationem accommodes, tibi in primis, ac etiam missionariis tuis, regulas a Ca-

thechismo Romano traditas, tam *de poenitentia* quam *de oratione*, maximopere commendamus. Si enim omnium manibus aureus iste teratur liber, atque eius praeceptis, institutis, monitis ac disciplinae arctissime adhaereant missionarii, minime ambigendum, quin et similis omnium futura sit in animarum procuratione institutio atque etiam fructus uberrimus.

Praeterea, haud nobis probari potuit opinio illa, quae apud plures missionarios isthic recepta videtur, videlicet iugum sinensibus christianis aggravandum potius esse quam minuendum. Non ita sane se gessit Apostolus in praedicatione Evangelii; cum enim ad Hebraeos scriberet, recenter ad fidem conversos, reconditorum mysteriorum capaces eos esse non arbitratus est, *quoniam imbecilles* erant *ad audiendum* et *quibus lacte opus* erat, *non solido cibo* (c. v. 11. 12); perfectorum autem est solidus cibus; atque hoc ipsum Corinthiis neophytis confirmavit (I Corinth. c. III. 1), ait enim: *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.* Ad Romanos autem (xiv) inquit: *Infirmum in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. Alius enim credit se manducare omnia; qui autem infirmus est, olus manducet; is qui manducat non manducantem non spernat, et qui non manducat manducantem non iudicet.* Et paulo infra (xv) subiungit: *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, et non nobis placere.* Ex his autem Apostoli sententiis, certe consequitur solidiorem cibum escamque firmiorem iis solummodo praebendam esse, qui confirmati in fide, ac spiritu Dei pleni sunt; lacte vero atque escis tenuissimis nutriendos esse neophytos, viribus enim destituuntur, nec adhuc tam valida charitate roborati sunt, ut, et praeceptis christianae legis pareant, quemadmodum par est, et aliis graventur oneribus, a quibus absque peccati noxa liberi ac soluti esse possunt. Ita quoque beatus Apostolus Petrus recenter ad fidem perductos, teneros veluti infantes alloquitur: *Quasi modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite ut in eo crescatis in salutem:* eademque tandem spiritus lenitate ac charitatis temperamento usus est Dominus cum Apostolis, inquiens: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Quapropter oportet ut missionarii isti tui asperioris zeli studium temperare curent, commisereantur infirmis, non pharisaeorum more oneribus importabilibus eos aggravent, sed potius suave illud Apostoli in animarum directione monitum prae oculis habeant: *Induite vos, sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam;... super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.*

Neque etiam laudari potuit ab EE. PP. huius S. C. ea severitas prohibendi coniugibus ne quibusdam festis diebus ac ieiunio dicatis debitum coniugale deposcant. Quoad hoc quum Ecclesia nihil coniugibus praecipiat, ancipitisque iudicii sit certas in hanc rem leges praescribere, satius est ut missionarii quoque nihil districte iubentes, coniuges dumtaxat inducant, secundum indulgentiam, et non secundum imperium, ad sequendum illud Apostoli monitum: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram* (1 Corinth. vii, 5); quodque etiam coniugibus inculcare debent sacerdotes in Missa benedictionis nuptiarum, iuxta Rubricam Missalis Romani: *Moneat eos sacerdos ut orationis tempore, et praesertim ieiuniorum ac solemnitatum, casti maneant.* Verumtamen, si qui huiusmodi monitis non obtemperaverint, haud legis seu praecepti alicuius violatores censendi sunt, neque de commisso crimine culpandi, sed potius hortandi ut continentiae bonum precibus a Deo impetrent, illudque Augustini effatum saepius ex corde repetant: *Da, Domine, quod iubes: iube quod vis.*

De moderatione in precibus a toto fidelium coetu recitandis.

De multis longisque precibus a missionariis pariter isthic invectis, secundum ea quae a te proposita sunt, nihil iubet, nihil vetat haec S. C. Non enim ambigit quin unusquisque vestrum probe teneat Apostoli Pauli sententiam, *unumquemque* videlicet *proprium bonum habere ex Deo, et alius quidem sic, alius vero sic.* Id unum monet, in precibus praesertim quae a toto fidelium coetu in ecclesia persolvuntur, eam adhibendam esse moderationem, ut ne nimis longae onerent precantium mentes, nec nimis breves vacuae sint spiritu et devotione; in omnibus sectamini charitatem. Eam tamen consuetudinem interponendi inter primam et secundam partem Salutationis Angelicae illa verba: *Benedictus Iesus Salvator mundi: rogo Deum ut nobis det Iesum cognoscere, in Iesum credere, in Iesum sperare, amare Iesum, Iesum imitari,* abrogandam omnino a te esse, atque ex mandato huius S. C. prohibendam. Nihil quidem in ea precatione continetur quod non sit sanctum et pium: sed Salutationem Angelicam quae tantam in Ecclesia obtinet auctoritatem disiungi, atque inter eius primam ac secundam partem intermisceri aliam precandi formulam quae ab Ecclesia recepta non est, haud tolerandum esse ducit S. Congregatio. Recitent quidem pro lubitu suo fideles piam illam precem, sed nihil immutent Ecclesiae morem recitandi integram Salutationem Angelicam, nec quidquam novi ibidem ex arbitrio interserant.

570

Circa quemdam contractum mutui.

S. C. S. Officii *9 Dec 1784* — Fokien. — Praxis est valde usitata in hoc Imperio, quod mutuantes, ad securitatem mutui et usurarum, obligant mutuatarios ad assignandam et determinandam aliquam possessionem, fundum, aut agrum cum pacto quod non solvendo usuras, quando perveniant simul cum capitali mutuato ad iustum agri aut fundi pretium, celebretur contractus emptionis venditionis (vel ipsimet mutuum petentes ad illud facilius consequendum aliquam possessionem determinant cum supradicto pacto), et de facto, verificata non solutione usurarum, quae cum capitali mutuato adaequent iustum possessionis pretium, formant scripturam emptionis venditionis, computando capitale mutuo datum, usuris non solutis, pro iusto agri aut fundi pretio, et hoc modo usurarius capit possessionem agri aut fundi.

Contractus iste in hoc Imperio non videtur reprobatus, siquidem mandarini in suis tribunalibus, mota lite circa solutionem lucri ex mutuo, decidunt solvendas esse usuras non excedentes capitale; et si excedunt, determinant nil amplius solvendum quam capitale duplicatum. Unde videtur quod si capitale duplicatum adaequat iustum pretium agri vel fundi, reputabitur talis contractus a mandarinis validus et licitus; et ab omnibus sinensibus ita reputatur: unde manent in pacifica possessione omnes qui tali modo acquisiverunt aliquem fundum aut agrum, quin aliquis audeat movere litem contra possessores per contractum modo praefato celebratum.

Certum est quod est error et ignorantia iuris naturalis reputare licitum talem contractum, sed dubitari potest an sit validus, ita ut per talem contractum acquiratur dominium rei traditae, nec ne. Ex una parte videtur quod non, quia in usura soluta dominium non transfertur, si id, quod per usuram extortum est, sit res, cuius usus non est consumptio, ut tenet D. Thomas. Sed ex alia parte cum in casu praesenti totus ager vel fundus non sit acquisitus ex usura, si quidem non totum pretium est usura, intrat enim in pretium etiam capitale mutuatum, quod forte erit maior pars pretii; videtur quod, quamvis talis emptio et venditio sit iniusta, erit tamen valida, dummodo eius iniustitia non sit infra dimidium iusti pretii.

Unde interrogo, an propter istam rationem et propter leges huius Imperii, in quo mandarini approbant talem contractum, talis emptio venditio sit valida, ita ut usurarius acquirat dominium talis fundi aut agri; et ita ut quamvis teneatur restituere usuras, non tamen fructus ex agro aut fundo perceptos, quasi perceptos ex suo fundo, supra quem habet dominium. – Ex resolutione huius dubii dependet decisio alterius dubii, nempe: An si aliquis postea a tali usurario emat, iustum pretium solvendo, talem agrum aut fundum, iste emptor acquirat legitimum dominium. Si enim primus contractus emptionis venditionis, ut dixi, a mandarinis reputatur validus, quanto magis iste secundus reputabitur validus? Si enim isti secundi emptores non acquirunt dominium, multi manebunt illaqueati sine ulla defensione suae indemnitatis, quia nullus eis restat recursus ad recuperandum pretium solutum. Si enim recurrunt ad officium iudicis, in vanum erit, litem enim perdent in iudicio mandarinorum. Quid ergo dicendum de istis secundis emptoribus? An molestari debeant pro usuris et fructibus restituendis de agro et fundo iusto pretio empto? Unde quaeritur:

1. Quomodo se gerere debeat missionarius, si aliquis infidelis habens agros aut fundos praefato modo per usuras acquisitos, petat Baptismum; aut aliquis fidelis petat Confessionem: an debeat eos obligare non solum ad restitutionem usurarum, sed etiam fructuum perceptorum, ut possint admitti ad Baptismum, vel Confessionem?

2. Quomodo se gerere debeat missionarius cum infidelibus petentibus Baptismum, aut fidelibus petentibus Confessionem, qui emerunt agros aut fundos praefato modo ab usurariis acquisitos: an molestandi sint super illis bonis venditis ab usurariis, ut ea restituant cum fructibus perceptis, et obligandi sint ad restitutionem faciendam sub negatione Baptismi vel Confessionis?

R. Respondendum iuxta Instructionem a Suamet Sanctitate exarandam, cuius hic tenor est:

Quoad 1 dubium. Contractum mutui cum conventione usurarum, ac assignatione fundi pro assecuratione sortis et fenoris, adiecto pacto quod, non solutis usuris, si earum summa iuncta summae mutuatae attigerit iustum fundi valorem, mutuatarius teneatur eum vendere mutuanti: secundum ea quae proponuntur, et quatenus nullus intervenerit legitimus titulus exigendi aliquid ultra sortem, esse usurarium et illicitum, ac proinde, quoties fundi venditio traditioque secuta non fuerit, mutuantem petere tantum posse restitutionem sortis, imputatis in eam usuris exactis. Quoties vero fundi venditio traditioque secuta fuerit, si fundus apud eum maneat, teneri mutuantem restituere fundum ipsum et fructus omnes ex eo perceptos, quamvis consumptos, salvis tantummodo expensis et lucris industrialibus, et salva retentione seu repetitione summae mutuatae. Si fundus ab eo distractus fuerit, nec commode recuperari possit, teneri loco fundi restituere pretium, et in utroque casu restitutionem faciendam esse personis quibus de iure compe-

tit; his autem non extantibus, Ecclesiae, ut res et pecunias restitutas in pios usus convertat: declarando, quod si mutuans contractum huiusmodi inierit tempore quo in tenebris infidelitatis caecutiebat, non extantibus personis quibus de iure facienda est restitutio, relinquatur penes eum tanquam in pium usum quidquid restituere deberet, prout in favorem suscepti Baptismatis sancivit Paulus III in sua Constitutione *Cupientes* edita die 21 Martii 1542, et confirmata a s. m. Clemente XI in sua Constitutione *Propagandae* edita die 21 Martii an. 1704.

Quoad 2 dubium. Secundos emptores, quoties bona fide et iusto emptionis titulo fundum a mutuante acquisierint, vel illum tanto tempore possederint quantum a legibus requiritur ad praescriptionem inducendam, non teneri ad restitutionem fundi et fructuum, quamvis, post legitime completam praescriptionem, cognoscant fundum a mutuante vendi nequivisse: cum satis sit, *ut qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienae,* ut ait Lucius III. in capite *Quoniam, 20, De praescriptionibus.* Quoties vero emerint mala fide, vel, currente praescriptionis tempore, noverint fundum a mutuante non potuisse vendi, teneri restituere a die malae fidei fundum et fructus quamvis consumptos, salvis expensis et lucris mere industrialibus, ita tamen ut, si fundum acquisiverint ante susceptum Baptismum, et ignotae sint personae quibus facienda sit restitutio, res restituendae penes eos, tanquam in usum pium, relinquantur, ad formam praedictarum Constitutionum Apostolicarum.

Iuxta praemissa, ea qua decet sedulitate et prudentia sese gerere debent missionarii in Imperio Sinarum commorantes, ita ut, quatenus mutuans et possessores malae fidei, admoniti de eorum respectiva obligatione, iniuste renuant eam adimplere cum possint, admitti ab eis nequeant, si infideles sint, ad Baptismum: si fideles, ad alia Sacramenta.

571

De celebratione matrimonii absque parochi adsistentia, attenta quadam civili lege.

Instr. S. C. de Prop. Fide. *1785.* – Ex relatione Praefecti Missionum Insulae Curaçao expositum fuit S. Congregationi de Propaganda Fide, in eadem insula legem adesse, (quae lex aliquoties obsoleta, sed in praesenti tempore renovata fuit) vetantem catholicis, ne contrahant matrimonium coram proprio parocho, nisi prius contraxerint coram magistratu acatholico, vel ministro protestante, sub poena quingentorum florenorum a parocho catholico solvendorum. Ut autem contrahant coram magistratu acatholico, vel ministro protestante, solvendi sunt ab ipsis contrahentibus quinquaginta floreni, ita ut si illi vere pauperes sint, et non habeant huiusmodi summam, contrahere matrimonium nullo modo possint: siquidem nec parochus catholicus illorum nuptiis assistere potest, ne inflicta quingentorum florenorum mulcta puniatur. Quaerebatur ergo, quomodo parochus gerere se deberet in huiusmodi circumstantiis, cum et indicata lex vigeat, et duo catholici matrimonium inter se contrahere velint, et modum solvendi quinquaginta florenos non habeant.

Circa quod S. Congregatio Instructionem Praefecto Missionum Insulae Curaçao mittendam esse censuit, quae talis est, videlicet: Nihil obstare quin catholici antequam matrimonium contrahant iuxta ritum S. Romanae Ecclesiae, se sistant coram magistratu acatholico, actum quemdam civilem coram ipso exhibituri, dummodo nullus sacer ritus, preces, aut benedictio interveniant. Attamen qui huiusmodi civilem actum magistratui praestiterunt, nec coniuges reputandos esse, nec simul cohabitare posse, nisi verum ac legitimum matrimonium coram parocho catholico iuxta formam a Concilio Tridentino praescriptam contraxerint.

Cum vero inopes et miserabiles personae, si cogantur magistratum aut ministrum protestantem adire, nequeant persolvere 50. florenos iuxta renovatam legem, tum parochus catholicus, constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum, ac illorum inopiam veram esse, permittat ut, absque etiam sua adsistentia, matrimonium ineant, sed tamen praesentibus tribus aut saltem duobus testibus integrae fidei; ac ita celebrato matrimonio, teneantur coniuges citius quam fieri potest, illud parocho significare, qui in codice matrimoniorum illud, saltem secreto, adnotet, cum indicatione diei, ac nominibus testium qui praesentes fuerunt. Ita se gerat Praefectus Missionis in casu necessitatis, et magnae contrahentium inopiae. Videat tamen, ne sub paupertatis praetextu fraus aliqua fiat contra Tridentini Concilii decretum sess. 24. cap. 1. *de ref. matrim.* quod isthic publicatum fuisse ipse etiam fatetur. Videat etiam, si saepius contingat celebrari huiusmodi secreta pauperum matrimonia, inscio atque inconsulto magistratu civili, aut ministro protestante, ipsoque etiam parocho catholico absente, ne catholica religio quidquam detrimenti capiat. Valde enim timendum est, Insulae gubernatorem, aliosque magistratus acatholicos, siquidem, quod facile contingere potest, huiusmodi matrimonia clam celebrata, in fraudem suae legis detexerint, novas easque graviores mulctas catholicis indicturos, et omnem fortasse catholicae religionis publicum cultum, ac professionem prohibituros. Super his duobus capitibus rem bene perpendat Praefectus Missionis, et suam sententiam, uberioremque informationem S. Congregationi transmittat.

572

Circa modum confessiones mulierum excipiendi.

S. C. de Prop. Fide *17 Martii 1785* (C. P. PRO SIN.) — CHAN-SI — Se il decreto della grata per le donne s'intenda solo doversi osservare negli oratorî stabili delle cristianità; e se quando il missionario è obbligato a confessar donne nelle case particolari, per mancanza di oratorio stabile, basti che queste con un velo si coprano tutto il volto.

R. Affirmative ad primam et secundam partem, si aliter fieri nequeat.

573

Verum matrimonium haud ulla caeremonia, sed consensus *de praesenti* constituit.

S. C. de Prop. F. *5 Aprilis 1785* (C. P. PRO SIN.) — TUNK. OCCID. — Secluso inter sponsum et sponsam omni contractu de praesenti, necdum impertita nuptiali benedictione, quaeritur:

1. Ex tribus supra relatis caeremoniis (nempe, protestatione coram pago, nuptiarum celebratione, et traductione nurus), quanam completa caeremonia inter christianos censeri debeat constitutum matrimonium. Utrum requirantur omnes, an ex iis quaelibet sufficiat. Et quatenus affirmative pro alterutra quaestione, quaeritur:

2. Quid, si voluntatem habeant sponsus et sponsa, adimpletis hisce omnibus caeremoniis, accedendi ad Sacramenta, nuptialemque benedictionem petendi, antequam simul cohabitent? Et quatenus, habita ratione ad illam utriusque sponsi et sponsae voluntatem, iudicetur, praeviis etsi tribus supradictis caeremoniis, inter eos nondum contractum censeri matrimonium:

3. Quid, si, rebus superstitiosis implicato sponso, sola ad Sacramentum reconciliationis accedere intendit puella, antequam ad sponsi domum traducatur, vel una cum ipso cohabitare acquiescat?

4. Quid, si implicatus uterque superstitionibus, id unum sibi proponant animo, ad sacerdotem accedere, ut simul habitandi licentiam postulent? Talis est enim consuetudo cleri saecularis christianorum, ut, iam desponsatae puellae, perpaucis exceptis, antequam ad cohabitationem eant, si benedictione nuptiali uniri non possunt, saltem Poenitentiae Sacramento et Sacra Communione refici curent, antequam sponsi domum ingrediantur: verum apud extinctae Societatis (Iesu) christianos nondum invaluit ille usus. Et quatenus, attentis sponsi et sponsae his dispositionibus coram sacerdote se sistendi, decernatur ratum nondum esse eorum matrimonium, quamvis impletae iam sint omnes Regni caeremoniae:

5. Quid, si indifferentes omnino se teneant quando iuxta morem patrium peraguntur omnes caeremoniae, absque ulla positiva consensus exhibitione ad matrimonium, nec sine aliqua aut tacita aut expressa intentione adeundi sacerdotem priusquam introducatur nurus ad sponsum, sed unum intendentes obsequium praestare parentibus, quos timent valde?

R. Matrimonium christianorum in iis locis in quibus promulgatum non est Decretum Concilii Tridentini, capite 1, sess. 24 *De reformatione matrim.* quod in Sinis exploratum est minime promulgatum fuisse, per legitimum viri et mulieris consensum perficitur; consistit enim in contractu legitimo, qui sine consensu duorum fieri omnino nequit. Consensus autem necesse est ut sit de praesenti, et non de futuro; ut sit internus, mutuus, per verba aut alia signa sensibilia expressus, plene deliberatus, liber, et a metu gravi iniusto immunis. Solemnitates autem, aliique sacri nuptiarum ritus, scilicet: Missa, benedictio sacerdotalis, preces, et sponsi ac sponsae Communio Eucharistica, in christianorum matrimoniis adhibere optimum sane est, ac laudabile institutum; attamen, si ritus isti praetermittantur, nihil matrimonii validitati detrahitur; imo, in dissitis istis regionibus, in quibus sacerdotum copia facile haberi nequit, si ineundi matrimonii necessitas urgeat, haud damnandi sunt christiani, si duobus aut tribus adhibitis testibus, nulloque obstante canonico impedimento, invicem inter se coniungantur, eorumque sic initum matrimonium validum esse nemo inficias ibit. Cum vero sacerdotis adeundi occasio sese sponsis obtulerit, tunc benedictionem ab ipso petere possunt, non ad Sacramenti firmitatem, sed ad eius uberiorem gratiam consequendam. Itaque, cum de matrimonii alicuius valore apud missionarios quaestio excitatur, postquam exploratum habuerint nullum inter coniuges intercessisse dirimens impedimentum, tota investigatio redigenda est ad consensum, ac diligenter inquirendum an vir et mulier, vel quispiam alius, de expresso eorum mandato, illum praestiterit verbis, aut aliis quibuscumque signis, quae utrumque coniugem ex animo consensisse aperte ostendant. Videndum praeterea an consensus fuerit liber, an a metu iniusto immunis, an denique deliberatus. Haec si missionarii accurate perpendant, facile se ab omni dubio ac anxietate liberabunt.

Itaque ad 1 dubium respondetur: Nullam ex praedictis caeremoniis, constituere apud christianos Sacramentum Matrimonii; quaenam vero ex illis tanti facienda sit, ut certum inducat argumentum consensus utriusque coniugis ad matrimonium praestiti, pendere ex singulorum casuum circumstantiis, quae a prudenti missionario inquiri ac ponderari diligenter debent.

Ad 2. Voluntas sponsi et sponsae accedendi ad Sacramenta, nuptialemque benedictionem a sacerdote petendi, si ab utroque, aut verbis,

aut signis, ita exterius pandita fuerit ut internum consensum in praesens, et non in futurum matrimonium praestitisse certo videatur, sat erit ut eorum matrimonium validum reputari possit, quin officiat quod sinenses caeremoniae vel adhibitae non fuerint, vel matrimonium praecesserint, aut subsecutae fuerint, sive etiam quod nuptialis christiana benedictio praetermissa sit. Neque enim illae quidquam conferunt, neque ista necessaria est ad matrimonii validitatem uti dictum est.

Ad 3. Admitti posse ad Sacramentum reconciliationis si puella sit rite disposita, et matrimonium ab ea contractum validum iuxta praemissa censeri possit.

Ad 4. Si ad sacerdotem accedunt postquam valide matrimonium per mutuum consensum contraxerunt, posse quidem admitti ad Sacramenta, si tamen isti animo sint dispositi, ut digni existimentur fieri participes mysteriorum Dei. Quod si uterque tam vir quam uxor, ut supponitur in dubio, superstitionibus implicantur, nec ab iis abstinere volunt, a Sacramentis sunt repellendi.

Ad 5. Si agatur de matrimonio contrahendo, debere missionarium ab utroque coniuge exquirere consensum verbis expressum, aut saltem aliis signis exterioribus declaratum quae interni consensus praebeant indicium; si vero de contracto et consummato, non esse de consensu ambigendum, quem vel ab initio praestitum fuisse, vel renovatum ob copulam affectu maritali cum viro secutam iure optimo coniecturari licet, nisi certis argumentis contrarium demonstrari possit; si denique matrimonium ratum dumtaxat fuerit et non consummatum, et circa consensum controversia excitetur, debere missionarium singulorum casuum circumstantias diligenter expendere iuxta regulas superius traditas, et iuxta doctrinam probatorum auctorum quos consulat in casibus dubiis.

574

De praescriptione non admittenda in possessione titulo vitioso acquisita.

S. C. de Prop. Fide *5 April. 1785* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN — Ex quo responsiones de contractu pignorationis, qui viget in hac provincia, ab ista Sacra Congregat. transmissae die 8 Septembris 1779 *(V. n. 531)* huc pervenerunt, neminem ex christianis, qui hunc contractum inierunt, et nullum aliunde habuerunt titulum fructus percipiendi, a restitutione eximo (ego missionarius), sive tempore gentilitatis, sive post conversionem; sive bona, sive mala fide initus fuerit contractus: hanc praxim sequutus sum auctoritate fretus R. D. Episcopi, et omnium huius provinciae missionariorum, quam quidem praxim quoad christianos, qui mala fide contraxerunt, libenter: quoad illos autem, qui bona fide, nonnisi invite sequor, eo quod mihi magnum insit dubium, cuius solutionem nec in consultationibus, nec in libris, qui hanc tractant materiam reperire potui; et christiani, qui bona fide contraxerunt, plurimi sint, antea persuasum habentes, fructus ex pignoratione perceptos esse suos, et a se licite retineri, et quidem prudenter, cum huiusmodi contractus antea a Vicariis et missionariis App. fuerit permissus; insuper ubi data fuit responsio hunc reprobans contractum, statim, quantum in se fuit, resciderunt, et alium inierunt: itaque isti S. Congregationi dubium meum propono, ut solvere dignetur, scilicet:

In hoc Imperio nulla est lex civilis, quam sciamus, quae vel praescriptionem statuat, vel eamdem prohibeat, nec quidem nomen praescriptionis unquam audivimus. Posito autem silentio legis, possumusne cogere christianos ad restitutionem fructuum ex pignoratione bona fide perceptorum? Nonne potius praesumi debet legislatorem post detectam huius contractus iniustitiam, obligationem restituendi tollere, praesertim cum innumeri sint, et fuerint pignoratarii? At vero ius canonicum, quod praecipue bonum animae spectat, approbat indistincte praescriptiones bonae fidei, et quidem determinat numerum annorum, quibus bona, sive mobilia sive immobilia, praescribuntur; itaque:

Cum fructus ex pignoratione percepti referantur ad bona mobilia, quaero an christiani possint, silente lege civili, sequi ius canonicum, et in foro conscientiae retinere fructus ex pignoratione ultra triennium bona fide perceptos, donec per sententiam iudicis ad restitutionem obligentur.

R. Emi Dñi nihil ultra addi posse existimarunt, pro uberiori declaratione, ad ea, quae iam in Istructione anni 1779 ad secundum dubium tradita sunt. Atque propterea missionarios adhaerere debere principiis, et doctrinae in eadem Instructione prolixe explicatae. Itaque ea etiam dubia, quae modo proponuntur circa praescriptionem, iisdem regulis definienda sunt, quae in eadem Instructione de reliquis causis, quae pariter tunc afferebantur ut omnis restituendorum fructuum tolleretur obligatio, amplissime sunt pertractatae. Nam etsi praescriptio in iure canonico admittatur pro tuenda alicuius possessione, attamen si titulus acquisitionis est vitiosus (quemadmodum certe est contractus usurae labe conspersus), vel si possessor durante tempore praescriptionis in mala fide versatus fuerit, nullo modo liberari poterit, quin sortem et fructus dimittat. Singuli igitur casus, ac uniuscuiusque contractus circumstantiae ac conditiones expendendae sunt, ut aliquid certo definiri possit, nec pro omnibus generalis quaedam regula in tanta regionum distantia, ac morum et legum ignoratione tradi potest. Quare missionarii consulant probatae doctrinae auctores; nihil in casibus dubiis arbitratu suo defi-

niant, sed ad Vicarium Apostolicum deferant, ut iunctis caeterorum consiliis, et Dei lumine impetrato, statuant id quod fidei ac moralis christianae regulis magis consonum iudicaverint.

575

An liceat paganis coemeteria vendere, superstitioso modo ab iis inspecta.

S. C. de Prop. Fide *5 Aprilis 1785* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — Coemeteria ad sepeliendos mortuos nullum hic habent pretium commune, sed variatur pro situ eorumdem coemeteriorum, et iudicio magistri superstitionum, quem accersunt pagani ad inspiciendum, modo suo superstitioso, coemeterium emendum. Si magister iudicet situm esse boni ominis, et multa prospera familiae, quae vult emere, ex ipso coemeterio esse evenienda, pagani tunc maximo pretio emunt illud, adhibitis mediatoribus, qui quidem pretium determinant, quod aliquando est decies maius quam pretium commune reliquorum territoriorum, et contractu scriptis facto. Quaero igitur: 1. An christiani possint licite coemeteria modo praedicto superstitiose inspecta paganis vendere.

2. An licite possint illa vendere pretio maiori quam reliqua territoria.

R. Ad 1. Affirmative, dummodo christiani nullo modo conveniant cum magistro superstitionum ad inspiciendum locum pro coemeterio vendendum, ne superstitionis ritibus cooperentur. — Ad 2. Negative.

576

Illicitam praeparationem carnium idolis offerendarum non excusat agentis intentio.

S. C. de Prop. Fide *5 Apr. 1785* (C. P. pro Sin.) — Tunkin. Occid. — 1. Utrum in proposito casu quo decretum est *(V. n. 476)* non licere christianis mulieribus ad vitandam iram superstitiosi et iracundi mariti praeparare carnes quas sciunt idolis progenitorumque spiritibus offerendas, etiam prohibere intendat S. Sedes earum carnium emptionem et coctionem, proinde aliud remotum magis circa illas ministerium; ita ut vox illa *praeparare* secum inferat moralem significationem verborum *emere* et *coquere, orizam ventilare* etc.; et quatenus affirmative, id est, si in praedicta hypothesi non liceat coquere cibos nec emere, nec etiam ventilare orizam:

2. Utrum saltem christianis mulieribus liceat emere et coquere carnes, quas sciunt idolis progenitorumque spiritibus offerendas, ea intentione ministrandi maritis, ut ministrare consueverunt in omnibus et singulis conviviis; et quatenus negative:

3. Utrum id liceat ea intentione parandi familiae cibos et convivium amicis, qui de more in solemnioribus diebus invitantur ad epulas, quibusque, si in certis diebus non pararentur, maxima esset iis, qui parere debent, confusio et opprobium durissimum. Et si negative:

4. Utrum id liceat ea intentione debitum solvendi vicinis et pagi primariis, quod si non solveretur, id, praeter opprobrium, exigerent a marito cum usura, tum quia Regni consuetudo et lex est ut quisque certis anni temporibus, iuxta ordinem, toti pago mensas paret, ac praesertim cum mortuis suis ultimos honores reddunt, tum quia ille maritus aliorum mensis pluries accubuit, et eorum bonis plerumque per multos annos absque sui dispendio saturatus est; nunc et aliis debet ipse vicem, vel, ut aiunt, buccellam reddere.

5. Utrum id liceat cum pars illarum carnium aut ciborum non offerenda, ad commune familiae et particulare quorumdam amicorum convivium domi destinatur. Et iterum, si negative, si nempe singulatim positis his totidem intentionibus, non detur mulieribus praeparare nec coquere, nec emere carnes quas sciunt offerendas:

6. Utrum, positis his congregatim omnibus intentionibus, illas carnes, sin minus praeparare, saltem emere et coquere licet. Et quatenus tunc affirmative:

7. Tandem quid si omnibus his rectis intentionibus accederet, aut has praecederet illa alia minus recte intentio vitandi nempe (iram) superstitiosi et iracundi mariti? Carnes enim cum emunt mulieres, coquunt et praeparant, quandoque hae omnes simul concurrunt intentiones.

R. Septem dubiis propositis circa cooperationem ad superstitiosa Emi PP. sic generaliter respondendum esse decreverunt, videlicet: Omnem directam christianorum cooperationem ad superstitiosa vetitam esse, eosque praeterea actus prohibitos, qui iuxta communem gentis existimationem ad cultum idolis exhibendum referuntur. Neque eiusmodi actus excusari posse propter agentis aut ministrantis intentionem, eo quod non ad superstitiosum idolorum cultum, sed ad aliud indifferens ministerium animum intendant: privata enim agentis intentio haud valet a culpa abstergere actum, qui apud infideles, tamquam ad cultum superstitiosum directus existimatur. Ita quoque non satis idoneam excusationem praestare potest quod christiani levi dumtaxat opera ac remoto ministerio ad superstitiosa concurrant. Qualiscumque enim opera sit, quae directe pro superstitiosis impenditur, et quodcumque quamvis remotum ministerium, quod pro cultu idolis exhibendo praestatur, si ad causam indifferentem referri in communi existimatione nequeat, semper illicitum atque vitiosum est. – Istis principiis innixus missionarius facile propositas quaestiones diluere poterit: ac praesertim si accurate perpendat decreta S. Congregationis, primum die 15 Dec. 1769 *(V. n. 476)*, alterum nuperrimum die 13 Ianuarii 1783 *(V. n. 559)*. Si quis autem adhuc haereat scrupulus, negotium conferat

cum suo Episcopo Vicario Ap., atque collatis consiliis cum aliis missionariis, proponat dubia non in abstracto, sed cum suis facti circumstantiis.

577

De quodam tributo paganis solvendo.

S. C. de Prop. Fide *5 Apr. 1785* (C. P. PRO SIN.) — TUNKIN. OCCIDENTAL. — In hac Missione consuetudo est ut qui in sylvis aliorum caedunt ligna, qui piscantur in mari alieni districtus, qui in agris non suis pascunt boves et bubalos, qui incolae sunt in terra aliena, et qui ex aliorum pago uxorem ducunt ad suum, hi omnes plerumque quasi tributum solvere teneantur pago illi a quo aliquam percipiunt utilitatem, fructum aut bonum. Consistit autem tributum illud in modica pecuniae summa, aut in lagena vini, quae, ut plurimum, semel in anno toti pago praesentatur in communi domo, cum ludis assistunt et cantionibus quae fiunt in honorem genii titularis. Et datur illa pecunia in praemium mimis et cantoribus, et quod superest inter se dividunt pagi maiores. Vinum vero, antequam bibant, prope altariolum deponunt genio consecratum; etsi (autem) de eo non sumatur ad sacrificium, nec in scyphis offeratur, quia aliud offerendum habent, saltem de odore sacrificii participare videntur. Quaeritur utrum christianis liceat tales pecuniae aut vini contributiones exhibere, saltem praevia protestatione se tributum solvere pago pro uxore ducta, pro loci habitatione, pro ligna caedendi etc. concessa sibi facultate, praesertim si aliunde uxores ducere nonnisi difficillime, aut si locum aut artem lignarii, piscatoris etc. non nisi cum maxima iactura, imo cum certo sui ipsius et totius familiae paupertatis et famis sustinendae periculo deserere non potuerint.

R. Secundum ea quae proponuntur, licere, praemissa protestatione, et dummodo christiani non assistant ludis, cantionibus, aliisque superstitiosis ritibus qui fiunt in honorem genii titularis, et transmittatur exemplum resolutionis anni 1645 *(V. pag. 32)*.

578

De missionariorum spoliis.

Decr. S. C. de Prop. Fide *22 Augusti 1785*. — Cum relatum fuerit a P. Fideli Rocchi Praefecto Missionis Ordinis Minorum Conventualium in Moldavia, nonnullas in ea Missione excitatas fuisse controversias circa spolia missionariorum, qui ibidem decedunt, S. Congregatio, referente R. P. D. Stephano Borgia Secretario, inhaerens decretis alias latis statuit ac decrevit: Annua S. Congregationis subsidia, quae a defunctis missionariis vel non percepta, vel relicta fuerint; nec non spolia rerum omnium tempore missionis acquisitarum a praedictis missionariis, post eorum obitum ad S. C. spectare, atque in utilitatem praefatae Missionis esse eroganda, reddita tamen Sacrae Congregationi in singulis casibus a P. Praefecto pro tempore accurata relatione de quantitate et usu praedictarum pensionum atque spoliorum.

579

Circa celebrationem matrimoniorum mixtorum.

Instr. S. C. de Prop. Fide *6 Septembris 1785* (AD VIC. AP. SVECIAE) — Si è preso in seria considerazione da questa S. C. tutto ciò che V. S. ha esposto in varie sue lettere per ottenere la permissione di assistere alla celebrazione di matrimonii misti, e di dare ai medesimi la benedizione nuziale. Ma tutte le ragioni da Lei esposte non hanno potuto persuadere la medesima Congregazione, e la Santità di N. S. a cui di tutto si è fatta relazione, a concederle quanto Ella dimandava.

La somma dei motivi da Lei esposti, riducesi alla speranza di poter colla sua ingerenza e autorità sopra tali matrimonii, procurare la educazione cattolica di tutta la prole, e di ritenere il coniuge cattolico nell' osservanza dei patti, che avesse fatti innanzi il matrimnnio per la suddetta educazione. Ma è sembrato alla S. Congregazione che a questa parte del suo pastorale officio Ella potesse soddisfare, senza assistere e benedire queste nozze. Conciossiacchè già a Lei incombe per proprio debito, e per ubbidire alla regia dichiarazione, di dissuadere ed impedire, per tutti quei mezzi che può, tutti i matrimonii promiscui. Ma se anche il coniuge cattolico non si arrendesse alle sue persuasioni, ed ostinato fosse in voler contrarre l' illecito matrimonio, non si vede come Le venga impedito di esortarlo almeno, e confortarlo a fare i patti antenuziali, per educarne cattolicamente tutta la prole. È bensì vero che essendo cotesti cattolici sì languidi nella pietà, e deboli nella fede, e curando sì poco l'educazione della lor prole, che taluni giungono persino a lasciar vivere i proprî figli nella professione del luteranismo, di poca utilità possiam lusingarci, che sieno per essere le sue esortazioni, e i suoi consigli. Dall'altra parte nulla di più profitterebbe Ella, se assistesse, e se impartisse la benedizione alle loro sacrileghe nozze, giacchè essendo precedute quelle convenzioni, che non fossero intieramente conformi alla santità della cattolica religione, non vi sarebbe più luogo allora di ritrattarle, senza timore di tumulto e di scompiglio. Ma nulla poi di più indecente ed irregolare sarebbe, quanto di assistere, e di benedire quei matrimonii, ne' quali si fosse convenuto, che la prole o di ambedue i sessi, o di uno almeno educata fosse in una falsa religione. Se questa indecenza ed irregolarità provenisse soltanto da una legge ecclesiastica, potrebbe pure tempe-

rarsi con qualche dispensa di quella suprema autorità di cui è fornito il Romano Pontefice; ma nei matrimonii promiscui, che si fanno in Svezia, vi si incontra l'ostacolo del diritto divino. Imperocchè quando in un matrimonio, che si contrae tra un cattolico e un eretico, vi è il pericolo della perversione del coniuge cattolico, non è assicurata con espressi e giurati patti l'educazione cattolica di tutta la prole, e niuna fondata speranza si può avere della conversione del coniuge eretico, allora il matrimonio non può rendersi lecito per qualunque dispensa, ed è vietato dallo stesso gius naturale e divino, il quale non permette mai al cristiano di esporsi al prossimo pericolo di perdere la vera religione, e di generare de' figli, per educarli un giorno fuori del grembo della Chiesa cattolica. Quindi è pertanto che l'assistenza, e la benedizione a questa sorta di matrimonii non può mai esser lecita, nè tollerata, perchè sarebbe un atto approvativo di un' azione peccaminosa.

Ora è sembrato alla S. Congregazione che la massima parte dei matrimonii di Svezia sieno di questo genere. Imperciocchè quando il padre sarà luterano, allora per le leggi del Regno non vi è speranza alcuna di far educare la prole di qualunque sesso nella religione cattolica. Quando poi sia egli cattolico, e luterana la madre, oppure di qualunque altra religione, allora viene certamente permesso di convenire avanti le nozze, in qual religione debbansi educare i figliuoli. Ma se questa convenzione non comprendesse la prole d'ambedue i sessi, sarebbe sempre il matrimonio illecito, ed illecita pure l'assistenza, che vi prestasse il sacerdote cattolico. A tutto ciò s'aggiunge, che il favor del sovrano per la religione dominante, l'impegno de' ministri luterani per impedire ogni progresso della religione cattolica, e la sopraccennata languidezza dei cattolici nella fede, fanno giustamente temere, che i patti favorevoli all' educazione cattolica della prole non saranno osservati, e che in simili matrimonii vi sarà sempre un prossimo ed evidente pericolo della perversione del coniuge cattolico, senza speranza della conversione dell' eretico.

A riflesso dunque di queste circostanze non è possibile che un sacerdote cattolico concorra nè tampoco colla sua presenza ad approvare nozze sì empie e sacrileghe, dalle quali tanto pregiudizio deriva alla cattolica religione.

Ma quando pur mai avvenisse il caso, in cui potesse il Vicario Apostolico assicurarsi con morale certezza, che in uno di questi tali matrimonii fosse escluso il pericolo della perversione del coniuge cattolico, e si fosse coi precedenti patti assicurata l'educazione cattolica di tutta la prole, potrebbe pur allora tollerarsi, che egli vi assistesse, ma non giammai che benedicesse queste nozze, e recitasse sopra dei coniugi le sacre nuziali preghiere. L'assistenza dovrebbe esser nuda, semplice, e materiale, imperciocchè sebbene fosse allora il matrimonio contrario alla sola legge ecclesiastica, e non alla divina, contuttociò indecente egli è che il sacerdote benedica queste illecite nozze, e mandi voti al cielo per la santificazione di un matrimonio odioso a Dio, detestato dalla Chiesa e cagione di gravissimo peccato ai coniugi. Queste sono le regole, dalle quali la Sede Apostolica non si è mai allontanata; anzi pur anche quando ha ella data la dispensa acciocchè tali matrimonii promiscui si celebrassero, quantunque in tal caso per parte del cattolico divenisse lecito il matrimonio, ha però sempre vietato, che si facesse in chiesa, che si desse la benedizione, e che si celebrasse la Messa, come può vedersi nell'opera *de Synodo* di Benedetto XIV Lib. 6 Cap. 6 § 4, 5.

Che se dunque per avventura accadesse, che alcuna volta si credesse V. S. in necessità di assistere a taluno di questi matrimonii da contrarsi con le accennate condizioni, si astenga onninamente da ogni rito sacro, e sopratutto non ammetta mai, che alla celebrazione di questo matrimonio vi assista insiem con Lei il ministro luterano, e che questi venga nella chiesa cattolica, o Ella si porti nell' eretica, come sembra che venga disposto dalla regia dichiarazione del 1781 nel § *Minoris*.

Non è da temersi che mancando tali matrimonii di ogni assistenza del parroco cattolico, possano essere invalidi. L' impedimento di clandestinità non è stato introdotto, se non dal S. Concilio di Trento in quei luoghi soltanto, ed in quelle parrocchie, ov'è stato pubblicato il suo decreto della *Sessione 24 Cap. de reform. Matr.* Ora è certissimo, che in Svezia ove seguì il fatal cambiamento di religione nel 1523, non potea esser pubblicato il decreto suddetto, che fu sì posteriore a detta epoca, e nè tampoco si potè pubblicare di poi, perchè non è stato mai più libero l' esercizio della religione cattolica in quel Regno; e quando vi andò il Possevino nell' anno 1578 poco o niun profitto ricavò dalla sua apostolica legazione, e a tutt'altro pensar dovette, che alla pubblicazione del decreto su i matrimonii clandestini nelle parrocchie di Stockolm. Nè importa l'antica osservanza, che i matrimonii dei cattolici sieno stati contratti sempre innanzi ai cappellani delle Legazioni. Imperocchè anche prima del Concilio di Trento si facevano i matrimonii avanti i ministri della Chiesa, e colle ceremonie da lei prescritte, ma non per questo quando si celebravano clandestinamente si reputavano per nulli. La nullità è stata introdotta dopo il Concilio di Trento, e in virtù del decreto accennato; e quindi qualunque osservanza, cha non sia correspettiva a detto decreto, non può aver vigore d'indurre un im-

pedimento dirimente del matrimonio. Deponga dunque su questo V. S. ogni dubbio, e se mai accadesse che dopo contratto qualche matrimonio avanti i ministri protestanti, il coniuge eretico volesse far divorzio dal cattolico, Ella non permetta mai a questo di passare a seconde nozze, purchè non siavi stato qualch'altro canonico impedimento.

De dispensationibus matrimonialibus in matrimoniis promiscuis.

Se questa S. Congregazione, e la Santità di N. Signore è stata così costante a ritenere le regole dei Canoni, e la disciplina della Chiesa sull'assistenza e benedizione dei matrimonii promiscui, dovea per coerenza di massime, e pel concorso delle stesse ragioni, ripugnare ancora alla permissione da Lei richiesta, di poter dispensare in essi dagl' impedimenti, se mai taluno se ne incontrasse. La Sede Apostolica, non suole concedere grazie a quei figli, che sono a lei ribelli, e molto meno in pregiudizio della Religione. E così appunto avverrebbe, se invece di detestare ed impedire più che sia possibile cotesti matrimonii promiscui, li facilitasse, e aprisse loro la via col favore delle dispense. Questa facoltà così ampla non è mai stata data a veruno, e quando pure per qualche caso si è creduto di dispensare dagl' impedimenti per questi matrimonii promiscui, ciò si è fatto sempre per cause urgentissime, e di pubblica utilità, e con averne esatte le tre sopradescritte condizioni della sicurezza e della costanza del coniuge cattolico nella sua religione, della promessa di educare cattolicamente tutta la prole, e di una lusinga di convertire l'eretico, come potrà Ella riconoscere dalle due Encicliche di Benedetto XIV 29 Giugno, e 8 Agosto 1748 dirette ai Vescovi di Polonia, e stampate nel 1. Tomo del Bollario di quel Pontefice N. LI, e LIX.

Non sono poi sembrate molto gravi le difficoltà da Lei proposte, o del disordine, che può seguire da questo rigore, o del regio disgusto per la contravenzione ai suoi ordini. Imperocchè per parte dei luterani non vedesi, che possa nascervi mal contentamento, anzi all'opposto saranno essi contenti, che il parroco cattolico non si ingerisca in tali matrimonii, e ne lasci a loro ogni cura e pensiero. Gli esempî da Lei allegati ne fanno una prova convincentissima. Non vi sarà neppure disordine per parte dei cattolici, poichè la severità della disciplina, e l'abborrimento della Chiesa a questi matrimonii, allontaneranno qualche cattolico di più timorata coscienza dal contrarli. E quando pure se ne celebrasse qualcuno, è da compiangersi piuttosto la ruina spirituale di quell'anima, ma non è mai da approvarsi con qualche condiscendenza e facilità della Chiesa, ove specialmente si corra il rischio, o che egli faccia naufragio nella religione, o che la prole da nascere sia educata in una falsa credenza. Finalmente neppure può temersi la mala soddisfazione del Re, avendo egli ordinato: « Ecclesiae ministris eiusmodi matrimo- » nia diligenter dissuadendi officium demanda- » tum esto ». Il parroco cattolico eseguirà puntualmente quest'ordine se non solamente procurerà di dissuaderli e impedirli, ma ricuserà ancora di assistervi e darvi la benedizione. E sebbene altrove leggasi in esso, che « Caeremo- » niis in utriusque partium contrahentium ec- » clesia usitatis copulatio administretur, una » tamen, eademque occasione: » questo però non sembra che sia ordinato precettivamente, ma soltanto, *ut omnes evitentur dissensiones*, come ivi letteralmente sta espresso. Se dunque il parroco cattolico, senza eccitar discordia, e senza nulla pretendere, lascia, che i ministri di aliene religioni celebrino tutti i matrimonii promiscui, non sarà discaro a sua Maestà, che in cotal guisa si conservi la pace, e che i pastori della religione dominante del paese usino di un diritto, a cui il parroco cattolico ben volentieri rinunzia. Per queste ragioni dunque dalla S. Congregazione, coll' approvazione e oracolo di N. S., si è presa la seguente risoluzione, cioè che Ella abbia per validi i matrimonii promiscui che si celebrano in Svezia: Che celebrati che siano avanti il ministro eterodosso, Ella non permetta la separazione dei coniugi, e molto meno il passaggio ad altre nozze del coniuge cattolico, quando l'eretico ne volesse fare il divorzio: Che se il coniuge cattolico si pentisse di vero cuore del sacrilegio commesso, e desse segni non equivoci del suo ravvedimento, e della sua costanza in professare la religione cattolica, con promettere inoltre, per quanto potrà da lui dipendere, di procurare l' educazione di tutta la prole nella religione cattolica, e la conversione del coniuge eretico, potrà Ella riconciliarlo alla Chiesa, e ammetterlo alla partecipazione dei Sagramenti. Non Le si permette però d'assistere a tutti quei matrimonii promiscui, ne' quali non siasi antecedentemente ottenuta la promessa giurata d'ambedue le parti dell'educazione cattolica di tutta la prole, e non siavi la moral sicurezza della rimozione d'ogni pericolo della perversione del coniuge cattolico, congiunta con una qualche speranza della conversione dell' eretico, e che quando pure si ottengano, allora, se così esigono le circostanze, potrà pure assistere il sacerdote cattolico, prestando però solamente la sua mera presenza, e non nella chiesa, nè in compagnia del ministro eretico, e senza dare la benedizione nuziale e recitare le preghiere prescritte dal Rituale. Che finalmente si astenga di dispensar mai per cotesti matrimonii da qualunque impedimento, secondo le facoltà che ne tiene, delle quali può solamente servirsi per i matrimonii dei cattolici; e piuttosto se alcun caso mai urgentissimo accadesse, in cui facesse di mestieri di accordare una tale di-

spensa, n' esponga le circostanze e le cause alla Sede Apostolica, che non si lascerà allora di provvedere da N. Signore secondo che sarà conveniente al bene della religione e alla salute delle anime.

580

De matrimonii celebratione coram civili magistratu.

Instr. S. C. de Prop. F. *1 Octobr. 1785.* AD VIC. AP. CONSTANTINOP.) — Dalla risposta ai cinque quesiti fatta dal Vicario degli armeni, si è rilevato, che in tre classi si posson dividere quegli armeni, i quali si presentano avanti il giudice turco per contrarre il matrimonio. Alcuni vi vanno per prendere una concubina, e questi non possono intendere di celebrare il contratto del matrimonio, ma di paliare in tal guisa la loro libidine. Altri si presentano al ministro turco per fare una semplice dichiarazione del matrimonio già contratto, oppure da contrarsi in breve, ma non intendono di contrarre allora un vero matrimonio, benchè usino *verba de praesenti.* Altri finalmente compariscono pure innanzi al medesimo giudice, per prendere una donna per vera moglie, quale non è stata talvolta loro accordata dalla Chiesa per motivo di qualche impedimento impediente: ma non sapendo questi tali, che il loro matrimonio celebrato in tal guisa avanti il ministro turco, possa essere un vero e valido matrimonio, sebbene illecito, non possono intendere di contrarlo, sebbene ne abbiano la volontà, e si credono piuttosto di contrarre un concubinaggio: ma se sapessero la sufficienza di questo loro atto a contrarre il matrimonio vero, intenderebbero senz' altro di contrarlo. Questa è la sostanza dei dubbii tratta dalle stesse parole della risposta del Missirli, a cui la S. C. ha risposto, che i matrimonii contratti da quei della prima classe avanti il giudice turco sono nulli ed irriti, perchè la volontà dei contraenti, ed il loro consenso è diretto al solo concubinato, e intanto esternamente dicono di celebrare il matrimonio, in quanto che vogliono con questo colore ricoprire la loro incontinenza. Ma se per avventura questa intenzione fosse stata occulta nella mente di un solo dei contraenti, il quale si fosse diportato in tutti gli atti esterni, come se avesse voluto celebrare un vero matrimonio, e in tal guisa avesse con astuzia e con frode ingannato l'altro coniuge, in questo caso se della frode e dell'inganno non può aversi legittima prova, quantunque il matrimonio possa esser nullo nel foro interno, non si dovra però formare l' istesso giudizio nel foro esterno. Sarà pertanto obbligato il Vicario Ap. quando avvenga il caso di dover decidere sopra uno di tali matrimonii contratti con finta intenzione e con animo di prendere una concubina e non una moglie, sarà obbligato, dissi, di bene esaminare le circostanze del fatto, e di non prestar fede alle sole assertive del coniuge ingannatore, specialmente se la donna era affatto ignara dell' inganno; e dovrà obbligarlo a perseverare nel matrimonio, e rinnovare l' interno necessario consenso; imperocchè *sub mortali de novo consentire et verum matrimonium efficere tenetur,* come ne insegnano tutti i teologi, e come richiede il dovere.

Per gli altri della seconda classe, che si presentano innanzi al giudice turco, ma non vogliono contrarre allora vero matrimonio, benchè usino *verba de praesenti,* intendendo di contrarlo dopo, se non l'hanno contratto prima, si dovrà dal Vicario Apostolico verificare la circostanza, se il matrimonio sia stato contratto validamente prima di presentarsi avanti il giudice turco, oppure se si debba contrarre in appresso. Nel caso che il matrimonio fosse già stato contratto validamente prima, la comparsa avanti il giudice turco, quando si faccia per un atto veramente civile, e per ubbidire alle leggi del Principato, non è proibita, come insegna Benedetto XIV nella sua Costituzione LXXXIX tom. I Bullarii § 10, e niente nuoce alla validità del matrimonio già celebrato; se poi il matrimonio o non fosse stato contratto, o non lo fosse validamente, siccome, quando costoro si presentano innanzi al giudice turco, non hanno intenzione di contrarre allora un vero matrimonio, così, mancando in essi il vero ed interno consenso, e trovandosi soltanto disposti a prestarlo allora quando celebreranno il matrimonio, non possono riputarsi per legittimi sposi, nè può dirsi valido il lor matrimonio. Ma dovrà anche per questi star bene avveduto il Vicario Ap. a non prestar così facilmente fede alle intenzioni occulte dei contraenti, quando per gli atti esteriori risulti il contrario di quel che asseriscono.

Per gli altri finalmente della terza classe, i quali *hanno volontà di prendere una vera moglie,* ma sono nell' errore, che non sia sufficiente al valore del matrimonio di presentarsi innanzi al giudice turco, ma *se sapessero la sufficienza di questo loro atto a contrarre il matrimonio vero, intenderebbero senz'altro di contrarlo,* la S. C. coerentemente a quel tanto, che a lui fu scritto il dì 19 Aprile 1783, rapporto ad un matrimonio consimile di una donna armena, ha deciso, che questi matrimonii siano validi, quando non v'intervenga qualche altro canonico impedimento. Imperocchè secondo le circostanze del caso proposto, non può dubitarsi del vero, legittimo, interno e reciproco consenso dei contraenti. Il loro errore di non potersi contrarre validamente il matrimonio avanti il giudice turco, non può renderlo nullo; imperocchè non concerne, nè appartiene alla sostanza del matrimonio, e non toglie la pre-

cedente volontà di chi volea celebrarlo, ma cade solamente nella sua forma e solennità, e così non può renderlo invalido, giacchè sì nel matrimonio, come negli altri contratti, quando l'errore è concomitante, e non influisce sull' essenza della cosa che si vuole, ma sulle sue qualità accidentali, rimane il contratto valido. E neppure osta alla validità di tali matrimonii l'opinione invalsa presso la nazione armena, che non possa un matrimonio contrarsi avanti il ministro turco, ma faccia di mestieri di celebrarlo avanti la Chiesa, e con la benedizione sacerdotale. Questa opinione non è costante, non è nè tampoco comune presso tutta la nazione, e gli ecclesiastici che hanno studiato teologia, sanno pensare diversamente, come l'afferma lo stesso Vicario Missirli nella sua risposta. Inoltre non è questa opinione corredata da verun canone sinodale armeno, non è approvata dalla Sede Apostolica, ma piuttosto deriva dall'ignoranza degli armeni, i quali non distinguono il matrimonio invalido dall' illecito.

Vuole pertanto la S. C. che, quando avvenga il caso di simili matrimonii, Ella li tenga per validi, e non permetta mai, che i coniugi, che così hanno contratto avanti il giudice turco, possano passare ad altre nozze; ma siccome è certo ancora, che questi matrimonii contratti avanti il giudice turco, sono illeciti, perciò i coniugi che così hanno contratto, dovranno esser privi de' Sacramenti, fin tanto che non abbian certi segni del loro pentimento. E quando siano veramente pentiti, e ambedue sieno cattolici, Ella dovrà riconciliarli alla Chiesa, e dovrà supplire alla cerimonia della benedizione nuziale, e potrà eziandio ricevere da essi il nuovo consenso per una maggiore cautela; ma quando mai ricusassero di rinnovarlo, non per questo potrà loro permettere di contrarre altro matrimonio.

Ad effetto poi, che non accada sovente il caso di contrarre simili matrimonî avanti il giudice turco, per essersi negate le dispense dagli impedimenti impedienti, si contenti V. S. di usare della facilità in accordarle, sempre che vi sia una qualche legittima causa, e si tema che per il rifiuto della dispensa non vadano taluni a congiungersi in matrimonio innanzi al turco.

Sarà pure opportuno, che a poco a poco vada V. S. disingannando gli armeni dal loro errore, che per la validità del matrimonio sia necessaria la presenza del sacerdote. La necessità dell' assistenza del parroco ai matrimonii è introdotta soltanto nella Chiesa latina dal Decreto del S. Concilio di Trento, e gli armeni i quali, come scriveva Benedetto XIV, nella nota istruzione del 1754. non hanno mai sentito parlare di questo Decreto, non possono essere per conseguenza a quello soggetti. E quindi quando celebrano il loro matrimonio alla presenza di due o tre probi e onorati testimonii, oppure innanzi al giudice turco, siccome non può dubitarsi allora del legittimo consenso reciprocamente manifestato per contrarre il matrimonio, così non può rivocarsi in questione la sua validità.

581

De fidelibus ab Episcopo vel parocho catechizandis.

S. C. de Prop. Fide. – *28 Nov. 1785.* (C. G.) — Commmendandum esse Archiepiscopum (Antibarensem) quod per se ipsum catechismum habeat ad populum, et eidem significandum quod ex dispositione S. Concilii Tridentini omnibus animarum pastoribus praeceptum est ut in Dominicis et festis diebus sermonem habeant ad populum, et pueros doceant rudimenta fidei. Quoties Archiepiscopus praedictus omnia per seipsum adimplet in Ecclesia in qua residet, ad eadem onera subeunda minime tenetur eiusdem ecclesiae parochus. Ast si Archiepiscopus et Evangelii explicationem et expositionem catechismi non fecerit, tunc et eo casu parochus expleat munus eidem incumbens, vel omissam ab Episcopo Evangelii expositionem, vel explicationem cathechismi peragendo, ita ut utrumque habeat populus.

582

De infantibus domi baptizandis.

S. C. de Prop. F. *28 Novembris 1785* (C. G.) — Antibar. — Se abbia ad interloquirsi nell' uso che hanno i parrocchiani di Spizza, i quali sono più distanti dalla chiesa, di far battezzare i bambini nelle proprie case.

R. Si periculum adest quod infantes in via periclitentur, tolerandum esse morem ut eisdem Baptismatis Sacramentum domi administretur; remoto tamen periculo, et postquam Baptismum receperint, adferantur ad ecclesiam pro supplendis sacris caeremoniis.

583

De facultate Vicariorum App. eligendi duos Provicarios.

Decr. S. C. de Prop. F. *20 Maii 1786* – Etsi per Breve s. m. Benedicti XIV quod incipit *Ex Sublimi* sapientissime sancitum fuerit, ut Vicarii Apostolici Indiarum Orientalium qui neque Episcopum coadiutorem cum futura successione, neque Vicarium ex clero sive saeculari, sive regulari, generalem habebant, statim atque ad unumquemque eorum notitia huiusmodi sanctionis pervenisset, deputarent Vicarium ex clero sive saeculari, sive regulari, habilem tamen atque idoneum, qui veniente cuiusvis Apostolici Vicarii, sine coadiutore cum futura successione, obitu, tamquam Apostolicae Sedis delegatus, teneretur assumere regimen, et

gubernium Apostolici Vicariatus, usque ad captam a novo Vicario Apostolico possessionem: quoniam tamen experientia docuit, interdum accidisse, ut et ipse Vicarius designatus, ante factam a Sede Apostolica alterius Vicarii deputationem, e vivis excesserit, et latissimae provinciae omni legitimo superiore destitutae remanserint, idcirco S. Congregatio *(in Consessu diei 23 Ianuarii)* censuit memoratis Episcopis et Vicariis Apostolicis concedendam esse, si SSmo Dño placuerit, facultatem sibi eligendi, quatenus ita ipsis ad rectum Vicariatus regimen expedire visum fuerit, non unum tantum, sed duos pro-vicarios, qui in casu mortis aut absentiae Vicarii Apostolici omnimodam potestatem, et iurisdictionem habeant. Recedente autem uno ex hisce pro-vicariis plena iurisdictio et administratio in altero superstite consolidetur. Itemque si evenerit unum tantum pro-vicarium a Vicario Apostolico deputatum fuisse vigore memorati Brevis *Ex Sublimi,* ipse pro-vicarius moriens possit alterum in suum locum nominare et substituere, dummodo tamen nondum per S. Sedem eidem Vicariatui fuit provisum.

Quam S. Congregationis sententiam SSmo D. N. Pio PP. VI relatam per R. P. D. Stephanum Borgia Secretarium in audientia habita die 29 dicti mensis (Ianuarii) et anni, Sanctitas Sua in omnibus approbavit, praedictamque facultatem Vicariis Apostolicis Indiarum Orientalium benigne concessit.

584

Circa cooperationem ad nonnullos ritus superstitiosos.

S. C. de Prop. Fide. *29 Maii 1786.* (C. P. pro Sin.) — Avae et Pegù — Il caporale dei cannonieri, che ha sotto di sè ancora varî gentili che fanno un corpo solo coi cristiani, è cristiano. L'ufficiale maggiore è un signore birmano. Questi più volte comanda al suo caporale di mandargli uomini o cannonieri per aiutarlo nelle sue funzioni di religione birmana. Il caporale cristiano comanda ai cannonieri gentili di andare a servire in tale circostanza. Si domanda se il caporale possa comandare simile servizio di religione.

2. Quando il re vuol fare la solenne funzione di lavarsi il capo in pubblico, manda a pigliare acqua a tutti i fiumi del Regno: si dimanda se sia lecito ai cristiani andare a prendere la detta acqua, o assistervi aiutando, per essere cose superstiziose.

3. Nelle feste che i governatori fanno per la salute del re ordinano le lotte ed alcuni giuochi davanti le pagode, e forzano i mercatanti a dar loro, per fare i regali ai vincitori, o pezze di seta, o pezzuole, o altre cose; si cerca se possono *acquiescere.*

4. Se i cristiani che hanno schiavi gentili possano dar danaro e mancie ai loro schiavi nelle loro feste, per soddisfare alle loro divozioni di limosine ecc.

5. Così i cannonieri se possano alle feste della *discesa dell'angelo,* che è il cominciamento dell'anno, e all'altre feste solenni ricevere quei piccoli regali, e dar fuoco ai cannoni per dar segno della festa.

R. Ad 1. Non licere, si mandatum expresse commissum fuerit pro cooperatione ad superstitiosa; licere autem, si fuerit generale, ut milites serviant duci militiae.

Ad 2. Non licere si, prout exponitur, actio sit superstitiosa.

Ad 3. Affirmative, secundum ea quae proponuntur.

Ad 4. Negative, si donaria dentur pro superstitiosis.

Ad 5. Detur decretum Congr. S. Officii habitae coram SSmo feria V die 13 Nov. 1777, quod est huiusmodi: « Il Vicario Ap. del Re» gno di Siam propose il dubbio, se si possa » permettere ai cristiani di dar fuoco all'arti» glieria e sparar cannoni in segno di pubblica » o comune allegrezza sull'entrar dell'anno » nuovo, quando sogliono i Siamesi celebrar » la festa del loro nume *Attana.* SSmus huic » dubio respondendum esse decrevit: *Secundum* » *ea quae proponuntur, non licere* ».

585

Circa facultatem missionariorum consecrandi calices, patenas et altaria portatilia.

S. C. de Prop. F. – *30 Ianuar. 1787* (C. P.) — Se nel privilegio di consagrare i calici, le patene e gli altari portatili con l'olio benedetto dal Vescovo, dove non siano Vescovi, o siano distanti due giornate, o sia vacante la Sede, quella clausola *ubi non erunt Episcopi* s'intenda ancora *ubi non erunt Vicarii Apostolici;* e se i calici, patene ecc. consagrati da un semplice missionario apostolico, dove è il Vicario Ap. ordinario, siano validamente consagrati. E nel caso che si risponda sì, se possa il missionario apostolico ove vi sia il Vicario Ap. consagrar calici, patene, altari portatili, non solamente per sè e per la sua chiesa, ma ancora per qualunque altro sacerdote secolare o regolare, e per qualunque altra chiesa.

R. Quoad consecrationem sacrorum utensilium et altarium, licere iuxta Formulam IV (1) missionariis, quatenus ab Apostolica Sede opportunas facultates reportaverint; pro eorum tamen usu tantum, et non pro aliis.

(1) In hac Formula facultatum quae Praefectis Mission. conceduntur, datur facultas: « Consecrandi calices, « patenas et altaria portatilia cum oleis ab Episcopo « benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas « dietas, vel sedes vacet ».

586

De more sponsalia in longum tempus protrahendi.

S. C. de Prop. F. – *30 Ian. 1787* (C. G.). – SMYRN. – Quoad sponsalia in longum tempus protrahi solita dandam esse Instructionem iuxta sancita in 6 Concilio Provinciali S. Caroli Borromaei, ibi: « Itaque Episcopi cura sit poenis » et censuris, quas arbitratu suo constituerit, » sancire ne sponsi, priusquam matrimonium » in Ecclesia per verba de praesenti ex ritu ce- » lebraverint, non modo simul non habitent, » sed ne ullo quidem modo mutua consuetu- » dine commerciove utantur ».

587

Circa clausuram Regularium.

S. Congr. de Prop. Fide *5 Martii 1787* (C. P. PRO SIN.) — Decretum 26 Augusti 1780 *(V. n. 545)* sustinendum, sed accommodandum locorum et temporum circumstantiis, ideoque servandum tantum esse in iis domibus quae ad missiones spectant, et in quibus stabiliter permanent duo vel tres missionarii regulares.

588

De Missa votiva *de Fidei propagatione.*

S. C. de Prop. F. *5 Martii 1787.* (C. P. PRO SIN.) — Se debba approvarsi la Messa votiva *De Fidei propagatione,* e se debba farsi inserire nel Messale, e trasmetterne ai missionarî una stampa.

R. Supplicandum SSmo pro approbatione, et ad libitum pro omnibus missionariis S. C. de Prop. Fide in quibuscumque Missionibus commorantibus. — SSmus approbavit pro omnibus et singulis missionariis ubique gentium exsistentibus.

589

De dispensatione ab interpellatione coniugis infidelis in matrimoniis conversorum ad fidem.

S. C. de Prop. Fide *5 Martii 1787* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN. — 1. Christianus recenter conversus cum secunda uxore quam, vivente prima, casu post nuptias in insaniam lapsa, tempore gentilitatis in matrimonium duxerat, nunc sacrum Baptismum postulans, simul petit ut ipsi liceat cum secunda uxore valide contrahere. Cum autem vivat adhuc prima eius uxor, eique cohabitet, atque propter insaniam qua perpetuo affligitur, monitio aut interpellatio fieri nequeat, quaeritur num dictus christianus dispensari possit ad effectum cum secunda uxore nubendi.

2. Gentiles sunt qui, exercendae mercaturae causa, proprium locum ad tempus deserunt ut se ad alias provincias conferant, in distantiam decem aut quindecim dierum itineris, et aliquando amplius, ibique alias uxores, primis viventibus, ducunt. Unus ex istis nuper ad fidem conversus est cum secunda uxore; tunc nuntium accipiens primam uxorem de eius conversione dolere, imo et ipsum hortari ne fidem amplecteretur, Baptismum postulavit, promittens se, contentum secunda, hanc primam absolute derelicturum, nec ad propria reducem ullo modo ei cohabitaturum. Votis annuit missionarius quidam sinensis, cui a Vicario Apostolico nullatenus concessa fuerat facultas dispensandi a monitione, ratusque in hac circumstantia nullum esse dubitandi locum, christianum hunc simul cum secunda uxore baptizavit, eosque ad renovationem consensus adactos solemni iunxit matrimonio. Postea christianus ille reversus, primam uxorem mutatam invenit, et omnimode dispositam ad amplectendam fidem. Quaeritur num in casu proposito validum sit matrimonium cum secunda uxore initum. Ratio dubitandi nobis est, ex una parte, quod missionarius iste nullam facultatem habuerit dispensandi a monitione; ex altera vero parte reclamant plures missionarii, fatendo equidem in hoc casu matrimonium cum secunda uxore illicite celebratum fuisse, non vero ita certo invalide: tum quia, die 3 Ian. 1777 a nobis interrogata S. C. de Prop. Fide, num matrimonia quaedam huiusmodi propter ignorantiam sine dispensatione celebrata, invalida forent, nihil respondit, licet ad alia responderit; tum quia, teste s. m. Benedicto XIV, *De Synodo Dioec. lib. 6 cap. 4 art. 3 et lib. 13 cap. 21 art. 6* plerique theologi asserunt iudicialem interpellationem licite omitti posse, quoties nullius utilitatis fore reputatur; hanc vero sententiam Summus Pontifex non respuit tanquam falsam, eamque solum non satis tutam in praxi declarat. In casu autem proposito inutilis ipsis visa est interpellatio, cum tunc clare constiterit de voluntate prioris uxoris.

R. Ad 1. Affirmative in casu de quo agitur.

Ad 2. Attentis circumstantiis in facto concurrentibus, coniuges, de quibus agitur, non esse inquietandos: sed caveant missionarii dispensationem ab interpellatione coniugis impertiri, si careant huiusmodi facultate.

590

De superstitiosis tabellis ad obtinendam pluviam.

S. C. de Prop. Fide *5 Martii 1787* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN. — Iam a paucis annis mos obtinuit inter gentiles huius partis, tempore siccitatis, solemni ritu pluviam deprecari ab idolo, quod pluviarum rectorem fingunt. Ritus porro est huiusmodi: Statuto tempore a pro-regis edicto, mandatur singulis qui intra civitatem apothecas aperiunt in anteriori parte domus quae publicam viam respicit, tabellam in honorem praetensi huius rectoris erigere ex flavi coloris papyro, quem quidem colorem non videntur adhibere nisi honoris causa, quatenus auri similitudinem et colorem magis referat, ipsoque in edictis condendis Imperator utatur. In huiusmodi autem

tabella scribuntur characteres aliquot, quorum sensus est *Long–Vang* (nomen idoli) *enixe rogamus ut nobis pluviam emittat;* vel etiam alios characteres quibus praedictum idolum magnificant. Multi coram ipso accendunt candelas, thymiamata, aliosque odores comburunt. Cum autem valde urgeat mandatum pro-regis, et civitatis inferiores praefecti huc illuc discurrant ad examinandum num edictum executioni mandetur, magnas inter angustias deprehenduntur christiani. Unus ex ipsis ductus ad praefectum et interrogatus quare nollet obedire, respondit se christianum esse, nec idolo praedicto, quemadmodum et caeteris, ullo modo credere posse. Respondit praefectus: *Saltem Deo quem colis tibi credere licet. Quare illum non oras ut mittat pluviam?* Et fustibus caesum dimisit, mandans ut tabellam erigeret. Christianus iste timore correptus scripsit tabellam supra flavi coloris papyrum, ibique characteres exaravit desumptos ex oratione quam christiani in libris precum habent ad postulandam pluviam. Oratio manifeste dirigitur ad verum Deum *Tien-Tchou* qui in eadem nominatur. Sunt alii christiani qui utuntur tabella christianorum consueta, ubi haec leguntur: *Creator coeli, terrae, hominum, rerum, verus Dominus, Spiritus;* ac coram dicta nihil accendunt aut comburunt.

Quaeritur num, ad vitandam plurimorum apostasiam, tolerari possit iste usus, aut saltem num inquietandi forent christiani si huiusmodi characteres christianos exararent supra papyrum diversi coloris ab eo quo utuntur gentiles in huiusmodi caeremoniis, ita ut christianorum tabellae differentia hoc modo facilius a gentilibus deprehendatur.

R. Licere, dummodo tabella a christianis erigenda vero Deo dirigatur, et christianis precibus inscripta sit, et, omni etiam coloris superstitione remota, ita a tabellis gentilium appareat distincta ut nullo modo cum illis confundi possit.

591

Dioecesis aut Vicariatus administrationem senior missionarius aliquando suscipere debet.

Decr. S. C. de Prop. Fide *19 Septembris 1787.* — Referente Emo et Rmo D. Card. Antonelli Praefecto, quod licet omnibus fere casibus per Sanctam hanc Sedem provisum esse videretur, ut decedentibus Episcopis aut Vicariis Apostolicis, alter adesset, qui spiritualem gregis administrationem legitime susciperet, interdum tamen acciderit omnes hasce curas propter subrogatorum obitum in irritum cessisse, Emi Patres, ut huic incommodo plenius et stabilius pro futuris temporibus provideatur, decernendum censuerunt *(in Congr. 5 Martii)* quod liceat in posterum Episcopis et Vicariis Apostolicis Indiarum et Sinarum, non modo unum designare vicarium iuxta Breve s. m. Benedicti XIV, quod incipit *Ex sublimi,* vel etiam alterum, iuxta Decretum anno superiore ab hac S. C. editum, qui non simul et cumulative, sed prius qui prior fuit nominatus, et in eius defectu alter, debeat, vel in casu absentiae, vel in casu obitus Episcopi aut Vicarii Apostolici sine Coadiutore ab Apostolica Sede sibi deputato, Vicariatus aut Episcopatus administrationem suscipere; verum etiam, si forte contingat Episcopos, aut Vicarios Apostolicos neminem in praedictis casibus nominasse, vel, etiam si nominaverint, utrosque decessisse, neque ab his quempiam in eorum locum subrogatum fuisse, ita ut nemo sit qui Episcopatus aut Vicariatus administrationem in spiritualibus et temporalibus gerere possit: tum senior in Missione, is videlicet qui ex Europa prior in provinciam ingressus fuerit, et longiori tempore animarum ministerio fuerit mancipatus, censeatur delegatus ab Apostolica Sede ad suscipiendam Vicariatus aut Episcopatus administrationem cum omnibus facultatibus ordinariis atque extraordinariis Episcopo competentibus, exceptis iis quae sunt Ordinis Episcopalis, usque dum Sedes Apostolica certior facta alio modo provideat.

Quam S. Congregationis sententiam SSmo Domino Nostro Pio PP. VI, relatam per R. P. D. Stephanum Borgia Secretarium in Audientia habita die 11 mensis (Martii) et anni praedicti Sanctitas Sua in omnibus approbavit et seniori missionario omnimodas facultates in casu, ut supra, benigne concessit.

592

De assignandis missionariorum stationibus.

S. C. de Prop. Fide *21 Ianuarii 1788* (C. P. pro Sin.) — Scribendum Episcopo Pekinensi quod in assignandis stationibus missionariorum rationem habeat antiquae consuetudinis, et cuilibet missionariorum coetui illa conservet loca et territoria quae pridem ab ipsis in animarum ministerio excolebantur, ne, propter operariorum diversam methodum atque institutionem, pietatis studium in christianis defervescat, neve etiam iurgia et dissidia inter missionarios exoriantur; salva semper Episcopi auctoritate aliter decernendi in casu necessitatis. Caveat tamen non ita cuipiam missionariorum Ordini stationes, pagos, aut paroecias addicere quin liberum sit cuilibet christiano sua peccata confiteri sacerdotibus quibuscumque ad audiendas confessiones ab ipso approbatis, quamvis alterius Ordinis sint et alterius territorii, et aliorum locorum spirituali servitio mancipati.

593

De baptizandis infantibus in missionariorum absentia.

S. C. de Prop. F. *27 Ianuarii 1788* (C. P. pro Sin.) — 1. Se sia plausibile che ai bambini vengano amministrate le acque battesimali da chicchessia (nell'assenza dei missiona-

rî) ancorchè non facciano temere della loro vita, atteso il pericolo a cui rimangono esposti nell'essere tenuti nel letto coi loro genitori.

De sacerdotibus idolorum ad fidem conversis qui paganis templis pecuniam surripiunt.

2. Se il danaro che dai sacerdoti degl'idoli che si convertono, vien sottratto (nell'abbandonare i tempî pagani) per valersi del medesimo a procurarsi l'esistenza, abbia la qualità ed il carattere di cosa furtiva.

Ad 1. Affirmative, et laudandum.

Ad 2. Secundum ea quae proponuntur, non licere, nihil enim profertur quod noxam furti excusare possit in casu de quo agitur.

594

Ad iuramentum Constitutionis *Omnium sollicitudinum* tenentur tantum missionarii ad missiones malabaricas deputati.

S. C. de Prop. F. – *21 Apr. 1788* (C. G.) — Sacerdotes qui ad Missiones Malabaricas non sunt deputati, et Pondicherii vel occasione itineris, vel hospitii causa, brevi temporis intervallo commorantur, non teneri ad praestandum iuramentum pro observanda Apostolica Constitutione *Omnium sollicitudinum (V. n. 347)*; eorumque opera, si libuerit, Vicarium Ap. uti libere posse. Si vero earumdem Missionum servitio mancipentur, tunc teneri.

595

De statu libero comprobando.

S. C. de Prop. F. *21 April. 1788* — Coromandel (Pondichery) — Se si abbia a permettere e con quali cautele di contrarre nuovo matrimonio a quei mariti che dopo 10, o 14 anni non abbian potuto aver notizia della propria moglie.

R. Cuiuscumque temporis lapsum non sufficere ut coniugibus liceat novas inire nuptias nisi prius constiterit morali certitudine priorem coniugem obiisse, prout ex Cap. *In praesentia* 19 *De sponsalibus*.

596

In Extrema Unctione penicillum adhiberi nequit.

S. C. de Prop. F. *21 Iunii 1788* — Episcopus Pekinen. et Vic. Ap. Chan–si moneantur ne penicillum adhiberi sinant in Extrema Unctione peragenda, et, si abusus iste inoleverit, sensim evellere studeant (1).

597

De Baptismo collato aqua ex panno lineo expressa.

S. C. de Prop. F. *21 Ian. 1789* (C. P. pro Sin.) — An permittendum sit ut in casu necessitatis Baptismus conferatur aqua expressa ab aliquo panno lineo aut spongia etc.

R. Transmittatur Instructio S. Officii feria V, die 8 Nov. 1770 *(V. n. 480)*.

598

Quando possit conferri Baptismus sine caeremoniis.

S. C. de Prop. F. *21 Ian. 1789* (C. P. pro Sin.) — 1. An extra casum urgentis necessitatis, seu extra periculum imminens licite possit sacerdos simpliciter abluere infantes vel adultos, omissis omnibus Baptismi caeremoniis.

Quid si baptizat sacerdos suspensus?

2. An id saltem permitti possit sacerdoti suspenso, vel etiam interdicto, ac tantum approbato pro decumbentibus et aegrotis.

An caeremoniae Baptismi adhibendae in domibus privatis.

3. An in locis ubi non est ecclesia seu oratorium commune liceat sacerdoti solemniter, idest, adhibitis omnibus caeremoniis in Rituali Rom. praescriptis baptizare liberos christianorum in eorum domibus privatis.

Quid cum parentes nolunt infantes ad ecclesiam deferri?

4. An id pariter illi liceat ubi quidem est ecclesia aut domus orationis, sed ista distant, et ad eam infantes suos deferre nolint parentes ne quid ipsis ex aeris intemperie accidat mali, quod supra modum reformidant annamitae.

An possit laicus private baptizare missionario haud absente.

5. Utrum possit et debeat permitti quod missionarii catechista, vel alius quispiam laicus, infantes vice sui in domibus privatis aquis baptismalibus abluat? Parum enim admodum videtur decere id genus ministerium usurpari ab homine profano seu laico, existente in loco sacerdote.

R. Ad 1. Non posse. Verumtamen non solum imminens periculum mortis esse posse causam legitimam omittendi solemnitates Baptismi, verum etiam aliam quamcumque rationabilem et gravem quae impediat earumdem solemnitatum administrationem, ut ex. gr. si tempus omnino deficiat, si instet periculum a paganis, si sacerdos non habeat neque commode habere possit oleum cathecumenorum, sacrum Chrisma, sal benedictum aliaque necessaria pro perficiendis iisdem solemnitatibus. In his autem

---

(1) Quid in casu infirmorum peste infectorum? Afferri potest decr. S. Officii 11 Iulii 1754 tenoris seq.: « – *Algeriae* – 1. Utrum grassante peste SSmum Eucha- « ristiae Sacramentum administrari possit lue infectis « non immediate manuum porrectione, sed oblonga « aliqua virga in cuius extremitate adsit lunecula au- « rata ex argento quae, post infusam in os infirmi par- « ticulam, igne purificetur.

« 2. Utrum infirmis peste detentis administrari pos- « sit Extrema Unctio media aliqua virga, in cuius ex- « tremitate adsit modicum bombicis.

« 3. Utrum hoc Sacramentum, peste grassante, li- « cite et absque scrupulo omitti valeat.

« 4. Utrum, in hypothesi quod non possit omitti, « administrari valeat per unicam unctionem; an vero « de necessitate perficiendae sint singulae illae unctio- « nes quae in Rituali Romano praescribuntur.

« R. Sua Santità si degnò ordinare che in risposta « si raccomandasse alla vigilanza e zelo del Vic. Ap. « il procurare con tutto lo studio l'amministrazione « della SS. Eucaristia, e della Estrema Unzione, anche « in tempo di peste, perchè quei miseri appestati nelle « estreme loro angustie non restino privi di sì grande « aiuto e conforto per la salute delle loro anime, e che « circa il modo di amministrarli potranno i missionari « regolarsi nelle maniere ed usi altre volte praticatisi « nelle occasioni di peste, in quei paesi tanto frequente, « purchè si faccia con la dovuta decenza, e si cerchi « scansare ogni inconveniente che potesse in qualsivoglia « modo esporre alla irriverenza un'azione sì sacrosanta ».

casibus monendum esse missionarium quod si non omnes, sed solum aliquas caeremonias Baptismi adhibere possit, eas adhibeat; ac deinde cum tempus et occasio opportuna adfuerit, easdem caeremonias, vel omnes vel quas omisit, in ecclesia vel oratorio supplere teneatur.

Ad 2. Sacerdotem suspensum et interdictum nullo unquam tempore administrare posse Baptismum cum solemnitatibus, sed, quando propter necessitatem debeat baptizare, baptizet private.

Ad 3. Non solum licere, sed debere.

Ad 4. Ne in hac re a sanctissimis Ecclesiae institutis recedatur, omnem curam adhibere debet missionarius ut parentes ab hac sua irrationabili contradictione recedant. Quod si suis persuasionibus et monitis nihil proficiat, tunc sibi persuadere poterit rem esse deductam ad casum necessitatis; impossibile enim erit hos infantes baptizare, repugnantibus parentibus in quorum sunt potestate. Proinde tunc licitum erit iis infantibus Baptismum conferre extra Ecclesiam et in privatis domibus, vel ubi a parentibus permissum erit, omissis sacris ritibus et caeremoniis animo tamen ea supplendi in Ecclesia quamprimum hoc fieri permissum erit. Si vero praevideatur quod parentes infantium neque decursu temporis infantes suos ad Ecclesiam pro supplendis caeremoniis deferri permittant, tunc satius erit ut in ipsis privatis domibus ritus et caeremoniae per Rituale Romanum praescriptae in actu collationis Baptismi adhibeantur. Potius enim erit ut laudabilis consuetudo, quae tantum concernit maiorem erga hoc Sacramentum decentiam et reverentiam, celebrandi Baptismum in ecclesia, omittatur, quam ut priventur parvuli baptizati non exiguis spiritualibus bonis quae ex adhibitis super eos sacris caeremoniis ab Ecclesia institutis in ipsos derivantur.

Ad 5. Servandum esse ordinem in Rituali Romano praescriptum, tit. de Ministro Baptismi, ibi: *Sed si adsit* etc.

599

Absolutionis defuncti caeremoniae post Missam non alibi quam in ecclesia conficiendae.

S. C. de Prop. Fide *21 Ianuarii 1789.* (C. P. pro Sin.) – Vic. Ap. Tunk. Occid. – An sit toleranda consuetudo ut Missa solemnis pro defuncto celebretur, perinde ac si adesset cadaver, illaque completa, sacerdos una cum ministris defuncti domum accedat, praecedente cruce, ibique absolutionis cadaveris caeremonias conficiat, atque huiusmodi absolutionem identidem repetat antequam terrae mandetur.

R. Consuetudinem non esse tolerandam, ideoque curent missionarii illam sensim suasionibus ac hortationibus abrogare. Atque propterea, celebrata Missa in ecclesia seu oratorio pro defuncto, non adeant eius domum praecedente cruce cum ministris ut ibidem cadaver aspergant et thurificent.

600

Illicita catholicorum cum schismaticis in divinis communicatio.

S. C. de Prop. Fide – *12 Martii 1789* — Paros — 1. Se sia lecito ai cattolici entrar per padrini nel battesimo dei greci scismatici, e per compari nel matrimonio.

2. Se sia lecito ai cattolici dare elemosine di messe ai preti scismatici.

3. Se sia lecito ai cattolici portar l'effigie, che hanno nelle loro case, di Maria Vergine e di altri santi, nelle chiese scismatiche, occorrendo la rispettiva festa di quei santi; arder delle lampade nelle loro chiese, farvi orazione, assistere per curiosità alle loro funzioni, andar con essi in processione, eccetto la processione che si fa in occorrenza del funerale di alcun defunto.

4. Se sia lecito, avendo qualche cattolico genitori scismatici, di far l'esequie loro di tutto l'anno, arder secondo l'uso de' greci le lampade alla chiesa greca ecc.

R. Non licere in omnibus.

601

Regulae a sacerdotibus ritus cophtici servandae.

S. C. de Prop. F. *15 Martii 1790.* — (Regulae pro sacerdotibus coptis) — I. Sacerdotes omnes tam saeculares, quam regulares ritus coptici teneantur subesse Vicario Apostolico eiusdem nationis ab Apostolica Sede deputato, eius mandatis pareant, eumdemque, uti eorum superiorem venerentur et colant.

II. In urbe Cayri, praeter Vicarium Apostolicum, octo dumtaxat presbyteri copti morari deinceps poterunt, aut etiam pauciores, si Missiones superioris Aegypti sacerdotum opera indigeant. Erunt autem eligendi a Vicario Apostolico, habita ratione tum originis, tum provectae aetatis, tum etiam laborum in missionibus superioris Aegypti exantlatorum, quibus tamquam emeritis minus onerosa provincia est imponenda. Reliqui sacerdotes eiusdem Vicarii Apostolici arbitrio ad superioris Aegypti missiones erunt ablegandi, singulisque sua missio destinanda, a qua, sine licentia Vicarii Apostolici discedere, nemini liceat, sub poena suspensionis, ipso facto incurrendae, nisi urgentis necessitatis caussa ab eodem Vicario Apostolico approbanda, illos excuset.

III. Semel in hebdomada die iovis, hora tertia ante meridiem, teneantur omnes sacerdotes saeculares, ac regulares copti, aliique eiusdem ritus in ecclesiasticis gradibus constituti lectioni theologiae moralis interesse, quae in urbe Cayri habebitur a Rmo Dño Matthaeo Righet, nunc Vicario Apostolico, vel in hospitio PP. Reformatorum, vel in alio commodiori loco ad

libitum eiusdem Vicarii Apostolici designando. Quando Vicarius Apostolicus aliqua occupatione impeditus fuerit, huiusmodi lectio, et instructio habebitur vel ab altero sacerdote a Vicario Apostolico designando, vel ab uno ex antiquioribus PP. Missionariis arabicam linguam callentibus, a Praefecto missionis deputando. Qui lectioni intererunt, proprio charactere singulis vicibus suum nomen inscribent in libro ad hunc effectum parato, qui ab eodem Dño Vicario Apostolico servabitur, ut identidem certiorem reddat S. Congregationem de observantia huius decreti, et de frequentia, ac profectu auditorum. Idem quoque servabitur, quantum fieri poterit, in stationibus superioris Aegypti, atque in iis praesertim, in quibus plures sunt sacerdotes, et magna catholicornm copia.

IV. Sacerdotes copti Missam celebrare debeant in ecclesia PP. Reformatorum Cayri, unus post alium, idque praesertim observetur in diebus Dominicis, vel festis diebus, in quibus magna esse solet populi frequentia, ut fideles sacrosancto Missae sacrificio interesse commode possint. Quamobrem maxime opportunum erit, si singuli sacerdotes inter se conveniant, distribuantque vicissim horas celebrandarum Missarum, iuxta cuiusque ordinem, ac aetatem, ne matutinis horis ecclesia debitis fraudetur obsequiis. Vicarius autem Apostolicus in urbe Cayri, parochi vero, et pastores animarum in oratoriis superioris Aegypti, vel ipsi per se, vel si fuerint legitime impediti, aliorum sacerdotum opera, aut ante, aut post Missae celebrationem, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut vitam aeternam consequi valeant. Pomeridianis autem horis sacram catechesim populum doceant, aliisque piis exercitationibus occupatum detineant, ne ad ludicra, aut profana dilabatur.

V. Iisdem diebus festis omnes confessarii incumbant cum omni studio audiendis confessionibus, ne inopia, aut incuria confessariorum priventur fideles fructibus tanti sacramenti.

VI. Numquam licebit sacerdotibus coptis e civitate Cayri, vel etiam per unum diem discedere, absque licentia Vicarii Apostolici.

VII. Magistri, qui in scholis tam in urbe Cayri, quam in aliis stationibus superioris Aegypti pueris erudiendis praesunt, quotidie illos ad ecclesiam deducant, ut ssmo Missae sacrificio intersint. Procedant, redeantque bini bini, iunctis manibus, cum omni modestia, comitante magistro. In principio scholae recitetur singulis diebus a magistro flexis genibus arabico idiomate oratio – *O Deus misericors, clemens, qui luce evangelii Domini nostri Iesu Christi illuminas filios hominum, et eos congregas in unitate fidei rectae, in cognitionem veritatis tuae;* – et quod sequitur. In fine autem scholae recitabitur oratio – *Gratias tibi agimus o Deus omnipotens etc.* – quae est pro gratiarum actione.

VIII. Vicarius Apostolicus, et missionis Praefectus totis viribus enitantur ut in celebrando sacrosancto Missae sacrificio, atque in administratione sacramentorum ab omnibus sacerdotibus coptis serventur omnino ritus, ac caerimoniae praescriptae in Missali, atque euchologio coptico edito typis S. Congregationis, ac nemini liceat quidquam immutare, addere, vel minuere, cum omnis discrepantia in celebratione mysteriorum Dei, non solum vetita sit a sacris ecclesiae canonibus, verum etiam indecora, ac catholicae religioni noxia plerumque comperiatur. Qui vero deliquerint, ritumque praescriptum quocumque modo variaverint, severioribus poenis coerceantur.

IX. Sacerdotes copti celebrare debeant divina mysteria capite penitus detecto, iuxta decreta huius S. Congregationis annorum 1760, et 1767, excepta gravi valetudinis necessitate, quo in casu ad Apostolicam Sedem recurrant pro dispensatione, iuxta decretum diei 21 aprilis anni 1788.

X. In privatis domibus Cayri, quantumvis privilegio oratorii ab Apostolica Sede decoratis, nemini ex sacerdotibus coptis Missam celebrare liceat nisi de licentia Vicarii Apostolici coptorum, ne publica ecclesia debito cultu privetur, et fideles ab audiendo in ea sacrosancto Missae sacrificio retrahantur.

XI. Caveant sacerdotes copti, ne in administratione Baptismi eos patrinos adhibeant, qui catholicae fidei mysteria omnino ignorant, eosque praeterea instruaut de impedimento cognationis spiritualis, quod contrahunt inter baptizatum et illius patrem et matrem: ac praeterea unus tantum sive vir, sive mulier iuxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de fonte suscipiant. Patrinorum autem nomina in baptizatorum libro parochi describant.

XII. Parochi omnes tam in superiori Aegypto, quam Cayri commorantes, teneantur librum habere tam baptizatorum, quam matrimoniorum, mortuorum, et reconciliatorum, iuxta praescriptum in Rituali Romano, ipsumque apud se retinere, aut alio securiori loco reponere, et in casu transgressionis puniantur a Vicario Apostolico.

XIII. Vetitum omnino sit sacerdotibus coptis sacramentum Confirmationis conferre iis, qui a latinis baptizati fuerunt, cum huiusmodi peculiaris, ac extraordinaria potestas Praefecto dumtaxat missionum Aegypti concessa

quandoque fuerit, donec aliquis catholicus Episcopus in Aegypto habeatur.

XIV. In eiusdem Sacramenti administratione, sacerdotes copti minime omittant unctionem frontis confirmandi, loco et tempore ab euchologio copto praescripto. Puniatur sacerdos a Vicario Apostolico, si contra fecerit.

XV. Ad evitanda dissidia, et perturbationes, quae in futuro excitari possunt caussa matrimoniorum, si forte oriatur dubium, ea fuisse in gradu prohibito inita, iniungitur omnibus, et singulis sacerdotibus coptis, ne ad matrimonii celebrationem deveniant, nisi prius facultate in scriptis a legitimo superiore obtenta, quae in archivio cuiuscumque hospitii pro maiori custodia servetur. Superiores autem, vel denunciationibus praemissis, vel alio quo fieri possit aptiori modo, priusquam ineundi matrimonii veniam concedant, diligentissime inquirant, num aliquod subsit dirimens impedimentum.

XVI. Quoad communicationem in divinis cum haereticis, serventur omnino ea omnia, quae praescripta sunt in instructione huius Sacrae Congregationis latine et arabice edita, cuius nonnulla exemplaria transmittuntur, ut sacerdotes copti probe calleant ea, quae circa eamdem communionem sunt omnino vitanda.

XVII. Indulgentiae plenariae, eae solùm lucrari possint a catholicis coptis, quae in decreto huius S. Congregationis edito die 28 martii 1733, et latine atque arabice impresso continentur.

XVIII. Removeatur pariter abusus, si forte adhuc inter coptos vigeat, ploratuum, ac naeniarum super defunctos, atque omnino observetur decretum huius S. Congregationis Generalis diei 21 aprilis 1788, quod est huiusmodi: *Quum relatum fuerit inter catholicos Coptos Aegypti vigere adhuc abusum, ut quandoque in funeribus soleant sibi ipsi facies plectere, naeniasque, ac ululatus super mortuis facere, S. Congregatio, referente Emo, ac Rmo Dño Cardinali Antonello Praefecto, inhaerens decretis alias latis 24 augusti 1760, et 12 iulii 1767, censuit, ac declaravit, prohibendum omnino esse coptis in mortuorum funeribus os luto foedare, vel plectere, aut eiulare more haereticorum, et hac arrepta occasione, renovavit decretum a Sacra Universali Inquisitione iam editum die 9 decemb. 1746, quo scilicet definitum fuit, non licere catholicis una cum missionariis associare cadavera haereticorum, quae ad ipsorum templa deferuntur, et funeri interesse cum cereis accensis: mandans R. P. Michaeli Angelo a Tricario visitatori, ac Praefecto Apostolico Missionum Ordinis Minorum reformatorum Aegypti, ut huiusmodi decreta notificet, eorumque observantiam sedulo curet.*

XIX. In reconciliandis haereticis ad fidem catholicam, sacerdos auctoritate munitus prius eum probe instruat in his, quae ad fidem orthodoxam pertinent, eiusque constantiam, et sinceram voluntatem in amplectenda catholica religione diligenter exploret. Deinde illum admittat ad professionem fidei coram saltem duobus, vel tribus testibus in ecclesia, vel in domo, abiurando haeresim, aut schisma; ac demum absolutionem illi impertiatur, in foro tantum externo propter haeresim, aut apostasiam, aut schisma, uti praescriptum est in professione fidei orthodoxae edita iussu SSmi Domini nostri Urbani Papae VIII. Praeterea nomen, oppidumque personae, eiusque abiuratio scribatur in libro reconciliatorum. Tempore autem opportuno recipiatur ad participationem sacramentorum, facta prius sacramentali confessione omnium peccatorum, et non alias, excepto mortis periculo.

XX. Serventur demum sanctorum Patrum regulae, Conciliorum decreta, et omnes constitutiones Sedis Apostolicae pro orientalis ecclesiae disciplina recte ordinanda editae, et praesertim instructiones pastorales SSmi Domini Nostri Benedicti PP. XIV: *Eo quamvis tempore,* et *Anno vertente* ad coptos transmissae, nec non decreta S. Congregationis de Propaganda Fide pro eiusdem nationis spirituali regimine emanata.

Caeterum meminerint sacerdotes, aliique, qui in aliquo ecclesiastico gradu constituti sunt, quod nihil est, quod magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus saeculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos, tamquam in speculum, reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum praeseferant. Quae quidem si ab omnibus sacerdotibus Christi inter catholicas nationes constitutis sectari oportet, quanto magis ab iis, qui inter eas gentes versantur, quae sunt christiani nominis hostes infensissimi? Magnum sane negotium, ac grave onus impositum iis est, qui, quemadmodum Apostolus Paulus, non modo fidelibus debitores sunt, sed etiam infidelibus, a quibus vel crudeliter vexantur, vel turpiter calumniantur. Habent tamen sacerdotes copti praeclarissimos olim alexandrinae ecclesiae antistites, habent veteres praepositos suos, qui ipsis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitentur fidem (ad Hebr. c. XIII. 7). Longum est ire per singulos: unus pro omnibus sufficiat *beatae recordationis Athanasii alexandrinae ecclesiae prudentissimi sacerdotis exemplum,* de quo sic S. Caelestinus Papa I, ad

clerum constantinopolitanum scripsit (Concil. Ephesin. par. I, apud Harduin. tom. I Concil. pag. 1311): *Cui non consolationi sit illius tolerantia? Cui non sit exemplo eius fortitudo, vel constantia? Eiicitur Arrio prosequente, sed revocatur Domino protegente. Passus est carcerem, passus angustias; nec mirum si vir apostolicus ea passus est, quibus se Apostolus gloriatur exercitatum. In his tamen omnibus secutus est illum, qui sibi in tribulationibus se placere testatur. Fugatus illinc, et in nostris partibus roboratus est. Denique hic ei redintegratus est status, et in hac Sede quietem communionis invenit, a qua semper catholicis subvenitur.* Eadem spe inter eas, in quibus versantur, angustias, sacerdotes, atque universa coptitarum natio sese mutuo consolentur: numquam ipsis deerit Dei omnipotentis auxilium, numquam huius S. Apostolicae Sedis patrocinium, quae strenuos fidei catholicae defensores sua auctoritate fulcire, omnique ope solari in universa Christi ecclesia, ipso Christi Domini ad B. Petrum excitata praecepto « *confirma fratres tuos* » semper in more habuit.

Has autem regulas SSmo D. N. Pio Pp. VI relatas in audientia habita per Emum et Rmum Dominum Cardinalem Antonelli S. Congreg. Praefectum die 18 martii 1790, Sanctitas Sua in omnibus adprobavit, eisque apostolicae suae auctoritatis robur adiecit.

602

De apostatis ad Ecclesiam non publice sed occulte redeuntibus ne temporalia bona amittant.

Instr. S. C. de Prop. F. *26 Iunii 1790* (ad Ep. Miden.) — Quoad quinque postulata a te proposita, quae summatim ad hoc reducuntur, ut docearis quomodo te gerere debeas cum apostatis a catholica fide, qui in Ecclesiae gremium reverti postulant, atque id quidem non publice, sed secreto, ne bona temporalia per apostasiam acquisita, aut alia, quibus antea potiebantur, amittant: equidem constans ac perpetua Ecclesiae doctrina fuit, quod publici a fide apostatae nunquam in eiusmodi Ecclesiae sinum recipiantur nisi prius manifestis poenitentiae indiciis scandalum reparaverint, quod fratribus praebuerunt. Neque enim temporalia hona tanti habenda sunt, ut pro iis retinendis haeresis professio, licet apparens et ficta, tolerari ullo modo possit. Quare Emi Patres in sententia fuerunt, ut apostatae, qui occulte tantum ad catholicam communionem admitti postulant, omnino reiici debeant, nisi prius omnia munera et bona dimiserint, quae retineri non possunt nisi ab haereticis, quaeque iis collata sunt intuitu eorumdem apostasiae ita ut, si ea bona ac munera sibi retinerent, in communi hominum aestimatione tacitam haeresis professionem praeseferrent. Neque ab hoc praestando eos excusare potest metus amittendi bona temporalia, licet hisce bonis omnino indigeant ad suam suarumque familiarum substentationem. Etenim quum huiusmodi reditus implicitam haeresis professionem inducant, omnino abiiciendi sunt, ut scandalum reparetur quod Ecclesiae ob apostasiam praebuerunt, praestatque eos pauperes evadere cum Christo, et salvos fieri, quam divites esse cum aeterna eorum damnatione.

Neque eos excusat periculum, quod per publicam catholicae fidei professionem, abdicatisque iis muneribus ac bonis, quibus non nisi propter haeresim fruebantur, ipsorum filii in haeresi educentur, illecti fortasse ut in parentum bona succedant. Primum enim non adeo facile est ut id accidat ob libertatem a Gubernio catholicae religioni concessam: deinde, quocumque in casu, quantum in se est, omnino curare tenentur, ut etiam filii catholicam religionem sequantur: et quando id obtinere minime possint, non sibi culpae adscribendum erit, si filii aeternam salutem amittant. Ex hisce rationibus plane evincitur, nullum apostatam ad Ecclesiae sinum admitti posse, qui occulte quidem catholicam religionem profiteri velit, publice autem haeresim, idque ob fines temporales et mundanos.

Quod vero attinet ad ultimum postulatum, an scilicet, pro reparando scandalo apostasiae sufficiat abiurationem emittere coram quatuor aut sex testibus, cum animo scandalum etiam publice reparandi, quatenus circumstantiae non obstarent, S. Congregatio censet quod quando apostatae, iuxta principia praemissa, renuntiaverint omnibus bonis et utilitatibus temporalibus, quae esse solent indicia protestativa haeresis, quum ab solis haereticis possideri possint, et quando parati sint procurare educationem prolis in fide catholica, quantum ab se dependet, et quatenus demum observare velint Ecclesiae praecepta in iis omnibus circumstantiis in quibus eorum violatio haeresis simulationem indicaret, aut scandalum praeberet fidelibus, in hoc casu satis erit quod formalis abiuratio fiat coram Episcopo, et in praesentia quatuor, quinque, aut plurium testium, iudicio ipsius Episcopi. Non enim necessarium videtur quod publice fiat, aut maiori cum solemnitate, quae in Hibernia fortasse gravia religioni detrimenta afferre posset.

603

De iis qui a sponsalibus resiliunt.

S. C. de Prop. F. *22 Nov. 1790* (C. G.) — Scodrae. — 1. Molti che contraggono gli sponsali, resiliggono poi da simili contratti non effettuandoli col matrimonio. Non volendosi questi tali ridurre a dovere ad onta di scomuniche ed altri rigori della chiesa, si domanda qual termine di tempo può prescriversi per tenerli esclusi dalla partecipazione della comunione dei fedeli.

De viduis ad alteras nuptias immediate transeuntibus.

2. Più volte le donne restando vedove passano immediatamente a seconde nozze: dal che non di rado succede qualche disordine; si domanda se alle medesime può essere accordato il permesso di passare a seconde nozze subito che restano vedove, oppure se debba prescriversi qualche termine di giorni.

De defunctis sub crepidine vel suppedaneo altarium sepultis.

3. *Sub crepidine vel suppedaneo* degli altari di questi paesi non si è fatto mai scrupolo, nè si fa, di seppellire i morti, con specialità i Vescovi e sacerdoti. Si domanda che cosa debba farsi con quelle ossa de' morti che esistono in tali luoghi, perchè a disotterrarle è cosa difficilissima, non essendovi qui quei commodi che sono nelle parti della cristianità; e che cosa dee farsi con simili altari.

R. Ad 1. Caute procedendum esse in infligenda excommunicatione, et mulieres praesertim a sponsalibus recedentes numquam excommunicandas, iuxta Decretalem Lucii III in Cap. *Requisiti, De Sponsal.;* et si quandoque et ex gravi causa sunt viri excommunicandi, post annum esse absolvendos.

Ad 2. Nullum tempus praefigendum.

Ad 3. Quoad praeteritum nihil esse innovandum: quoad futurum curandum ne amplius ibidem sepeliantur.

604

De quadam promissione quae a christianis post persecutionem exigitur ut ad propria dimittantur.

S. C. de Prop. Fide *7 Februarii 1791* (C. P. pro Sin.) — Quid sentiendum sit de formula inferius scripta quam frequentissime afferunt christiani praefectis, scriptum emendationis exigentibus, quando, finita persecutione, ad propria dimittuntur: *Ego vere christianus sum, et promitto quod, ad propriam domum reversus, muneri meo absque ullo crimine incumbam, neque umquam perversam religionem sectabor.* Quaeritur num formula haec saltem tolerari possit: pauci enim inter christianos (erunt) qui in actuali circumstantia audebunt scribere se in posterum adhuc christianos futuros, licet sat ordinarie coram praefectis ore id praedicent: quia tunc praefectus formulam hanc, quam debet in archiviis sui praetorii servare, procul dubio non acceptaret, christianosque in carceres diutissime restitueret cum periculo apostasiae.

R. Non licere, et formulam esse reprobandam, palamque, si interrogati fuerint ab habentibus potestatem, se christianos esse, et in religione christiana usque ad mortem perseveraturos profiteri omnino tenentur.

605

Super nonnullis ecclesiasticae disciplinae capitibus.

Instr. S. C. de Prop. F. *25 Iunii 1791.* — (ad Archiepiscopos Hiberniae) — Haec S. C. cuius vos estis *gaudium et corona,* quosque in oculis habet, ac singulari charitate complectitur, observantiam momentosiorum disciplinae capitum vobis commendandam suscepit, quae ab Episcopis absque gravissimo animarum detrimento, quae eorum curae concreditae sunt, praetermitti non possunt.

De libris parochialibus.

Ac primo quod spectat ad Matrimonii sacramentum, enixe commendat ut quod in Cap. I, sess. 24 *de Reform. Matrim.* a sacrosancto Concilio Tridentino providentissime praescriptum fuit, fideliter adimpleatur. Haud semel nobis nuntiatum est, apud parochos nequaquam adservari libros ubi matrimoniorum, quae rite celebrata sunt, et baptismorum a se collatorum numerus diligenter adnotari debet. Quapropter in usum revocanda sunt saluberrima eiusdem Concilii monita, quod in Capite superius memorato ita praescribit: « Habeat parochus li-« brum in quo coniugum et testium nomina, « diemque et locum contracti matrimonii de-« scribat, quem diligenter apud se custodit ». Itemque in Cap. II: « Parochus antequam ad « Baptismum conferendum accedat, diligenter « ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur quem « vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro « fonte suscipiant, et eum vel eos tantum ad « illum suscipiendum admittat, et in libro eo-« rum nomina describat ». Quin imo peroportunum videretur si iidem parochi ipsas quoque dispensationes matrimoniales in eodem libro exacte recenserent. Item rumor quidam ad nos usque percrebuit, matrimoniorum denunciationes omnino negligi, quae ob nimiam Episcoporum indulgentiam in iis dispensandis, absque parochorum interventu clanculum celebrari solent. Id etiam Tridentini legibus aperte adversatur, quod in eadem Sess. 24 *de Reformatione Matrimonii* sic habet: *Idcirco S. Concilii Lateranen., sub Innocentio III celebrati, vestigiis inhaerendo praecipit* (sancta Synodus), *ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum.* Quod si Episcopi interdum gravi urgente causa satius ducerent ab iisdem denunciationibus dispensare, tunc normam ac regulas a Benedicto XIV praescriptas *in Const. 35 Tom. I sui Bullarii* omnino sequi debent (1).

(1) In Const. seu Litt. encycl. Bened. XIV *27 Nov. 1741* ad omnes Episcopos haec habentur: «... Periculi non « infrequens occasio vos reddat difficiliores ad remit-« tendum publicationes, a quibus contracturi matrimo-« nium saepe per malitiosam suggestionem petunt dis-« pensari. Quam caute solerterque oporteat ea in re « Episcopos versari, non obscura vobis a Concilio Trid. « exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem sancta Sy-« nodus) probabilis fuerit suspicio matrimonium mali-« tiose impediri posse si praecesserint denunciationes,

De parochorum electione.

Alterum vero gravissimum disciplinae caput quod praecipue in populorum sanctificationem redundat, est optima, quoad fieri potest, parochorum electio, qui haud impares ad tanti muneris onera sustinenda vires habere demonstrent. Pluries huiusce S. C. decretis iussum est ut ad paroecias obtinendas concursus adhibeatur, iuxta monita Concilii Tridentini *in Sess. 24 de Reform. cap. 4.* Et si singulae formalitates a Concilio Tridentino praescriptae pro concursuum celebratione observari minime possent, tunc ea saltem cura quatuor Metropolitanis incumbit, ut altera communi consilio statuatur ratio ab Episcopis ineunda pro paroeciarum collatione, quae eorum prudentiae, ac vigilantiae magis accommodata videbitur. Sic enim agi sapientissime voluit idem Concilium quod quum praevideret formam ab se pro memoratis concursibus praescriptam aliqua de causa teneri non posse, alteram viam ineundam demonstravit in *§ Si tamen* eiusdem loci.

Quapropter saluberrimis hisce monitis insistentes, haec saltem sanctissime iubete, ne paroeciae plus semestri spatio viduae relinquantur; ne ab Episcopis conferri possint, praeterquam iis qui fuerint ab examinatoribus rite adprobati; utque ex iis, qui examen subierunt, is semper praeferatur, qui maiori pietate, prudentia, ac religionis amplificandae studio instructus, diuturniorem animarum curae experientiam adeptus est.

Quod si fortasse examinatores synodales alicubi deessent, tunc eorum supplemento, quotannis viros morum probitate, ac scientia spectatos quilibet Episcopus destinare posset, accedente Capituli adprobatione, ubi adsit: ubi vero desit, parochorum aetate provectiorum consensu.

Hoc idem examen praemitti quoque necesse esset pro illarum paroeciarum collatione, quae ab Apostolica Sede conferuntur, etiamsi propter resignationem, aut coadiutorem collatae sint (1).

Haec autem monita vestrae maturitati ac prudentiae proponimus, ut ea diligenter excutiatis, ac, si quae regionum, ac temporum circumstantiis magis accommodata obversentur, eadem nobiscum communicare ne vereamini, ut universalis, et unisona, iure ac merito Paroecias conferendi forma tandem aliquando statuatur. Enim vero, ut idem Concilium loco citato egregie pronunciat, *expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochis gubernari.*

Decet quoque, ut praesbyteri saeculares in Paroeciarum collatione regularibus praeferantur; verumtamen cavete, quaesumus, ne vobis propterea falso suadeatis, presbyterorum saecularium virtute praeditorum defectu, paroecias regularibus nunquam esse in administrationem conferendas, donec Episcopis ibidem eosdem retinere lubitum erit. Plurimi

---

« tunc vel una tantùm denunciatio fiat, vel saltem « parocho et duobus testibus praesentibus, matrimo- « nium celebretur, et deinde ante illius consummatio- « nem denunciationes in ecclesia fiant ut, si aliqua « subsunt impedimenta, facilius detegantur. Praeterea « licet Episcopo relictum sit omnimode super denun- « ciationibus dispensare, haec tamen facilitas, non a « sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino « coercetur arctis prudentiae discretique arbitrii legibus; « quod idem est ac legitimam causam dispensationis « requirere. — Parem quoque, imo fortasse maiorem « vigilantiam necesse est a vobis adhiberi ne, post re- « missas denunciationes, celebretur matrimonium co- « ram parocho, vel alio sacerdote ab ipso parocho vel « a vobis deputato, praesentibus duobus vel tribus te- « stibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia vel « rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum sacrorum « Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quae- « vis et vulgaris causa, sed gravis, urgens et urgentis- « sima requiritur. A sacro Nostrae Poenitentiariae tri- « bunali, eo potissimum casu fit potestas ita celebrandi « matrimonium, quo vir et femina in figura matrimo- « nii publice degentes, et de quibus nulla viget criminis « suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent; « facile enim quisque coniiciet quam absonum esset, « eos, a statu damnationis per gratiam Sacramenti re- « vocandos, ad publice contrahendum matrimonium « praeviis denunciationibus compelli. Hanc vero praxim « vobis duximus proponendam, non quia dispensatio « praemisso casui solum congruat, cum alii similes, et « fortasse urgentiores esse possint in quibus dispensari « expediat, sed quia vestri pastoralis officii partes ver- « sari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti « causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata « luctuosos habeant exitus quos intimo cordis moerore « recensuimus. Hunc porro in scopum vos hortamur « et impense admonemus ut personarum matrimonium « secreto contrahere petentium diligens fiat a vobis in- « quisitio: an scilicet eius qualitatis, gradus et condi- « tionis sint quae id probe exposcant; an sint sui vel « alieni iuris; an filiifamilias quorum nuptiae patri « iuste dissentienti sint invisae; ab episcopali etenim, « quod geritis, munere nimium esset alienum facilem « praeberi filio inobedientiae occasionem; an res sit de « personis ecclesiasticis, licet in minoribus Ordinibus « constitutis, pensiones et beneficia ecclesiastica obti- « nentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxo- « rato congruis remediis postea compescatur. Potissi- « mum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti « matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes « certa et indubia, et a quavis fraude immunia exhi- « beant documenta status liberi, ad avertendum ab iis, « qui improbi sint ingenii, polygamiae periculum *etc.*»

(1) In Synodo Plenaria Hiberniae an. 1865 in Decreto XXI haec habentur: « Qui ad ecclesiarum paro- « chialium curam sunt promovendi tales esse debent « qui idonei sint aetate, moribus, doctrina, prudentia, « et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam « opportunis. Maximi momenti est ut parochi hisce « omnibus dotibus praediti eligantur, atque ad id con- « sequendum forma quaedam concursus a Conc. Tri- « dentino est proposita. Verum cum per circumstan- « tias huius regionis, concursus, quamvis optandus, « vix introduci possit, Episcoporum hac in re diligentia « et zelus est exercendus ut omni cura et prudentia in « tam gravi negotio procedant, diligenterque caveant « ne paroeciae conferantur nisi iis qui a synodalibus « examinatoribus, si adsint, sin vero a theologis ab « Episcopo delectis approbati fuerint, quique moribus « ac scientia ceteris praestent ».

enim refert, ut Episcopi, quamvis clerum saecularem eximia quadam charitate fovere, ac praediligere debeant, tamen Regulares contemptui nunquam habeant. Secus autem apud vos evenire, non sine magna admiratione rescivimus. Haec enim est praeiudicatae mentis opinio, quae pravis huiusce saeculi novitatibus indulget, a quo Regularibus universis tam saevum, asperumque indictum est bellum. Ecquis autem ignorat, quot, ac quanta beneficia ab Ordinibus Regularibus in Ecclesiam catholicam omni aevo sint derivata? Atqui audite in hanc rem aurea Concilii Tridentini verba *(Sess. 25, de Regularibus Cap. 1). Non ignorat Sancta Synodus, quantum ex monasteriis pie institutis, et recte administratis in Ecclesia Dei splendoris, atque utilitatis oriatur.* Minime nos fugit, isthic locorum monasteria haberi non posse ea forma, iisque Legibus constituta, quibus ubi catholica religio dominatur, vigent, ac florent. Scimus tamen quamplures isthic versari Regulares, diversa Instituta profitentes, qui eamdem nunc quoque utilitatem catholicae religioni praestare possint, quam anteactis temporibus feliciter praestiterunt, dummodo ea morum sanctitate vitam ducant, quae religiosam eorum professionem maxime deceat, talesque sint, quibus Episcopi divini verbi praedicationem, et Sacramentorum administrationem indulgere valeant, ut omnes, collatis viribus, ad animarum salutem procurandam amice conspirent. Mirum autem, quantum in hanc rem prodesse poterunt regulae ab immortali Pontifice Bened. XIV sapientissime praescriptae pro Missionibus Anglicanis, quarum observantia istius etiam Regni Missionibus perutilis esse poterit.

Avaritiae vitium ab ecclesiasticis funditus evellendum.

Satis compertum habet Sacra haec Congregatio, nihil unquam egregios Hiberniae Episcopos antiquius habuisse, *quam ut ab omni Ecclesiastico Ordine omnis avaritiae suspicio abesse debeat,* quemadmodum Concilium Tridentinum gravissime monet *in Cap. 1, sess. 21 de reform.* Nihilominus, quum huiusmodi vitium in abditis animorum latebris apud ecclesiasticos facillime delitescat, quumque avaritia malorum omnium sit fons et origo, ac illius praesertim contemptus, quem ecclesiastici turpi lucro inhiantes apud saeculares sibi conflare solent sacri ministerii vituperio, idcirco vos enixe rogat in visceribus Dñi Nostri Iesu Christi ut non modo ab omnis quaestus cupiditate alienationis exemplum praebeatis, ac vel ipsam huiusce labis suspicionem a vobis quam longissime removeatis; verum etiam ut pravum huiusmodi vitium ab omnibus Sanctuarii ministris funditus evellere curetis, exacta Decretorum Concili Tridentini observantia in *Cap. 1, sess. 21 de reform.; in Cap. IX sess. 22, de observandis ac evitandis in celebratione Missae, et in Cap. 14 sess. 24 de reform.* Quocirca, ubi opus erit, opportunis monitis, atque decretis providete, ut omnes illico, siqui forte in animis ecclesiasticorum excitentur, indebiti quaestus igniculi restinguantur, atque Sacramentorum administratio, beneficia ecclesiastica, dispensationes matrimoniales, sacrorum celebratio omni careant avaritiae suspicione, ac caste sancteque peragantur.

De parocciis *mensalibus.*

Aequum tamen est, ut quilibet Episcopus a se administrandam retineat paroeciam unam, quam isthic *mensalem* appellant, ut ex eius proventu suum quisque sibi subsidium ad vitam sustentandam comparare valeat. Verum elapsis annis monuit S. Congr., ut in qualibet dioecesi huiusmodi paroeciis mensalibus constitutis, nunquam eas Episcopis resignare liceret, suorum successorum detrimento. Nunc autem hanc ipsam providentiam peculiari quatuor Metropolitanorum curae committit, ne deinceps Episcopi opus habeant Apostolicae Sedis veniam implorare, ut binas paroecias administrandas apud se retineant, id quod Tridentini praeceptis in *cap. 17, sess. 24, de reform.* aperte adversatur.

De parochis egenis sublevandis.

Illud autem summopere expetendum esset, ut collata Episcoporum ope, aliquo modo redituum tenuitas augeretur egentissimarum paroeciarum, quae parochis sufficientes eleemosynas ad vitam alendam minime subministrant. Huic incommodo facile occurrere fortasse possent, si pauperiorum inopiam sublevandam studerent ditiorum paroeciarum subsidiis, vel altera quacumque ratione, quae Episcoporum prudentiae aptior, atque opportunior videbitur.

De Episcoporum residentia.

Praeterea in Episcoporum mentem S. Congr. revocandum esse censet arctissimum residentiae debitum, de quo tam graviter, sapienterque decrevit idem Concilium *sess. 6. de reform. C. 1, 2; sess. 21, C. 3; sess. 23, C. 1; sess. 24, C. 12.* Perspecta Hiberniae Praesulum pietas Sacram Congregationem in eam spem adducit, ut eorum singuli praecipuae huic sui muneris parti sancte ac fideliter perfungantur. Verumtamen si quis eorum diuturno temporis spatio, ac sine legitima causa a propria dioecesi abesse auderet, in id Metropolitani maxime incumbant, ut haec S. Concilii iussa exequantur: *Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censurae subiiciatur, Metropolitanus suffraganeos Episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus Episcopus antiquior residens, sub poena interdicti ingressus Ecclesiae eo ipso incurrenda, infra tres menses per litteras, seu nuncium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes prout cuiusque maior, aut minor contumacia exegerit, suae supremae Sedis auctoritate animadvertere, et Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.*

De pastorali visitatione.

Quis autem ignorat, alterum haud levioris momenti debitum ad singulos Episcopos spectare, quod in suarum dioecesum perlustrationibus consistit, quodque tam sollicite ab eodem Concilio inculcatum *in sess. 34, Cap. 3, de reform.* Ceterum supervacaneae omnino redderentur, si licet saepius confectae, ut Concilium praescribit, ad eum praecipuum scopum ac finem non collimarent, quem prae oculis maxime habuit Concilium, ubi ait: *Visitationum autem omnium istarum praecipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cetera ut locus, tempus, et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere.* Utinam singuli Episcopi maiori qua possent, frequentia, suas dioeceses percurrerent, caelesti spiritu, atque unico cleri populique mores reformandi studio permoti! Quot ac quanta christianae reipublicae emolumenta redundarent ex hoc usu, quo non tam passibus, quam alte impressis virtutum vestigiis, suas, qua late patent, dioeceses peragrarent, nemo non videt.

Quum vero Episcopi Hiberniae huiusmodi visitationum relationes ad Apostolicam Sedem singulis decenniis transmittere per organum huius S. Congregat., praestita iurisiurandi religione teneantur, eadem S. Congr. haud mediocriter commovetur, quod easdem a plerisque vestrum iamdiu desiderare patiatur. Admodum enim pauci sunt, Praesules, qui postremis hisce temporibus relationes *ad limina* nuncupatas, rite transmiserint. Porro, ri recte sentiunt, huiusmodi usus ab Apostolica Sede institutus tantum abest, ut grave iisdem iugum imponere velit, quin imo suave quoddam vinculum dumtaxat inire cupit mutuae illius, ac iucundissimae communionis, qua Pastores universi cum centro catholicae Ecclesiae in unum debent coalescere et pulcherrimae illius membrorum convenientiae, quae sub uno capite unum corpus mirifice efforment. Sic enim multo facilius iis ex Apostolicae auctoritatis fonte promanant fructus, atque praesidia, quae pro ovium suarum salute possunt exposcere; quum viceversa Pastori universali Ecclesiae catholicae onus incumbat a Servatore nostro Apostolorum Principi, suisque successoribus praescriptum, pascendi non tam oves quam agnos, ac proprios fratres confirmandi, diligendi, sublevandi. Quid quod mutuum huiusmodi omnium Ecclesiarum cum prima Sede commercium, atque amica membrorum omnium cum capite coniunctio, Ecclesiae unitatem imprimis conservat; ideoque suum usque ab eiusdem Ecclestae incunabulis ortum duxit? Nonne enim ab Episcopis in celeberrimo Concilio Sardicensi congregatis Iulio Pontifici scriptum fuit: *Hoc enim optimum, et valde congruentissimum esse videtur, si ad Caput, idest ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes?*

Quae vero huiusmodi relationum de vestrarum Ecclesiarum statu forma esse debeat, minime ignoratis. Illud harum relationum caput praecipuum, quod maxime in votis habet haec S. Congr., est scholarum auctio, et iuventutis institutio. Haud latet, propter temporum iniquitatem, ac longe aerumnosam conditionem vestram, Seminaria nequaquam erigi posse iuxta regulas Concilii Tridentini. Cur tamen huic defectui suppleri non potest scholarum erectione, nonnullius Academiae institutione, ac sedula parochorum opera teneram adolescentium aetatem, quae sicut mollissima cera ad nostrum arbitrium formatur ac fingitur, Fidei rudimentis imbuendi?

Iuventutis institutio, scholarum erectio.

Et sane incensum adeo est S. Congregationis studium pro huiusmodi scholarum erectione, ut in hanc rem quotannis Archiepiscopo Dubliniensi scut. mille summam ex proprio aere libentissime subministret. Abunde satis perspecta eiusdem amplissimi Praesulis virtus dubitare non sinit de recta eiusdem summae in singulas dioeceses erogatione, atque usu ad normam decretorum S. huius Congregationis. Nihilominus pergratum haberet, si Episcopi in transmittendis relationibus indicabunt, quae sunt gymnasia eadem pecunia sustentata; ubi sint instituta; qui sint praeceptores; qui demum profectus a studiosa iuventute, Deo favente, retrahatur. Vix enim, aut ne vix quidem dici queat, quanta voluptate perfundi poterit S. Congr., si fructum a suis largitionibus perceptum valeat agnoscere. Ac profecto si asperis hisce temporibus, tot alias Missiones, Galliae subsidiis repente infelicissime orbatas, alere, ac sustentari coacta non esset, ad longe effusiores liberalitates novum inde sumere posset incitamentum.

Paroeciarum status.

Paroeciarum vero status, et nomina sapientiorum parochorum promerita, unum ex praecipuis relationum *ad limina* capitibus conflare deberent. Sic enim quotiescumque essent Ecclesiae suo viduatae Pastore, S. Congr. in antecessum probe nosceret viros episcopali munere digniores.

Porro haec habebat S. Congr. potiora ecclesiasticae disciplinae capita, quae Metropolitanis, ac cunctis Hiberniae Regni Episcopis pro suo munere commemoraret; ut quaecumque a veteri morum studiorumque ratione dilapsa, ad pristinam semitam revocanda sint, ac severioribus legibus vincienda videantur, ea statuere facilius, ac sancire possitis, quae ad Apostolici ministerii vestri rationem maxime conferant. Haec autem omnia non nova, neque ad severiorem disciplinam exacta, sed ex illius universalis Concilii decretis profecta sunt, quod

postremis temporibus, tanto bonorum plausu, tantaque Ecclesiae utilitate omnes abusus extirpare curavit, qui sensim in rei Catholicae perniciem irrepserant.

Adhortatio.

Studium vero singulare, quo S. Congr. vehementissime flagrat, ut Hiberniae Ecclesiae florentiores, ac splendidiores in dies appareant, hanc epistolam conscribendam suasit ut Pastores ea caritate magis, magisque incitati, qua illos par est communi consilio, ac vigilanti cura pro Ecclesia excubare, flagrantius excitentur, cum ad ampliorem fructum ex illius bonis cum gaudio porcipiendum, tum et ad mala deflenda ac detestanda, quae infelicissimis hisce temporibus graviora esse non posse, summopere dolemus atque ingemiscimus. Quapropter curate diligenter, ut damna eidem illata, maiori qua licet pensatione reparetis, catholicam fidem acriori studio amplificantes, bonorum religionem excitantes, malorum perfidiam reprimentes, omnibus rectam vivendi normam praebentes, ne adversarii nostri loquantur mala de nobis, quinimo, licet inviti, fateri cogantur, verum religionis spiritum, charitatem, mansuetudinem, ceterasque virtutes apud veros Ecclesiae catholicae cultores unice domicilium habere. Verum ad tantae rei finem assequendum, iterum ac tertio inculcabimus, nihil amplius valere posse, quam recta ecclesiasticorum vita et exemplum, in quos ceteri, tamquam in speculum intuentur. Ad hoc omnes conatus intendite, atque ea praesertim occasione, cum inter vos convenitis de negotiis provinciarum vestrarum tractaturi. Maxime enim oporteret, ut non praepropere, ac festinanter illos conventus ageretis, sed mature collatisque consiliis, atque etiam rogata sententia praecipuorum Episcoporum. Tunc opportunum foret rectae cleri institutioni consulere, revocare in memoriam quae saepius ab hac S. Congregatione sancita sunt, ea praesertim Epistola Encyclica ad omnes metropolitanos scripta die 20 Augusti an. 1768, illaque parare remedia, quae abusibus, ac corruptelis resecandis apta videbuntur, zelum cum lenitate temperantes, ne per nimiam humilitatem subditorum vitia convalescant, neque per immoderantiam severitatis sacra Episcoporum potestas contemnatur. Tandem, ut aliquando huic epistolae, longiori fortasse, quam antea putabamus, finem imponamus saluberrimis Concilii Tridentini praeceptis, quibus eam incepimus, totamque respersimus, enixe rogamus vos, atque obtestamur, ut quidquid ab eo sapientissime praescriptum fuit circa vitam, exemplum, mores, singulasque ecclesiasticorum actiones, continenter prae oculis habeatis, atque animo penitus insculpatis. Itaque omnino mentibus vestris haereat grave illud ac plenum sapientiae monitum, quo Gregorius Magnus Numidae Antistites olim hortabatur ad pacem, ad Ecclesiae defensionem, ad sollicitudinem de proximorum animabus: « *Quaeso ergo,* inquit, *vosmetipsos invicem alterna pace diligite in Christo, et haereticis vel inimicis Ecclesiae uno cordis intuitu obviate. De proximorum animabus estote solliciti, ad fidem quos valetis praedicatione caritatis, praetenso etiam terrore futuri iudicii, suadete: quoniam Pastores constituti estis, et Dominus gregum ab iis, quibus commisit, Pastoribus fructum multiplicati gregis expectat. Qui si proprii gregis augmentum, adhibito studio diligentiori, prospexerit, multiplicibus profecto vos caelestis regni muneribus decorabit* ». Vota sunt haec nostra erga vos, Praesules amplissimi, ac dum verbis utentes SSmi Pontificis, fraternae dilectionis alloquium persolvimus, Deum enixe precamur, ut vos diutissime servet incolumes.

606

De statu libero comprobando.

Ex Instr. S. C. de Prop. Fide *1792* — (ad Pro-vic. Ap. Tunk. Occid.) — Te non latere arbitror quidquid per sacros Canones hac super re (de secundis nuptiis) sancitum est. Nam cap. 2 *De secundis nuptiis* quemlibet ad secundas nuptias transire vetitum est, nisi constet firma certitudine quod ex hac vita migraverit eius coniux. In cap. *In praes., De sponsalibus* iubetur ut nemo auctoritate Ecclesiae contrahere secundas nuptias possit donec certus nuntius recipiatur de morte prioris viri. Et iure quidem optimo: cum enim ex divina lege nexus coniugii non alia causa quam alterius coniugis morte dissolvatur, ita ut qui alterum duxerit, vivente coniuge primo, moechiae scelere coinquinetur, consequens est certum nuntium expectari debere de morte prioris coniugis, priusquam novae nuptiae permittantur. Neque sufficit rumor incertus, aut diuturna coniugis absentia, aut probabilia argumenta illum interiisse, sed vel testem omni exceptione maiorem adesse oportet, qui vidisse se mortuum priorem coniugem sacramenti religione confirmet, aut tales coniecturae de illius interitu intervenire debent, quae prudentem virum ita plane esse morali quadam certitudine persuadeant. Allatae a vobis calamitates belli, famis, captivitatis, aliaeque huius generis, quae vastitatem regioni ac plurimis interitum attulerunt, non tanti ponderis sunt ut viris aut mulieribus, qui coniuges amiserunt, passim permitti possit novas nuptias appetere. Quamobrem, si qui iam nova coniugia contraxerunt, et quidem in bona fide, existimantes se per interitum coniugis a priori coniugii vinculo absolutos, relinquendi sunt in bona fide, quia bonae fidei possessor turbari a possessione non debet. Si eorum alter dubius et anceps est, reddere quidem debitum potest, non autem petere. Si demum uterque mala fide contraxit, iam sunt omnino separandi. Cavendum praeterea et illud est, quod si for-

tasse contigerit priorem coniugem, quem mortuum putabant, adhuc in humanis existere, tunc secundae nuptiae sunt omnino irritandae, et, dimisso posteriori coniuge, ad priorem reverti unusquisque tenetur. Consuli hac de re potest S. Leo Magnus ad Nicetam Aquileiensem (1).

607

De usu deferendi in fronte signum *bottou*.

Instr. S. C. de Prop. Fide *15 Febr. 1792* (AD VIC. AP. PONDICHER.) — Superioribus litteris quaerebas: « Potestne tolerari usus qui « viget in *Telegou* regione, quo christianae « mulieres in fronte depictum deferunt signum « rubei coloris, *bottou* dictum, ad ornamen- « tum, et ut distinguantur a viduis, sine ullo « respectu ad idololatriam, sine ulla superstи- « tionis idea? »

Ita sane proposita quaestio nullam difficultatem habere videbatur quin affirmativum responsum daretur, sed obstabant litterae D. Magny, quarum exemplum adiunctum transmiseras. Ipse enim affirmabat ex illius gentis opinione, superstitiosi aliquid contineri in illo signo *bottou*, et rubeum colorem suspicionem aliquam falsae religionis praeseferre. Itaque tota facti erat inter vos controversia.

Ea tamen penitus sublata est altera epistola tua diei 20 Septembris anni 1789; ipsum enim D. Magny, re magis explorata, mutatoque consilio fateri aiebas, nulla superstitionis labe infici signum illud *bottou rouge*, quoniam interrogati ab eo Bramani affirmarunt, *bottou*, seu alias dictum *concam*, nihil aliud esse quam indicium mulierum nuptarum, quo illae ad ornatum utuntur, neque ullius sectae significationem praeseferre, neque aliquam cum falsis numinibus relationem habere. Haec confirmasti eiusdem D. Magny epistola ad te scripta die 26 Maii, cuius etiam exemplum ad nos misisti. Cum igitur nunc in eamdem sententiam ambo conveneritis, sublataque sit ea praecipua dubitandi ratio, num signum illud aliqua superstitione inficeretur, vestro etiam iudicio consensit S. C., et illius signi usum minime christianis prohibendum esse duxit. Id autem concinere etiam videtur Constitutioni Apostolicae Gregorii XV, quae incipit *Romanae Sedis Antistes*. In ea enim quaedam signa Indis deferre permissum est, iis tamen legibus et conditionibus, quae omnem omnino superstitionis aut scandali speciem removerent. Et quamvis decretum Cardinalis de Tournon generatim iubeat: « Quaecumque alia signa albi « vel rubei coloris quibus Indi superstitiosissimi « in fronte vel in pectore, aut in alia quavis « corporis parte utuntur, deferre prohibemus »; attamen animadvertendum est, istud decretum in Pontificiis Constitutionibus Clementis XII *Compertum* et Benedicti XIV *Omnium sollicitudinum*, hac adiecta conditione confirmatum fuisse, videlicet servata in omnibus Constitutione Gregorii XV, edita die 31 Ianuarii 1623, quae incipit *Romanae Sedis Antistes*. Ita vero conveniunt tam decretum Card. de Tournon, quam Constitutio Gregorii XV, quod utriusque iudicio omnia quaecumque signa, quae levem etiam superstitionis speciem preseferunt, omnino prohibeantur, permittantur autem cetera, quae ad ornatum, ad civilem cultum, ad corporis munditiem passim ab omnibus, absque ulla ad religionem relatione, adhibentur.

Alterum dubium erat: « an liceat mulieri- « bus ungere croco funiculos, quibus appensus « est *taly*, quem ad collum gestant? »

De usu ungendi croco funiculos quibus appensus est *taly*.

Ex eadem epistola tua 20 Septembris 1789 accepimus sublatam quoque fuisse hanc inter te et ipsum D. Magny controversiam, ob eam-

(1) In epistola S. Leonis Magni ad Nicetam Episcopum Aquileiensem haec habentur: « Cum per bel- « licam cladem et per gravissimos hostilitatis incursus « quaedam dicatis divisa esse coniugia, ut, abductis in « captivitatem viris, feminae eorum remanserint desti- « tutae, quae, cum viros proprios aut interemptos pu- « tarent, aut nunquam a dominatione crederent libe- « randos, ad aliorum coniugium, solitudine cogente, « transierint. Cumque nunc, statu rerum, auxiliante « Domino, in meliora converso, nonnulli eorum, qui « putabantur periisse, remeaverint, merito charitas tua « videtur ambigere quid de mulieribus, quae aliis iun- « ctae sunt viris, a nobis debeat ordinari. Sed quia « novimus scriptum quod *a Deo iungitur mulier viro* « (Prov. XIX, 14), et iterum praeceptum agnovimus ut « *quod Deus iunxit homo non separet* (Matth. XIX, 6), « necesse est ut legitimarum foedera nuptiarum redin- « tegranda credamus, et remotis malis quae hostilitas « intulit, unicuique id quod legitime habuit reformetur, « omnique studio procurandum est ut recipiat unus- « quisque quod proprium est. Nec tamen culpabilis in- « dicetur, et tamquam alieni iuris pervasor habeatur « qui personam eius mariti, qui iam non esse existi- « mabatur, assumpsit. Sic enim multa, quae ad eos qui « in captivitatem iussi sunt pertinebant, in ius alienum « transire potuerunt, et tamen plenum iustitiae est ut « eisdem reversis propria reformentur. Quod si in man- « cipiis vel in agris, aut etiam in domibus et posses- « sionibus rite servatur, quanto magis in coniugiorum « redintegratione faciendum est, ut quod bellica neces- « sitate turbatum est pacis remedio reformetur. Et ideo « si viri, post longam captivitatem reversi, ita in di- « lectione suarum coniugum perseverent, ut eas cupiant « in suum redire consortium, omittendum est et in- « culpabile iudicandum quod necessitas intulit, et re- « stituendum quod fides poscit. Si autem aliquae mu- « lieres ita posteriorum virorum amore sunt captae, « ut malint his cohaerere quam ad legitimum redire « consortium, merito sunt notandae; ita ut etiam ec- « clesiastica communione priventur, quae de re excu- « sabili contaminationem criminis elegerunt, ostenden- « tes sibimet pro sua incontinentia placuisse quod iusta « remissio poterat expiare. Redeant ergo in suum sta- « tum voluntaria redintegratione coniugia, neque ullo « modo ad opprobrium malae voluntatis trahatur, quod « conditio necessitatis extorsit: quia sicut hae mulieres, « quae reverti ad viros suos nolunt, impiae habendae « sunt, ita illae, quae in affectum ex Deo initum re- « deunt, merito sunt laudandae ».

dem causam, quod idem D. Magny, quibusdam bracmanis interrogatis, certior factus sit, nihil superstitionis unctione illa contineri, sed morem esse mulierum in iis praesertim regionibus, in quibus gemmatum *taly* deferre minime solent. Quare utriusque sententia istiusmodi unctio croci christianis non est prohibenda, utpote nulli obnoxia superstitioni. Vestro iudicio acquiescere Emis Patribus visum est, verum haud sine aliqua animi molestia, et trepidatione. Nam in ipsamet epistola quam Tu die 1 Augusti anni 1788 ad D. Magny scripsisti, cum inter vos haec controversia agitaretur, libenter fassus es: « quant au second « article, jamais on n'a permis d'oindre le cor- « don de saffran; et vous ne pouvez pas non « plus le permettre ». Vel igitur non satis intelleximus, in quo potissimum vestrae controversiae cardo verteretur, vel rebus ac praesertim facti circumstantiis inter vos melius explanatis, omnis ambigendi ratio cessavit. Verumtamen, quoniam in tanta locorum distantia, ac tam diversis, ac disparatis moribus atque usibus regionum, non ita dilucide explicari omnia possunt, ut dubiis quae circa facta versantur aptae accommodari possint responsiones, id unum vos animadvertere enixe rogamus, ne in permittenda unctione cum croco, aliqua ex antiquis, forsitan iam abrogatis, superstitionibus, redintegretur. In secundo enim decreto Cardinalis de Tournon, Apostolicis Constitutionibus confirmato, ita habetur: « Et cum superstitione non « careat funiculus centum et octo filis compo- « situs, et *croceo succo* delinitus, quo plerique « dictum *taly* appendunt, prohibemus etiam « dictorum filorum numerum et unctionem ». Vides igitur duo praesertim hoc decreto prohiberi, superstitiosum numerum filorum, et unctionem crocei succi. Nulla nunc movetur quaestio de numero filorum, quem superstitiosum esse nemo inficias iverit, apud gentes praesertim, quae in certo illo, ac determinato 108 filorum numero, falsam quandam religionem subesse arbitrantur. De unctione crocei succi aliter videri posset, si crocum, atque eius unctio passim in usum regionis adhiberetur, neque quid religiosi aut divini in eo fructu contineri eiusdem regionis incolae perperam existimarent. Pravam hanc apud illos opinionem tempore Cardinalis de Tournon invaluisse minime dubitari potest; neque enim aliter prudentissimus ac religiosissimus Cardinalis unctionem crocei succi, quae per se innoxia atque indifferens est, severissime prohibuisset, neque haec Apostolica Sedes illius decretum approbasset. Investigandum igitur ac sedulo inquirendum a te est, num crocum in aliquo honore apud Indos sit, aut alicui numini dicatum, ut propterea eo delinire funiculos, quibus *taly* est appensus, religiosum quidpiam praeseferre et cultu aliquo numen illud prosequi palam habeatur. Si ita est, minime istiusmodi unctio est toleranda: si secus, permitti poterit, eo ferme modo, quo Gregorius XV in sua Constitutione *Romanus Pontifex* quaedam Indis permisit: *Quum civilem dumtaxat usum a qualibet vel levissima culpa aut macula, nedum ab impurissima superstitionis labe purgatum defecatumque permittere intendamus.*

Quoad balneorum usum.

Quoad balneorum usum, quod tertium caput erat vestrae disputationis praemittendum est quod iubet Constitutio Gregorii XV, quodque Card. Tournonius certe praescribit. Gregorius XV in laudata Constitutione *Romanae Sedis Antistes* ita disponit: « Lavacra non alia « occasione et fine quam corporis reficiendi, « et naturalibus sordibus mundandi, permit- « tuntur, reiectis tamen penitus orationibus « et ritibus circa tempus, modum et alia, si « quae adhiberi solent, sive ante ablutionem, « sive post, sive in ablutione ipsa ». Sic autem in dubio XIV a Card. Tournonio statutum fuit: « Declaramus praeterea Pontificiam Con- « stitutionem Gregorii Papae XV incipientem « *Romanae Sedis Antistes* ad petitionem PP. So- « cietatis Iesu editam, qua indigenis Christi « fidelibus lavacra, non alia occasione et fine, « quam corporis reficiendi, et naturalibus sor- « dibus mundandi ab Apostolica Sede permit- « tuntur, interdictis tempore et modo, quibus « a gentilibus adhiberi solent, aeque afficere « evangelicos operarios, quibus praeterea non « licet sub quacumque alia causa et fine, etiam « ad effectum, ut existimentur, *sanias* seu *brac- « manes,* prae caeteris dediti huiusmodi ablu- « tionibus, illis uti, praesertim statutis eorum « horis, et ante vel immediate post quamcum- « que factam functionem ».

Quod igitur Apostolica Sedes huiusmodi decretis praecipue cautum voluit, illud est, ut nempe lavacra permittantur, dummodo circa modum, ac circa tempus nihil redoleant superstitionis, neque preces ullae recitentur, aut ritus ulli adhibeantur, vel ante, aut dum balneum conficitur, vel postquam sit absolutum.

Nunc autem controversiam inter te et missionarium Magny exortam discutiamus. Ambo convenitis: 1. Balnea propter corporum munditiem, commodum, ac sanitatem esse licita. 2. Illa vero quae conficiuntur astrorum, solis, eclipsis, aliorumque huiusmodi observatione esse illicita. 3. Caeteros quoque ritus, observantias, caeremonias, quae a gentilibus usurpantur, a balneis christianorum esse eliminandas. — Itaque in regulis ac legibus, quae primam recte agendi normam constituunt, nulla est, nec esse potest inter vos sententiarum discordia; super eo tantum dissentitis balneorum usu, quae a gentilibus adhiberi solent, ut a legalibus immunditiis abluantur. Horum tria a missionario Magny afferuntur exempla: nimirum balnea, quae ante nuptias conficiuntur, vel post

puerperium, vel postquam extrema soluta sunt officia cuipiam mortuo, vel morituro; ac denique illa, quae promiscue cum gentilibus in eodem lavacro adhibentur, in quibus etiamsi nulla sit legalis immundities, eidem tamen missionario videntur illicita, quod cum ipsis gentilibus conficiantur. Itaque contendit ille, christianos, licet a superstitionis huiusmodi finibus sint immunes, balneorum usum in illis circumstantiis adhibentes, scandalum praebere, quod, saltem in speciem, legalibus immunditiis et ipsi adhaerere videantur.

Tu contra hisce rationum momentis minime commoveris, ac doces, christianos potius monendos esse, ne superstitioso fine, quo a gentilibus adhiberi solent, balneis utantur; ac si forte scandalum suboriri posset, protestationem esse inculcandam. Caeterum huiusmodi responsa haud satis recte quadrare videntur. Enimvero si, ut par est, Constitutionibus Apostolicis obsecundare velimus, illud pro certo habendum est, balnea profecto esse illicita, quae iuxta tempus et modum a gentilibus in more habitum usurpantur: *reiectis circa modum et tempus ritibus, quae a gentilibus adhiberi solent.* Idque recte omnino ac sapienter est constitutum; christianus enim quilibet, qui ritibus, atque usibus gentilium morem gerit, superstitionem suam manifeste declarat. Neque vero, aut recta ipsius intentio, aut protestatio, quam ea occasione faciendam esse consulis, illum excusare unquam poterit. Siquidem christianos recto esse animo minime prodest, si externis quoque actionibus non respondeant, nam *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Si vero christiani balneis utuntur dumtaxat tuendae valetudinis causa, aut ob corporis munditiem procurandam, tunc etsi gentilibus offensioni essent, eorum scandalum esset generis pharisaici; si quidem cum christiani abluuntur, actionem praestant licitam, ac prorsus indifferentem, et scandalum ab aliena malitia ortum ducit. Verum quum ii, qui sese omni tempore possunt abluere, lavacri occasionem sumunt in nuptiis, in foetibus gignendis, in funeribus persolvendis, idque palam facere non verentur, tunc eorum actus haud amplius perstant innocui, quod a potiori nationis parte supponitur eiusmodi lavacra, eo tempore atque occasione peracta, superstitiosis finibus adhiberi. Neque etiam proposita protestatio superstitionis labem abstergeret: quippe quae contra factum omnino esset, ac facilius forsan obesse, quam prodesse posset; facere enim quod superstitiosum ab omnibus existimatur, et profiteri verbis se a superstitione abhorrere, pugnant inter se, eamdemque rem, quae facto comprobatur, verbis negare indecorum est. Quapropter EE. PP. censuerunt, servandam esse Constitutionem Gregorii XV et decretum Cardinalis de Tournon, et propterea prohibenda esse christianis lavacra, quae, occasione nuptiarum et funerum, fiunt temporibus a gentilibus iuxta eorum ritus usitatis. Extra vero ea tempora lavari cum gentilibus, si non adsit scandalum, permitti posse.

Quoad nuptiales indorum caeremonias.

Transeo nunc ad nuptiales caeremonias, de quibus quarto loco quaesitum est. Cardinalis de Tournon in VIII decreto statuendum duxit: « Caeremoniae etiam nuptiales iuxta harum regionum morem tot sunt, tantaque superstitione maculatae, ut tutius remedium aptari non possit, quam eas omnes interdicendo, quum undique noxia gentilibus labe scateant, et difficillimum sit eas a superstitiosis expurgare. At vero ut faciliori conversionum viae, et neophytorum commodo, quantum fieri potest, in Domino indulgeamus, missionariis et praecipue Missionum Superioribus iniungimus, ut novis adhibitis diligentiis, severiorique calculo superstitiosa omnia a dictis caeremoniis expungant, ita ut nihil inultum relinquatur, quod christianam pietatem offendat, et gentilium superstitionem redoleat, et signanter praeter eas, quas audivimus, iam statutas in hac materia ab iisdem missionariis reformationes, ramus arboris *Aresciomara* omnino auferatur; ferculorum numerus non minus ac cibi praescripta qualitas varietur; circuli super caput sponsorum ad tollenda maleficia omittantur; et quod de ferculis diximus, de luteis vasis ibidem adhiberi solitis a nobis dictum, et prohibitum intelligatur ». – Emi dixerunt: *Servandum esse decretum Emi Card. de Tournon.*

Itaque nemo non videt, minime nunc agi de caeremoniis ac ritibus a Card. de Tournon expresse interdictis. Nihil enim superstitionis lumina, lac, *iagre* (quod tamen quid porro sit, plane ignoratur) continere videntur, atque ex multorum relationibus omnes superstitiosos nuptiarum ritus prorsus eliminatos fuisse compertum est. Quum autem missionarius Magny hac de re in suis ad te datis responsionibus obiecerit, plane confidimus, tua prudentia, ac sagacitate omnem hanc controversiam sublatam iri absque ullo Tournoniani decreti detrimento.

608

De quadam sinensium caeremonia in expurgandis sepulchris.

S. C. de Prop. F. *9 Iulii 1792* (C. P. pro Sin.) – Chan-si et Chen-si — Si costuma in Cina la cerimonia seguente: Ogni anno vanno i cristiani ai sepolcri di lor famiglia, e rincalzando la terra caduta per le piogge dell'estate, rinnovano quella figura cubica che da principio fu fatta nel seppellire. Interrogati perchè ciò facciano, hanno risposto: « per riconoscere il luogo del cadavere, che altrimenti, appianandosi la terra, non più potrebbe distinguersi ». Interrogati di più perchè ciò

facciano in un giorno determinato, hanno risposto: « perchè questo è il costume di tutto « l'Impero; ma con tal differenza, che i gentili « fanno ivi in tal giorno molti sacrificii e ban« chetti ed altri riti con superstiziose opinioni, « e dai cristiani nulla di tale vien praticato ». Si cerca se sia lecito questo rito.

R. Permitti posse, dummodo id non peragatur simul cum gentilibus, neque eadem die qua illi id faciunt, sed die atque anni tempore penitus diverso; neque praeterea una pro omnibus christianis praestituta sit dies ad expurganda sepulchra, sed indiscriminatim quocumque die et quocumque anni tempore unicuique commodo id faciant, ac demum omnis absit superstitiosus ritus, sed potius christiani preces pro defunctis iuxta ritum catholicae Ecclesiae recitent.

609

An Episcopus in dioecesis regimine sacerdotes consulere debeat.

S. C. de Prop. Fide *17 Septembr. 1792* – (C. G.) — Episcopum posse decernere intra fines suae facultatis quidquid expedit ad reformationem morum, et ad sartam tectamque servandam ecclesiasticam disciplinam suae dioecesis, nec necessarium esse ut consilium excipiat suorum sacerdotum; id tamen valde profuturum pro pace et concordia servanda cum suo clero, ac pro meliori suae dioecesis regimine.

610

Ad Confessionem apud parochum peragendam obligari nequeunt fideles.

S. C. de Prop. F. *17 Sept. 1792.* (C. G.) — Tolerari non posse obligationem impositam parochianis sese sacramentaliter confitendi proprio parocho aut alii presbytero, de eius tamen licentia, tempore paschali.

611

Facultas dispensandi cum polygamis comprehendit etiam casum polyandriae.

S. C. de Prop, F. *14 Ianuarii 1793.* – (C. P. PRO SIN.) — Se nella facoltà del n. 11. della Form. I. *(Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti)* ciò che dicesi dell'uomo riguardo a molte mogli s'intenda anche della donna riguardo a molti mariti.

R. Affirmative. Et hanc S. Congregationis sententiam SSmus in Aud. 17 Ianuarii benigne approbavit.

612

Quoad mentionem Vicarii A. in Canone Missae.

S. C. de Prop. Fide *14 Ian. 1793.* (C. P. PRO SIN.) — Extant decreta ac praesertim illud diei 13 Ianuarii 1776 in quo, proposito dubio a missionariis Vicariatus Apostolici Chensi et Chansi: *utrum possimus et teneamur in canone Missae nominare Vicarium Apostolicum tamquam nostrum Antistitem, quemadmodum contendit ipse Vicarius Apostolicus;* huic quaesito responsum fuit: *non debere mentionem facere in Canone Missae Vicarii Apostolici, cum non sit vere Ordinarius.* Hoc tamen Decreto non obstante Emi Domini censuerunt non esse inquietandos missionarios Tunkini et Cocincinae qui iam a longo tempore consueverunt bona fide commemorationem facere in Canone Missae Episcoporum Vicariorum Apostolicorum utriusque Provinciae, ita tamen, ut nullo modo profiteantur eosdem habere iurisdictionem ordinariam, sed delegatam dumtaxat ab Apostolica Sede, et ab eius nutu dependentem.

613

De genuflexionibus quae fiunt a sinensibus ante feretrum.

S. C. de Prop. Fide *14 Ian. 1793* (C. P. PRO SIN.) — PEKIN. — 1. An cum christiani genua flectunt, vel genibus flexis manent, etiam absque prostratione *ko–teou,* quando feretrum exit de domo ad eumdum in sepulchrum, sicut ante feretrum quando demittitur in foveam, tales genuflexiones, in similibus circumstantiis, contineantur in Bulla *Ex quo;* inter Permissiones Patriarchae Alexandrini.

De aliis superstitionibus in funeralibus.

2. An liceat christianis, in suis funeralibus, portare signum dictum *fan,* et equum cum umbella a tergo, dictam *lim–ma,* atque lecticam cum umbella in parte anteriori, dictam *lim–Kiao.*

3. An aliquis christianus, dictis rebus utens in funeralibus, clare et absque tergiversatione dicendus sit superstitiones adhibuisse.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative in omnibus.

Ad 3. Secundum ea quae proponuntur, affirmative.

614

De impressione librorum ad usum Missionum.

S. C. de Prop. Fide *14 Ianuar. 1793* (C. P. PRO SIN.) — TUNK. OCCID. — Dictum fuit (Vicario Ap.) ab aliquo missionario exstare decretum quo prohibetur imprimi libros ad usum Missionum absque expressa licentia S. C. de Prop. F. Quaerit igitur (Vic. Ap.) an existat tale decretum; et casu quo existat, et comprehendat Missionem Tunkini, humiliter petit ut sibi concedatur licentia imprimendi pios libros, quos iudicaverit utiles suae Missioni, sive ad instructionem et aedificationem fidelium, sive ad procurandam conversionem paganorum.

R. Plura hac de re edita fuisse decreta ab hac S. C; sed quae praesertim ad rem faciunt sunt sequentia: *Die 28 Decembris 1770:* « S. C. decrevit *etc. (V. n. 482). — Die 3 Ian. 1777:* Petente Vicario Ap. provinciae Sutchuen in Sinis

ut, non obstante superiori decreto sibi liceret in suo Vicariatu libros edere sermone sinensi exaratos, Sacra Congreg. « attentis peculiaribus circumstantiis *etc. (V. n. 519)* ». Quae cum ita sint, EE. PP. censuerunt eidem Vicario Apostolico Tunkini Occidentalis concedendam esse licentiam, durante sui Vicariatus munere, edendi ac publicandi libros ad christianorum aedificationem ac ad Dei cultum et catholicam religionem propagandam pertinentes, in omnibus et per omnia iuxta superius decretum expeditum pro Vicario Apostolico Sutchuensi (1).

615

An liceat aliquando Vicariis Apost. ordinare sine litteris dimissoriis.

S. C. de Prop. F. *17 Ian. 1793.* — Tunk. Occid. — Anno 1790 ingressus est in Tunkinum iuvenis quidam Gallus ex dioecesi Nannetensi oriundus, qui idoneus videtur ad Ordines suscipiendos, et intendit se devovere Missioni tunkinensi. In dubio autem, an possint litterae dimissoriae obtineri ab eius natalis dioecesis Episcopo, quaeritur an non liceat Vicariis Apostolicis ordinare, absque litteris dimissoriis, illos quorum Ordinarii ita distant ut ad ipsos difficillimus sit recursus, praesertim, postquam ordinandi, de quibus agitur, per tres saltem annos commorati sunt sub iurisdictione Vicariorum Ap., ipsorumque expensis sustentati, tanquam de eorum familia?

R. Non licere, sed permitti posse Vicario Ap. Tunkini, in casu iuvenis Galli ex dioecesi Nannetensi, attentis circumstantiis, illum clericali militiae adscribere, et ad Ordines promovere sine litteris dimissoriis sui Ordinarii, si nullus extiterit impedimentum, et quatenus idoneus reperiatur. — SSmus approbavit.

616

Contra usuras.

Instr. S. C. de Prop. F. *4 Iulii 1793* (ad Ep. Quebecen.) Nemini incompertum est, usuram divino, ac naturali iure prohiberi, ex quo consequitur nulla principis auctoritate ac lege permitti posse, quamvis sit exigua. Quidquid enim in mutuo absque titulo lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi extrinseci in propria pecunia recuperanda, praeter sortem exigitur, etsi minimum sit, usurae labe conspergitur. Certissima haec iuris principia sunt, quibus nemo ullus catholicorum repugnare potest, quae fusius etiam pertractata invenies in Epistola Encyclica Benedicti Pp. XIV cuius exemplum tibi transmitto (*V.* Instruc. S. Congr. de Prop. Fide anno 1873). His constitutis iam vides, legem isthic latam, quod ex mutuo possent percipi usurae, dummodo fructus non excedant sex nummos pro quolibet centenario, iniquam esse, iurique divino ac naturali adversantem. Itaque catholici neque illius legis praesidio pecuniam foenori dare possunt, neque ullo modo iubere, aut consentire, quod ex illius auctoritate foenus ab aliis recipiatur, aut solvatur, aut iniuste solutum non repetatur. Iudices igitur qui compellunt ad usuras solvendas, vel vetant ne solutae repetantur; advocati qui usurarum patrocinium suscipiunt; notarii qui scienter instrumenta conscribunt favore foeneratorum, graviter peccant, quoniam sunt causa efficax damni mutuatario illati, atque participes sunt criminis a mutuante patrati. Accipe quaeso quod in hanc rem sanxerit Clemens V. Pont. Max. in Concilio Generali Viennensi; sic enim loquitur. « Nos igi- » tur perniciosis his ausibus obviare volentes, » sacro approbante Concilio, statuimus ut qui- » cumque communitatum ipsarum potestates, » capitanei, rectores, consules, iudices, consi- » liarii, aut aliquivis officiales statuta huiusmodi » de caetero facere, scribere vel dictare, aut » quod solvantur usurae, vel quod solutae, cum » repetuntur, non restituantur plene ac libere, » scienter iudicare praesumpserint, sententiam » excommunicationis incurrant ». Gradum nunc facio ad tutores. Quaestionem quam proposuisti, omnino similem agitat probatissimus theologus gallus Antoine his verbis: « *An liceat tu-*

(1) In Litt. S. C. de Prop. *31 Martii 1836* ad Vic. Ap. Cocincinae haec habentur: « Pura sit fides vestra « et sacris ritibus nihil accedat a profana superstitione « desumptum, atque adamussim serventur ea quae de « his in Sutchuensi Synodo perspicue praescribuntur. « Lacte quidem nutriendi sunt neophyti, sed quod cor- « ruptionis principia non contineat; hinc ortae sunt « leges de novis libris non imprimendis in Sinis; sed « nihil timendum est, ubi perspecta sit Pastoris vigi- « lantia, studiumque in iis corrigendis mendis quae in « manuscriptos pietatis libros irrepserint. Quare, cum « S. C. aperte cognoverit ex tuis litteris quanta diligentia « hoc perficere conareris, censuit tibi permittendum esse « ut, durante tui Vicariatus munere, possis edere et pu- « blicare libros ad christianam aedificationem, et ad Dei « cultum et catholicam religionem propagandam perti- « nentes, iuxta formam adhibitam in Indulto diei 14 « Ianuarii 1793, expedito R. P. D. Beniamino Longer, « Episcopo Gortynensi Vic. Ap. Tunkini Occidentalis, « et a te ipso in tuis litteris indicato *(V. n. 1872)*. Quo- « niam vero in praefato Indulto additur clausula: *in « omnibus et per omnia iuxta decretum expeditum pro « Vicario Ap. Sutchuensi;* in hoc autem decreto aperta « fit mentio examinis praemittendi editioni librorum, « qui iam pridem in Europa editi fuerint cum appro- « batione Superiorum ecclesiasticorum, exceptis prohi- « bitis a S. Sede vel nominatim, vel ex generalibus « regulis S. C. Indicis, quoties isthic in lingua sinica « edi voluerint: si quis ex missionariis tuis onus edendi « librum aliquem in se suscipere voluerit, officii tui « erit opus illud diligenter examinare, de eiusdem uti- « litate iudicare, et editionem permittere. Quod si tu « ipse velis novum aliquod opus in lucem edere, vel « de iis agatur libris qui in praefatis indultis non com- « prehenduntur, neque hoc S. C. tibi negandum cen- « suit, sed fieri indulsit, praevia approbatione vel duo- « rum, vel saltem unius Vicarii Apostolici ».

toribus auctarium *exigere pro pecuniis pupillorum mutuatis, eo quod per leges cogantur eorum bona integra reddere, et simul ex eis lucrum facere in commodum eorumdem sub poena compensationis* »; sic autem respondet: « *Negative, quia cum usura sit intrinsece mala et a Deo absolute ac indistincte prohibita, nullam ob causam potest esse licita* ». At, inquies, durum est teneri tutores rem utilem pupilli gerere, nullaque alia suppetente lucrandi occasione, adigi ad foeneratitium lucrum captandum, quod si neglexerint, adstringi imperio iudicis ad compensationem cum propria iactura. Verumtamen possunt tutelae officio se excusare; multae enim in iure huius excusationis produntur causae. Sed si quandoque officio iudicis compellantur, qui erubescunt ante tutelae susceptionem, in actis et coram iudice profiteri, omnem se curam ac diligentiam in pupillari administratione usuros, nunquam tamen pupillaris pecuniae versuram cum foenore facturos, eo quod catholicae religionis iure id sibi vetitum esse sciunt? Si hac conditione susciperent, nullam posset pupillus in tutorem suum, soluta tutela, actionem intendere ad compensandum lucrum ex usura non perceptum, quoniam ea conditione suscepit, ut ea lege non teneretur.

Praeterea num ne in istis provinciis, quae commercio terra marique florent, deesse potest occasio conficiendi negotia, quibus honesti quaestus absque ulla usurae labe fiant? In his animum atque operam suam tutores intendant, omnique periculo vacabunt cum malae gestae tutelae, tum propriae aeternae salutis. Caeterum quocumque tandem modo res casura sit, illud omnino et absque ulla dubitatione est retinendum, minime fas esse tutori lucrum ex foenore pupillo quaerere, etiamsi suarum fortunarum iacturam facere cogeretur, *quid enim prodest homĩni, si universum mundum lucraverit, animae verò suae detrimentum patiatur?* Hac una Servatoris Dñi Nostri Iesu Christi sententia omnis sublata est quaestio: quod enim divina lege turpe est et indecorum, qualis certe est usura, propter humanarum rerum commodum nunquam est faciendum.

Caeterum si isti foeneratores ad Sacramentum Poenitentiae accedunt, cum iis agendum est ac cum caeteris lethali peccato obnoxiis. Suaviter hortandi, monendi, acrius etiam, si oporteat, increpandi, et Dei iudicio, ac poenarum aeternarum terrore ac periculo concutiendi, ut ab usurario foenore abstineant. Si monitis sacerdotis poenitentiarii pareant, et constantis emendationis argumenta praebeant, sacramentali absolutione erunt expiandi, secus si non resipiscant, tunc enim erunt tractandi, quemadmodum caeteri peccatores obdurati, atque indigni Sacramentorum participatione. Habenda quoque ratio est restitutionis lucri ab usurario foenore percepti. In usura enim, quemadmodum in furto, restitui res debet iniuste mutuatario ablata. Sed nihil te hac de re moror, cum sis ea scientia praeditus, ut probe calleas regulas quae a doctoribus theologiae moralis traduntur; quomodo, quando, a quibus, quo ordine et cui sit facienda rerum ablatarum restitutio.

616

Contra consuetudinem exigendi taxam pro dispensationibus matrimonialibus.

Instr. S. C. de Prop. F. *4 Iulii 1793* (AD EP. QUEBECEN.) — Circa consuetudinem iampridem isthic invectam exigendi quamdam pecuniae taxam in elargiendis dispensationibus matrimonialibus: probe nosti tales dispensationes gratis concedendas esse, quemadmodum iubent Concilii Tridentini Patres Cap. 5. Sess. 25. de Reformatione Matrimonii. Quid enim turpius, ac magis a sacris canonibus absonum, quam pacto pretio relaxare saluberrimam impedimentorum dirimentium disciplinam tam sancte ad nuptiarum honestatem ab Ecclesia constitutam? Quapropter cum huius generis dispensationes inter eas, quae sunt gravioris momenti recenseantur, et magis instet periculum ne iudex ab Apostolica Sede delegatus muneribus corrumpatur, hinc factum est, ut in aliquibus indultis, et in iis praesertim, in quibus dispensandi in proximioribus gradibus facultas ab eadem Apostolica Sede conceditur, ea conditio adiiciatur, ut dispensatio *gratis* indulgeatur, alias nulla sit.

Illam igitur consuetudinem probare minime possumus, eamque ut penitus evellas, enixe volumus, et rogamus. Neque enim excusari vel diuturno usu potest, neque confirmari eo quod rariores ita dispensationes fiant, cum multi illam taxam solvere aut non possint, aut recusent. Usu quippe nulla consuetudo invalescere potest quae est contra legem saepius in Pontificiis Litteris repetitam, quod dispensationes impedimentorum gratis concedantur: rariores autem dispensationes facere metu taxae solvendae indecorum est, sola enim animarum utilitas spectanda est in dispensando; praeterea nihil. Attamen cum pauperum inopiae cui potissimum sublevandae ea erat invecta consuetudo, nec nos oblivisci oporteat, nec deceat, idcirco tibi, ac successoribus tuis indultum a Summo Pontifice impetramus, ut liceat in dispensationibus matrimonialibus aliquam pecuniam exigere, iis tamen legibus, ac conditionibus, quas in eodem indulto hic alligato expressas perleges (1).

(1) Huiusmodi indultum Episcopo Quebecen. denuo concessum est anno 1807 a Pio PP. VII, quo indulto ei potestas facta est ad decennium *modicas mulctas exigendi,* in elargiendis dispensationibus matrimonialibus, *tam a divitibus quam a pauperibus iuxta vires (exceptis tamen mendicis) in pios usus omnino erogandas.*

Ita nec alendis pauperibus deeris, nec lucri cupidus videberis, nec abs te Apostolicae Sedis beneficium vendi insimulaberis.

617

De potestate Episcopi circa erogationem redituum bonorum Ecclesiae.

S. C. de Prop. Fide *13 Ian. 1794* (C. P. PRO SIN.) — In arbitrio et potestate Episcopi esse erogare in usus pios reditus bonorum Ecclesiae, qui vel ad peculiarem usum non fuerunt a benefactoribus destinati, vel, satisfacto onere a testatoribus iniuncto, aliquid aliud superest de iisdem reditibus in usus pios erogandum.

618

Circa indultum Pauli III quoad festorum observantiam.

S. C. de Prop. Fide *13 Ian. 1794* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN. — Paulus III in Indulto supramemorato *(V. n. 114)*, enumeratis diebus in quibus vult neophytos ab operibus servilibus cessare, addit: *ceteros vero dies festos illis indulgemus;* porro quaeritur: — An huiusmodi indulgentia restringi debeat ad opera servilia, prout in his regionibus plerique opinantur, quin ad Sacrificium Missae extendatur, adeo ut in praedictis ceteris diebus festis fideles neophyti Missae interesse teneantur.

R. Indultum Pauli III non eximere christifideles a praecepto audiendi Missam in omnibus diebus festis in quibus per idem indultum permittitur fidelibus vacare operibus servilibus.

619

Circa absolutionem christianorum qui superstitionibus addicti fuerunt.

S. C. de Prop. Fide *13 Ian. 1794* (C. P. PRO SIN.) — Christiani perditae vitae ac falsis gentilium superstitionibus pertinaciter addicti, qui Sacramenta, cum bene valent, percipere negligunt, si fortasse repentino morbo corripiantur, et nullum dent contritionis signum, missionarii pro iis absolvendis observent rubricam Ritualis Romani tit. 3. de Sacram. Poenit. c. 1. num. 22 et 24. In singulorum autem casuum circumstantiis consulant probatos S. Theologiae Moralis doctores. Illi vero qui bona valetudine utuntur, quique superstitionibus dediti ab iis non abstinent, (nisi fuerint apostatae a fide, et palam paganismum profiteantur) pro excommunicatis haberi non debent; idcirco ad Confessionem excitari debent, imo etiam admitti; sed nisi certa et stabilia de eorum emendatione indicia praebeant, non sunt sacramentaliter absolvendi.

620

De privilegiis Regularium exmissionariorum.

Ex Instr. S. C. de Prop. Fide *31 Maii 1794.* — Non è nuovo che dai Sommi Pontefici si concedano ai Regolari, che sono stati missionarî, delle grazie e privilegi. Clemente X con suo Breve de' 31 Maggio 1673 « *Aequitatis et iustitiae ratio* » concesse agli Ex-Prefetti delle Missioni de' PP. Minori Osserv. Riform. ed ai lettori di lingua araba e di controversia nel loro Collegio di S. Pietro in Montorio in Roma li privilegi di *Ex-Provinciali*. Clemente XI con Breve degli 11 Gennaro 1704 « *Iustitiae et aequitatis ratio postulat* » concesse lo stesso privilegio di *Ex-Provinciali* alli religiosi del medesimo Istituto, che fossero stati per anni dodici missionarî in Etiopia. Lo stesso Clemente XI con Breve de' 21 Gen. 1710 « *Crediti nobis caelitus* » concesse ai PP. Minori Conventuali, che per anni sei fossero stati Prefetti di Missione la laurea magistrale; ed a quelli che già fossero maestri la qualificazione di *Padri di Provincia,* ed i medesimi privilegî agli altri religiosi di detto Ordine che per anni nove fossero stati missionarî. Clemente XIII con Breve degli 11 Settembre 1762 « *Inter animi nostri desideria* » concesse alli PP. Minori Osservanti Riformati che avessero esercitato per venti anni l'apostolico ministero in Albania ed in Macedonia i privilegî degli *Ex-Secretarii Generali* purchè non precedano ai PP. di Provincia. Clemente XIV con Breve de' 21 Giugno 1769 « *Exponi nobis* » confermò il decreto del Definitorio Generale de' Minori Osservanti, con cui concedesi ai Religiosi che avranno servito per 14 anni nei collegî di missioni dell'Indie il privilegio di *Predicatore Generale* dell'Ordine.

621

De restitutionibus per elecmosynas factis.

S. C. de Prop. F. *16 Febr. 1795.* (C. P. PRO SIN.) — CHAN-SI — 1. (Intorno alla) restituzione della robba altrui fatta in elemosina, benchè il sacerdote ed il penitente non ignorino il vero padrone, cerca (il Provicario) se il confessore possa lasciare in buona fede il penitente che crede di avere restituito, e se il sacerdote possa far detta restituzione con elemosine ricevute da altri invece del penitente, ed intanto applicarsi ad istruirlo.

De christianis qui res idolis oblatas furantur.

2. Nei monti vi sono alcuni tempî d'idoli non abitati dai sacerdoti, ma addetti ai vicini monasteri. In tanti templi sogliono i gentili talvolta lasciarvi oblazioni di biada, o di danaro, che poi li bonzi di quel monastero vengono a raccogliere. Alcuni cristiani col solo fine di pigliarsi quelle oblazioni, vi si portano con apparenza di devozione a visitarli. Sono essi rei di furto? Ed essendolo, a chi sono obbligati di restituire?

R. Ad 1. Consulat theologos ac praesertim Antoine Theol. Moral. *De iustitia et iure* cap. 3

(partis II) quaest. 21, resp. 1, *in fine* (1), quod spectat primam partem dubii; quod vero spectat secundam, posse, nisi qui dedit eleemosynam modum illius erogandae praescripserit.

Ad 2. Reos esse simulatae superstitionis, et furti; et restitutionem faciendam esse sacerdotibus templi.

622

De tributo quod exigitur a christianis pro itinere Imperatoris templum idolorum visitaturi.

S. C. de Prop. F. *16 Febr. 1795.* (C. P. PRO SIN.) — CHAN-SI — In ogni quinquennio viene l'Imperatore in questa provincia a visitare un tempio d'idoli. Dal suo erario estraesi tutto il danaro necessario per il viaggio. Questo danaro si ruba tutto dai suoi primi ministri, i quali poi obbligano il Vicerè delle provincie per le quali passa il sovrano a fare la spesa. I Vicerè passano l'ordine ai mandarini superiori, questi agli inferiori, finalmente i governatori delle città aggravano con nuovo tributo il popolo. Nell'esigerlo non fassi alcuna menzione della visita al tempio, ma solo di ossequio all' Imperatore, che colla sua presenza onora la provincia, benchè tutti sanno, che va al tempio. Possono i cristiani concorrere al pagamento di detta tassa?

R. Secundum ea quae proponuntur, licere.

623

Quae monita dari debeant christianis virorum ethnicorum uxoribus.

Instr. S. C. de Prop. Fide *16 Februarii 1795* (PRO MISS. SIN.) — Commune est et viris et mulieribus catholicis cum infidelibus matrimonio coniunctis, ut coniux fidelis modis omnibus quibus potest, procuret conversionem coniugis infidelis atque educationem prolis in fide catholica. Quae duo quidem eo faciliora debent esse viris catholicis quod per leges sinenses maxima est virorum potestas super proprias uxores; itaque ea potestate uti possunt ut prolem, nullo metu, in fide catholica educent, atque ut persuasione, exemplo, ceterisque modis charitatis et prudentiae propriis, uxorem ad fidem convertant. Sed (si agatur de uxoribus catholicis) haec ipsa uxorum catholicarum ethnicis maritis subiectio in causa est cur illae, in hac vitae consuetudine cum viris ethnicis, multis difficultatibus implicentur ad catholicam religionem rite conservandam exercendamque. Itaque missionarius his mulieribus haec quae graviora usuque frequentiora sunt potissimum inculcet et doceat: 1. ut plane caveant ne suorum maritorum superstitionibus assentiantur, vel cooperentur; 2. ut in diebus etiam festis nullo scrupulo vacent operibus servilibus, si ea mariti ab ipsis exigant non in odium et contemptum christianae religionis, sed solum ad victum comparandum; 3. nullo modo nulloque actu falsam mariti religionem simulent, aut etiam propriam christianam occultent in iis casibus et circumstantiis quando eam palam profiteri tenentur. Ac quinam sint hi casus et circumstantiae a missionariis edoceantur.

624

De Missa votiva *de Passione Dñi* diebus maioris hebdomadae.

S. C. de Prop. Fide *16 Febr. 1795* (C. P. PRO SIN.) — Se si debba impetrare l'indulto della Messa votiva della B. Vergine ai sacerdoti tunkinesi per la difficoltà di leggere, anche nelle Domeniche e ferie maggiori.

R. Pro gratia Missae votivae *de Passione Domini* in Dominica Palmarum et Fer. III et IV. maioris hebdomadae pro Missis tantum privatis.

625

An baptizandi infantes quorum christianam institutionem parentes negligent.

S. C. de Prop. F. *31 Ian. 1796* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN. — An expediat, extra casum mortis, baptizare infantes fidelium, quando, habita ratione tepiditatis aut alterius eorumdem pravae agendi rationis, nulla probabilis spes affulget fore ut dicti infantes in christiana religione postmodum instituantur?

R. Detur responsum S. C. S. Officii 17 Septembris 1671 et scribatur iuxta Instructionem, scilicet: Cum ab hac S. C. rogata esset sententia S. C. S. Off.: *An baptizari possint infantes turcarum, quando pater a christiana religione defector est, et mater christiana; qui tametsi ambo petant Baptismum pro filio, dubium tamen est fore ut pater eum velit in*

---

(1) Haec laudatus auctor l. c.: « Si ante diligentem « inquisitionem bona vel debita incerta impendisti in « pauperes, teneris adhuc restituere domino compa- « renti. *Est communis sententia.* Quia fecisti iniuriam « vero domino, qui ius habet ne bona sua, omissa di- « ligenti inquisitione, alienentur; et quia tua culpa est « quod non inveneris dominum, ut ei redderentnr bona « quando reddi poterant. Si tamen res adhuc existat « apud pauperem, vel locum pium, hic restituere tene- « tur; quia qui dedit non potuit transferre dominium « quod proinde manet apud dominum. Quod si post « diligentem inquisitionem erogasti pauperibus, ad ni- « hil teneris; non enim teneris ratione rei acceptae, « cum nihil apud te extet, neque ratione iniuriae, quia « iam restituisti eo modo quo potuisti ac debuisti; ne- « que ex contractu, aut lege, cum nihil horum sit. Si « tamen ea tibi tamquam pauperi applicasti, Lessius « docet te teneri ea restituere domino postea cognito, « modo adhuc extent in se vel in pretio; quia teneris « ratione rei, nec es in tanta necessitate, ut ea tibi « posses reservare. Recte autem monet, si res inventa « vel debita sit magni momenti, potius eam xenodo- « chio, vel monasterio pauperi, quam aliis pauperibus « dandam esse, sub obligatione eam restituendi domi- « no, si comparuerit. Si tamen bona fide in alios pau- « peres distributa fuerit, cum iam nulla spes superesset « inveniendi dominum, ad nihil amplius distribuens te- « nebitur, cum adhibuerit debitam diligentiam ad re- « stituendum domino, et iam restituerit secundum eius « voluntatem rationabiliter praesumptam ».

mahumetana superstitione educare; et ad hoc dubium S. Officii responsum prodierit: *In casu proposito debere baptizari;* hinc sumendum initium praescriptae Instructionis informandae, qua ex dato responso ad planiorem quamdam propositi dubii explicationem via muniatur.

Itaque praenotandum, aliud ferendum esse iudicium de casu, quo sic instat periculum perversionis infantis baptizandi, ut prope certum sit nulla ei postmodum ratione succurri posse, velut cum infans in potestate deinceps mansurus est parentum infidelium; aliud de casu quo dubium quidem aliquod, seu causa etiam iusta subest perversionis metuendae, sic tamen, ut nec omnis desit congrui subsidii ratio, qua periculo quod praevidetur opportune provideri queat. Certe priori casu, in quo cernitur ea periculi ratio, quod proximum vocari solet, infanti (nisi vita periclitetur) Baptismum conferri non posse, aperte constat ex alio S. Off. responso 3 Maii 1703, quo decretum est: *Baptismum conferre infantibus non licere, qui filii infidelium essent, atque in eorum potestate mansuri, pueris exceptis, qui gravissime aegrotantes vita periclitarentur.* Ad posteriorem vero casum quod attinet, continuo subiicitur: *Licere autem si filii quidem barbarorum sint, sed iam Christi militum, dum tamen aut a viris apostolicis illic degentibus, aut ab ipsis parentibus, de sanctae Religionis praeceptis ac mysteriis edoceantur, cum adoleverint.*

Ita porro congruunt atque inter se consentiunt ambo ista, quae allata sunt, S. Officii responsa, ut aliud ex alio mutuam lucem accipiant. Nam primo dato responso, etsi patris defectio a christiana religione non inanem suspicionem afferret, fore ut in suscepta mahumetana impietate filium educare vellet, cum tamen mater christianam religionem profiteretur, nec pater ipse repugnaret: in ea tali facti specie, quae dubium quidem aliquod, non item satis exploratum quoddam futurae perversionis proximum periculum prae se ferret, merito censuit S. C. haud satis esse causae, cur pro incerto eventu, consequendae baptismatis gratiae beneficio, natum infantem repelleret.

His rite perpensis et cognitis, sua veluti sponte prodit explicatio dubii a R. Vicario Ap. propositi. Etenim, quaecumque illa sit quae dicitur parentum tepiditas, seu in omni religionis cultu segnities et socordia, aut alterius eorumdem in prava agendi ratione protervitas, non ab hac sane maior educationi prolis pernicies impendet, quam ab aperta patris a christianis sacris ad mahumetanam impietatem defectione. Aliunde multo plura, ex cultu religionis in apostolicis istis Missionibus vigente, quam ex unius matris inter turcas degentis christiana professione, subsidia suppetunt, quibus parentum ignaviae, pia et sedula Pastorum praesertim industria, suppleri valeat. Atqui in primis, pro summo studio quo Apostolici Vicarii eorumque administri stant in istis partibus unanimes, in eodem spiritu collaborantes Evangelio Filii Dei, fieri vix potest ut cum ad sacrum Baptisma celebrandum accedunt, facultas desit tales procurandi susceptores, a quibus, cum adolescere coeperint renati infantes, de christianae religionis praeceptis et mysteriis edoceantur. Quod si contingit, ut multorum deinceps deflenda sit a suscepta religione misera defectio, partim, ut exponitur, persecutionum metu; partim ob denegatam Confessionem propter scandala, qui nunc tamen sat facile converti dicuntur; partim quod plures in remotiores partes transferantur, quo raro sacerdotes commeant a quibus visitentur; partim ob plurimorum spontaneam cohabitationem cum gentilibus, a quibus paulatim depravantur; partim demum quia plures ad male partorum restitutionem adacti, malunt fidem quam pecuniam deserere, profecto non eo valet subsequens isthaec plane voluntaria depravatio, ut de parvulis, qui singillatim ad Baptismum offeruntur, diffidendum sit, et non potius pie sperandum fideles illos, Deo miserante, in ea vocatione permansuros, in quam sunt ipsiusmet miserantis Dei benignitate per Baptismum vocati. Imo quod et notatum est, *satis facile illos converti,* qui ob negata Sacramenta discedunt, plane ostendit, quantum illis baptizari profuerit, qui nisi antea baptizati essent, perpetuo forte in idololatriae tenebris misere iacuissent. Quo magis augeri debet Pastorum pia in Domino confidentia, non inanem ab illis laborem susceptum iri, quanto maiore studio in aliorum cuiusque generis conversionem incumbent, praedicantes verbum, instantes opportune, importune, arguentes, obsecrantes, increpantes in omni patientia et doctrina,

Nunc ut ad propositum dubium propius revertamur, ex dato, iussu S. Congregationis, decreto, potiori ratione concludendum, parentum fidelium tepiditatem aut alterius eorumdem pravae agendi rationis considerationem, non obesse quominus, postulantibus praesertim ipsismet parentibus, ut in proposito casu, rite illorum infantes baptizari valeant ac debeant.

626

De facultate concedendi Indulgentiam *ter in Anno.*

S. C. de Prop. F. *31 Ian. 1796* (C. P. pro Sin.) — Utrum concessio Indulgentiae *ter in anno* intelligi debeat distributive per annum fidelibus singulatim ad opportunitatem impertienda, an tribus per annum praescriptis diebus communiter elargienda ad normam consuetae praxis in Ecclesia.

R. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

627

Indultum circa festorum observantiam.

S. C. de Prop. F. *31 Ian. 1796* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN. — An fideles teneantur sacrificio Missae assistere diebus Dominicis et festis in quibus vacare possunt operibus servilibus.

R. Affirmative, ex responso S. Off. die 13 Iulii 1769 et S. Congr. Propag. 13 Ian. 1794. *(V. nn. 473 et 618).*

Verum cum ea sit certarum regionum asperitas et solitudo, ut ad loca, in quibus sacra celebrantur, nonnisi via longa et saepe deterrima ex dissitis aliis locis perveniri queat, atque ideo vel ipso itinere conficiendo vix satis temporis reliqui esset ad obeunda opera servilia quae permittuntur, consulendum SSmo pro venia Vicariis Apostolicis facienda dispensandi nomine S. Sedis per seipsos aliosve subdelegatos ab obligatione audiendae Missae diebus festis, quibus opera servilia permittuntur, cum id, spectato regionum situ et incolarum necessitatibus, expedire in Dño videbitur. — Sanctitas Sua dignata est benigne annuere.

628

De dispensatione ab abstinentia primis anni sinici diebus.

S. C. de Prop. F. — *31 Ian. 1796.* (C. P. PRO SIN.) — An sit concedenda Vic. Ap. Sutchuensi facultas dispensandi cum fidelibus tribus (primis) diebus novi anni sinici, super abstinentia et ieiunio, cum inciderint in dies abstinentiae et ieiunii.

Dentur decreta alias edita a S. C. S. Officii praesertim 4 Septembris 1663, 28 Februarii 1760, 12 Iulii 1770 *(V. nn. 155, 425, 479).* His decretis perspectis plane constabit quoties illa petita est dispensandi facultas, toties reiectam fuisse. Sane merito visum est non expedire locum fieri dispensationi qua, qui uterentur christiani, tanti facere viderentur dies festos gentilium ut prae illis non dubitarent sacra sua contemnere. Qua in sententia, pro ea quae legibus Ecclesiae debetur plena obsequii reverentia, proque sanctissimae religionis maiestate tuenda, S. C. statuit esse omnino persistendum (1).

629

De dispensatione in impedimento disparitatis cultus in casu mulieris raptae.

S. C. de Prop. Fide *31 Ian. 1796* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN. — 1. An missionarii dispensare possint, in impedimento disparitatis cultus, cum muliere fideli, quamvis rapta fuerit nec loco tuto reddita, dummodo ipsa libere in matrimonium consentiat.

2. An sit concedenda facultas a missionariis petita convalidandi matrimonia mulierum fidelium cum apostatis contracta, seu per vim seu post raptum, et antequam ipsae loco tuto redditae fuerint?

R. Ad 1. Cum in decreto facultatis extraordinariae, quae ad tempus concedi solet Episcopis et Vicariis App. Indiarum orientalium, dispensandi super impedimento disparitatis cultus, omissa sit clausula quae in aliarum facultatum formulis apposita legitur: *Dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat,* hoc ipso concessum videtur quod non est in concedentis decreto restrictum. Cum tamen etiam de vi huiusce facultatis extraordinariae dubium exortum sit inter sinenses, ne suspensi maneant animi de valore matrimonii, responderunt EE. PP. in proposito casu supplicandum Sanctissimo, ut dignetur declarare Episcopos et Vicarios Apostolicos, quibus concessa est extraordinaria illa facultas dispensandi super disparitate cultus, uti ea valere, gravibus de causis, in singulis casibus, prout in dicto decreto exprimitur, etiam in casu quo mulier rapta fuerit, necdum tuto loco restituta, constito ante de libero eius consensu in matrimonium, et praehabito partis infidelis consensu in cohabitationem absque contumelia Creatoris. Insuper, ut pro tranquillandis conscientiis dignetur Sanctitas Sua convalidare ad cautelam, et quatenus opus sit, matrimonia vi praecedentium dispensationum ante contracta, existente muliere in potestate raptoris, quatenus nullum aliud obstet impedimentum dirimens. — Sanctitas Sua utrique supplicationi dignata est benigne annuere.

Ad 2. Consulendum Sanctissimo pro concessione petitae facultatis, dummodo fides mulierum sit in tuto, ipsae libere consentiant, ac possint habitare cum apostata sine contumelia Creatoris. — Sanctitas Sua benigne dignata est petitam facultatem concedere. — Hac porro dispensatione concedenda sedulo Pastor mulierem admonere non omittet de gravi obligatione qua tenetur omni ope curare ut per bonam conversationem virum apostatam a suscepta impietate revocatum Christo lucrifaciat, tum ut et suscepta proles in christiana religione rite instituatur.

630

Ne laicus sacerdotem neque sacerdos quemquam sine Ordinarii licentia ad civile tribunal conveniat.

S. C. de Prop. Fide *6 Iunii 1796.* — Se debba approvarsi il seguente decreto fatto dal Visitatore per la diocesi di Alessio: « Il » secolare non debba citare il sacerdote al tri-

(1) Modo facultas de qua agitur, nonnullis adiectis conditionibus conceditur. In Formula *b* facultatum extraordin. pro Vicariis Apostolicis Sinarum sub n. 16 datur facultas: *Dispensandi fideles sibi subiectos a ieiunio et abstinentia in casu coincidentiae exordientis anni sinensis sive cum prioribus Quadragesimae diebus, sive cum aliis diebus, extra Quadragesimam, abstinentiae consecratis, iuxta Instructionem adiectam* (10 Iunii 1868).

« bunale turco; nè il sacerdote debba esporre « le sue querele al detto tribunale senza previa « licenza del suo Ordinario ».

R. Affirmative ad 1. partem. Ad 2. Venia non concedatur nisi gravibus de causis; et, in criminalibus, facta protestatione ad formam sacrorum canonum.

631

De benedictione nuptiali tempore vetito.

S. C. de Prop. F. *31 Iunii 1796* (C. P. pro Sin.) — Vic. Ap. Sutchuen. — Qua ratione providendum ut fideles qui temporibus vetitis absque solemnitate contrahunt, benedictionem postmodum recipere valeant? Exponit Vicarius Ap. saepius evenire ut qui sine solemnitatibus matrimonium contraxerunt, iidem, sive propter nimiam distantiam sacerdotis missionarii, sive propter prohibitum tempus, quod frequenter in reditu missionarii ad loca priora rursus occurrit, eo quod nonnisi post annum elapsum eadem visitare valeat, benedictionem solemnem non recipiant, vel saltem nonnisi post plures annos, non raro tres quatuorve, eamdem recipere valeant. Unde humillime supplicat ut S. C. huic incommodo remedium benigne afferat, ne fideles tanto tempore tam optata benedictione priventur.

R. Firma remanente lege non impertiendi benedictionem tempore vetito, relinquendum prudentiae et arbitrio Episcopi, facto verbo cum SSmo, ut, spectata personarum conditione quoad faciliorem aut difficiliorem accessum ad missionarios, tum ex maiori minorive diuturnitate temporis quo expectanda foret benedictio, ipsemet Episcopus Vicarius Ap. facultatem largiri valeat eius benedictionis impertiendae, facta per ipsum missionarium declaratione eam benedictionem ad validitatem matrimonii antea valide contracti non pertinere, ex Decreto S. Off. mense Ian. 1780. — Sanctitas Sua benigne annuit.

632

De matrimonio apostatae.

S. C. de Prop. F. *28 Nov. 1796* (C. G.) — Scodren. — Se si può permettere il matrimonio ad un cattolico battezzato, il quale per essere maggiormente in grazia del governatore si fa turco, e dopo un tempo prende per moglie una cattolica.

R. Negative durante apostasia.

633

Valor facultatum post elapsum tempus concessionis.

S. C. de Prop. Fide *16 Ian. 1797*. (C. P. pro Sin.). — 1. Quae sit mens S. Congregationis circa renovationem facultatum retardatam absque culpa.

De limitatione *in foro interno* concessionis facultatum.

2. Concessa fuit Vicario Apostolico (Tunkini occidentalis) facultas dispensandi in 1 affinitatis gradu ex copula illicita etiam lineae rectae cum his restrictionibus: *in occultis tamen et in foro interno*. Quaeritur utrum his verbis *in foro interno*, seu, ut explicat P. Antoine *in actu confessionis sacramentalis*, intelligatur confessio cui in ipso actu coniungitur absolutio, an vero sufficiat confessio in ordine ad absolutionem in posterum recipiendam, quando scilicet sublatus fuerit obex qui cogit ad eam differendam et qui aliquoties diu durat.

R. Ad 1. Facultates concessas valere etiam post elapsum tempus concessionis usque ad novae prorogationis concessionem.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

634

Quae fieri debeat interpellatio ad matrimonium dissolvendum ex privilegio in favorem fidei.

S. C. de Prop. F. *16 Ian. 1797* (C. P. pro Sin.) — In casu matrimonii dissolvendi ex privilegio in favorem fidei promulgato ab Apostolo, duo haec tantum spectanda de quibus fieri debet interpellatio: 1. Utrum pars infidelis velit converti. 2. Utrum saltem velit cohabitare sine contumelia Creatoris; nulla praeterea habita ratione utrum nec ne praecesserit sive adulterium sive repudium.

635

De aqua in Baptismo adhibenda.

S. C. de Prop. F. *16 Ian. 1797*. (C. P. pro Sin.) — Utuntur Tunkinenses ad Baptismum sola aqua benedicta, non Oleo sacro, neque Chrismate foecundata. Ratio huius diversitatis a primis Vicariis App. data haec est quod nimirum in his regionibus Fontes desint baptismales. Insuper ob nimium calorem cito putrescit aqua oleo immixta, et in parvo vase contenta. Ipsa sola aqua naturalis, nisi magna salis quantitate misceatur, cito pariter foetet: hinc in benedicenda aqua consuetudo est salem multum adhibendi, quae tamen consuetudo aliquod dubium ingerit, utrum ad Baptismum aqua illa uti liceat?

R. Servandos ritus praescriptos in Rituali Romano, praeter casum necessitatis.

636

Facultas delegandi missionarios pro calicum consecratione, et utendi calicibus stanneis.

S. C. de Prop. Fide *16 Ian. 1797* (C. P. pro Sin.) — Vic. Ap. Sutchuen. — Non raro evenit propter itinerum asperitates, et etiam opificum imperitiam, ut sacri calices rumpantur, ita ut post restaurationem ipsorum debeant in maxima distantia ad Episcopum deferri pro nova consecratione, interimque missionarii, qui alterum substituendum non habent, sat diu expectant, vel nonnisi cum magna difficultate alium sibi valent procurare. His ultimis tribus annis, quinque vel sex calices sic fractos, in distantia decem dierum itineris, denuo conse-

crandos recepi; unde supplico, ut aliquot huius Vicariatus missionariis benigne concedatur facultas consecrandi calices et patenas, ac determinetur in quanam distantia ab Episcopo dicta facultate poterunt uti. Rursus et supplico ut nobis liceat uti calicibus et patenis ex stanno confectis, licet intus non deaurentur, cum enim habita ratione mox expositae difficultatis, quamvis etiam missionarii aliqui petitam facultatem obtineant, adhuc saepe magnae distantiae erunt, convenit calices multiplicare; at paupertas nostra difficulter admodum expensas pro deauratione facienda sustineret. *Hinc dubia:*

1. Se al Vic. Ap. del Sutchuen debba impetrarsi la facoltà di delegare alcuni missionarî per consecrare i calici e patene; e qual distanza dal Vescovo in ciò sia da prescriversi.

2. Se debba impetrarsi a quei missionarî la facoltà di celebrare in calici e patene di stagno, anche non indorati.

R. Ad 1. Affirmative iuxta modum contentum in formula IV. (1) facto verbo cum SSmo.

Ad 2. Affirmative ad normam Constitutionum s. m. Benedicti XIV. *Etsi pastoralis* 1742 pro italo-graecis et *Imposita nobis* 1751 *(V. pag. 124. XX.)*, pro sacerdotibus polonis ritus latini *(V. n. 381)*.

637

An licet christianis seponere extra locum superstitiosi sacrificii mensas illuc aliquando deferendas.

S. C. de Prop. Fide *16 Ian. 1797* (C. P. pro Sin.) — Multis in locis, christianorum precibus victi, gentiles non cogunt ipsos mensas deferre quae idolis vel progenitoribus offerantur, sed iisdem permittunt ut eas extra sacrificii locum seponant. Finito autem sacrificio deferuntur mensae illae nequaquam oblatae, partimque cedunt in tributum et honorem virorum in pago praecipuorum, partim vero a suis dominis domum deferuntur. Sed aliquando fit ut mensae illae in locum sacrificii delatae ibidem comedentibus apponantur, ita tamen, ut christiani praedictis conviviis interesse non audeant mensaeque modo memoratae nullo actu superstitioso vitientur.

R. Secundum ea quae proponuntur tolerari posse, secluso scandalo, et ne concitetur aliqua persecutio.

638

De professione fidei a catechistis emittenda.

S. C. de Prop. Fide *16 Ian. 1797* (C. P. pro Sin. — Tunk. Occid. — Se i catechisti annamitici siano tenuti a fare la Professione di Fede di Pio IV.

R. Affirmative.

639

De caeremoniis baptismatis infantium in baptizandis adultis.

S. C. de Prop. Fide — *16 Ian. 1797* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — Indigenae sacerdotes nec non plures missionarii europaei, ad uniformitatem servandam, et quandoque ob multitudinem occupationum, inter baptizandos adultos, solent uti caeremoniis pro infantium baptismate praescriptis.

R. Servandum omnino praescriptum Ritualis Romani, praeterquam in casu necessitatis (2).

640

De Missa cum cantu sine ministris et cum thurificatione.

S. C. de Prop. Fide *16 Ian. 1797.* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — Omnes fere sacerdotes huius Missionis, deficientibus diacono, subdiacono et choro, Missam soli cantant, et in eodem altari thurificare solent. Sunt tamen quidam ministri superpelliceis induti a quibus navicula ministratur. Forte erit ut pauperis huius Missionis S. Sedes miserescat, dicatque nobis Vir Dei: *Ite in pace.* His paulo fidentiori animo dictis, profiteor nos omnino paratos esse ad ea corrigenda quae summus Christi Vicarius vel S. C. tolerare noluerit.

R. Non esse inquietandos.

641

De quodam contractu societatis.

S. C. de Prop. Fide *4 Ian. 1798* (C. P. pro Sin.) — Chan-si — Propone (il Vic. Ap.) parecchi dubbî all'EE. VV. Il primo versa su certo contratto di società, usato da' cinesi, della seguente natura. Si uniscono più persone, ed ognuna di esse contribuisce una data somma per trafficarvi in società. Per accudire quindi al traffico, assumono altri quanti sono necessarî per effettuare la negoziazione ideata. Questi nulla conferiscono di denaro, ma la sola industria e fatica, a proporzione della quale si assegna loro un capitale corrispondente, quasi che avessero anch'essi realmente contribuita quella tal somma. Terminato il negozio in capo all'anno, ad ognuno dei soci, sì di capitale che d'industria, si distribuisce tutto il lucro in proporzione del capitale, o vero, o ideale e fittizio, da ciascuno conferito come sopra; sicchè chi ha sborsato effettivamente il danaro percepisce tanto dal lucro, quanto corrisponde alla

---

(1) Id est: *Consecrandi calices, patenas et altaria portatilia cum oleis ab Episcopo benedictis, ubi non erunt Episcopi, vel distent duas diaetas, vel sedes vacet.*

(2) Anno 1803 die 30 Ianuarii. — SSmus instante Vic. Ap. Tunk. Occid. — Apostolica auctoritate ac indulgentia, declaravit servari posse consuetudinem, quam in Tunkino vigere expositum est, utendi in baptizandis adultis caeremoniis pro infantium Baptismate praescriptis, ubi id rationabilis necessitas, vel temporis angustia ad caeteras sacri ministerii functiones explendas, seu nimia missionariorum defatigatio exigat.

somma sborsata; e chi ha posto la sola industria percepisce dallo stesso lucro in proporzione della somma a lui fissata in principio per la sua opera. Se il negozio terminasse sempre con guadagno, tutto anderebbe bene, dice Mons. Vicario; ma l'ingiustizia del contratto risulta in caso di perdita, perchè questa, egualmente che il lucro, si distribuisce pure tra tutti i socî tanto di capitale che d'industria; ond'è che il socio d'industria, cui è stata fissata per la sua opera una somma ideale, come se da lui fosse stata realmente contribuita in società, alla fine del negozio, oltre il non percepire alcun premio della sua opera, si trova inoltre debitore alla società di tanto, quanto, distribuita fra tutti la perdita, corrisponde a quella tal somma che si finse da lui conferita, mai però realmente sborsata, e che mai può ripetere. Ne siegue quindi che in caso di perdita il socio perde la speranza del lucro, l'opera sua stessa, cioè tutto il suo capitale, mentre l'opera fu a lui ragguagliata in ragione di capitali, ed oltre a tutto ciò si trova debitore alla società di altra somma, nella quale è sempre salvo il socio di capitale, e a percepir la quale non sembra aver esso alcun titolo contro il socio d'industria, che ha perduto quanto è stato a lui conferito nella società.. Qual giudizio dee formarsi dell'espresso contratto di società?

De quodam contractu oppignerationis.

2. Trovò (il Vic. Ap.) tra quei fedeli molto in uso il contratto di pignorazione dei campi, tutto uniforme, secondo che egli asserisce, a quello che in Sutchuen è stato proibito; e quindi obbligò alla restituzione dei frutti tutti quelli che non avevano un giusto titolo per ritenerli: nel che trovò una pronta ubbidienza, per la venerazione dei cristiani verso i sacerdoti. — È d'approvarsi la condotta del Vic. Ap. circa il contratto di pignorazione?

De sponsalibus contractis a parentibus pro filiis.

3. Se debba approvarsi lo scioglimento di tutti gli sponsali contratti dai genitori pei figli, senza aspettare che questi siano in grado di manifestare la loro volontà.

R. Ad 1. Recolatur resolutio S. Officii anni 1779 (1) *(V. n. 531)* ad cuius normam iudicium instituatur de particularibus, quae multae varietati obnoxiae sunt, singularium contractuum conditionibus, utrum nec ne officiant aequalitati iuris inter contrahentes, consultis probatis auctoribus ac singularibus casibus ac divino praesertim implorato lumine.

Ad 2. Transmittatur eidem Vic. Ap., et sedulo ab eo perpendatur (superius memorata) resolutio S. O. 1779 ad postulata Vicarii Ap. Sutkuen., una cum Litteris App. s. m. Benedicti XIV *Vix pervenit (V. Instr. S. C. de Prop. F. anno 1873)*, et Instructio diei 7 Aprilis 1749 ad postulata Cappuccinorum Tuneti *(V. n. 369)*.

Ad 3. Transmittatur Vicario Ap. responsum a S. C. S. Officii datum anno 1779 Vicario Ap. Sutkuen. *(V. n. 532)*.

642

An qui Missam audire nequeunt teneantur piis coetibus interesse.

S. C. de Prop. Fide *4 Ian. 1798* (C. P. pro Sin.) — Chan-si — Se convenga obbligare sotto reato di colpa i cristiani che non possono ascoltar la Messa per mancanza di sacerdoti, ad intervenire nei giorni festivi in luogo di essa alle pie adunanze che si tengono dai fedeli.

R. Monendos fideles, qui in proposito casu Missam audire non possunt, non ideo solutos esse obligatione sanctificandi festum per precationes aliave pia opera; ideoque magnopere hortandos, nec tamen sub reatu peccati (tamquam praecepto Ecclesiae inobedientes) obligandos, ut satagant piis illis conventibus interesse, in quibus pabulo verbi Dei, aliisque religiosis exercitationibus instrui et enutriri valeant, et coniunctis precibus in spiritu charitatis, divinam opem efficacius implorare valeant.

643

De examinibus pro gradibus academicis quos actus superstitiosi comitantur.

S. C. de Prop. Fide *4 Ian. 1798* (C. P. pro Sin.) — Se sia da proibirsi ai cristiani di subire gli esami dei cinesi per la laurea dottorale, attese le circostanze che accompagnano tutta questa funzione. In questi esami si propone dal giudice a spiegare e professare al candidato un testo di Confucio, tra' quali testi molti sono superstiziosi e superstiziosamente da tutti interpretati. Riuscendo nell'esame debbono i candidati, quando *accipiunt gradus, ingredi templum istius magistri, et facere genuflexiones, et offerre ante eius altare ex candelis et odoribus*. Cose tutte già proscritte da questa S. C. Non mancano però dei laureati cristiani i quali vanno al tempio, ed accompagnando il mandarino esercitano tutti gli accennati atti superstiziosi; e si ha per atto eroico di religione ciò che alcuni praticano, di corrompere cioè il giudice col danaro acciò riconosca per legittima la scusa che essi mandano di sopraggiunta improvisa infermità, e con questo inganno esentarsi dall'andare al tempio.

R. Non licere ex decreto S. Congregationis edito anno 1656 incipiente: *In praedicto Regno (V. pag. 37.)* nec etiam licere mendacium quo nititur adducta infirmitatis excusatio.

644

De matrimoniis contractis coram testibus tantum

S. C. de Prop. Fide *4 Ianuarii 1798* (C. P. pro Sin.) — Pekin. — Matrimonia contracta sine presentia proprii parochi nulla esse

(1) Memorata resolutio edita anno 1778, transmissa ad Vic. Ap. Sutchuensem anno 1779.

quibus in locis publicatum fuerit Decretum Tridentinum : ubicumque vero non habeatur copia parochi, matrimonia iniri poterunt praesentibus duobus vel tribus testibus, ad formam Decreti seu Declarationis S. C. Concilii anno 1632, et responsi dati a SS. D. N. ad Episcopum Lucionensem, 1793 (1).

645

De iis quae S. Congni notificanda sunt pro erectione novarum dioecesum, vicariatuum et praefecturarum.

Instr. S. C. de Prop. F. De informatione exhibenda pro novis Dioecesibus, Vicariatibus, vel Praefecturis erigendis. Quemadmodum Sacra haec Congregatio Christiano Nomini Propagando a suis primordiis summo studio curavit, ut quo latius catholica fides inter ethnicos, haereticos, et schismaticos feliciter diffundebatur, eo efficacius novorum fidelium utilitati et commodiori regimini consuleretur; ita nihil ipsi potius fuit, quam diligenter inquirere, ut novi Episcopatus, Vicariatus vel Praefecturae Apostolicae, quas in iis regionibus erigi contingeret, idoneo loco constitutae, necessariis opportunisque subsidiis ad dominicum gregem pascendum instruerentur. Quae quidem S. Consilii sollicitudines licet suo effectu saepissime non caruerint, tamen quia nulla ad habendas notitias ad id scitu necessarias edita Instructio fuerat, factum est, ut illae nonnumquam in superfluis abundantes, generatim vero in pluribus necessariis deficientes exhibitae sint. Ut itaque ea incommoda avertantur, ac notitiis ipsis diligentius colligendis facilior via paretur, haec quae sequuntur circa statum cum materialem tum formalem Missionum, quae in novos Episcopatus, Vicariatus, vel Praefecturas erigendae proponuntur, prae oculis habenda sunt.

1. Breviter distincteque exponantur quae ad Missionis catholicae initia ac progressum in regione, de qua sermo est, referuntur.

2. Confinia territorii, quibus nova Dioecesis, Vicariatus, vel Praefectura contineri debet, dilucide describantur : et, ut clarior terminorum delineatio praebeatur, chartae corographicae etiam coloribus distinctae, ac, siquidem haberi valeant, typis editae adiungantur. Qua in re quantum fieri potest cavendum, ne montium series vel fluminum cursus, vel gradus longitudinis aut latitudinis tamquam limites assignentur; at potius curandum erit, ut integri districtus, ubi homines eadem lingua eodemque civili gubernio utuntur, intra terminos praedictos claudantur. Quamvis enim compertum sit, aliam divinarum, aliam humanarum rerum rationem esse, adeoque Ecclesia in Dioecesum aut Vicariatuum limitibus constituendis vel immutandis, civilium regnorum divisiones sequi non consueverit, nihilominus ad eas nonnumquam accedere non renuit quoties opportunius et commodius sacri ministerii exercitium id requireret.

3. Exprimatur numerus civitatum, oppidorum et locorum, qui in tractu regionis, de quo agitur, extant; nec non numerus incolarum eorumque origo, insuper qua indole sint comparati, quaeque spes affulgeat progressus Evangelicae praedicationis inter ipsos.

4. An in territorio adsint haeretici vel schismatici, et an eorum errores sint valde diffusi.

5. An et quo numero existant inibi scholae aliave instituta ab acatholicis vel infidelibus erecta.

6. An libere possit per ea loca praedicari et exerceri catholica fides, et an et quae impedimenta obstent progressui religionis, sive ex parte civilis gubernii, sive ex parte haereticorum vel schismaticorum aut paganorum.

7. Exprimatur numerus catholicorum, et quinam eorum mores, et num fidem et observantiam Sanctae Religionis practice servent.

8. An iidem catholici habeant media providendi expensis divino cultui necessariis.

9. An reperiantur consociati in aliquibus territorii tractibus, vel contra ita per totam regionem dispersi inter acatholicos aut infideles, ut difficile admodum evadat operariis Evangelicis exercere ministerium ecclesiasticum inter ipsos.

10. Qua in urbe vel loco constituenda proponatur residentia Episcopi, Vicarii, vel Praefecti Apostolici, atque utrum et in quo statu adsit inibi Ecclesia et domus, in qua novus praesul commorari debeat.

11. Indicetur numerus et status Ecclesiarum et Sacellorum, quae in territorio erecta sunt; num sint sacris supellectilibus necessariis instructa, et utrum saltem in praecipuis ecclesiis vel sacellis decenter asservari possit SS̄mum Eucharistiae Sacramentum : an illae in quibus residere debeant missionarii, habeant coniunctum presbyterium, aut saltem in iisdem locis conveniens mansio pro sacerdote procurari possit: denique an praedictae Ecclesiae aliquos reditus vel oblationes habeant, et quas : et qua ratione administrentur.

12. Qui reditus vel praestationes assignari possint Episcopatui, Vicariatui, vel Praefecturae, et quo modo per eadem provideri valeat sustentationi Praesulis et Missionariorum.

13. Utrum obtineri possint subsidia a civili Gubernio ad fabricam Ecclesiarum, victum

(1) In Epistola Pii PP. VI ad Ep. Lucionen. in Gallia *28 Maii 1793* haec habentur : « Quoniam complures « ex istis fidelibus non possunt omnino parochum le- « gitimum habere, istorum profecto coniugia contracta « coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil « aliud obstet, et valida et licita erunt, ut saepe sae- « pius declaratum fuit a S. Congregatione Concilii Tri- « dentini interprete ».

sacerdotum et dotationem piorum quorumcumque operum, salva libertate et independentia Ecclesiae.

14. Quot missionarii in promptu sint ut deputentur ad pascendos fideles qui in territorio praedicto commorantur; ad quam gentem pertineant, quot linguas calleant et a quanto tempore morentur in missionibus.

15. An adsint sacerdotes indigenae, et quae utilitas ex cooperatione ipsorum ad fidem conservandam vel diffundendam sperari possit.

16. An adsint catechistae et quidem eo numero, qui sufficiat ad subsidium ferendum sacerdotibus in cura populi christiani, et an necessaria instructione praediti sint.

17. An aliquod regulare Institutum sive virorum sive mulierum introductum fuerit in regionem, de qua sermo est; num habeat convenientem domum; quod ministerium exerceant religiosi viri, qui ad ipsum pertinent, et an edocendae iuventuti dent operam.

18. An sine gravi difficultate seminarium clericorum erigi, et necessaria praesidia ad iuvenes alendos, religiose educandos, et disciplinis ecclesiasticis instituendos comparari possint; vel saltem constitui valeat locus aliquis, in quo iuvenes idoneam institutionem habeant ut sacerdotio initientur; aut demum, caeteris deficientibus, an spes sit idoneos iuvenes mittendi ad seminarium praesertim vicinioris alicuius missionis, ut ecclesiasticam educationem in eo recipiant.

19. An adsint scholae catholicae vel convictus sive masculorum sive foeminarum praesertim indigenarum, et utrum in eis admittantur personae diversae communionis vel cultus: demum an in casu, quo adhuc omnino desint, an facile aperiri possint.

20. Innuatur an in territorio erectae sint aliquae Confraternitates, Hospitalia, Orphanotrophia, Cathecumenatus, aliave pia loca, an uti par est regantur et quibus subsidiis, et an ab ecclesiastica auctoritate exclusive dependeant.

Haec quidem capita praecipua sunt, ad quae clare et distincte respondere tenentur ii, ad quos de iure pertinet, si quando nova aliqua Dioecesis vel Vicariatus aut Praefectura erigenda S. Congregationi proponatur; atque etiam ii, qui super huiusmodi negotio peculiariter sententiam rogabuntur. Erit autem Sacri huius Consilii expendere, an licet aliqua ex iis, quae supra expressa sunt, deficiant, ea tamen sit circumstantiarum ratio, quae memoratam erectionem suadeat, ut bono fidelis populi et conversioni acatholicorum, servata prudentiae ratione, consulatur.

646

S. C. de Prop. F. — NOTIONES AC QUAESTIONES CIRCA QUALITATES QUAE NECESSARIAE SUNT IN PROMOVENDIS AD EPISCOPALE MUNUS AC DIGNITATEM.

Quaesita circa promovendos ad episcopatum.

1. Nomen, cognomen, aetas, patria Candidati.

2. Cuius Dioecesis sit ac Provinciae Ecclesiasticae.

3. Ubinam studiis theologicis vacaverit, et quo profectu.

4. An gradus assecutus fuerit, et quos.

5. An professor extiterit, et cuius facultatis.

6. An et ubi missiones sacras obiverit, et quam in eis experientiam obtinuerit.

7. Quot linguas calleat, et quas.

8. Quibus officiis sit perfunctus et quo successu.

9. Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus et agendi ratione.

10. An sit corpore sanus, frugi, patiens, atque in administratione rerum temporalium versatus.

11. Utrum sit propositi tenax, an ingenio mutabilis.

12. Num gaudeat fama honestatis, et an fuerit unquam in eo quid contra mores.

13. An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum aedificatione, rubricarum studiosus observator.

14. An habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus gravitatem ac religionem praeseferat.

647

S. C. de Prop. F. — PROSPECTUS COLLEGII URBANI S. CONGREG. DE PROP. FIDE NEC NON EIUSDEM ALUMNORUM AD SCIENTIAS ET AD APOSTOLICAM VITAM INSTITUTIONIS.

De Collegio Urbano S. Congñis de Prop. Fide.

Quod Romanis Pontificibus fuit semper animo propositum, ut divina Iesu Christi Domini Nostri Religio ubique terrarum amplificaretur, id in primis Gregorius XV, atque Urbanus VIII sedulo intenderunt, atque insigni data opera plenius assequi satagerunt. Gregorius enim apostolico incensus ardore, atque orbis univèrsi ad Christum convertendi studio flagrans, per Bullam die 22 Iunii anno 1622 editam, coetum nonnullorum S. R. E. Cardinalium Fidei Propagandae praefecit, atque ita inclytae illius Congregationis, quae optime quovis tempore de Catholica Religione merita est, providus extitit Institutor. Urbanus vero VIII pientissimum praedecessoris sui consilium suscipiens, atque ad praestitutum ab illo exitum perducere cupiens, die 1 Augusti anno 1627 Pontificium

de Propaganda Fide Collegium erexit, quod ad aeternam Fundatoris memoriam usque ad hunc diem Urbanum appellatur. Porro finis ab Urbano intentus in hoc Collegio instituendo dignissimus sane fuit, qui a supremo Ecclesiae capite intenderetur. Voluit nimirum Pontifex ille maximus ut in Urbe totius Catholici orbis principe adolescentibus cuiuscumque regionis et quocumque idiomate loquentibus adminicula omnia praesto essent, quibus et scientiis praesertim sacris imbuerentur, et ad sinceram germanamque pietatem informarentur, ut videlicet ad Christi fidem in quavis orbis plaga sive praedicandam primum, sive confirmandam ac propagandam, apti idoneique efficerentur.

Hic autem finis cum ad divinae gloriae incrementum atque ad animarum salutem mirifice cedat, omnes Romanos Pontifices Urbani VIII Successores permovit, ut Collegium de Propaganda Fide studio semper peculiari, singularique benevolentia prosequerentur. Atque hinc factum est ut eiusdem Collegii Alumnis praeclara privilegia ac favores perinsignes fuerint impertiti. Benigne enim elargiti sunt ut ii *titulo missionis, extra tempora, non servatis interstitiis* sacros Ordines suscipere possent; ut ex ipsis unus quotannis *coram Pontifice* ac *Purpuratis Patribus* latinam solemni Pentecostes die orationem haberet; ut ii per certum spatium in publicis supplicationibus Pontificem comitarentur; ut duo denique ex eisdem Feria V in Coena Domini Apostolos referentes ad sacram pedum lotionem, quam Pontifex ipse in Vaticana Basilica peragit, admitterentur. Accedit et illud, quod ab iisdem summis Pontificibus Urbano Collegio concessum est, ut eius Alumni qui solemni facto scientiarum periculo, optimum profectus sui specimen exhibuerint, Philosophica, aut Theologica laurea ab Eminentissimo S. Consilii Cardinali Praefecto donarentur.

Quoniam vero quae Dei sunt, ordinata sint oportet, sapienter provisum est, ut quae Alumnorum delectum attingunt, ea rite atque ex ordine fierent, simulque ut in Collegio illa sive institutionis, sive studiorum ratio adoptaretur, qua inviolabiliter servata, adolescentes in sortem Domini vocati atque ad apostolicum ministerium electi, congrua morum sanctimonia atque opportuno scientiarum subsidio instruerentur. Itaque adolescens, qui se apostolico ministerio dedicare in Domino statuerit, atque ideo in Urbanum excipi Collegium exoptaret, Episcopo, aut Apostolico loci, in quo degit, Vicario, seu etiam alteri viro qui Romae apprime sit notus, vota ista sua aperiat oportet. Ab his quaedam excipiet quaesita (extant in calce huius prospectus) quibus ubi ita scripto responderit, ut Episcopus, aut alter qui ea illi tradidit, prudenter iudicare possit ipsum ad Collegii finem assequendum idoneum esse, per literas (quibus responsa ad quaesita una cum opportunis notitiis erunt adnectenda) memorato Eminentissimo Cardinali Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando Praefecto proponetur. Romam vero candidatus minime petet, nisi posteaquam ab Eminentissimo Praefecto epistolam acceperit, qua se inter Collegii Alumnos adnumerandum esse deprehenderit; quod si quis, ut contigit aliquando, litteris illis non exceptis, Romam veniret, continuo in patriam suam reverti adstringeretur. At ubi adolescenti significatum expresse sit ut Collegium ingressurus in Urbem se conferat, is secum deferet tantum pecuniae apud Collegii Praesidem deponendum, atque in alios usus haud convertendum, quantum illi pro reditu iuxta loci distantiam sufficere poterit. Afferet insuper testimonia de studiis, quibus operam navavit, de Baptismatis, et Confirmationis Sacramentis sibi collatis, ac de Ordinibus quos fortasse susceperit. Statim vero ac in Urbem pervenerit, Collegium ingredietur, literasque illius quo curante in Alumnum adlectus est, exhibebit: quod si absque legitima causa vel paulisper moraretur extra Collegium, in illud nunquam in posterum admitteretur.

Omnes porro Collegii Alumni, iis quibus subiicientur, praepositis, dociles in omnibus obtemperabunt; rebus quas secum detulerint nonnisi de eorum consensu uti poterunt; nec obedientiae tantummodo studiosi erunt observatores, sed solerter ac studiose in id etiam incumbent, ut virtutum omnium habitus sibi comparent. Qui enim idcirco eliguntur, ut *eant et fructum afferant, ut sal terrae* futuri sint *atque mundi lux,* homines ad divinae Religionis cultum nec adducere unquam poterunt, nec revocare, nisi primum, quam populis praedicabunt, eam ipsi vitae praeseferant sanctitatem. Ubi vero Alumnus decimumquartum aetatis suae annum expleverit, ac septimum ab admissione mensem attigerit, praescriptum de more iuramentum emittet, quod nihilominus iustis de causis in aliud tempus differre Collegii Moderatoribus integrum erit. Nemo tamen ad ullum (minorem licet) Ordinem promoveri poterit, nisi prius hoc iuramentum praestiterit et luculentum pietatis industriaeque suae specimen praebuerit. Ad haec autem iusiurandum illud adstringit Alumnos, ut nimirum omnia ac singula Collegii statuta accurate atque inviolabiliter servent, ut congruo tempore sacris Ordinibus initientur, ut in ecclesiasticam unde discessere provinciam, ad apostolicum ministerium in ea perpetuo exercendum revertantur, ut demum cum in eam redierint, saltem quotannis si in Europa, aut singulis biennis si extra illam versabuntur, cum S. Congregatione de Propag. Fide de rebus ad se, atque ad Missionem suam pertinentibus communicare te-

neantur. Quidam tamen ex Alumnis, satis probato consilio, nequaquam iurant se in eam precise regionem e qua advenerunt, reversuros, sed eam solummodo suscepturos esse Missionem quam eis S. Congregatio adsignaverit.

Ad studiorum vero rationem quod attinet, ubi illa ab Alumnis latina lingua satis instructis ineantur, sex annorum periodo absolvuntur. Duo priores anni philosophicis disciplinis excolendis, Logicae videlicet, Metaphysicae, Ethicae, Matheseos, ac Physicae impenduntur, quatuor vero insequentes Theologiae Dogmaticae ac Morali, tum Scripturae Sacrae, Historiae Ecclesiasticae, ac Iuri canonico addiscendis impenduntur. Interim vero pro Missionum ad quas Alumni proficiscuntur varietate, severioribus iis disciplinis diversarum linguarum ac praesertim Syriacae, Graecae, Armenae, atque Arabicae studium adiungitur, atque interea dum haec excoluntur, Gregoriani cantus et sacrae eloquentiae studium non praetermittitur. Ceterum adolescentes post emensum scholastici anni curriculum, feriis autumnalibus decurrentibus, in villam aeris salubritate praestantem se conferunt, ut vires totius anni laboribus fractas longiori corporis atque animi solatio reficiant. Scholastico item anno ad exitum perducto, publicae interdum de memoratis superius disciplinis disputationes habentur atque academicae exercitationes; studiorumque cursus solemni aureorum argenteorumque numismatum distributione coronatur, ut scilicet eorum virtus atque industria qui pietate aut scientia per annum ceteris praestiterunt, insigni laudatione promeritisque muneribus cohonestentur. Singulis praeterea annis primo post Epiphaniam Dominico die, Academica fit exercitatio, in qua a diversarum nationum delectis adolescentibus variae elucubrationes, nativa cuiusque lingua compositae recitantur. Quae quidem publica Academia semper et illustri praesentia plurium S. R. E. Cardinalium et nobilissima Praesulum atque amplissimorum virorum frequentia decoratur.

Quum vero studiorum expleto curriculo ad suam pergere Missionem Alumnum oportebit, per viam a superioribus designatam abibit, neque illi ab ea vel paullulum declinare licebit, nisi ad id gravi admodum legitimaque causa adigatur.

Cum vero Episcopis ac Vicariis Apostolicis illud apprime commendatum sit, ut vel plures eorum coniunctim, vel etiam singuli, quoad fieri poterit, in propriis regionibus erigenda curent Collegia aut Seminaria, ubi ad pietatem bonosque mores, atque ad humanas literas pueri instituantur, cautum est ut ex locis in quibus huiusmodi Collegia erecta fuerint iuvenes ad Collegium Urbanum ne admittantur, nisi ad philosophica vel theologica studia habeantur idonei.

Ceterum et illud animadvertendum superest in Collegii Urbani discipulorum numerum neminem praeter Alumnos admitti posse, nisi id Pontifex ipse Maximus alicui indulgeat.

Conditiones et quaesita pro candidatis ad Collegium Urbanum.

Conditiones

1. Ut candidati ad statum ecclesiasticum vocationis signa praebeant, ac quid apostolicum ministerium importet sciant.
2. Ut decimum quintum aetatis suae annum attigerint.
3. Ut sani sint, lingua expediti, ac firma bonaque corporis constitutione, medici testimonio S. Cong. exhibendo post diligentem candidati physicam inspectionem comprobata, gaudeant.
4. Ut linguae latinae rudimenta calleant, ac aptitudinem ad studia ostendant.
5. Ne uxorem duxerint, vel sponsalia contraxerint.
6. Ut tantum pecuniae apud Collegii Praesidem deponant, quantum illis sufficiat pro reditu.
7. Ut documenta de receptis Baptismi, ac Confirmationis Sacramentis exhibeant.

Quaesita.

1. Eorum nomen et cognomen.
2. Parentum nomina.
3. Vivant ne parentes an mortui sint?
4. Parentum quae religio?
5. Cuius dioeceseos ac provinciae sint (candidati)?
6. Cuius sint ritus?
7. An Ordines susceperint, et quos?
8. Quibus studiis operam dederint, et ubinam?
9. An habeant animum servandi regulas Collegii, in eo perseverandi, ac iuramentum suo tempore suscipiendi?
10. An subierint morbum qui vulgo dicitur *vaiuolo;* et quatenus negative, an usi fuerint inoculatione, qua ab eodem praeserventur?
11. An tantum pecuniae apud Collegii praesidem velint deponere, quantum illis sufficiet pro reditu iuxta loci distantiam, nolintque hanc pecuniam in alios usus convertere (1).

(1) Huiusmodi articulum quaestionario, de quo agitur, adiungi statutum est in Generali Conventu S. C. de Prop. Fide 26 Iulii 1869.

648

Indultum pro lucrandis indulgentiis absque Confessione.

S. C. de Prop. Fide *4 Ianuarii 1801. (Ex Aud. SSmi).* — Si supplica perchè i missionarî della Cina, Tonkino ecc. possano, benchè non confessi, fatto però un atto di contrizione col proposito di confessarsi al primo incontro, guadagnare le indulgenze, a norma di quanto fu concesso dalla sa. me. di Pio VI in data del 1 Aprile 1794 ai cattolici della Francia (1).

R. SSmus annuit.

649

De sepultura infantium extra sepulchrum familiae, more gentilium.

S. C. de Prop. Fide *20 Febr. 1801* (C. P. pro Sin.) — Chansi et Chensi — In queste provincie gl'infanti, o figli o figlie, che muoiono, non si seppelliscono nel proprio sepolcro della famiglia, ma altrove; il che procede dall' errore dei gentili i quali fanno così perchè i suddetti non hanno prole che possa piangerli, e prestar loro gli ossequî delle riverenze e prostrazioni. *Hinc dubium:* Se gl'infanti e i celibi possano seppellirsi altrove che nel sepolcro della propria famiglia.

R. Quoad eos christifideles qui commune habent sepulchrum cum gentilibus, licere, dummodo superstitionis error absit; curetur tamen ut in loco benedicto sepeliantur.

650

Quae consuetudines reiiciendae, quaeque retinendae in defunctorum tumulatione.

S. C. de Prop. Fide *20 Febr. 1801* (C. P. pro Sin.) — Quoad plures consuetudines in terris et provinciis Vicariatus Apostolici Xan-si et Xen–si inolitas occasione tumulationis defunctorum, exequutioni danda sunt ac retineri oportet decreta alias edita, ac praesertim Instructio S. C. anni 1793 ad Episcopum Corricen. Vicarium Apostolicum Tunkini Orientalis in qua haec habentur: « Intelligat etiam (Domi- « natio Vestra) habenda esse tamquam super- « stitiosa, aut saltem superstitionis graviter su- « specta, ac per consequens nullo pacto in pra- « xim redigi posse ea omnia quae ab his gen- « tilibus populis adhibentur in cultu progenito- « rum propinquorumque defunctorum, iis ex- « ceptis officiis, quae vel spectant ad naturalem « pietatem, puta collocare in feretro et humi « mandare, vel quae pertinent ad civilia obse- « quia, qualia sunt retinere ad posterorum me- « moriam imagines defunctorum, vel insignia ci- « vilis magistratus quem exercuere dum viverent « vel in publicis ac privatis conventibus eorum « laudare gesta aut officia. Licitum tamen est « christianis erga fideles defunctos eas omnes « caeremonias eaque adhibere obsequia quae « iuxta consuetudinem et ritus Ecclesiae catho- « licae solent a christianis exerceri pro iis qui « in eiusmodi Ecclesiae communione obiere ».

651

De anticipata administratione Viatici et Extremae Unctionis.

S. C. de Prop. F. *20 Febr. 1801* (C. P. pro Sin.) — Talora i missionarî visitando i loro distretti s'incontrano in qualche malato etico o d'altro morbo, che a certa sperienza durerà molti mesi, ma dentro l'anno perisce: si cerca se in tale caso il missionario possa somministrargli il Viatico e l'Estrema Unzione per la ragione che, quando sarebbe veramente nel grado suo di riceverla, allora il missionario non si potrà trovare presente nel luogo per la grande distanza, e per altre circostanze impeditive.

R. Affirmative.

652

De tempore catechumenatus, et de electione catechistarum.

S. C. de Prop. F. *20 Febr. 1801* (C. P. pro Sin.) — Chansi et Chensi — 1. Tempus ac curriculum catechumenatus determinare pro singulis casibus, prudentiae ac pietati Vicarii Ap. pro tempore debet committi.

2. Regulae servandae in electione catechistarum remittuntur in omnibus arbitrio Vicarii Ap. pro tempore.

653

Contra matrimonia clandestina.

S. C. de Prop. F. *20 Febr. 1801* (C. P. pro Sin.) — Se nei due Tonkini e nella Cocincina debba impetrarsi l'apposizione d'impedimento dirimente ai matrimonii contratti senza la presenza di due testimonii almeno.

R. Negative, et detur Resolutio S. C. 1 Martii 1784 *(V. n. 567)*. Vicarii autem Apostolici et missionarii studeant privatis admonitionibus, praesertim in administratione Sacramenti Poenitentiae, et communibus concionibus, deterrere fideles a matrimoniis clandestinis, quae Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis semper detestata est atque prohibuit, et ex quibus gravia peccata ortum habent; praecipue vero admonere graviter, et sub interminatione divini iudicii, eos qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt (Concil. Trid. s. 24, cap. 1, *De reform. matrim.*).

---

(1) Indultum huiusmodi ita se habet: « Sanctitas « Sua (Pius PP. VI) de consilio selectae Cardinalium « Congregationis benigne indulget fidelibus Regni Gal- « liarum ad annum, si tamdiu horum temporum cala- « mitas perduraverit, ut, deficientibus sacerdotibus qui « confessiones excipere valeant praefixo tempore, fideles « utriusque sexus eiusdem Regni Indulgentias consequi « possint tum ab eadem Sanctitate Sua, tum a Romanis « Pontificibus praedecessoribus concessas, sacramentali « Confessione non praemissa, modo actum contritionis « eliciant cum proposito confitendi quamprimum fieri « poterit ».

654

De matrimoniis civiliter contractis.

S. C. de Prop. F. *20 Febr. 1801* (C. P. pro Sin.) — Vic. Ap. Sutchuen. — Aliquando, etiamsi sacerdos adsit in loco, non potest tamen ab eo recipi benedictio antequam adhibeantur ritus civiles matrimonii. Quaeritur an in isto casu licite possint sponsi suspendere consensum suum de praesenti ad evitandum clandestinitatis vitium, ita ut, exercendo caeremonias publicas et consuetas, solummodo intendant confirmare sponsalia, vel sponsam traducere in lectum vacuum, non autem verum matrimonium contrahere, nisi cum postea sacerdotis benedictionem recipient; quae omnia fiunt consciis christianis, sed insciis gentilibus ita ut isti credant vere contrahi matrimonium, illi vero solum confirmari sponsalia.

R. Detur Instructio s. m. Benedicti XIV in Litteris Apostolicis diei 17 Septembris 1746 incipiens *Redditae Nobis* quoad ea quae referri possunt ad praesens dubium.

Instructio... Sciant itaque catholici vestrae curae concrediti *etc. (V. pag. 196).*

655

Circa quasdam superstitiosas figuras.

S. C. de Prop. F. *20 Febr. 1801* (C P. pro Sin.) — Chan-si et Chen-si — 1. An tolerari debeant *Mouen-Kioun*, id est custodes seu gubernatores portae, quae sunt duae figurae depictae vel sculptae in vestibus militaribus, quarum una faciem habet nigram, et altera rubram, quaeque apponi solent ad portam maiorem praefectorum militarium?

2. An christianis licitum sit habitare in domibus paganorum, cooperiendo figuras superstitiosas ibidem appositas, quas vocant *Pasien* et *Pakia?*

R. Ad 1. Licitum non esse adhibere insignia quae non ad decus tantum familiae, aut ad significationem honoris munerisve quo quisque fungitur, sed titularis cuiuspiam opis implorandae causa, consueto superstitioso more ac ritu, prae foribus aut in aedibus appendi solent a gentilibus.

Ad 2. Affirmative.

656

De casuum reservatione.

S. C. de Prop. F. *20 Febr. 1801* (C. P. pro Sin.) — Reservatio criminum quoad absolutionem in Sacramento Poenitentiae concedendam, arbitrio et conscientiae pro tempore Vicarii Ap. relinquenda est.

657

Circa facultatem commutandi pia Confraternitatum opera.

S. C. de Prop. F. *20 Febr. 1801* (C. P. pro Sin.) — La s. m. di Clemente XIV sotto i 19 Settembre 1773, concesse ai confessori di ciascun confratello del Rosario, che si trova fra gli eretici o infedeli, la facoltà di commutare i pii esercizi della detta Confraternita in altre opere sante: si cerca se tale commutazione si debba fare entro il tribunale di Penitenza, ovvero anche fuori.

R. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

658

De benedictione supplenda in matrimoniis clandestine celebratis.

S. C. de Prop. F. *20 Febr. 1801* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — S. Sedes hortatur fideles ad supplendam benedictionem nuptialem parochi in matrimoniis clandestine celebratis. Quaeritur utrum intendatur sola benedictio solemnis quae habetur in Missali, an vero etiam benedictio annuli?

R. Affirmative in omnibus (1).

659

Sacra olea in aquam baptismalem omnino infundenda.

S. C. de Prop. F. *14 Ian. 1802* (C. P. pro Sin.) — Se debba approvarsi la consuetudine introdotta nel Tunkino Occidentale di non unire i sacri olî all'acqua battesimale a motivo della scarsezza di questo liquore.

R. Negative, et dentur decreta S. C. Sancti Officii ad dubium propositum a missionariis Sinarum die 30 Ian. 1766, et S. C. Prop. Fidei ad dub. 1 Bulgariae 17 Aprilis 1758. *(V. nn. 411, 459).*

660

De altarium consecratione sine Sanctorum reliquiis.

S. C. de Prop. Fide *14 Ian. 1802* (C. P. pro Sin.) — 1. Utrum Episcopus Vicarius Apostolicus altaria sine reliquiis Sanctorum, quamvis authenticas in promptu habeat, propter super exposita (2) tuta conscientia possit consecrare.

2. An habita copia altarium cum Reliquiis consecratorum, liceat missionariis super alia sine Reliquiis consecrata celebrare: vel an habeant iterum cum Reliquiis consecrari, ut super illa Missae Sacrificium licite celebretur.

3. An illa facultas missionariis pro casu necessitatis concessa, celebrandi nempe super altaria fracta, aut sine Reliquiis sanctorum, in-

(1) Hoc est (ut declaratum fuit in Congreg. 27 Ianuarii 1805) benedictionem esse dandam in omnibus et per omnia ad formam Ritualis Romani, scilicet etiam cum annuli benedictione.

(2) Hoc est, « *atteso il pericolo di facile rom-* « *pimento o apertura del sepolcrino a motivo della* « *grande umidità, e la gran difficoltà di conservare le* « *Sagre Reliquie ne' sepolcrini anche ben chiusi per causa* « *delle frequenti persecuzioni: nel qual caso o vengono* « *spezzate le pietre sagre dai persecutori per la lusinga* « *di trovare oro ed argento, o dai cristiani stessi ven-* « *gono gettate le sagre Reliquie in luoghi immondi per* « *timore d'essere scoperti* ».

telligatur praecise de illis altaribus quae cum Reliquiis fuerunt antea consecrata, postea vero propter fractionem vel motionem sepulchri execrata fuerunt; vel id etiam intelligi possit de illis altaribus quae, ut supra dictum est, ab initio absque ullis Reliquiis fuerunt consecrata.

R. Ad 1. Ad D. Secretarium cum SSmo pro dispensatione; et transmittantur decreta S.C. S. Officii sub die 14 Maii 1681. *(V. n. 223).*

Ad 2. Negative ad primam partem, quando commode haberi possint altaria cum Reliquiis consecrata, ita ut in iis possit celebrari. Quo vero ad secundam provisum in praecedenti, et, si cum dispensatione Summi Pontificis altaria sine Reliquiis rite consecrata fuerint, iterum non esse consecranda.

Ad 3. Provisum in Formula facultatum (1) et in duobus praecedentibus dubiis.

661

De quadam adoptione ex qua matrimonii impedimentum non oritur.

S. C. de Prop. Fide *14 Ianuarii 1802* (Congr. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — An adoptio habenda sit pro impedimento canonico matrimonium dirimente in Regno Tunkini, quando iuxta leges et consuetudines eiusdem Regni persona nondum sui iuris adoptare potest, neque requiritur ut adoptans maior sit 25 annis, sicuti parum curatur utrum sit masculus an femina; ipsi quoque eunuchi adoptare valent, neque habetur ratio aetatis adoptantis relative ad personam adoptatam, neque etiam requiritur personae adoptatae praesentia, vel eiusdem in adoptione consensus, ita ut etiam parvuli et puellae absentes ac veri consensus incapaces in filios et filias adoptari possint.

R. Negative.

662

De fidei professione a missionariis europaeis emittenda.

S. C. de Prop. F. *14 Ian. 1802* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — Se anche i missionarî europei che non posseggono benefizio ecclesiastico, siano tenuti a prestare la stessa professione di fede, che si fa dai catechisti nazionali.

R. Affirmative.

663

Contra christianorum adsistentiam conviviis superstitiosis gentilium.

S. Congr. S. Officii *21 Ianuarii 1802.* — Sutchuen — Antiqua consuetudo hic est fere in omnibus huius Imperii provinciis, apud christianos etiam recepta, assistendi nimirum conviviis gentilium quae fiunt occasione celebrationis memoriae eorumdem defunctorum. Convivia autem huiusmodi vel fiunt die sepulturae defuncti, vel adhuc non raro pluribus mensibus, atque etiam annis, post sepulturam, prout superstitiosa temporum inspectio diem aptum ad sacrificia determinavit; die assignato vel alicubi pridie illius diei quo dicta convivia fiunt, qui curant funus, porcum et capram coram tabella animae defuncti offerunt, postea transferunt ad culinam ut ibi coquantur, indeque tractentur hospites: porro saepe fit, ut caro sic oblata prae numero invitatorum non sufficiat, tuncque addunt alias carnes non oblatas, quas simul cum sacrificatis coquunt, et permixtim ac indifferenter mensis apponunt in loco prorsus indifferenti.

Iam a quindecim annis iuter missionarios huius Vicariatus agitata fuit praesens quaestio occasione Decreti huius S. Congregationis pro Tunkino dati 14 Ianuarii 1753, cuius tunc indirectam notitiam habuimus, per quod illius partis christianis prohibetur assistere conviviis quibus gentiles honorant memorias suorum defunctorum; quamvis autem, re inter nos discussa, casus prout hic observatur dissimilis apparuit, nihilominus ad maiorem cautelam Illmus Agathopolitanus scripsit ad duos Vicarios Ap., nimirum Fokiensem et Chansinensem, necnon ad Episcopum Nankinensem, eos rogans ut de praxi suarum Missionum circa propositum casum vellent ipsum edocere. Respondit primus (R. P. Calvo, tunc Provicarius pro Illmo Sinopolitano e vivis iam tum excesso) praxim Vicariatus esse prohibere christianis ne huiusmodi conviviis assisterent, ea de causa quod decretum S. C. de Prop. F. existebat id aperte prohibens; et citabat praefatum decretum pro tunkinensibus datum; alii duo Praesules unanimiter responderunt assistentiam hanc esse prorsus licitam, nec ullum circa hoc posse dubium moveri. Unde videns Illmus Agathopolitanus missionarios huius partis circa hoc perfecte concordes, simul et auctoritate fretus duorum memoratorum Praesulum, qui eamdem sententiam tenebant, prudens non iudicavit antiquam huius Vicariatus consuetudinem mutare propter decretum quod nunquam ad Missiones sinicas fuerat extensum, cuiusque obiectum videbatur prorsus dissimile ab eo de quo agebatur in Sinis: unde statuit non esse inquietandos christianos.

Rationes autem discriminis, quas tunc animadvertimus, quaeque etiam pro nunc eaedem apparent, sunt: 1. Quod in Tunkino, iuxta expositionem dicti Decreti, convivia huiusmodi immediate fiebant post oblationes et sacrificia, ita ut quasi unam eamdemque actionem cum

(1) Haec in n. 23 Formulae I: «Celebrandi..., per « unam horam ante auroram et aliam post meridiem, « sine ministro, et sub dio, et sub terra, in loco tamen « decenti, etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis « Sanctorum, et praesentibus haereticis, schismaticis, « infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non « possit ».

dictis oblationibus seu sacrificiis constituebant, quorum ideo videbantur veluti totidem communiones seu participationes; in Sinis vero convivia huiusmodi longe diu post sacrificia fiunt, ita ut saepissime oblationes spatio 4, 5, atque etiam aliquando 6 horarum a se invicem dividantur, imo, ut superius notavi, non raro plus quam dimidia parte integrae diei separentur, quando nimirum pridie conviviorum gentiles sacrificia sua defunctis offerunt.

2. Discrimen in eo pariter est, quod in Tunkino convivia huiusmodi necessario referantur ad oblationes superstitiosas; in Sinis vero, in dictis oblationibus separabilia sunt, ut saepe eveniat quod gentiles, praesertim divites, qui in his circumstantiis ingentem convivarum turbam invitant, prius cibos non oblatos invitatis ministrent, et nonnisi hospitum improviso numero victi, aliis deficientibus cibis, tandem iisdem apponunt sacrificatos; mos est enim inter eos carnes oblatas sibi reservare ut, absolutis omnino caeremoniis, altera die inde intimos amicos, eosque qui tum in sacrificiis, tum in conviviis curandis, laboriose ministrarunt, lautius tractent; unde consequens videtur quod si minus divites dictas carnes oblatas non sibi reservent, sed invitatis apponant, id non fiat praecise ratione sacrificii, sed potius ad parcendum expensis,

3. In Tunkino convivia in memoriam defunctorum a gentilibus celebrata, propter eorumdem solemnitatem et affinitatem quam habent cum sacrificiis, videntur quasi pars caeremoniae quam in cultum defunctorum peragunt; apud Sinas vero, in schedula invitationis, quam scribunt quando de parentandis defunctis agitur, ne minima quidem mentio est dictorum conviviorum, dum tamen ubi de matrimoniis celebrandis, aliisque civilibus causis, eorumdem expressam mentionem faciant: ibidem igitur unice assignant diem et horam quibus sacrificia defuncto debent offerri, simul diem et horam quibus denuo defunctus debet in fortunato loco, ut scribunt, terrae mandari, rogantes consanguineos, affines et amicos, ut dignentur praesentia sua honorare invitantes, et mos invaluit ut sic epulis invitatos honorarent.

4. Ratio propter quam S. haec Congregatio tunkinensibus prohibuit ne dictis conviviis assisterent, est, ne ex christianorum praesentia, infideles confirmentur in suis erroribus et in observantia superstitiosorum rituum erga defunctos: porro cum christiani tunc, contra infidelium morem, neque sacrificiis assistant, neque iisdem ullo modo ministrent, neque tabellam animae salutent, neque feretrum, neque candelas et papyros ad comburendum offerant, neque illud omne, praeter denaria cum inscriptione valde diversa ab ea qua gentiles utuntur (nam isti ordinarie involucrum denaria continens inscribunt *munus ad sacrificia,* illudque deponunt prope aut coram tabella animae quam prius prostrati salutant; christiani vero inscribunt *munus ad condolendum,* et, quaesita aut expectata opportuna occasione, illud in alio loco tradunt simpliciter in manibus eorum qui specialiter curant funus, et hoc faciunt partim ad restituendum id quod a defuncti familia in simili occasione prius receperunt, partim ad iuvandas expensas et convivii, quod quidem aliqui, in inscriptione sui muneris, minus urbaniter iuxta morem sinicum significant); cumque praeterea gentiles id generis convivia tanquam sacra nullo modo habeant, nec comedendo distinguant oblata a non oblatis, sed praecipue, si non unice, de bene epulando cogitent, probabile non est, his in locis, quod assistentia christianorum dictis conviviis infideles confirmare valeat in suis erroribus, praesertim cum in iis circumstantiis christiani non raro dicteria et obiurgationes eorumdem infidelium contra se provocent, eo quod iisdem in supra memoratis superstitionibus nolint communicare.

Propter modo expositas rationes, usque huc censuimus christianos non esse inquietandos quanquam plurimum iisdem consulamus abstinere quantum poterunt ab iisdem conviviis, ne forte ab infidelibus coacti, prout aliquando factum est, salutent tabellam animae vel feretrum aut aliis superstitionibus occurrant. Nunc autem quaestio haec rursus in controversiam vocatur. Sunt qui censent absolute prohibendum esse christianis dictis conviviis assistere, et id de facto in suo districtu prohibuerunt, non alia ratione nisi quia timuerunt ne huiusmodi convivia totidem fuerint sacrificiorum participationes; alii distinguunt, censentque quod si agatur de conviviis quae fiunt die sepulturae, licet eodem pariter die offerantur sacrificia, et de sacrificatis ibidem comedatur, tunc non prohibendum sit christianis iisdem assistere et denariorum munus ad condolendum offerre, ut supra, utpote quod convivium tunc non videatur paratum nisi in gratiarum actionem erga eos qui funeribus assistunt, et munus oblatum obiectum habeat pium, neque expensas pro funeribus, quas sic iuvant. Si vero agatur de diebus in quibus unice fiunt sacrificia, censent absolute prohibendum esse christianis ne invitati tunc ad dicta convivia se conferant, aut munus offerant supradictum, quanquam iidem facile concedant, caeremonia omnino absoluta, licere post aliquot dies denaria offerre in compensationem denariorum quae forsan a defuncti familia in iisdem circumstantiis pro exequiis propriorum defunctorum receperunt; ratio autem ipsis est quod, cum in schedula invitationis nulla tunc alia causa assignetur praeter sacrificia, gentiles censeantur tunc christianos unice ad sacrificia invitare; porro indecens videtur ut christiani ad sacrificia invitati eadem die ad sacrificii locum se conferant; quod autem hac die chri-

stiani non debeant praedictum munus denariorum offerre, id probant eo quod munus istud non aliam probabilem causam habere videatur praeter contributionem ad sacrificia, siquidem in invitationis scripto unice de sacrificiis fit mentio.

Non diffiteor ergo quod satis inclinatum me sentiam in ultimam hanc sententiam abire; verum cum hic agatur de graviter ligandis christianorum conscientiis contra antiquam huius Missionis praxim, quae non minima auctoritate fundatur, nam praeter plurimos Praesules qui eam sapienter tamdiu gubernarunt, duo Episcopi superius appellati huius distinctionis notitiam etiam habuerunt, censueruntque eam parvipendendam: cumque rationes, quae hic opponuntur, non ita validae sint ut probabile dubium in contrarium excludant: nam quamvis unica causa, quae in schedula invitationis scripta tunc expresse proponitur, sit causa sacrificiorum, tamen iuxta morem sinicum publice receptum, qui eam recipiunt, de facto censentur hoc modo ad convivium simul invitati; cum igitur convivia huiusmodi honesta sint, et a sacrificiis independentia, ut ipsi fatentur, siquidem permittunt christianis iisdem assistere, ubi gentilium funera concurrunt cum die ad sacrificia destinato, quamvis convivae de sacrificatis ibidem eodemque modo epulentur, restaret ut, si christiani omnino se abstinerent ab assistendo huiusmodi sacrificiis, et conviviis tantum assisterent, cum aliunde munus denariorum, quod tunc offerunt, obiectum habeat longe distinctum a sacrificiis, nimirum parentum defuncti aliqualis consolatio, adiumentum pro expensis convivii, atque etiam pannorum seu vestimentorum luctus quae hac occasione large distribuuntur, restaret, inquam, quod christiani non essent saltem tam cito inquietandi, praecipue, si graves haberent causas ad dicta convivia eundi, et aliter non possent rixas, odia et inimicitias vitare, unde satius iudicavi causam relinquere in statu quo a bo. me. Illmo Francisco Episcopo Agathopolitano decisa fuit, et declaravi non esse inquietandos fideles usque dum haec S. C., de his omnibus a me monita, postmodum aliter definiat; igitur humiliter supplico ut, si abusus fuerit in hac agendi ratione, id S. Congregatio declarare dignetur, ut quam citissime huic eradicando pro viribus enitamur.

R. Respondendum esse iuxta adnexam Instructionem.

Instructio. — Dubium S. C. de Prop. Fide aliquot abhinc annis a D. V. Illma propositum, et nondum ob superiorum temporum vices resolutum, utrum scilicet, post eiusdem decretum diei 14 Ianuarii 1753 pro Tunkino latum, retineri in isto Vicariatu aut tolerari adhuc possit consuetudo a christianis recepta, *assistendi conviviis gentilium quae fiunt occasione celebrationis memoriae defunctorum,* cum nuper ad S. C. S. Off. transmissum fuerit, haec in primis id perpendendum sibi esse statuit: An et quatenus consuetudo sinensium, de qua agitur, differret a consuetudine tunkinensium, quae tamquam superstitiosa iam fuit merito reprobata atque prohibita. Ex hac quippe comparatione deliberationis summa pendebat; absurdum enim fuisset, in re tanti momenti, id declarari sinensibus christianis licere quod non licere tunkinensibus declaratum fuit. Nam, cum in omnibus rebus optandum est, aut exigendum potius, ut christiani idipsum discant omnes, sintque perfecti in eodem sensu et in eadem sententia, tum praesertim in iis quae ad ius naturale ac divinum pertinent, in quo nimirum sicut nulla auctoritas est quae dispenset, nulla conniventia quae excuset, ita nulla consuetudo, quamvis inveterata, quae deroget atque praescribat. Agitur autem hic, non de instituto, aut ritu aliquo ecclesiastico, sed de primo Decalogi praecepto quo omnis, non exhibitio solum, sed etiam participatio superstitiosi ac profani cultus interdicitur. Iam vero diligenter inter se invicem comparatis utroque casu, tum qui olim pro tunkinensibus propositus fuit, tum qui modo pro sinensibus proponitur, S. C. nullum inter utrumque casum deprehendit alicuius momenti discrimen: eaedem quippe et numero et re circumstantiae concurrunt utrobique; aeque convivia gentilium sinensium atque tunkinensium fiunt occasione memoriae defunctorum celebrandae, aut potius religiose colendae; fiunt post sacrificia et oblationes coram tabella; fiunt ex cibis oblatis. Quod si sinenses, ab obeundis sacrificiis, atque oblationibus ipsis, aliisque caeremoniis alias a Sancta Sede vetitis, se abstinent, abstinebant se pariter tunkinenses: quid ergo unum uni tam par est, tam simile, quam hae duae sunt inter se consuetudines?

Quas vero discriminis rationes studiose colligit D. V. eae visae sunt partim prodesse parum sinensium causae, partim verius obesse. Parum prodest horarum aliquot spatium, quod sacrificia inter et convivia interponi a tunkinensibus etiam necessario debet; neque enim ad haec ab illis separanda interponitur, sed ad immolatas porci et caprae carnes coquendas; ea igitur functio superstitiosa et prorsus idololatrica, si minus physice, at moraliter certe continuatur, non interrumpitur; maxime cum vel ipsa ciborum praeparatio apud gentiles omnes pars caeremoniae funebris, atque adeo religiosae, habita semper sit, et haberi pariter apud sinenses videatur, qui propterea iisdem coquis utuntur, qui sunt funerum curatores atque oblationum ministri. Parum prodest mos divitum aliquot sibi suisque intimioribus amicis ac funeris curatoribus oblatos cibos servandi: qui mos, utpote privatus et arbitrarius, neque constans, neque universalis, nihil profecto probat contra primariam huiusmodi conviviorum in-

stitutionem, contraque dispositionem publicam quae in externis religionis actibus est potissimum attendenda. Parum prodest denique quod a sinensibus permixtim apponantur cibi immolati cum indifferentibus: quippe permixtio haec, et est ipsamet superstitiosa, cum ex instituto religioso fiat, et est cum caeteris gentilibus tum tunkinensibus communis; reprehensi enim christiani tunkinenses fuerunt, non quod unice sed quod etiam oblatos cibos in his conviviis manducarent.

Utraque vero illa formula, tum qua christiani sinenses ad funebria infidelium convivia vocantur, tum qua seu ad condolendum, seu ad convivii expensas iuvandas, symbolum conferunt, tantum abest ut superstitionis labem detergant, ut augeant potius. Fieretne a gentilibus in schedula invitationis unius sacrificii et non convivii mentio, si unum separarent ab altero, nisi hoc illo, tamquam partem toto contineri censerent? Christiani igitur qui huiusmodi invitationi obsequuntur, nonne ad convivia accedere videntur, tamquam ad sacrificii partem et una sacrificii causa? Dum vero hi pecuniam tradunt ad condolendum, nonne se declarant illius esse velle luctus participes, quem esse superstitiosum norunt? Dum tradunt ad iuvandas expensas et convivii, nonne et sacrificii expensas scientes iuvant? Quibus enim tradunt? Nempe sacrificii ministris. Cur tradunt? Ad emendas carnes, quae, antequam apponantur mensae, defuncti animae coram tabella offeruntur? Quid tandem de ratione dicendum est qua gentiles sinenses diem convivii huiusmodi celebrandi constituunt? Non scilicet commodo, non arbitrio, non respectu aliquo civili et politico, sed ut superstitiosa temporum inspectio diem aptum ad sacrificia determinavit. Res ipsa loquitur per se.

Itaque, si, monente summo hac in re auctore Tertulliano, omnes afflatus idololatriae vice pestis devitandi sunt, non in directis modo atque intrinsecis actibus cultus idololatrici, sed in universa serie humanae superstitionis, sive diis, sive defunctis mancipatae, ut ad eosdem spiritus immundos pertinentes: quomodo non erunt christianis devitanda huiusmodi convivia defunctis gentilium mancipata, quae non uno vel altero, sed tot afflatibus superstitiosis quot fere sunt eorum circumstantiae inficiuntur? Eadem est atque una conviviorum causa ac sacrificiorum; idem atque unus finis, nempe cultus erga defunctos, quos sinenses, perinde ac divos manes romani veteres, venerantur, quosque nisi conviviis delectari et rite coli arbitrarentur, non antea animalia eis sisterent atque offerrent, quam eorum carnes apponant mensis; eadem est atque una occasio, eadem atque una invitationis formula, iidem sunt ministri, iidem dies eademque vanissima observantia constituti. Quomodo igitur non ad eosdem spiritus immundos pertinere convivia dicenda sunt, ad quos sacrificia pertinent, et iis poterunt christiani interesse et accumbere, quin violent Baptismi fidem in quo satanae abrenuntiaverunt et omnibus operibus eius?

Est quidem generatim et speculative indifferens ad convivia ire infidelium, idque propterea Corinthiis minime Apostolus prohibuit, neque Sacra Congregatio prohibet sinensibus, si qua alia occasione mere civili et politica vocentur, et velint ire, tuncque *omne quod sibi apponitur manducent, nihil interrogantes propter conscientiam;* sed convivia occasione celebrationis memoriae defunctorum gentilium isthic celebrari solita, si speciatim et practice spectentur, tres illas simul omnes circumstantias adnexas habere deprehenduntur, quarum vel una illicitam cum infidelibus communicationem efficeret. Hac enim occasione, cum convivia pars sint superstitiosae functionis, eis nequeunt assistere quin primo superstitionis participes fiant tum de aliis causis quae superius memoratae sunt, tum illa imprimis quam affert Doctor gentium: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Quin secundo edendis cibis, quos, quamvis nemo indicet, iam sciunt et scire debent ex instituto oblatos fuisse, occasionem scandali infidelibus facile praebeant se in nefariam opinionem confirmandi, talibus mensis defunctorum manes et delectari et placari, et honorari oportere, quo in casu idem Apostolus vetuit Corinthiis immolatum manducare, *propter conscientiam, non propriam, sed alterius;* quin demum christiani ipsimet sibi subversionis periculum creent, et iam non alterius solum, sed etiam propriam conscientiam laedant, cum scilicet non raro dicteria et obiurgationes infidelium contra se provocent, eo quod aliis superstitionibus (iam ab Apostolica Sede toties damnatis) nolint communicare; et cum aliquando reipsa fiat ut periculo, in quod se coniecerunt, succumbant, lapsu sane luctuosissimo.

His omnibus maturo examine perpensis, atque SSmo D. N. expositis in generali Congregatione habita feria V, die 20 Ianuarii, an. 1802, doluit vehementer Sua Sanctitas, pro ferventi suo christianae fidei et animarum salutis studio, hac superstitionis labe dilectae istius Ecclesiae faciem deturpari; cupiensque eam coelesti Sponso, cuius Sua Sanctitas ipsa vices gerit in terris, exhibere non habentem maculam aut aliquid huiusmodi, iussit decretum anni 1753 *(V. n. 386)* pro Tunkino latum, ad Sinas extendi, deque ea re ad D. V. Instructionem mitti. Quod dum facit Sacra Congregatio, iussui Sanctitatis Suae obtemperans, facile sibi persuadet, freta et tua et aliorum Antistitum ac missionariorum perspecta pietate et prudentia, omnes et singulos, se confortantes in Domino et in potentia virtutis eius, controversiis omnibus et dissidiis sublatis, in id unum

consilia ac studia collaturos ut laudatum decretum, cuius proinde exemplar transmittitur, primo quoque tempore executioni mandetur et inviolate servetur in posterum.

664

Circa dispensationes matrimoniales cum alter ex contrahentibus est acatholicus.

S. C. de Prop. F. *24 Nov. 1802* — Sul quesito: « Se i Vescovi ed i Vicarî Apostolici nei regni Britannici possano, in virtù delle facoltà ordinarie e straordinarie loro accordate dalla S. Sede, dispensare negl'impedimenti di consanguinità e di affinità coi loro diocesani o sudditi quando una parte dei contraenti sia cattolica, l'altra acattolica ».

R. Ad un tale quesito è stato dalla S. C. negativamente risposto a tenore della istruzione del S. Offizio che fu spedita nell'anno 1774 a Mons. Vescovo di Culma, ove compartendosi al Vescovo prelodato l'estensione della dichiarazione emanata dalla s. m. di Benedetto XIV sui matrimonî di Olanda data li 4 Nov. 1744 che incomincia *Matrimonia,* e citandosi nella detta istruzione la lettera del medesimo Pontefice diretta al Primate Arcivescovo e Vescovo della Polonia, che comincia *Magnae nobis admirationis* data ai 29 Giugno 1748, si dice al predetto Vescovo di Culma: « Da tal lettera ap- « prenderà Monsignore di non dovere in nessu- « nissimo conto dispensare giammai sugl'impe- « dimenti canonici che potessero intercedere tra « il contraente cattolico e il dissidente, sebbene « fossero di quel genere d'impedimenti pel quale « avesse il Prelato ottenuto da questa S. Sede « la facoltà di poter dispensare; la qual facoltà « s' intende ad esso sottratta rispetto al contra- « ente dissidente, nè esercibile, se non nel caso « che il dissidente stesso abiurasse prima real- « mente e di fatto la eresia o lo scisma, e si « riconciliasse alla santa fede cattolica ».

665

Privilegium paulinum *(I ad Corinth. VII, 15)* catechumenos non comprehendit.

S. C. de Prop. F. *16 Ian. 1803* (C. P. pro Sin.) — Pekini — 1. Num verba divi Pauli (1. ad Corinthios, cap. VII, v. 15): *quod si infidelis discedit, discedat,* intelligenda etiam sint de catechumenis, seu potius utrum Titius catechumenus possit ducere Bertham catechumenam, et a suo marito infideli propter religionem repudiatam.

2. Praedicta Bertha tenereturne redire cum primo marito, si postea conversus illam revocaret?

3. Tenereturne adhuc redire cum illo, si, Titio iam baptizato, illam nondum baptizatam revocaret?

R. Ad 1. Negative quia matrimonium non solvitur nisi per Baptismum. Ex quo patet responsio ad reliqua.

666

De redimentibus aliena bona ex usurariorum manibus.

S. C. de Prop. Fide *16 Ian. 1803* (C. P. pro Sin. — Chan-si — Se quei che redimono i fondi altrui dalle mani degli usurai possano lecitamente percepire quell'emolumento che ne percepiva l'usuraio.

R. Negative.

667

De applicatione Missae pro populo Missionum.

S. C. de Prop. Fide *16 Ian. 1803* (C. P. pro Sin.) — Se i Vicarî Ap., i loro Coadiutori ed i Vicarii Generali siano tenuti ad applicare pel popolo del Vicariato.

R. Negative, sed decere ex charitate.

668

Circa indebite absolutos a reservatis.

S. C. de Prop. Fide — *16 Ian. 1803* (C. P. pro Sin.) — Pekini — An durante revocatione facta a Rev. Episcopo (Pekinensi) facultatis absolvendi omnes et singulos ex familia illius qui concubinam acceperat, legitima uxore dimissa, quidam ex ea familia, qui, non manifestantes intra Confessionem se esse ex supradicta familia, fuerunt ad Sacramenta admissi, monendi sint ut iterent Confessionem?

R. Poenitentes de quibus agitur, si sint in bona fide, non esse inquietandos.

669

De caeremoniis baptismi infantium in baptismo adultorum.

S. C. de Prop. F. – Ex Aud. SSmi. *30 Ian. 1803* — SSmus instante Vic. Ap. Tunkini Occident. Apostolica auctoritate ac indulgentia, declaravit servari posse consuetudinem, quam in Tunkino vigere expositum est, utendi in baptizandis adultis caeremoniis pro infantium Baptismate praescriptis, ubi id rationabilis necessitas, vel temporis angustia ad caeteras sacri ministerii functiones explendas, seu nimia missionariorum defatigatio exigat.

670

De quadam baptismi formula.

S. C. S. Off. *9 Febr. 1803.* — Proposito dubio de validitate baptismi conlati (a muliere) hac forma: *Se sei vivo, io ti battezzo: se sei morto io ti bagno nel nome del Padre, e del Figlio e dello Spirito Santo;* Emi PP. decreverunt quod constito vere mulierem nihil aliud intendisse praeterquam baptizare puerum vivum ritu ab Ecclesia praescripto, Baptismus, de quo agitur, sit habendus uti validus.

671

De Romani Pontificis primatu, et de Professione Fidei S. Hormisdae PP.

Litt. encycl. S. C. de Prop. F. *6 Iunii 1803* (ad Patriarchas orient.) — Tristitia magna, et ingens dolor cepit animos Emorum Patrum, quibus Fidei propagandae cura ab Apo-

stolica Sede data est, cum primum ad eos est delatum, in electam istam Dominici gregis partem, falsorum quorumdam fratrum opera, qui ad Ecclesiae pacem conturbandam successere, disseminari coepta esse prava dogmata sectae cuiusdam a S. Sede reprobatae, eo praesertim tendentia, ut deprimant plenam illam potestatem in Ecclesia universa a Christo Domino Romanis Pontificibus in Beato Petro tributam, pascendi agnos et oves, filios et matres, greges nempe et pastores, qui pastores quidem sunt commissarum sibi ovium, sed et ipsi oves sunt summi Pastoris, cui a Christo Domino cura demandata est, et onus impositum confirmandi fratres suos (1) ubique terrarum, quo praedicatio evangelica esset quovis tempore pervasura. Non animadvertunt isti, imo subtilius forte animadvertunt, rupto semel sacro illo fidei et obedientiae vinculo, quo adstricti christiani tenentur ei Sedi, *e qua sacerdotalis unitas exorta est* (2), nullum iam fore tam exitiosum errorem, quem novarum rerum cupidi, contentiosi homines, ac seipsos amantes, ut abducant discipulos post se, non valeant in Ecclesiae pacis perniciem inducere.

Itaque ad cohibendum tam funestae contagionis cursum, quae eo metuenda est magis hoc tempore, quo diffusior est absurda quaedam animorum propensio ad excutiendum salutare iugum sublimiorum potestatum, quae a Deo sunt ordinatae; Sacra Congregatio in re tanti momenti implorandam protinus sine ulla cunctatione censuit Pii VII Pont. Max. paternam sollicitudinem, ac providentiam, supremaeque eius potestatis opem exposcendam. Qui negotii magnitudine ac periculo vehementer commotus, meritoque confisus eximia sibi perspecta pietate ac religionis tuendae studio, cum Rmae Amplitudinis Tuae, tum et Venerabilium aliorum Tui similium Patriarcharum, quorum praecipua est in istis regionibus ecclesiasticae administrationis auctoritas et procuratio, pro sua sapientia consulto censuit, gliscenti malo non alia potiori ratione obsisti posse, quam ut omni ope provideatur, ne per vanas quaestionum ambages et pugnas sana quandocumque verborum forma a maioribus tradita sensim effluat ex animis christifidelium. Quam in rem vestram potissime adiungendam sibi duxit praestantem operam, vestrumque hisce litteris magis magisque incendendum studium, ut nomine Sanctitatis Suae praescriptae ab Urbano VIII professionis Fidei emittendae usum, diuturna constantique apud Vos observantia consecratum, eo acrius hisce temporibus renovare, retinere, urgere curetis, quo maius instat periculum, ne adversantium insidiis incautae simplicium mentes in fraudem inducantur.

Itaque sacrae huius catholicae Professionis exempla singulis Vobis transmittuntur, ut qua late patet sua cuiusque iurisdictio, Episcopos singulos, tum cleri utriusque saecularis et regularis viros animarum curam sustinentes ei professioni subscribere iubeant, nisi antea forte iam id fecerint: idemque ab iis exigant, qui deinceps erunt ecclesiasticis Ordinibus initiandi, aut ad sacra quaevis ministeria promovendi.

Atque huic quidem ab Urbano VIII editae Professioni fidei (V. Decr. S. C. de Prop. Fide 16 Iulii 1878), mandavit praeterea Sanctitas Sua veterem aliam illam amplioris documenti loco adiungi percelebrem Pontificis Sancti Hormisdae formulam, qua sexto ineunte saeculo, maxima cum orientalium tum et occidentalium gratulatione ac plausu dirum illud extinctum est acacianum schisma, quod Ecclesiae pacem tamdiu turbaverat: quam deinceps formulam per secuta saecula tamquam fidei tesseram pullulantibus erroribus oppositam, demum ab octava Oecumenica Synodo, Constantinopolitana IV, an. 869 exceptam probatamque gravissima testantur ecclesiasticarum rerum monumenta. Ea autem formula sic se habet « Prima salus est, regulam « rectae fidei custodire, et a constitutis Patrum « nullatenus deviare. Et quia non potest Do- « mini Nostri Iesu Christi praetermitti sententia « dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc petram « aedificabo Ecclesiam meam etc.* haec, quae « dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia « in Sede Apostolica immaculata est semper « servata religio. Ab hac ergo spe et fide se- « parari minime cupientes, et Patrum sequen- « tes in omnibus constituta, anathematizamus « omnes haereticos, praecipue Nestorium hae- « reticum, qui quondam Constantinopolitanae « fuit urbis Episcopus, damnatus in Concilio « Ephesino a Coelestino Papa Urbis Romae, et « a Sancto Cyrillo Alexandrinae civitatis Anti- « stite. Una cum ipso anathematizantes Euty- « cheten et Dioscorum Alexandrinum, in San- « cta Synodo, quam sequimur et amplectimur, « Chalcedonensi damnatos. His Timotheum ad- « iicientes parricidam, Ælurum cognomento, « et discipulum quoque eius atque sequacem « Petrum vel Acacium, qui in eorum commu- « nionis societate permansit; quia quorum se « communioni miscuit, illorum similem me- « ruit in damnatione sententiam. Petrum nihi- « lominus Antiochenum damnantes cum sequa- « cibus suis, et omnium suprascriptorum. Qua- « propter suscipimus, et approbamus omnes « Epistolas Leonis Papae, universas, quas de « religione christiana conscripsit. Unde, sicut « praediximus, sequentes in omnibus Apostoli- « cam Sedem, et praedicantes eius omnia con- « stituta, spero, ut in una communione vobis-

(1) *S. Ioann. 21.*

(2) *S. Cyprian. ep. 55 ad S. Cornelium PP. n. 14.*

« cum, quam Sedes Apostolica praedicat, esse « merear, in qua est integra et verax christia- « nae religionis soliditas. Promittens etiam, se- « questratos a communione Ecclesiae Catholi- « cae, idest, non consentientes Sedi Apostolicae, « eorum nomina inter sacra non esse recitanda « mysteria. Hanc autem professionem meam « manu propria subscripsi, et tibi Hormisdae « Sancto et Venerabili Papae Urbis Romae ob- « tuli. Data XV Kalendas Aprilis (an. Domi- « ni 517), Agapito viro clarissimo Consule ».

Dignum erit proinde religione Ven. Patriarcharum, tum et collaborantium cum ipsis meritissimorum Antistitum, curare ut iis, qui Professioni Urbani VIII subscribunt exhibeatur simul haec alia, quae a S. Hormisda proposita est, nulla quidem ei subscribendi lege ipsis praescripta, ne quid sibi novi oneris impositum queri quisquam valeat, sed ut, quam longe lateque fieri possit, ea divulgetur religionis profitendae sanctio, in qua expressa cernitur vis tota eius sententiae, qua magnus ille Polycarpi discipulus, Lugdunensis Ecclesiae Antistes Irenaeus, de praecellenti Sedis Romanae dignitate disserens, eamque unam haeresibus quibusque natis, nasciturisve opponens, utpote quia depositum in ea ab Apostolis veritatis praeconium, per eius Pontificum successionem usquequaque diffunditur, edixit necesse omnino esse propter *potiorem* (alias *potentiorem*) illius principatum, omnem cum ea Ecclesiam, omnes qui undique sunt fideles, convenire. Quam dein sententiam splendida illa Ecclesiae lumina Athanasius, Chrysostomus, Alex. Theodoretus, alii plerique luculentissimis et factis comprobarunt, et illustrarunt scriptis.

Quibus prolatis, subiectoque in primis oculis omnium in hac brevi Hormisdae formula exploratissimo testimonio ducti ab initio constantisque per tot saecula orientis occidentisque consensus de suprema per orbem totum diffusa Sedis eius auctoritate, *in qua semper est immaculata servata religio, ubi* nimirum, teste Sophronio Hierosolimitano, *orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt,* in hanc laetam spem erigimur fore, ut opitulante Deo Optimo Maximo, vestrisque adiuvantibus in Christi nomine piis precibus, salutaribusque monitis, vel ipsi rudiores intelligant, nihil sibi antiquius esse debere, quam haerere in vestigiis maiorum, devitantes, quemadmodum praecipit Apostolus, vaniloquia, quae non proficiunt nisi ad subversionem audientium; ut quotquot vocati sumus in unitatem Corporis Christi, idipsum dicamus omnes, ac perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia unanimes uno ore honorificemus Deum et Patrem Domini Nostri Iesu Christi, fiatque ex ovibus, quas ille undequaque adducit, unum ovile, et unus Pastor.

672

De communicatione in divinis cum schismaticis.

S. C. de Prop. F. *2 Aug. 1803* (C. G.) ANTIBAR. — 1. Se possa permettersi ai cattolici di accompagnare i cadaveri degli scismatici alla sepoltura con candele accese in mano.

2. Se possa permettersi che i cattolici facciano da patrini nei battesimi degli scismatici, e che intervengano come testimonî nei matrimonî dei medesimi.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative quoad utramque partem.

673

De erectione Confraternitatum in ecclesiis tantum benedictis.

S. C. de Prop. F. *16 Ian. 1804* (C. P. PRO SIN.) — Se nelle chiese non solennemente benedette, come sono colà per la maggior parte a scanso degli inconvenienti che occorrono in tempo di persecuzioni, possano erigersi le confraternite del SSmo Sacramento, del Nome di Gesù, e del Rosario.

R. Affirmative.

674

De indulto pro Indiis quoad ieiunia.

S. C. de Prop. F. *16 Ian. 1804* (C. P. PRO SIN.) – COCINCIN. – An privilegio utrique Indiae olim a S. Sede concesso, nonnisi singulis Quadragesimae feriis sextis, Sabbato Sancto, et Vigilia Nativitatis Domini ieiunandi, uti liceat sacerdotibus indigenis harumce partium, utpote ad gentem neophytam, et viribus infirmam pertinentibus. Ratio dubitandi est quod quidam dicunt illos sacerdotes, ex quo Ordines sacros susceperunt, non debere amplius inter neophytos computari.

De Baptismi administratione laicis commissa.

2. In quibusdam locis (Cocincinae) iniungitur catechistis vel etiam aliis prudentioribus laicis ut quoscumque christianorum infantes cito baptizent, licet isti bene valeant, cum abest sacerdos, vel est eum adeundi difficultas.

R. Ad 1. Concessionem de qua agitur, sacerdotes etiam indigenas comprehendere.

Ad 2. Consuetudinem de qua agitur probandam esse.

675

Quid de nullitate matrimonii in foro externo, si impedimentum est occultum.

S. C. de Prop. F. *11 Febr. 1804* (C. P. PRO SIN.) — COCINCIN. — 1. An matrimonia possint in foro externo declarari nulla atque invalida, quando eorum nullitas in foro conscientiae cognoscitur, sed non potest in foro externo probari.

2. An praefati coniuges ad aliud possint admitti matrimonium, quamdiu impedimentum sui prioris matrimonii manet occultum, atque nullitas praedicti sui matrimonii non est probata in foro externo.

3. Quomodo agendum sit cum iis, qui ad

alias nuptias transiere, quamvis impedimentum prioris sui matrimonii occultum maneat, neque probari possit in foro externo.

4. An liceat huiusmodi coniugibus, si nullum adsit neque timeatur scandalum, in posteriori suo matrimonio remanere, quamvis nullitas prioris in foro externo probata non fuerit.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. In foro externo secundum matrimonium nullum esse habendum.

Ad 4. In foro externo non licere; monendi tamen coniuges ut impedimentum notum faciant, et Vic. Ap. utatur facultate dispensandi.

676

Dispensationum concessiones indignis reprobantur.

Instr. S. C. de Prop. F. *11 Febr. 1804* (AD VIC. AP. COCINC.) S. Congregatio dissipationes potius cum Benedicto XIV (Constitutione *Inter omnigenas*) dicendas esse iudicavit dispensationes, quae, uti exposuisti, christianis illis conceduntur quorum vita adeo christiano nomine est indigna, ut nedum ad absolutionem, verum etiam ad contrahendum coram Ecclesia matrimonium admitti nequeant; decrevitque ab Ampl. Tua serio monendos esse missionarios, ut in posterum ab huiusmodi dispensationibus elargiendis omnino abstineant.

677

De dispensationum concessione, omissis clausulis quae sunt in facultatum formulis.

S. C. de Prop. Fide *11 Februarii 1804* (C. P. PRO SIN.) COCINCIN. — In folio facultatum quas S. Sedes Vicariis Apostolicis concedit, sic habetur n. 10: *Hae vero dispensationes matrimoniales videlicet sexta, septima, octava et nona, non concedantur nisi cum clausula* dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, *et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.* Porro tempore persecutionum quae aliquot in locis grassatae fuerunt, dispensationes matrimoniales ne scripto quidem tradebantur, sed verbo tenus. Posterioribus vero temporibus, in huiusmodi dispensationibus, insertum quidem est quod conceduntur ex facultate a S. Sede obtenta, sed a quibusdam neque expressum est tempus ad quod Vicariis Ap. praedicta facultas fuerat concessa, neque exposita est clausula *dummodo mulier rapta non fuerit.* Dubium autem facessit hoc quod reperitur in Bullario s. m. Benedicti XIV, tom. 2, pag. 223. Quaeritur igitur utrum huiusmodi praefatae dispensationes sint licitae, an saltem validae?

R. Omissionem clausularum concessionum validitati non officere, dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel, si rapta, in potestate raptoris non existat.

678

De caeremoniis Baptismi cum in locis privatis administratur.

S. C. de Prop. F. — *27 Ianuarii 1805* (C. P. PRO SIN.) — Posse sed non debere (missionarios) occasione qua infantes in periculo mortis constitutos in privatis locis baptizant, adhibere, si tempus ferat, omnes caeremonias quae in Rituali Rom. pro Baptismo solemni praescribuntur.

679

Indultum quoad Missae auditionem pro sinensibus indigenas etiam sacerdotes comprehendit.

S. C. de Prop. F. *27 Ian. 1805* (C. P. PRO SIN.) — CHAN-SI ET CHEN-SI — Comprehendunturne indigenae sacerdotes in indulto SSmi D. N. Pii PP. VII. quo dispensantur fideles ab auditione Sacri in festivis diebus quibus Sedes Apostolica eosdem exercere opera servilia indulsit, ita ut supradictis presbyteris ad suum beneplacitum omittere fas sit iisdem diebus Missae celebrationem vel auditionem?

R. Affirmative.

680

De quodam gentili qui, baptismum petit cum muliere quam illegitime duxit, vendita prima uxore quae et ipsa christiana vult fieri.

S. C. S. Officii *29 Ian. 1805* — CHAN-SI ET CHEN-SI — Audito Dei verbo a quodam gentili qui, post venditam legitimam uxorem, alteram duxit, nunc cum sua ficta uxore petit Baptisma. Missionarius eum docuit necessario esse faciendam venditae uxori interpellationem; qua facta, legitima uxor respondit quod vehementissime peroptat redire ad suum primum coniugem; ipsa namque, cognita religionis christianae veritate, Christo nomen dare intendit, eo vel maxime quia christiana fieri prohibita fuit a suo emptore, qui eam in uxorem duxit, et ex quo procreati sunt varii filii, qui neque permittit ei observare legem Dei, nec in ea educare filios; et, quod peius est, illicitum illegitimumque contractum matrimonialem scindere recusat, eoque renuente, nec a iudice cogi potest, proindeque nullus est modus, absque dictae mulieris emptoris consensu, ut ad legitimum consortem a quo fuit vendita, redire queat.

1. Quaeritur num venditor uxoris baptizari possit, ita ut cum sua uxore post Baptisma matrimonium revalidari possit, ut habetur in folio I. facultatum, n. 11, cui repugnat illa clausula: *nisi prima voluerit converti.*

2. Item quaeritur utrum baptizari possit uxor vendita quae nullo modo discedere potest e domo sui emptoris, si ab eodem obtineat separationem tori, et post clanculum observet legem Dei, licet in ea educare nequeat proprios filios.

Difficultas maxima circa primum quaesitum est, quia venditor, nisi recuperare potest legitimam uxorem, non vult dimittere aliam.

Circa secundum quaesitum, obtenta tori se-

paratione, annon infidelis poterit mutare consilium? Posito etiam quod non mutet consilium, quomodo reparari poterit scandalum? Credentne infideles aeque ac christiani, quod inter huiusmodi fictitios coniuges adsit praedicta tori separatio?

R. Ad 1. Iuxta ea quae proponuntur, negative quoad revalidationem matrimonii, et item quoad Baptisma, nisi ab adulterino concubitu desistat: monendus interim erit de obligatione, quam habet, redimendi, si possit, et cum primum poterit, venditam uxorem.

Ad 2. Praehabita separatione tori ab illegitimo coniuge, affirmative; dummodo se abstineat etiam ab omni actu idololatriae et christianae fidei quomodolibet adverso. Quod si videat in praxi id praestare non posse, et proximum adsit periculum relapsus vel scandali, moneatur de obligatione, quam habet, confugiendi ad alias regiones cum primum poterit, et redeundi ad suum legitimum coniugem, iuxta adnexam Instructionem.

Instructio — Merito dubitantes an non timendum sit ne mulier vendita, quamdiu versabitur in potestate emptoris qui ea hactenus abusus est, in proposito non perseveret abstinendi cum a carnali commercio tum ab omni opere vel sermone idololatriam exprimente, vel quolibet modo christianae fidei opposito, ac proinde ad statum infidelitatis relabatur: Emi DD. A. Tuae commendant ut antequam venditae huic mulieri petitum ab ea baptismum conferat, omnem suum zelum adhibeat ad tentanda media opportuna, per quae prout ferre poterunt locorum circumstantiae, mulier illa redimi queat, sive legitimum ipsius consortem, qui et ipse christianam cupit amplecti religionem, exhortando ad id praestandum, sive alio quovis modo, sive venditae mulieri insinuando, ut omnes inquirat vias tentandi fugam a domo emptoris quandocumque poterit. Si autem neque his neque aliis quibusdam modis e manibus emptoris liberari queat ista mulier, tuum erit examinare utrum firma persistat in proposito fidem christianam amplectendi et baptismum suscipiendi; atque in primis an prompta sit ad reiiciendam quamcumque inhonestam emptoris invitationem, et omne cum eo carnale commercium, et ad renunciandum cuilibet actui vel idololatriae, vel quavis alia ratione christianae religioni contrario; si stantibus iisdem localibus circumstantiis, A. Tua spem ac securitatem moraliter certam habere queat praefatam mulierem in tali esse proposito atque in eo perseveraturam esse, (quod quidem sapientiae ac prudentiae tuae discernendum relinquitur) tunc optatum ei baptismum conferre poteris, cui certe vis inerit ad firmandum roborandumque sincerum ipsius atque efficax propositum. Deficiente autem praedicta spe ac securitate moraliter certa, tum A. T. cum eodem suo notissimo zelo in ea muliere fovere nitatur iam conceptum desiderium christianae fidei amplectendae, ac proinde baptismi suscipiendi, ubi primum, mutatis specialibus in quibus versantur circumstantiis, id exequi poterit sine contumelia Creatoris et reatu peccati; quo nimirum, in casu saltem gravis infirmitatis, aut mortis periculo, privata non maneat medio ad aeternam salutem tam necessario.

681

Illicitum olea sancta retinere in loco cum acatholicis promiscuo.

S. C. de Prop. F. *7 Martii 1805* (C. G.) – Helvetiae – Se sia da tollerarsi che i cattolici ritengano nella sagrestia comune ai protestanti l'Olio Santo, il S. Crisma e la SS. Eucaristia.

R. Serventur in loco non promiscuo cum acatholicis, et si alius desit, in aedibus parochi.

682

De unctione chrismatis in vertice baptizandorum quorum capilli densissimi.

S. C. de Prop. Fide *14 Ian. 1806.* (C. P. pro Sin.) – Sutchuen – Quidam sacerdotes conferendo Baptismum adultis vel etiam infantibus quorum capilli ita densi sunt ut Chrismatis unctio in vertice capitis vix fieri seu cutem attingere queat, eam frontis summitatem vel aliam capitis partem inungunt quae capillitium prope contingit, verticem intelligentes moraliter pro tota calva. Alii vero praemonent ut in baptizandorum vertice locus saltem radatur, in quo unctio fieri commode possit, quod quidem non sine incommodo fieri solet, praesertim in infantibus. Quoad mulieres autem adultas, quae decenter radi non possunt, matrina ipsa crines verticis dividit ita ut pateat quaedam cutis lineola, atque ibi fit unctio in modum crucis unde vix tantillum sacri Chrismatis possit attingere cutem, sed fere totum crinibus imponitur.

R. Unctionem peractam eo quo exponitur modo sufficere in collatione Baptismi.

683

De praxi tradendi martulam poenitentibus ad S. Communionem admittendis.

S. C. de Prop. F. *14 Ian. 1806.* (C. P. pro Sin.) — Esse improbandam praxim praebendi in ipso tribunali Poenitentiae martulam sigillo signatam iis fidelibus quibus permittitur Communio, qua postridie exhibita, ad sacram Mensam admitti possint.

684

De conditione *ubi sunt plures infideles* etc. in facultate dispensandi super disparitate cultus.

Decr. S. C. de Prop. Fide *14 Ian. 1806.* — Cum pluries a S. C. de Prop. Fide et a S. C. S. Officii quaesitum fuerit, quomodo intelligenda esset conditio illa apposita facultati dispensandi super impedimento disparitatis cultus, ut ea dispensatio locum habeat in locis

tantum *ubi sunt plures infideles quam christiani,* utrum nempe necesse esset ut in ipso pago vel vico, ubi dispensatio conceditur, plures essent infideles quam fideles; an potius sufficeret, ut in tota toparchia pluribus pagis constante plures essent infideles quam christiani, etiamsi secus esset in pago ad eam toparchiam pertinente, in quo dispensatio concedenda est; utraque S. C. constanter respondit, vi verborum facultatis, opus esse ut in ipso pago, in quo dispensatio conceditur, plures sint infideles quam christiani. Verum anno 1736, cum Episcopus Coricensis Visitator Ap. Missionum Tunkini occidentalis, idem dubium proposuisset, atque incommoda gravissima exposuisset, quae saepe orirentur si in singulis pagis ea conditio observanda esset, re ad S. Congr. S. Officii mandata, dubioque ibi his verbis concepto: *Utrum per ly* locis *intelligatur unus tantum pagus, etsi tenuis, vel extendatur ad unam v. g. toparchiam, vel etiam ad totum districtum uniuscuiusque missionarii,* sequens prodiit rescriptum: *Verba facultatis dispensandi in locis tantum ubi sunt plures infideles quam christiani intelligenda esse stricte pro singulis pagis.* An autem sit amplianda facultas dispensandi ad unam toparchiam vel ad integrum districtum uniuscuiusque missionarii, dixerunt: *Pro extensione quoad unam toparchiam tantum, si SSmo D. placuerit.* Et fer. IV, die 12 supradicti mensis Septembris 1736, facta per R. P. D. Assessorem S. Officii, in solita audientia relatione SSmo D. N. Clementi PP. XII, Sanctitas Sua petitam extensionem et facultatem benigne concessit.

Nuper vero S. C. de Prop. Fide, animadvertens eadem ipsa incommoda ab Episcopo Coricensi tunc exposita, in aliis etiam Indiarum orientalium locis vigere, si in singulis pagis vel vicis ea conditio implenda sit, stricte retenta illorum verborum significatione iuxta antiquas supra memoratas resolutiones, censuit supplicandum SSmo, ut facultatis extensio a sa. mem. Clemente PP. XII facta, ut supra, Episcopo Coricensi, concedatur iis etiam omnibus, quibus in Sinis et universis Indiis orientalibus a S. Sede facultas data iam fuit, vel in posterum dari contigerit, dispensandi super impedimento disparitatis cultus ea cum conditione *in locis ubi sunt plures infideles quam fideles,* ita ut vi ampliationis praedictae conditio illa, in casu de quo agitur, generatim in posterum intelligenda sit, non de singulis pagis vel vicis, sed de singulis toparchiis.

Insuper, ad omnem dubitationem praescindendam, supplicandum item SSmo decrevit, ut dignaretur sanare in radice matrimonia omnia contracta cum dispensatione super cultus disparitatis impedimento, ante cognitum huiusmodi ampliationis seu extensionis generale decretum in pagis vel vicis ubi plures erant christiani quam infideles, eo quod sufficere putaretur ad dispensationem si in tota toparchia, vel ampliori regione, plures erant infideles quam christiani. Quam S. Congreg. sententiam, Sanctitas Sua in omnibus approbavit, ac petitam extensionem et sanationem benigne concessit.

685

Facultas dispensandi cum neophytis polygamis, successivam etiam polygamiam complectitur.

S. C. de Prop. F. *14 Ian. 1806* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Orient. — In facultatibus ordinariis ad num. 11 conceditur facultas *dispensandi cum gentilibus plures uxores habentibus ut, post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fit, retinere possint, nisi prima voluerit converti.* Quaeritur: Utrum *plures* intelligatur simul ac coniunctim praecise, an intelligatur etiam de habentibus plures successive, ita ut vir infidelis qui dimissa prima uxore alteram duxit, et hac pariter dimissa, alii vel aliis successive adhaesit, post conversionem et baptismum quam ex illis maluerit (sive adhuc cum eo habitantibus, sive iam relictis) si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possit nisi prima voluerit converti.

De dispensationibus matrimonialibus si petentes incapaces sint sacramentorum.

2. Quando petentes dispensationem (matrimonialem) ambo propter cooperationem ad superstitiosa, vel propter alia impedimenta, Sacramentorum incapaces sunt, quamdiu in eo statu permanent, nulla eis conceditur dispensatio; *Quaeritur:*

Utrum dispensatio matrimonialis eis licite concedatur quorum una tantum pars Sacramentorum capax, altera vero superstitiosis contributionibus, vel aliis implicata existit.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Posse concedi huiusmodi dispensationes, concurrente urgentissima causa, et remoto scandalo ac periculo perversionis.

686

De contributionibus occasione matrimoniorum et funerum ethnicorum.

S. C. de Prop. F. *8 Feb. 1806* (C. P. pro Sin.) — Chensi et Chansi —. 1. An possit permitti ut christiani, occasione matrimoniorum gentilium, et maxime funerum, concurrant ad caeremoniam vulgo *Ly,* dando videlicet parum pecuniae in adiuvamen expensarum, etiam sine praevia protestatione non concurrendi ad superstitiosa. Dubium exurgit quia ethnici semper plus minusve in ipsorum matrimoniis atque praesertim funeribus miscent, emunt, et agunt aliquid superstitiosum.

De locatione domorum, officinarum et fornacis gentilibus.

2. An liceat christianis locare domos et officinas gentilibus? Ratio dubitandi est quia gentiles in nobiliori loco domuum istarum et officinarum appendunt idola, erigunt altare, accendunt lampadem, cremunt thymiamata, reverentiam *koteou* exhibent, ac alia superstitiosa exercent.

3. An sit licita praxis locandi fornacem gentili quando christianus scit ipsum gentilem incoquere lateres pro fanis aedificandis.

Ad 1. Non licere.

Ad 2. Licere locare domos aut officinas gentilibus, si constet domos peti ad inhabitandum, et officinas ad usum indifferentem; non licere tamen, si expresse petantur ad fanum construendum.

Ad 3. Non licere fidelibus locare fornacem gentilibus quando constet fornacem peculiariter et praecise peti aut ordinari ad coquendos lateres pro fanis aedificandis; licere tamen fidelibus locare fornacem gentilibus quando constet eam peti ad coquendos lapides pro aedificiis indistinctim construendis.

687

De sale in baptismo ab adultis ante s. communionem praegustato.

Instr. S. C. de Prop. Fide *16 Febr. 1806* (ad Vic. Ap. Tunk. Orient.) — Sale a catechumenis in collatione Baptismi praegustato, etsi ieiunium frangi videatur, adhuc tamen ullum dubium est quin ad sacram Communionem, suscepto Baptismate, admitti possint, imo vero debeant: ita omnino Ecclesia (in cuius potestate est a generali lege ieiunii eucharistici, ab ipsamet iis inducta, qui extra mortis periculum sacram Communionem recipere cupiunt, in peculiaribus casibus dispensare) in Rituali Romano praescribente, ubi ritum tradit quo Baptismus adultis conferendus est.

688

De absolvendis haereticis Romam adire nolentibus.

S. C. S. Off. *30 Iulii 1806.* — Propositis duabus quaestionibus ex relatione status ecclesiae R. P. D. Episcopi Murani excerptis et a S. C. Concilii transmissis, videlicet: 1°. Quid agendum cum haereticis occultis qui resipiscunt, nec Romam adire patiuntur adigi. 2°. Quid cum ruthenis vel albanensibus militibus qui sacris se immiscent catholicis, quosque non reputatum est adhuc interrogare de fide ad scandala vitanda, Emi Dñi decreverunt respondendum: Quoad haereticos occultos poenitentes qui Romam adire recusant pro absolutione, si petant absolvi in foro poenitentiali, adeundam esse Sacram Poenitentiariam (1). Si vero sponte compareant in foro externo, audiendos esse iudicialiter ab Episcopo, vel ab officiali ab eodem delegando, et praevia secreta abiuratione et poenitentiis salutaribus, absolvendos esse ab excommunicatione propter haeresim incursa, eaque absolutio pro utroque foro valebit (2).

De militibus dubie catholicis, qui se in ecclesia catholicis immiscent.

Quo vero ad ruthenos et albanenses milites qui se immiscent catholicis, habendos esse uti catholicos, nisi aliunde constet, vel rationabile dubium adsit quod haeresi vel schismati adhaereant; quo in casu tolerari quidem potest si catholicas ecclesias ingrediantur et sacris ministeriis assistant, cum non sint uti haeretici vel schismatici publice et notorie excommunicati ad formam decretalis Martini V. *Ad evitanda;* verumtamen admittendos non esse ad Sacramentorum participationem nisi postquam vel sufficientia signa dederint se a catholica fide et unitate non defecisse, vel, emissa congrua abiuratione haeresis, et relicto schismate, iterum ad Ecclesiae gremium et unitatem redierint.

689

De facultate commutandi in utiliores usus oblationes et pia legata certo cuidam operi addicta.

Instr. S. C. de Prop. F. *1807.* — Precibus Vicarii Apost. Cocincinae et Procuratoris Missionum Indiae, qui supplicant pro facultatibus favore missionariorum, vel, saltem Vicariorum App. ad commutanda in alia opera ipsorum iudicio utiliora, vel in generalem Missionum utilitatem, pia legata et oblationes, particularibus quibusdam casibus offerentium voluntate destinatas, S. Congregatio ita absolute et generaliter annuendum non esse iudicavit. Obstant siquidem generali huic concessioni gravissimae difficultates, ob quas S. Sedes facultatem huiusmodi absolutam et generalem nunquam esse censuit elargiendam. Postulat enim imprimis ius naturale et divinum: iubent canonicae, civilesque ipsae leges: pluribus denique in locis studiose commendat Sacrosancta Synodus Tridentina, ut voluntates fidelium, facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium, diligentissime impleantur, et in eos precise usus, iuxta modum conditionesque iis benevisas, pecunia inde obventa insumatur ad quos destinata fuit, neque in alios convertatur, etsi meliores utilioresque videantur; si secus fieret, fidelium voluntates, quae pro lege habendae sunt, fraudarentur, ipsique, magno cum Ecclesiae detrimento, a piis huiusmodi largitionibus retraherentur. Quibus vero pro eorum munere administratio bonorum seu pecuniarum huiusmodi concredita est, ii nullis laboribus et difficultatibus deterrendi sunt ab iis conservandis, custodiendisque, atque in rationum codicibus conficiendis: eam omnem diligentiam in hisce omnibus adhibentes, quam prudens ac probus paterfamilias adhibere solet in rebus suis. Commutari quidem Sedis Apostolicae auctoritate possunt fidelium voluntates, ex textu in Clementin. *Quia contingit,* tit. *de relig. domib.*, atque *alterari usus illorum quae per fideles donata sunt vel relicta,* uti adnotavit

(1) Ex Decr. 24 Ianuarii 1662 apud Albitium *De inconst. in Fide* lib. I cap. 25-33.
(2) Albit. loc. cit.

Glossa verbo *Sedis Apostolicae,* sed commutationes ex Tridentino Concilio (Sess. 22, Cap. 6, de Ref.) *nonnisi ex iusta et rationabili causa fieri debent,* ut Summus Pontifex fidelis et prudens administrator habeatur et sit.

Qua lege cum Summus idem Pontifex obstringatur, qui solus potestatem habet perficiendarum huiusmodi commutationum, ipsius est cognoscere et iudicare de causa, quae in singulis casibus interveniat, talis nempe sit nec ne, ob quam iuste et rationabiliter a voluntate piorum offerentium, sive interpretando sive commutando recedi possit. Saepe enim accidit ut pecuniarum oblatarum pios usus differri potius expediat quam immutari, vel ut oblatas pecunias in unum potius, quam in alterum a postulantibus forte propositum atque expetitum usum converti necessitas aut maior utilitas postulet: in quarum rerum iudicio si ab inferioribus, quibus ab Ap. Sede commissum sit, forte peccetur, supremo bonorum Ecclesiae, rerumque Deo oblatarum administratori ac dispensatori, itium huiusmodi a Deo iudice imputaretur.

Hisce omnibus de causis fit ut S. Sedes abstineat a facultate huiusmodi deleganda, sed ad iudicium eius particulares casus deferri iubeat, ut perpensis omnibus circumstantiis, quid magis in Domino expediens iudicaverit, ipsa constituat ac decernat.

Quoniam vero in tanta locorum distantia, et in tanta difficultate recursus, ob actuales praesertim earum partium circumstantias, nonnulli casus dari possunt in quibus absoluta necessitas celerem exigat providentiam, idcirco uni Vicario Ap. Cocincinae aliquas facultates certis quibusdam conditionibus alligatas a SSmo D. N. impetrandas censuit S. C. quae in separato decreto exprimuntur, quibus idem Vicarius caute, prudenter, et iuxta modum in decreto expositum utetur. — *En decretum:* — « Ex Aud. « 25 Ianuar. 1807. – SSmus... Vicario Ap. Co« cincinae facultatem benigne concessit com« mutandi eleemosynas et pia legata certo cui« dam operi ex benefactorum voluntate addicta, « in alios pios usus, in casibus dumtaxat in « quibus necessitas urgeat, ac praescripti operis « exequutio impossibilis agnoscatur, ita tamen « ut in his casibus commutationem faciat in « opera meliora, et de consensu missionario« rum; eaque demum peracta certiorem red« dat Sacram hanc Congregationem pro obti« nenda Apostolica approbatione ».

690

Qualis discessio coniugis infidelis habilem reddat fidelem ad alias nuptias ineundas.

Instr. S. C. de Prop. F. *30 Ian. 1807* — (AD VIC. AP. SUTCHUEN.) — Responsa seu decreta, alterum Supremae Inquisitionis diei secundae Augusti anni 1759, *(V. n. 421)* alterum Sacrae huius Congregationis diei 16 Ianuarii anni 1797 *(V. n. 634)* minime invicem pugnant. Lata enim sunt in casibus, quorum particulares facti circumstantiae inter se diversae erant, quae si attente perpendantur, facili negotio decreta ipsa inter se concordantia et consona reperientur.

In casu enim a Coccinensi Episcopo proposito anno 1759 agebatur de infideli « qui fi« delem coniugem non dimittit, sed cohabitare « pergit ut coniux, sine contumelia Creatoris, « imo cum spe conversionis, idque ad longum « tempus, et etiam ad aliquot annos, sed postea « mutata voluntate, infidelis discedit, sive odio « fidei, sive alia de causa. » Hac posita facti specie quaerebatur, an in casu discessus *in odium fidei* maneret integrum ius parti fideli utendi privilegio fidei, non obstante pacifica infidelis cohabitatione post alterius partis conversionem ad fidem christianam: et responsum fuit: « affirmative ». Quaerebatur insuper utrum parti fideli maneret pariter integrum privilegium fidei, etiamsi infidelis ab ea discederet ob alias causas ab eius conversione ac fide independentes: et « negative » responsum fuit, si pars fidelis post longum tempus pacificae cohabitationis post conversionem, praeberet parti infideli iustam et rationabilem discedendi causam puta per adulterium, ob idque additum fuit *dummodo pars fidelis iustum ac rationabile motivum non dederit discedenti.*

Viceversa in decreto huius S. Congregationis anni 1797 actum fuit de casu in quo adulterium partis fidelis perpetratum fuerat ante eius conversionem, repudio inde sequuto et quaesitum fuit an pars iam adultera et repudiata, si postea christianam fidem amplexata fuisset, et pars infidelis cohabitare cum illa recusasset, uti posset privilegio *favore fidei* concesso, et ad alias nuptias transire: et iuste responsum fuit: *affirmative praemissa interpellatione, nullaque praeterea habita ratione utrum nec ne praecesserit sive adulterium sive repudium,* quoniam adulterii macula praecedens, per conversionem et Baptismum sublata censenda erat, et pars infidelis irrationabiliter et iniuste in suscepto consilio perseverabat minime se parti fideli reconciliandi. Quare si in hoc casu infidelis accepta interpellatione, recipere partem fidelem, et habitare cum illa absque Creatoris iniuria recuset, iustum non est ut ob irrationabilem hanc aversionem, pars fidelis in statu voluntariae continentiae cum peccandi periculo maneat.

Diligenter itaque utriusque quaestionis statu distincto, omnis e medio tollitur ambiguitas. Cum enim agitur de infideli qui secum iam partem fidelem post conversionem retinuit, et retinere in posterum pergeret, si haec illi iustam et rationabilem discessui causam, praesertim per adulterium praeberet, in hoc casu infidelis discessus minime habilem reddit partem fidelem ad alias nuptias ineundas, atque

hic casus est ad quem respicit decretum anni 1759. Quum vero agitur de infideli, qui requisitus ut parti quae fidelis evasit se consocict, cum eaque cohabitet, id recuset eam unice ob causam quod, ob adulterium ante conversionem admissum eam repudiaverat, hoc in casu, infidelis recusatio liberam reddit partem fidelem ad alias nuptias convolandi, et hic est casus ad quem refertur decretum anni 1797.

691

An liceat fidelibus agros, domos, apothecas conducere, ad ethnicorum sacerdotes vel templa spectantes.

Instr. S. C. de Prop. F. *30 Ian. 1807* (AD VIC. AP. SUTCHUEN.) — Inter dubia ab A. T. in relatione superioris anni proposita illud recensebatur: — An fidelibus permitti posset ut agros, domos, apothecas conducerent quarum proprietas bonzis vel idolorum templis spectaret; ex quo contractu (uti in expositione dubii asserebatur) plerique alii fideles aliquod inde sumunt scandalum, quia huiusmodi locatarios habent et dictitant uti cooperatores superstitionibus. — Speciatim vero aliud quoque dubium addebatur, utrum christiano cuidam licitum esset (quatenus alii emptores ei non suppeterent) bonzis vendere agrum quemdam, qui in medio territorii ad bonzos ipsos iam pertinentis positus esset, ut pecuniam inde obveniendam in utiliores sibi commodioresque acquisitiones insumeret. Haec duo dubia cum in Feria V 13 Ianuarii labentis anni proposita fuerint, SSmus D. N, mandavit ut per sequentem Instructionem Ampl. Tuae respondeatur: 1. Quod pertinet ad primum dubium generale *locationes* respiciens, conducere domum, apothecam, agrum, res est natura sua prorsus indifferens, neque boni propterea, neque mali speciem ullam habens. Pretium conventum locanti solvere, debitum iustitiae est; usus vero, in quem pretium ipsum a locante insumatur, a solventis intentione alienum prorsus et extraneum est. Solvit enim conductor pretium, quia locanti illlud debet, non vero ea mente solvit ut pecunia a se soluta in unum potius quam in alium usum convertatur. Ex quibus facile profecto infertur quod fideles qui domos, apothecas, agros conducunt quorum proprietas etiam ad templa pertinet idolorum, inquietari non debent, praesertim si ad huiusmodi contractus ineundos iusta et rationabilis causa concurrat, etiamsi supponatur (ut revera accidere debet) pretium pro usu vel fructu fundorum conductorum persolutum, favore templorum, ad quae fundi ipsi pertinent fore impendendum.

2. Duae tamen extrinsecae circumstantiae in hisce casibus illicitos redderent huiusmodi contractus, quarum altera locum nec ne habeat in hisce partibus ignoratur, alteram ex relatione tua adesse compertum fit. Prima ea esset, si contractus ipsi maiori consortio et familiaritati christianos inter et infideles aditum atque occasionem praeberent, non sine pericnlo perversionis: quo in casu christiani hortandi essent, ut quoad fieri posset, ab huiusmodi contractibus abstinerent, idque conformiter ad generalem illam regulam doctrinamque sapientissime iam a s. m. Benedicto PP. XIV traditam in sua Constitutione, cuius initium *Inter omnigenas,* hisce verbis; *hortandi tamen sunt fideles, ut quantum possunt, consortia et familiaritatem cum infidelibus devitare curent, ad omne perversionis periculum praecavendum.*

3. Altera vero ea est quum existere hisce partibus refers, quod nempe ex hisce contractibus *plerique fideles aliquod... scandalum sumunt;* sed cum, ex iis quae initio iam huius Instructionis dicta sunt, pateat huiusmodi locationum contractus, neque ex *intentione operantis,* neque ex *conditione operis* in se malos et illicitos esse, hinc scandalum, quod ex ipsis exurgit, non est scandalum activum et directum, quod locum habet quando aliquis suo malo facto vel verbo intendit alium ad peccatum inducere, nec est scandalum indirectum, quod inducitur quando ipsum factum vel verbum est tale quod de sui ratione est inductivum ad malum; sed est tantum aut scandalum pharisaicum, ex sola scilicet aliorum malitia profectum, quod est contemnendum, aut scandalum pusillorum, ab ignorantia nempe vel pusillanimitate ortum, quo in casu adest charitatis debitum et obligatio scandalum ipsum compescendi eliminandique per opportunas protestationes instructionesque, fideles illuminando, docente D. Thoma (cuius est doctrina huc usque exposita) quod, si scandalum pusillorum adsit, « vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter est sedandum scandalum, scilicet per aliquam admonitionem; cui quidem admonitioni si quis non cederet et perseverare vellet in scandalo, hoc in casu scandalum malitiosum evaderet, quod est scandalum pharisaeorum, et propter eos qui sic scandala concitant, non sunt temporalia dimittenda »; ut citatus Doctor concludit. Atque haec quod pertinet ad primum dubium.

An possit christianus agrum vendere bonzis.

4. Quod vero spectat ad particulare dubium christiani illius qui agrum suum bonzis vendere intendit, ob rationes et circumstantias in dubio ipso expositas: huiusmodi venditio, in casu de quo agitur, verisque existentibus iis quae in dubio narrantur, permitti potest, dummodo tamen ea venditio in commodum et favorem idolorum vel idololatrici cultus expresse non redundet.

692

De fide tutanda et de ecclesiastica disciplina instauranda inter chaldaeos.

Decr. S. C. de Prop. F. *13 April. 1807* — Cum innotuerit, plures inter chaldaeos catholicos Patriarchatus Babylonensis irrepsisse abusus, qui orthodoxae doctrinae, et Ecclesiae disciplinae adversantur, Sacra Congregatio ad eliminandos errores circa fidem, et ad instau-

randam ecclesiasticam disciplinam, referente Emo ac Rmo Domino Antonio Cardinali Dugnani, regulas et decreta, quae sequuntur, statuit, edixit, atque ab universis catholicis chaldaici ritus inviolate observanda mandavit.

Contra haereticorum libros.

I. Quoniam delatum est, aliquos haereticorum libros inter chaldaeos eiusdem Patriarchatus disseminatos fuisse, Sacra Congregatio vehementer sollicita, ne fidelium animi pravis huiusmodi libris, aut doctrinis inficiantur, mandat Episcopis, ac parochis eiusdem nationis, ut fideles sibi concreditos diligenter moneant, retentionem, ac lectionem haereticorum librorum de religione tractantium, vel, ac multo magis haereses expresse continentium veritam esse sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda, aliisque poenis ab Apostolica Sede, et a sacris canonibus constitutis: ideoque teneri fideles omnes eiusmodi libros tradere Ordinariis, vel parochis suis, qui Delegato Apostolico a S. Sede constituto super Patriarchatu Babylonensi illos deferri curabunt. Quoad libros liturgicos, qui nestorianis erroribus infecti sint, providebit idem Apostolicus Delegatus iuxta instructionem quae a S. Congregatione eidem transmittitur.

De adhibendo in nomenclatione B. M. Virginis vocabulo *Theotocos*.

II. Ad propellendas nestorianorum fraudes, omnemque avertendam erroris suspicionem, Sacra Congregatio decernit, ac praecipit catholicis universis chaldaici ritus, ut in nomenclatione Beatae Mariae Virginis adhibeatur pure ac simpliciter vocabulum *Theotocos,* sive Dei Genitrix; quod ab Ecclesia consecratum est in tesseram quae catholicos a nestorianis distinguit, relicto vocabulo *Christotocos,* quo Nestoriani abutuntur.

De sedula ecclesiarum et sacrarum rerum custodia.

III. Episcoporum maxime est ea omnia, quae ad Dei cultum pertinent, diligenter curare. Administrator igitur et Episcopi Patriarchatus Babylonensis omnem dent operam, ut ea, qua decet, munditie ac nitore custodiantur Ecclesiae; ut sacrae supellectiles vasa et ornamenta, ad Ecclesiae ministerium instructa, munda, integra, ac plane decentia sint; ut denique sacra pixis, peracta fidelium communione in tabernaculo reponatur, inflictis pro ratione culpae contra Ecclesiae custodes, vel procuratores, qui haec negligunt, ecclesiasticis poenis.

IV. Domus Dei locus orationis est, ideoque praecipitur, ne in ecclesiis viri et mulieres dormire promiscue audeant: Episcopi, quatenus abusum hunc aliis remediis cohibere opportunum non iudicent, poterunt etiam anathematis poena in illos animadvertere.

De Episcoporum habitatione.

V. Administrator Patriarchatus Babylonensis iuxta laudabilem Patriarcharum orientalium consuetudinem in aliquo monasterio, vel saltem penes Ecclesiam residere omnino debebit. Episcopi etiam, si fieri potest, vel in monasterio, vel penes Ecclesias suas degere curabunt, a suarum familiarum contubernio seiuncti.

VI. Monastici instituti abolitionem inter chaldaeos maximo detrimento fuisse compertum est. Quare Administratori, et Episcopis eiusdem Patriarchatus sollicite demandatur, ut omni studio curent vetera monasteria, quae aliquorum malitia obserata fuisse constiterit, in pristinum restituere, illorum bona ab iniustis detentoribus vindicare, et monasticae vitae desiderium in fidelibus excitare, collatis studiis cum Delegato Apostolico, cui opportuna traditur hac de re instructio.

De veteribus monasteriis in pristinum restituendis.

VII. Indecens est presbyteros ad comparandam sibi vitae sustentationem sordidas vilesque exercere artes, quae sacerdotali dignitati dedecus, et contemptum pariant. Quare presbyteri ab huiusmodi artibus se omnino abstineant; si vero necessitate compulsi honestam aliquam artem exercere cogantur, semper liberum aliquod temporis spatium sibi reservent, ut Ecclesiae ministerio vacare possint.

De sacerdotum sustentatione decenter comparanda.

VIII. Qui ad ecclesiasticos Ordines promovendi sunt, a simoniae crimine (quod coeteroquin Ecclesia semper et in omnibus detestatur) diligenter caveant, in quod gravissimis ab Ecclesia poenis animadversum est. Sciant enim, tam simoniace promoventes, quam simoniace promotos ad Ordines, excommunicationem maiorem Summo Pontifici reservatam ipso facto incurrere. Praeterea qui simoniace ordinant, ipso facto a collatione omnium ordinum per triennium suspensi manent; qui vero simoniace ordinati sunt, suspensi pariter manent ipso facto nedum ab Ordinibus, quos simoniace susceperunt, sed etiam ab aliis Ordinibus, ad quos absque simoniae labe promoti fuerunt. Quapropter tam ii qui simoniace manus imposuerunt, quam ii qui simoniace iam ordinati fuerunt, consulant conscientiae suae, et ab exercendis Ordinibus omnino abstineant, nisi prius absolutionem a censuris impetraverint. Quod si irretiti censuris in Ordinibus ministrare praesumpserint, sciant, se irregularitatem etiam incursuros. Pro absolutione autem a censuris, et pro dispensatione ab irregularitate, si forte in eam quis inciderit, ad Apostolicum Delegatum se conferat.

Contra simoniae crimen.

IX. Sedulo etiam caveant tam Administrator patriarchalis, quam reliqui Episcopi, ne dispensationes largiantur, nisi urgens et iusta ratio, et maior quandoque utilitas id postulet; ideoque nunquam dispensent, nisi causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, iuxta mandatum Sacri Concilii Tridentini (Sess. 25 cap. 18 de reform.), adhibitis in consilium idoneis, probisque sacerdotibus, ac peritioribus missionariis. Si qui autem simoniace vel absolverint, vel dispensaverint, vel spirituales alias gratias, aut indulta concesserint, absolvi non poterunt, nisi ab Apostolico Delegato, qui in casibus particularibus iuxta criminum gravitatem providebit, vel per se vel per sacerdotes sivi benevisos.

De recta dispensationum concessione.

Contra ordinandorum bigamiam.

X. Nullus bigamus ad Sacros Ordines promoveatur; sed si Ecclesiae necessitas postulet, recurrant in casibus particularibus ad S. Sedem. Diaconi vero, qui ab haereticis ordinati sunt, si alteram uxorem duxerint, ministerium suum exercere non possint, nisi necessariam ab eadem Apostolica Sede dispensationem obtinuerint.

De interstitiis et examine ordinandorum.

XI. Plures simultanee Ordines nullo modo ab Episcopis conferantur, sed servatis interstitiis ab Ecclesia statutis: nemo autem ad Ordines promoveatur, nisi praevio maturo examine idoneus repertus fuerit.

De confessariorum examine.

XII. Nemini pariter tribuatur facultas excipiendi sacramentales fidelium confessiones, nisi prius diligenti examine instituto de sufficienti peritia sua in rebus moralibus plane constiterit.

De Confessionibus in privatis domibus.

XIII. Non licere sacerdotibus fidelium confessiones excipere in privatis aedibus, nisi rationabilis causa excuset: quae cum inciderit, ac aegrotantium praesertim mulierum audiendae sint confessiones, cubiculi ianua sit patefacta, ut conspici tam confessarius, quam paenitens possint.

De clericorum vita et honestate.

XIV. Hortandi erunt clerici, ut semel saltem in mense ad Poenitentiae, et Eucharistiae sacramenta accedant; diaconi vero, ut saltem bis in mense. Quo vero ad illos, qui, dum peraguntur sacrae functiones, in tabernis, vel officinis vino epotando dant operam, poterunt Episcopi in eos poenam suspensionis decernere.

De bonorum ecclesiasticorum administratione.

XV. Antistites diligenter invigilent, ut ecclesiarum et monasteriorum reditus, nec non fidelium oblationes in eos usus penitus impendantur, pro quibus institutae, vel praestitae sunt; accuratam vero rationem ab aliis, ad quos pertinet, de illarum erogatione statutis temporibus exigant.

De Missae applicatione.

XVI. Singuli sacerdotes sacrificium Missae licite valeant celebrare iuxta mentem eorum, qui voluntarias oblationes exhibent. Quod si secundae, et ulteriores oblationes pro eiusdem sacrificii applicatione superadduntur, sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere fideles posteriore loco offerentes de aliis oblationibus ad eundem finem acceptis, et nisi iidem offerentes unica Missae celebratione se voti compotes fore declarent, sciat se unico sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum. Eorum autem mentem, qui pro Sacrificio obtulerunt, minime adimpleri a sacerdotibus per solam adiectionem particularum, et commemorationem, quae in panis praeparatione ante Missae sacrificium fieri solent; cum omnino necessaria sit integra concelebratio, nisi de eorumdem offerentium voluntate aliter fiat: quemadmodum declaravit Benedictus XIV in Constitutione, quae incipit *Demandatam,* edita die 24 Decembris 1743 § 10.

De sacramentali sigillo.

XVII. Caute invigilent Episcopi, ne confessarii peccata in poenitentiali iudicio detecta revelare praesumant; et contra delinquentes pro criminis gravitate procedant ad normam sacrorum canonum, ac praesertim Decretalis Innocentii III *In Cap. Omnis utriusque sexus, De Poenit. et remissionibus.*

De praedicatione in parochialibus ecclesiis.

XVIII. Curent Episcopi, ut in singulis ecclesiis parochialibus, saltem Dominicis, aliisque festis diebus, inter Missarum solemnia, aliqua ex iis, quae in Missa leguntur, praesertim vero Evangelium aliaque salutis monita, vernacula lingua exponantur, delectis ad huiusmodi munus idoneis ministris; absoluta vero praedicatione, servetur pia consuetudo recitandi actus virtutum theologalium: quibus functionibus etiam presbyteri, et diaconi sub poena suspensionis interesse teneantur.

De catechizandis fidelibus.

XIX. Singulis pariter diebus festis ad vesperas parochorum munus erit, pueros, aliosque rudes homines, catholicae fidei rudimenta, nec non obedientiam erga Deum, ac parentes diligenter edocere, atque in lege Domini erudire, accitis etiam ad hoc munus aliis de clero expertis viris.

De parentum officio quoad religiosam filiorum institutionem.

XX. Omni etiam studio adlaborent Episcopi et parochi, ut a parentibus filii mittantur ad christianam perdiscendam doctrinam, et quoties illarum monita ac praecepta in re tanti momenti suo careant effectu, poterunt quidem Episcopi ea quoque adhibere remedia, quae in eorum potestate sunt ad continendos in officio fideles inobedientes. Similiter se gerere poterunt circa parentes, qui festis diebus ducere vel mittere negligunt filios suos ad audiendum Sacrum, quique statutis temporibus nihil solliciti sunt, ut filii sui Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramenta suscipiant.

Differenda sacramentalis absolutio ignoranti scitu necessaria.

XXI. Curabunt Episcopi, ut Sacerdotes excipientes Confessiones fixum illud immotumque habeant, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate *medii* impertitur; nec posse homines Deo per huiusmodi sacramentum reconciliari, nisi prius, excussa huius ignorantiae caligine, ad agnitionem Fidei educantur. Sedulo etiam animadvertent confessarii, in aliud tempus reiiciendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate *praecepti* suo vitio nescit; eoque solum quandoque casu Poenitentem absolvi posse, quo se vincibilis huius ignorantiae reum cognoscat et accuset, intimeque dolens tum a Deo veniam precetur, tum sacerdoti serio promittat, operam se impense daturum, qua divinae gratiae praesidio discat etiam necessaria *praecepti.* Ita Benedictus XIV in Constitutione, quae incipit *Etsi minime Nobis,* edita die 7 Februarii 1742 § 12.

Matrimonia diu post sponsalia ne protrahantur.

XXII. Curent Episcopi, et parochi, ne matrimonia diutius quam ad annum post inita sponsalia protrahantur.

Ne se mutuo fideles ad saecularia iudicia deferant.

XXIII. Denique Episcopi sedulo hortentur fideles, ne se mutuo ad saecularia iudicia deferant; quod in fidelibus tantopere improbat S. Paulus Epist. ad Corinth. cap. 6; sed potius se referant ad Episcopos, et si Episcopus desit, ad parochos, qui controversias de bono et aequo componant, accitis etiam in consilium, si expedire iudicaverint, probis aliis doctisque sacerdotibus.

693

De absolutione complicis in peccato turpi.

S. C. S. Officii *10 Sept. 1807.* — Se vietato sia a norma della Costituzione della s. m. di Benedetto XIV il dare l'assoluzione da un un peccato turpe non solo a quel Confessore, che già era tale allorchè fu complice del Penitente nel violare il sesto Precetto, ma a quel Confessore eziandio, cui (non Confessore e forse neppur Sacerdote allorchè commise turpe peccato) si presenta il suo Complice per accusarsi delle impurità con lui commesse, e di cui non erasi mai confessato.

R. Affirmative. — SSmus adprobavit.

694

Circa monialium vota.

S. C. de Prop. F. *25 Ian. 1808* (C. P. pro Sin.) — Se debba permettersi l'uso dei voti nella forma espressa dal Vicario Apostolico della Cocincina: *Moniales votis solemnibus paupertatis, castitatis, obedientiae et clausurae non obstringuntur. Iis tamen quae ad 40 circiter annorum aetatem processerunt id aliquando permittitur sed rarissime. Ut vero illud quod ex defectu votorum solemnium patiuntur detrimentum aliquatenus resarcire queant, fere omnes temporariis, aliae trimestribus, aliae semestribus, aliae vero annuis se votis obstringunt.*

R. Affirmative, dummodo moniales emittant praefata vota de consilio et assensu Vicarii Apostolici et confessarii.

695

Quoad usum linguae vernaculae in Baptismi administratione.

S. C. de Prop. Fide *30 Aprilis 1808* (C. P. pro Sin.) — Vic. Ap. Siam — Non est liturgia in lingua vernacula, nec rituale, nisi quod attinet ad solemnem administrationem Baptismi adultorum, quod in linguam vernaculam translatum est. Circa interrogationes, fiunt in lingua vernacula; circa vero documenta et quaedam alia, est mihi dubium utrum possim legitime uti lingua vernacula. Ratione timoris, soleo uti utraque, tum latina, ut non utar licentia quam non habeo, tum vernacula ut intelligar a recipientibus et adstantibus. Circa quod supplico EE. VV. decernere quid in posterum facere debeam.

R. Scribendum Vicario Apostolico Siamensi Baptismum in Ecclesia latina administrandum esse idiomate latino, iuxta Rituale Romanum. Caeterum, nihil obstare quominus lingua vernacula explicentur ea omnia quae pertinent ad ipsum Sacramentum Baptismi.

696

An liceat invitare infideles ad funera.

S. C. de Prop. Fide *30 April. 1808* (C. P. pro Sin.) — Chen-si — 1. An christianis fas sit invitare ad funus eos infideles qui, si interveniant, patrias se esse facturos superstitiones praevidentur, puta *ko-teou* ante feretrum. Ratio dubitandi est quia, nisi invitentur, superstitionibus obsistere nequeunt christiani.

An pro humandis mortuis dies seligenda alia ab illa quae ab ethnicis fausta putatur.

2. Quum in kalendario publico indicentur dies fausti et mali pro ducendis uxoribus et sepeliendis mortuis, quaeritur num christiani dies seligere teneantur diversos ab iis qui in praefato kalendario fausti vocantur. Dubitandi ratio est quia in Sinis nullum est determinatum tempus, aut stabilis consuetudo mortuos sepeliendi, ita ut domi non solum per aliquot dies, verum etiam per menses et annos cadavera in feretro inclusa retineantur. Ast si illa dies, qua cadaver humari statutum fuerit, in eam incidat quae ut fausta indicatur in eodem kalendario, christifideles, qui pro suo lubitu diversam diem seligere possunt, ne scandalo afficiant infideles, aliam diem in conscientia eligere obligati mihi videntur: eo vel maxime, quia qui hoc advertenter faciunt, sunt divites pompae amatores, (qui) si seligerent diem quae fausta haud est indicata, deridentur a gentilibus, qui etiam funeri interesse renuunt, dicentes, qua de causa non eligatur alia dies fausta indicata in libro *Hoang-ly* europaeorum missionariorum nomine condecorato.

R. Ad 1. Transmittatur Instructio edita pro Vicario Apostolico Tunkini Orientalis a Benedicto XIV die 14 Ianuarii 1753, et extensa ad alias missiones sinenses decreto S. O. anni 1757 *(V. nn. 386 et 406).*

Ad 2. Non teneri; et quatenus in aliquo particulari casu scandalum timeatur, removendum esse opportuna instructione.

697

De sacrorum celebratione in ecclesiis schismaticorum.

Ex Instr. S. C. S. Off. *12 Martii 1809* (ad Ep. Cataren.). – Per quanto sia vero che convenga (generalmente parlando) di sostenere con costanza i nostri altari, e i dritti che abbiamo nelle chiese dei greci, ciò per altro, com'Ella stessa colla sua saviezza potrà conoscere, soggiace a molte eccezioni, specialmente ove si tratta d'introdurre, o mantenere senza urgentissima causa una mescolanza di altari o di riti per se stessa indecente, nociva spesse volte alla purità di nostra s. religione, poco conveniente

alla santità dei divini misteri, e perciò appena talvolta tollerata dalla S. Sede rispetto a qualche luogo donde non abbia potuto estirparsi senza eccitare turbolenze dannosissime, e senza pregiudizio gravissimo dei fedeli, e coll' avvertenza inoltre che non concorresse nel caso alcun pericolo di scandalo o altra circostanza viziosa, essendo sempre prevalsa la massima (ed è quella che dovrà sempre prevalere presso di Lei) che a preferenza d'ogni diritto deve onninamente procurarsi di mantenere la purità di nostra santa fede, l'osservanza delle regole canoniche, l'edificazione dei popoli, e la salute eterna delle anime.

698

Circa facultates Praefectorum missionum.

S. C. S. Officii *26 Apr. 1809* — CONSTANTINOP. — 1. Se le facoltà dei Prefetti debbono restringersi soltanto ai loro sudditi religiosi.

2. Se possono esercitarsi dov' è il Vicario Apostolico.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative, iuxta tamen tenorem Formularum et facultatum extraordinariarum.

699

Nequeunt missionarii propriam Missionem pro lubitu deserere.

Decr. S. C. de Prop. F. *28 Sept. 1812* — Cum sacrae missiones maxima nunc operariorum penuria laborent, aliunde vero innotuerit, aliquos missionarios, vel arbitratu suo, vel facta pridem potestate, in patriam velle reverti; alios autem ex una ad aliam Missionem pro suo ingenio transire: ad compescendam huiusmodi licentiam, ac ne fideles, qui in partibus infidelium, sive acatholicorum versantur, spiritualibus destituantur auxiliis, ex auctoritate a SSmo D. N. Pio PP. VII. specialiter tributa decernitur atque in virtute s. obedientiae mandatur, ne ulli missionariorum liceat, assignatas sibi Missiones quovis obtentu deserere, donec aliter provisum fuerit, suspensa interim remanente omni praehabita remeandi venia: nec ulli pariter liceat vel ad alienas Missiones, vel in patriam se se conferre absque speciali ac novo S. Congregationis mandato, sub poena suspensionis; nisi forte aliquis ex noxia vitae ratione, Praefecti iussu, expulsus fuerit; proindeque cunctis Missionum Praefectis mandatur, ne aliquem alienarum Missionum absque novis Patentibus Litteris S. Congregationis suscipiant, ac ne iis, qui sponte migrare voluerint, itineris sumptus praebeant.

700

De electione Vicarii generalis.

S. C. de Prop. Fide *29 Decembris 1812* – Qual temperamento si debba prendere sul ricorso del Vescovo maronita N. specialmente rapporto alla deputazione del Vicario generale.

R. Spectare ad Episcopum Vicarii generalis electionem, nisi ipse ab episcopatu suspensus vel depositus sit.

701

De contractu societatis pecuniarum.

S. C. de Prop. Fide *16 Ian. 1815* (C. P. PRO SIN.) – SUTCHUEN. – Pecuniarum societas, quam in relatione an. 1804 Sacrae Congr. fuse exposui, (ego Vic. Ap.) in plurimis adhuc huius Vicariatus locis viget, nec ulla unquam Vicariorum App. prohibitione, nec missionariorum cura et sollicitudine, penitus aboleri hucusque potuit, tum propter commoda non minima quae populis, praesertim pauperibus vel in arcto positis, pro suis rebus domesticis vel negotiis urgentibus non raro inde profluunt; summam enim pecuniae, qua indigent, totam simul accipiunt, nec eam solvere tenentur nisi per partes cum moderato lucro; tum quia iniustitia, quae inesse deprehenditur, non ita gravis, nec vitatu aut saltem reparatu difficilis semper aestimata est. Siquidem in hoc Vicariatu huiusmodi societas, dempto primo socio, quoad reliquos omnes, tamquam species ludi, qui gallice vocatur *loterie,* habita est, eo quod sorte determinetur quis pro pecunia quam intulit multum lucretur, quis parum, quis nihil; item ex pacto mutuo, ut aiunt, et spontaneo sortitur quis lucrum, et quantum et quibus dare debeat, unde vi huius pacti et sortis, non vero mutui, quisque lucrum accipit quod sibi obtingit. Primus vero qui societatem adscivit, quia sortem non misit, sed pure et simpliciter caeterorum pecuniam accipit, ut simplex mutuatarius semper existimatus est, caeterique ad restitutionem lucri ab ipso percepti sunt adducti, et etiamnum adiguntur, hinc fideles, scientes in huiusmodi contractu nihil aliud criminari nisi lucrum a primo socio perceptum, ad eum ineundum facile adducuntur, praesertim si ipsimet aut eorum cognati, amici, vel vicini sint in arcto constituti, et actu indigeant summa quadam pecuniae ad solvendum debitum urgens, aut cuius usuris nimium gravantur vel ad mercaturam, vel ad aliud quodcumque negotium suis rebus domesticis necessarium, nec grave peccatum inesse putant, dummodo propositum habeant dictum lucrum non percipiendi, aut perceptum restituendi. Quoad periculum rixarum aliarumque noxarum, quae non raro consequuntur, prout accidit in aliis etiam contractibus licitis quisque socius sibi facile persuadet, nihil de caeterorum sociorum, praesertim christianorum, mala fide aut defectione esse pertimescendum, unde plerumque praedicta mala oriuntur. Passim tamen non desunt, qui postposita quavis consideratione humana, se in has societates ineundas induci non patiuntur, eo praecise quod a sacerdotibus fieri prohibentur.

R. Iuxta hactenus deducta contractum de

quo agitur non esse improbandum, et Vicarius Ap. semper prae oculis habeat quae a Benedicto XIV in sua Encyclica *Vix pervenit (V. Instr. Sacrae C. de Prop. Fide an. 1873)* praescripta sunt circa usuras, ne sequentibus temporibus in praedicto contractu usurae aut iniustitiae labes locum habeant.

702

Reprobatur christianorum agendi ratio furorem gentilium temere in se concitantium.

Instr. S. C. de Prop. F. *28 Febr. 1815* (AD VIC. AP. SUTCHUEN.) — Nulla omnino ratione probare potuimus, idola in gentilium fanis a christianis eversa fuisse ac confracta; tum obstitisse eos ne per aream christianae domus transiret superstitiosus quidam apparatus; quae sane omnia, cum a christianae moderationis regula quam longissime abhorreant, cave quam diligentissime ne illa christianos admittere denuo contingat, eos admonens ab Ecclesia Christi, vel in ipsis sui primordiis, illud lege sancitum fuisse, eos uti martyres non agnoscendos qui ob temere in se concitatum gentilium furorem, improvida huius generis aliqua agendi ratione, supplicia ac mortem passi fuerint; imo vero damnatos iure ac reprehensos fuisse, quod ita in Ecclesiam universam gentilium animos commovissent. Qua de re tibi Augustini sensus proponere opportunissimum iudicamus ex sermone 6 *De verbis Evangelii* depromptos, ubi, divina, ut ille est, sapientia refertus, haec habet: *Hostes nos dicunt* (de gentilibus loquens) *idolorum suorum. Sic praestet Deus, et det omnia in potestate, quomodo dedit quod fractum est. Hoc enim dicimus charitati vestrae, ne faciatis ista, quando in potestate vestra non est ut faciatis illud. Pravorum hominum est, furiosorum circumcellionum, qui ubi potestatem non habent, saevire, et velle mori properant sine causa. Audistis quae vobis legimus, omnes qui nuper in Mapalibus adfuistis:* Cum data vobis fuerit terra in potestatem *(prius ait* in potestatem, *et sic dixit quae facienda sunt),* aras eorum, *inquit,* destruetis, lucos eorum comminuetis, et omnes titulos eorum confringetis. *Cum acceperitis potestatem, hoc facite. Ubi nobis non est data potestas, non facimus; ubi data est, non praetermittimus. Multi pagani habent istas abominationes in fundis suis: numquid accedimus et confringimus? Prius enim agimus ut idola in eorum corde frangamus. Quando christiani et ipsi facti fuerint, aut invitant nos ad tam bonum opus, aut praeveniunt nos. Modo orandum est pro illis, non irascendum illis.* Atque utinam ita animo comparati essent fideles isti, ut Apostoli monitum prae oculis habentes, iniuriam magis pati mallent, quam offendiculum Evangelio ponere. At ubi etiam ab iniustis gentilium vexationibus sese defendere cogantur, aut sua iura vindicare, id ipsum tamen ea saltem ratione atque animi moderatione perficere studeant, ut nullum inde christianae rei periculum, nullum possit obvenire damnum vel dedecus, uti iam evenisse narras, persecutionibus hac ipsa de causa isthic excitatis.

703

De aquae baptismalis benedictione absque oleis sanctis.

S. C. de Prop. F. *5 Martii 1816* (C. P. PRO SIN.) — TUNK. OCCID. — Sacerdos qui dum Fontem baptismalem in Sabbato Sancto benedicit, non potest olea sancta aquae benedictae immiscere, vel quia haec illi deficiunt, vel ob aliam legitimam causam, potestne fontem nihilominus eo die benedicere, oleorum sanctorum immixtionem ad alium diem differendo; an vero integram fontis benedictionem omittere eo die tenetur?

R. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam; et communicetur decretum S. R. C. diei 12 aprilis 1756 in Lucana. *Parochi qui ante Fontis benedictionem olea sancta recipere non potuerunt, illa subinde privatim ac separatim in aquam mittere poterunt.*

704

De necessitate interpellationis coniugis infidelis.

S. C. de Prop. F. *5 Martii 1816* (C. P. PRO SIN.) — TUNK. OCCID. — 1. Utrum ad effectum matrimonii dissolvendi iuxta privilegium in favorem fidei a Christo Domino concessum, et ab Apostolo promulgatum, interpellatio partis in infidelitate perseverantis sit de iure divino, atque adeo necessaria ut, ea neglecta, nullus plane habeatur matrimonii dissolvendi locus: An solum pertineat ad formam iudicialem, nec requiratur nisi ut dissolutio licite fiat, praesertim cum aliunde constat, indiciis moraliter certis, alterum coniugum nec fidem amplecti, nec sine contumelia Creatoris velle cohabitare.

De quibus fieri debeat interpellatio.

2. Posito quod ad primam partem respondeatur affirmative, quaeritur num sola de Religione amplectenda sufficiat interrogatio, *utrum* scilicet *pars in infidelitate remanens velit converti necne,* quod, Thomae Sanchez auctoritate freti, existimant aliqui ex missionariis; an potius interpellatio, *utrum saltem pars in infidelitate perseverans absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat,* sit quoque essentialis et absolute requisita, ita ut, illa praetermissa, non solum non licite, sed etiam non valide matrimonium dissolvi queat.

Interpellatio omnino facienda nisi habeatur Apostolica dispensatio.

3. Utrum solemnis uxoris expulsio a marito facta, videlicet dando libellum repudii coram pagi primoribus iuxta leges Regni, possit interpellationis locum tenere et pro ea reputari, cum certissime constet de istius mariti voluntate, illum nempe praefatam mulierem nullo modo in posterum uxorem velle habere; an potius, nulla repudii habita ratione, in iis

etiam circumstantiis, duplex in iure praescripta ad validitatem dissolutionis matrimonii requiratur interpellatio.

An baptizanda mulier a viro infideli repudiata, et ad eum, si revocet, minime forsan reversura.

4. Quaeritur quomodo se debeat gerere missionarius erga mulierem infidelem, absque ulla adulterii causa a suo marito etiam infideli repudiatam, qui aliam duxit, cum illa postulat baptizari, et est suspicio an sit animo parata ad revertendum ad suum maritum, si forte postea revocet, et sine contumelia Creatoris cohabitare consentiat. Debetne illam de hac re prius interrogare, atque interea baptismum differre, donec melius sit disposita, etiam cum periculo moriendi absque baptismate? Quid autem si consentit, sed dumtaxat cum hac conditione, quando nimirum expulsa fuerit concubina?

De divortio quoad torum ob adulterium.

5. Quaeritur an adulterium ansam praebeat coniugibus infidelibus, sicut et christianis, divortium perpetuum celebrandi, ita ut parti innocenti omnino sit integrum, cum sacro fonte abluta fuerit, aut saeculo nuntium remittere, aut in statu viduitatis vitam transigere, licet pars altera reconciliari velit, et sine contumelia Creatoris cohabitare.

An mulier conversa discedere possit a viro infideli et ad alia vota transire si ipse vel eius propinqui eam ad graviter peccandum pertrahant.

6. Cum maritus infidelis suae uxori iam sacri Baptismi aquis tinctae, Religionem quidem servare permittit, nec aliquid peccati mortalis formaliter iubet; at illam in usu matrimonii ad multa gravia contra coniugalem castimoniam adeo importune pellicit ut mulier semper sit in gravi periculo peccandi mortaliter. Quaeritur, in hoc casu, an praefata mulier possit eum relinquere et ad alia vota transire. Quid autem si periculum non veniat ex altero coniuge, sed ab aliis qui in eadem domo sunt v. g. a socero qui suam nurum ad incestum sollicitat, vel a socru, muliere iurgiosissima et superstitionibus addictissima?

R. Ad 1. Non esse locum dissolutioni matrimonii in infidelitate contracti, in casu de quo agitur, nisi interpellatione praemissa, aut nisi obtenta, legitimis ex causis, super interpellatione Apostolica dispensatione.

Ad 2. Interpellandum esse coniugem infidelem, non solum an converti velit, sed etiam casu quo nolit converti, an velit cum coniuge fideli cohabitare sine contumelia Creatoris, iuxta dispositionem Innocentii III, Cap. *Quanto, De divortiis.*

Ad 3. Faciendam esse interpellationem, etiam in casu de quo agitur, si fieri possit, aut recurrendum esse ad Sedem Apostolicam pro obtinenda dispensatione.

Ad 4. Nihil obstare quominus mulieri, de qua in casu, modo aliunde sit sufficienter instructa, Baptisma conferatur.

Ad 5. Coniugem ad fidem conversum et baptizatum posse facere divortium quoad torum, a coniuge infideli, ob adulterium ab eo commissum, quamvis iste veniam petat et velit cohabitare sine contumelia Creatoris.

Ad 6. Mulierem conversam posse a viro infideli discedere, et ad alia vota transire, in casu quod ille eam pertrahat ad gravia peccata contra coniugalem castimoniam (cap. *Quanto* et cap. *Gaudemus* Innocentii III, *De divortiis*). Quod si pertractio mulieris conversae ad peccatum mortale non proveniat ab eius viro infideli, sed ab aliis qui in eius domo habitant, socero, exempli gratia, vel socru, posse mulierem fidelem, ubi alia media non suppetant, se subducere ab ea domo, ubi ad graviter peccandum pertrahitur; non vero posse matrimonium dissolvere et ad aliud transire.

705

De casu mulieris christianae quam duxit vir infidelis qui indignus est baptismo quod petit, et de cuius uxore infideli antea dimissa nulla est notitia.

S. C. de Prop. Fide *5 Martii 1816* — (C. P. PRO SIN.) — TUNK. OCCID. — Vir quidam infidelis, dimissa uxore infideli, Annam mulierem fidelem duxit, quacum iam a sexdecim annis vivit; quos ex ea genuit filios baptizati sunt et christiane educantur; vult et ipse fieri christianus, at propter ingentem morum pravitatem baptizari non potest. De caetero Anna omnes habet conditiones quae a Sancta Sede requiruntur, ut locus sit concedendae dispensationi circa impedimentum disparitatis cultus. Haec igitur aliquod suae conditioni remedium ab indulgentia Sanctae Sedis Apostolicae confidenter expectat, exoratque humiliter, et eo quidem instantius, quod eam ille vir infidelis dimittere nolit, quodque insanabili ipsa morbo laboret: ubinam vero sit mulier infidelis iam dimissa, imo an adhuc vivat, nemo adhuc detegere potuit.

R. Quatenus obtineri possit moralis certitudo mortis uxoris infidelis dimissae a viro, de quo in casu, conceditur Vicario Apostolico facultas impetranda a Sanctissimo dispensandi cum Anna muliere fideli super impedimento disparitatis cultus, ad effectum contrahendi matrimonium cum praedicto viro infideli. Quod si nullo modo constare possit de secuta morte uxoris eiusdem viri, tentandam omnibus modis huius viri conversionem, ut dignus efficiatur recipiendi Baptismum, a quo non abhorret; ubi autem ipsum baptizari contigerit, facultas impetranda a Sanctissimo conceditur praefato Vicario Ap. dispensandi cum eodem viro ut, irrequisita uxore infideli, quae inveniri non potest nec legitime moneri, matrimonium cum Anna fideli rite contrahere, in eoque remanere licite valeat. — SSmus adprobavit.

706

De muliere christiana relicta a viro qui eam duxit celando matrim. initum ante baptismum cum muliere infideli quam dimiserat.

S. C. de Prop. Fide – *5 Martii 1816* (C. P. PRO SIN.) — TUNK. OCCID. — Iulius, dimissa sua prima uxore infideli, post aliquot menses cohabitationis, fit christianus et Martham coram parocho accipit in coniugem absque ulla

interpellatione, celato primo matrimonio, adhibitis etiam falsis testibus; paulo post vero prima uxor infidelis alteri etiam nupsit pagano. Iterum Iulius, bis iam consummato matrimonio cum Martha, tertio post nuptias die eam relinquit, secreto aufugiens ad regiones longinquas: ibi tertio duxit infidelem ex qua iam filios suscepit atque per chartam Marthae mandavit ut cuicumque vult nubere nubat. Martha autem, habita ratione aetatis, indolis ac loci et parentum, valde periclitans, licentiam petit alteri viro christiano nubendi. Porro interpellatio primae uxoris infidelis, quae ante matrimonium Marthae omissa fuit, necdum etiam nunc per tempus fieri licuit, nec spes ulla est quod a Iulio unquam fiat, vixque ab alio aliquo fieri poterit. Quod si fieri possit, et dicta illa coniux respondeat se tunc forte vel certo Religionem amplexuram et ad maritum redituram fuisse, si fuisset interpellata ante matrimonium Marthae, quia ipsa tunc adhuc erat innupta (suspicor ego quod revera tunc erat sic animo disposita): si vero contra respondet negative; in utroque casu, ac etiam in casu quo nulla fieri possit interrogatio, quid sentiendum est de matrimonio Marthae ac de eius petitione ad alias nuptias convolandi? Supplicat vero eadem ut, si qua ratione fieri possit, eius necessitati S. C. benigne subveniat.

R. Matrimonium Iulii cum Martha nullum ac irritum fuisse, atque ideo dandum esse Marthae documentum suae libertatis, si nullum aliud intercedat canonicum impedimentum.

707

Quid confessario agendum cum poenitente indisposito et matrimonium proxime celebraturo.

S. C. de Prop. Fide *5 Martii 1816* — (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — Quomodo se gerere debet missionarius erga poenitentem, cuius matrimonium coram se celebrandum sequenti die benedicturus est, quemque in sacro Poenitentiae tribunali minus dispositum ad recipiendam absolutionem sacramentalem deprehenderit esse?

1. Expeditne huiusmodi poenitentem indispositum hortari ad differendam sui matrimonii celebrationem, donec absolutionis capacem se exhibuerit, praesertim quando nullum praevidet ex ea dilatione oriturum esse grave damnum atque incommodum pro sponsis, vel scandalum pro aliis, et poenitentem suum huic hortamento et consilio obtemperaturum esse?

2. Supposito quod poenitens ille matrimonii sui celebrationem differre nolit, potestne missionarius, post declaratam ipsi necessitatem contritionis perfectae, ad supplendum defectum absolutionis, qua indignus iudicatur, oblataque motiva idonea ad ipsum ad huiusmodi contritionem perfectam excitandum, ei expresse permittere accessum ad matrimonium, modo se ita perfecte contritum legitime censeat, praevidens eum taliter admonitum absque ulla haesitatione accessurum esse?

3. In eadem suppositione, satiusne esset ipsum simpliciter hortari et excitare ad contritionem perfectam, accessum ad Matrimonii sacramentum expresse nec permittendo, nec prohibendo?

4. Si percipiat missionarius huiusmodi poenitentem, vel propter mentis hebetudinem, vel cordis duritiem, contritionis perfectae statim et sine praemissa longiori praeparatione concipiendae minus capacem esse, debetne, saltem in eo casu, ipsi praecipere ut ad aliud tempus matrimonii sui celebrationem differat?

5. In casu quo ambo coniuges matrimonium differre nollent, vel non possent, essetne prudens, poenitenti ad absolutionem haud praeparato suadere ut, elicito prius actu contritionis perfectae, statim ad consortem accedat, et cum eo contrahat et cohabitet, haud recepta benedictione nuptiali?

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2 et 3. Affirmative, si adsit aliqua iusta causa non differendi matrimonii celebrationem. Quod si nulla talis adsit iusta causa, confessarius hortetur poenitentem ut differat, seque prius disponat ad rite gratiam absolutionis percipiendam, monstrata eidem difficultate eliciendi contritionem perfectam. Quod si ex hac hortatione nullus obtineatur fructus, tunc satius erit illum hortari et excitare ad contritionem perfectam, et inde nec expresse permittat, nec prohibeat accessum ad matrimonium; monendo tamen quod, nisi habeat contritionem perfectam, graviter ac sacrilege peccaturus sit.

Ad 4. Affirmative; debet enim confessarius curare ut poenitens digne ac fructuose sacramentum recipiat; quamobrem, cum iudicat ipsum indigere longiori praeparatione ad excitandam necessariam contritionem, hanc illi praecipere debet, extra casum urgentis necessitatis, quo in casu curabit eum omni meliori modo disponere.

Ad 5. Negative: quando enim suadere missionarius potest poenitenti ut, elicita contritione perfecta, ad matrimonium accedat, non appareret ratio cur a benedictione nuptiali arceatur.

708

De redemptione utensilium quae contributionum exactores a christianis auferunt, aliisque vendunt.

S. C. de Prop. F. *5 Martii 1816* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — 1. Saepe in Tunkino evenit ut, quando christiani contributiones pro operibus superstitiosis solvere recusant, contributionum exactores ab eorum domibus vi auferant aliqua utensilia quae alteri personae vendunt, non quanti valent, sed quantum pecuniae a christianis exigebatur; quo nimirum pecuniam habeant, quam possint iis a

quibus missi sunt pro dictorum christianorum contributione tradere. Porro non pauci inter illos christianos, post elapsos aliquot dies, utensilia sua redimunt maiori pretio quam vendita fuerant, quia emptores, cum sint gentiles, semper procurant ut aliquid lucri et emolumenti sibi ex ea revenditione proveniat. Quaeritur utrum toleranda sit ea christianorum agendi ratio, modo nulla existat mala eorum, sive cum utensilium suorum emptoribus, sive cum contributionum exactoribus, conniventia, nec aliam in mente gerant intentionem quam redimendi et recuperandi rem suam iniuste ablatam, aliis venditam, sibi vero necessariam sive pro usu domestico, sive ad exercendam artem qua se suamque familiam sustentant, quamque alias statim comparare ipsis difficile, haud raro etiam impossibile esset.

De tributo solvendo incolis ethnicis pagorum ad quos merces vendendae deferuntur.

2. In plurimis pariter locis quicumque ad forum seu macellum vendendi causa frequenter veniunt, incolis pagi, in quo forum vel macellum existit, exiguum tributum solvere tenentur; secus, ipsis ad forum macellumve suas merces deferre iam non permittitur. Semel aut bis in anno, statis temporibus, istud tributum solvitur exactoribus, qui, a pagi primoribus missi, forum contributionem istam colligendo perlustrant. Pecunia vero collecta partim impenditur in foro reparando, partim dividitur inter primores pagi, ut insimul bibant ac laetentur, partim attribuitur alicui fano vicino (nam plerisque foris aliquod fanum, aut Confucio aut alicui genio tutelari dicatum, adiacet), ut ex ea thus inibi comburendum ematur; atque in locis non paucis, huic usui superstitioso tota pecunia collecta consecratur: unde fit, ut a gentilibus ista contributio nonnunquam appelletur *Tien huong, (pecunia pro thure)*, cum alias vocetur *Tien thue, (pecunia pro tributo)*. Quaeritur ergo utrum christianis liceat tributum huiusmodi solvere, saltem facta protestatione se non alio fine dare pecuniam, quam ad solvendum tributum pago debitum, emendamque ab eo facultatem ad forum conveniendi, nullatenus vero ad quidpiam pro fani cuiuscumque usu et idolorum cultu emendum, praesertim quando exactores pecuniam collectam vocant *Tien huong (pecuniam pro thure)*, aut christianis notum est totam pecuniam collectam in rebus pro alicuius fani usu emendis insumi solere.

R. Ad 1. Affirmative, dummodo non adsit fraus aut collusio, emptionem sive redemptionem de qua in casu, et prout proponitur, esse licitam.

Ad 2. Permitti potest christianis solutio tributi, praesertim protestatione praemissa.

709

De baptismo sine patrinis.

S. C. de Prop. F. *1 Apr. 1816* (C. G.) — Bardstown *(Louisville)* — An, cum valde difficile hic sit invenire patrinos quales Ecclesia requirit, Baptismus licite conferatur sine patrinis.

R. Si patrini haberi non possunt, absque patrinis non necessariis necessarium Baptisma conferendum.

710

De bannis in servorum matrimoniis.

S. C. de Prop. F. *1 Apr. 1816* (C. G.) — An banna, seu proclamationes antenuptiales, etiam servanda sunt in matrimoniis servorum seu mancipiorum.

R. Affirmative, nisi accesserit dispensatio Episcopi.

711

De impedimentis matrimonialibus ex lege civili.

S. C. de Prop. F. *1 April. 1816* — An lege politica matrimonia irritante, v. g. defectu consensus parentum in minoribus, sic ut declaret infantes illegitimos, matrimonia etiam illa censenda sint irrita in facie Ecclesiae contracta.

R. Negative.

712

De taxis ob dispensationes, et de iure Episcopi in bona ecclesiarum.

S. C. de Prop. F. *1 Aprilis 1816* (C. G.) — Bardstown *(Louisville)* — 1. An licitum petere vel exigere taxam seu contributionem applicandam aedificandis novis ecclesiis, monasteriis et aliis piis causis, dum dispensatio quaedam v. g. in matrimoniis cum consanguineis conceditur, idque per modum eleemosynae, satisfactionis, etc. — 2. Quale ius habet Episcopus in bona et ad bonorum administrationem, quae a novis hisce ecclesiis sunt acquisita? — 3. Quale sacerdotibus simplicibus curam Congregationum habentibus competit? — 4. An sacerdos simplex acquirat aliquod ius in similia bona quae intuitu Ecclesiae sunt data, illudque exerceat licite, invito Episcopo.

R. Ad 1. Licere per modum eleemosynae tantum, seclusa taxa. — Ad 2. Episcopos habere ius administrandi bona ab ecclesiis acquisita ad formam Canonum, et iuxta intentiones fundatorum. — Ad 3. Habere sub dependentia Episcopi. — Ad 4. Negative.

713

Illicitum sacerdotibus medicinae exercitium.

S. C. de Prop. F. *13 Maii 1816* (C. G.) — Bardstown *(Louisville)* 1. An liceat sacerdoti venam aperire, aut alia quaedam artis medicinae exercere.

Quoad sacerdotum sustentationem.

2. Quis optimus dicendus modus providendi sustentationi ministrorum hisce in novis regionibus?

3. Qualis obligatio incumbit laicis debitum hoc solvendi?

4. Licetne spirituale ministerium denegare iis, aut personis ad illorum spectantibus familiam, v. g. infantibus sacramentum Baptismi, si huic debito se submittere recusent.

R. Ad 1. Negative nisi obtenta dispensatione, et in casu verae necessitatis.

Ad 2. Providendum esse ex reditibus ecclesiarum, et voluntariis fidelium oblationibus.

Ad 3. Teneri fideles in conscientia ad sufficientem sustentationem Ministrorum Ecclesiae.

Ad 4. Indignam viro ecclesiastico, et animadversione dignam quaestionem de sacris et ipso Baptismate denegandis iis qui oblationum debito se submittere recusant.

714

An possit Patriarcha suos sacerdotes mittere in aliquam patriarchatus dioecesim ad exercendum ministerium.

S. C. de Prop. F. *24 Sept. 1816* (C. G.) — Se debbasi permettere al Patriarca siro di mandare nella dioecsi N. dei sacerdoti del suo clero con ordine al Vescovo di ammetterli e non impedire l'esercizio delle loro funzioni.

R. Attenta necessitate augendi in dioecesi numerum sacerdotum, a R. P. D. Patriarcha esse providendum, salvis tamen iuribus parochialibus.

715

De frequenti sacrae Eucharistiae participatione.

Instr. S. C. de Prop. Fide *1817* — (PRO MISS. SIN.) Quoniam Sacrosanctum Concilium (Tridentinum) id optandum proponit (sess. 22, c. 6), « ut in singulis Missis fideles adstan« tes... sacramentali etiam Eucharistiae perce« ptione communicarent », ac fideles ipsos hortatur eam vitam agere (sess. 13, c. 8), ut panem illum supersubstantialem *frequenter* suscipere possint, hinc nihil magis esset optandum, quam ut fideles frequenter sacrae Eucharistiae participes fierent, atque isthic praesertim, ut iis ad persecutiones ferendas vires sufficiant. Hoc supersubstantiali pane primis Ecclesiae saeculis Christi athletae quotidie roborabantur; de hoc quovis die Dominico etiam agricolae participabant, teste Iustino (Apol. 2) aetatis suae mores describente. « Solis (seu Do« minico) qui dicitur die, omnium qui vel in « oppidis, vel ruri degunt conventus fit in « eumdem locum.... Precibus absolutis panis « affertur, et vinum et aqua... et cuique prae« senti fit distributio eorum in quibus gratiae « sunt actae, eisque quisque communicat; ab« sentibus autem per diaconos mittitur ». Non itaque a sacra Communione arcendi, sed excitandi sunt christiani, ut Confessionis Sacramento frequenter se ad sacram Communionem disponant. Sacrorum sit ministrorum probare uniuscuiusque spiritum, sanare infirmos, debiles confirmare, ut ad sacram mensam probati accedant. Pateat cuique quam maxime potest ad probatos sacerdotes accessus. Regulae et consuetudines, si quae iam introductae fuerunt, hisce Ecclesiae desideriis contrariae prorsus abrogentur.

716

De impedimento clandestinitatis cum agitur de matrimoniis acatholicorum, aut mixtis.

Ex Litt. S. C. de Prop. F. *11 Ian. 1817* — (AD EP. NICOPOLITAN.) Quantunque nei paesi di antico dominio turco vogliasi pubblicato nelle chiese e società cattoliche, ossia per lo meno fra cattolici latini e greci ivi domiciliati, il citato Decreto del Tridentino, e sieno conseguentemente nulli i matrimonî ivi contratti fra cattolici e cattolici senza la presenza del sacerdote proprio di una delle parti contraenti, non è stato però nè mai pubblicato nè mai osservato in quei dominî nelle società o scismatiche, o eretiche ivi da gran tempo formate e stabilite, e perciò i matrimonî ivi celebrati o dagli scismatici ed eretici fra loro, o da una parte cattolica, e l'altra eretica o scismatica avanti il pastore eretico o scismatico, dovranno aversi per rati e validi; poichè in questo secondo caso (che è il caso di cui si tratta) ha luogo la regola stabilita da Benedetto XIV *de Synodo Dioeces.* lib. VI c. VI § XII, dove si parla dei matrimonî di Olanda « Cum con« iugum alter, tum ratione loci in quo habitat, « tum ratione societatis in qua vivit, exemptus « sit a Tridentini Synodi lege, exemptio, qua « ipse fruitur, alteri parti communicata remanet « propter individuitatem contractus, vi cuius « exemptio, quae uni ex partibus competit, ad « alteram, secundum etiam civiles leges ex« tenditur eidemque communicatur ». Sopra tale principio fondata la S. Congregazione del S. Uffizio, allorchè è stata interpellata dai Vicarii Apostolici e Prefetti delle Missioni di Costantinopoli, Pera, S. Gio. d'Acri, Sofia, Vallachia, di consimili matrimonî contratti senza la presenza del parroco cattolico fra cattolici ed eretici, o scismatici avanti il pastore, o ministro eretico o scismatico, ha sempre dichiarato quanto ho riferito di sopra, doversi cioè avere per validi quantunque illeciti consimili matrimonî, qualora però fra i contraenti non vi fosse alcun altro impedimento dirimente.

717

Illicitum accipere a ministro acatholico nuptialem benedictionem.

S. C. S. Off. *29 Ian. 1817* — SAXONIAE — An licitum sit catholico petere vel accipere benedictionem nuptialem a ministro acatholico, licet pars acatholica illud exigat.

R. Negative.

718

De lectiore librorum contra religionem.

S. C. S. Officii *29 Ian. 1817.* — 1. An licitum sit legere vel retinere libros contra religionem v. g. *le dictionnaire encyclopedique,* licet bona intentione legantur.

2. An laico tales libros legenti vel possidenti possit dari absolutio.

R. Negative quoad utramque partem.

719

De cognatione spirituali in baptismo infantis domi administrato.

S. C. de Prop. F. *18 Martii 1817* (C. P. PRO SIN.) — SIAM — Quidam christianus patrinus fuit cuiusdam infantis propter periculum mortis domi baptizati, cuius matrem postea accepit in uxorem. Propter diversas theologorum sententias circa impedimentum cognationis spiritualis: quid de isto matrimonio censendum?

R. Consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii, quatenus opus sit, super impedimento cognationis spiritualis, et etiam pro sanatione in radice. — SSmus in Audientia 4 Maii 1817 preces remisit eidem Vic. Ap. cum facultatibus necessariis et opportunis, ut illos (dummodo orthodoxae fidei cultores sint, et sub obedientia S. R. E. vivant vivereque et mori intendant) a patratis excessibus absolvere, et cum eisdem, imposita tamen aliqua poenitentia salutari, dispensare possit super exposito impedimento cognationis spiritualis; quo non obstante, renovato inter eos caute consensu, ne oriantur scandala, matrimonium de novo valide contrahere, atque in eo postmodum permanere libere et licite valeant; prolemque susceptam, si qua sit, et suscipiendam legitimam decernat. Si vero aut separatio aut scandala rationabiliter ex hoc timeri possent, tunc relictis coniugibus in bona fide, Sanctitas Sua, de plenitudine Apostolicae potestatis, matrimonium sic nulliter per eos contractum in radice benigne sanavit, descriptis tamen nominibus et cognominibus contrahentium atque obtentae dispensationis in libro secreto matrimoniorum.

720

An liceat tormenta bellica explodere et eleemosynas recipere tempore eclipsis.

S. C. de Prop. Fide *18 Martii 1817* (C. P. PRO SIN.) — SIAM — 1. Tempore eclipsis lunae siamenses tumultuantur, campanas et alia instrumenta pulsant, explodunt tormenta bellica, ea opinione ducti quod credant draconem magnum deglutire velle lunam aut solem: strepitum magnum sic faciunt ut liberent eum de ore draconis, et sic putant se habere meritum magnum et ostendere gratum animum. Rex Siami solet eleemosynas dare sui corporis custodibus et aliis quos prope se invenit. Possuntne christiani tales eleemosynas recipere, et, si iubeantur, tormenta bellica explodere?

De quadam caeremonia tonsionis capillorum apud ethnicos.

2. Viget consuetudo, raso capite puerorum, servandi capillaturam in vertice. Cum autem annorum decem aut duodecim plus minusve aetatem attigerint, parentes diem assignant qua capilli tonderi debent, invitantur ad caeremoniam cognati et alii quoscumque voluerint. Invitantur et bonzi, qui orant et aquam suam benedictam aspergunt supra modo tonsum. Licet caeremonia sit superstitiosa, videtur tamen, sicut de ore praefectorum siamensium audierunt nostri christiani, eo potissimum fine introducta illa consuetudo, ut pecuniam colligant parentes quae copiose datur occasione illius caeremoniae. Possuntne christiani ad illam invitati, praesertim a praefectis suis, dare pecuniam et ad convivium sedere? Possuntne vendere comestibilia ad huiusmodi convivia facienda? Usque modo prohibuimus nostros. Sunt tamen aliqui qui furtive adiuvant, seclusa omni superstitione: possuntne christiani similem adhibere caeremoniam, eo tantum fine ut laetentur et pecuniam colligant?

De venditione animalium quibus superstitiose ethnici utuntur.

3. Siamenses solent emere passeres, pisces, testudines, quas croco liniunt, quas iunctis manibus salutant, et sic in flumen demittunt, et credunt habere meritum magnum, quia sic libertatem et vitam illis tribuunt, petuntque ab ipsis ut in futuro illos adiuvent: possuntne christiani praedicta vendere, quin superstitioni illorum conniveant?

R. Ad 1. Nisi publica opinione explosio tormentorum bellicorum et acceptio eleemosynae ex parte christianorum habeantur in casu, de quo agitur, tamquam actus superstitiosi, christianos non esse inquietandos.

Ad 2. Non licere adesse tonsioni capillorum et quoad eleemosynam et mensam non licere, si haec habeantur ut partes religiosae caeremoniae; si autem habeantur pro laetitia familiae, licere.

Ad 3. Nisi constiterit animalia, de quibus agitur, a christianis vendi gentilibus, ut ab istis libertate donentur aut asserventur ad effectum fovendi superstitionem, non esse inquietandos.

721

Religionis simulatio validitatem matrimonii non afficit, nec apostasia vinculum solvit.

Ex Instr. S. C. S. Offi. *20 Martii 1817* (AD PRAEF. AP. MOLDAVIAE) — ... Non può mettersi in dubbio che i matrimonî contratti avanti il parroco cattolico, fra veri o finti cattolici, purchè battezzati, siano validi e perciò indissolubili, quando non vi concorra alcun altro canonico impedimento dirimente. Imperocchè la simulazione di religione è bensì illecita e criminosa al cospetto di Dio, ma non involve nullità in ordine al matrimonio, nè l'apostasia dalla fede discioglie il vincolo matrimoniale già da prima validamente e legittimamente contratto, checchè in contrario pensino ne' loro vaneggiamenti gli scismatici eterodossi. Quindi è che un cattolico congiunto nel modo suddetto in matrimonio, o con chi ha simulato religione, o con chi dipoi l'abbandona e abbraccia lo scisma o l'eresia, non può in alcun modo, durante la vita di costui, passare ad altre nozze ancorchè venga da lui abbandonato, o attenti

egli altro coniugio, e perciò dovrà essere efficacemente esortato ed ammonito a sopportare con virtuosa pazienza l'infelicissimo suo stato, e a non demeritare la divina grazia e la partecipazione de' santi Sagramenti con abbandonarsi vanamente, vivente il coniuge, ad altro sacrilego adulterino congiungimento.

722

De Baptismi forma non recte a baptizante prolata.

S. C. S. Officii *13 Maii 1817.* – Siam – Quidam infans domi baptizatus est. Laicus baptizans sic formam protulit: *En te baptismo en nome do Padre e do Filio e do Spirito Sancto.* Utrum propter defectum pronuntiationis *en te baptismo* talis baptismus sit iterandus sub conditione?

R. Baptismum de quo agitur esse validum ideoque ne sub conditione quidem esse reiterandum.

723

De fidei occultatione et confessione.

Instr. S. C. de Prop. F. *6 Iunii 1817* — (ad Vic. Ap. Sutchuen.) — 1. Difficilioribus christianae reipublicae temporibus, in quibus multorum fides infirmatur et refrigescit charitas, multae persaepe oriuntur quaestiones, eoque partium aestu discutiuntur, ut magis inde fiat animarum periculum unde fidelibus lumen atque ad viriliter sancteque agendum incitamentum esset expectandum.

Ne fideles in Sinarum provinciis degentes aliquid detrimenti capiant ex dubiis illic obortis, S. C. de Prop. F., die 18 Martii ult. elapsi, dubiis a DD. Fontana et Escodeca propositis opportuna instructione respondendum esse decrevit, ut certis christianae religionis principiis in memoriam revocatis, quid in peculiaribus casibus eligendum, quidque corrigendum sit facile pateat.

Ad tantum perficiendum opus opportunum sane erit quaedam praelibare principia quae theologis sunt cum Angelico Doctore communia. De Fide (quod etiam de caeteris virtutibus dici posset) duplex extat divinum praeceptum, quorum primum *affirmativum* dicitur, quod non obligat ad semper, etsi semper obligat, et obligat pro loco et tempore secundum aliquas circumstantias; secundum dicitur *negativum,* quod obligat semper et in omnibus temporis et locorum adiunctis. Praecepto affirmativo non iubemur quocumque vitae nostrae momento explicitos fidei actus elicere, sed negativo prohibetur quaecumque voluntaria dissensio a quacumque veritate revelata, etiam ad brevissimum tempus, atque ita, ut huiusmodi dissensio nunquam ex quacumque causa cohonestari queat; fidei enim iniuriam infert non solum qui interius haeresim aliquam amplectitur, sed etiam qui exterius eam negat, quique facto aut verbo falsae religionis se simulat sectatorem.

Neque haec ignorari possunt ab eo qui Scripturas Sacras perscrutetur. *Quid enim* (ait Apostolus, *Rom. X) dicit Scriptura? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo: hoc est verbum fidei quod praedicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, et in corde tuo credideris quod Deus illum suscitavit a mortuis, salvus eris: corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et fides* (subdit Augustinus, De Fide et Symb. cap. 1) *officium a nobis exigit et cordis et linguae,* eumque Christus coram Patre suo negabit qui officium linguae reddere recusaverit: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo* (Matth. x). In die furoris Domini turbae multae in coelo dicent, *quia vera et iusta sunt iudicia eius;* quaecumque enim etiam simulata falsae religionis professio sinceritati christianae contraria est, mendacium in se gravissimum continet, et virtualem fidei negationem maxima cum Dei iniuria proximique scandalo includit, ut docet Benedictus XIV, Const. *Inter omnigenas,* § 3. Bull. tom. 1.

Criminis huius reus fit quicumque *facto et opere externo negat se esse christianum vel catholicum, quod semper est intrinsece malum et Deo graviter iniuriosum* (Antoine, *De virt. theol.,* cap. 3, quaest. 4); quales profecto sunt qui persecutionis metu perterriti, aut avaritiae cupiditatibus illecti, aut alio quovis quaesito praetextu, sua, non quae Dei sunt quaerunt, in odium fidei aut in idololatriae obsequium superstitiosas tabellas erigunt, catholicas destruunt, aut eo etiam audaciae perveniunt, ut cum gentilium satellitibus ecclesias diripiant, et ecclesiasticos homines et christianos caeteros persequantur. Quotiescumque nulla sit persecutionem evadendi potestas, nisi his aut similibus actibus falsae religionis professionem designantibus, praeceptum urget confessionis fidei, etsi mors vel dira supplicia comminentur, fideique scutum sumendum est, et fidelis quisque tenetur non solum corde credere ad iustitiam, sed ore etiam Christum confiteri ad salutem: *Qui* (enim) *supradicta cum ingenti fidei iniuria nefarie praesumunt... frustra sibi de christianae legis custodia et zelo... blandiuntur, quoniam, vel in uno istorum deficientes, facti sunt omnium rei.. et quisquis, metu cuiuslibet potestatis vel temporalium amittendorum formidine, fidem suam prodit, iram Dei super se provocat, seque, nisi resipiscat, ab omni salutis spe extraneum reddit, quoniam magis timet hominem quam Deum, et momentanea retinere quam aeterna acquirere mavult,* ut ait Benedictus XIV, Const. supra cit. § 4 et 6.

Quae contra apostatas agendi ratio.

2. Ex his facile intelligitur severioribus poenis coercendos esse christianos illos qui chri-

stianam fidem coram idololatris negaverint, et superstitiosas tabellas erexerint, quamvis occulte christianae religionis officia implere et preces recitare non detrectarunt: etsi enim hi quoad forum internum non sint formales apostatae, tales tamen sunt quoad forum externum, atque illorum numero accensendi qui *confitentur se nosse Deum, factis autem negant,* ut ait Apostolus (ad Titum I), et gravissimi illius mendacii rei facti sunt, quod maxima cum Dei iniuria proximique scandalo virtualem includit fidei negationem. Tanta igitur impietas coram fidelibus abiuranda ab eis est in illati scandali reparationem; revertantur itaque a viis suis pessimis et poenitentiam agant, dumque benigna Mater Ecclesia cum eis mitissime agit, primorum saeculorum fidelium sibi exempla proponant, quibus teste Cypriano (Lib. *De lapsis*), Ecclesia *ostendebat dura, ut eos potaret vino compunctionis, atque ne charitas et fides in aliis refrigesceret.*

Sed hic quaestio movetur quomodo missionarii, qui nullam in foro externo iurisdictionem habent, similiter peccantes (apostatas) compellere ad haec (ad scandali reparationem, abiurando coram fidelibus, etc.) possint. At ii ex iurisdictionis externae defectu hoc tantum sequi animadvertant, se scilicet non posse contra apostatas procedere iuris ordine servato, nec sententiam damnationis aut absolutionis in forma iuris debita proferre; minime tamen impediuntur quominus in foro conscientiae eos coerceant, et publicam exigant publici scandali reparationem, et ea ipsa ratione qua fur, qui damnum illatum nec reparat nec reparare paratus est, ut beneficii absolutionis incapax, inabsolutus dimittitur, pariter inabsolutus dimittendus erit apostata, quamvis tantum externus, qui illatum scandalum reparare noluerit, neque dignus hic erit, *ut quisnam eorum oblationes accipiat, nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam (si in hoc peccato decesserint) accipiant sepulturam,* quemadmodum de usurariis manifestis aperte statuitur cap. *Quia in omnibus.* « *Eorum igitur quisque satagat ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam* », ut ait Tridentinum Concilium, Sess. XXIV. *De reform.,* cap. 8. Missionariorum itaque erit, praetermissis iuris solemnitatibus, ab apostatis conversis publicam coram fidelibus retractationem exigere, eisque pro modo culpae tales poenitentias imponere quales conveniunt legitimo suae iurisdictionis in foro conscientiae exercitio: quoniam vero opportunis hortationibus, impositis retractationibus, ac venia a christianis scandalo affectis humiliter imploranda, praefinitos a iure limites minime praetergrediuntur, ideo simili consuetudini a spectatissimis viris iam adoptatae acquiescere tuto poterunt.

Hae autem rationes, cum sint etiam illis communes, qui quamvis fidem non negaverint expressis verbis, nec tabellas superstitiosas erexerint, odio tamen fidei vel persecutionis metu idololatris adhaeserunt, vel cum iis consentire simularunt, miscentes se persecutorum satellitibus in christianorum personis et bonis persequendis ac depopulandis, efficiunt ut idem prorsus de his dicendum sit ac de illis de quibus iam egimus, imposita insuper, quantum in ipsis erit, damnorum reficiendorum obligatione.

Sed iam ad eos venit oratio qui in infelicissimo statu simulatae apostasiae usque ad mortem perseveraverint, et, quamvis ab uxoribus et filiis excitati, superstitiosas tabellas recusaverint deponere, de quibus quaeritur: utrum ecclesiastica sepultura donandi sint et Sacrificium pro illis offerri queat?

Nulla sane rationabilis praesumptio stat pro iis qui, uxorum et filiorum monitis despectis, quae facienda erant facere pertinaciter recusarunt. Deus utique, qui dives est in misericordia sua, semper potest, vel ultimo vitae huius momento, peccatorem ad se trahere, et Spiritui Sancto non resistentem iustificare et salvare; sed utrum hoc factum sit iudicare, Dei, qui corda noscit hominum, reservatur iudicio; Ecclesia vero ab iis, qui manifesti fuerint peccatores, in aliorum etiam exemplum, signa saltem aliqua exigit poenitentiae, ut ecclesiasticae sepulturae participes efficiantur, et nominatim pro iis Sacrificium offerri possit. Hoc supra vidimus statutum: hoc generice Rituale Romanum iubet de iis manifestis et publicis peccatoribus qui *sine poenitentia perierunt.* Cum inter hos recensendi sunt homines de quibus agitur, sequitur eos nec esse ecclesiastica sepultura donandos, nec pro iis incruentum sacrificium esse offerendum, si simulata eorum apostasia notoria fuerit, neque ante obitum notabilia signa dederint resipiscentiae.

Quae huc usque dicta sunt lapsorum respiciunt correctionem; nonnulla nunc addenda supersunt ne ultra quam par est correctionis limites protrahantur. Initio posuimus cum theologis omnibus, praeceptum fidei affirmativum, etsi semper obligat, non obligare ad semper, sed obligare pro loco et tempore secundum aliquas circumstantias. Dubitatum aliquando est utrum liceat catholico ob metum persecutionis non manifestare suam fidem, neque uti signis quae fidem ipsam significent; et de lapsis conversis, utrum publice et coram etiam infidelibus debeant errorem suum abiurare. At utraque quaestio resoluta est iudicio Sacrae Inquisitionis decretis feriae V, diebus 9 Decembris anni 1627 et 10 Iulii anni 1630, quorum primo permissum est turcis conversis, ut in occulto catholice vivant *ob metum mortis, dummodo nullum actum idololatriae aut fidei christianae quomodolibet contrarium committant;* secundo vero

haec regula tradita: *Sanctissimus Dominus* (Urbanus VIII) *censuit apostatas a fide, redeuntes ad poenitentiam, non teneri ad abiurandam apostasiam coram infidelibus, sed sufficit ut eam abiurent in balneo coram fidelibus, abstinendo ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum infidelium, quatenus sit protestativus falsae religionis; si vero sit aequivocus, posse illum deferre; quod si ex illa delatione, ratione personae, aliqua oriatur suspicio, teneri aufugere cum primum potuerit.* Quae hic de habitu dicta sunt, sinicis tabellis aptari commode possunt; quare patet, amotis omnibus et quibuscumque superstitionis et idololatriae signis demonstrativis, apostatas conversos, in casu de quo agitur, non esse cogendos ad erigenda et affigenda palam in domibus suis christianae religionis signa.

De tabellarum superstitiosarum erectione.

3. Minime praetereundae sunt quaestiones aliae quibus diversa locorum et personarum adiuncta occasionem praebent. Cum enim aliquando fiat, ut ipsi persecutorum ministri superstitiosas tabellas in catholicorum domiciliis per vim erigant, catholici in iis degentes, ne deteriora patiantur, eas amovere negligunt non sine animarum suarum pernicie; quamvis enim in ipsa earum erectione, ob dissensum ipsa vi illata manifestum, non peccaverint, peccant tamen si, vi remota, factaque eis potestate vel discedendi ab abominationis templo, vel fortiter agendi, ea deponendo signa, quibus inhabitantes ut idololatrae designantur, potius tales eligunt se haberi, quam novis persecutionibus suum corpus obiicere. Ad salutem consequendam satis non est bonum opus incepisse, sed usque in finem in eo perseverare oportet. Nunquam veteres illi christiani, qui gladio impiorum occubuere, se idolorum parietibus defenderunt. Petrus et Apostoli principi sacerdotum interroganti strenue responderunt: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* (Act. v. 29). Horum sequamur fidem, imitemur exempla. Caesi hi *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* (ibidem). Consummantibus cursum, servantibus fidem, reposita est corona iustitiae quam reddet Dominus iustus iudex; sed apponens manum suam ad aratrum, et respiciens retro non est aptus regno Dei. Quid igitur ei timendum non est, qui, virili animo deposito, superstitiosas tabellas per vim a persecutoribus erectas iam ut scutum quo defendatur honorat?

At difficilius fortasse est de iis ferre iudicium, qui mandarini iussu tabellam flavi coloris erexerunt; tabella ipsa a quocumque superstitionis usu immunis supponitur, non inde tamen sequitur licitam statim iudicandam esse earum erectionem. Necessarium non est ut signa essentialem habeant cum re significata coniunctionem; quod per se signum demonstrativum non est falsae religionis, tale ex hominum opinione fieri potest. Praesidis intentio, quae talis asseritur, scilicet *ut apponant hanc tabellam in signum apostasiae,* hoc suadet; videant itaque christiani in Sinis degentes ne coinquinentur signo apostasiae demonstrativo, quod facile ex communi hominum opinione iudicabunt; quo in casu, nec flava tabella esset toleranda, nec ad illas domos sacrorum ministrorum accessus, nec in iis eorumdem occultatio aut caetera huiusmodi: non enim licet persecutionem vitare cum religionis iactura.

De christianis tabellis erigendis.

Haec sunt quae de tabellis, aut superstitiosis aut aequivocis, dicenda erant; quid vero asserendum erit de christianae religionis tabellis? Numquid, restituta Ecclesiae pace christiani statim cogendi erunt ad eas erigendas? Huic interrogationi quid respondendum sit, ex iam dictis patet; non enim hoc ad negativum fidei praeceptum pertinet, sed ad affirmativum cuius obligatio non urget singulis temporis momentis, aut in quibuscumque rerum adiunctis: imo quandoque prudens ratio suadere potest hic et nunc ex externa fidei confessione, quam persecutor religionis necessariam non reddit, maiora timeri posse mala, quam bona sperari, metus novae persecutionis non irrationalis erit in fidelibus degentibus inter infideles, qui mox religionem christianam fuerint persecuti. Quare in casu non sunt cogendi ad erigenda signa catholicae religionis.

4. Quae huc usque dicta sunt, criminis apostasiae etiam externae gravitatem ostendunt, atque ita ut inde etiam pateat quomodo huius criminis rei corrigendi sint, atque hoc praesertim evidentibus argumentis demonstratum iam est, non quosdam tantum inter apostatas, sed eos omnes, qui publice tanto scelere Ecclesiam scandalizaverint, retractationis oneri, et iustis pro modo culpae poenis esse subiiciendos; atque ea insuper addita sunt, quibus etiam ii, qui nullam in foro externo iurisdictionem habent, illaesis manentibus Ordinariorum iuribus, veluti manu ducantur, ut solo iurisdictionis in foro interno sibi competentis usu, sine ullo iurisdictionis alienae attentatu, lapsos ad bonam frugem revocare, scandalum arcere, sancta sancte ministrare, et Ecclesiae bono, quantum in ipsis est, consulere possint ac valeant. Ecclesiae itaque ministris haec eadem erunt communicanda, ut eam tamquam regulam in Sacramentorum administratione sequantur.

Inductae quaedam casuum reservationes revocandae.

Quoniam vero minor fructus sperari potest ab eorum ministerio, si in tam dissitis regionibus, in tam exiguo ministrorum numero, in tantis temporum angustiis, tantisque ex persecutione ipsa impedimentis, nova casuum reservatione, arctioribus eorum iurisdictio circumscribatur limitibus, ideo Ecclesiae bonum postulat ne plures nunc casus reserventur, quam canonica lex praescribit, et vetus postulat con-

suetudo. Quare reservationes noviter indictae erunt omnino revocandae.

De frequenti ad ss. Communionem accessu.

Quoniam vero Sacrosanctum Concilium (Tridentinum) id optandum proponit (sess. 22, c. 6), « ut in singulis Missis fideles adstantes.. « sacramentali etiam Eucharistiae perceptione « communicarent », ac fideles ipsos hortatur eam vitam agere (sess. 13, c. 8) ut panem illum supersubstantialem *frequenter* suscipere possint, hinc nihil magis esset optandum, quam ut fideles frequenter sacrae Eucharistiae participes fierent, atque isthic praesertim, ut iis ad persecutiones ferendas vires sufficiant. Hoc supersubstantiali pane primis Ecclesiae saeculis Christi athletae quotidie roborabantur; de hoc quovis die Dominico etiam agricolae participabant, teste Iustino (Apol. 2), aetatis suae mores describente. « Solis, qui dicitur, die « (seu Dominico) omnium qui vel in oppidis, « vel ruri degunt conventus fit in eumdem lo- « cum... Precibus absolutis, panis affertur et « vinum et aqua... et cuique praesenti fit dis- « tributio eorum in quibus gratiae sunt actae, « eisque quisque communicat; absentibus au- « tem per diaconos mittitur ». Non itaque a sacra Communione arcendi, sed excitandi sunt christiani, ut Confessionis Sacramento frequenter se ad sacram Communionem disponant. Sacrorum sit ministrorum probare uniuscuiusque spiritum, sanare infirmos, debiles confirmare, ut ad sacram mensam probati accedant. Pateat cuique quam maxime potest ad probatos sacerdotes accessus. Regulae et consuetudines, si quae iam introductae fuerunt, hisce Ecclesiae desideriis contrariae prorsus abrogentur.

724

Spolii iura S. Congregationi de Propag. Fide addicuntur.

Ex Motu proprio Pii PP. VII *19 Iunii 1817.* — Spolii iura eodem modo et forma quibus nunc ad Cameram Apostolicam pertinent, Congregationi de Propaganda Fide ad Nostrum et Successorum nostrorum beneplacitum addicimus, incorporamus, applicamus cum eodemmet privilegio manus regiae aliisque omnibus fiscalibus iuribus et privilegiis, quibus in eorum Spoliorum exactione usque adhuc Camera Apostolica gavisa est et gaudet, ita ut eadem Congregatio in Camerae Apostolicae locum ad libitum nostrum et Successorum nostrorum, ut praemisimus, ad omnes et quoscumque iuris effectus subrogata et suffecta omnino censeatur. Excipimus autem ab hac applicatione, ac favore Nostrae Camerae perpetuo reservamus tum hereditates quarumcumque personarum decedentium ab intestato absque legitimis heredibus, aliaque bona vacantia, tum bona, iura et actiones quascumque ad eamdem Cameram Apostolicam vel iam delatas, vel imposterum deferendas per suppressionem, siqua fortasse eveniret, quorumcumque Episcopatuum, Abbatiarum, Cappellaniarum, et aliorum quorumcumque beneficiorum. Excipimus autem bona Abbatiae Trium Fontium, quorum administrationem, durante illius vacatione, prosequi volumus ut antea, per dilectum filium Thesaurarium nostrum generalem, eiusque successores ad nostrum et huius S. Sedis arbitrium.

725

De nuptiali benedictione accipienda.

Ex Instr. S. C. S. Off. *6 Iulii 1817* (AD PRAEF. MISSION. MARTINICAE, GUADALUPAE etc.). — In medium afferemus (circa clandestinitatis impedimentum) concordem theologorum, canonistarumque opinionem, multiplices S. C. Concilii resolutiones, recentem denique Pii f. r. Papae VI decisionem, in eius epistola in forma Brevis, Episcopo Lucionensi in Galliis directa die 28 Maii 1793 quae incipit *Perlectae sunt* § 3, in quibus ponitur legem tridentinam, quoad suum effectum, suspensam remanere etiam quoad illa loca, in quibus fuit publicata, atque in observantia servata, quoties aut non amplius observari potest, aut non potest observari quia pericula et obstacula insuperabilia, aut superatu difficilia offendantur: idque accidit quando aut parochi desunt, aut facilis ad eosdem, et tutus non patet accessus.

Hisce tamen in casibus coniugatorum dispositio se praesentandi, cum primum licuerit, proprio parocho, seu vices eius obtinenti, ut nuptialem benedictionem consequantur, laudari meretur, non quidem ea de causa, quod haec pro validitate ipsorum matrimonii, iam valide in eius absentia contracti, necessaria sit, sed potius, ut gratias et peculiaria auxilia sacro huic ritui adnexa, consequantur, atque, statim ac valent, eoque modo quo valent, satisfaciant Ecclesiae praecepto, implorandi a proprio sacerdote earum nuptiarum benedictionem quae sine ipso iam antea initae valide fuerunt.

Neque supervacaneum erit hic memorare etiam ante Tridentini irrita matrimonia clandestina reddentis Decretum, matrimoniorum sine parocho et testibus celebrationem illicitam atque peccato obnoxiam fuisse. Id enim perspicue non solum ex ipso Tridentini Decreto (de reform. Matrim. Sess. XXIV) colligitur, verum etiam a quamplurimis piorum Patrum Ecclesiaeque Doctorum testimoniis, a quibusdam Conciliorum generalium, provincialiumque sanctionibus, atque ab illis praesertim Conciliorum Lateranensium III et IV, nec non Londinensis, et Toletani (1); a responsis Nicolai I ad consulta Bulgarorum etc. Quamobrem illis in locis, ad quae Tridentini lex haud extenditur, seu quia minime publicata fuerit, aut in

(1) Apud Drouen *De re sacramentaria.*

desuetudinem abierit, vel quod observatu impossibilis aut difficilis fuerit, matrimonium quidem, non servata conciliari forma, irritum et nullum non est, illicitum tamen atque culpabile erit ob actualem Ecclesiae legis (quando haec facile servari potest) violationem, aut ob actualem ad eam violandam comparationem, respectu ad eos, qui ipsius observandae, ubi opportunitas aderit, animum minime habent.

Hinc factum est, ut S. haec Congregatio in Instructione quam anno 1780 ad Vicarium Apostolicum Sutchuensem transmisit, dum consensus renovationem ante proprium sacerdotem haud necessarium esse declaravit, quoties matrimonium extra eius praesentiam valide contractum fuisset, simul tamen adiecerit « voluisse Sanctitatem Suam adhortandos esse fideles ut missionario reduci se sistant, ab eoque benedictionem petant, praevia tamen declaratione a missionario facienda, benedictionem huiusmodi ad matrimonii validitatem neutiquam pertinere ».

Non itaque fundamento caret opinio P. Francisci a Brenno (1), qui eos haud absolutionis capaces esse propugnat qui nuptias coram parocho, ad accipiendam ab ipso nuptialem benedictionem, inire recusant, licet sine illo, illiusque benedictione valide contrahere valeant, adeoque tali pacto se prave ad recipiendam sacramentalem absolutionem dispositos ostendunt ob eam, quam gerunt, minime obtemperandi Ecclesiae voluntati, et quidem, ut ille ait, *in re gravissima;* unde concludit: « Nolentes autem Ecclesiae obtemperare, nedum sacramentali absolutione incapaces sunt, utpote prava affecti voluntate, verum etiam, ut ethnici et publicani ab Ecclesia merentur omnino repelli, iuxta Christi Domini oraculum Matth. 18 ». Atque de his satis.

De divortio.

Catholica nunc super divortio, super legis illud inducentis auctore, ac super iudicibus illud exequentibus, vel exequi facientibus, principia constituere necesse est.

Divortium omne, dissolutionem coniugalis vinculi legitime contracti et confirmati, inter christianos adhuc viventes, importans, aliud non est quam ingens attentatio, sin contra ius naturale (de quo scholastici inter se disputant), ast profecto contra ius divinum positivum scriptum, sicuti perspicue S. Tridentinum Concilium ostendit, (sess. 24 Doctr. de Sacr. Matr.) atque fuse evincit Benedictus XIV *de Synodo Dioec. lib. XIII cap. 22 § 3, et seqq.* Quapropter legum latio omnis, talem confirmans, ac dirigens attentationem, irrita et nulla suapte natura est, violentia potius quam lex est (D. Th. 1–2^{ae}, quaest. 46, a. 4), immo corruptio legis est, cum supra rem divina institutione mere sacram, adeoque superiorem, uti talem, et ab omni terrena potestate evadentem versetur: quae insuper manifesto divinae opponitur legi, cui omnis humana potestas flecti, atque cedere debet; quo fit, ut non minus legislator, a quo huiusmodi corruptio procedit, quam iudex, qui eidem famulatur, eamque ad peculiares casus applicat, atque eius promovet executionem, rei auctoritatis praeter fas usurpatae primo existant: quod idem est ac mortaliter peccare, priorem quidem *usurpatione potestatis*, alterum vero *usurpatione iudicii;* (Leonard. Lessius *de Iust. et Iur.* Duben *Lib. 2 Cap. 29 p. 288*). Uterque pariter gravissimi scandali noxam incurrit, dum pharisaeorum exemplo, atque « in re maioris longe momenti, irritum faciunt praeceptum Dei, ut traditionem eorum servent ». (Marc. VII, 9; Matth. XV, 3). Immo id etiam sibi sumunt, ut divino effato: *Quod Deus coniunxit homo non separet* contrarium substituant statutum: « Quos homo separavit, neque Deus, neque Ecclesia reconiungat » uti ab articulo 295 codicis superius citati habetur. Uterque denique exitiosorum omnium consectariorum particeps reperitur, quae ab huiusmodi nefaria legum latione necessario fluunt.

Contra abusum distinctionis inter matrimonii contractum et sacramentum.

Iam vero dum criminationes istas omnes a se removere contendunt abusu tritissimae distinctionis contractus matrimonii, et sacramenti Matrimonii, perinde ac si valor, consistentia, et duratio illius, e contra ac istius, saeculari potestati per modum regulae, atque pleno iure subdatur, augent profecto, non auferunt culpam, dum haeresim in subsidium impietatis advocant. Dogma fidei est, in Tridentino Concilio contra luteranos definitum, Matrimonium vere et proprie unum esse e septem legis evangelicae sacramentis a D. N. Iesu Christo institutum: « Si quis (Sess. XXIV, Can. I) dixerit « Matrimonium non esse vere et proprie unum « ex septem legis Evangelicae sacramentis a « Christo Domino institutum, anathema sit ». Haeresis igitur est, sacramentum Matrimonii a matrimonii contractu *per modum regulae,* et absolute seiungere, perinde ac si contractus essentiam atque substantiam Sacramenti minime divinae institutionis vi ingrediatur, neque aliud Matrimonii sacramentum esse reperiatur, nisi qualitas contractui supernatans, aut corona pictam tabulam, cui extranea est, circum ornans. Quapropter D. Thomas pluribus in locis, modo se digno, catholicam doctrinam hac de re declarans concludit: « Matrimonium « igitur secundum quod consistit in coniunctione maris et foeminae, intendentium prolem « ad Dei cultum procreare et educare, est Ecclesiae sacramentum ». (Lib. IV contra gent., c. 78). Alibi autem affirmat, quod ex coniunctione maris et foeminae, explicito ipsorum mediante consensu « efficitur vinculum, seu nexus

(1) Manual. Miss. *lib. 13,* cap. v, quaest. 19 § 4.

quidam qui est sacramentum Matrimonii ». (In 4 Sent. dist. 28 a. 3 ad 2). Matrimonium igitur ideo sacramentum est, quia contractus et ad substantiam pertinet, et definitionem ingreditur sacramenti: atque hoc dogma catholicum est. Quamvis autem quispiam ponere velit, aliquod inter fideles matrimonium sacramentum non esse posse, semper tamen erit de fide, minime inter fideles Matrimonii sacramentum reperiri, quod super contractu essentialiter haud aedificetur; nempe in lege evangelica matrimonii contractum esse posse, quod non sit sacramentum; Matrimonii tamen sacramentum esse non posse, in quo contractus ipse non sit sacramentum. Atque hoc dogma est, in citato Tridentini contentum canone: « Si quis dixerit Matrimo-« nium non esse vere et proprie unum ex septem « legis evangelicae sacramentis etc ». Haeresis igitur, ut iterum dicam, est, asserere in lege evangelica contractum matrimonii regulariter et essentialiter e matrimonii sacramento secerni, et sacramentum non aliud esse, nisi contractus ornatum, qui ad valorem ipsius atque consistentiam indifferens sit seu extraneus.

Fidei pariter dogma est aeque in Tridentino Concilio definitum Ecclesiam, ultra consanguinitatis et affinitatis gradus in Levitico expressos, valuisse alios gradus matrimonium contrahendum impedientes, et contractum dirimentes constituere; alia impedimenta matrimonium dirimentia constituere valuisse, in iisque constituendis non erravisse; causas denique matrimoniales ad iudices ecclesiasticos spectare: « Si quis dixerit, ait S. Concilium (sess. XXIV « Can. III, IV, et XII) eos tantum consanguini-« nitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico « exprimuntur posse impedire matrimonium « contrahendum, et dirimere contractum, nec « posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispen-« sare, nec constituere ut plures impediant, « et dirimant, anathema sit. — Si quis di-« xerit, Ecclesiam non potuisse constituere im-« pedimenta matrimonium dirimentia, vel in « iis constituendis errasse, anathema sit. — Si « quis dixerit, causas matrimoniales non spe-« ctare ad iudices ecclesiasticos anathema sit ».

In hisce porro tribus Canonibus, qui dogmatici sunt, cognoscitur in Ecclesia vera et propria super matrimonii contractu potestas. Constituendorum enim impedimentorum dirimentium, eorumque dispensandorum potestas potestatem suapte natura importat sive auferendi, sive impartiendi matrimoniali contractui vim, atque valorem; item contrahentes sive habiles, sive inhabiles ad illud valide ineundum reddendi. Iurisdictio autem in causis matrimonialibus facultatem importat de contractu ipso iudicandi, de ipsius nempe valore, consistentia, duratione; cum causae et sententiae matrimoniales in hisce potissimum versentur. De fide igitur est, Ecclesiam divina institutione super fidelium matrimoniali contractu veram et propriam potestatem habere, non vero tantummodo super sacramento, seu super sola sacra caeremonia, qua contractui benedicit, eumdemque sanctificat, uti neoterici quidam contendunt, qui propterea in novam haeresim incidunt.

Addemus postremo, ex huiusmodi quorumdam modernorum legumlatorum systemate semel admisso, atque ex constituto, tamquam aequo ac legitimo, duplici contractus et sacramenti Matrimonii respectu, ut prior saeculari, alter vero ecclesiasticae potestati subdatur: ex huiusmodi, inquam, systemate id consequi, ut evangelicae legis matrimonium, gratia a Iesu Christo per suam passionem acquisita sanctificatum, perfectum, atque ad magni sacramenti Ecclesiae dignitatem evectum, eodem simul tempore, divina dispositione, contradictoriis legum lationibus obiiceretur, atque perpetuo inter duas diversas potestates bello conflictaretur, dum id altera tuetur, quod ab altera irritum redditur; illa contemptui habet ac punit id cui ista benedicit, atque sanctificationem adhibet; illa civiles concedit effectus ei, quem ista ad civiles atque spirituales effectus inhabilem reddit; quae hinc inde iure meritoque fierent atque congruenter nativis, divinis, humanisque iuribus, quibus praescribi nequit; quae quidem omnia simul sumpta immane haeresum blasphemiarumque cumulum conficiunt.

Circa iudices matrimonia dissolventes.

Quaeris quomodo tam pro externo, quam pro interno te gerere debeas etiam respectu ad iudices officialesque civiles, qui suismet sententiis, seu declarationibus matrimonia legitime contracta dissolvunt. — Haec una praesentibus in circumstantiis, quousque vi coactiva destituaris, quoad forum externum, tibi regula praescribetur, ut prudentia atque zelo utaris pro opportunitate, atque, nisi maiorum malorum pericula praevideri debeant, ut arguas, obsecres, increpes in omni patientia et doctrina. Quoad forum vero internum hosce iudices, eorumque complices ab incursis censuris absolvere poteris, ubi ad tuos pedes se sistant in poenitentiae tribunali, atque admissarum culparum, et scandalorum, quibus offendiculo fuerunt, vere compunctionem cordis praeseferant. Nisi autem prius serio promittant se officia huiusmodi dimissuros, quae impiae legumlationi innituntur, iuxta quam *iuste atque recte iudicare* haud possibile est, eos omnino absolutionis indignos debebis iudicare.

726

Quae Missa celebranda in concurrentia matrimonii et funeris.

S. C. de Prop. F. *3 Sept. 1817.* (C. G.) — Quebec — An concurrente eadem die matrimonii celebratione ac defuncti funere, quae duo ad alium diem differri non possunt, praestet potius Missam celebrare pro sponsis, vel pro

mortuo, benedictione nuptiali sponsis absque Missa impertita.

R. In proposita concurrentia Missam pro sepeliendo defuncto esse celebrandam.

727

An liceat haereticorum funeribus interesse et templa adire.

S. C. S. Off. *13 Ian. 1818.* — KENTUKY — 1. An liceat interesse haereticorum funeralibus et sepulturae.

2. An liceat catholicis adire templa haereticorum.

R. ad 1. Licere quotiescumque agatur de assistentia materiali praestita civilis officii causa a qua eximi nequeant catholici sine gravi damno vel periculo, dummodo nullo modo communicent in eorum ritibus et sacris caeremoniis quibuscumque.

Ne autem in praxi temere permittatur periculosa consuetudo adsistendi haereticorum funeralibus et sepulturae, inspiciat Episcopus serioque perpendat num facile ea tolli possit quin exinde oriantur odia et inimicitiae haereticos inter et catholicos, unde aliquod grave damnum catholicis sit pertimescendum. Quod si pacifice ea tolli nequeat, sedulo instruendi sunt catholici quibus conditionibus, quibuscumque in circumstantiis permittatur. Nimirum permittitur ut dictum est: 1. Sola praesentia materialis praestita civilis officii causa: ea igitur conditione ut catholici nullum se actum religionis ac religiosi cultus et ritus praestare intendant. — Permittitur 2. in casu quo ab ea eximi nequeant sine gravi damno vel periculo; quae circumstantia non adest ubi quis nullum sibi damnum vel periculum alias imminere sciens, proprio lubitu et electione interesset, nullo adstrictus civilis officii debito. — 3. Permittitur denique ea conditione ut nullo modo communicent in sacris cum haereticis; igitur nec simul orare, neque se in eorum ritibus immiscere debent, nec luminaria deferre, neque pro defuncti anima suffragia persolvere.

Ad 2. Licere, si adeant merae curiositatis causa, absque ulla communicatione in sacris, in qua talis aditus communiter habeatur pro actu protestativo falsae religionis; quandoquidem sicuti profana aedificia, sic et templa haereticorum adire, est actus per se indifferens; qui non nisi a pravo fine, vel ex circumstantiis efficitur malus. Malus nimirum efficitur: — 1. Si quis ea adeat animo adsistendi sacris haereticorum functionibus; — 2. Vel etiam absque tali animo, si ingressus ipse in haereticorum ecclesias aliquam inferat vel inferre videatur cum eisdem haereticis in divinis communicationem, hinc et scandali occasionem praebeat; — 3. Aut si talis aditus indictus sit ab haeretico gubernio, tamquam protestatio eiusdem fidei ac religionis catholicos inter et acatholicos; — 4. Vel utrumque communiter habeatur veluti tessera unius eiusdemque communionis catholicorum et acatholicorum. — In his igitur casibus numquam licet catholicis adire haereticorum templa, quia numquam licet haereticorum sacris participare, nec propriam simulare fidem. Ubi vero haec omnia absint, et sola curiositate templa videndi moveantur, inculpate ea adire possunt.

728

Circa Missam votivam *pro sponso et sponsa.*

Decr. S. C. SS. Rit. *3 Martii 1818.* — Per generale decretum die 30 Decembris 1783 editum, et a fel. rec. Pio Papae VI confirmatum die 7 Ian. 1784, declaratum fuit, in celebratione nuptiarum quae fit extra Dominicam vel alium diem festum de praecepto, seu in quo occurrat dupl. primae vel secundae classis, etiamsi fiat Officium et Missa de festo dupl. per annum sive mai. sive min. dicendam esse Missam pro sponso et sponsa, in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignatam; in diebus vero Dominicis aliisque festis de praecepto ac duplicibus 1. vel 2. classis dicendam esse Missam de festo, cum commemoratione Missae pro sponso et sponsa. Verumtamen cum interea nonnulla excitata fuerint dubia circa rubricam in hac celebranda Missa servandam, et parochorum sensus sit varius, quippe quia aliqui, eidem Missae Hymnum Angelicum adiiciendum censent, cum v. *Ite Missa est* in fine, alii vero etiam Symbolum Nicaenum legendum putant, ea freti ratione quod haec Missa ceu solemnis et pro re gravi haberi debeat; ideo ad amputandas controversias et dubitationes, utque ab omnibus unus idemque conveniens ritus servetur, Sacra Rituum Congregatio... re mature discussa, declaravit (firma remanente dispositione praefati decreti quoad designationem dierum quibus Missa votiva pro sponso et sponsa celebrari potest) eamdem esse votivam privatam, proindeque semper legendam sine Hymno Angelico et Symbolo Nicaeno, cum tribus orationibus, prima videlicet eiusdem Missae votivae propria, ut habetur in fine Missalis, 2. et 3. diei currentis, ut in Rubrica *Tit VII. num. 3. De Commemorat.*, et cum *Benedicamus Domino* in fine, et ultimo Evangelio S. Ioannis. Et ita decrevit. Die 28 Februarii 1818.

Facta autem... relatione Sanctissimo Dño N. Pio VII Pont. Max. Sanctitas Sua praefatum decretum approbavit, confirmavit, mandavitque praelo tradi, et publici iuris fieri. Die 3 Martii 1818.

729

Circa preces pro defunctis apostatis vel impoenitentibus.

S. C. de Prop. F. *3 Aug. 1818* (C. G.). — Se possa tollerarsi che si facciano de' conviti, nei quali i convitati recitino delle preci in suffragio di quelli, che sono morti impenitenti o apostati dalla fede cattolica.

R. Negative quoad eos qui, patratis publicis concubinatus, apostasiae, venditionis filiarum mahumetanis, aliisque huius generis delictis, sine ullo praestito resipiscentiae signo, (mortui sunt). Curent vero, quoad poterunt, missionarii, consuetudinem de qua agitur divellere utpote periculosam, atque ab Ecclesiae usu abhorrentem. Et fideles instruantur super modo suffragandi animas defunctorum, quem tenet atque approbat S. Mater Ecclesia.

730

De Episcoporum titularium privilegiis quoad Missae celebrationem.

S. R. C. *25 Aug. 1818.* — Quum non una eademque sit auctorum omnino sententia de privilegiis quibus Episcopi titulares gaudent, praesertim relate ad Missae celebrationem, dum in propria vel aliena dioecesi peragrantur; ad quascumque eliminandas dubitationes, sequentia dubia in ordinario Conventu Sacrorum Rituum, Emis et Rmis Patribus enucleanda, proposita sunt; nimirum:

1. An Episcopus titularis, absque speciali rescripto, possit aram portatilem ubicumque erigere, quamvis domi suae habitationis consanguinei indulto oratorii privati gaudent?

2. An praeter Missam quam ipse celebrat, alias Missas celebrari permittere possit?

3. An Missa, quam ipse sic celebrat vel celebrare facit, valeat ad satisfactionem praecepti, non tantum suis consanguineis domi habitantibus, et familiaribus qui ipsi inserviunt, quamvis tempore Missae actu non necessarii, sed etiam familiaribus suorum consanguineorum secum habitantium?

4. An ipse possit Missam celebrare et celebrari facere diebus qui excipi solent in indulto Apostolico oratorii privati?

5. An Episcopus, praeter Missam a se celebratam, aliam permittere valeat, si consanguinei indultum oratorii privati habentes Missam celebrari fecerint?

Et Sacra Rituum Congregatio, audito prius altero ex Caeremoniarum Apostolicarum Magistris, qui suam scripto sententiam reddidit typisque evulgavit, ac referente Emo et Rmo Domino Cardinali Mattei, loco Emi et Rmi Domini Cardinalis Iulii Mariae de Somalia Praefecti et Ponentis absentis, respondendum censuit:

Ad 1. Affirmative; verum consulendum Sanctissimo pro extensione privilegii, videlicet, quod Episcopi in casibus a iure permissis hospitantes domi vel parentum vel extraneorum, qui gaudent indulto oratorii domestici, possint et valeant in eodem celebrare vel celebrare facere, loco et vice arae portatilis, quam tantum extra propriam dioecesim indulget Bonifacius VIII cap. *Quoniam Episcopi,* De Privilegiis in 6, servata in reliquis forma decreti s. m. Clementis XI, iuxta tamen posteriores declarationes s. m. Innocentii XIII et Concilii Romani sub Benedicto XIII, Tit. 15, Cap. 3 (1).

Ad 2. Negative; verum consulendum Sanctissimo pro extensione privilegiorum quoad unicam Missam, quam, propria celebrata, Episcopi solent audire.

Ad 3. Affirmative, quoad familiares dumtaxat eidem Episcopo actu necessarios; Negative, quoad reliquos.

Ad 4. Affirmative.

Ad 5. Iam provisum in primo atque secundo. — Die 22 Augusti 1818.

Facta autem relatione de praemissis SSmo Domino Nostro Pio VII Pont. Max., Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa adprobavit, confirmavit et extensionem privilegii, ut in responsione ad primum et secundum ex propositis dubiis, indulsit: contrariis non obstantibus. Die 25 eiusdem mensis et anni.

731

De facultate dispensandi a recitatione prophetiarum in Sabato Sancto.

S. C. de Prop. Fide *30 Aug. 1818.* — *(Ex Aud. SSmi).* Quum R. P. D. Vicarius Ap. Siami et Quaedae humiliter supplicaverit pro uno sacerdote indigena, ut posset omittere recitationem Prophetiarum Sabbati Sancti propter difficultatem legendi, et possint cantari Litaniae Sanctorum lingua vernacula, deficientibus qui possint cantare latine, quumque laudatus Episcopus eamdem facultatem generatim pro omnibus indigenis sacerdotibus seu Vicariatus supplex expostulaverit, SSmus... exclusa petitione pro Litaniis cantandis vernacula lingua, in reliquis benigne concessit uni tantum laudato Vi-

(1) Clemens XI decrevit (15 Dec. 1703): « Episcopis, et his maioribus Praelatis, etiam Cardinalatus « dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii « clausi in corpore iuris, neque alio quoque titulo, « nullo modo licere extra domum propriae habitatio- « nis, in domibus laicis, etiam in propria dioecesi, « quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi Dioecesani « consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacro- « sanctum Missae sacrificium celebrare, sive celebrari « facere ».

Innocentius XIII (23 Maii 1725) declaravit « quod « cum in praedicto decreto (Clementis XI) statuatur, « non licere Episcopis extra domum propriae habita- « tionis, in domibus laicis erigere altare, ibique sacro- « sanctum Missae sacrificium celebrare seu celebrari « facere, huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de « domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte « occasione visitationis vel itineris hospitio excipian- « tur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a iure « permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia « absentes a domo propria ordinariae habitationis, mo- « ram idcirco faciant in aliena domo per modum si- « milis habitationis; his enim casibus licita iis erit « erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, « non secus ac in domo propriae ordinariae habita- « tionis ». Huiusmodi declarationem Benedictus XIII inseri iussit in *Concilio Romano* Tit. 15. cap. 3.

cario Ap. facultatem, ut valeat, non omnes sacerdotes indigenas Vicariatus Siamensis, sed toties quoties in casibus particularibus, dispensare a recitatione Prophetiarum in Sabbato Sancto, dummodo tamen concurrant circumstantiae, et ipse Vicarius Ap. conditiones adimpleat ut infra, nempe: 1. Vicarius Ap. uti poterit praedicta facultate, deficiente quolibet europaeo sacerdote, ubi Missa absque benedictione Fontis celebrari contigerit; 2. Et hoc quoque deficiente, dispensationem non indulgeat, nisi constet de gravissima ac pene insuperabili difficultate eadem Prophetias legendi latino idiomate; 3. Proinde Vicarius Ap. instare debet quam maxime, ut sacerdotes indigenae calleant solutam lectionem latinae linguae, ne ad hoc deveniat addiscendi segnities, ut hac dispensatione sit opus; 3. Denique hac facultate uti Vicarius ipse non poterit si cum Missa aliisque functionibus Sabbati Sancti coniuncta sit benedictio Fontis, quam praecedere debet recitatio Prophetiarum.

732

An quoddam vinum ex uvis sylvestribus adhiberi possit in Missa.

S. C. de Prop. Fide *1819* — Siam. — Sunt in Siamo vites sylvestres; uvae sunt mirae magnitudinis (vix credidissem nisi oculis propriis vidissem); potest unus racemus dare ad minus decem sagenas vini. Reperiuntur in una stipe viginti, triginta et amplius racemi. Primo tempore quo in Siamum (ego Vic. Ap.) perveneram, venerunt ad me duo iuvenes super humeros portantes duos istiusmodi racemos; cum multum expressissem, confeci undecim sagenas vini; residuum proieci. Non multum quidem confidebam tali experientiae. Post octo et decem annos, volens gustare de ultima sagena, inveni colorem, odorem et saporem bonum; cum autem defunctus Episcopus noster diceret non esse vites veras, non poteram mordicus contradicere, licet assentiri ipsi non possem. Solam quam invenio differentiam, haec est, quod scilicet grana seu semina uvarum siamensium sunt multo maiora, et alterius formae quam europaearum; sunt eiusdem figurae et formae, eiusdem magnitudinis, ac grana caffaei; fermentatio fit optime per plures dies. Miserunt ad me, hoc anno, viginti sagenas; sumpsi partim propter stomachum et frequentes infirmitates meas, partim dedi libere aliis infirmis, et profuit nobis. Quia vero non maturescunt propter defectum solis, debet immisceri saccharum, quod forte etiam necessarium est ad diutius conservandum. Inveniuntur tamen quibusdam in locis, quae ex se sunt dulces. Enixe peto decisionem, utrum tali vino possimus uti in celebratione Missae.

R. Ex hactenus deductis, non constare liquorem de quo agitur esse verum vinum; ideoque non licere eo uti in sacrificio Missae, donec aliter fuerit iudicatum.

733

An liciti quidam census reales.

S. C. de Prop. F. *20 Febr. 1819* (C. P. pro Sin.) — Exorta controversia Macai apud Sinas, utrum forent liciti census reales qui ab ecclesiasticis viris in illis regionibus fieri consueverunt, quorum censuum fructus sunt decem pro quolibet centenario et anno, Sacra Congr., attento quod (sicuti relatum est) census de quibus controvertitur sint vere reales, nihilque habeant commune cum personalibus, ita ut si praedia, aut domus, in quibus census nominatim fundatur, casu aliquo et sine censuatarii culpa, vel pereant omnino, vel ex parte minuantur, census ipsi, aut in parte, aut in toto extinguantur, adhibita tantummodo ab emptoribus censuum ea cautione, ut nempe medietatem circiter valoris eorumdem censuum ponant super praedictis domibus aut praediis, ad evitandam videlicet omnem fraudem ex parte venditoris seu censuatarii, atque ut illum adigant ad conservandos fundos censibus oneratos; attento insuper, quod in praedictis censibus nulla appareat species mutui, quandoquidem in ipso publico instrumento census declaratur expresse quod census sit perpetuus et irredimibilis ex parte emptoris, redimibilis vero ex parte venditoris, Sacra Congregatio censuit ac decrevit ut sequitur: Renovata, si opus est, prohibitione pro ecclesiasticis cuiuscumque negotiationis lucrativae et quaestuosae, census reales et irredimibiles, de quibus supra, non esse improbandos, neque obstare fructus annuos eorumdem esse decem pro quolibet centenario et anno, dummodo taxa huiusmodi fructuum sit communis in locis ubi similes contractus fiunt, et penes tribunalia civilia admittatur.

734

Circa dispensationem ab abstinentia in Quadragesima quoad non ieiunantes.

S. Poenit. Ap. *24 Febr. 1819.* — Se coloro che non sono tenuti al digiuno possano nella Quaresima, quando vi è indulto, usare dei cibi permessi dall'indulto medesimo, tutte le volte che mangiano.

R. Sacra Poen. de mandato SSmi respondit: Fideles qui ratione aetatis vel laboris ieiunare non tenentur, licite possunt in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis vesci carnibus et lacticiniis quoties per diem edunt.

735

Corporalia, pallae, amictus etc. ex lino vel cannabe conficienda.

S. R. C. *18 Maii 1819.* — Quamvis S. R. C. in una Pisauren. sub die 15 martii 1664, reprobaverit morem, qui forte alicubi obtinuerat, conficiendi amictus, albas, tobaleas altarium, nec non corporalia et pallas ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo, nihilominus novissimis temporibus adeo invaluit

abusus, ut, constanti Ecclesiae disciplina posthabita, nonnullis in ecclesiis non alia adhibeantur supellectilia, vel ad sacrificandum, vel ad altarium usum, nisi ex simplici gossipio confecta. Ad hanc corruptelam, quam bene multi consuetudinis nomine cohonestare nituntur, radicitus evellendam, studia converterunt EE. et RR. DD. Cardd. sacris tuendis Ritibus praepositi. Solliciti idcirco, ut quod usque ab Ecclesiae primordiis, quoad sacra indumenta et supellectilia, ob reales et mysticas significationes inductum est, retineatur, restituatur et in posterum omnino servetur, declararunt et decreverunt: « Ab antiquo more, sub quolibet praetextu colore ac titulo, non esse recedendum, et eadem sacra indumenta ac supellectilia conficienda esse ex lino aut cannabe, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem aemulante et aequante. Aliqua tamen indulgentia utentes, permiserunt ut amictus, albae, tobaleae, mappulae, si quae ex gossipio habentur, adhiberi interea possint usque dum consummentur; sed, cum huiusmodi supellectilia renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, praeceperunt. Districte vero iusserunt ut corporalia, pallae ac purificatoria, post lapsum unius mensis a praesentis decreti publicatione, linea omnino sint vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu, quae ex gossipio supererunt ». Et ita decreverunt, ac ubique locorum, si SSmo D. N. placuerit, servari mandarunt. — SSmus decretum S. C. approbavit confirmavitque, typisque editum publicari praecepit; ac praeterea iussit ut locorum Ordinarii eiusdem observantiae sedulo incumbant.

736

Circa restrictionem: *in matrimoniis contractis*, in facultatibus dispensandi.

Ex Instr. S.C.S. Officii *Aug. 1819* — SURINAM — Unam ex facultatibus sibi a S. Sede concessis, aiebat Praefectus, esse facultatem *dispensandi super impedimento disparitatis cultus in matrimoniis contractis*. Stante hac restrictione facultatis *ad matrimonia contracta*, dubitabat: — 1. An ea uti posset quando inter baptizatos et infideles matrimonia ita erant contracta ut mulieres contraherent quidem *pro semper*, non autem viri; sed postmodum vellent isti cum illis perpetuo contrahere. – 2. An quando neophytus mulierem infidelem quam, iam baptizatus, ideoque nulliter duxerat, deseruerit, et alteri infideli nupserit, renuente prima converti, altera vero etiam baptismum suscipiente, possit dispensare ut cum hac secunda permaneat.

Matrimonia in expositione casuum recensita quamvis *de iure* non sint matrimonia legitima, *de facto* tamen matrimonia contracta dicuntur, ad quae extenditur concessa facultas dispensandi. Hinc S. Congregatio respondit propositis dubiis: *Affirmative*. – Quoniam vero probe novit, dispensationem sine legitimis causis dilatam non dispensationem esse, sed dissipationem, et citra culpam sine causa dispensare non posse cognoscit, vult ut dispensaturus consideret utrum ex matrimonio de quo agitur sperari probabiliter possit religionis bonum, christiana educatio sobolis nasciturae, et partis infidelis conversio; an potius probabiliter timendum de subversione in Fide partis fidelis, de prava prolis educatione, et de iniuria in Creatorem, ut inde licite concessa dispensandi facultate uti possit.

Exponebat etiam esse in illis partibus plures baptizatas mulieres quae sunt servae et mancipia hebraeorum. Has plerumque in talibus circumstantiis esse aiebat, ut nequeant se subducere e dominorum potestate: subdebat inde, dominos velle eas in uxores ducere, et ad intentum ipsis clam perpetuam fidem in coniugio se servaturos permittere.

Hac narratione praemissa, sciscitabatur utrum in his casibus super impedimento disparitatis cultus possit dispensare.

Ex simplici casus expositione apparet matrimonia, de quibus loquitur, non esse ullo modo contracta sed contrahenda: quare ad dispensandum in ipsis super disparitate cultus supra recensita facultas non extenditur. Nec ob impossibilitatem se subducendi e potestate dominorum, in qua sunt servae, nec ob firmas promissiones dominorum de nunquam servis deserendis putare debet facultatem sibi factam dispensandi in matrimoniis contractis extendi posse et ad ea de quibus loquitur: nam nec impossibilitas, in qua sunt servae, nec promissiones quas faciunt domini, potestatem concessam ampliant, et ultra statutos limites extendunt. In hisce itaque et consimilibus casibus necessaria est facultas dispensandi etiam in matrimoniis contrahendis a S. Sede impetranda.

737

De pontificalium exercitio in aliena dioecesi.

Decr. S. C. de Prop. Fide *14 Aug. 1819* — Ad coercendum abusum qui in locis Missionum iamdudum irrepserat, ut scilicet nonnulli Praesules deserentes sub aliquo obtentu Ecclesias, seu Vicariatus suos, episcopalia munia in alienis Dioecesibus, seu Vicariatibus exercerent, S. Congregatio accedente Summi Pontificis auctoritate, decrevit die 28 Martii 1651 ac denuo sub die 26 Iulii 1662, ac 17 Iunii 1715 ne ullo modo liceret Episcopis, seu Apostolicis Vicariis in aliena dioecesi, seu districtu, etiam de consensu Ordinarii, pontificalia munia peragere, sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, ac Romano Pontifici reservatae. Cum autem compertum fuerit, generalem hanc inhibitionem maximo saepe incommodo, et detrimento esse, praesertim cum aliquis Antistes ob

adversam valetudinem, vicinum aliquem Praesulem ad ea peragenda quae episcopalis sunt potestatis cogitur accersire, Emi Patres, referente Emo ac Rmo D. Card. Fontana Praef. censuerunt supplicandum SSmo pro eorumdem decretorum moderatione, ita ut quando rationabili causa, vel urgente necessitate Episcopi, seu Vicarii Apostolici ad alienas dioeceses seu Vicariatus se conferunt, possint sibi invicem communicare facultatem pontificalia exercendi, contrariis minime obstantibus praedictis decretis, dummodo tamen semper accedat Episcopi seu Vicarii loci consensus, inviolatumque de coetero maneat residentiae praeceptum.

Hanc autem S. C. sententiam SSmo D. N. Pio PP. VII. relatam in Audientia habita per R. P. D. Carolum Mariam Pedicini Secretarium die 8 Augusti 1819 Sanctitas Sua benigne adprobavit.

738

De scholarum catholicarum erectione.

Litt. encycl. S. C. de Prop. Fide *18 Sept. 1819.* (AD EPISCOPOS HIBERN.) Quod D. N. Iesus Christus iam praemonuerat, parabola usus agricolae, qui seminavit bonum semen in agro suo, cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici (Matth. 13, 24), id quidem nostris hisce temporibus in Hibernia praesertim, accidere non sine maximo rei catholicae detrimento videtur. Pervenit enim ad aures S. Congregationis, scholas *biblicae societatis* in tota fere Hibernia esse institutas, acatholicorum procerum opibus ac patrocinio suffultas, in quibus fuco charitatis rudes utriusque sexus adolescentes, praecipue vero ruricolae atque egeni, blanditiis, atque etiam muneribus praeceptorum illecti, mortifero pravarum doctrinarum veneno inficiuntur. Additur huiusmodi scholarum magistros esse methodistas, qui bibliis utuntur, a biblica societate Angliae redditis, erroribus refertis, alio nullo sibi proposito fine nisi seducendi iuvenes, et orthodoxae fidei veritates ex eorum animis penitus evellendi. Haec cum ita sint, Amplitudo Tua iam videt quanta sollicitudine, et studio pastoribus vigilandum est, ut gregem suum a luporum insidiis, qui veniunt in vestimentis ovium, sedulo tueantur. Si pastores obdormiunt, cito subrepet inimicus homo loliumque seret, cito zizania videbuntur in medio tritici succrescere, illudque operire. Quare necesse est omnem navare operam, ut adolescentes a lethalibus hisce scholis avocentur, et monere parentes, ut liberos suos in errorem duci minime patiantur. Ad vitandas autem adversariorum insidias nihil aptius esse videtur, quam catholicas erigere scholas in quibus pauperes et rustici bonis disciplinis instituantur. Deerit fortasse modus supplendi sumptibus? Addisci hic facile poterit ab ipsis heterodoxis, qui, ut accepimus, pro earumdem scholarum sustentatione hebdomadalem unius assis stipem a singulis de populo rogant. Quid vetat, ne idem catholici faciant? Hortamur igitur ac per viscera Dñi N. I. C. obsecramus Amplitudinem Tuam, ut eo maiori, quem arbitraberis modo, gregem tuum diligenter custodias ab iis, qui insidiose se immittunt in ovile Christi ut incautas oves abducant; et memor eorum, quae Petrus Apostolus iam praenunciavit, tradens, quod, *et in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis* (2 Petri 2, 1), omni cura des operam, ne orthodoxa iuventus ab his corrumpatur. Quod quidem facile te assecuturum spero, si catholicae scholae in tua dioecesi erigantur. Ac dum fore confido, ut Amplitudo Tua in re tanti momenti omnes animi vires adiiciat, ne scilicet bonum triticum zizaniis suffocetur, Deum O. M. precor etc.

739

De precibus pro rege acatholico.

S. C. S. Officii *23 Febr. 1820* — QUEBEC — 1. Ad Missam solemnem ecclesiarum dioecesis Quebecensis cantatur pro rege Angliae *Domine salvum fac regem,* et tum in ecclesiarum parochialium pronao (gallice *le prône*) tum in benedictionibus SSmi Sacramenti, ubi pro Papa et pro Episcopo, pro rege nominaliter oratur. Quaeritur an talis consuetudo arguenda sit communicationis vetitae cum haereticis.

De iuramento super bibliis haereticis.

2. Cum protestantes officiarii dominentur omnibus tribunalibus, curiis, doganis, publicisque gubernii tum civilibus tum militaribus officiis (gallice *les bureaux*) modusque iurandi apud eos sit tactus et osculum Bibliorum: ubique biblia haeretica praebentur tangenda et osculanda, solique clero concessum est ut iuret admovendo manum ad pectus. Hoc posito, quaeritur an fideles inquietandi sint de modo qui invaluit tangendi et osculandi huiusmodi biblia.

De admittendo viro acatholico ad pulsandum organum.

3. Deficiente catholico viro ad pulsandum organum in ecclesia quadam catholica, potestne temporarie ad istam functionem admitti musicus acatholicus?

R. Ad 1. In casu et circumstantiis de quibus agitur, esse locum dissimulationi et tolerantiae.

Ad 2. In casu et circumstantiis expositis respondendum esse negative, nempe non esse inquietandos.

Ad 3. Remoto scandalo, vel scandali periculo, affirmative.

740

De precibus alternatim recitatis quoad indulgentias.

S. C. Indulg. *29 Febr. 1820* — An recitans alternatim cum socio orationem cui applicatae sunt Indulgentiae v. g. coronam, vel salutationem angelicam dictam *Angelus Domini* possit lucrari Indulgentias huic orationi applicatas?

R. Affirmative. – SSmus approbavit.

741

Qua ex materia conficiendae coronae, cruces etc. ut benedicantur.

S. C. Indulg. *29 Febr. 1820* – URBIS ET ORBIS – In facultate concessa benedicendi coronas, rosaria, cruces, numismata etc., et iisdem applicandi Indulgentias, expresse dicitur, quod « ab huiusmodi benedictione Sanctitas Sua reiicit imagines sive impressas sive depictas, necnon cruces, crucifixos, parvas statuas, numismata, vulgo *medaglie* nuncupata, quae ex ferro, stanno, plumbo vel ex fragili materia facilisque consumptionis conficiuntur ». *Hinc dubia:*

1. An ab huiusmodi benedictione reiiciantur etiam coronae seu rosaria quae ex ferro, stanno, plumbo vel ex fragili alia materia facilisque consumptionis conficiuntur?

2. Specialiter, an possint applicari Indulgentiae coronis ex vitro seu crystallo confectis?

An uni coronae etc. possint diversae applicari indulgentiae.

3. An uni et eidem rei, puta, uni coronae possint applicari Indulgentiae diversae, v. g., Indulgentiae dictae Apostolicae, et Indulgentiae dictae S. Birgittae.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative, dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto.

Ad 3. Affirmative, dummodo ad eas lucrandas renoventur opera iniuncta iterabilia. – Sanctitas Sua votum S. Congregationis benigne approbavit.

742

Circa ciborum comestionem ad superstitiosas oblationes adhibitorum.

S. C. de Prop. Fide *20 Iunii 1820* (C. P. PRO SIN.) – TUNK. OCCID. – 1. Christiani filii aut famuli gentilium a quibus fiunt caeremoniae superstitiosae, aut operarii conductitii qui in eorumdem gentilium domibus, dum laborant, nutriuntur, possuntne cibos idolis progenitoribusve oblatos comedere, quando ipsis tales cibi ad solitam prandii aut coenae refectionem apponuntur, si separatim a gentilibus comedant, nec ulla prorsus ratione ciborum oblationi superstitiosae participaverint, praesertim facta etiam protestatione se talibus cibis uti tantummodo propter necessitatem, minime vero ad communicandum idololatrico sacrificio?

2. Mos est in Tunkino, ut quoties aliquis convivium solemne, sive pro defuncti alicuius funere, sive pro matrimonii celebratione, sive pro defunctorum progenitorum commemoratione, sive propter alium finem, aut civilem et honestum, aut superstitiosum et idololatricum, adornat, ipsius cognati, amici, vicini, aut clientes domum illius conveniant ad ei congratulandum aut testandum honorem et obsequium, aut munuscula offerenda; quod quidem ni praestarent, saepe saepius inimicitiae et iniustae contra eos vexationes inde nascerentur. Hoc posito, christiani, infidelium (a quibus superstitiosae fiunt oblationes) amici, cognati, inquilini vicini, vel clientes, possuntne, in tali circumstantia, eorum domos adire ad simile obsequium eis exhibendum, modo nullatenus praefatis oblationibus superstitiosis assistant, nec locum sacrificii et convivii ingrediantur, et in alia domus parte, aut etiam in domo vicina, seorsim a gentilibus excipiantur; praesertim si protestentur se obsequii, honoris et amicitiae causa tantummodo venire, nec ullam in iis quae fiunt superstitionibus partem habere velle? Iidem christiani possuntne cibos idolis vel progenitoribus oblatos manducare, vel in alio loco ac gentiles, vel in eodem loco, sed postquam, finita caeremonia, omnes convivae gentiles discessere?

3. Christiani, qui, dum iter habent, aut qui alicuius negotii causa fortuito divertunt ad aedes hominis infidelis, a quo superstitiosum convivium celebratur, possuntne escas oblatas illic comedere, servatis cautelis et conditionibus superius expressis?

4. Egeni qui ostiatim cibum comedunt, possuntne mendicandi causa accedere ad aedes gentilium, quos ipsi probe sciunt superstitiosa celebrare convivia? Possuntne etiam cibos idolis vel progenitoribus oblatos in modum eleemosynae sibi datos assumere et manducare?

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, secluso omni scandalo et concurrentibus adamussim expositis conditionibus; et ad mentem: Mens est, difficile admodum videri, quod secludi scandalum possit, ob magnam hominum multitudinem qui illuc conveniunt.

Ad 3. Affirmative, servatis cautelis et conditionibus expositis.

Ad 4. Ut ad 3; et pro maiori instructione transmittatur copia Instructionis iam datae iussu Benedicti XIV *(V. n. 386)*.

743

An renovanda aliquando coniugis infidelis interpellatio.

S. C. de Prop. F. *26 Iunii 1820* (C. P. PRO SIN.) – SUTCHUEN – Utrum dilato ex parte fidelis per notabile tempus matrimonio post interpellationem factam, vel post obtentam ab ea dispensationem, nova interpellatio, aut dispensatio nova necessaria sit. Et quatenus affirmative, quod temporis spatium intercedere debeat inter primam et secundam, aut interpellationem, aut ab ea dispensationem.

R. Negative, quatenus fuerit facta interpellatio; affirmative, post annum, in casu dispensationis obtentae ab initio.

744

De potestate Principum infidelium impedimenta matrimonium dirimentia constituendi.

S. C. de Prop. F. *26 Iunii 1820* (C. P. PRO SIN.) – TUNK. OCCID. – Vir infidelis qui cum muliere infideli matrimonium inierat, o-

missa quadam caeremonia, cuius omissio iuxta Tunkini regestas censetur matrimonii impedimentum dirimens, ab ea muliere discessit et aliam uxorem christianam duxit ; christianam ipse fidem amplectens, baptismum petit. Teneturne primam ab eo derelictam coniugem interpellare, an et ipsa Christi fidem profiteri, et cum eo redire velit, an saltem pacifice cum eo, et absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat ? Si christiana fieri, aut saltem cum praefato viro pacifice cohabitare consentiat illa mulier, teneturne ad illam redire ? Si cum priore hac coniuge, facta christiana, reconcilietur, et stet inter ambos verum ac legitimum matrimonium, debetne ab iis renovari consensus ? Uno verbo, impedimentum dirimens a Principe infideli sancitum, aut apud gentem infidelem antiqua et communi invectum consuetudine, redditne irrita et invalida matrimonia inter viros et mulieres infideles cum tali impedimento contracta ?

R. Esse nullum primum et secundum matrimonium; non esse hinc locum interpellationi, sed esse locum novo matrimonio, servatis servandis ; et detur instructio (1).

745

Utrum teneatur officialis investigare an inter merces sub hasta vendendas reperiantur libri exitiosi.

S. C. de Prop. F. *26 Iunii 1820* (C. P. pro Sin.) — Siam. — Est officialis christianus, cuius officium est praeesse quando merces sub hasta venduntur. Aliquando autem reperiuntur libri haereticorum aut alii obscena continentes; teneturne praedictus officialis investigare utrum sint tales libri nec ne ?

R. Officialem, de quo in casu, non teneri investigare an inter merces quae sub hasta venduntur reperiantur libri haereticorum aut alii obscena continentes. Quod si casu id agnoverit, possitque impedire ne pravi libri obveniant licitatoribus, qui ipsis sint abusuri id quidem praestet, cum quisque debet proximi peccatum impedire quando id commode potest, aut sine suo gravi damno.

746

De facultate Viaticum et Extremam Unctionem administrandi sine stola.

S. C. de Prop. F. *26 Iunii 1820* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — Se accordare ai missionarî la facoltà di amministrare il S. Viatico e l'Estrema Unzione senza cotta e stola, e col solo lume della lampada *ratione periculi,* senza obbligarli a consultare nei casi particolari il Vicario Apostolico.

R. Affirmative, addito quod ipsemet Vicarius Ap. communicet petitas facultates missionariis.

747

An queant catholici carnes quotidie ad mensam protestantium apponere.

S. C. de Prop. F. *26 Iunii 1820* (C. P. pro Sin.) — Siam — Plurimi de nostris tenentur emere vel coquere, aut apponere carnes omni die ad mensam protestantium. Si cogantur officium dimittere, nullam aliam artem

---

(1) Huiusmodi Instructio iussu S. Congregationis concinnata fuit a Rev. D. Aloisio Frezza Consultore (postea Cardinali) atque Eminorum PP. approbationi exhibita in Congregatione Particulari pro Sinis mense Septembri an. 1821 una cum quadam alia Instructione, et propositum dubium : « Se, oppure con quali modificazioni dar corso alle due istruzioni ecc. ». At responsio Emorum PP. desideratur in Actis. En autem tenor praefatae Instructionis : — Instructio super casu « matrimoniali S. Congregationi de Prop. Fide proposito a sacerdote... Eyot in Tunkini Occidentalis Regno « missionario. — Cum in literis tuis super quodam matrimoniali dubio huius S. Congregationis sententiam « exquireres, EEmi PP. censuerunt tuis votis ita satisfacere, ut opportuna simul instructione tibi significetur, quid his in rerum circumstantiis sentiendum sit. « Praestat tamen primo casum referre qui tuis postulationibus occasionem dedit ».

« — *Vir infidelis (sic enim exponebas) qui cum muliere infideli matrimonium inierat, omissa quadam caeremonia, cuius omissio iuxta Tunkinici regni leges censetur matrimonium dirimens, ab ea muliere discessit, et aliam uxorem christianam duxit ; christianam ipse fidem amplectens, baptismum petit* — » Quibus expositis sic requirebas :

« — *Tenetur ne primam ab eo derelictam coniugem interpellare, an et ipsa Christi fidem profiteri, et cum eo redire velit, an saltem pacifice cum eo, et absque Creatoris contumelia cohabitare ? Si consentiat illa mulier, teneturne ad eam redire ? Si cum priore hac coniuge, facta christiana reconcilietur, et stet inter ambos verum ac legitimum matrimonium, debetne ab iis renovari consensus ? Uno verbo impedimentum dirimens a Principe infideli sancitum, aut apud gentem infidelem antiqua et communi consuetudine invectum, redditne irrita et invalida matrimonia inter viros ac mulieres infideles cum tali impedimento contracta ?* —»

« Ut tuis igitur postulatis breviter simul et dilucide respondeatur, ab iis fas est exordiri, quae ultimo loco proponis ; nimirum num Princeps infidelis, aut antiqua consuetudo statuere possit inter subditos infideles impedimenta matrimonium dirimentia. Hac enim quaestione sublata, coeteris postulatis facilius patebit responsio. Scito tamen, dum haec requiris, quaestionem te instaurare iam ab anno 1786 eorum nomine, qui missionarii munere in his iisdem regionibus fungebantur, huic Sacrae Cong. propositam.

« Triplici itaque sub respectu matrimonium communi doctorum consensu considerari solet, nimirum ut officium naturae, officium communitatis, et Sacramentum ».

In quantum est officium naturae (verba sunt Doctoris Angelici S. Thomae Aquinatis *in 4, dist. 39, q. 1, art. 1, ad quartum*), *statuitur lege naturae ; in quantum est Sacramentum, statuitur iure divino ; in quantum est officium communitatis, statuitur iure civili, et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad matrimonium illegitima.*

« Si de matrimonio christianorum sermo instituere-tur, dubitari nullo modo potest, quin Principes saeculares suis legibus, quatenus ab Ecclesia adprobatae, adoptataeque non fuerint, nullam haberent potestatem in naturalem matrimonii contractum, ac coniugale vinculum. Ex quo enim Christus Dominus matrimonium, naturalem scilicet eius contractum a Deo ipso primitus institutum, ad Sacramenti dignitatem erexit, saeculares Principes nullam amplius in illud eiusque vinculum potestatem retinent. Nam cum res sacra

sciunt qua sibi providere possint ad sustentandam vitam, (et) rediguntur ad extremam egestatem; potestne permitti aut tolerari ut sic faciant, cum sit tantum incommodum, et ex parte protestantium non fiat in contemptum Ecclesiae, de qua parum curare videtur, vel etiam forte non cogitant?

R. Affirmative, ob grave detrimentum quod inde in catholicos oriri poterit.

748

An possint mulieres viris carnes apponere diebus vetitis.

S. C. de Prop. F. *26 Iunii 1820* (C. P. pro Sin.) – Uxores catholicae possuntne apponere carnes maritis petentibus diebus prohibitis, ipsis vero non comedentibus?

R. Affirmative, si grave damnum mulieres patiantur non obtemperantes viris suis, et secluso contemptu religionis.

749

An fas sit missionariis adesse matrimoniis haereticorum.

S. C. S. Officii *10 Sept. 1820* – Quebec – Expeditne ut missionariis quintae partis dioeceseos Quebecensis, illius scilicet extremae quae irrigatur per amnes ad Sinum Hudsonium et Iacobinianum currentes, concedatur facultas accipiendi mutuum consensum sive haereticorum inter se, sive eorumdem cum catholicis matrimonium contrahentium.

R. In casu proposito praesentiam missionarii non requiri pro validitate matrimonium, adeoque non esse locum concessioni facultatum; atque respondendum esse per Instructionem. *En Instructio:*

Praemittere opus est de regionibus agi, in quibus parochi, seu missionarii praesentia ad valorem matrimonialis contractus, haud est necessaria, ubi nempe tridentinum decretum non viget; praxim autem, quae asseritur, in Statuum Unitorum Americae dioecesibus invaluisse, ut sacerdos catholicus matrimoniis catholicorum cum haereticis publice nuptialem benedictionem impertiatur, nulli S. Sedis conniventiae inniti. Haec enim ab huiusmodi nuptiis se abhorrere perpetuo professa est. Quod si aliquando easdem iniri permittit, cum nempe graves intercedunt causae, atque perversionis periculum remotum iri in coniuge catholico prudenter pervidetur, universaeque prolis educationi catholicae cautum fuit; numquam tamen sinit, eas aut in ecclesia, aut sacerdotis benedictione sacrove ullo ritu celebrari.

Ast, omni omisso sacro ritu indulgeri ne decet, ut catholici missionarii nuptiali contractui tam haereticorum inter se, quam inter alteram partem catholicam, alteram vero haereticam, adsint, et mutuum eorum consensum recipiant? Observant autem in illis amplissimis terrarum tractibus paucas reperiri protestantium familias, easque cultus sui religiosi ministro carentes, quae tali obsequio ad catholicam fidem brevi adducendae sperentur, quae e contra ex huius denegatione timeri debeat ne

---

« atque materia Sacramenti facta sit, necesse est, ut « Ecclesiae ordinationi subiaceat, et potestas ecclesiastica civili potestati praevaleat, tamquam pars nobilior, quae ignobiliorem ad se trahere debet. Unde « merito Doctor Angelicus loc. cit. dist. 42, quaest. 2, « art. 2 ad 4, sic concludit: *Dicendum quod prohibitio « legis humanae non sufficeret ad impedimentum matri- « monii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas quae idem « etiam interdicit* ».

« Sed cum res sit de infidelium coniugio, ratio Sa- « cramenti, quae christianorum matrimonium Eccle- « siae ordinationi subiicit, plane cessat, nec enim non « regenerati salutaribus Baptismatis aquis, Sacramento- « rum capaces sunt, nec iis qui foris sunt leges suas « edicit Ecclesia. Quare licet inter infideles verum sit « matrimonium, illud tamen ad naturae et communi- « tatis officium referri tantummodo potest, ac proinde « a iure naturali et civili plane est moderandum.

« Sequitur hinc Principes saeculares, sive fideles sive « infideles, plenissimam potestatem retinere in matrimo- « nia subditorum infidelium, ut scilicet, appositis impe- « dimentis, quae iuri naturali ac divino adversa non « sint, eadem non solum quod ad civiles effectus, sed « etiam quod ad coniugale vinculum penitus rescindant. « Qui enim ob reipublicae bonum suis legibus ad legi- « timitatem, validitatemque coeterorum contractuum « formam quamdam et solemnitatem praescribere pos- « sunt, cur id in matrimoniali infidelium subditorum « contractu efficere nequeant, ratio non est: et quod de « lege Principis saecularis hoc in casu dicitur, intellige « etiam de legitima consuetudine, quae vim legis in « subditos infideles adepta est.

« His ergo constitutis, iam vides quid sentiendum « sit de matrimonio a viro infideli cum muliere infi- « deli inito non servata ea *coeremonia* seu forma ac « solemnitate, quae, sicut asseris, ad eius validitatem « iuxta Tunkini regni leges erat servanda.

« Porro huiusmodi coniunctio, illegitima plane est, « nec verum firmumque matrimonium inter eas perso- « nas efficere potest; et cum per leges dissolvi me- « reatur quod contra leges praesumitur, planum est « concludere virum infidelem ab infideli muliere, quam « eo modo sibi copulaverat, iure discessisse.

« At neque meliori iure aliam uxorem christianam, « infideli dimissa, sibi copulavit. Hic tamen sedulo ani- « madverte sermonem haberi de viro infideli, qui cum « christiana muliere matrimonium inire praesumpsit, « non impetrata Apostolica dispensatione super impe- « dimento ex cultus disparitate matrimonium dirimente.

« Certum est enim, ab antiqua rationabili eaque le- « gitima consuetudine inductum fuisse in Ecclesia im- « pedimentum dirimens ex cultus disparitate, adeo ut « verum ac firmum matrimonium iniri non possit inter « personas, quarum una fidem per Baptismum susce- « perit, altera vero in infidelitatis tenebris sit. Hinc « colliges secundum etiam matrimonium a viro infi- « deli cum muliere christiana initum, plane nullum « atque irritum fuisse.

« Ergo ex his omnibus primo concludendum est, « ex parte viri illius, qui modo christianam fidem am- « plexus est, nullum plane locum esse interpellationi « mulieris infidelis, quam, cum ipse esset infidelis, non « servata forma a legibus regni praescripta, sibi copu- « lavit, secundo etiam concludendum est ipsi viro fas « non esse in secundo coniugio cum christiana muliere « commorari, eamque pro uxore habere, nisi cum ex « verum ac legitimum matrimonium iuxta sacrorum « canonum sanctiones denuo contraxerit ».

haereticum ministrum sibi constituant. Ast haec, aliaque huiusmodi momenta, quae etiam urgentiora viderentur, alias variis temporibus, a variisque regionibus proposita fuere, quibus tamen Sancta Apostolica Sedes permoveri non potuit, ut tali adsistentiae assentiretur. Neque pro adverso exemplo afferri valeret, ipsam Sanctam Sedem cum ob graves causas, debitisque cautelis matrimonium parti catholicae cum catholica ex dispensatione inire sinit in locis, ubi Tridentinum viget Decretum, expresse simul concedere ut parochus cum duobus testibus eius adsit celebrationi. Nam omnes tunc circumstantiae id in obsequium Tridentini decreti, matrimonium sine parochi praesentia celebratum irritantis, peragi demonstrant; ecclesiasticae auctoritatis venia intervenit: parochus vero nullo pacto, aut ministri religiosi haereticorum vices gerere, aut particeps falsi ipsorum cultus fieri, aut illi aliquam afferre adprobationem, aut religioso indifferentismo aliqua ratione accedere apparet. Quae tamen omnia in casu proposito, aliisque huiusmodi non satis removeri manifestum est, eo vel magis quod haeretici non quemcumque testem, sed religionis ministrum, ante quem nuptialis contractus fiat, requirere, in propriis ipsorum moribus atque institutis habere soleant. Quae profecto ab Apostolica Sede dissimulari religionis iactura non sinit; ut proinde huiusmodi petitionibus suum denegare debeat assensum.

750

De omittendis in administratione Baptismi extra ecclesiam.

S. R. C. *23 Sept. 1820.* — Calagurita- na et Calceaten. — Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum, stola violacea indutus, domi baptizavit, eique S. Chrisma, et oleum sanctum quod secum detulit, imposuit, prout in Rituali Romano. Quaeritur: an bene vel male se gesserit in casu unctionis extra Ecclesiam?

R. Parochum male se gessisse, baptizando cum stola violacea, et liniendo puerum periclitantem extra ecclesiam, oleo etiam Catechumenorum. In casu enim necessitatis, iuxta Ritualis praescriptum, omnia sunt omittenda quae Baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit.

751

De religiosis acceptum missionarii onus subire recusantibus.

Decr. S. C. de Prop. F. *30 Sept. 1820.* — Cum aliquoties acciderit Religiosos nonnullos sacris missionibus deputatos, post acceptam a S. C. pecuniam ad iter conficiendum necessariam, iter accipere diutius detrectasse, atque ita ut S. Congregationi manifeste appareret eos vel numquam de sacris missionibus ineundis serio cogitasse, vel a sancto proposito turpiter defecisse, S. C. ad hos coercendos abusus censuit suppplicandum SSmo ut, firma remanente obligatione restitutionis acceptae pecuniae, privationis vocis activae et passivae poenam, per decem subsequentes annos duraturam, et Sedi Apostolicae reservatam, eum ipso facto incurrere decernat, qui post acceptam missionem et pecuniam, quam viatici nomine designatis missionariis S. C. suppeditat, absque gravi causa ab ipsa S. C. probanda, expetitum et acceptum onus subire recusaverit. Quam S. Congregationis sententiam SSmo D. N. relatam per R. P. D. Secretarium in audientia habita die 24 Septembr. 1820 SSmus in omnibus approbavit et exequi mandavit.

752

Circa usum condimentorum in serotina refectione diebus iciunii.

S. Poenitent. *11 Octob. 1820.* — An qui ad ieiunium tenetur uti possit in serotina refectione, ubi viget indultum, *del lardo e dello strutto,* etsi per diem iisdem usus non sit.

R. Qui ad ieiunium tenetur, licite uti posse in serotina etiam refectione condimentis per indultum permissis quia illa, vi indulti, olei locum tenent; nec quidquam referre quod ipse pro suo arbitrio iisdem in prandio usus non sit.

753

De coniugiis in Sinis.

Instr. S. C. de Prop. F. *17 Ian. 1821* (ad Vicarios App. Sin.). — *De Coniugiis.* — Quaestio de inordinatis, ac clandestinis apud Sinas coniugiis non modo vestra, Venerabiles Fratres, ingenia vexavit diu, sacrorumque operariorum, qui in difficili isto dominico excolendo agro adlaborant; verum etiam S. huius Congr. studia non mediocriter exercuit. Atque id non eam unice ob causam, qua S. Augustinus Ecclesiae lumen obscurissimam de coniugiis quaestionem, eiusdemque sinus fere inexplicabiles esse professus est; sed quod maxime dolendum, ob hominum corruptelas honorabilis nuptiarum foederis speciem ac pulcritudinem inobscurantes. *Magno* itaque *sacramento* suus ut restituatur et constet honor, S. C. quaestionem huiusmodi bono in lumine collocare, ac definire tandem, sollicita, praesentem Instructionem parandam duxit Vobis, Ven. Fr. inscriptam, uti eam cum missionariis, parochis, ac confessariis communicetis. Sed ordine res explicanda est ab initio.

1. Vestris equidem literis, ut bene meministis, pluries ad hanc S. C. datis, significastis: pravum inolevisse morem apud plurimos christianos, tanto nomine indignos, ut post inita sponsalia, habitamque carnalem copulam cum muliere, cum alia inde matrimonium contrahant, communibus servatis Imperii, atque usitatis ibi Ecclesiae ritibus. Qua de re anxie, ac pro charitate, qua erga oviculas flagratis

vestrae sollicitudini commissas, a matre ac magistra vestra postulastis invalescenti apud eas gentes morbo medelam consentaneam : et percontati estis, utrum primum illud coniunctionis genus, an alterum iusti matrimonii vim haberet, quando intra fines Imperii Sinici, ac circumiacentium Regnorum ac Provinciarum nondum esset Tridentinum de matrimonio Decretum promulgatum.

2. Et Sacra quidem Congregatio Vos atque operarios vestros enixe hortata est, omnimodis ut niteremini qua privatis, qua publicis concionibus, ac praesertim in sacramenti Poenitentiae administratione deterrere fideles a clandestinis matrimoniis, quae Sancta Dei Ecclesia iustissimis de causis semper detestata est, atque prohibuit ; et ex quibus gravia peccata ortum habent : maxime vero admonendos graviter, et sub interminatione divini iudicii eos, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo vivunt adulterio. Neque his contenta monitis ex limpidis S. Tridentinae Synodi fontibus deductis, ad propositi dubii solutionem, ex puris item fontibus Pontificii iuris in omnes catholicos pervulgatis observandam indixit a Gregorio IX P. M. acceptam praescriptionem Capitis *Is qui, 30 de Sponsalib. et Matrim.* Interrogatus enim Pontifex, quid facto opus esset de homine, qui post inita cum muliere sponsalia, habitumque concubitum, aliam deinde in facie Ecclesiae duxerat, et cognoverat, huiusmodi responsum dedit. « Is qui « fidem dedit alicui mulieri, quod eam in uxo« rem ducere velit, et si postea illam carnali« ter cognoscat, aliamque in facie Ecclesiae « ducat, ad primam redire tenetur : quia licet « primum matrimonium praesumptum videa« tur, tamen contra talem praesumptionem « probatio in contrarium non est admittenda. « Unde sequitur quod matrimonium postea de « facto contractum non verum sit matrimo« nium sed nullum ». Hanc autem praescriptionem Sacra Congr. vestris studiis commendandam suscepit ab anno 1786 eamdemque anno 1804 V. F. Stephanus Borgia clarae memoriae Cardinalis, Sacrae item Congregationis nomine ad vestrum unum, nempe ad Vicarium Apostolicum Cochinchinae scribens, explicatius retinendam esse declaravit.

3. Iam vero tali tantoque remedio, consilioque a S. C. exhibito, futurum ea sperabat, ut iustis illorum christianorum coniugiis rite constabiliendis, clandestinisque cohibendis, opitulante Deo, nihil aut fere nihil superesset, quando post annos non paucos literas eiusdem Vicarii Apostolici Conchinchinae accepit, quibus praeter cetera significavit : Capitis *Is qui* observantiam eas in regiones vix aut ne vix quidem induci posse ob invincibilem Sinarum illius legis ignorantiam : ex divini verbi praeconibus, qui erudiendae genti strenuam dant operam, extitisse fere neminem, qui docuerit, ex copula clandestina sponsalia subsequente validum in foro externo matrimonium aestimandum : docere autem id deinceps asperum futurum ob gravissima inde incommoda pertimescenda, ac praesertim ob scandala tum apud christianos, tum apud gentiles oritura quorum firma persuasio est : Matrimonium iustum constare nullum, nisi quod in conspectu Ecclesiae, vel civilis Imperii legis fuerit celebratum.

4. Acceptis huiusmodi literis, S. C. non antea definiendum quidquam deliberavit, quam literis ad vos omnes, Ven. Fr. missis, quibus, ut nostis, sciscitatum est de origine opinionum apud eas gentes circa nuptias iustas, et illegitimas ; de universa super matrimoniis doctrina a missionariis explicata : de ritu ecclesiastico, ac civili nuptiarum, deque incommodis ac periculis extimescendis, si quando memorati Capitis *Is qui* apud Sinas observantia esset inducenda.

5. Et vos quidem certiorem S. C. fecistis responsionibus fere inter se consentaneis : quae plene Eminentissimis Patribus satisfacere fortasse potuissent, nisi in re tanti momenti definienda, diligentia supra quam dici possit, maturitateque summa sibi opus esse existimassent. Aliae itaque literae S. C. nomine pervenerunt ad vos, a vobisque novae responsiones redditae, ex quibus dubia, quae sequuntur, efformata sunt.

Dub. I. (quod in serie propositorum septimum est) — *An in Chinae, Cochinchinae, et Tunchini utriusque regionibus, in quibus Tridentinum de Matrimonio Decretum nondum promulgatum est, copula sponsalia subsequens verum matrimonium inducat, etiamsi sponsi inter coeundum non maritali affectu, sed libidine moti, existiment, se in illicitum ac fornicarium actum irruisse, matrimonio iusto constituendo imparem ; ac propterea non sibi ereptam facultatem existiment ad alia vota transeundi, cum haec apud eas gentes persuasio vigeat.*

Dub. II. (quod in serie octavum est) — *Quale consilium dandum missionariis earum regionum circa modum servandum, praesertim in Poenitentiae sacramenti administratione, cum iis fidelibus, qui post sponsalia et copulam habitam cum una muliere, nuptias publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide iustas existimant, validasque.*

Dub. III. (quod in serie nonum est — *Vicariis Apostolicis, ac missionariis remedium flagitantibus aptum ad cohibenda coniugia clandestina, et avertenda damna ex iidem funestissima suboritura, quid consilii dandum, aut praescribendum sit.*

Ad haec clarius, atque accuratius enodanda

dubia iuverit animadvertere: Eminentissimis Patribus incredibilè videri, persuasionem in 1. dubio memoratam tantam vigere apud sinenses, ut communis existimari possit: nempe ex sponsalibus, et copula clandestine habita non iis ereptam esse facultatem ad alia vota teanseundi. Etenim cum Sacra Congr. legem eo capite comprehensam explicandam iis gentibus, quoties sese occasio obtulisset, praescripserit: cumque compertum sit, quanto Vos studio ac sollicitudine S. C. consiliis, mandatisque morem gerere consueveritis: ac praeterea post accepta consilia ac mandata huiusmodi, per nonnullos annos nihil a Vobis de persuasione illa renunciatum sit; iure Eminentissimi Patres arbitrantur, missionarios ac catechistas doctrinam Capitis *Is qui* non semper quidem, sed pro re nata tradidisse fidelibus nonnullis, hosque aliis tradere deinceps potuisse. Ac certe vestrum unus narravit: — missionarium quemdam ceteris clarius coram multis hominibus primariis palam docuisse sponsalia post copulam carnalem inter sponsos habitam, ex legibus Ecclesiae iudicari debere tamquam matrimonia, nisi contrarium certo demonstretur. — Quo quidem facto facile intelligitur, alios missionarios idem minus clare tradidisse, et primarios illos viros regulam Ecclesiae gravissimam facile cum aliis fidelibus communicasse. Erunt igitur non multi, sed erunt tamen, apud quos persuasio illa non vigeat; erunt plurimi, apud quos ea vigebit. Stabit ergo persuasio illa pede uno, cadet altero.

Videte igitur, Ven. Fr., utrique fidelium generi congruis consiliis, ac documentis providendum. Quod ut accurate succedat, ob oculos vestros proponite, quae in elucidando capite *Is qui* affert P. Pirhinghius sacrorum canonum explicator probatissimus. Namque ille in *lib. IV Decretal. Tit. 1 Sect. 1 § 5* post memoratam Gregorii IX. regulam, seu praescriptionem, haec addit: « Ratio est, quia Ec« clesia ex carnali copula praesumit in sponsis « coniugalem consensum ad excludendum pec« catum, quod scilicet sponsus et sponsa non « fornicario, sed affectu maritali se invicem « cognoscere voluerint, quia delictum non est « praesumendum, et haec est praesumptio *iuris* « *et de iure,* idest omnino certa et indubitata, « contra quam non admittitur probatio; et con« sequenter non audiretur sponsus asserens, « se non cognovisse sponsam affectu maritali, « vel animo contrahendi matrimonium cum illa, « (Covarr. in Epitome *Lib. IV Decret. p. 1.* « *Cap. IV, § 1, num. 1 et 2*). Confirmatur, « quia copula carnalis sequuta post sponsalia « de futuro est sufficiens signum consensus de « praesenti in matrimonium; et sponsi per « eam censentur sibi invicem tradere: quae « praesumptio habet locum in foro contentio« so et iudiciali tantum, non autem in foro « conscientiae, et poenitentiali. Unde si spon« sus vere cognovisset sponsam non affectu « maritali, sed fornicario, non esset verum ma« trimonium in foro poenitentiali, et coram « Deo, quia Papa non potest facere ut sine « consensu expresso vel tacito sit verum ma« trimonium; *Hostien. hic col. 2 in fine; Fa« gnan. hic num. 6 et 7* ». Hactenus P. Pirhinghius, qui hanc doctrinam exhibens, affirmat eamdem esse apud omnes canonum tractatores pervulgatam. Hic igitur state, hic haerete. Nempe in iis etiam regionibus, in quibus Tridentinum de Matrimonio decretum promulgatum non est, si sponsus ac sponsa non maritali affectu, sed fornicario invicem coiverint, non ideo eorum sponsalia in verum matrimonium transire coram Deo; ac propterea coram Deo, sive in conscientiae foro, iisdem ereptam non esse facultatem ad alia transeundi vota si se legitima occasio praecedentium sponsalium dissolvendorum obtulerit.

Ceterum in forum externum ac iudiciale diducta si copula sit, possent iidem ab ecclesiastico iudice legitimorum instar coniugum haberi: atque idcirco, quoad alter eorum vixerit, a quovis alio matrimonio prohiberi, quia est haec praesumptio *iuris et de iure,* idest certa omnino et indubitata, contra quam non admittitur probatio: et consequenter non audiretur sponsus asserens, se non cognovisse sponsam affectu maritali, vel animo contrahendi matrimonium cum illa.

Quae cum ita sint, septimo Dubio hac ratione S. C. respondendum censet: nempe — Si in praefatis regionibus, ubi publicatum non fuit decretum S. Concilii Tridentini, duo sponsi carnalem inter se deinde habeant copulam, eam tamen non ex affectu maritali, sed affectu illicito ac fornicario: haec eorum copula minime transire facit praecedentia eorumdem sponsalia in verum matrimonium coram Deo; seu in foro conscientiae liberi manent, atque poterunt, si praedicta eorum sponsalia ex aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias alias licite inire. Nihilominus si eorum copula in foro externo, et iudiciali probetur, poterunt iidem ex praesumptione *iuris et de iure,* contra quam non admittitur probatio per ecclesiasticam potestatem adigi ad se se habendos tamquam veros coniuges, quibus, vivente consorte, quodvis connubium interdictum sit, ex *Cap. 30 De Sponsalib. et Matrim.* — (1).

Sed gradus faciendus est ad alterum enodandum dubium, quod octavum in serie propositorum est, scilicet: — Quale consilium dan-

(1) V. Constitutionem *Consensus mutuus* Leonis PP. XIII *15 Febr. 1892* qua novus hac in re canon statuitur.

dum missionariis earum regionum circa modum servandum (praesertim in sacramenti Poenitentiae administratione) cum iis fidelibus, qui post sponsalia, et copulam habitam cum muliere, nuptias publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide iustas existimant validasque. — Cum huiusmodi poenitente hanc esse diligentiam, cautionemque observandam Eminentissimi Patres censuerunt: Placide eumdem interroget confessarius utrum cum prima illa muliere concubuerit affectu motus maritali, an affectu illicito ac fornicario. Si poenitens hoc alterum respondebit, in pace dimittet, nec de validitate matrimonii deinceps contracti dubitationem ullam movebit. Si vero poenitens respondebit, se cum prima illa muliere affectu coivisse maritali, graviter admonebit, eum non alterius esse maritum, sed primae, ad ipsamque redire omnino debere iuxta saepe memoratam Capitis *Is qui* praescriptionem. Sed aliam quoque cautionem prae oculis habeant missionarii, videlicet si accideret poenitentem huiusmodi in foro externo minime probare posse, carnalem copulam ab se cum prima muliere habitam, ac propterea adigeretur ecclesiastici praesidis iudicio ad nuptias in conspectu Ecclesiae contractas in honore retinendas; id si accideret, deberet ille quamcumque poenam etiam excommunicationis tolerare patienter, potius quam certus impedimento se irretiri ligaminis, cum altera non sine gravi culpa concumbat. Nota enim est Innocentii III. P. M. praescriptio *Cap. 44 de sent. Excomm.* expressa: « Si alter coniugum (ita ille) pro certo « sciat impedimentum coniugii, propter quod « sine peccato mortali non valet carnale com- « mercium exercere, quamvis illud apud eccle- « siam probare non possit... debet potius ex- « communicationis sententiam humiliter susti- « nere, quam per carnale commercium pecca- « tum mortale operari ».

Ex hactenus consideratis responsum ad huiusmodi II. Dubium S. C. ita complexa est: — Si quis fidelium post sponsalia et copulam dein habitam cum una muliere, cum altera muliere publice matrimonium contrahat: atque in hoc statu ad missionarium aliquem in tribunali Poenitentiae accedat, debebit eum interrogare; an copulam istam cum illa prima muliere habuerit ex affectu maritali, an vero ex affectu illicito et fornicario. Si alterum hoc respondebit, nullam de validitate praesentis sui matrimonii dubium ei movebit. Sin autem primum respondebit, graviter ipsum commonebit, eum maritum esse non secundae sed primae mulieris, ad eamque redire omnino debere. Additur vero ad eorumdem missionariorum instructionem, quod si forte homo iste probare non valens in foro externo carnalem copulam ab se habitam cum prima illa muliere, cogeretur hinc per ecclesiasticam potestatem cum altera muliere remanere qua cum publice matrimonium contraxit, deberet poenam quamlibet, ipsamque excommunicationem humiliter potius sustinere, quam cum altera hac muliere carnale commercium exercere non sine lethali culpa, ex *Cap. 44 de sent. Excom.*

Statuendum nunc, quid consilii dandum vobis Ven. Fratres, et operariis, qui in sinensi Dominico agro adlaborant, quo facilius feliciusque clandestinae cohibeantur coniunctiones, et praecidantur scandala, damnaque funestissima, quae suboriri ex iis possent: quod erat in III. Dubio propositum. Certe negari non potest, maximam ad clandestinas coniunctiones praecidendas medelam ac praesidium in celebris Tridentini de Matrimonio decreti promulgatione ab Ecclesia collocari: et Apostolica quidem Sedes, quotiescumque conducere ea promulgatio Episcopis, atque Apostolicis Vicariis visa est, nihil reliqui fecit, quo facilem iisdem se praeberet, atque huiusmodi medicinam tali consentaneam morbo praescriberet, quod fecit in Archiepiscopatu Kioviensi, cuius exemplum vestrum unus in suis literis indigitavit, nempe Ven. Fr. Vicarius Apostolicus Cochinchinae. Verum de Kioviensi exemplo, quod ad rem nostram maxime facit, legendum est praeclarum Benedicti XIV. P. M. opus de Synodo Dioecesana *Lib. XII. Cap. V. §§ 8, 9, 10 et 11;* ac legenda item eiusdem Pontificis Constitutio *Etsi Pastoralis § 8 de Sacram. Matrim. num. 1:* « Curent Ordinarii locorum, ut « Decretum S. Concilii Tridentini de reform. « matrim. in locis et parochiis graecorum et al- « banensium, quoties expedire viderint, evul- « getur et publicetur ». Sed certum quoque est, sicubi promulgatum id Decreti fuerit, ibique de praesentia parochi praescriptum observari minime potuisset, quod vel parochus deesset omnino, vel difficile adiri posset, Apostolicam Sedem declarasse, iis in locis testium praesentiam satis esse ad valide matrimonia constabilienda: quo si integrum decretum observari non posset, quoad tamen posset, observaretur.

Iam vero Eminentissimi Patres in huiusmodi prudentem Apostolicae Sedis oeconomiam animum intendentes, itemque considerate ac meditato animo perpendentes literas a vobis, Ven. Fr., iterato ad S. C. hac super re datas: circumspectantes etiam civiles, sacrasque rationes, et faciem ipsam Imperii Sinarum, quaeque eidem iunguntur provinciarum atque regnorum; censuerunt, si id SSmo D. N. placuerit, ut *quibus in locis id expedire maturo consilio iudicaveritis*, in iis Concilii decretum integrum rite promulgandum curetis, aut saltem quoad fieri licuerit, iuxta regulas paulo ante traditas.

Quamobrem omnia et singula matrimonia, quae posthac celebrari contigerit apud Sinas, ut valida nominentur et sint, ineunda erunt coram parocho, aut missionario, aut alio quo-

vis legitime designato, ac duobus vel tribus, iisque quoad licuerit, christianis (1). In iis vero locis in quibus integrum non possit promulgari Decretum, vel, si promulgatum sit, parochus tamen, vel alius rite designatus absit, vel faciles ad eumdem aditus non sint, iniri quidem possint coniugia, etsi absque parocho, coram duobus saltem testibus, iisque si fieri possit christianis; ita tamen contrahentes, ne Sacramenti dignitas vilescat, obligentur lege sistendi se coram missionario vel parocho quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius autem vel parochus redux, quando sibi de consensu coniugum constiterit, antequam coniuges benedicat, eos condocefaciat, eiusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere coniugii; ac propterea non committet ille ut rursus consensio per nova verba exprimatur.

Tandem ne Decreti Tridentini memoria, iusque obsolescat, cupit S. C. ut quoties se dederit occasio, missionarii illud popularibus sibi commissis explicent, ac iuxta regulas modo expositas declarent. Expedit enim, ut ipsae maxime adolescentulae virgines id perceptum habeant, ne in fraudem induci, et occultis, vimque nullam habituris nuptiarum promissis, se ad ullam pellici turpitudinem patiantur.

Atque haec via et ratio est, quam retinendo existimat S. C. inordinatas ac clandestinas coniunctiones praefocari, Deo dante posse, ac *magno sacramento* suum honorem, unde apud plures deciderat, redintegrari.

Quam S. Congregationis sententiam SSmo Dño nostro PIO divina prov. Papae Septimo relatam per me infrascriptum Secretarium eiusdem Sacrae Congregationis in Audientia habita die 14 Ianuarii 1821, Sanctitas Sua benigne approbavit, et omnino servari iussit.

754

De mulierum confessionibus in domibus privatis.

S. C. de Prop. F. *12 Febr. 1821* (C. G.). — Hiberniae — Se darsi alcun provvedimento intorno alle confessioni delle donne (nelle case private) senz'alcun framezzo.

R. Arbitrio Episcopi, qui perpensis iustis causis, et concessa facultate ad audiendas foeminarum confessiones in domibus privatis, iniungant confessariis nusquam confessiones foeminarum recipere sine cratibus, vel alio quovis opportuno repagulo, exceptis infirmis in lecto recumbentibus, quo in casu porta cubiculi patens sit ita ut confessor et poenitens sint e longinquo visibiles.

755

Nihil accipiendum pro denunciationum remissione.

S. C. de Prop. F. *12 Febr. 1821* (C. G.) — Hiberniae — Quoties Ordinariis expedire in Domino visum fuerit ut denunciationes, vel omnes vel earum aliqua, remittantur, *nihil quacumque de causa accipiant*, veluti decretum fuit anno 1750 (28 Iulii) (2) et renovatum per encyclicam anno 1768 (20 Aug.) ad omnes Hiberniae Ordinarios (3).

756

De nonnullis quae in Regularium ecclesiis servanda sunt ne episcopalia iura laedantur.

Decr. Gen. S. R. C. *3 April. 1821* — Quum abusus nonnulli sensim irrepsisse conspiciantur, tum adversus episcopalia iura, tum contra rectam divini cultus disciplinam, licet alias per S. R. C. de iis fere omnibus edita fuerint decreta: ne in dies magis invalescant, eiusdem Sacrae Congregationis Secretarius pro sui muneris officio dubia quae sequuntur Emis et Rmis PP. in ordinario Conventu enodanda proposuit; videlicet:

1. An in Ecclesiis Regularium aliisque ecclesiis exemptis recitandae sint Collectae ab Ordinario loci praescriptae?

2. An liceat clero earumdem ecclesiarum ab iis recitandis cessare pro lubitu, antequam Ordinarius id iusserit.

3. An, iubente Ordinario, ut quibusdam solemnitatibus, vel in alio peculiari casu, sonus aeris campani omnium ecclesiarum edatur, praefatae Ecclesiae quamtumvis exemptae eius mandato parere teneantur?

4. An praeter consuetas usuque receptas SS. Sacramenti expositiones, extraordinariae quoque in ecclesiis exemptis fieri possint absque licentia Ordinarii?

De quodam artificio vitando in Expositione SS. Sacramenti.

5. An liceat in expositione SS. Sacramenti lumen aliquod eo artificio collocare a parte postica spherae, ut recta illuceat in ipsam Sacratissimam Hostiam, quae exinde lucida appareat?

Reprobatur consuetudo superimponendi Tabernaculo Reliquias vel Imagines.

6. An toleranda vel eliminanda sit consuetudo, quae in dies invalescit, superimponendi Sanctorum Reliquias pictasque imagines Tabernaculo, in quo Augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut idem Tabernaculum pro basi inserviat?

Nihil in Litaniis mutandum.

7. An liceat titulo specialis devotionis Litaniis Sanctorum vel Lauretanis aliquem versiculum addere; vel novas litanias, de quarum adprobatione Ordinario nullatenus constet, in ecclesiis canere vel recitare?

---

(1) V. Instr. S. C. de Prop. Fide *23 Iunii 1830*.

(2) En verba: « Quotiescumque in matrimoniis celebrandis Episcopi expedire iudicaverint, ut denunciationes remittantur, nihil quacunque de causa accipiant ».

(3) Haec ibi: « Monendi erunt (Episcopi) gratis ab iis remittendas esse, cum id expedire censuerint, publicas denunciationes quae ante matrimonii celebrationem fieri debent ».

Et S. R. C., re mature diligenterque discussa, ad relationem infrascripti Secretarii, respondendum censuit ut infra; videlicet:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Negative; et serventur decreta hac super re pluries edita.

Ad 5. Negative; et servetur Instructio iussu s. m. Clementis PP. XI, evulgata die 24 Ianuarii 1705, pro Expositione SS. Sacramenti, occasione Orationis Quadraginta Horarum § VI (1).

Ad 6. Assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandam omnino esse.

Ad 7. Negative; et serventur omnino Decreta Sacrae Congregationis; curentque Ordinarii colligere et vetare formulas quascumque, tam impressas quam manuscriptas, Litaniarum de quarum approbatione non constat.

Et quoniam de Litaniis sermo est quum Sacrae Congregationi innotuerit aliquibus in Ecclesiis, praesertim occasione Orationis Quadraginta Horarum, libellos adhiberi, in quibus vel peculiarium Sanctorum nomina addita conspiciuntur, vel unus aut alter versiculus in precibus desideratur; idcirco Sacra Congregatio, inhaerendo memoratae Instructioni Clementis PP. XI § XXIX, praecipit ne alii adhibeantur libelli, nisi typis Reverendae Camerae Apostolicae impressi vel eisdem plane conformes.

Atque ita respondit. Die 31 Martii 1821.

Et facta de praemissis omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio VII Pont. Max. relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationi responsa approbavit confirmavitque; atque, ut cunctis pateant, Decretum Generale desuper expediri typisque evulgari mandavit.

757

Circa Sacramenta morbo correptis, dubie dispositis, ministranda.

S. C. S. Officii *9 Maii 1821* — KENTUCKY — Qui consuetudinarii sunt, recidivi, salutis incurii, Sacramenta per annos relinquentes etc. morbo correpti sacerdotem advocant, datis signis quibusdam infirmis quidem et valide suspectis; quae Sacramenta ipsis ministrari absolute debent, supposito mortis periculo? quae negari? Quid si talis infirmus necdum primam Communionem fecerit?

R. Consulat (missionarius) probatos auctores. Meminerit tamen in mortis articulo quemlibet fidelium, qui signa dat resipiscentiae, a quolibet sacerdote absolvi de quibusvis peccatis et censuris posse, et neminem tunc repelli a participatione Sacramentorum, nempe Extremae Unctionis, si aegrotent, et SSmi Viatici, nisi quoad Viaticum obiiciatur consuetudo, qua iis qui extremo supplicio mox punientur denegatur, de qua quidem consuetudine nihil hic pronunciatur.

758

De S. Communione percipienda ante matrimonii celebrationem.

S. C. S. Officii *9 Maii 1821.* – KENTUCKY – Passim ad Matrimonium se afferunt, qui nedum communicant; licetne hoc sacramentum dare antequam communicent? Communiter accidit quod, post contractum matrimonium, ad vomitum redeant cunctaque negligant.

R. Animarum pastores totis viribus in id incumbere debent ut nupturi rite in catholicae doctrinae rudimentis sint instructi, peccata sacramentaliter confiteri, sacraeque mensae accedere consueverint, atque curare ut matrimonii celebrationi Sacram Communionem, purificatis animis perceptam, adiungant.

759

De Ecclesiae doctrina quoad usuras tradenda.

S. C. S. Officii *9 Maii 1821* — KENTUKY — 1. Estne usura omni iuri, etiam naturae, contraria?

2. Quomodo se geret confessarius qui .... usuras (quasdam) putans prohibitas, mandatum acciperet ab Episcopo nullam in publico mentionem faciendi eius materiae?

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Quoad doctrinam Ecclesiae quod ex mutuo vi mutui non potest percipi usura aliqua illam silentio praeteriri non posse. Quoad decisionem casuum particularium in quibus vel ex alio titulo diverso a mutuo, vel vi contractus alterius indolis proventus legitime percipi asseritur, parere Episcopo posse et debere.

760

Circa causas dispensandi ab interpellatione coniugis infidelis.

S. C. de Prop. F. *26 Iunii 1821* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN — 1. An distantia decem dierum itineris sit sufficiens ut Vicarius Ap. possit dispensare ab interpellatione coniugis infidelis.

2. Utrum, praeter nimiam distantiam coniugis infidelis, et ignorantiam ubi ille sit, adsint aliae causae in quibus Vicarius Ap. possit dispensare, maxime quando praesumitur, si fiat dicta interpellatio, gravia damna secutura esse christianis.

R. Ad utrumque: Servetur Benedictina Con-

(1) Haec ibi: « Ardano sopra l'altare almeno venti « lumi continuamente, cioè sei candele d'una libbra, « tre per parte dai lati della Croce, ed otto candele « dalla parte superiore, con altre quattro dai lati del- « l'ostensorio, nella cui parte opposta non si ponga « onninamente lume alcuno ».

stitutio lata die 16 Ianuarii 1745, quae incipit: *In suprema Catholicae Ecclesiae* (1).

761

De Missa absque cantu in Feria V, et Sabbato maioris hebdomadae.

S. R. C. *31 Iulii 1821* — 1. An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam paroeciis, praesertim in ruralibus, celebrandi per parochum Missam lectam feria V in Coena Domini, quin peragi valeant eadem feria et sequenti caeterae ecclesiasiasticae functiones praescriptae, ob clericorum defectum: vel potius abolenda?

2. An in Sabbato Sancto Missa ab Episcopo privatim celebranda in domestico sacello ratione Ordinationis, vel ab aliis sacerdotibus (si qui sunt) qui huiusmodi privilegio gaudeant, inchoanda sit a *Kyrie,* vel a Prophetiis.

3. An ad eliminandos abusus, si qui irrepserint, sit consulendum SSmo pro revocatione cuiuscumque indulti celebrandi privatim eamdem Missam, firmo tamen remanente singulari privilegio aliquibus ecclesiis peculiaribus attentis circumstantiis concesso, unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die.

R. Ad 1. Affirmative, et ad mentem: Mens est ut locorum Ordinarii, quoad paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem clerici, sacras functiones feria V et VI, ac Sabbato Maioris Hebdomadae, peragi studeant, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII, anno 1724, iussu editi; quoad alias paroecias, quae clericis destituuntur, indulgere valeant, ob populi commoditatem, ut parochi (petita quotannis venia) feria V in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali vel Matrice conventualis incipiat. Et ad Secretarium cum SSmo.

Ad 2. Quoad Episcopos ratione Ordinationis servetur praescriptum Pontificalis et decretum S. C. diei 21 Martii 1744 in Bergomensi, et Missa incipiatur a Prophetiis; et quoad alios, si qui privilegio gaudent, more solito, sed sine Introitu, post campanarum sonitum.

Ad 3. Affirmative, iuxta votum, videlicet: Consulendum SSmo pro revocatione cuiuscumque indulti celebrandi privatim in Sabbato Sancto, firmo tamen singulari privilegio aliquibus ecclesiis, peculiaribus attentis circumstantiis, concesso unam vel alteram Missam lectam celebrandi post unicam solemnem de die, sicut in dubio.

762

A sacerdote mixtis matrimoniis assistente nullus ritus adhibendus.

S. C. S. Officii *1 Augusti 1821.* — Quo ritu assistet sacerdos matrimoniis in quibus pars una est acatholica? Licetne proferre formam, dicere preces, benedicere annulum sponsae haereticae? — R. Negative.

---

(1) Dicta Constitutio ita se habet: « In suprema catholicae Ecclesiae administratione etc. Quoniam autem saepe contingit, utriusque sexus infideles, iudaeos, et turcas huiusmodi, post contracta gentili ritu matrimonia, vel maritum uxorem, vel uxorem virum seu maritum, ut Catholicam Religionem amplecti possint, deserere aliosque captivos factos a propriis finibus et propriis coniugibus in alias regiones transferri; atque adeo dictis utriusque sexus infidelibus, iudaeis et turcis ad fidem catholicam conversis deesse modum et opportunitatem, vel quia interdum in hostilibus et barbaris provinciis, ad quas ne nuntiis quidem patet accessus, commorantur, vel quia ignorant prorsus in quibus regionibus sint, vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem ad monendos interpellandosque utriusque sexus coniuges *an cohabitare velint sine contumelia Creatoris*; atque hinc fieri ut non minima novis hisce matrimoniis obiiciatur difficultas, qua obstante, saepissima et gravissima damna consecuta sunt; eapropter exponentes praefati, ut hisce incommodis remedium afferre possint, per Nos opportune provideri, et, ut infra, indulgeri summopere desiderant.

Nos igitur, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis et quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate Apostolica deputatorum consilio Fraternitati tuae et pro tempore existenti Nuntio Venetiarum, ut cum quibuscumque utriusque sexus neophytis vel infidelibus, vel iudaeis, vel turcis, aliisque personis cuiuscumque sectae huiusmodi in dicto loco pio (civitatis Venetiarum) pro tempore existentibus, seu in illum prius receptis et admissis, ac postmodum inde egressis, vere ad fidem conversis, qui ante Baptismum matrimonia, ut praefertur, contraxerint, ut eorum quilibet, etiam superstite coniuge infideli, iudaeo et turca, etiam eius consensu vel requisito et non expectato, vel minime requisito; dummodo etiam tibi constet summarie et extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in monitione praefixum, suam voluntatem significare neglexisse; matrimonium cum quovis fideli et catholico, praemissis prius proclamationibus seu denunciationibus a Concilio Tridentino praescriptis, in faciem Ecclesiae rite contrahere, ac carnali copula consummare, et in matrimonio sic contracto quoad vixerint remanere libere et licite possint, auctoritate nostra Apostolica dispenses et indulgeas. Praeterea matrimonia inter neophytos huiusmodi et alios fideles et catholicos alias rite contracta, etiamsi postmodum innotuerit priores coniuges infideles vel turcas, aut iudaeos, nonnullis legitimis impedimentis detentos, suam voluntatem significare minime potuisse, vel ad fidem etiam tempore secundi matrimonii conversos fuisse, ullo unquam tempore rescindi minime debere, sed illa semper firma, valida et inviolabilia existere et fore, dicta auctoritate decernas et declares plenam et amplam facultatem et potestatem, eadem auctoritate, tenore praesentium tribuimus et impertimur; salva tamen semper in praemissis auctoritate Congr. eorumdem Cardinalium.

Non obstantibus *etc.*

763

An paganorum libris christiani pueri erudiri possint.

S. C. de Prop. F. *6 Sept. 1821* — SUTCHUEN — Sunt quaedam scholae, praesertim ruri et inter montes, ubi libros religionis pueri christiani docentur; at simul etiam illis explicantur libri paganorum; ideo autem, his persecutionis temporibus, dictos libros simul cum libris religionis docent magistri christiani, quia timent ne coram magistratibus civilibus accusentur quod libros christianae religionis pueros docent, et perinde damna patiantur, atque ob hanc causam solent etiam in eorum collegiis cum pueris christianis gentilium pueros docere ut nimirum in casu quo accusentur apud praefectos, facilius probare possint se non religionis christianae, sed paganorum libros docere solitos esse, sicque persecutionis pericula facilius vitare possint: dicunt tamen se non superstitiones docere sed tantum characteres, quin sensum superstitiosum characterum pueris explicent, quem superstitiosum sensum saepissime contingit ut nequidem ipsi magistri intelligant. Porro hic abusus difficile nunc impediri potest, quia secus nullus est magister christianus qui christianorum pueros audeat docere, estque periculum ne si rigide id prohibeatur, multi pueri christianorum a tepidis eorum parentibus mittantur ad scholas paganorum ubi non tantum paganorum libris studere sed etiam superstitiones facere cogentur... Cum ego non debeam hanc causam definire, rogo humiliter S. C. ut iudicet an id tolerari possit. Quod si S. C. iudicaverit id tolerari nullo modo posse, rogo ut dignetur clare prohibere missionariis ne huiusmodi scholas tolerent in suis districtibus.

R. Magistros non esse inquietandos, dummodo in sola instructione scribendi et legendi sese coarctent.

764

De administratione sacramentorum fidelibus in apostatarum domibus.

S. C. de Prop. F. *6 Sept. 1821* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN — Unum est in illa (circa apostatas) Sacrae Congregationis instructione *(V. n. 723)* quod pluribus in locis observatu difficile admodum videtur: nimirum S. Congregatio videtur prohibere missionariis accessum in illas christianorum domos qui gentilium superstitiosas tabellas destruere nolunt; haec prohibitio, si ex parte multum tuetur decorem religionis christianae, quia inde evidenter constat nullam esse posse conventionem Christi cum belial, atque etiam evincitur impossibile esse duobus dominis sibi invicem oppositis servire, ex altera parte quandoque obest quominus multorum christianorum, per quos non stat quin superstitiosa illa signa destruantur, spiritualibus necessitatibus succurri possit. Etenim in omnibus ferme apostatarum familiis adsunt aliqui utriusque sexus fideles, ut uxores, liberi, famuli et inferiores domestici, qui Religionem adhuc observant, a superstitionibus abhorrent, multumque desiderium ostendunt ut parentes, aut hi qui primatum in familia gerunt, convertantur, et omnia superstitiosa signa evellant. Non raro autem contingit ut missionarii possint sine periculo ad has domos accedere, et in illis aliquandiu hospitari; quo in casu, si huiusmodi domos ingredi renuant, et dictorum christianorum Confessiones in illis domibus non audiant, dicti christiani qui Religionem observant, omni spe destituuntur Sacramenta suscipiendi, quia illi, et praesertim mulieres, his persecutionis temporibus difficillime possent ad alias domos se conferre, ut sancta Sacramenta suscipere possint. In his igitur et similibus circumstantiis respondi, S. Congregationem non prohibuisse missionarios ne praedictas domos ingrediantur, sed missionariis fas esse huiusmodi domos ingredi, sicut fas est ingredi domos paganorum causa illos adhortandi ut convertantur, aut etiam causa administrandi Sacramenta veris christianis qui in eis sunt, si aliter Sacramenta illis administrari non possint: dummodo ubique declarent obligationem omnibus superstitionibus renuntiandi, futurum alioquin ut nec Ecclesiae Sacramenta suscipere, nec aeternam salutem consequi ullatenus possint. Qua declaratione facta, non prohibui missionariis quin in illorum apostatarum domibus aliquandiu hospitentur, ut possint in aliis cubiculis, ubi nullae sunt superstitiones erectae, illorum, qui non apostatarunt Confessiones audire, qui secus peccata sua confiteri non possent. Non permisi tamen illis ad eas domos se confugere causa facilius vitandae persecutionis, quod illicitum esse clare declaravit S. C.; neque etiam, ob scandalum quod oriri potest, permisi illis Missam celebrare in huiusmodi apostatarum domibus, in quibus erectae manent superstitiosae tabellae: et multum illis inculcavi ut curent, quantum fieri potest, ut christianorum administrationem peragant in illis domibus ubi nulla sunt superstitiosa signa erecta. Verumtamen humiliter rogo S. C. ut dignetur declarare quomodo se gerere debeant missionarii in enarratis adiunctis: et etiam, an licet missionariis in praedictis apostatarum domibus Missam celebrare, in cubiculis ubi nullae sunt superstitiones erectae, ut possit Sacramentum Eucharistiae administrare his qui nullo impedimento prohibentur, et qui secus non possunt satisfacere praecepto communicandi saltem semel in anno; 2. Utrum saltem id liceat, ut possint SS. Viaticum administrare infirmis qui secus sine SSmi Viatici sumptione mori periclitarentur.

R. Secluso scandalo et religionis dedecore, licere sacerdotibus et ministrare Sacramenta, et etiam Sacrum facere, pro satisfactione prae-

cepti paschalis, et ministrare viaticum in cubiculo ubi superstitionis signa sublata fuerint.

765

Quoad contractum societatis pecuniarum.

S. C. de Prop. F. *6 Sept. 1821* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — Quoad contractum societatis pecuniarum de quo Illmus Episcopus Tabracensis bon. mem. S. Congr. pariter consuluerat, et quem Sacra Congr. declaravit non esse improbandum *(V. n. 701)*, aliqui missionarii putant ideo S. C. declaravisse huiusmodi contractum non esse improbandum, quia in expositione casus facta ab Illmo Episc. Trabacensi non videtur expressum fuisse quod primus socius, qui nullam pecuniam confert, sed aliorum pecunias tantum recipit, tenetur singulis sociis pecuniam, quam contulerunt, restituere cum aliquo lucro, prout sors decidet. Sed sors nunquam decidere potest ut aliquis socius debeat pecuniam, quam contulit in societatem, amittere, quam primus socius integram semper, quidquid eveniat, restituere debet singulis sociis; sors autem tantum decidit quis socius, prius vel post, plus vel minus, vel etiam nihil lucri recipere debeat; unde id discriminis habetur inter dictam societatem et aliam societatem ludi quae gallice vocatur *loterie,* quod nimirum, in hac posteriori societate, pecunia ludo exposita amissionis periculo sit obnoxia: et revera plerique, qui huiusmodi societatem dictam *loterie* ingrediuntur, saepissime non modo nullum praemium accipiant, sed etiam propriam pecuniam, quam contulerunt, amittere soleant. Contra vero in societate pecuniarum, prout viget in hoc Vicariatu, socii semper habent ius percipiendi totam illam pecuniam quam in societatem contulerunt, et insuper aliquod lucrum maius vel minus, prout sors decidit, plerique exigunt. Quamobrem missionarii, iuxta mandatum Vicarii Ap., ubique prohibuerunt christianis, ne memoratas societates inirent tanquam usurarias; et illi, qui huiusmodi societates inierunt, semper adacti fuerunt ad restituendum primo socio totum lucrum perceptum, quia primus socius semper existimatus fuit tanquam simplex mutuatarius. Verum est quod, non obstantibus prohibitionibus Vicariorum App. et missionariorum, multi christiani semper ineunt huiusmodi societates. Quaeritur igitur: Utrum, non obstante dicta animadversione, quae ab Ill. Episcopo Tabracensi bon. mem. in casus expositione videtur omissa fuisse, permitti debeat memoratus contractus. At verum etiam est quod multi christiani timeant inire has societates.

R. Ex hactenus deductis, in decisis a Sacra Congr. an. 1815 *(V. n. 701)*.

766

An Provicariis Confirmationem conferendi facultas sit.

S. C. de Prop. F. *12 Sept. 1821* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — Utrum Provicarius Apostolicus, sede vacante, ratione muneris Provicarii, facultatem habeat:

1. Conferendi sacramentum Confirmationis.

2. Delegandi missionarios ut possint idem sacramentum conferre; Et quatenus negative:

3. An huiusmodi sacramentum debeat iterari his qui a missionariis, sola Provicarii licentia fultis, illud susceperunt. — Et 4. Supplicandum SSmo ut memoratam facultatem ei concedere dignetur.

R. Ad primam et secundam partem dubii: Negative. — Ad tertiam: Reiteretur, remoto scandalo. – Ad quartum: Supplicandum SSmo pro petita facultate, tantummodo sede vacante.

767

Circa facultates missionariorum in locis exilii.

S. C. de Prop. F. *26 Sept. 1821* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — Expono S. Congregationi quatuor missionarios huius provinciae Sutchuen ultimo damnatos fuisse ad exilium in provincias longinquas, ubi multi christiani huius provinciae antea fuerunt variis temporibus relegati. Quare hi missionarii petiverunt, ut concederem illis facultates necessarias ut omnia munia apostolica erga praedictos christianos relegatos, et alios, qui sunt in locis illorum exilii, exercere possint... Quia in talibus circumstantiis versamur, ut facile possit contingere ut alii missionarii comprehendantur et in exilium mittantur, et omnes huius provinciae missionarii multum desiderant scire quomodo in huiusmodi adiunctis se gerere debeant; tum etiam quia nos destituimur omni spe per litteras communicandi cum supradictis missionariis missis in exilium, et instructiones ac decisiones S. C. ad eos mittendi, ut iuxta illas se gerant et munera apostolica obire possint: idcirco quaeritur:

1. Utrum Vicarius Ap. concedere possit missionariis sui districtus, damnatis ad exilium in alienas provincias, facultates ordinarias et extraordinarias, ut illas exercere possint in locis exilii.

2. Utrum huiusmodi missionariis in exilium pulsis, independenter a facultatibus obtentis a proprio Vic. Ap., competant aliae facultates ab ipsa Apostolica Sede illis concessae tanquam missionariis Ap., praesertim si non constet illa loca esse alteri Episcopo subiecta aut propter nimiam longitudinem, vel aliud impedimentum, ad illum Episcopum recurrere non possint.

3. Quaenam sint huiusmodi facultates, et quomodo se gerere debeant circa illas quae nonnisi ad biennium, vel aliud determinatum tempus concedi solent.

R. Ad 1. Affirmative; sed exerceri nequeunt nisi de licentia Ordinarii, aut ob difficillimum accessum ad Ordinarium loci, aut ob deficientiam eiusdem Ordinarii.

Ad 2. et 3. Provisum in 1.

768

De Extrema Unctione aegrotis neophytis conferenda.

S. C. de Prop. F. *26 Sept. 1821* (C. P. PRO SIN.) — Se si possa conferire il Sagramento dell'Estrema Unzione ad un adulto pagano già battezzato, ammaestrato a sufficienza ed appieno disposto, il quale trovisi oppresso da grave infermità.

R. Affirmative, servata forma decreti S. Officii anni 1703. *(V. n. 256 resp. ad 8).*

769

De absolutione a censuris in dispensationibus matrimonialibus.

S. C. de Prop. F. *26 Sept. 1821* (C. P. PRO SIN.) — SUTCHUEN — In his regionibus non raro contingit ut fideles petant dispensationes matrimoniales per litteras, vel per interpositas personas, eo quod personae dispensandae missionarium difficile adire possunt, vel quia sunt puellae, quae duorum vel trium dierum iter agere non possunt, vel quia missionarius dispensationem largitur etiam per literas, vel per easdem interpositas personas. Sed quandoque contingit, ut personae sic dispensatae innodatae existant excommunicatione maiori, vel propter peccatum apostasiae, vel propter abortus directe procuratos, aut etiam alia crimina, a qua poena excommunicationis ignorantia videtur non potuisse eos excusare, quia missionarii solent admonere poenitentes de huiusmodi poena talibus criminibus adnexa. At (hoc) tunc tantum innotescit missionario, quando habet opportunitatem audiendi illorum confessiones; quare tunc missionarius dubitat personas illas sic dispensatas non obtinuisse dispensationis effectum, ac proinde etiam dubitat invalide initum fuisse illarum matrimonium. Ut igitur huic incommodo occurratur, quaeritur: Utrum missionarii, antequam largiantur dispensationes in foro externo, debeant, ad cautelam, absolvere dispensandos in foro interno a censuris ecclesiasticis: ac utrum possint et debeant in foro externo.

R. Affirmative ad primam partem. Ad secundam pariter affirmative, obtenta facultate ab Ordinario.

770

Quoad Missam pro *sponso et sponsa*.

S. R. C. *20 Apr. 1822* — DERTHONEN. — Cum per decretum generale Sacrae huius Congreg. dies designentur, quibus Missa pro sponso et sponsa prohibetur etiam diebus excludentibus duplicia per annum, ideoque etiam infra octavam Epiphaniae, in Vigilia Pentecostes, et infra octavam privilegiatam SSmi Corporis Christi, *quaeritur*:

1. An huiusmodi Missa dici possit diebus duplicia excludentibus, ut supra, notatis.

2. An commemoratio Missae pro sponso et sponsa, dicenda, prout ex dicto decreto, in Missis de duplici 1. vel 2. classis, dici debeat sub unica conclusione cum Oratione festi, vel sub altera conclusione.

3. An talis commemoratio pariter dici debeat sub unica, vel sub altera conclusione, prout solet de aliis commemorationibus occurrentibus in diebus Dominicis et festis de praecepto.

4. Quo loco, quando aliae occurrunt commemorationes, ut in proximo quaesito, commemoratio Missae pro sponso et sponsa dicenda sit sub secunda conclusione.

R. Ad 1. Negative quoad octavam Epiphaniae, vigiliam Pentecostes, et octavam privilegiatam SS. Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar octavae Epiphaniae.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 3. Ut in antecedenti.

Ad 4. Faciendam primo loco post alias de praecepto.

771

Circa facultatem absolvendi ab haeresi.

Ex Litt. S. C. S. Officii *7 Maii 1822* — Dubia quae S. Congñi de Prop. Fide proponuntur a F. Maurilio M. Stabellini: « Inter « facultates a SS. D. N. Papa Vicariis App. « in locis Missionum concessas, hae duae le« guntur sub num. 15 et 16, videlicet: N. 15: « *Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et « a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos « tam saeculares quam regulares, non tamen « eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium « exercetur, nisi in locis Missionum in qui« bus impune grassantur haereses, deliquerint*; « *nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi « isti nati sint ubi impune grassantur haere« ses, et post iudicialem abiurationem illuc re« versi, in haeresim fuerint relapsi; et hos in « foro conscientiae tantum.* — N. autem 16: *Ab« solvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae « reservatis, etiam in Bulla Coenae Domini « contentis.* Quaeritur 1. Utrum harum facul« tatum vigore, ab haeresi externa *occulta*, Vi« cariis Apostolicis quoscumque delinquentes « eorum iurisdictioni subiectos, etiam ecclesia« stiços tam saeculares quam regulares, absol« vere fas sit. Ratio dubitandi quoad primam « facultatem sub num. 15. est quia ibi fit sermo « de S. Officio, et de iudiciali abiuratione, quod « certe nisi in haeresi externa *publica* locum « non habet, et insuper in hac facultate exce« ptio datur locorum in quibus haeresis crimen « fuerit commissum, cuius exceptionis quoad « haeresim externam *occultam* nulla videtur ra« tionabilis causa, nisi forte circa eos delin« quentes qui ad loca Vicariis Apostolicis sub« iecta, ad absolutionem obtinendam in frau« dem reservationis, transirent. Neque dicen-

« dum videtur : cui maius concessum est et « minus esse concessum ; nam si in ceteris hoc « admitti posse censetur, certe non in casu no- « stro. Quamvis enim, uti Benedictus XIV aper- « te docet in sua *Dioecesana Synodo,* tam Epi- « scopus quam Inquisitor haereticum ad forum « iudiciale deductum, sive sponte suum deli- « ctum ad idem forum deferentem, pro utro- « que foro absolvere valeat, non autem hoc « valeat circa haereticum occultum, quem ne- « que Episcopus neque Inquisitor potest absol- « vere a vinculo excommunicationis qua coram « Deo et in foro conscientiae est innodatus. – « Ratio dubitandi quoad alteram facultatem si- « gnatam sub N. 16, nempe : *Absolvendi ab « omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis « etiam in Bulla Coenae Dni contentis,* est « quia ex communi scientia, concessa facultate « absolvendi a casibus Bullae Coenae, non in- « telligitur concessa facultas absolvendi ab hae- « resi, nisi de ea specialis mentio fiat, quia hae- « resis habet strictissimam et specialissimam « reservationem. – Quaeritur 2. Si per neutram « hanc facultatem valeant Vicarii App. ab hae- « resi externa occulta absolvere, possuntne ab « hoc occulto crimine quoscumque, etiam eccle- « siasticos tam saeculares quam regulares, ab- « solvere ex alio capite, ob enormem nempe lo- « corum distantiam, quae merito inter impe- « dimenta admitti potest Sedem Apostolicam « adeundi ? Sic autem absoluti tenenturne item « data occasione se praesentare coram habente « facultatem directam ab hoc occulto crimine « absolvendi ? – Ratio dubitandi quoad primam « partem huius quaesiti est quia huiusmodi fa- « cultas Episcopis tantum ordinariis videtur « competere ex vi sui muneris pastoralis. Vi- « carii autem Apostolici sunt tantum delegati ; « delegatus autem limites transgredi non potest « suae delegationis. Et Sacra Congregatio de « Prop. Fide die 22 Martii anni 1664 decla- « ravit Vicarios App. non posse omnia facere « quae faciunt Episcopi in suis dioecesibus. – « Ratio dubitandi quoad secundam partem, quia « enormis locorum distantia videtur enumerari « posse inter impedimenta Sedem Apostolicam « adeundi ».

R. Responsum ad quaesita atque difficultates Fr. Maurilii Mariae Stabellini continetur in ipso § 15 facultatum, ubi in fine habetur : *et hos in foro conscientiae tantum.* Circa quam clausulam die 26 Septembris 1696 fuit dictum a S. C. ea verba : *et hos in foro conscientiae* comprehendere omnes in prima facultatis parte nominatos. Manifestum ergo est in ista facultate sermonem non esse de absolutione *in foro fori* seu in foro iudiciali, sed de absolutione in *foro conscientiae,* adeoque harum facultatum vigorem exerceri praecise et taxative super haeresi *externa occulta* seu non deducta ad forum externum iudiciale. E contra Episcopi et Inquisitores non possunt absolvere haereticum nisi iudicialiter in ipsorum foro exteriori comparentem, et ibi suum crimen confitentem. Absolutus autem sic in foro exteriori potest deinde absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae absolutione sacramentali. Absolutio data vigore facultatum de quibus loquimur *pro foro conscientiae tantum* immunes non reddit sic absolutos a poenis fori exterioris. Quapropter (sic decretum die 3 Ianuarii 1640) si velint esse tuti in foro exteriori debent sponte comparere in tribunali S. Officii vel Ordinarii, et denuo abiurare ; alias, si denunciabuntur, Inquisitores, vel Ordinarii in eos animadvertere possunt. Item 15 Maii 1669. Serio tamen monendi sunt apostatae reconciliati *in foro conscientiae tantum* quod si redierint ad loca ubi exercetur S. Officium, remanent obnoxii poenis contra apostatas a foro externo comminatas.

772

De Confessione ad Indulgentias acquirendas praescripta.

S. C. Indulg. *12 Iunii 1822.* — Cum non pauci ad hanc S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam supplices libelli porrecti fuerint, praesertim ex Gallia ob confessariorum inopiam, pro obtinenda facultate sacramentalem Confessionem peragendi per plures dies ante Eucharisticam Communionem ad Indulgentias acquirendas praescriptam ; nec non ut explicetur an ad easdem lucrandas liceat sacra Synaxi refici in pervigilio diei festi, pro quo declarantur concessae, eadem S. Cong. habita sub die 15 Aprilis proxime praeteriti... censuit *licere ad praefatum effectum Eucharistiam sumere in pervigilio festivitatis ;* quo vero ad petitam explicationem respondendum censuit : – *Firmo remanente decreto 9 Decembris 1763 pro iis fidelibus qui ad Confessionem saltem semel in hebdomada accedunt : pro ceteris autem fidelibus, in locis in quibus ob inopiam confessariorum nequeunt fideles frequenter Confessione sacramentali expiari, postulantibus communicetur dictum decretum, et facto verbo cum SSmo, extendatur ad omnes utriusque sexus christifideles, ut Confessio peracta infra hebdomadam ante festivitatem suffragari possit ad indulgentiam lucrandam, expletis aliis conditionibus iniunctis, et dummodo nullius lethalis culpae post peractam Confessionem commissae conscii sint, nihil innovando circa indulgentias ad formam Iubilaei concessas, ut in citato Decreto 9 Decembris 1763.* Factoque verbo cum SSmo, Sanctitas Sua S. Cong. votum benigne approbavit ac publicari mandavit.

773

De iure Episcoporum in bonorum ecclesiasticorum administrationem.

Ex Litt. Ap. Pii PP. VII *24 Aug. 1822.* (AD EPISCOPOS AMERIC. SEPT.). — Memorare debent aeditui bona quae ad divinum cultum,

nec non ad Ecclesiae eiusque ministrorum sustentationem oblata sunt, in Ecclesiae potestatem transire; sicut autem Episcopi ex ordinatione divina sunt qui praesunt Ecclesiae, ita ipsi non possunt ab eorumdem bonorum cura, dispositione ac vigilantia excludi. Quare Sacra Tridentina Synodus expresse mandavit, administratores fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, et quorumcumque piorum locorum singulis annis ad reddendam Ordinario rationem administrationis teneri, addens (Sess. 22. Cap. 9. de Ref.) quod etiamsi ex praecipua aliqua loci constitutione administrationis ratio reddenda sit aliis ad id deputatis, tamen cum iis adhibendus etiam sit Ordinarius. Quare si aeditui concordi animo cum Episcopo temporalia Ecclesiae administraverint, omnia pacifice et secundum ordinem fient.

774

De privilegio pontificalium nonnullis canonicorum collegiis concesso.

Decr. S. R. C. *27 Aug. 1822* — Ex Romanorum Pontificum Indulgentia, certa quaedam illustria honoris insignia collegiis canonicorum vel a priscis temporibus adtribui consuevere, quibus et Ordinis maiestas commendaretur magis, et ipsa sacrorum procuratio splendidiori apparatu ad populorum animos in divinae rei venerationem impensius comparandos effulgeret. Ast cum ea sit rerum humanarum conditio, ut quae providentissime constituta primum fuere, pravo deinceps usu atque a concedentium voluntate plane absono, infeliciter pervertantur, id et de canonicalibus privilegiis ut plurimum contingere, graves undique invalescunt querelae hominum et auctoritate et sapientia praestantium. Nedum enim modus Pontificio Diplomate praestitutus violari conspicitur, sed id crebro honoris ac privilegii usurpari, nulla habita locorum, actuum personarumque ratione, quod primoribus ex Ecclesiastica Hierarchia datum dignoscitur.

Tanto huic malo convellendo haud semel adlaboravit Sacra Rituum Congregatio, quae ad rectam rerum sacrarum actionem ordinandam est praeposita; atque idcirco, quod praecipuum abusuum id genus caput est, privilegium pontificalium collegiis canonicorum insignioribus libenter collatum, statis quibusdam conditionibus moderandum curavit, praesertim in Panormitana die 22 Aprilis 1684 et in Urbinaten. die 29 Ianuarii 1752.

Novis tamen et deterioribus adhuc percrebrescentibus adversus haec instituta consuetudinibus, nonnullisque dubiis nuper delatis super usu pontificalium in metropolitana ecclesia Baren., placuit SSmo Domino Nostro Pio Pp. VII rem universam eidem S. Congregationi discutiendam demandare; quae, exquisita prius sententia S. Congregationis Caeremonialis Secretarii, itemque Sedis Apostolicae caeremoniarum magistri, cunctisque rationum momentis accurate diligenterque perpensis, edendum censuit decretum, quo pontificalium privilegia declarentur, certisque legibus ad ritualium praescriptionum normam coerceantur. Eius porro decreti articuli sunt, qui sequuntur:

1. Sacra peragere ritu pontificali de iure inhaeret dumtaxat episcopali dignitati.

2. Praelati Episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatiori, statutis tantum diebus, in propriis Ecclesiis ab episcopali iurisdictione exemptis; et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alexandri VII, a Benedicto XIV confirmata.

3. In Ecclesiis non exemptis vetantur iidem pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

4. Dignitates, canonici, rectores ecclesiarum quocumque nomine insignium prohibentur ritus et caeremonias pro Episcopis et Praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere, aut ornatum aliquem pontificalem induere, absque speciali Apostolicae Sedis privilegio.

5. Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarumdam ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede dignitatibus, canonicis, rectoribus aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati Episcopali, de iure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.

6. Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aeque competunt, sed discrimine est opus inter celebrantem et assistentes cum insignibus pontificalibus.

7. Nam celebranti quaedam competere possunt pontificalia insignia; non item assistentibus, dum dignitates, canonici, rectores etc. sacra sumere debent indumenta.

8. Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat, ex pluries decisis a Sacra Congr. caligae, sandalia, nec auro nec argento ornata, sericae item chirothecae, dalmatica, tunicella, annulus cum unica gemma, crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

9. Hisce omnibus uti poterit solummodo dignitas aut rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia haec, sed aliqua dumtaxat insignia permittat.

10. Qui vero in Missa solemni diaconum et subdiaconum agunt, etiamsi sint dignitates, canonici etc., nec mitram nec ullum aliud pontificale indumentum, nec palmatoriam, si illius

privilegio polleant, ad Evangelium et ad Epistolam adhibere poterunt.

11. Dignitatibus, canonicis, rectoribus etc. Missam cum insignibus pontificalibus solemniter celebrare liceat, iis dumtaxat diebus, in quibus celebrant vice Episcopi absentis vel impediti vel vita functi, aut in quibus Episcopus assistit vel assistere deberet cum pluviali et mitra; in reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito.

12. In Ecclesiis civitatis et dioecesis cum insignibus pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in maioribus solemnitatibus, assentiente Episcopo, et assistente Capitulo.

13. Numquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet Episcopus assistat cum pluviali et mitra, sed celebrent more solito.

14. Si dignitas vel canonicus etc. ab Episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum, vel novitia expleto tyrocinio ad solemnem professionem, pontificalibus insignibus uti nequeat, nisi de expressa licentia; qua obtenta, iis tantummodo utatur, quae actioni conveniunt.

15. Cum pontificalibus indumentis celebrans, nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperto tapete vel panno coloris, qui Officio diei respondeat.

16. Nequit praeterea, tam in solemni, quam in Missa privata, sacras vestes sumere ex altari; uti canone, palmatoria, presbytero assistente; salutare populum cum ℣. *Pax vobis* loco ℣. *Dominus vobiscum,* aut trinam dare benedictionem post Missam vel cum Sacramento; et si quae sunt alia, quae solis competunt de iure Episcopis et ex privilegio Praelatis inferioribus, dum his pontificalia peragere, statis diebus, concessum est.

17. Dignitates, canonici, rectores etc., quando parati assistunt Episcopo pontificaliter celebranti, mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt, sacris indumentis, videlicet pluviali, casula vel dalmatica amicti, in processionibus SSmi Corporis Christi, et in benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum; etiamsi has functiones peragat dignitas vel canonicus loco et vice Episcopi absentis, impediti aut vita functi.

18. Assistentes Episcopo tam in altari quam in cathedra, quando ministrant aut cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

19. Solemniter celebrantes, dum Episcopus sacra assumit indumenta aut solium ascendit, stent sine mitra.

20. Non licet eis uti pulvino sub genubus, Episcopo praesertim assistente.

21. Non adhibeatur acolythus ad tenendam mitram cum holoserico velo e collo pendente, nisi pro dignitate, canonico, rectore etc. solemniter celebrante vel Sacramentum in processionibus deferente.

22. Dignitates, canonici, rectores etc. in processione SSmi Corporis Christi sacris indumentis amicti mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

23. Praeterea reliqua omnia, quae non sunt privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

24. In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum, a simplicibus sacerdotibus non differant; sumant proinde sacras vestes in secretario, non utantur Cruce pectorali, unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duo tantum candelae luceant in Altari.

25. Defuncti, nequeunt in loculo efferri, nec tumulari cum mitra.

26. In eorumdem funeribus seu anniversariis, super tumulo erigi solito non apponatur mitra.

27. In insignibus seu stemmatibus familiae mitra non apponatur, nisi solo in casu quo expresse concessum sit in Literis Apostolicis.

28. Quod si super praemissis aliquod exoriatur dubium, hoc ad S. Congregationem deferatur, quae pro qualitate dubii providebit.

Si quae vero Capitula amplioribus ac praeter huiusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec iura in S. Congregationem perpendenda deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit, opportune decernatur.

De quibus omnibus facta per infrascriptum S. R. C. Secretarium relatione SSmo Domino Nostro, Sanctitas sua cuncta in hoc decreto sancita benigne approbavit, atque in actis S. R. Congr. referri, nec non Literas Apostolicas sub plumbo de eodem edi mandavit. Die 27 Augusti 1822.

775

De contributionibus et de rerum venditione quae licitis simul atque superstitiosis usibus inserviunt.

S. C. de Prop. F. *26 Nov. 1822* (C. P. pro Sin.) — Christianus habens mercaturam et societatem cum infideli, tenentur ambo, et coguntur quotannis solvere in communi aliquid pro rebus licitis, et indifferentibus, simul atque superstitiosis. Christianus protestatur cum suo socio se nihil dare velle pro rebus superstitiosis, et conveniunt invicem ut gentilis solvat solum pro rebus superstitiosis, et christianus pro rebus licitis etc. Quaeritur an liceat, si christianus ita dicat suo socio infideli: — ego absolute nil possum, nec dare volo pro superstitiosis rebus, et solum paratus sum solvere totum pro rebus licitis etc. — et nil amplius.

2. Emptor infidelis protestatur velle uti re vendita ad superstitionem; et christianus negat hanc ei vendere rem. Infidelis audiens hoc, statim mutat verba, et dicit; non ita sit, sed vende eam mihi, ut comedam, vel propter alios indifferentes usus. Quod si christianus recuset,

est periculum ut gentilis clamet, rumoremque faciat contra christianum, vel christianos. Quaeritur an sic liceat christiano vendere infideli, quamvis bene intelligat subdole illum loqui.

R. Ad 1, et 2. Licitum, ut in casu proponitur.

776

De quadam contra missionarios sententia quae ipsis signanda proponitur.

S. C. de Prop. Fide *9 Dec. 1822* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — Gravis quaestio orta est inter harum partium missionarios quomodo christiani, et multo magis missionarii se gerere debeant, coram iudicibus et magistratibus, quando sollicitantur ut negent se esse antiquos christianos aut sacerdotes missionarios. Cum enim intersit mandarinorum, ad illorum honorem et dignitates tuendas, occultare Imperatori religionem christianam late propagatam fuisse in his partibus, hinc est quod quandoque hortantur christianos qui apostatare recusant, ut dicant se non a multis annis, sed tantum recens ad fidem christianam fuisse conversos. Missionarios autem qui munus suum apostolicum dignitatemque sacerdotalem palam confessi sunt, sollicitare solent ut praedictum munus et dignitatem occultent, atque fateantur se religionem christianam non praedicavisse, nec religionis suae sectatores post se reliquisse. Ideo autem mandarini ita se gerunt, quia timent ne, si constet Imperatori religionem christianam valde dilatatam fuisse multumque excrevisse missionariorum numerum, ipsi mandarini graviter puniantur, quasi negligentes fuissent in impedienda propagatione religionis christianae sicut in aliis persecutionibus contigit, in quibus multi mandarini ob hanc causam dignitates suas amiserunt. Hinc, licet quatuor illi missionarii, de quibus fuse dixi in relatione, semper confessi sint se esse sacerdotes, fidemque christianam pro viribus suis praedicavisse, attamen expositum fuit Imperatori illos non esse sacerdotes, nec christianam fidem praedicavisse, nec fidei christianae sectatores post se reliquisse: quare in Imperatoris rescripto asseritur illos ad exilium tantum condemnandos esse, quia non constat illos esse sacerdotes aut fidei praedicatores. Quaeritur igitur:

1. Utrum dicti missionarii licite potuerint recognoscere et signare suam sententiam condemnationis; prout fert usus illius Regni, in qua enuntiatur illos nec esse sacerdotes, nec fidei praedicatores, atque id tali modo enuntiatur ac si ipsi missionarii ita confessi sint. Ratio dubitandi est quia, etiamsi missionarii non assentiantur illi sententiae, et illam signare recusent, sententia tamen illa eodem modo publicabitur et executioni mandabitur perinde ac si illam signavissent, estque timor ne Praefecti, in vindictam quod illi non assensi sint, durius illos tractent. Ex altera parte, dictam sententiam signando videntur retractavisse omnia quae in tribunalibus coram iudicibus et magistratibus multoties confessi sunt de illorum dignitate sacerdotali et munere apostolico.

2. Utrum praedicti missionarii, cum norint publicatam esse illam sententiam, in qua enuntiatur illos non confessos esse se esse sacerdotes et fidei praedicatores, teneantur, ad omne scandalum removendum, reclamare contra Praefectos, aut saltem christianis manifestare se munus suum et dignitatem non occultavisse atque calumniam pati ex illa sententia contrariam veritati a se manifestatae.

Circa manifestandas fidelium familias mandarinis interrogantibus.

3. Utrum missionarii, quando a iudicibus aut mandarinis sollicitantur ut manifestent familias illas quibus Religionem praedicarunt, aut apud quas hospitati sunt, peccent, si dictas familias iudicibus aut mandarinis indigitent. Ratio est quia dictae familiae gravissima damna pati solent in his circumstantiis, et periculo apostatandi a Religione exponuntur per huiusmodi manifestationes. Quod si praedictas familias indigitare non licet, quomodo missionarius a iudicibus interrogatus respondere debet? Nam, si dictas familias non manifestat, iudices statim subdunt: « ergo tu non es sacerdos? ergo fidem nemini praedicavisti? » Sicque in sententia condemnationis annuntiant illos esse confessos se non esse sacerdotes atque nemini christianam fidem praedicavisse.

R. Ad 1. Negative: non potuisse scilicet missionarios recognoscere et signare suam condemnationis sententiam de qua in casu.

Ad 2. Non teneri eosdem missionarios reclamare contra Praefectos; ad vitandum autem inter fideles scandalum doceantur fideles ipsi nullam fidem habendam persecutoribus confessores Christi calumniose criminantibus.

Ad 3. Fidelium familias mandarinis interrogantibus non esse manifestandas, sed aut tacendum, aut evasivis verbis, omni tamen mendacio remoto, respondendum.

777

De facultate Vicariorum App. provicarios eligendi, eisque facultates subdelegandi.

S. C. de Prop. F. *9 Dec. 1822* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — 1. An harum partium Vicariis App. competat ius et potestas eligendi et constituendi vicarios seu provicarios, qui, Vicariis Apost. adhuc viventibus et munus suum exercere valentibus possint tanquam eorum Vicariorum Apost. vicarii aut provicarii idem munus exercere.

2. Utrum Episcopi Vicarii App. possint Episcopis coadiutoribus ac suis provicariis peculiares quasdam facultates, praesertim vero matrimoniales, sic communicare ac delegare ut ipsi Episcopi coadiutores et dicti provicarii possint easdem aliis etiam missionariis communicare ac subdelegare; et quatenus affirmative, quaenam sint hae facultates?

R. Ad 1. Affirmative, iuxta Constitutiones Clementinas, et Benedictinas incipientes: *Ex sublimi (V. n. 387).*

Ad 2. Affirmative; competere scilicet Vicariis App. facultatem subdelegandi suis coadiutoribus et provicariis facultates ordinarias et extraordinarias, exceptis iis quae characterem episcopalem requirunt; praetereaque competere dictis subdelegatis, coadiutoribus nempe et provicariis, illas communicandi subdelegatas facultates aliis missionariis.

778

De deferendo infirmis SS. Sacramento absque lumine et stola.

S. C. de Prop. F. *9 Dec. 1822* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — 1. Cum concessa iam sit facultas deferendi SS. Sacramentum infirmis occulte, sine lumine et stola, quaeritur utrum etiam licere possit harum partium missionariis occulte, et sine lumine et stola, SS. Sacramentum administrare infirmis, quando aliter administrari non potest? Multi enim moriuntur infirmi sine SS. Viatico in domibus paganorum quia numquam permissum est huius provinciae missionariis illud administrare sine lumine, superpelliceo et stola, quibus tamen saepe possunt administrari Sacramenta Poenitentiae et Extremae Unctionis.

De administranda SS. Eucharistia christianis in carcere detentis.

2. Utrum Vicarius Apostolicus permittere possit missionariis, ut deferant et administrent SS. Sacramentum Eucharistiae christianis et praesertim sacerdotibus in carceribus propter causam fidei detentis, qui multum desiderant et maxime efflagitant, ut Vicarius Ap. permittat missionariis ut illis deferant et administrent SS. Eucharistiam in carceribus ad quos condemnati sunt ad totam vitam. At, cum alii Vicarii Ap. similibus precibus non annuerint, nec ego ausus sum missionariis talem facultatem concedere; verumtamen mihi expositum fuit, quod hi qui ad carcerem perpetuum condemnati fuerunt, non prohibentur visitari, et possunt soli cum solo diu permanere, ita ut facile possit illis sine periculo contemptus SS. Eucharistia administrari, si licitum esset illud administrare sine superpelliceo et stola.

R. Ad 1. Affirmative, agitur enim de facultate a summis Pontificibus iam concessa.

Ad 2. Affirmative, et quoad detentos ad tempus, quatenus petant; arbitrio tamen et prudentiae Vicarii Apostolici.

779

Quid agendum erga mulieres catholicas viris haereticis sine dispensatione nuptas.

S. C. de Prop. F. *9 Dec. 1822* (C. P. pro Sin.) — Siam — Sunt quaedam mulieres catholicae quae coram ministello nupserunt cum viris haereticis sine dispensatione; fides earum usque modo fuit in tuto: veniunt ad ecclesiam, Poenitentiae Sacramentum frequentant; educatio vero prolis non est in tuto, imo vero, quando grandiusculi fiunt filii, coguntur sequi partes patrum suorum; rogo dare mihi instructionem quomodo tractandae sint huiusmodi mulieres.

R. S. Congregatio respondendum censuit ac decrevit huic dubio sequenti data Instructione.

Instructio. — Ac primum Vicario Ap. ac missionariis, qui in Siamensi dominico agro excolendo tanta cum laude adlaborant duas Instructiones prae oculis habendas esse S. C. existimat: unam anno 1788 pro Imperio Sinico datam, eidem Vic. Ap. Siamensi anno 1818 transmissam, in qua disertis verbis affirmatur in Sinis Decretum de Matrimonio Tridentinum nunquam fuisse promulgatum; alteram, quam ipsa S. C., ineunte anno 1821, edidit de matrimoniis clandestinis, observandamque a fidelibus eiusdem Imperii praecepit; neque solum Imperii, sed eidem adiunctorum Regnorum atque Provinciarum, adeoque Siamensis etiam Regni. Etenim in ea declaratum est atque praescriptum, ut quibus in locis Vicarii Ap., maturo adhibito consilio, expedire iudicaverint, in iis Concilii Tridentini Decretum (cap. 1, sess. 24, *De matrim.*) rite promulgandum curent; ac propterea matrimonia quae posthac iisdem in locis celebrari contigerit, ut valida nominentur et sint, ineunda esse coram parocho, aut missionario, aut sacerdote quovis legitime designato, ac duobus vel tribus testibus, iisque, si haberi possint, christianis; in iis vero locis, in quibus integrum non possit observari Decretum, quod parochus vel alius ad id muneris rite designatus absit, facilesque ad eumdem aditus non pateant, iniri quidem debere coniugia coram duobus saltem testibus, iisque quantum licuerit christianis; ita tamen contrahentes, ne Sacramenti dignitas vilescat, obligandos lege sistendi se coram parocho vel missionario quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius vero vel parochus redux, quando sibi de consensu coniugum constiterit, edoceat coniuges eiusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere coniugii.

Iam vero, consideratis et perpensis memoratis Instructionibus, facile intelligitur quid sentiendum sit de pravis coniunctionibus in superiore casu spectatis; nam, cum infelices illae mulierculae catholicae ante Decretum Tridentinum rite promulgatum nuptias cum viris haereticis coram ministello sine dispensatione inierint, etsi Sancta Mater Ecclesia detestabiles huius generis nuptias damnaverit semper, necnon omnimodis absterrere ab iisdem catholicos sategerit, non tamen invalidas eas esse S. C. censet, sed tantum vehementer illicitas; ac propterea egent mulierculae illae poenitentia absolutioneque Ecclesiae, quae, nisi antehac concessa sit, concedatur.

At quoniam..... Tridentini decretum pro-

mulgatum rite per aliquot fortasse loca iam fuit, vel integrum observandum est, vel fere integrum pro conditione locorum ac personarum, uti paulo ante explicatum est: in hoc casu, si quae mulieres catholicae, contempto decreto, quod observare debebant, cum viris haereticis coram ministello nefariam coniunctionem inire tentassent, censet S. C. tales concubitus invalidos, ac vim nullam habituros in conspectu Ecclesiae esse declarandos.

Quod si tandem dubitetur, an rite Tridentinum Decretum per aliqua loca promulgatum hactenus sit, intereaque similes nuptiae contractae fuerint, ac de validitate earumdem prudens aliqua dubitatio suboriatur, hoc in casu censent EE. PP. sananda huiusmodi matrimonia, quatenus opus sit, in radice.

Sed consilia quaedam ac regulae tradendae sunt missionariis, quarum ductu catholicae coniuges eripere grandiusculos suos filios possint a periculo perversionis. Primum itaque omnium condocefacere missionarii eas debent ut, pro gravissimo scelere quod admiserunt, veram poenitentiam agant, veniamque a Deo sibi adprecentur, conenturque pro viribus coniugem a fide deerrantem ad gremium catholicae Ecclesiae pertrahere, eiusque animam lucrari; lucrum enim parentum lucrum filiorum est. Adhortentur deinde eas ut humillimas preces ad Deum quotidie fundant, qui fortiter suaviterque corda hominum flectit ac temperat, quique vocat ea quae non sunt tanquam ea quae sunt; ita enim fiet, ut pro salute virorum atque filiorum fusa oratio ad coelum ascendat ac divina descendat miseratio. Excitent praeterea earum animas ad cultum christianarum virtutum, quibus tanquam inaestimabilibus gemmis ornatae exhibeant se viris suis, maxime vero modestia, patientia, obsequiis; nam si virtus etiam in hoste posita delectat, quanto magis in uxore delectabit? Neque vero, divina fortasse misericordia retardata, de misericordia desperent, imitatae sanctas coniuges, Monicam, Clotildem et alias quae viros suos a fide alienos, opitulante Deo, ad fidem tandem adduxerunt. Iam his regulis adhibitis, si viros suos integre non vincent, nec de eorum animis triumphabunt, at frangent certe duritiam eorum, et corda praeparabunt ad aliquod saltem lucrum in instituendis filiis consequendum. Atque hic explicabunt missionarii quae quantaque cautio ac diligentia adhibenda sit ad pravae educationis prolis praefocanda pericula; tanta nempe quantam parentes adhibere tenentur ad spiritualem filiorum salutem procurandam. Studeant igitur catholicae coniuges ut sibi permittatur filios et filias, saltem usque ad pubertatis annos, educare; nam ex eo tempore, si pervertatur proles, ipsi imputabitur, non negligentiae coniugis catholicae. Quod si post rationis usum, veniam suae educandae prolis impetrare non possint, dabunt operam admonitionibus, consiliis, suasionibus, quantum fas erit, ut natis suis veram religionem instillent. Tandem si quam fortasse earum missionarii despondere animum internoscant, quod, post omnimodam diligentiam cautionemque adhibitam, nulla ratione liceat sibi de catholica filiorum educatione proficere, declarabunt iisdem pulcherrimam Sancti Bernardi sententiam e libro quarto de Consideratione: *Noli diffidere; curam filii exegeris, non curationem. Audisti:* Curam illius habe, *et non:* Cura *vel* sana illum. *Non est in medico semper relevetur ut aeger. Paulus loquitur:* Plus omnibus laboravi, *non ait:* Plus omnibus profeci, *aut* plus omnibus fructificavi, *verbum insolens religiosissime vitans. Noverat homo, quem docuit Deus, quia unusquisque secundum suum laborem accipiet, non secundum proventum.*

Atque haec attigisse sufficiat ad casus a Siamensi Vicario Ap. propositi responsionem.

780

De venditione olei quo conficiuntur candelae ad usus superstitiosos.

S. C. de Prop. F. *9 Dec. 1822* (C. P. pro Sin. — Sutchuen — Suppliciter exoro S. C. ut dignetur declarare an possit permitti mercatoribus oleorum, ut vendant oleum iis qui ex eo solent conficere candelas, quarum usus magis ordinarius est ad colendum idola, vel peragendas alias superstitiones a paganis in sacrificiis suis, et maxime sub initio anni novi, peragi solitas. Porro licet huiusmodi candelae, ex oleis seminum confectae, ordinarie adhibeantur pro superstitionibus peragendis, non tamen extat ulla lex quae prohibeat quominus in aliis usibus licitis etiam adhibeantur: et sunt qui quandoque illas adhibent in lanternis tempore noctis, vel domi illas accendunt, hisque utuntur pro rebus licitis peragendis; sed pauci sunt qui illas adhibeant in usibus licitis, eo quod carioris venduntur quam aliae candelae ex sebo: et revera earum usus magis ordinarius est pro colendis idolis aut superstitionibus peragendis. Christiani autem non solent huiusmodi candelas conficere nec vendere: sed difficile possunt eximere se a vendendo oleo eis qui illas conficere et vendere solent. Quaeritur utrum possit etiam permitti christianis conficere ac vendere supradictas candelas nihil interrogando emptores de usu ob quem volunt illas candelas emere, licet sciant generatim a paganis illas candelas emi pro superstitionibus peragendis.

R. Detur responsio iam data a S. Congr. anno 1645 *(V. n. 114).*

781

Cuius in manibus, et an pluries emittendum iuramentum Bullae *Ex quo.*

Instr. S. C. de Prop. F. *8 Mart. 1823* (ad Coadiutor. Vic. Ap. Sutchuen) — Quod

attinet ad ea quae circa iuramentum a missionariis qui ad Sinas mittuntur praestandum, quaesivisti *quando*, videlicet, *et cuius in manibus emitti illud debeat, et num etiam pluries, si de una in aliam Missionem ipsos transire contingat:* adnotandum tibi esse censet S. Cong. quod in Constitutione S. Pontificis Benedicti XIV, incipiente *Ex quo singulari*, non solum praecipitur, ut missionarii qui ad Sinas mittuntur, antequam missionarii munus exerceant, iuramentum praestent iuxta formulam in eadem Constitutione praescriptam, verum etiam designantur illi in quorum manibus praedictum iuramentum praestandum est. Hos vero, in defectum Commissarii ac Visitatoris Apostolici in praefato Imperio Sinarum pro tempore existentis, vel alterius ab illo deputati, esse debere Superiores illarum Missionum ad quas praedicti missionarii mittuntur, pronum est inferre ex eadem Constitutione. Nihilo tamen minus, cum contingere possit et saepe contingat, ut praedicti missionarii, antequam accedant ad suos Superiores, debeant per aliquod tempus immorari in aliquo loco Imperii Sinarum a iurisdictione distanti suarum Missionum, si ibi volunt (quod commendandum summopere est) missionarii munus aliquod exercere, veluti esset infideles ad catholicam religionem convertere, fideles fidei rudimentis imbuere, eorum confessiones audire, et similia, possunt iuramentum illud, quod ex praedicta Constitutione praestare omnino debent antequam missionarii munus exerceant, in manibus praestare Episcopi illius loci in cuius iurisdictione actu sunt: neque per hoc transgredi dicendi sunt praeceptum dictae Constitutionis, ut declaravit auctor eiusdem Summus Pontifex Benedictus XIV, occasione quorundam dubiorum, quae proposita fuerant sacrae huic Cong., iis similium quae nuper ab Ampl. Tua eidem S. C. proposita sunt. Insuper necessarium non est, ut toties repetatur iuramentum, quoties adeuntur diversi Episcopatus, vel Vicariatus, vel quoties mutatur superior ecclesiasticus in eodem Episcopatu vel Vicariatu; idemque pariter intelligendum est de Regularibus, quoties mutantur eorum Superiores; denique satis est ut, semel emisso iuramento, proferatur testimonium de eodem iuramento praestito, datum ab eo in cuius manibus primo emissum est.

782

De recitatione Evangelii, *Gloria* et *Credo* lingua vernacula.

S. C. de Prop. F. *29 Martii 1824* (C. G.) — Se nella Messa parrocchiale sia lecito dopo il Vangelo in latino leggere il Vangelo in altro rito ed in altra lingua, e che il ministro reciti ad alta voce in idioma volgare *Gloria, Credo* etc.

R. Non licere, et ad mentem. Mens est: che il solo Vangelo, volendosi fare la spiegazione o l'istruzione, si possa premettere come parte del discorso, purchè la versione sia approvata o legittimamente adottata.

783

De orientalibus latinum ritum ad tempus servantibus.

S. C. de Prop. F. *29 Martii 1824.* (C. G.) — Se i cattolici orientali dimoranti nei luoghi ove non esiste il parroco del proprio rito possano seguire il rito latino durante la loro dimora nelle parrocchie latine.

R. Affirmative, durante absentia Episcopi vel parochi proprii ritus, et ad formam Constitutionum Benedicti XIV *Demandatam* (1) et *Allatae (V. n. 395).*

784

An possit mulier a viro infideli dimissa, ad fidem conversa christiano nubere, et vir idem conversus aliam ducere uxorem.

Instr. S. C. S. Officii *16 Sept. 1824* (AD ARCHIEP. QUEBECEN.) — *Dubia proposita:* — 1. Vir et mulier infideles plures annos vixere simul tamquam coniuges. Contendit mulier se a viro acceptam fuisse in uxorem cum promissione perpetuae cohabitationis. In huiusmodi porro promissione (accedente copula) consistit totum matrimonium inter istos infideles iuxta morem regionis. At vir negat quod talem promissionem unquam emiserit, seseque liberum existimans, eamdem dimisit cum filiis ex mutua eorum cohabitatione procreatis. Dimissa mulier christianam religionem amplectitur, licetque cum priore viro remanere possit absque perversionis periculo, si ille de suis promissis admonitus eisdem stare vellet, quaeritur an, eo renuente, ipsa matrimonium cum viro christiano inire possit. Et quatenus affirmative, an prior quoque vir, si postea ad fidem convertitur, possit etiam aliam christianam uxorem ducere.

De matrimonio vidui christiani cum muliere infideli quae vult converti, et quae cum filio illius rem habuit.

2. Paulus viduus christianus Balbinam infidelem duxit in uxorem, quae in numero christianorum cooptari cupit, ut cum ipso matrimonium christiano more contrahat. Interim Demetrius Pauli filius ex priore uxore proveniens declarat se rem habuisse cum Balbina. Quaeritur an ex huiusmodi copula cum muliere infideli resultet impedimentum affinitatis in primo gradu.

---

(1) In dicta Const. pro graeco-melchitis (24 Dec. 1743) statuit Pontifex: « Licere tantummodo fratribus « Ordinis Minorum S. Francisci Custodiae Terrae San- « ctae parochialia munia obire circa graeco-melchitas « eisque sacramenta administrare in iis locorum et tem- « porum circumstantiis, quibus omnino deficiat modus « habendi parochum aut alium Antistitem graeci ritus: « quo casu praedicti fratres emolumenta legitimo iure « debita percipere licite valeant, et a iurisdictione An- « tiocheni Patriarchae (graeco-melchitarum) nullatenus « ipsi dependeant, sed huic dumtaxat petenti teneantur « singulis annis notulam tradere animarum graeci ritus « in ea civitate seu loco existentium, utpote quae in « reliquis eidem Patriarchae subesse intelligantur ».

De secundis nuptiis mulieris ad fidem conversae post relictum virum infidelem, qui ad alias transiit terras.

3. Mulier quaedam infidelis coniugem aeque infidelem duxerat, quem sine causa reliquit adhaesitque viro christiano, quem ipsa facta christiana in coniugem accipere vult. Quaeritur an cum eo iungi possit, spreto primo coniuge infideli, qui ad alias terras transivit nec verisimiliter in patriam reversurus est.

An mulier ad fidem conversa nubere possit sacramentaliter viro fideli, qui antea eam in matrimonium duxerat etsi eius esset affinis.

4. Vir fidelis in matrimonium duxit mulierem infidelem cuius consanguineam in secundo gradu infidelem quoque antea cognoverat. Quaeritur an postquam uxor eius christianam fidem amplexa fuerit, indigeat dispensatione super secundo affinitatis gradu ut cum ipso sacramentaliter contrahere possit.

Quomodo se gerere debeat missionarius in casu mulieris infidelis viro haeretico nuptae, et Baptismum petentis.

5. Mulier infidelis viro haeretico nupta ad Baptismum admitti postulat. Non obstat maritus quominus illum recipiat, et catholicam religionem profiteatur, at ipso catholicum fieri nolente. Quaeritur quomodo se gerere debeat missionarius catholicus. An baptizando mulierem, permittere ut cum viro isto haeretico coram ministro acatholico matrimonium contrahat? An ei denegando baptismum, ansam dare ut illum ab haeretico ministro recipiat? An ipsam baptizare et matrimonio iungere cum viro haeretico, quod evidenter implicat communicationem in divinis?

Quae *matrimonia praeterita* intelligantur in formula facultatis dispensandi in affinitate et consanguinitate.

6. In facultatibus extraordinariis, quas Summus Pontifex concedere solet missionariis vel Episcopis in longinqua agentibus, dicitur: *Dispensandi quoad matrimonia praeterita etiam in secundo solo (gradu affinitatis et consanguinitatis), dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam.* De quo quaeritur an per matrimonium *praeteritum (Form. I n. 6)* intelligenda sit coniunctio quae obtinuisset inter virum catholicum et mulierem haereticam, vel inter virum fidelem et mulierem infidelem, vel viceversa, ita ut praedicta facultate uti liceat quando alterutra tantum pars contrahens ab haeresi vel infidelitate redit ad fidem catholicam.

R. Ad 1. Nihil propositi dubii species praeseferre dignoscitur quod ex traditis a Benedicto XIV (De Syn. Dioec. l. 13, c. 21) facilis non sit solutionis. Duo enim ibi Pontifex ponit principia: 1. Matrimonia infidelium dissolvi posse si coniugum alter ad catholicam convertatur fidem, remanente altero in infidelitate ac renuente cum coniuge converso cohabitare; vel si voluerit, non tamen absque contumelia Creatoris; ideoque partem conversam posse inter catholicos ad alia vota transire. 2. Constare tamen debere de infidelis coniugis renuentia, non ex sola praesumptione, sed per iudicialem eiusdem interpellationem, nisi interveniat Apostolica dispensatio.

Iam vero quoad primam dubii partem: Renuit, ut exponitur, vir infidelis stare promissis de perpetua cum praefata muliere cohabitatione, imo negat se huiusmodi emisisse promissa, ac proinde se verum iuxta morem regionis contraxisse cum ea matrimonium; negat igitur se illam habuisse, et habere velle in uxorem. Quod, ut quisque videt, plus est quam simpliciter declarare « se cum ipsa cohabitare nolle »: sufficeret autem haec declaratio: eo ergo magis sufficere dicendae sunt recensitae casus circumstantiae ad hoc ut liberum sit conversae mulieri aliud matrimonium inire. Neque obstat quod mulier remanere posset cum infideli coniuge absque perversionis periculo, si ipse admonitus de promissis cum ea cohabitare vellet: nam et admonitus iam supponitur, et renuere asseritur.

Animadvertendum tamen est haud satis esse extraiudicialem notitiam renuentiae viri infidelis ante mulieris conversionem, praesertim si nullo comprobetur authentico aut publico documento. Non enim tuto in tam gravi negotio adhiberetur fides unius dimissae uxoris assertionibus. Oportet igitur iudicialiter virum interpellare, antequam facultas fiat mulieri novum ineundi matrimonium, nisi concurrant circumstantiae ab eodem Benedicto XIV indicatae, ob quas utendum sit Apostolica dispensatione, ut fusius dicetur ad dubium tertium.

Quo vero ad secundam partem dubii: Disputant equidem inter se theologi et canonistae, quaestionemque se intactam relinquere declarat laudatus Pontifex in sua Constitutione *Apostolici ministerii* (super abusu libelli repudii conversorum a iudaismo ad fidem catholicam): an scilicet qui ex coniugibus in infidelitate perseverat, in poenam suae perfidiae illigatus remaneat, vel ubi coniux conversus ad alias iam transit nuptias, liber et infidelis censendus sit. Ast longe dispar est praesens casus et extra quaestionem; non enim hic agitur de libertate viri in infidelitate adhuc perseverantis sed de eius libertate postquam catholicam et ipse amplexatus est fidem, ac mulier aliud iam iniit matrimonium. Quo in casu quod favore fidei concessum est mulieri, fidei quoque favore concedendum est viro, ne alioquin ansa ei praebeatur catholicam aversandi religionem, aliisque infidelibus coniugibus in infidelitate permanendi. Praecisa itaque quaestione de ligamine poenali, quae in praesentiarum locum non habet, res est ex communis iuris principiis deducenda. Principium autem iuris communis est: soluta a vinculo coniugali muliere, solutum remanere et virum. Quippe vinculum est inter duo, seu duorum in unum, idcirco libertas unius libertatem infert alterius. Nec refert inquirere an vir revera emiserit, vel non, assertam promissionem, scilicet an verum constiterit ipsum inter et dictam mulierem matrimonium. Quandoquidem non matrimonii dubietas in causa est eius solutionis, sed renuentia cohabi-

tandi, quin imo solutio verum matrimonium supponit.

Ad 2. Duo sunt distinguenda: 1°. Vel Paulus duxit in uxorem Balbinam infidelem praevia dispensatione Apostolica super cultus disparitate, vel absque Apostolica dispensatione. 2°. Vel Demetrius rem habuit cum Balbina antequam Paulus eam sibi acciperet in uxorem, vel post. Si praevia Apostolica dispensatione Paulus Balbinam duxit, etiamsi praecessisset Demetrii copula cum eadem Balbina, iam pro valido habendum est matrimonium; quippe impedimentum affinitatis, praesertim ex copula illicita, ut in casu, cum non habeatur ut iuris divini, aut naturalis, sed tantum ecclesiastici, infideles ex mente Ecclesiae non afficit, quia Ecclesiae non subditos: et Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis a quibus exempta est pars infidelis, ut inde huius exemptio, propter contractus individuitatem, communicata remaneat et alteri. Fit inde consequens huiusmodi matrimonium iterari non posse post Balbinae conversionem ad fidem; semel enim validum, semper in sua perseverat validitate, neque infirmaretur per subsequentem copulam quam Demetrius cum Balbina habuisset, quia non inde solveretur vinculum coniugale quod est indissolubile. In hoc ergo primo casu animadvertant missionarii ne huiusmodi coniuges christiano more contrahere postulantes admittant ad novam consensus praestationem, imo eos admoneant de validitate praecedentis matrimonii, ut sciant per sacras nuptialis benedictionis caeremonias non novum se inire matrimonium, sed tantummodo quod iam inierunt, firmumque consistit, sanctificari.

Contrarium autem dicendum est in secundo casu, nempe si Paulus contraxit cum Balbina absque Apostolica dispensatione super disparitate cultus; tunc enim nullum et irritum fuit matrimonium, ac si contractum non fuisset, et ipsa Balbina post baptismum impedimento ligaretur affinitatis. Nec refert quod Balbina, cum carnaliter cognita fuit a Demetrio, adhuc in infidelitate versaretur, atque idcirco ecclesiastico non subiiceretur impedimento; distingui namque debet affinitas, in se ac physice spectata, ab impedimento affinitatis. Porro affinitas etiam ab infidelibus contrahitur, quia etiam inter infideles verum est quod vir et mulier per carnalem copulam una caro efficiuntur. Itaque ut habetur in Cap. *Fraternitatis* 35 quaest. 10: « si una caro fuerint, quomodo « poterit aliquis eorum propinquus uni perti- « nere, nisi pertineat alteri? » Igitur quia Paulus pater pertinet ad Demetrium filium, pertinere dicendus est et ad Balbinam, ac Balbina, quia una caro effecta est cum Demetrio, pertinere Paulo. Id tantum est discriminis, quod affinitas ecclesiasticum non parit infidelibus impedimentum; fidelibus autem parit. Quapropter cum per baptismum non tollatur a Balbina eius iam physice contracta cum Paulo affinitas haec ipsa affinitas radicaliter in ea inhaerens, quae eidem infideli impedimento non erat ad contrahendum, impedimentum evadit post baptismum quo subdita fit Ecclesiae, eiusque proinde legibus subiecta; impedimentum autem utique in primo gradu, et quidem in linea recta, quia in tali se gradu et linea Paulus pater et Demetrius filius, et affinitatis gradus a gradibus desumuntur consanguinitatis.

Ad 3. Duo in hoc dubio asseruntur unde eius auctor videtur rationem sumere dubitandi: nempe viri per mulierem facta derelictio, et eiusdem viri in alias terras transmigratio, in patriam verisimiliter non reversuri. Sed exploratum est horum neutrum valere ad hoc ut mulier facta christiana possit absque dispensatione Apostolica alteri nubere, *spreto,* idest non interpellato altero coniuge. Et sane: Non valet primum quia cum matrimonium infidelium, cui nullum obstet impedimentum iuris divini aut naturalis, validum sit et indissolubile, nedum arbitraria alterutrius derelictione non solvitur, sed neque mutuo amborum coniugum consensu nec voluntate dirimi potest. Subsistit igitur coniugale vinculum, nec potest solvi omissa viri interpellatione. Neque valet secundum, ut hinc dici queat, cessare in casu obligationem interpellationis faciendae: missionarios enim latere non debet Benedictum XIV (de Syn. Dioec. lib. 6, cap. 4; et lib. 13, cap. 21) 1. non satis tutam in praxi appellare opinionem illam, quae ponit iudicialem interpellationem licite omitti posse quoties aut fieri reipsa nequit, aut, si fieret, nullius utilitatis fore reputatur; 2. ipsumque in ea esse sententia, quam et fuisse memorat sententiam S. C. Concilii in quadam *Florentina* (17 Ianuarii 1722), nimirum: etiam in casu quod coniux infidelis in longinquas abierit regiones, aut ita latitet ut interpellari nequeat, adhuc opus esse dispensatione Summi Pontificis cuius est declarare in quibusnam circumstantiis desinat obligare praeceptum divinum quo praedicta interpellatio videtur iniuncta. Iudicio autem remittitur Episcoporum in illis Missionibus versantium, quibus facta sit facultas huiusmodi concedendae dispensationis, decernere in casibus particularibus, an concurrant urgentes eae circumstantiae ob quas dispensandum sit ab interpellationis obligatione.

Ad 4. Ex his quae dicta sunt in responsione ad 2 dubium patet responsio ad 4. In utroque enim agitur de impedimento affinitatis ex copula illicita, nisi quod ibi sermo erat de affinitate quodammodo passiva Pauli fidelis, quam nempe contraxerat cum Balbina non ex proprio sed ex facto alterius, scilicet Demetrii, hic autem de affinitate agitur activa, cuius vi-

delicet auctor est ipse vir catholicus qui contrahere vult mulierem cuius consanguineam in secundo gradu carnaliter cognovit. Eo ergo magis resultare dicendum est ex parte viri impedimentum, et quidem in secundo, quia consanguinitas et affinitas pari procedunt et computantur gradu, eodemque similiter detineri etiam mulierem, quum catholicam amplexata fuerit fidem. Itaque si matrimonium a viro fideli cum infideli contractum Apostolica praecesserit dispensatio super cultus disparitate, pro valido habendum est, ideoque non iterandum, post mulieris baptismum, novi consensus praestatione; si vero absque huiusmodi dispensatione initum fuerit, quia nullum tunc fuisset et irritum, praeexistentis affinitatis impedimentum afficeret, post baptismi susceptionem, etiam mulierem, ut ipsa quoque indigeret dispensatione ad valide et sacramentaliter contrahendum.

Ad 5. Missionarius in proposito casu edocere debet mulierem de nullitate prioris matrimonii in infidelitate initi cum viro haeretico, qui utpote per Baptismum Ecclesiae legibus subiectus, impedimento detinebatur disparitatis cultus, et si recte dispositam reperit, eam potest ad baptismum admittere, cum qua etiam ab habente facultatem dispensari potest, ad hoc ut, post baptismum, cum eodem haeretico viro, si nihil aliud obstet, licite nubere valeat. Nam quoad matrimonii validitatem, valide iam illud contraheret in provinciis Quebecensi et Canadensi ob extensionem Benedictinae declarationis (4 Novembris 1741) factam a Clemente XIII. Nihil autem impedire dignoscitur quominus praefatae mulieri baptismum licite conferri queat, cum, ut exponitur, catholicam ipsa profiteri velit, ipsomet viro id ei annuente, religionem. Sicuti nec urgens deesset causa cum ea dispensandi, ut viro haeretico nubat, quotiescumque foret ex denegata dispensatione prudenter pertimescendum ne ea vel a suscipiendo baptismate averteretur, vel illud reciperet a ministro acatholico, coram quo et matrimonium pariter iniret; quod nullo pacto permitti debet. Vetitum autem non esset catholico parocho huiusmodi assistere matrimonio. Vi enim concessionis dispensationis Apostolicae licitum illud evaderet, ideoque et licita parochi praesentia. Verum, ut monet Benedictus XIV *(De Syn. Dioec. lib. 6, cap. 5, § 4)*, iis in locis atque regionibus ubi huiusmodi matrimonia (catholicorum scilicet cum haereticis) aliquando contrahi permittuntur, expedit omnino ut Episcopus ad tuendum Ecclesiae decorem, ritus in eorumdem connubiorum celebratione servandos opportune prudenterque praescribat. Atque in primis prae oculis habeat Episcopus, ac, prouti fieri potest, servari curet praxim S. Sedis, regulasque ab ea praescribi solitas cum ob graves causas in huiusmodi matrimoniis dispensat, nimirum: ut matrimonium coram parocho et testibus celebretur extra ecclesiam, et omissa nuptiali benedictione, omnique ritu sacro; ut pars catholica gravissime moneatur de obligatione quam habet, quaeque nunquam ei cessat, curandi conversionem coniugis et educationem prolis utriusque sexus in catholica religione; ac demum ut catholica prolis educatio etiam in pactum iuramento firmatum deducatur.

Ad 6. Manifestum est per matrimonia praeterita, in quibus uti possunt Episcopi vel missionarii facultate sibi ab Apostolica Sede delegata dispensandi ut in dubio, intelligi non coniunctiones quascumque etiam fornicarias, sed eas tantummodo, quae, iuxta mores regionum vel infidelium vel haereticorum, formam habent et figuram matrimonii, habenturque pro legitimis matrimoniis, quae tamen irrita sunt ob ecclesiasticum impedimentum secundi gradus affinitatis et consanguinitatis.

Intelliguntur itaque matrimonia hoc obstante impedimento nulliter contracta ab iis qui legibus subduntur Ecclesiae. Huiusmodi porro sunt matrimonia: 1. fidelium cum infidelibus inita absque Apostolica dispensatione super cultus disparitate: 2. catholicorum cum haereticis: 3. denique haereticorum pariter cum infidelibus, vel etiam inter se, quippe et ipsi Ecclesiae legibus tenentur. Non autem intelligenda veniunt matrimonia inter utramque partem infidelem. Qui enim Ecclesiae legibus non ligati, ut infideles, valide iam contraxerunt, opus non habent, neque postquam ad fidem conversi fuerint, dispensatione ut in contracto matrimonio remanere possint, quia quod validum initio fuit, revalidatione non indiget.

Primum autem, et secundum dumtaxat casum ponit auctor dubii, tertium nec attingit; atque in illis duobus casibus, quia una pars iam catholicam profitetur religionem, ac idcirco, per alterius conversionem, ambo coniuges iam sunt catholici, cum his dispensare licite posse non ambigit, sed tantum quaerit an ad huiusmodi solummodo casus extendatur dispensandi facultas. Hinc patet quod ad quaestionis elucidationem, etiam de tertio casu habenda est ratio, quaerendo nimirum an ad hunc quoque casum facultas extendatur, ita ut ea uti liceat, tam si una tantum, quam si utraque pars convertatur ad fidem.

Respondetur autem, extendi. Et re quidem vera, si convertitur vel infidelis vel haeretica, remanente altera in sua haeresi, habetur casus dubii praecedentis scilicet matrimonii mixti catholicos inter et haereticos. Sicuti igitur S. Sedes interdum dispensat etiam in huiusmodi matrimoniis ab impedimento affinitatis et consanguinitatis, sic et illi dispensare possunt, quibus concessa est facultas dispensandi cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam. Quod si convertitur pars haeretica, perseverante altera in infidelitate, iam

est casus matrimonii catholicorum cum infidelibus, ac tunc quae graves adessent causae dispensandi super disparitate cultus, eadem et gravia evaderent motiva dispensandi quoque super affinitatis impedimento; si vero convertitur uterque coniux, iam nec locus remanet dubitandi de facultatis extensione, ad effectum ut cum iis licite dispensari possit.

Atque haec quidem sunt quae pro Episcoporum et missionariorum instructione super propositis dubiis respondere praecipit Summus Pontifex. Ea igitur veluti certam regulam et normam in expositis, aliisque similibus casibus prae oculis iidem Episcopi et missionarii teneant, ac pro opportunitate servari curent.

785

De Episcoporum opera contra libros noxios.

S. C. Indicis. *26 Martii 1825.* — Quia prorsus impossibile est libros omnēs noxios incessanter prodeuntes in Indicem referre, (Episcopi) propria auctoritate illos e manibus fidelium evellere studeant, ac per eos ipsimet fideles edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant, ne ulla in eo suscipiendo capiantur specie ac pervertantur illecebra.

786

An liceat Dominicae Passionis instrumenta, ac Sanctorum Reliquias sub baldachino deferre.

Decr. Gen. S. R. Congr. *27 Maii 1826* — Pluries Emi Patres Sacris Ritibus praepositi ad sibi allatas quaestiones, liceret necne publicis in solemnibus supplicationibus, quae fiunt occasione celebritatis Sanctorum Patronorum principalium, per civitates et loca, horum Reliquias vel Spinam Sacratissimae Coronae Domini Nostri Iesu Christi aut Lignum vivificae Crucis sub baldachino deferre, responderunt: SSmae Eucharistiae dumtaxat baldachini usum competere, ad tradita per Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum aliosque rituales libros; ideoque, habita ratione disparitatis ritus et cultus, neque instrumenta Dominicae Passionis, neque Sanctorum Reliquias sub pallio seu baldachino hastato deferri licere: huiusmodi delationem abusum declarantes, huncque improbandum et eliminandum. Quia vero et Lignum SSmae Crucis et Sacratissimae Spinae Coronae Domini, prout alia quaedam Instrumenta Passionis Dominicae contactu immediato SSmi Corporis Domini Nostri Iesu Chsisti sanctificata fuere, eiusque pretiosissimo Sanguine conspersa, proindeque speciali honoranda cultu: insuperque ea fere universali ubique locorum et gentium invecta consuetudine, sub baldachino deferri obtinuerint; ideo illarum circumductionem sub baldachino tolerandam censuerunt: congruum quippe et rationi consonum videbatur, ea reverentiae argumenta esse exhibenda Domino, quae Sanctis nullatenus praestari debent.

Sed quoniam, hisce non obstantibus sanctionibus, abusus qui irrepserant, sensim alicubi invalescere persentiantur, et nonnulli existant, qui pia quadam fraude legem eludere in animum induxerint, superimponentes Reliquiis Sanctorum vivificae Crucis Reliquiam, ut illas sub baldachino huius praetextu deferant, prout ex repetitis ad Sanctitatem Suam et Sacram Congregationem datis adversus huiusmodi abusus precibus constat; hinc ne debitus turbetur ordo et in extrinsecis etiam honorificis, licet non essentialibus significationibus, congrua ratio servetur; utque vigentes adhuc abusus opportune abscindantur et eliminentur, quaeque praescripta sunt debitae exequutioni mandentur, re mature diligenterque perpensa in ordinario Conventu habito die 6 Maii currentis anni 1826, Emi Patres fuerunt in voto: « Dandum esse Decretum Generale, quo, iuxta alias resoluta, caveatur et per modum regulae ubique servandae praefiniatur, ne in posterum alicubi per quoscumque, quolibet sub praetextu solemnitatis, devotionis, pietatis, privilegii, indulti, concessionis, tolerantiae, consuetudinis licet immemorabilis, quam abusum non ferendum declararunt, liceat umquam Sanctorum Reliquias processionaliter sub baldachino circumferre: tolerari tamen posse et permitti, quod Lignum SSmae Crucis aliaque Instrumenta Dominicae Passionis, peculiari horum attenta veneratione habitaque ratione fere universalis consuetudinis, deferantur sub baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim et disiunctim a Sanctorum Reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit; et ad Secretarium cum SSmo ».

Facta igitur de praemissis omnibus et singulis Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione per infrascriptum Secretarium, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sensum approbavit, confirmavit iussitque promulgari, et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri: locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut eliminandis abusibus, qui irrepserint, incumbant, et decreti huius observantiam solertissime urgeant.

787

Circa communicationem in divinis cum acatholicis.

S. C. de Prop. Fide *20 Aug. 1826* (C. G.) — In Pekino si trovano alcuni russi (scismatici) che si portano bene e godono molto di essere presenti alle funzioni ecclesiastiche dei missionarî, e però questi domandano: — « An locus « sit alicui dispensationi communicandi cum « ipsis in rebus divinis. Item de benedictione « mensae: aliquando enim illos invitamus ad « prandium, et videndo nos nec benedicere « mensam nec gratias agere, scandalizantur, « cum sciant ipsam esse consuetudinem apud « nos ».

R. Quatenus schismatici et haeretici meram

praesentiam materialem exhibeant, et causa honoris civilis, nec se immisceant precibus et ritibus catholicis, tolerari posse. Quatenus vero in religiosis functionibus proprios ritus adhiberent, aut nostris se ritibus immiscerent, non licere et non esse permittendum. Laudandos tandem missionarios quod in casu preces omiserint.

788

Circa quorumdam censuum fructus seu annuas pensiones.

Instr. S. C. de Prop. F. *20 Aug. 1826*

Cum ad Sacrum Emorum PP. Consilium Religioni Propagandae nonnullae delatae sint quaestiones de censibus quibusdam qui Macai et Pequini initi sunt, censuerunt Emi PP. muneris sui esse rem universam perpendere, ac diligentius examinare. Id vero cum illi, ut solent, praeclare perfecissent, ac de re diutius deliberassent, tandem singulis propositis quaestionibus respondendum esse decreverunt in eam formam, quae infra describitur, quaestionum ordine servato.

Quaerebatur primo an deberetur imminutio fructuum, sive annuae pensionis illis censibus, in quibus pro quolibet nummorum scutatorum centenario, decem eiusdem generis nummi pro fructu solvuntur, qui fructus, ratione habita ad iniquas temporis ac locorum circumstantias, et ad debitorum conditionem, iustos excedere limites nonnullis videbantur; S. C. considerans census istos existere in regionibus ab Urbe remotissimis, et Macai morari Missionum sinensium vice-procuratorem, ab eadem S. C. deputatum, qui propterea facile factorum veritatem, et rei universos adminiculos possit cognoscere, maturo eiusdem vice-procuratoris et prudenti iudicio negotium hoc definiendum decrevit; voluit autem ab eodem vice-procuratore sedulo distinguendum inter iustitiae titulum, et titulos christianae charitatis, et evangelicae prudentiae.

Ad iustitiae titulum quod pertinet, voluit ut in quaestione definienda duo potissimum vice-procurator consideret; primum est tempus creationis censuum: ac si cognoscat, eorum pensiones, quo tempore iidem creati fuerunt, iustos non excessisse limites, statuat nullum locum esse ex iustitiae titulo earumdem pensionum reductioni sive imminutioni, etiamsi, habita ratione subsequentis vel praesentis temporis, pensiones illae graves et iustum excedentes videri possint, sicut ex eodem iustitiae titulo locum non esset earumdem pensionum ampliationi sive incremento, si, habita ratione ad tempus subsequens creationem censuum, nimis exiguae et iusto minores viderentur; quia sicuti in omnibus contractibus, ita et in censibus, eorum iustitia, relate ad illud tempus dimetienda est quo creati fuere.

Alterum quod ab eodem vice-procuratore probe attendendum esse Sacra Congregatio decernit, est, censum esse contractum quo emitur res pretio aestimabilis; iustum vero rerum pretium vulgare, et quod ex communi usu ac aestimatione desumitur, non in puncto quodam consistere, sed (iuxta) theologorum sententiam iustum vulgare pretium triplicis esse generis, scilicet maximum, medium, et minimum, proindeque triplicis generis esse posse iustam census (in quo contractuum genere nullum esse solet in Sinis pretium legitimum, et publica auctoritate constitutum, sed vulgare tantum) pensionem, maximam nempe, mediam, ac minimam. Quamobrem si controversorum contractuum pensiones, tempore quo iidem creati sunt, maximam earum, quae in communi usu tunc temporis erant, non excedebant, statuat vice-procurator eas iustas aestimandas esse, nullamque ipsis ex iustitiae titulo imminutionem deberi; at si e contra inventum fuerit, pensiones istas, tempore creationis censuum, fuisse supra maximam earum quae in communi usu tunc erant, ex iustitiae titulo ipsis imminutionem deberi ab eo tempore quo praedicti census creati fuerunt.

In inquirendo vero communi usu, tribunalium praxis optima esset regula; verum hisce silentibus, simplices coniecturae de eo quod probabiliter putatur ab ipsis decernendum fore, occasione alicuius litis ad ipsa deferendae, parvi aut nihil faciendae sunt, et aliunde communis usus et praxis erit inquirenda; quae si innotescere non poterit, pro iustitia pensionis praesumendum erit, praesertim relate ad pensiones censuum, qui creati fuerunt per Marchinium dudum mortuum, cum per plures annos Procuratoris Missionum munus gessisset, quem omnes norunt optime callentem res oeconomicas et iustitiae amatorem eximium et integerrimum virum fuisse. Imminuit quidem, ut asserit vice-procurator, Marchinius ipse pensionem duorum censuum, sed id praestitit, ut vice-procurator similiter asserit, ob magnam difficultatem, quam in ipsis integris exigendis expertus fuerat, et fortassis etiam ex motivo charitatis, et prudentis oeconomiae, qui (tituli) ut superius monuimus, alii sunt a motivo iustitiae.

Haec vero recte perpendens, si noverit vice-procurator ex titulo quidem iustitiae nullam praedictis censibus pensionum diminutionem deberi: verum, habita praesentium iniquorum temporum et circumstantiarum ratione, locum esse debere christianae charitati et evangelicae prudentiae ad evitandas obmurmurationes, et arcenda scandala, quae rei christianae et religionis negotio non beneverterent; (hinc) aliquid praedictorum censuum debitoribus vel de praeteritis, vel de futuris fructibus condonare poterit, intra quosdam tamen limites, ne gravem oeconomiae iacturam Missiones patiantur. Eius vero erit, si id faciendum iudicaverit (quod tamen iis in circumstantiis tantum faciet, in quibus charitas id exiget) debitores admonere, condonationes

istas ex titulo tantum fieri christianae charitatis, minime vero ex rigore iustitiae. Haec quoad census spectantes ad Missiones Macai; eadem vero Emorum, et Rmorum PP. mens fuit relate ad census pertinentes ad Missiones Pequini.

Quaerebatur altero loco an census creati, qui praeter conditionem irredimibilitatis ex parte creditoris, nihil commuue habent cum reliquis conditionibus praescriptis in Constitutione S. Pii V *Cum onus,* essent in omnibus iuxta eamdem Constitutionem reformandi (1). Relate ad hoc, S. C. considerans, positivas et mere ecclesiasticas leges legitimae praescriptioni subiectas esse, decrevit quaestionem hanc ex usu et consuetudine Macai definiendam esse, quod maturo vice-procuratoris iudicio faciendum esse voluit. Nempe si, re attente perpensa, cognoverit Pianam Constitutionem, praedicta tantum conditione excepta, vel nunquam in usu Macai fuisse, vel si aliquando in usu fuit, ob contrariam et posteriorem et diuturnam consuetudinem obsoletam ac legitime praescriptam censendam esse, nulla facienda erit in praedictis censibus innovatio. Si e contra notum vice-procuratori fuerit praedictam Constitutionem non fuisse legitime praescriptam, memoratos censuum contractus, nullos fuisse iudicabit ob sequentia Pianae Constitutionis verba: *Contractus sub alia forma celebrandos foeneratitios iudicamus.* In hac vero nullitatis censuum hypothesi, nova opus esset eorum creatione, et praeteriti temporis fructus, utpote illegitime et iniuste percepti, eorum censuum venditoribus essent restituendi, nisi ipsis ultro placuerit eos Missionibus condonare. In hoc vero rerum statu ad vice-procuratoris prudentem oeconomiam spectabit negotium ita cum censuum venditoribus gerere, ut nulla quidem fiat iustitiae laesio, at simul Missionum oeconomia, minimam quae fieri potest iacturam patiatur.

Tertio tandem relate ad condonationem a vice-procuratore factam census venditori Huetio, quod domus censitae pars corruerit, videtur ab eo, saltem diligenter, investigatum non fuisse an fortuito, vel potius ex negligentia et culpa censuarii, pars illa domus censitae corruerit, quod verosimilius videtur, cum domus, antequam in totum, vel in partem corruant, signa aliqua praebere soleant futurae ruinae, quae aliquando facili ratione impeditur, et raro ictu oculi ruant, nisi negligentia domini domus praecesserit, quod si verum esset, nihil a vice-procuratore condonandum esset ad praedictae domus reparationem; qua de re nullus potest esse dubitandi locus.

Indubitata similiter res est, pro reparationibus utilibus tantum et non necessariis, nihil a censualistis deberi censuariis. Cum vero ex teste fide digno habeatur, reparationem censitae domus Huetii centum tantummodo patacis (hispanis) potuisse fieri, hunc vero ad reparationem, utilem fortasse quidem, minime vero ne-

(1) In dicta Constitutione (19 Ianuarii 1569) haec habentur: « 1. Statuimus censum seu annuum redditum « creari constituive nullo modo posse, nisi in re im- « mobili, aut quae pro immobili habeatur, de sui na- « tura fructifera, et quae nominatim certis finibus de- « signata sit. — 2. Rursum, nisi vere in pecunia nu- « merata, praesentibus testibus ac notario, et in actu « celebrationis instrumenti, non autem prius, recepto « integro iustoque pretio. — 3. Solutiones quas vulgo « anticipatas appellant, fieri aut in pactum deduci pro- « hibemus. — 4. Conventiones directe aut indirecte « obligantes ad casus fortuitos eum qui alias ex natura « contractus non tenetur, nullo modo valere volumus. « — 5. Quemadmodum nec pactum auferens aut re- « stringens facultatem alienandi rem censui suppositam, « quia volumus rem ipsam, semper et libere, ac sine « solutione laudemii, seu quinquagesimae, aut alterius « quantitatis vel rei, tam inter vivos, quam in ultima « voluntate, alienari. — 6. Ubi autem vendenda sit, « volumus dominum census aliis omnibus praeferri, « eique denunciari conditiones quibus vendenda sit, et « per mensem expectari. — 7. Pacta continentia mo- « rosum census debitorem teneri ad interesse lucri ces- « santis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut « certa salaria seu expensas medio iuramento credi- « toris liquidandas, aut rem censui subiectam, sive ali- « quam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem « contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in ali- « quam poenam cadere, ex toto irrita sint et nulla. — « 8. Immo, et censum augeri, et novum creari super « eadem vel alia re, in favorem eiusdem aut personae « per eum suppositae, pro censibus temporis vel prae- « teriti vel futuri, omnino prohibemus. — 9. Sicut etiam « annullamus pacta continentia solutionem onerum ad « eum spectare, ad quem alias de iure et ex natura con- « tractus non spectarent. — 10. Postremo census omnes « in futurum creandos, non solum re in totum vel pro « parte perempta, aut infructuosa in totum vel pro « parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam « posse pro eodem pretio extingui. Non obstante lon- « gissimi etiam temporis ac immemorabili, immo cen- « tum et plurium annorum praescriptione. Non obstan- « tibus aliquibus pactis directe aut indirecte talem fa- « cultatem auferentibus, quibuscumque verbis aut clau- « sulis concepta sint. — 11. Cum vero traditione pretii « redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante « id denunciari ei, cui pretium dandum erit, et post « denunciam, intra annum tamen, etiam ab initio, « pretium redimi posse; et ubi pretium nec volens in- « tra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exi- « gatur, volumus nihilominus quandocumque redditum « extingui posse, praevia tamen semper denuncia, de « qua supra, et non obstantibus his, de quibus supra. « Idque observari mandamus etiam quod pluries ac « pluries denuntiatum fuisset, nec umquam effectus « secutus fuisset. — 12. Pacta etiam continentia pre- « tium census, extra casum praedictum, ab invito, aut « ob poenam aut ob aliam causam, repeti posse, omni- « no prohibemus. — 13. Contractusque sub alia forma « posthac celebrandos foeneratitios iudicamus. Et ita, « illis propterea non obstantibus, quicquid vel expresse « vel tacite contra haec nostra mandata dari, remitti « aut dimitti contingat, a fisco volumus posse vindi- « cari. — 14. Hanc autem salutiferam sanctionem ne- « dum in censu noviter creando, verum etiam in creato « quocumque tempore alienando, modo post publica- « tionem Constitutionis creatus sit, perpetuo et in omni- « bus servari volumus. — 15. Declarantes pretium se- « mel censui constitutum numquam posse, ob tempo- « rum aut contrahentium qualitatem, seu aliud acci- « dens, nec quoad ultimo contrahentes, minui vel au- « geri ».

cessariam, ter mille patacas impendisse, non levis suspicio est condonationem a vice-procuratore factam multum excessisse reparationem necessariam, cum gravissimo damno rei oeconomicae Missionum.

Sed nec pro necessaria reparatione praedictae domus aliquid Huetio condonare ex iustitia vice-procurator tenebatur, si, post ruinam, pars domus illius quae superfuit, capax erat integrae census pensioni solvendae. Sunt quidem ex theologis, qui, speculative loquentes, aliter opinentur, sed opposita opinio verior et probabilior est, et, quod pluris faciendum est, opinio haec in romano foro recepta est, ex eaque ius dicunt tribunalia etiam suprema romanae urbis, ubi in pleno usu et vigore est Piana Constitutio, cuius decreti conditionem de imminuendis pro rata pensionibus censuum, si pars rei censitae perierit, romana tribunalia de casu tantum interpretantur, in quo pars rei censitae quae superfuit, incapax facta fuerit integrae pensioni solvendae.

Itaque si pars praedicta domus, quae superfuit post ruinam alterius partis, capax erat integrae pensioni solvendae, non condonationem Huetio a vice-procuratore factam, nec ullam ipsius partem S. C. confirmat, sed in omnibus penitus irritam ac nullam esse decernit, idque eo magis, si ex Huetii negligentia pars illa domus corruerit, vel reparatio ab Huetio facta, non necessaria, sed utilis tantum fuerit. Domum vero Huetii superstitem, etiam post lapsum partis ipsius, capacem fuisse integrae solvendae pensioni, evidens est ex ipsa controversia Huetium inter et Marchinium exorta. Quandoquidem ut ex ipsis vice-procuratoris epistolis habetur, ideo Marchinius Huetii petitioni assentiri recusavit, quia ex doctrina nunc proposita censebat nihil a censualistis condonandum esse censuariis, si pars quae superfuit censitae rei, capax fuerit integrae pensioni solvendae. Igitur pro certo habebat Marchinius, Huetii domum, etiam post lapsam eius partem, integrae pensioni solvendae capacem fuisse. Si e contra pars dictae domus quae superfuit, incapax facta est ad integram solvendam pensionem, quod ex iam dictis incredibile omnino videtur, vel haec erit pro rata immi nuenda, vel, ut in sua integritate permaneat, sors principalis census pro rata erit augenda.

789

Circa Missarum eleemosynas.

Instr. S. Poenitent. Ap. *22 Aug. 1826* — Si propongono da alcuni parrochi della diocesi di Gand i seguenti dubbi:

1. Se i parrochi sostituendo i loro vicarî *ad cantandam Missam parochialem pro grege* debbano dar loro l'elemosina manuale delle Messe cantate, o quella delle Messe basse.

R. Egli è chiaro che se non piaccia ai vicarî di rilasciare quel di più, che porta l'elemosina manuale delle cantate, devesi essa pagar loro dal parroco, non perchè, ricusandosi questi di pagarla, cada nell'errore della proposizione nona *inter damnatas* da Alessandro VII: « Potest sa« cerdos, cui Missae celebrandae traduntur, per « alium satisfacere, collato illi minore stipen« dio, alia parte stipendii sibi retenta: » ma perchè essendovi l'elemosina fissa per legge diocesana per le Messe cantate, ha diritto chi canta la Messa di esigerla. « Non est autem rationabile » dice il Card. de Lugo (Resp. L. 5 dub. 18) « quod non detur maior eleemosyna « pro Missa cantanda, quam soleat dari quando « sine cantu simplex et privata Missa recitatur ».

2. Che debba dirsi quando i parrochi destinano i loro vicarî per le Messe solenni delle esequie e degli anniversarî.

R. Su ciò conviene distinguere la mera elemosina manuale stabilita per la Messa solenne di requie, e quell'emolumento che si dà alla chiesa per tali Messe solenni mortuarie. La prima si dovrà al vicario come si dovrebbe a qualsiasi sacerdote destinato a cantarle: non così il secondo, che dovrà ritenersi il parroco, come incerto di chiesa, inteso nella classe d'incerti di stola nera.

3. Essendo soliti alcuni parrochi di far cantare le Messe ai vicarî senza dar loro elemosina, ma cambiando con essi l'intenzione per Messe da loro ricevute, e facendole spesso soddisfare da altri sacerdoti con l'elemosina manuale, quandochè i vicarî ne aveano ricevuto elemosine molto maggiori, si cerca, se possa ciò farsi lecitamente, e qualora non lo possano, se abbiano a restituire la porzione ritenuta dello stipendio.

R. Bisogna premettere in linea di fatto, che in questi cambî d'intenzione s'intende rilasciata *hinc inde* l'elemosina rispettiva senza punto badare al più o al meno che essa porti; quindi pel parroco, il quale baratta col vicario l'intenzione, addiviene quella Messa ingiuntagli dal vicario, come Messa comune di elemosina manuale, e per conseguenza finchè trattasi fra parroco e vicario non può aversi difficoltà giacchè si ha per condonata vicendevolmente quella differenza fra l'elemosina della Messa dell'uno e quella dell'altro. Ma nel caso aggiugnesi, che il parroco fa soddisfare ad un terzo la Messa che avrebbe dovuto celebrare il vicario per la elemosina ricevutane, ed in allora questo terzo sacerdote non è nella presunta idea di *condonazione reciproca,* e perciò sembra aver diritto al pieno della elemosina data per quella Messa tassativamente che esso applica.

Sembra che il B. Liguori *Theol. Mor. l. 6 n. 322* propenda a negare, seguendo il *Concina* contro *La Croix,* che « sacerdos cui hodie of« feruntur tres iulii ut celebret, possit procurare « ut alius celebret pro ipso, promittens die « crastina celebrare pro illo qui pro sua cra-

« stina Missa accepit unum iulium », e ne allega per ragione « quia hoc non posset excusari a specie turpis mercimonii ». L'uso però è contrario: e quando non siavi quel *turpe mercimonio,* mancando la causale, non pare che abbia luogo tale opinione.

Ad ogni modo non è espediente mandare nel Belgio una risposta che ponga in combustione quel clero: potrebbe perciò contenersi in termini assai generali la risposta, e premesso sempre, che non abbiavi mercimonio, e che siavi una presunta condonazione reciproca, può dirsi che è più sicuro che dallo stesso parroco si soddisfi alla intenzione cedutagli dal vicario. Quindi su questi principii dottrinali potrebbe rispondersi:

« Sacra Poen. re universa mature perpensa, « respondendum censuit: Ad primum: Persol- « vendam vicario curato, cui demandatum est « a parocho cantare Missam parochialem pro « grege, eleemosynam manualem pro Missis « cum cantu iis in locis rite praefinitam, nisi « aliter inter eos amice convenerit.

« Ad secundum: Pro Missis in defunctorum « exequiis, vel anniversariis cum cantu celebra- « tis competere vicariis eleemosynam pro Missis « cantatis legitime praestitutam; si quid vero « praeter eam consueverit persolvi, id pro emo- « lumentis ecclesiae seu parocho debitis ce- « dere existimandum esse, idque proinde ad « parochum spectare.

« Ad tertium: Permutationem intentionis « de qua in casu licite fieri, dummodo constet « alteri sacerdoti de maiori stipendio cui sponte « et libere renunciaverit ».

790

De Confirmatione pueris expositis administranda.

S. C. S. Off. *23 Aug. 1826.* — 1. Utrum pueri expositi in xenodochiis, qui baptizantur sub conditione, debeant inde Confirmationem recipere.

An confirmatus, de cuius baptismo oritur dubium, sit iterum confirmandus.

2. Utrum persona adulta et confirmata, sed de collatione Baptismi inde oritur rationabile dubium, ex quo sub conditione postea baptizatur, debeat iterum confirmari.

An ab eodem, sub conditione baptizato, Eucharistiae praemittenda Confessio.

3. Quomodo se gerere debeat in hoc secundo casu circa confessionem praemittendam Eucharistiae.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Si agatur de peccatis mortalibus rite antea in confessione sacramentali absolutis, ex baptismate noviter sub conditione collato non importari ullum sacramentalis confessionis opus ante sacrae Communionis susceptionem; secus praemitti debere.

791

De oleo sacro infirmorum in domibus retento.

S. R. C. *16 Dec. 1826.* — Gandaven. — 1. Sacerdotes curam animarum exercentes pro sua commoditate, apud se in domibus suis retinent S. Oleum infirmorum; quaeritur: An, attenta consuetudine, hanc praxim licite retinere valeant.

An Sacramenta aegrotis cum stola tantum administrare liceat.

2. In parochiis ruralibus, ubi longum faciendum est iter, plerumque portatur SS. Sacram. Eucharistiae ad aegrotos, eisque administratur cum stola super vestem communem, absque cotta sive superpelliceo; quaeritur: An praxis illa, ubi invaluit, et Ordinarii locorum non contradicunt, retineri possit; et, si negative, quaeritur: An saltem Sacram. Extremae Unctionis cum stola tantum administrari possit.

An benedictio cum Indulgentia plen. pueris impertienda.

3. An benedictio cum Indulgentia plenaria, iuxta Const. Benedicti XIV *Pia Mater* 5 Aprilis 1747, impertienda sit pueris qui, defectu aetatis, primam Communionem necdum instituerunt.

R. Ad 1. Negative, et servetur Rituale Romanum, excepto tamen casu magnae distantiae ab ecclesia; quo in casu omnino servetur, etiam domi, rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam.

Ad 2. Ad utrumque: Negative; et eliminata prorsus consuetudine, servetur Ritualis Rom. praescriptum.

Ad 3. Affirmative.

792

De concessione Officii et Missae in honorem Servorum Dei.

Decr. Gen. S. R. C. *16 Dec. 1826.* — Ad tollendos ac eliminandos abusus, qui irrepserant, in cultus exhibitione nonnullis Dei Servis qui cum fama et opinione sanctitatis decesserant, inconsulta Sede Apostolica, ac si essent Beatorum honoribus legitime decorati; s. m. Urbanus Papa VIII generalibus decretis editis anno 1625 confirmatisque die 5 Iulii 1634, providis latis legibus, certum praescripsit ordinem, in hisce agendis causis in posterum omnino constanterque servandum. Per hanc tamen generalem sanctionem expresse declaravit: « Se nolle ullum praeiudicium inferre iis (Servis Dei) qui aut per communem Ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque sanctorum scripta, vel longissimi temporis scientia ac tolerantia Sedis Apostolicae vel Ordinarii coluntur ». Quoniam vero huiusmodi ab universali lege exceptionum cognitio ad Sacrorum Rituum Congregationem servabatur, ex tunc obtinuit consuetudo, ut quoties eorumdem Servorum Dei, qui aliquo ex modis supramemoratis in cultus possessione reperiri putabantur, causa ad eamdem Sacram Congregationem deferri contingeret, primum in ordinario Conventu de introductionis Commissione signanda ageretur: qua favorabili rescripto absoluta, in altero postmodum cogendo, de cultu sive casu excepto instrueretur iudicium. Hoc tandem iuxta Postulatorum vota prolato, locum habebat al-

tera instantia pro Officii et Missae concessione. Ita refert et docet Bened. XIV. *De Servorum Dei beatificatione* Lib. IV, Part. II, Cap. IV et sequentibus: atque haec fuit constans Sacrae Congregationis disciplina per bina fere saecula.

Sed quoniam saepe evenire solet, in iis etiam quae recte sapienteque constituta sunt diuque incorrupte servata, ut temporis lapsu languescant, sensim immutentur, et diversam formam suscipiant, unde opus sit ut obliteratus si non omni, aliqua saltem in parte, rigor ad observantiam revocetur: id quoque accidit in praefatis causis pertractandis, quae a Papae Urbani lege excipiuntur. In his quippe novus paullatim longe facilior et expeditior inductus est ordo sub ea specie, quod antiquus rigor retinendus sit dumtaxat si, sententia dicta de casu excepto, progredi mens sit ad formalem Canonizationem, non autem, si ut legitimus cultus approbari petatur ad hoc tantum, ad petendum nempe Officium et Missam.

Quamobrem hanc veteris disciplinae relaxationem non sine aliqua indulgentia et moderatione coercere exoptantes Emi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, serioque recogitantes decere, ut pro casuum diversitate, diversus sit modus diversaque iudicandi ratio, re mature diligenterque perpensa in ordinariis Comitiis sub infrascripta die habitis, unanimes fuerunt in voto, decernentes: ne in posterum admittantur instantiae pro concessione officii et Missae in honorem illorum Dei Servorum, qui sunt aliquo ex recensitis modis in possessione publici et ecclesiastici cultus, nisi ordine sequenti servato.

Primum in Congregatione ordinaria proponendum et discutiendum erit dubium: « An constet de casu excepto a decretis s. m. Urbani PP. VIII ». Audito tamen in scriptis Promotore Fidei, cui tradenda erunt originalia et legalia documenta, ut suas exaret animadversiones, quibus, si opus fuerit, poterunt Postulatores respondere. Si Patres Emi Sacris Ritibus praepositi in affirmativam abeuntes sententiam dixerint: « Constare de casu excepto »; locus erit in subsequenti Congregatione novae instantiae super concessione Officii et Missae, audito pariter in scriptis Promotore Fidei, velut supra dictum est.

Quatenus vero in aliqua ex Causis, in quibus approbatus auctusque cultus est accessione Officii et Missae, procedi optetur ad formalem Canonizationem, acta strictim iteranda erunt ac retinendus antiquus iudicialis ordo, qui in similibus inviolabiliter servatus fuit. Et ita decreverunt et declararunt, praecipientes infrascripto Secretario, ut Generale Decretum ederet, facto verbo cum SSmo. Die 16 Decembris 1826.

De quibus omnibus et singulis facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII Pont. Max. relatione, die 20 Decembris 1826, Sanctitas Sua Sacrae eiusdem Congregationis sententiam approbavit et confirmavit, ipsumque Generale Decretum praelo tradi et evulgari mandavit.

793

Instr. S. C. S. Off. *14 Febr. 1827 — Dubia proposita a Vice-Praefecto Hospitii Terrae Sanctae Memphis:*

Circa sepulturam ecclesiasticam et suffragia pro iis qui in mortis articulo Sacramenta recipere noluerint.

1. Quomodo se gerere debeat cum iis qui cum mahumedani non sint, sed cuiuscumque alterius nationis, vulgo dicti *franchi* aut *levantini*, recusant tamen multoties Sacramenta accipere in articulo mortis, et an isti sepulturae ecclesiasticae et publicarum precum ab Ecclesia praescriptarum in expiationem pro animabus defunctorum participes esse possint, praesertim cum ad id sit coactus a viris praepotentibus multaeque auctoritatis.

Circa lucrum ex mutuo.

2. Quam sententiam sequi (debet) et in usu habere cum iis qui pecuniam suam dant ad usuram exigentes 12, 18, atque etiam 24 annua scutata pro centum, cum vel sine aequivalenti assecuratione, quod satis pie posse arbitrantur?

Sanctissimus, auditis Emorum et Rmorum DD. Cardd. Gen. Inquisitorum suffragiis, iussit ut ad utrumque dubium responderetur instructione ut sequitur:

Ad 1. Sancta mater Ecclesia, benigna et misericors erga filios suos, eos salvos fieri vehementer cupit. SSmus D. N. hoc spiritu imbutus recte novit quod impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua. Hinc perspectis omnibus expositis peculiaribus circumstantiis et rite perpensis, decrevit in iisdem tolerari posse quod sepultura ecclesiastica illi gaudeant, et publicae preces, seu suffragia, pro iis defunctis fundantur qui, adhuc viventes, catholicae Ecclesiae erant membra, quamvis in articulo mortis Sacramenta recusaverint, dummodo vel minima spes interluceat, ipsos potuisse de peccatis commissis contritionem concipere, et ad Deum ante obitum ex corde converti.

Quoad 2. dubium Sanctitas Sua exploratum habet, usurarium esse accipere in mutuo aliquid supra sortem immediate et praecise ratione mutui, non concurrente aliquo ex titulis tale lucrum iustum reddentibus, idest lucri cessantis, vel damni emergentis, vel periculi extrinseci (non autem intrinseci et ex natura negotiationis provenientis) amittendae sortis principalis. Super haec principia innixus SSmus D. N. decrevit pro regula in hac materia habenda esse decreta a S. Sede pluries emissa, sicuti illud est pro Sinarum regno, quod hic subnectitur *(V. pag. 32)*, ubi pro licito habebatur semper et indiscriminatim exigere in mutuo aliquid ultra sortem, eo quod semper et ubique peri-

culum extrinsecum sortis agnoscerent. Haec praxis tamquam imprudens atque illicita reprobatur, et tunc solum licita huiusmodi compensatio dignoscitur, cum periculum intervenit revera, et compensatio qualitati periculi respondet. Quod si periculum actu non interveniat sed sit probabiliter imminens, statuitur non esse inquietandos eos, qui aliquid accipiunt hac ratione, dummodo habeatur ratio qualitatis et probabilitatis periculi, ac servata proportione inter periculum, et id quod accipitur.

Praecipue vero Sanctitas Sua praecepit prae oculis habendam esse Encyclicam Benedicti XIV quae incipit: *Vix pervenit,* utpote quae illicitum et usurarium declarat aliquid in mutuo accipere ultra sortem, praecise ratione mutui, et non concurrente aliquo ex legitimis supradictis titulis quamvis id quod accipitur non sit excedens et nimium, sed moderatum et exiguum ; quamvis is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper sed dives existat ; quamvis qui ipsum recipit, datam sibi mutuo summam non sit relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas.... utilissime sit impensurus. Ita ut quisquis suae conscientiae consultum velit, inquirat prius diligenter oportet vere ne cum mutuo iustus alius titulus, vere ne iustus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio quod quaerit lucrum, omnis labis expers et immune reddatur : quae quidem omnia fusius explanata fuerunt ab eodem Pontifice in suo opere *de Synodo Dioeces.,* Libro (in postrema editione) x, capitibus 4, 5, 6, 7 et 8. Porro cum idem Pontifex instructionem mitti iusserit Praefecto Missionum in Africa, sub die 17 Aprilis 1749, quae ad rem opportune facit, eadem hic subiungitur ; in qua monet convenientius esse pro securitate christianorum illius loci eos adhortari, ut a similibus contractibus abstineant cum facile sit quod lucri aviditas decipiat, et titulos, qui veri tituli non sint, aliquid exigendi ultra sortem, falso ostendat, aut exigere fructum damno vel vero periculo extrinseco maiorem suadeat. Denique postremo apponitur responsio sub die 17 Septembris 1808 de mandato Pii Pp. VII fel. rec. data ad Vicarios Generales Pictavienses.

Istruzione inviata per ordine di Benedetto XIV al P. Carlo Felice Cappuccino missionario in Africa, ed indirizzata per ordine di Pio VII ai Vicarii Generali di Poitiers.

Nella Congregazione del S. Offizio tenuta nel Palazzo Apostolico avanti N. Signore sotto li 10 Aprile 1749 essendo stato riferito il quesito di V. P. sopra il danaro che cotesti schiavi cristiani sogliono dare ad interesse ai negozianti ebrei, Sua Santità si compiacque ordinare, che nel proposto ed altri simili casi si dovesse V. P. regolare a tenore della lettera circolare della medesima Santità Sua spedita ai Vescovi di Italia sotto il 1 Novembre 1745, la quale comincia « *Vix pervenit* » dalla qual lettera potrà comprendere che i contratti, nei quali si riceve il frutto del danaro dato altrui, non sono leciti, quando non hanno la loro denominazione o di *censo* o di *cambio vero,* sia per lettere, sia per fiere, o di società reale, o non intervengano in essi i titoli compensativi di lucro cessante, e di danno emergente, per ragione dei quali si possa ricevere tanto frutto oltre la sorte del danaro dato, quanto basti a ristorare il danno che soffre il datore, o a compensare il lucro che perde, e che dove mancano le dette denominazioni, o i riferiti titoli compensativi, e che per tal ragione non si possano risolvere in altro contratto che di mutuo, non è lecito in alcuna maniera ricevere, o esigere frutto del danaro dato altrui oltre il capitale e la sorte, benchè il frutto sia moderato, o si esiga non da poveri ma da ricchi. Da queste regole prescritte dalla detta lettera circolare di N. Signore potrà V. S. prender norma sopra i contratti che si fanno da cotesti cristiani schiavi coi negozianti ebrei, per non permetterli assolutamente, quando non intervengano in essi le sopra riferite condizioni. E poichè tra quello che dà il danaro, e il negoziante che lo riceve con assicurare il datore o il capitalista della restituzione della sorte e del capitale, e patteggiando con esso un frutto certo oltre la sorte data, non può intervenire vero contratto di società, però ogni guadagno o frutto che dal capitalista si esigesse oltre la sorte è ingiusto ed illecito, ancorchè non intenda di dare il detto danaro in ragione di mutuo ; e solamente nel caso che intervenissero i sopra riferiti titoli di compensazione, potrebbesi dal capitalista esigere oltre la sorte quel frutto che bastasse o a compensare il danno che riceve, o il lucro che perde. E benchè per ragione del pericolo non proveniente dalla natura della negoziazione, ma da altro incidente estrinseco, al qual pericolo il datore espone la sorte, possa esigere dal negoziante che la riceve un lucro proporzionato al detto pericolo oltre la sorte medesima, nulladimeno poichè in pratica è cosa difficilissima il misurare la stima di questo pericolo, ed è cosa pericolosissima a proporzione di esso esigere il frutto, perciò si stima più conducente alla sicurezza della coscienza di questi poveri cristiani schiavi, che V. S. li esorti ad astenersi da tali contratti, ammonendoli del pericolo nel quale incorrono, e persuadendoli ad impiegare il loro danaro in altri contratti certamente leciti, e che abbiano la loro propria denominazione, come di compra o vendita, o di una vera società, per mezzo dei quali, aggiunta al danaro la loro industria, possono riportare dallo stesso danaro onesto guadagno.

Risposta di S. E. Rma il Sigr. Card. Pacca a nome di S. Santità Pio VII ai Vicarii Generali della diocesi di Poitiers (17 Sett. 1808).

Illmi Signori. È pervenuta al S. Padre una loro lettera dei 14 Agosto..... Quanto poi ai dubbî da loro proposti nella medesima lettera S. Santità m'incarica di suggerir loro di consultare l'Enciclica della s. m. di Benedetto XIV del 1 Novembre 1745 che comincia *Vix pervenit*, ed insieme l'opera del lodato Pontefice *De Synodo dioecesana, lib. 7 cap. 47* ediz. rom. del Pagliarini dell'anno 1748, nei quali luoghi troveranno il fondamento per decidere con sicurezza qualsivoglia caso della natura di quelli da loro proposti. Ad effetto poi che oltre i dottrinali contenuti nell'anzidette pezze che sono stampate e reperibili ovunque, possano aver qualche più precisa norma, specialmente per ciò che riguarda il *pericolo della sorte,* se ciò sia o non sia giusto titolo a qualche lucro nel mutuo, la medesima Santità S. ha ordinato che si compiegasse loro una copia di una istruzione che per comando del sullodato Pontefice Benedetto XIV fu mandata ad un missionario dell'Africa, dopo una lunga consultazione tenuta avanti il Pontefice stesso due anni dopo emanata l'Enciclica succitata. Nell'eseguire esattamente gli ordini del S. Padre godo di poter soddisfare per questa parte ai desiderii loro prodotti sicuramente dall'impegno di additare ai fedeli di questa diocesi la sicura norma per non errare in sì delicato oggetto.

794

De promulgatione decreti tridentini *de matrimonio*.

S. C. de. Prop. F. *2 Iulii 1827* (C. P. pro Sin.) — Tunkin. — 1. An Concilii Tridentini Decretum *De matrimonio* in illis tantum locis seu christianitatibus diversorum pagorum obliget, in quibus singillatim promulgetur.— Et quatenus affirmative, quaeritur secundo: an idem dicendum de illis christianitatibus quae intra unum eumdemque pagum diversas habent ecclesias, ut supra expositum est.

Circa matrimonii validitatem coram testibus tantum contracti.

2. Utrum post promulgationem Decreti Tridentini, quando ob persecutionem, vel ob alias rationabiles causas non est christianis facilis aditus ad missionarium, proindeque matrimonium ii contrahunt secundum morem patriae coram parentibus, cognatis et propinquis utriusque coniugis, qui celebrationi matrimonii adsistunt, non rogatis testibus determinatis, neque formaliter adhibitis, qui de matrimoniali illo contractu, si opus fuerit, fidem facere possint, cum aliunde sint plures, qui licet nec rogati, nec formaliter adhibiti fuerint, de matrimonio tamen more patriae inito, et de consensu utriusque coniugis, si non verbis, signis saltem sensibilibus expresso, possent facere fidem si de ea re interrogarentur, sit tunc validum matrimonium tali modo contractum.

3. S. Congregatio die 5 Aprilis anni 1785 respondit « Nullam ex coeremoniis (quae more « Regni a tunkinensibus fiunt) constituere apud « christianos matrimonium: quaenam vero ex « illis facienda sit, ut certum inducat argu« mentum consensus utriusque ad matrimo« nium praestiti, pendere ex singulorum casuum « circumstantiis, quae a prudenti missionario in« quiri ac diligenter ponderari debent ». Quaero ergo, utrum post promulgationem Decreti Tridentini, quando christiani, absente missionario, contrahunt matrimonium secundum morem patriae, si ex coeremoniis observatis, atque ex aliis circumstantiis prudens missionarius certum deducat argumentum consensus utriusque coniugis ad matrimonium praestiti, attamen duos testes invenire non possit, qui de omnibus iis coeremoniis simul sumptis, et a contrahentibus observatis, testimonium ferant, quippe qui eiusmodi caeremoniis nuptialibus, iis praecipue ex quibus missionarius certum deducat argumentum consensus utriusque coniugis ad matrimonium praestiti, non simultanee, sed successive interfuerunt: cum tamen sufficientes inveniantur ex ipsis, qui singillatim pro singulis coeremoniis testes esse possint, utrum, inquam, in tali casu matrimonium sit validum.

R. Ad 1. Ad primam et secundam partem: Non obligabit nisi in iis christianitatibus in quibus promulgatum fuerit.

Ad 2. Affirmative, quatenus testibus certe constet de praestatione consensus.

Ad 3. Negative.

795

De gratulationibus erga gentiles ad dignitates promotos, quae ad superstitiosa referuntur.

S. C. de Prop. Fide *2 Iulii 1827* (C. P. pro Sin.) — Siam — 1. Aliquando rex, princeps, praefecti fiunt bonzii; tempore quo induunt pannum bonziorum possuntne christiani prosternere se coram illis, et salutare iuxta morem Regni, quin faciant aliquam protestationem, praesertim si fieri nequeat? Habetur ille pannus flavus tamquam pannus divinus, et bonzii appellantur *dii*. Quid si medici ipsi bonzii sint? Non enim possunt adiri sine praevia salutatione. Quid si cognati, aut aliquando proprius parens sint bonzii? Etenim non salutare propinquos vel maiores esset causa magnae criminationis contra regionem christianam.

Circa cooperationem materialem ad ritus superstitiosos.

2. Mortuo rege aedificant siamenses rogum magno cum apparatu per plures menses, ad cremandum corpus. Constituto die quo cremari debet, invitantur talapuini multi ad orandum pro defuncto, et aspergendum illorum aqua, quam vocant benedictam, aliaque perplura agunt superstitiosa. Si iubeantur christiani portare lateres aut ligna pro constructione aedificii, possuntne adiuvare? Si renuant, ut ingrati erga regem detrectantur. Vocantur milites christiani ad comitandum novum regem, et custodiendum in medio turbarum quando vadit ad accendendum rogum.

R. Iuxta votum et instructionem D. Consultoris.

Instructio — Salutationes vel gratulationes quae fiunt erga gentiles et idololatras, occasione qua ad dignitatem aliquam promoventur, illicitae habendae sunt si dignitas illa ad superstitiosa tantum, et nihil ad civilia referatur; quia gratulationes essent de re mala. E contra licitae existimandae erunt, si dignitas illa non ad religiosa tantum, sed etiam ad civilia referatur et politica; quia cum salutationes et gratulationes illae fiant ab hominibus qui publice christianam religionem profitentur, intelligi debent factae ob relationem dignitatis illius ad civilia, minime vero ad religiosa et superstitiosa, et in hoc casu protestatio quae in prima hypothesi actum licitum non faceret, non est necessaria; suaderi tamen poterit, nisi rei christianae aliquod ex ea damnum oriri facile posse praevideatur. Hisce principiis missionarius quaestionem solvere facillime poterit de salutationibus ethnicis hominibus faciendis occasione qua bonzii fiunt, et tempore quo pannum induunt bonziorum.

Relate ad cooperationem ad ritus superstitiosos haec tenenda regula est: si cooperatio pars fuerit ritus superstitiosi, tunc formalis censenda erit, intrinsece mala, et numquam fieri licita poterit. E contra censenda erit materialis, si pars non fuerit ritus superstitiosi. Grave aliquod damnum quod oriatur cooperanti, si ab hac materiali cooperatione abstinere voluerit, licitam eam faciet, etiamsi scandalum adfuerit quod *pusillorum* dicitur a theologis; quia ex lege caritatis nemo tenetur cum gravi suo damno scandalum istud removere. Quamobrem si missionarius praeviderit christianis qui adlaborare iubentur ad construendum rogum, de quo in proposito dubio, grave damnum oriturum, si illius constructioni adlaborare recusent, etiamsi scandalum adfuerit, *pusillorum* nuncupatum, christianos illos peccati reos declarare non poterit.

Quod spectat ad christianos milites qui vocantur ad comitandum et custodiendum regem de medio turbarum euntem ad accendendum rogum, tenenda est Tertulliani doctrina *(Lib. de Idololatria cap. 5)* inquientis: « Utinam nec vi-« dere possimus quae facere nobis nefas est! « Sed licebit adesse in quibusdam quae nos « homini, non idolo officiosos habent... Si pro-« pter sacrificium vocatus, assistam, ero parti-« ceps idololatriae; si me alia causa coniungit « sacrificanti, ero tantum spectator sacrificii ». Cum vero christiani milites, de quibus in proposito dubio, non propter ritum superstitiosum vocati, eidem adsistant, sed comitandi et custodiendi regis causa de medio turbarum, id eos non idolo sed homini officiosos facit; eos non superstitiosus ritus, sed alia causa regi coniungit superstitiosum ritum peragenti; ideo participes non sunt superstitionis, sed spectatores tantummodo ritus superstitiosi, ac propterea immunes a peccato.

796

De draconis imaginibus aliisque superstitiosis figuris.

S. C. de Prop. Fide *2 Iulii 1827* (C. P. pro Sin.) — Cocincin. — 1. Se debbansi escludere le imagini del dragone onorato dai pagani, e le altri imagini superstiziose; e se i missionarî che le permettono incorrano alcuna censura, e se tale censura sia *latae sententiae* e riservata.

De conviviis cum paganis, qui ad christianorum funera cum musicis instrumentis antea vocati sunt.

2. Qual giudizio debba farsi della condotta dei cristiani, i quali dopo avere invitato i pagani a suonare nelle chiese o ai funerali, loro si uniscono nei festini che han luogo dopo le cerimonie; e qual mezzo debba adoprarsi per ottenere che i cristiani cessino di unirsi ai gentili in sì fatte circostanze.

R. Instructio *(Ad Vic. Apost.)*. Primo quidem christianae fidei puritati parum conformes esse videntur illae, sive sculptae, sive tabulis depictae, draconis aliaeque avium et reptilium imagines, quae in ecclesiasticis praesertim functionibus adhibentur. Etenim cum figuras istas, et maxime draconis, idololatrae istarum regionum religioso cultu venerentur, qui iisdem in sacris praesertim ritibus utuntur, christianam quam profitentur fidem superstitioso, imo idolatrico, paganorum cultu maculare videri possunt. Profecto inficiari non poterit figurarum istarum usum superstitiosum et idololatricum esse, si coniunctus fuerit cum falsa fide, qua credatur illius draconis figuras, aliasque istiusmodi, totidem divinitates esse, vel simulacra divinitatis, de quo non levis esse suspicio poterit in regionibus istis, in quibus idololatria olim dominabatur, et in quibus apud ipsos christifideles, antiquae superstitionis vestigia, tamquam zizania in agro Domini, identidem apparuerunt: quibus extirpandis radicitusque evellendis Romani Pontifices plurimum adlaborarunt.

Quamobrem, si ita se res habuerit, aut gravis aliqua ita iudicandi adfuerit ratio, munus tuum erit tuorumque Vicariorum et missionariorum, quantum fieri poterit, adniti ut haec zizania de medio tritici penitus eradicentur. Verumtamen, in hoc faciendo, maxime utendum erit diligentia et cautione, ne cum zizaniis et triticum eradicetur, et, cum semina quaedam vetustae superstitionis a christifidelium animis evelluntur, vel ipsa christiana fides ab ipsis eradicetur.

Neque tamen existimandum est, ut qui in hoc Vicariatu tuo christifidelibus in spiritualibus praesunt, haec fieri permittentes, excommunicationis poenae *latae sententiae* subiecti sint, ut ab aliquibus dubitatum est, quod talis censura lata fuerit in Constitutione *Ex quo*, quae a Benedicto XIV edita est adversus superstitiones christifidelium Imperii Sinarum; ea

enim excommunicatio, quae legitur § 25 praefatae Constitutionis, lata est contra non impedientes superstitiones quibus christifideles utebantur erga Confucium et maiores suos: atqui poena excommunicationis *latae sententiae* contra aliquod designatum crimen in particulari, non extenditur ad aliud, quamvis eiusdem speciei, tum quia lex humana non obligat nec operatur ultra intentionem legislatoris verbis expressam, tum quia in odiosis, quemadmodum talis est gravissima excommunicationis poena, praesertim *latae sententiae,* stricta debet esse interpretatio; quamobrem apud theologos et canonistas in proverbii fere consuetudinem venit, excommunicationem extendendam non esse de casu in casum.

E contra si nulla, vel fere nulla fuerit ratio iudicandi illas draconis aliasque volatilium et reptilium figuras ad superstitiosum cultum adhiberi, sed vel ad civilem tantummodo usum, vel ad simplicem ornatum, consulendum utique sed non stricte praecipiendum fidelibus erit ut ab istis sive pictis sive sculptis imaginibus tanquam superstitiosis abstineant, dicendumque erit quod de usu ciborum, qui in veteri lege immundi habebantur, ab Apostolo dictum est: *Qui non manducat, manducantem non iudicet* (*Rom.* XIV, 3).

Nihilo tamen minus si, remota licet omni idololatriae et superstitionis suspicione, adhuc tamen usus istarum figurarum petra fuerit christifidelibus offensionis et scandali, ab eisdem, quantum postulat lex charitatis, abstinendum erit, idque iuxta eiusdem Apostoli doctrinam, qui, loco mox laudato, subiungit: *Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Non ergo blasphemetur bonum nostrum* (Ibid. v. 15 et 16). Et alibi idem Apostolus: *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem* (I. Cor. VIII, 13).

Neque probare S. Congregatio potuit convivia illa christianorum cum paganis, quae fieri solent exactis funeribus christianorum, ad quae ab istis vocati praedicti pagani, sua, tempore funeris, sive pulsarunt, sive inflarunt musica instrumenta. Quid enim familiarius inter homines convivio est? Atqui familiaritatem cum infidelibus, uti sunt pagani, vitandam esse suadet tum debitus nostrae religionis honor, tum ratio declinandi perversionis periculum. Sed iure etiam ecclesiastico, convivia haec cum paganis vetita esse communiter docent iuris ecclesiastici doctores. Id quidem, non quia expresse legibus canonicis vetita sint haec cum paganis convivia, sed quia existimant ad ea extendendas esse leges illas quibus convivia vetantur christianorum cum hebraeis, qualis ea est quae legitur Cap. *Omnes* 14, Caus. 28, qu. 1. Ita Engel I. E. l. 5, t. 6, q. 2, n. 4; Pirhing *L. 5 Decretal.*, par. 1, t. 6, n. 4; Schmalzgrueber *ibid.*, et alii plures apud ipsos. Neque huic communi canonistarum doctrinae adversatur illud iuris principium: *Odia sunt restringenda,* etenim cum praefatae canonicae leges latae fuerint in favorem Religionis, favorabiles censendae sunt, adeoque latioris interpretationis, iuxta alterum iuris principium: *Favores sunt ampliandi.* Quod si convivia haec occasiones proximae fuerint intemperantiae, ebrietatis, et similium, quae contingere plerumque consuevisse dicuntur apud christifideles Vicariatus tui, non iure tantum ecclesiastico, sed naturali etiam et divino vetita esse dicenda sunt, adeoque aliam ob causam, eamque potiorem fugienda.

Neque alterum probari undequaque potest, christianos invitare paganos ut musica sua pulsent vel inflent instrumenta, dum illis suis parentant defunctis, ob grave periculum exponendi sacros religionis nostrae ritus contemptui et irrisionibus paganorum, quod eidem Religioni summopere iniuriosum esset; suadendum igitur christifidelibus erit ut, aut opere aliorum christianorum utantur in funeribus suis, aut, ut sine musicorum instrumentorum sono sua funera celebrent, cum aliunde sonus iste ad illa nullimode necessarius esse videatur.

797

Circa interinam Vicariatuum vacantium administrationem.

S. C. de Prop. Fide 2 *Iulii 1827* (C. P. PRO SIN.) — Utrum in casu obitus alicuius Vicarii Apostolici in Sinis aut Regnis adiacentibus, qui decesserit quin prius ullum vicarium generalem aut provicarium nominaverit qui illi in administratione Vicariatus interim succedat, proindeque quaestio aliqua super iuribus administrandi eiusdem Vicariatus excitetur, opportunum sit, ad praecavenda damna inde oritura, ut Vicarius Apost. vicinior tanquam Delegatus Apostolicus vacantis Vicariatus interinae administrationi provideat.

R. Negative, iuxta modum; id est quod in casu contestationis super iuribus plurium missionariorum ad administrandum Vicariatum Ap. vacantem, nec non persecutionis a gentilibus contra Provicarium Apost. excitatae, sicut etiam quando periculosum sit ad eumdem accedere, Vicario Ap. viciniori necessariae et opportunae facultates concedantur, ut Vicariatus Ap. vacantis bono consulat, quin tamen Delegati Ap. munus aut titulum adsumat.

798

De vita et honestate sacerdotum.

Instr. S. C. de Prop. Fide *Aug. 1827* (AD VIC. AP. *N.*) Ad mores quod pertinet sacerdotum Vicariatus tui, si tales revera fuerint quales describuntur, eos multa reformatione indigere negari non poterit. Quamplu-

res enim esse dicuntur, qui negligentes *gratiam* quae ipsis data est *cum impositione manuum presbyterii* (I. Tim. IV, 14), nihil aliud quaerunt quam *quae sua sunt, non quae sunt Iesu Christi* (Philipp. II, 21); suorumque officiorum erga Christi Ecclesiam immemores, quae ex sacris Litteris ipsis urgent ecclesiasticae sanctiones, cum debeant morum honestate, splendore virtutum totiusque vitae sanctimoniae, exemplo et incitamento ad christianam vivendi rationem aliis christifidelibus esse, potius facti sunt ipsis petra offensionis et scandali, adeo ut non ad aedificationem Ecclesiae, sed potius in eius destructionem, manus ipsis impositae fuisse videantur. Toti ipsi dicuntur esse in exquisito domorum suarum splendore, et muliebri suorum corporum ornatu quaerendo, idque in ecclesiasticis etiam muneribus exercendis; quamobrem ipsis aptari posse videtur, quod de quibusdam presbyteris aetatis suae inquiebat Hieronymus in epistola ad Eustochium: *Tales cum videris, sponsos potius existimato quam Clericos.* Hi saeculi pompas et mundanos honores sectari feruntur, et *lucra saeculi quaerentes in militia Christi,* ut de ecclesiasticis eiusdem furfuris viris inquiebat idem Hieronymus ad Nepotianum, ad ea sibi comparanda, adversus Apostoli praeceptum (II Tim. II, 4), *militantes Deo implicant se negotiis saecularibus.* Aliqua etiam reformatione dignum videtur quod ad S. C. relatum est, eos scilicet potiusquam dent operam puerorum et catechumenorum instructioni, ipsos in fidei rudimentis imbuendo, tempus saltem inutiliter terere in venationibus et ludis. Venationem Episcopis, presbyteris et diaconis vetitam esse constat ex Cap. I. *De clerico venatore;* eamdemque subdiaconis aliisque minoribus clericis, plurimis synodalibus constitutionibus prohibitam fuisse ostendit Gonzalez in d. c. n. 3; Thomassin *De vet. et nov. Eccl. discipl.* par. 3, lib. 3, c. 46; et Theophilus Raynaud in opere inscripto: *Mala ex bonis Ecclesiae,* lib. 2, sect. 3, c. 3, n. 26, seq.; et altero: *Religiosus loricatus,* praesupp. I, tom. 17, pag. 193. Distinctio quidem est apud canonistas inter *clamorosam et quietam venationem,* et quamvis communiter doceant hanc vetitam clericis non esse, nemo tamen unus est qui existimet illam esse permissam. Sed et quietam etiam venationem ecclesiasticis viris vetitam esse censendum est, si non ad breve tempus et honestae recreationis causa exerceatur, quod iuxta D. Thomam (qq. 9, 16, 8 et 2) ad virtutem eutrapeliae pertinere posset; sed in eam plurimum ipsi incumbant, adeo ut tantum ipsis non supersit temporis quantum necessarium est ut sui ministerii officia adimplere possint; hoc enim nedum ecclesiasticis sanctionibus oppositum esset, sed iuri etiam divino, quo docemur eos qui ad sacerdotalem dignitatem assumpti sunt, pro hominibus in eadem fuisse constitutos.

Idipsum de ludis dicendum est, quibus nimium indulgere presbyteri Vicariatus tui videntur. Animadvertere ipsi debent hominem per ludos ad fraudes, fallacias, mendacia, furta, periuria aliaque enormia scelera incitari consuevisse. Quamobrem Innocentius III, in generali Concilio Lateranensi, de clericis sancivit: *Ad aleas et taxillos ne ludant, nec huiusmodi ludis intersint* (cap. 15, *de vita et honestate clericorum*), et Tridentinum Concilium ab illicitis ludis clericis abstinendum esse decrevit (sess. XXIV, 12, *de Reform.*).

Cum itaque, ex hactenus expositis, multum deplorabilis videatur status sacerdotum Vicariatus tui, S. C. decrevit, eosdem, per A. T., tuosque vicarios et missionarios, vel alios idoneos viros, benigne simulque graviter admonendos esse. Vult nempe ut ipsi cognoscant et perbene considerent officia quae adimplere tenentur ratione status et vocationis suae; eos suarum splendore virtutum esse debere in Ecclesia Christi tamquam lucernas ardentes in caliginoso loco, ut luceat eorum lux coram hominibus, et videant opera eorum bona, et glorificent Patrem nostrum qui in coelis est (Matth. V, 16); eos a domino messis tamquam operarios, et non tamquam otiosos homines, missos fuisse in vineam eius ut fructum afferant, et fructus eorum maneat (Ioan. X, 2). Urgendas item ipsis esse ecclesiasticas sanctiones de vita et honestate clericorum, et praesertim quae a Sacrosancta Tridentina Synodo lata est, sess. XXII, Decreto *de Reform.* c. I, in qua inter alia haec leguntur: *Sic decet omnino clericos in sortem Dñi vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum prae se ferant.*

Quod si moniti, ad saniorem mentem revocari non poterunt, castigatoriam quoque virgam, quam Apostolus minabatur Corinthiis (I Cor. IV. 21), adhibere poteris adversus pertinaces, dummodo pro tua prudentia praevideris eam profuturam esse; secus ab hac rigidiori cum eis agendi ratione abstinere prudenter debebis, nihilque aliud reliquum tibi erit, quam ferventiores preces et obsecrationes ad Deum effundere, in cuius manibus sunt hominum corda et quocumque voluerit inclinabit illa (Prov. XXI, 1).

Ne vero novus qui exurget clerus in hoc Vicariatu talis sit qualis esse videtur qui nunc est, sed talis futurus sit qualem divina et ecclesiastica iura esse volunt, et S. C. vehementer exoptat, prae oculis habere debebis illud Apostoli monitum: *manus cito nemini imposueris* (I. Tim. V, 11), necnon verba Tridentini Concilii (sess. XXIII, *de Reform.* c. XVI):

cum nullus debeat ordinari qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis; item, quae de requisitis in promovendis ad singulos Ordines sapienter ab eodem sancita sunt ibidem. Cum vero, inter haec requisita, doctrina in promovendis ad ecclesiasticos Ordines recenseatur, sine qua inutiles forent christiano populo, cumque experientia compertum sit scientiae defectus in ecclesiasticis viris otiositatem gignere, quae multam docet malitiam (Eccli. XXXIII, 29), totis viribus adnitendum tibi, tuisque vicariis et missionariis erit, ut novus qui exurget clerus sufficienti saltem doctrina et eruditione imbuatur, eaque praecipue quae ecclesiasticis muneribus recte et ad aedificationem christiani populi adimplendis necessaria esse videtur. Et si datum tibi esset in presbyteris etiam Vicariatus tui amorem excitare erga sacras doctrinas, et studium proficiendi in ecclesiasticis disciplinis, fortassis datum quoque tibi esset eorum mores reformare, eosque dignos Ecclesiae ministros, sibi aliisque christifidelibus utiles efficere. Hoc vehementer exoptat S. C.; hoc a prudentia tua, quae satis perspecta est, et a zelo quo erga Ecclesiae bonum accenderis, a te praestolatur.

799

Contra nimiam facilitatem in sacramenti Poenitentiae administratione.

Instr. S. C. de Prop. F. *Aug. 1827* (AD VIC. AP. COCINCIN.). – Sacra Congregatio approbare non potuit nimiam, quae de confessariis Vicariatus tui narratur, facilitatem in administratione Sacramenti Poenitentiae, qui dicuntur, nulla facta inter poenitentes distinctione, omnes etiam recidivos, et in habituali consuetudine peccati superstitionis morantes, indiscriminatim absolvere. Profecto, cum ex ipsa institutione Sacramenti Poenitentiae constet aliis esse peccata remittenda, aliis vero retinenda (Ioan. XX, 23), manifestum est hanc consuetudinem tuorum confessariorum, si vera sunt quae de ipsis narrantur, opponi ipsi institutioni Sacramenti Poenitentiae, neque enim supponi potest in omnibus poenitentibus Vicariatus tui dispositiones adesse, quae necessariae cognoscantur, ex laudata mox institutione Sacramenti Poenitentiae, ad sacramentalem absolutionem obtinendam. Huic tuorum confessariorum consuetudini opponitur etiam ipsum Rituale Romanum in quo (Tit. *De Sacramento Poenit.*) legitur: *Videat autem diligenter sacerdos quando et quibus conferenda vel deneganda sit absolutio.* Quod praescriptum non fuisset, si poenitentibus omnibus, etiam recidivis et in habituali peccandi consuetudine existentibus, indiscriminatim absolutio esset impertienda. Doceantur igitur confessarii tui de hac triplici poenitentium specie, iuxta mox laudatum Rituale Romanum, et absolutionem denegent iis qui vel nulla, vel fictae tantum poenitentiae indicia praebent: illis vero differant, quorum poenitentia incerta et suspecta merito habetur. Ita docent cordatiores theologi, ita docent Instructiones confessariis propositae a S. Carolo Borromaeo, et a S. Francisco Salesio qui regulas a S. Carolo traditas in suis synodalibus constitutionibus adoptavit, uti videre est in earum titulo 9, art. 5, n. 3; ac meminisse debent mox praefati confessarii Vicariatus tui, ex magna absolvendi facilitate, magnam peccandi facilitatem oriri necessario debere.

800

Circa interinum Vicariatuum App. regimen.

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide *29 Septembris 1827.* (AD VIC. APOST. COCINCINAE). — Scias R. D. Carolum Langlois, Parisiensis Seminarii Missionum ad exteros Superiorem, dubia quaedam proposuisse, per hanc eamdem S. C. resoluta ut sequitur:

1. « Utrum mortuo Vicario Apostolico, cui non erat Coadiutor, et a quo nullus institutus fuerat generalis pro tota Missione Provicarius, missionarius qui pro una tantum Missionis parte specialiter designatus, Provicarii particularis facultates acceperat, vi praedicti Brevis *Ex sublimi* totius Missionis Superior censeatur eiusque regimen obire valeat et debeat, quamvis non sit ipse prior in Missionem ingressus? » S. C. respondit: *Provisum sub die 2 Iulii,* quo decreto statutum iam fuerat ius succedendi in interina administratione in eo casu spectare ad antiquiorem Seminarii Parisiensis in Missione alumnum.

2. « An Decretum S. Congr. de Prop. Fide a Pio VI, die 11 Martii 1787 approbatum *(V. n. 591)* ad omnes indiscriminatim missionarios cuiuscumque sint Ordinis et Instituti, non vero ad eos tantum spectet qui eiusdem sunt Instituti ac Vicarius Apostolicus defunctus ». Et hic pariter decretum est: *Decisum in primo, et spectare ad missionarios gallos, quibus concredita est Missio, et ad quos spectat Vicarius Ap.*

3. « An missionarius qui senior est in Missione possit, eveniente casu de quo agitur, ius suum alteri cedere: an vero illud exercere teneatur, nisi omnino sit impotens? » Decretumque fuit: *Negative, et in casu recurrendum esse ad Vicarium Ap. viciniorem.*

4. « Quis eorum senior in Missione censendus sit: num ille praecise qui prior a cymba in terram prosilivit, etiamsi is diaconus tantum foret aut subdiaconus, alter autem sacerdos ». Emi Patres responderunt: *In iudicanda antiquitate habendam esse rationem presbyteratus.*

5. « Si missionarius ante alium in Missionem ingressus, nonnisi diu post ipsum, vel propter aegritudinem, vel ob negligentiam, aut tenuem habilitatem, linguam addiscere et animarum ministerium exercere potuerit, quis ex his duobus senior in Missione censendus est? » Et

EE. PP. decreverunt: *Censendum seniorem in Missione qui longiori tempore ministerium exercuit, et in casu contestationis recurrendum esse ad Vic. Ap. viciniorem.*

6. « Quae sint Vicarii Ap. vicinioris iura in eam Missionem quae, defuncto Vic. Ap., exerceantur vel a Provicario generali superstite, vel a missionario seniore? » Et EE. PP. responderunt: *Provisum sub die 2 Iulii,* decreto scilicet supra relato *(V. n. 797)* quo determinati sunt casus in quibus Vic. Ap. viciniori facultates conceduntur, ut vacantis Vicariatus Apostolici bono consulat.

801

Circa abstinentiam diebus ieiunii.

S. Poenit. Ap. *8 Februarii 1828* — Quelli che sono dispensati dalla qualità dei cibi possono nei giorni di digiuno cibarsi di sola minestra di brodo per provvedere alla loro salute, e nel resto far uso dei cibi esuriali per conservare quanto si può l'osservanza della legge dei cibi?

R. Affirmative, attente consideratis expositis.

802

De *neophytorum* denominatione.

S. C. de Prop. F. *17 Apr. 1828* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Orient. — 1. Se i cristiani tutti del Tonkino possano considerarsi come neofiti in senso della dichiarazione di Clemente XI *Animarum saluti,* dell'indulto *Gravissima omnium* di Benedetto XIV (1) e delle parole della Formola I al n. 6. *qui ab infidelitate convertuntur ad fidem,* relativamente alle dispense matrimoniali.

Circa fidei professionem a catechistis emittendam.

2. Se i catechisti del Tunkino debbano fare la professione di fede avanti il Vicario Ap., o se sia sufficiente che la facciano nelle mani del Vicario provinciale, o del rettore del collegio ove subiscono l'esame.

R. Ad 1. Affirmative, iuxta declarationem Clementis XIII *Animarum saluti* sub die 10 Septembris 1766 (2).

Ad 2. Affirmative quoad utrumque, iuxta modum, nempe requiri ac sufficere delegationem Vicarii Ap., manentibus catechistis sub eiusdem Ap. Vicarii iurisdictione.

803

Circa causas dispensationum matrimonialium.

S. C. de Prop. F. *17 Apr. 1828* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Orient. — Cum in hac Missione christifideles cum infidelibus permixti degant, et in pluribus locis pauci sint christiani, et hi cognationis vinculo regulariter inter se colligati, frequenter cum ipsis dispensare necesse est, ut intra gradus prohibitos matrimonium celebrare queant. Aliquibus in locis viri christiani ad contributiones aliaque superstitiosa opera ab infidelibus coguntur, et quandiu in tali statu perseverant, ad Sacramenta non admittuntur: quando isti petunt dispensationem pro contrahendo matrimonio intra gradus prohibitos, cum ipsis dispensatur, modo altera pars Sacramentorum capax sit, concurrente gravi causa, qualis est: si in illis locis pauci sint christiani, et hi fere omnes cognati, ut supra dictum est; vel quando puella (forsan pauper et orphana) vigesimum quartum aut vigesimum quintum aetatis annum agens, necdum ab ullo in uxorem petita est, et frustrata illa occasione contrahendi cum consanguineo, forsan in posterum nullum alium, cui nubat, inveniet; vel quando iam matrimonium contraxerunt, et ob susceptam prolem, vel ob alias causas difficilis videtur eorum separatio; vel demum quia, nisi cum consanguineis contrahant, timendum est ne infidelibus copulentur, non sine gravi animarum suarum detrimento. Ob has igitur atque alias graves rationes pluries cum supradictis dispensare necesse est, remoto tamen periculo perversionis, quod quidem facile est evadere, quandoquidem supradicti viri praeter illas superstitiosas contributiones, quas vitare volunt, sed necdum potuerunt, in reliquis omnibus regulariter morigeri et observantes apparent. Sed cum an-

---

(1) Hoc indulto (12 Novembr. 1748) Pontifex concessit *Ordinariis et Apostolicis Vicariis in Regnis Sinarum, Tunkini, Siami et Cocincinae existentibus* eas facultates dispensandi cum *neophytis* super matrimoniis, quae facultates iam concessae fuerunt ab eius Praedecessoribus (Pio IV et Clemente XII) Provincialibus Societatis Iesu, et ab eis deputatis presbyteris.

(2) Haec declaratio est eadem quae continetur in Litt. Ap. *Animarum saluti* Clementis PP. XI 22 Sept. 1708, et ita se habet: « Quia a nonnullis dubitatum, seu haesitatum fuit, an omnes indigenae illarum regionum oriundi, et naturales, et christianorum indigenarum etiam baptizatorum filii, etiam in eorum infantia baptizati, iure neophyti appellari possint, idcirco tenore praesentium decernimus, et declaramus, omnes oriundos, seu naturales supradictarum omnium tam orientalium, quam occidentalium partium, imo etiamsi aethiopes, angulani, vel quarumvis aliarum transmarinarum regionum, etiamsi christianorum filii, et in infantia baptizati, vel etiam inter se, vel cum europaeis mixtim progeniti sint, ad concessionis huiusmodi effectum, esse et intelligi debere neophytos, dictosque presbyteros cum huiusmodi, ut vel matrimonio coniungi, vel in iam contracto remanere possint, sive eorum alter tantum, sive etiam uterque inde oriundus, ac proprie indigena sit in locis, et alias ut supra in quibuscumque consanguinitatis vel affinitatis gradibus iure divino, ut supra, non prohibitis, primo excepto, et alias ut praefertur, gratis tamen dispensare posse concedimus, et indulgemus. Quin etiam, quia de mixtim progenitis, quos mixtos vocant, maius dubium esse accepimus, cum eisdem mixtis, quos similiter ad hunc effectum neophytos censendos esse decernimus, in gradibus et matrimoniis contractis et contrahendis praefatis, gratis tamen, dummodo non ita facile id fiat, dispensare eisdemque presbyteris facultatem desuper concedimus opportunam ».

no 1806 ad meum quaesitum his verbis conceptum: *Utrum dispensatio matrimonialis eis licite concedatur, quorum una tantum pars Sacramentorum capax est, non item alia,* Sacra Congregatio respondisset: *Posse concedi huiusmodi dispensationes, concurrente urgentissima causa, et remoto scandalo ac periculo perversionis;* ex hac responsione exoritur dubium: An causae superius relatae, quae hic regulariter reperiuntur, urgentissimae reputari possint, quatenus, una ex illis concurrente, dispensatio matrimonialis absque scrupulo concedi possit?

R. Remittendum prudenti arbitrio ipsius Vicarii Ap. in casibus particularibus, et dentur decreta ut in Nota Archivii *(V. nn. 319 et 684).*

804

Nonnulli casus dispensationis super impedimento disparitatis cultus.

Litt. S. C. de Prop. Fide *3 Maii 1828* — AD. VIC. AP. TUNK. ORIENT. — Quoad dispensationum matrimonialium materiam tres proponis casus: 1. Eius qui in praecedenti cohabitatione vixerit cum infideli cum contumelia Creatoris, et deinde petat dispensationem super impedimento disparitatis cultus, impetrata prius a parte infideli facultate secum cohabitandi sine contumelia Creatoris, quam vitari posse speratur, spectata indole partis infidelis atque filiorum, quando aliqua spes sit eius conversionis ad fidem, vel etiam quamvis nulla spes eius conversionis affulgeat; 2. Eius qui dispensari postulat, et speratur quod vitari poterit contumelia Creatoris respectu partis fidelis, filiorum parvulorum, atque nasciturae prolis, quamvis filii adulti infideles, ob suam duritiem, nolint ad fidem converti; 3. Quando pars infidelis consentiat in reliquis, impediat tamen ne proles mascula nata vel nascitura, vel ad minus primogenitus, in christiana educetur religione, praesertim occurrente causa urgentissimae necessitatis, ut quando pars fidelis in periculo mortis constituta reperitur, nec alia ratione animae suae saluti provideri potest; et quaeris utrum his dispensatio petita concedi possit.

Sacra Congregatio ad has quaestiones respondet: Attentis expositis, et peculiaribus casuum circumstantiis, ad 1 et 2 affirmative; ad 3 autem affirmative, pro casu mortis, dummodo pars catholica spondeat, si convaluerit, se modis omnibus curaturam conversionem partis infidelis et educationem cuiusque prolis in religione catholica.

Circa facultatem dispensandi vota simplicia.

Dubio autem quod proposuisti quaerens utrum facultas commutandi et dispensandi vota simplicia extendatur etiam ad vota simplicia iuramenti religione firmata, consultum est, decretoque statutum est supplicandum SSmo pro sanatione quatenus opus sit, quoad praeteritum, et ad cautelam pro facultate in posterum etiam quoad vota iurata. Quod item factum est, ut ex Indulti Apostolici documento cognosces.

805

Celebratio Missae in domibus infidelium.

S. C. de Prop. F. *30 Iunii 1828* (C. G.) — BOSNAE — Che cosa debbasi rispondere in proposito delle Messe che dai Missionarî si celebrano nelle case dei maomettani (1).

(1) Antea S. Congregatio Litteris 16 Iunii 1827 haec scripserat Vicario Apost.: « Fatte le dovute riflessioni sulla condotta di quei sacerdoti, i quali talvolta obbligati vengono da alcuni magnati turchi a celebrare nascostamente la S. Messa nell'interno delle loro case affine di ottenere la sanità corporale a qualche loro infermo: supposto come notissimo, e conforme a ciò che praticavasi anche nei primi secoli della Chiesa, che può offerirsi a Dio il sacrificio della Santa Messa non solo per la conversione, ma anche per il bene temporale degli infedeli, si è cercato se riguardo al luogo ove si celebra il divin Sacrificio dai sacerdoti contemplati nel caso s'incontri qualche difficoltà. È certo che fuori del caso di somma necessità non può celebrarsi la S. Messa nei luoghi profani; ed il Sommo Pontefice Benedetto XIV nella sua Costituzione *Inter omnigenas* emanata appunto per il Regno di Servia, e paesi adiacenti, al § 22 prescrive: *Extra summum necessitatis casum apud infirmos in aedibus non sacris Missas celebrare non liceat.* Perchè possa giudicarsi se nel caso esposto si combini questa somma necessità, è necessario che V. S. spieghi il genere e la gravezza de' mali che potrebbero i sacerdoti temere; e siccome il concorso della somma necessità non è l'unica difficoltà che s'incontra per ciò, Ella si compiacerà ancora di riferire se il SSmo Sagramento è in questa circostanza garantito da qualunque insulto dei turchi; se i sacerdoti, che si prestano al desiderio de' turchi celebrino sulla pietra sagra; se si possa esser sicuri che decente sia il luogo nel quale essi celebrano, o sono per celebrare; e finalmente se questa celebrazione nelle case de' turchi produca, o sia per produrre un qualche scandalo ».

Vicarius Ap. respondit ut sequitur: « Al venerato quesito propostomi da cotesta S. C. cioè in che maniera vengono celebrate dai nostri sacerdoti le sante Messe nelle case dei turchi, primieramente rispondo che questo caso avviene rarissimamente, e appresso qualche persona riguardevole, che potrebbe e giovarci, e nuocerci negli incontri appresso i loro spaventevoli tribunali, dai quali siamo bene spesso vessati, ed angariati. In secondo luogo, la stanza in cui si viene a celebrare, sebbene serva all'uso comune, è però assai più decente e comoda de' miserabili tugurii e capanne dei nostri poveri villici, e montagnoli, ne' quali tugurî e capanne conviene per dura durissima necessità bene spesso celebrare, se si vogliono provvedere i moribondi del sacrosanto Viatico, massimamente nei luoghi distanti a più ore, e talvolta a giornate intiere dall'ospizio parrocchiale. Terzo, nè il Santissimo Sacramento nel proposto caso viene esposto ad alcuna profanazione, ed insulto nelle case dei turchi, che ben volentieri si asterrebbero di dare simili incomodi ai nostri sacerdoti, se la necessità di malattia o di qualche vessazione notturna, che talvolta sentesi nelle loro abitazioni, non li costringesse. Quarto, nessuno scandalo od ammirazione accade appresso i fedeli, facendosi ciò privatamente e nascostamente, o con un solo ministro assistente ».

R. Arbitrio et prudentiae Vicarii Ap. qui concurrente, quam exposuit, necessitatis causa, et dummodo decenter, et absque periculo scandali fiat, celebrationem Missarum, de quibus agitur, permittere possit.

806

Circa facultatem dispensandi ab irregularitate.

S. C. de Prop. Fide *22 Sept. 1828 (Ex Aud. SSmi)* — ANGRAE — An in artic. 2. (Formulae II), virtute facultatis datae dispensandi a quibuscumque irregularitatibus, comprehendatur facultas dispensandi etiam ab irregularitate ex defectu natalium.

R. Affirmative.

807

De Missae celebratione sine solitis utensilibus et sine sacris vestibus.

S. C. de Prop. Fide *30 Nov. 1828 (Ex Aud. SSmi)* Cum in S. Congregatione Particulari super rebus sinicis habita die 2 Octobris decretum fuisset supplicandum esse SSmo ut facultates necessarias et opportunas Vicariis Ap. Sinensibus ad decennium duraturas impertiatur ad hoc ut tempore persecutionis licentiam concedere possint missionariis non quidem omnibus indiscriminatim ac per modum regulae, sed prudenti habito delectu tum circumstantiarum in casibus concurrentium, tum etiam personarum quas ea rite, sobrie ac sancte usuras praevideant, celebrandi Missam absque solitis utensilibus, et sine sacris vestibus, vel cum aliqua tantum ex magis necessariis, ubi ceterae haberi non possint; idque praesertim ubi urgeat necessitas Eucharistiam populo aut infirmis dispensandi, hanc S. Congregationis sententiam SSmus in omnibus benigne approbavit, ac facultates de quibus agitur peramanter concessit.

808

De electione Episcoporum Hiberniae.

Decr. S. C. de Prop. F. *17 Oct. 1829* — Cum ad gravissimum electionis Hiberniae Episcoporum negotium rite sancteque absolvendum certam aliquam methodum ubique in eo Regno servandam statuere in primis opportunum esse S. C. intellexerit, qua fieret, ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur, ut ad aliquem Hiberniae Episcopatum eligantur, eadem S. C. postquam diu multumque de ea re definienda cogitavit, in Generali tandem Conventu die 1 Iunii anno 1829 referente Emo et Rmo D. D. Mauro S. R. E. Cardinali Cappellari S. C. Praefecto, censuit ac decrevit methodum in toto Regno Hiberniae super ea re servandam in posterum esse debere eam, quae hic describitur.

Sede aliqua Episcopali, sive per Antistitis obitum, translationem, aliamve ob causam in posterum vacante, Vicarius iuxta formam a sacris canonibus praescriptam, constituatur, qui dioecesi viduatae, durante vacatione, praesit. Metropolitanus Provinciae, ubi vacatio contigerit, simul atque de vacatione, et Vicarii electione certior factus fuerit, litteris mandatoriis Vicario edicat, ut in diem vigesimum a dato edicto in unum convocet omnes, ad quos pertinebit Summo Pontifici commendare tres dignos ecclesiastici ordinis viros, quorum unus a Summo Pontifice dioecesi vacanti praeficiatur. Qui sint ii qui convocari debent, quae forma in convocando et regendo conventu servanda sit, habetur ex sequenti expositione.

Qui in Hibernia nuncupantur parochi, scilicet clerici ad Ordinem sacerdotalem evecti, censurarum immunes, quique parochiae, seu parochiarum unitarum actuali ac pacifica possessione gaudeant, ad comitia convocandi sunt. Ubi vero adest Capitulum, convocabuntur cum parochis etiam canonici. Vicarius, edicto Metropolitani accepto, intra octo dies, singulos presbyteros supra designatos, litteris scriptis admonebit, ut loco quodam opportuno, in eadem monitione nominatim exprimendo, adsint, die in edicto Metropolitani statuto, ad tractandum de negotio ibidem descripto. Metropolitanus ipse, vel unus de suffraganeis eius Episcopis ab ipso delegatus comitiis praesidebit: et nulla prorsus, et invalida habenda sint ibidem acta et statuta, non servata forma supra definita, sive in convocando, sive in moderando conventu. Parochis ceterisque, de quibus supra, die et loco statutis, mane in unum congregatis, Missa solemnis de Spiritu Sancto celebretur: Missaque finita, Praeses super sedile in medio Ecclesiae ascendet, omnibusque, quorum nihil interest, exire iussis, foribusque Ecclesiae clausis, Vicarius catalogum nominum omnium parochorum et canonicorum, si adsit ibi Capitulum, dioecesis vacantis Praesidi tradet, qui eorumdem nomina, clara ac distincta voce a secretario suo recitari mandabit, et unicuique eorum, postquam nomini responderit, sedem propriam assignabit. Si unus aut plures parochi absint, Praeses a Vicario probationem exquiret absentibus sine fraude edictum fuisse, et tali probatione admissa, absentia cuiusvis numeri, modo quarta pars totius parochorum numeri adsit, nihil obstabit, quominus rata et valida sint quae in comitiis gerantur.

Idem servandum erit circa canonicorum numerum in dioecesi in qua Capitulum adest. Parochis et canonicis qui Vicarii monitioni, sive propter adversam valetudinem, aliamve ob causam parere non valeant, liberum erit suffragia sua propria ipsorum manu scripta, involucro sigillato inclusa, et extrinsecus ad Praesidem directa, cuivis alii parocho vel canonico eiusdem dioecesis confidere, et suffragio sic habito et probato eadem inerit vis, ac si parochus aut canonicus ipse praesens adesset, modo litterae certificatoriae de adversa eius valetudine a duo-

bus artis medicinae peritis subscriptae ad Praesidem transmittantur. Insuper parochus iste, vel canonicus, priusquam suffragium, modo supra descripto, ferat, eamdem declarationem emittet, quam ceteri parochi ac canonici inter comitia emittere coram Praeside debebunt, eiusque declarationis coram duobus parochis vel canonicis emissae probatio in medium erit proferenda coram Praeside antequam suffragium admittatur. Comitiis ita compositis, ac Praeside tractanda proponente, duo scrutatores, iuxta consuetas canonum formas, eligantur. Dein suffragatores ad urnam supra mensam positam singuli accedant, et clara altaque voce, tactis simul manu pectoribus, coram Deo, pro se quisque, affirment, se neque gratia, neque favore inductos ei suffragaturos, quem dignum iudicent, qui dioecesi vacanti praeficiatur. Postea, suffragio in urnam immisso, singuli ad propriam sedem recedent. His peractis clara altaque voce a scrutatoribus ad Praesidem, et a Praeside ad conventum renuntianda sunt nomina trium eorum sacerdotum, in quos maior suffragiorum numerus convenerit (1). Tunc Praeses narrationem authenticam in scriptis redactam, parari coram comitiis, eiusdemque duo exemplaria a seipso, et secretario atque scrutatoribus subsignanda exscribi curabit. Ex istis exemplaribus alterum Vicario tradendum, qui idem ad Sedem Apostolicam transmittat; alterum vero Metropolitano, cuius munus erit idem ad suffraganeos suos Episcopos in unum congregatos referre. Quaecumque iura, privilegia, et munera supra recensentur tanquam Praesidi Conventus propria, eadem Sede Metropolitana vacante, seniori provinciae Suffraganeo communicari volumus.

Episcopis Provinciae, Praeside Metropolitano, aut ipsius defectu, seniori Provinciae suffraganeo, in unum congregatis, et narratione authentica supra memorata coram ipsis prolata, de eadem coram Deo iudicium sententiamque ferent. Praeses Episcoporum suffraganeorum sententiam de meritis trium sacerdotum, qui Sedi Apostolicae commendantur, literis consignatam, uniuscuiusque Episcopi et Praesidis manu subscriptam, sigilloque munitam ad Sedem Apostolicam transmittet. Semel peracta commendatione, si Episcopi iudicaverint tres illos commendatos minus dignos esse, quorum unus ad Episcopatum promoveatur, tunc, quin detur novae commendationi locus, Summus Pontifex pro sua sapientia, viduatae Ecclesiae providebit.

Si agatur de Episcopo Coadiutore cum iure successionis cuivis Episcopo assignando, eadem quae, Sede vacante, commendandi forma servanda est, cauto tamen varia privilegia, iura, et munera Metropolitano, aut seniori Episcopo suffraganeo iam attributa, ad Archiepiscopum, aut Episcopum cui coadiutor assignandus est, unice pertinere, illaeso tamen servato iure Metropolitani, quando suffraganei eius Episcopi ad ferendum suffragium convenerint. Tandem quicumque Sedis Apostolicae approbationi commendentur, cives sint indigenae Hiberniae, serenissimo Imperii Britannici Regi fidelitate incorrupta obstricti, morum integritate, pietate, doctrina, ceterisque quae Episcopum decent, dotibus insigniti.

Haec sunt quae in commendandis Sedi Apostolicae sacerdotibus pro Episcoporum Hiberniae electione S. C. servanda praescripsit. Ea vero decernens significari omnibus voluit, in documentis de hac re pertractantibus, ad Sanctam Sedem transmittendis nihil inveniri debere, quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed simplicem commendationem; memorata praeterea documenta esse debere iussit in forma supplicis libelli ita conce-

---

(1) Litteris 25 Aprilis 1835 ad Archiep. Dublinen. S. C. declaravit quod sequitur: « Initum a S. Congregatione consilium ut certam methodum in regno Hiberniae servandam decerneret circa sacerdotes commendandos Apostolicae Sedi quando agitur de Episcoporum electione, in eo totum versatum est ut, memorata methodo accurate servata, Apostolica Sedes exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur. Quare Sacra Congregatio in decreto quod die prima Iunii anno 1829 ea de re factum fuerat, ac die 17 Octobris eiusdem anni promulgatum est, declaravit mentem suam esse ut commendationes illae lumen tantum ac cognitionem sibi compararent circa eos inter quos Apostolica Sedes Episcopos est electura. Voluit quidem dioecesanum clerum consuli atque eiusdem opinionem circa sacerdotes commendandos per secreta suffragia requiri. Id autem ea tantum de causa factum est, ut Sanctae Sedi constaret quinam praecipue sacerdotes aestimationem obtineant cleri dioecesani, et tale testimonium consequatur ex quo intelligi possit eos apud dioecesanum clerum ad episcopatum consequendum idoneos censeri. Hoc vero unico scrutinio fieri posse manifestum est, et revera decreti superius memorati contextus hic est, ut in uno tantum scrutinio res peragatur atque ex eo scrutinio constet quinam sint *tres sacerdotes in quos maior suffragiorum numerus convenerit.*

Ad S. Congregationis notitiam nuper pervenit in aliquibus Hiberniae dioecesibus hoc obtinuisse ut in conventibus qui habentur a clero dioecesano ad sacerdotes S. Sedi commendandos, ex quibus Episcopus aliquis eligatur, non unum scrutinium sed tria fiant. Intelligens S. Congregatio hinc evenire posse, ut non tres praestantiores ex clero, sed unus revera commendetur atque ei duo alii veluti ad formam tantum adiungantur meritis omnino inferiores; cupiens praeterea eadem S. Congregatio ubique in Hibernia eamdem methodum circa eiusmodi commendationes servari, scribendam iudicavit Amplitudini Tuae hanc epistolam caeteris Archiepiscopis communicandam, ut in dioecesibus omnibus Hiberniae constet unicum scrutinium in conventibus cleri peragendum esse ad tres sacerdotes Sanctae Sedi commendandos, antequam ipsa deveniat ad Episcopi alicuius Hiberniae dioecesis electionem, et hunc verum decreti diei 1 Iunii (seu 17 Octobris) 1829 sensum esse.

pti, ut inde pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi unum ex commendatis.

Declaravit denique S. C. salvam semper atque illaesam manere debere Sedis Apostolicae libertatem in eligendis Episcopis, ita ut commendationes lumen tantum et cognitionem Sacrae Congregationi, nunquam tamen obligationem sint allaturae.

809

De administratione Viatici intra Missam.

S. R. C. *19 Dec. 1829* — An tempore ss. sacrificii Missae, in administratione Viatici, praesertim in xenodochiis, liceat ab altari recedere usque ad aegrotorum lectum, recitando interim ps. *Miserere*, ut fieri solet extra Missam.

R. Negative quoad ps. *Miserere*. Insuper animadvertendum quod si celebrans, pro Viatici administratione intra Missam, altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere.

810

Circa electionem canonici theologi et poenitentiarii.

S. C. Concilii *21 Dec. 1829* — An Episcopus polleat iure eum eligendi ad praebendam Theologi et Poenitentiarii, quem ipse inter approbatos in formali concursu digniorem iudicaverit; seu potius illum eligere teneatur, quem magis idoneum in eodem concursu examinatores renuntiaverint.

R. Affirmative ad primam partem: Negative ad secundam.

811

De matrimoniis mixtis, et praesertim de catholica prolis educatione.

Litt. Ap. Pii PP. VIII *25 Martii 1830* – (AD ARCHIEP. COLONIEN. ET AD EPP. TREVIREN. PATERBONEN. ET MONASTERIEN.) Litteris altero abhinc anno ad Leonem XII gl. me. Praedecessorem Nostrum datis, diligenter, Venn. Fratres, exposuistis arduum, in quo versamini, discrimen, propterea quod civili lege isthic ante paucos annos lata praescriptum est, ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris, aut certe ad eius arbitrium, educentur: simulque sacerdotibus interdictum, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa nascituraе prolis institutione sponsionem. Et ipsi quidem vel ex eo tempore participes fuimus summi moeroris, quo idem optimus Pontifex affectus est ob angustias has vestras, quas hae literae plenius explicabant. Sed graviori adhuc molestia nunc angimur, quum humilitati nostrae inscrutabili Deo iudicio reservatum est vobis responsa reddere, quae Praedecessor Noster praebere morte praeventus non potuit. Siquidem S. huic Sedi prorsus non licet illa omnia praetermittere, quae in istis regionibus ad eius legis executionem postulari significastis. Verum duo sunt, quae haud parum Nos recreant, videlicet vestrum pariter et sacerdotum, qui sub vobis sunt, pro doctrina ecclesiae tuenda servandisque illius regulis studium, quod praedictis quoque ad Leonem XII literis demonstrastis, ac Serenissimi Borussiae Regis indulgentia, qui, ut pariter innuistis, ipse auctor quodammodo vobis fuit, ut Apostolicae Sedi huic integrum vestrum statum ingenue explicantes, illam super anxietatibus vestris consuleretis: hinc enim merito confidimus non modo vos rescriptis hisce nostris plane obsequuturos, sed ipsam quoque Serenissimi Regis Maiestatem vobis non succensuram, si eidem in rebus civilibus ex animo obsecundantes, in iis tamen, quae non civiles matrimonii effectus, sed ipsam attingunt matrimonii eiusdem sanctitatem, et religiosa coniugum officia respiciunt, sacras religionis catholicae regulas custodiatis. Itaque ad rem propius veniendo, haud Nobis opus est, ut Fraternitates Vestras sacra omni doctrina peritissimas edoceamus quaenam adversus mixtas, de quibus agitur, nuptias Ecclesiae ratio sit. Ergo ignotum vobis non est, Ecclesiam ipsam a connubiis huiusmodi, quae non parum *deformitatis*, et spiritualis periculi praeseferunt, abhorrere: atque idcirco Ap. hanc Sedem summo semper costantique studio curasse ut canonicae leges matrimonia eadem prohibentes religiose custodirentur. Quod si Romani Pontifices a sanctissimo illo canonum interdicto nonnunquam dispensasse inveniuntur, id profecto graves ob causas, et aegre admodum fecerunt, suisque dispensationibus adiicere consueverunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam, ut proles utriusque sexus ex eodem matrimonio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Nostis autem, VV. FF., ipsas omnes cautiones eo spectare, ut hac in re naturales divinaeque leges sarctae tectae habeantur, quandoquidem exploratum est catholicas personas seu viros, seu mulieres, quae nuptias cum acatholicis ita contrahunt, ut se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committant, non modo canonicas violare sanctiones, sed directe etiam, gravissimeque in naturalem ac divinam legem peccare. Atque exinde iam intelligitis, nos quoque gravissimi coram Deo et Ecclesia criminis reos fore, si circa nuptias huiusmodi istis in regionibus contrahendas, illa a vobis aut a parochis vestrarum dioecesum fieri assentiremur per quae, si non verbis, factis tamen ipsis indiscriminatim approbarentur. Quare Nos summopere commendantes zelum illum vestrum quo catholicos vestrae curae commissos a connubiis mixtis avertere hactenus adlaborastis,

enixe in Domino exhortamur, ut posthac pariter in idipsum sedulo incumbatis in *omni patientia et doctrina,* horum deinde laborum copiosam in coelis mercedem accepturi. Iuxta haec igitur quoties praesertim catholica aliqua mulier viro acatholico nubere velit, diligenter ab Episcopo seu a parocho edocenda erit quaenam circa huiusmodi nuptias canonum sententia sit, serieque admonenda de gravi scelere quo apud Deum rea fiet, si eos violare praesumat: et maxime opportunum erit eamdem adhortari, ut meminerit firmissimum illud nostrae religionis dogma quod — extra veram catholicam fidem nemo salvus esse potest: — proindeque agnoscat se in filios, quos a Deo expectat, iam nunc crudelissime acturam, si tales contraxerit nuptias, in quibus sciat illorum educationem in viri acatholici arbitrio futuram. Quae quidem salubria monita erunt etiam, prout prudentia suggesserit, iteranda, eo praesertim tempore quo nuptiarum dies instare videatur, dumque consuetis proclamationibus disquiritur utrum alia sint, quae illis obstent impedimenta canonica. Quod si nonnullis in casibus paterna huiusmodi sacrorum pastorum studia in irritum cadere contingat, tum sane abstinendum erit a catholica eadem persona, censuris in illam nominatim expressis, corripienda, ne tumultus aliquis excitetur, et graviora rei catholicae mala obveniant: sed alia ex parte abstinere etiam catholicus pastor debebit non solum a nuptiis, quae deinde fiant, sacro quocumque ritu honestandis, sed etiam a quovis actu, quo approbare illas videatur. Quam circa rem illud solummodo in nonnullis locis toleratum est, ut parochi, qui ad graviora rei catholicae incommoda avertenda, praesentiam suam contrahendis his nuptiis praestare cogebantur, paterentur quidem eas ipsis praesentibus confici (si scilicet nullum aliud obstaret canonicum impedimentum) ut, audito utriusque partis consensu, deinceps pro suo officio, actum valide gestum in matrimoniorum librum referrent, sed caverent semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus, et ab ecclesiastico quovis ritu eisdem admiscendo. — Sequitur iam ut de illorum causa respondeamus, qui matrimonia mixta inire ausi fuerint catholico pastore non praesente. Et hac quidem super re ita Nobis censuimus statuendum: ut avertantur, quoad fieri poterit, scandala quae ex huiusmodi nuptiis oriri denunciastis; itemque, ut catholici illi, qui in coniunctione vivunt eo modo inita, facilius induci possint ad peccatum suum salutaribus poenitentiae lacrymis expiandum; denique ut in posterum certa omnibus regula sit, qua de vi matrimoniorum ea ratione contrahendorum diiudicent. Iam vero ad coniunctiones quod attinet, quae isthic usque ad praesens tempus sine parochi praesentia initae sunt, Nos brevi delegabimus Fraternitatibus Vestris necessarias facultates, quarum vi, malis exinde ortis magna saltem ex parte mederi valeatis. Nunc autem per Nostras has litteras volumus et mandamus, ut matrimonia mixta, quae posthac (a die videlicet 25 Martii 1830) in vestris dioecesibus contrahi contingat, non servata forma a Tridentino Concilio praescripta, si eisdem nullum aliud obstat canonicum dirimens impedimentum, pro ratis ac veris connubiis habeantur, prout Nos auctoritate Nostra Apostolica, matrimonia eadem vera et rata fore declaramus atque decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Quocirca catholicae personae quae in posterum matrimonia hoc modo contraxerint, dum nullum aliud iis obstaret dirimens canonicum impedimentum, a sacris pastoribus edocendae erunt ipsas verum et ratum coniugium inivisse. Insuper Pastorum officium erit, catholicos quoslibet, praesertim vero catholicas mulieres, quae cum acatholicis validas quidem, sed tamen illicitas nuptias contraxerint, opportuno tempore admonere *in charitate Dei et patientia Christi,* ut de gravi patrato scelere poenitentiam agant, suisque satisfaciant obligationibus, ei praesertim, qua erga suos filios ipsae semper tenebuntur, ad catholicam videlicet illorum omnium educationem pro viribus seduloque curandam. Post haec supervacaneum ducimus, VV. Fratres, vos excitare, ut attendatis quanta prudentia hisce in casibus agendum sit, ne catholicae religioni creetur invidia: quandoquidem Fraternitates Vestras id probe novisse compertum nobis exploratumque est. Sic agite igitur, sicque a Vobis admoniti agant parochi, ut omnes videant catholicos sacerdotes non alio, quam officii sui adimplendi spiritu animari, ut in iis, quae civilis sunt ordinis, regias leges non propter servilem quemdam metum, sed propter conscientiam custodiant *etc.* (1).

(1) Post has Litteras Ap. data fuit ab Emo Card. Albani Secr. Stat. die 27 Martii 1830 quae sequitur Instructio: « SSmus D. N. Pius d. p. Papa VIII ad Archiep. Colonien. atque ad Epp. Trevirensem, Paderbonensem, et Monasteriensem rescribens per litteras datas die 25 Martii 1830 eis iam significavit, quam magno moerore affectus ipse sit ob graves angustias in quibus illos versari cognoverat, propterea quod civilis lex in eorum regionibus anno 1825 lata statuerit, ut proles utriusque sexus ex matrimoniis mixtis orta, in religione patris aut certe ad eius arbitrium educetur, et sacerdotibus interdixerit, ne a personis connubia huiusmodi contracturis ullam exigant super religiosa futurae prolis educatione sponsionem. Non enim potuit Sanctitas Sua ullo modo declinare a constante illo studio, quo Sedes Apostolica semper advigilavit ut sacri canones qui mixtas huiusmodi nuptias deformitatis et spiritualis periculi plenas severe prohibent, religiose custodirentur. Multo autem minus declinare potuit a ssmo illo Sedis eiusdem instituto, per

812

De divisione inter catholicorum et acatholicorum coemeterium.

S. C. de Prop. F. *29 Martii 1830* (C. G.) — In coemeterio catholicorum, quatenus aliud adsit in loco, non esse admittenda cadavera acatholicorum ; alio vero non existente, fiat divisio coemeterii cum separato ingressu.

813

Circa infidelium adultorum baptismum.

S. C. S. Off. *12 Maii 1830* — Non licere absque principalium fidei mysteriorum cognitione, et absque aliis necessariis dispositionibus nigros ceterosque infideles rationis usus capaces baptizare.

814

Baptisma haud iterandum.

Instr. S. C. de Prop. Fide *23 Iunii 1830* (AD VIC. AP. SIAM) Baptismi Sacramentum unum ex tribus esse quae imprimunt in anima characterem, ideoque iterari non posse, definivit sacrosancta Tridentina Synodus hisce verbis : *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit* (Sess. 7, *de Sacrament. in genere,* can. 9); cui solemni definitioni, perpetuae Ecclesiae traditioni innixae, adstipulantur validissimae theologicae rationes, quas laudat D. Thomas (3 part., quaestion. 66, n. 9), nimirum, Baptismum esse spiritualem quamdam generationem et nativitatem, et sicut homo semel corporaliter nascitur, ita semel etiam spiritualiter nasci debere; itemque Baptismum institutum esse ad delendum originale peccatum: quia vero peccatum istud semel deletum iterum non contrahitur, ita nec eiusdem remedium iterandum est.

Quamobrem iteratio Baptismatis gravis culpa habita semper est in Ecclesia, adversus quam irregularitatis poenam, per quam scilicet rebaptizans ad Ordines superiores ascendere vetatur, si delictum publicum fuerit, decrevit Alexander PP. III. in Cap. *Ex litterarum, De apostatis et de reiterantibus Baptisma;* quae decretalis, tametsi loquatur de ministrante ei qui rebaptizat, multo magis locum habet in rebaptizante, quia usus et consuetudo, quae est optima legum interpres, eam poenam etiam de rebaptizante intelligit, ut ait Phirhing in l. 5 Decretal. tit. 9, parag. 3, n. 13.

Ex his inferre debes baptizatos ab anglis in Pulopinang, si eorum baptismus fuit validus, nulla ratione rebaptizari potuisse. Sed in hoc cardo quaestionis positus est: dubitas nempe de illorum baptismi validitate, et sciscitaris a S. C. quid tibi faciendum sit. Quamobrem, ut postulationi tuae eadem S. C. satisfaciat,

---

quod Romani Pontifices, quum interdum (aegre scilicet, et graves tantum ob caŭsas) matrimonia huiusmodi permitterent, suis dispensationibus adiicere consueverunt conditionem expressam de praemittendis matrimonio opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed etiam ut proles utriusque sexus ex eo coniugio procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Cum enim non ecclesiastica solum, sed naturalis ac divina prorsus lex vetet, ne homo in nuptiis contrahendis se aut futuram sobolem periculo perversionis temere committat; exinde sane manifestum est memoratas omnes cautiones idcirco adhiberi, ut naturalis eadem divinaque lex sarta tecta habeatur. Quare Sanctitas Sua debitis prosequens laudibus praedictos Antistites pro pastorali zelo, quo catholicos suae curae concreditos avertere conati sunt a nuptiarum foedere illicite cum acatholicis coniungendo, illos enixe in Domino adhortata est, ut posthac quoque in idipsum sedulo prudenterque adlaborent; simul vero, et nonnulla iisdem literis praescripsit, quae Episcoporum eorumdem molestiis leniendis profutura viderentur, quaeque pertinerent ad catholicos in illicita illa connubia prolabentes, ad meliora consilia atque ad salutarem poenitentiam facilius reducendos. Atque una declaravit, magnam se erigi in spem non modo Episcopos pontificiis illis rescriptis religiose obsequuturos, sed ipsum quoque Serenissimum Regem pro sua aequitate, et erga catholicos sibi subditos indulgentia, haud aegre laturum, si animarum pastores Maiestati Suae in civilibus rebus ex animo obsecundantes, in hoc tamen negotio, quod ipsam attingit matrimonii sanctitatem, et religiosa coniugum officia respicit, sacras religionis catholicae regulas observent.

Quam utramque spem nunc etiam magnopere fovet Summus Pontifex dum hac instructione supradictis quatuor Episcopis nunciari vult alia nonnulla, quae circa eamdem rem indulgenda aut toleranda decrevit. Et primo quidem ad matrimonia quod attinet, quae in quatuor dioecesibus Coloniensi, Trevirensi, Paderbonensi et Monasteriensi hucusque inita sunt praeter formam a Tridentino Concilio praescriptam, iam SSmus Dñus Noster suis illis ad Episcopos litteris indicavit, se eisdem delegaturum facultates idoneas, ut possint malis exinde ortis, magna saltem ex parte, mederi. Nimirum Summus Pontifex memor Vicarium se esse Iesu Christi, qui *venit quaerere et salvum facere quod perierat,* ad infelicem respexit illorum catholicorum conditionem, qui in coniugio viventes coram Deo et Ecclesia irrito, sed coram civilibus loci legibus valido, in magna redeundi ab bonam frugem difficultate versantur, et misericordia erga eos motus, ipsis aperire decrevit faciliorem viam ad poenitentiam. Itaque Archiepiscopo Coloniensi, et Episcopis Trevirensi, Paderbonensi, et Monasteriensi per hanc instructionem significatur Sanctitatem Suam augere illos auctoritate necessaria et opportuna, cuius vi unusquisque illorum tamquam Delegatus Apostolicae Sedis possit in sua dioecesi confirmare, atque etiam *in radice sanare* nuptias usque ad diem receptionis presentis instructionis initas inter unam partem catholicam, et alteram acatholicam, quae irritae idcirco sunt, quod in iis contrahendis servata non fuerit forma a Tridentino Concilio praescripta. Et quoniam nonnullae ex mixtis nuptiis hucusque contractis irritae item sunt propter alia, quae iisdem obstabant, canonica impedimenta : ideo SSmus Dñus Noster plenam ipsis quatuor Episcopis addit potestatem, qua eorum quisque tamquam Sedis Apostolicae Delegatus ab impedimentis illis in sua dioecesi valeat dispensare, dummodo scilicet de iis agatur impedimentis, a quibus Apostolica Sedes ob graves causas dispensare iam solet ; et dummodo dispensatio ipsa pertineat ad sananda coniugia mixta, itidem usque ad praesens tempus con-

hanc instructionem ad te mittendam decrevit, in qua, recensitis iis, quae necessaria sunt ad huius Sacramenti valorem, necnon quibus in circumstantiis iterandus sit baptismus sub conditione, cognoscere facile posses quid tibi agendum sit, quidve aliis permittendum sit aut prohibendum.

Ad Baptismi valorem nec probitas nec fides ministri necessaria.

Et primum, in tuam memoriam revocandum est, ministri Baptismatis improbitatem non officere validitati istius Sacramenti. Aliter quidem senserunt donatistae, quos solide refutavit Augustinus, cuius celebris est sententia sequens: *Baptismus talis est, qualis est ille in cuius potestate datur, non qualis est ille per cuius ministerium datur... Quid tibi faciat malus minister ubi bonus est Dominus?* (Tr. 5 in Ioannem, n. 6, 11). Errorem hunc iam extinctum saeculo Ecclesiae quinto, renovarunt saeculo XII, waldenses et albigenses, et desinente saeculo XV hussitae et wicleffitae; et proscriptus fuit in Concilio Constantiensi, ac tandem in Tridentino, in quo ita definitum est: *Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia quae ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre Sacramentum, anathema sit* (Sess. 7, *De Sacrament. in genere*, c. 12).

Sicut probitas, ita nec fides in baptizante ad Baptismi valorem necessaria est. Errarunt in hoc Cyprianus aliique Africae Episcopi, quem errorem reiecit Stephanus I Romanus Pontifex, celebri illo Decreto adversus rebaptizantes baptizatos ab haereticis: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.* Quamobrem Concilium Nicaenum I noluit rebaptizari baptizatos a novatianis, decernens de illis, Can. 8: *Placuit sancto et magno Concilio ut impositionem manus accipientes, sic in clero permanerent,* sine novo scilicet baptismate; eumdemque rebaptizantium errorem proscripsit Tridentinum, ita definiens: *Si quis dixerit, Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum, anathema sit* (Sess. VII, *De Baptismo*, can. 4).

Quaenam necessaria ad Baptismi validitatem.

Haec de iis quae non officiunt Baptismi validitati: nunc de iis quae ad eius validitatem necessaria seu essentialia sunt. Haec ut clarius percipiantur, duplici ratione considerari Baptismus debet: primum in ratione generica Sacramenti, tum in ratione specifica Baptismi. Si priori modo consideratur, tria necessaria ad eius valorem requiruntur, nempe: materia, forma et persona ministri, ut docuit Eugenius IV in celebri Instructione pro Armenis, in haec verba: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri,*

---

tracta. Quam quidem auctoritatis vim eo libentius Sanctitas Sua eisdem Episcopis delegat, quod praeclaram de illorum virtute opinionem fovet, planeque confidit ipsos potestate tam ampla prudentissime usuros. Et praeterea Summus Pontifex declarat Episcopos eosdem illa omni potestate uti posse etiam per alios idoneos ecclesiasticos viros a se speciatim subdelegandos. Nonnulla tamen sunt ad eius auctoritatis usum spectantia, de quibus Sanctitas Sua Episcopos eorumque subdelegatos admoneri mandavit. Primo scilicet, ut in singulis casibus perspiciant, an matrimonium, quod irritum erat, instaurari valeat nova per utramque partem consensus significatione, ea scilicet significatione, quae debito modo fiat, et cui cautiones praecedant, quae pro coniugiis mixtis a Sede Apostolica exigi consueverunt. Et hanc quidem consensus renovationem tunc ipsi procurent, quando, omnibus specialis cuiusque casus adiunctis diligenter perpensis, nullum gravioris mali periculum fore censuerint in ea re postulanda et perficienda; contra vero si gravia ea mala fuisse metuenda esse cognoscant, licebit eisdem matrimonium sanare in radice. Secundo, ut quoties in casibus huiusmodi matrimonium sanent in radice, admonere omnino teneantur catholicam partem de gravitate sceleris ab ipsa patrati, eique salutarem pro eodem peccato poenitentiam imponere, atque imprimis adhortari illam in Domino, ut suis obligationibus sedulo satisfaciat, ei praesertim quae catholicam filiorum utriusque sexus educationem respicit. Tertio ut Episcopi et eorum subdelegati abstineant ab iis nuptiis imprudenter confirmandis, quae coram civili lege brevi dissolvendae praevideantur per sententiam laici magistratus, divortium inter partes pronunciantem. Et haec quidem SSmus Dominus N. indulgenda decrevit ad catholicos, qui in praedictis quatuor dioecesibus illicita simul et irrita coniugia ad praesens usque tempus cum acatholicis contraxerunt, in viam salutis facilius revocandos. Idem vero indulgentiae modus nequaquam adhiberi debet erga illos, qui futuro tempore nuptias mixtas et irritas inire ausi fuerint, quandoquidem ex ipsa facilis remedii spe animum plures sumerent ad peccandum. Caeterum S. S. in litteris ad eosdem Episcopos datis, quae supra memoratae sunt, iam declaravit matrimonia mixta in praedictis quatuor dioecesibus in posterum (videlicet a die 25 Martii 1830) ineunda, vera et rata matrimonia fore, quamvis praeter formam contraherentur, a Tridentino Concilio praescriptam, dummodo tamen nullum aliud eis obstaret canonicum dirimens impedimentum. Novit equidem Summus Pontifex molestias illas gravissimas, in quibus quatuor illi Episcopi in praesentia versantur, ex eo etiam oriri, quod catholici quidem, insano amore turpiter dementati, nuptias contrahere optant cum acatholicis sibi coniunctis, et sacerdotes vexant eisdem ea in re connivere abnuentes. Adhuc tamen S. S. Antistites ipsos in Domino adhortatur, ut illorum improbitati suam in pastoralibus officiis constantiam opponant; quin imo, et eosdem ad saniora satagant consilia revocare. Quod si aliquo in casu paternis hisce sacrorum Pastorum studiis in irritum cadentibus, catholica persona a proposito coniugii cum acatholico sibi propinquo ineundi, removeri non possit, et impedimentum, cuius relaxatio postulatur pro nuptiis valide contrahendis, pertineat solummodo ad remotiores gradus, videlicet ad tertium aut quartum gradum sive consanguinitatis, sive affinitatis, vel ad cognationem spiritualem (illa tamen excepta quae inter levantem et levatum intercedit), vel tandem ad publicam honestatem ex sponsalibus ortam: tunc Episcopum ipsum considerare oportebit, utrum iusta atque urgens sit concedendae dispensationis causa, et talis illa scilicet, ut non privatorum hominum dumtaxat, sed publicam ipsam religionis catholicae rationem spectet, atque una oportebit illum implorare fervidis precibus lumen Spiritus Sancti, ut deinde in re

quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum. Nempe necesse est ut per ministrum materia applicetur formae, alias non habetur Sacramentum. Quamobrem Augustinus, de Baptismo loquens, inquiebat: *Detrahe verbum, quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum* (Tract. 80 *in Ioannem.* n. 3, t. 3, part. 2).

Materia et forma esse debent iuxta divinam Sacramenti cuiuslibet institutionem, a qua recedere datum non est in iis quae divinae sunt institutionis; quamobrem substantialis materiae vel formae mutatio irritum faceret Sacramentum; non idem dicendum est de accidentali mutatione, quae illicitum quidem, minime vero etiam invalidum faceret Sacramentum.

Relate ad ministrum, in ipso saltem generica requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Quapropter Martinus V in Constitutione quae extat ad calcem Constantiensis Concilii, anno 1415, ab iis qui in haeresis suspicionem venerant, quaeri iussit: *An credant quod malus sacerdos, cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia Sacramenta?* (tom. 12 Concil., p. 269). Et Trid. Concilium adversus Lutherum ita definivit: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit* (Sess. VII *De Sacram. in genere,* can. 11).

Etiam in adultis aliqua intentio necessaria est ad valorem Sacramenti quod recipiunt; quod declaratum iam fuit in Concilio Carthaginensi tertio, an. 397 (can. 34, *t. 2 Concil., p. 1171*) et in Arausicano I, an. 422 (can. 12, *t. 3 Conc., pag. 1149*). Quamobrem D. Thomas inquiebat: *Dicendum quod si in adulto deesset intentio suscipiendi Sacramentum, esset rebaptizandus* (3 part., quaest. 68, art. 7, ad 2). Haec de necessariis ad valorem Baptismi si hic consideretur in generica Sacramenti ratione.

Si vero Baptismus consideretur in sua ratione specifica, tenendum est ex antiquissima et constanti utriusque Ecclesiae occidentalis et orientalis doctrina, validum esse Baptismum a quocumque homine viatore conferatur, etiamsi hic laicus fuerit, vel femina. Hinc Eugenius IV in superius laudata pro armenis Instructione, inquit: *In casu necessitatis, non solum sacerdos et diaconus, sed etiam laicus, vel mulier, baptizare potest.* Et Hieronymus: *Si necessitas cogit, scimus etiam licere laicis baptizare (Dialog. adversus luciferianos,* tom. 4, pag. 295, p. 2); et quia fides non requiritur ad valorem Sacramenti, validus erit Baptismus, ut superius dictum est, etiamsi ab hebraeo

---

tanti momenti id consilii capiat, quod magis in Domino expedire censuerit. Iam vero si quis ex quatuor Episcopis saepe memoratis, eadem illa causae gravitate permotus, ab aliquo praedictorum graduum (non tamen ab aliis gradibus nec ab alio quovis impedimento) ad contrahendas nuptias mixtas dispensaverit, hoc sane Summus Pontifex nullo unquam suo actu probaturus est: tolerabit tamen invito quidem, seu patienti animo, dummodo dispensatio huiusmodi ab Episcopo data fuerit intra tempus mox explicandum, aliisque servatis quae pariter modo declarabuntur. Nimirum primo, cum facultates aliae quas Sedes Apostolica Episcopis iisdem delegare iam consuevit pro matrimoniis inter catholicos ineundis ad quinquennii tempus definitae sint, declarat Sanctitas Sua, praedictam quoque tolerantiam ad quinquennium solummodo ab hac die 27 Martii 1830 inchoandum duraturam: et ita quidem, ut quum deinde facultates illae, quae pro matrimoniis inter catholicos delegari solitae sunt, ad aliud rursus quinquennium concedentur; non tamen idcirco tolerantia haec prorogata censeri valeat, nisi ipsa quoque novo actu, verbisque expressis fuerit repetita. – Insuper secundo decrevit etiam SSmus D. N. quoties pro matrimonio mixto dispensatio petatur in gradibus eadem tolerantia comprehensis, Episcopus concedere illam nequeat nisi postquam catholicam partem edocuerit, quaenam circa mixtas huiusmodi nuptias canonum sententia sit, et illam paterne ac sedulo adhortatus fuerit ad eosdem religiose custodiendos, monueritque imprimis de gravissimo scelere, quo apud Deum rea fiet, si nuptias huiusmodi contrahere audeat, non praemissa eisdem idonea cautione de liberis utriusque sexus in religionis catholicae sanctitate omnino educandis. – Tertio. Atque si aliquo in casu, (quod Deus avertat) contigerit, ut Episcopus, qui instructione monitisque huiusmodi nihil profecerit ad catholicam ipsam partem ab improbo suo consilio retrahendam, necessitati cedendum iudicet, et dispensationem a se tribuendam, quamvis idonea illa de liberis catholice educandis cautio non interveniat; statuit Sanctitas Sua, ut tum quoque Episcopus ipse dispensare non possit, nisi per diploma scriptum, seu per litteras catholicae eidem parti tradendas, ubi perspicuis verbis denuncietur impedimentum, quod nuptiis obstaret: idcirco tantum eo in casu relaxari ne graviora scandala eveniant, ac proinde matrimonium quidem fore verum et ratum, sed tamen peccaturam gravissime catholicam partem, quae illud contrahat contra regulas catholicae religionis. Porro cum deinde eaedem nuptiae illicita hac ratione contrahentur, non modo abstinendum erit ab ecclesiastico quovis ritu nuptiis ipsis admiscendo, sed etiam a quocumque alio actu, quo sacerdos approbare illas videtur, quemadmodum in supradictis S. Suae literis praescriptum est. Post haec Sanctitas Sua ad Crucifixi pedes provoluta protestatur se ad tolerantiam praedictam ea dumtaxat de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora religioni catholicae incommoda obveniant. Ceterum tolerantia eadem Episcopum satis in conscientia tutum faciet, si tamen ipse id gesserit quod implorato S. Spiritus lumine censuerit in Domino expedire, et cetera omnia quae dicta sunt religiose servaverit. Postremo S. Sua Episcopos monet, enixeque in Domino obtestatur, ut videant etiam atque etiam ne ex huiusmodi ipsorum ratione erga homines mixta connubia illicita contracturos contingat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum matrimonia ista detestantium et constantissimi studii quo sancta mater Ecclesia filios suos avertere satagit ab eisdem in suarum animarum perniciem ineundis. Hinc Episcoporum, aliorumque, qui sub illis sunt, sacrorum pastorum officium erit flagrantiori in posterum zelo in id incumbere ut in catholicis eorum curae commissis, tum privatim tum publice instruendis, doctrinam et leges Ecclesiae ad connubia eadem pertinentes, prudenter simul, et sedulo commemorent, earumque custodiam inculcent ».

collatus fuerit, vel turca, et infideli, dummodo ea faciat quae ad valorem huius Sacramenti necessaria sunt.

Materia Baptismatis, quam scholae remotam appellant, quaeque ad eius valorem requiritur, est aqua naturalis. Quod manifestum est ex Christi verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei* (Ioan. 3 v. 5). Iure igitur Augustinus dicebat: *Tolle aquam, non est Baptismus* (tract. 15 *in Ioannem*, n. 4). Catholicam hanc veritatem confirmat universalis Ecclesiae praxis, quae manifesta est ex omnibus Ritualibus, latinorum libris, et orientalium Euchologiis. Confirmavit etiam Tridentina Synodus ita definiens: *Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi..., anathema sit* (Sess. 7, *De Baptismo*, can. 2).

Ea vero, quam Scholae dicunt proximam huius Sacramenti materiam, est externa corporis baptizandi ablutio. Sive autem haec fiat per immersionem, sive per aspersionem, sive per infusionem, ad valorem non pertinet huius Sacramenti, quod manifestum est ex Ecclesiae disciplina, quae in hoc varia fuit pro varietate temporum et circumstantiarum.

Ad formam quod spectat huius Sacramenti, probe tenendum est, in ea invocationem fieri necessario debere trium divinarum personarum iuxta id quod Apostolos docuit Christus: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* (Matth. 28, v. 19); quae verba perpendens Tertullianus inquit: *Lex tingendi imposita est, et forma praescripta: Ite, docete nationes, tingentes eas in nomine Patris, etc.* (lib. *De Bapt.*, c. 13); et Nicaenum I iussit baptizari baptizatos a paulianistis, quia hi non baptizabant cum expressa trium divinarum personarum invocatione, ut testatur Innocentius Papa I, epist. 17, n. 10, apud Constant.

De Baptismi collatione sub forma conditionata.

Ex his quae hactenus adducta sunt, facile erit in casibus particularibus cognoscere, validus necne sit collatus baptismus, ideoque an iterandus sit, vel minime iterandus. Si vero, facta diligenti inquisitione, de eius validitate dubitari prudenter poterit, iterandus erit sub forma conditionata. Huius generis forma, conditionem expressam habens, primis quidem Ecclesiae saeculis in usum minime fuit, sed tacitam conditionem adnexam habuisse formam, quae tunc adhibebatur, solide ostendit Benedictus XIV (lib. 7, *De Synodo Dioecesana*, cap. 6, part. 1). Quae vero expressam habet conditionem, adhiberi coepit saeculo Ecclesiae VIII: et multis iam locis receptam, Romanus Pontifex Alexander III, saeculo Ecclesiae XII, non solum approbavit, sed ubique adhibendam edixit (in cap. 2 *De Baptismo*) ita decernens: *De quibus dubium est an baptizati fuerint, baptizentur his verbis praemissis: Si baptizatus es non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo.* Eamdem ecclesiasticam sanctionem confirmavit Ioannes XXII, (apud *Odericum Raynaldum*, ad annum 1333, n. 42). Id vero sapientissime statutum est ne scilicet alicui in suspicionem veniret, aut Ecclesiam ab avita sua doctrina descivisse super characterem qui per Baptismum in anima imprimitur, aut eum qui baptizat, non recte de Baptismi charactere sentire.

Neque existimandum est alterum baptismum qui sub laudata conditione confertur, esse veram baptismi iterationem: *quoniam non monstratur iteratum, quod nescitur esse factum* (Cap. *Solemnitates, de Consecr.*, dist. 1). Profecto, qui sub conditione illa baptizat, non habet baptizandi intentionem, si prior baptismus fuit validus, ut in ipsa conditionata forma expressum habetur. Hinc rectissime Catechismus Romanus, de baptismi iteratione cum forma conditionata, haec habet: *Neque vero quisquam putet eum ab Ecclesia iterari cum, adhibita huiusmodi verborum formula, aliquem abluit de quo incertum est an baptizatus prius fuerit:* Si baptizatus es, te iterum non baptizo; si vero nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; *ita enim non impie iterari, sed sancte, cum adiunctione, Baptismum administrari dicendum est.*

In iudicando vero an iterandus sit Baptismus sub conditionata forma, nec nimia difficultate, nec nimia utendum facilitate est: non illa, quia agitur de Sacramento summae necessitatis, sine quo ex Christi sententia aditus non patet ad regnum coelorum. Quamobrem theologi communiter docent, pro iterando tantae necessitatis Sacramento, non tantas requiri rationes de eius valore dubitandi, quantae requiruntur pro iterandis caeteris Sacramentis. Ita Leander, *De Baptismo*, d. 3, 4, 5; Roncaglia, tract. 17, *De Sacrament. Bapt. et Conf.*, c. 4, quaest. 5, resp. 2: aliique.

Sed nimia quoque facilitas improbanda est in iteratione sub conditione huius Sacramenti. Eam reprehendit Catechismus Romanus, qui posteaquam reprobasset agendi rationem illorum animarum pastorum, qui quemvis, sine delectu, cum adiunctione illa (conditionis) baptizant, eosque sacrilegii reos declarasset, et irregularitatis poenae subiectos, rationem reddens istius doctrinae, inquit: *Nam ea Baptismi forma, ex Alexandri Papae auctoritate, in illis tantum permittitur, de quibus, re diligenter perquisita, dubium relinquitur an Baptismum rite susceperint; aliter numquam fas est, etiam cum adiunctione (conditionis), Baptismum alicui iterum administrare.*

Eamdem secutus est doctrinam S. Carolus in cuius Institutionibus haec de conditionata forma leguntur: *Qua forma utitur* (parochus)

cum infans aliusve, qui Baptismo offertur, re diligenter perquisita, dubium relinquitur, aut certo non apparet eum baptizatum esse..... Quod si, re accurate investigata, exploratum habuerit illum forma servata baptizatum esse, caveat omnino ne hanc sub conditione baptizandi formam adhibeat, cum sacrilegium committat si contra fecerit, et illud impedimentum contrahat quod sacri canones irregularitatem vocant (Act. Mediolan. Eccl., p. 4). Huic doctrinae conformis est praxis Supremae Inquisitionis tribunalis, cum iudicat baptizandos sub conditionata forma baptizatos ab haereticis, uti testatur Cardinalis Albitius, *De inconstantia in fide*, c. 33, num. 55 et seqq.

Expositae mox doctrinae suffragatur etiam praxis S. Congregationis Concilii, quae, die 19 Decembris, an. 1682, hanc dedit responsionem: *Infantes ab obstetricibus baptizatos, posse rebaptizari sub conditione in casibus particularibus, ubi rationabile dubium oritur circa validitatem Baptismi prima vice collati.* Et die 27 Martii, an. 1683, propositis duobus dubiis: 1. *An infantes domi in casu necessitatis baptizati, sint sub conditione rebaptizandi? — 2. An et in quibus casibus haeretici debeant sub conditione rebaptizari, si ad fidem catholicam convertantur?* Respondit: *Ad 1. Negative, nisi adsit dubium probabile invaliditatis baptismi. — Ad 2. Ut supra.*

Tandem eamdem hanc doctrinam secutus est Benedictus XIV tum *Institut.* 84, tum in opere *De Synodo Dioecesana*, praesertim vero lib. 7, c. 6, sequens etiam, super poenam irregularitatis, affirmativam et communem canonistarum sententiam, a qua tamen theologi communiter recedunt.

In illa vero disquisitione facienda de validitate, vel invaliditate prioris baptismatis, antequam sub conditionata forma iteretur, debent animarum pastores inquirere praesertim super formam et materiam adhibitam in priori baptismate. Nam relate ad intentionem quae, ex superius expositis, necessaria est ad valorem baptismi, nisi prudens de ea fuerit dubitatio, praesumenda illa est, ut recte observavit Cardinalis Petra, inquiens de baptismo haereticorum: *Si materiam et formam adhibeant, praesumendum est habere intentionem baptizandi, alias non baptizarent; quod etiam satis est ut baptisma collatum a calvinistis sit validum, quamvis ipsi nullam efficaciam Baptismo tribuant* (Comment. ad Const. II Greg. XI n. 10).

Relate vero ad calvinistarum baptismum commemoratum a Card. Petra, haec Bened. XIV, quae multam afferent lucem rei de qua sermo est: *Caveat tamen Episcopus, ne incertam et dubiam pronuntiet baptismi validitatem, hoc tantum nomine quod haereticus minister a quo fuit collatus, cum non credat per regenerationis lavacrum deleri peccata, illud non contulerit in remissionem peccatorum, atque ideo non habuerit intentionem illud conficiendi prout a Christo Domino est institutum: siquidem cum in Galliis disputatum olim fuerit, an ob praedictam rationem baptizandi essent baptizati a calvinistis, S. Pius V, ad quem controversia delata est, minime rebaptizandos definivit; Sacramenti enim validitati non officit ministri error, cui praevalet generalis eiusdem ministri intentio faciendi quod Christus instituit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia, quemadmodum testantur acta Concilii Ebroicensis, an. 1576, ubi haec ad rem adnotantur: « Ante decisionem Apostolicae Sedis Romanae licuit fortasse cuique in suo sensu abundare; verum quoniam, post habitam de hac facultate disputationem, fel. rec. Pius V definivit verum esse Baptisma quo uterentur calvinistae, adhibentes formam et materiam institutam a Christo cum intentione generali faciendi quod Christus instituit, licet errarent in particulari interpretatione et singulari intentione, ut alii fere omnes haeretici errarunt vel circa intelligentiam formae Baptismatis, vel circa aliquem eius effectum: ob id baptizatos ab ipsis calvinistis non iterum tingendos sub conditione, etc. Hinc interdicimus omnibus curatis et presbyteris, sub poena suspensionis ipso facto a divinis, ne allatos ad se pueros iam baptizatos a calvinistis audeant iterum tingere sub illa conditione* » (loco superius laudato, n. 9).

E contra, quod propius ad rem pertinet, baptizatos ab haereticis Angliae iterum sub conditione baptizandos esse, asseruerunt theologi magni nominis quamplures, quos laudat idem Summus Pontifex Bened. XIV, laudati operis lib. 7, c. 6. Hi vero sunt: Sylvius, in 3 part., quaest. 66, art. 9; Card. de Lugo, in *Respons. moral.*, lib. 1, dub. 2, num. 3; Gobat tract. 2, n. 392; Laurentius Neesen, tract. 2 *De Baptismo*, dub. 5; Ludovicus Micon in *Usibus de Sacram.*, cas. 8; et Lacroix, lib. 6, part. 1, num. 322. Idem vero Sylvius in *Var. Resolut.* verbo *Baptismus, Operum tom. 5*, agens de quodam britanno baptizato ab haeretico puritano, hoc est presbyteriano, de quo valde dubitabatur, num in Baptismatis collatione orthodoxa forma usus fuisset, dicit quod, cum rationabiliter de hoc dubitari posset, sub conditione rebaptizandus erat: *Quia iusta prorsus est ratio dubitandi de valore Baptismi collati, attenta haereticorum nostri temporis (qui, ut testantur Molanus et Synodus Mechliniensis provincialis secunda, frequenter deprehensi fuerunt vel formam corrupisse, vel intentionem necessariam non habuisse, vel aliter male baptizasse) malitia..., quoniam saluti consulere oportet, quandoquidem est probabilis ratio dubitandi de remedio quod constat esse necessarium; id quod fieri hic potest, etiam expedit ut fiat.*

Atque ad hanc rem adnotat laudatus Lacroix, multos protestantes, cum non putent Baptismum esse ad salutem necessarium, sed sufficere fidem parentum, ideo eos negligere quae necessario ad Baptismum requiruntur: et alios uti aquis odoriferis, non curantes an sint elementares, dummodo sint fluidae; quandoque unum effundere aquam, dum praedicans profert formam, vel ex cathedra legit Evangelium; et prout eidem Lacroix significavit quidam missionarius, unusquisque baptizat prout assuevit, sibique quisque formam fabricat prout ei placuerit, nulla in hoc adhibita cura, dummodo in speciem verba proferat, quae Baptismi collationem qualitercumque significent; ex quibus idem Lacroix ita colligit: *Si in quibusdam locis sint ita incuriosi praedicantes, nec sollicite observent ea quae catholica Ecclesia requirit ad valorem Sacramenti, debere, a talibus baptizatos, sub conditione rebaptizari* (Ibid.).

Postremum hoc exemplum, quod de anglorum baptismate est, coniunctum cum iis quae in tota hac Instructione exposita sunt, multum tibi prodesse poterit, ut in casu proposito, atque aliis qui contingere poterunt, dignoscas sit necne locus iterationi baptismatis, adhibita conditionata forma, quam, in prudenti dubio de validitate prioris baptismatis, Ecclesiae canones decreverunt.

815

Circa civilem legem vetantem opii commercium.

Instr. S. C. de Prop. F. *23 Iunii 1830* — (ad Vic. Ap. Siami et Quedae) — Cum a S. C. quae negotiis praeest propagandae christianae religionis quaesivisses edoceri de ratione tenenda cum iis christianis qui opii commercium in tuo Vicariatu exercent, ubi gravissima mortis poena civilibus legibus vetitum est, eadem S. C. petitioni D. Tuae satisfaciendum decrevit hac instructione, in qua mentem suam manifestat, tuis etiam missionariis et confessariis communicandam, ad removenda dubia et animi perplexitates, quae oriri possunt in casibus particularibus, ac praesertim in Sacramenti Poenitentiae administratione.

Christianos teneri ad observantiam civilium legum, etiamsi istae latae fuerint a principibus infidelibus, dummodo istae christianae religioni et morali evangelicae doctrinae non opponantur, nullus est dubitandi locus: nullumque dubitationi locum relinquit Apostolus, qui, nulla facta inter sublimiores potestates distinctione, inquit: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Rom. 13, v. 1 et seq.

Ex hoc apertissimo testimonio manifestum est summos in civili gubernio imperantes suis subditis ferre leges posse, quae eos etiam in conscientia obligent: quod ratio etiam suadet boni publici, arcendi scilicet a civilibus societatibus anarchiae monstrum cane peius et angue; et praeclara commendant exempla primorum christifidelium, qui civilibus gentilium principum legibus obtemperarunt, quousque sine fidei bonorumque morum dispendio id facere potuerunt.

Haec licet verissima sint, nihilominus in ordine ad legem vetantem opii commercium, multa oriri dubia possunt propter varias theologorum opiniones super civilium legum obligatione, quae cum non multum facilis sint solutionis, in casibus particularibus non parum vexare animum possunt missionariorum et confessariorum, quod, acceptis eorum litteris, pluries factum fuisse cognovit S. Congregatio.

Sunt enim theologi quamplurimi, iique summi etiam nominis, qui dari civiles leges existimant, quarum transgressio poenam quidem adnexam habeat, minime vero etiam theologicam culpam, quasque propterea pure poenales appellant. Hi non inficiantur, quod clarum est ex laudato D. Pauli testimonio, summos imperantes leges ferre posse quae obligent in conscientia subditos, sive non solum ad poenam, verum etiam ad theologicam culpam, sed contendunt eos non semper hoc velle legibus suis, easque leges esse pure poenales. Iuxta hanc doctrinam, quae inter theologos communior esse videtur, dubitari potest, an civilis lex vetans in regionibus tuis opii commercium, sit lex adnexam habens culpam theologicam, vel sit potius lex mere poenalis omnem theologicam culpam excludens. Hoc alterum potius existimandum esse videri posset, ex eo quod lex illa lata sit a Principe infideli qui, cum putari iure possit nihili facere eam, quam christiani appellant obligationem in conscientia, et theologicam culpam, poena quidem eiusque severitate cogere videri potest voluisse subditos suos ad illius legis observantiam, minime vero metu laesionis conscientiae et theologicae culpae.

Nec gravissima mortis poena adversus legis istius transgressores sufficiens ratio esse videtur ad ostendendum eam etiam ad culpam, minime vero ad solam poenam obligare, *quia* (ut ait Roncaglia) *expedit multoties bono communi, ut poenis gravissimis animadvertatur etiam in eos qui sine culpa theologica aliquam legem violant. Ita theologi communiter admittunt posse reum sine culpa theologica effringere carcerem ad mortem ex. gr. vitandam, quod tamen gravissime puniunt leges civiles: unde ex talibus poenis non sufficienter colligitur intentio legislatoris obligandi ad culpam theologicam.* (Tract. 3 De legibus, quaest. 2, c. 2, resp. 2 ad q. 2).

Verum etiamsi supponatur praefatam legem latam adversus opii commercium obligare etiam in conscientia, inde tamen non sequeretur eius violationem in omnibus circumstantiis secum ferre theologicam culpam; leges enim humanae ordinarie loquendo non obligant cum gravi damno ad sui observantiam. Id locum habet in ipsis divinis legibus. Ita observantia sabbati in Veteri Lege, et abstinentia a sanguine non obligabant cum periculo vitae (D. Thom. 1–2, q. 100, a. 8; Suar., l. 3, *De leg.* c. 3, sect. 3), et in Nova Lege non obligat cum eodem periculo lex de integritate Confessionis, de suscipiendis Sacramentis etc.

Quae cum ita sint, mens S. Congregationis non est illas theologorum de lege mere poenali controversias definire, et an, in hypothesi existentiae huiuscemodi legum, in earum numero recensenda sit ea de qua sermo hic est. Similiter considerans, legem humanam, tametsi ordinarie loquendo, cum gravi damno non obliget, posse tamen cum gravi damno obligare quando id exigit magnum publicum bonum, quae suprema lex est; itemque considerans hanc boni publici necessitatem pendere a circumstantiis, quae comitantur particulares casus qui occurrere possunt, quos omnes praevidere impossibile est, propterea instructionem hanc duo monita ad missionarios et confessarios Vicariatus tui facienda comprehendit: docet nempe et vult ipsos, in resolutionibus variorum casuum qui contingere possunt, non contemnere, sed magnam rationem habere debere civilis legis opii commercium vetantis; vult secundo loco magnam quoque rationem habendam esse gravissimorum malorum, quae ex opii abusu in regionibus Vicariatus tui dimanare consueverunt.

Ad primum illud quod spectat, explorata res est ordinem publicum civilibus legibus custodiri, ac bonum publicum ab earumdem legum observantia plurimum pendere, et omnia subverti in ea societate cuius cives eius legibus non obtemperant. Haec ratio potissima est in regionibus Vicariatus tui, ubi civilium legum violationes ex parte christianorum maximum afferre scandalum possent, et invidiam conflare civilis gubernii in christianos eorumque religionem, quasi illi ea quam profitentur religione docerentur per violationem civilium legum publicum ordinem perturbare, simulque maiestatis iura violare.

Quod vero spectat ad alterum, illud notissimum esse debet relate ad christianos, quorum religio tota in charitate fundata est, non solum erga Deum, verum etiam erga proximum. Haec enim docet unumquemque teneri ad mala arcenda a proximo, quem diligere tenetur ex divina lege sicut seipsum. Suos quidem haec lex charitatis erga proximum limites habet, sed isti eo latiores sunt, quo plura et graviora sunt mala ab ipso removenda: atqui plurima et gravissima mala sunt, et temporalia et spiritualia, quae ex opii abusu in regionibus Vicariatus tui dimanant, quae removeri possunt per observantiam legis opii commercium prohibentis.

Haec itaque duo si prae oculis habuerint missionarii et confessarii Vicariatus tui, quemadmodum eos vult S. Congregatio prae oculis habere, admodum difficile non erit ut ipsi cognoscant quid ipsi respondere et agere debeant in casibus particularibus, qui relate ad praefatae legis observantiam vel violationem contingere ipsis poterunt, et viam invenire qua extricari ab ambagibus possint, et ab animi perplexitatibus declinare.

816

Circa publicationem decreti tridentini *Tametsi* in Sinis.

Instr. S. C. de Prop. F. *23 Iunii 1830* (ad Vicarios App. Sin.) — Saepe contingere, inquiebat Augustinus, ecclesiasticam disciplinam immutari, *cum aliquo experimento rerum, aperitur quod clausum erat, et cognoscitur quod latebat (lib. 2. de Baptismo c. 3)*. Id ipsum in ratione celebrandarum nuptiarum contingere nunc temporis apud Sinas debere, censuit Sacra Congregatio, quae Christianae Fidei Propagandae negociis auctoritate apostolica praeposita est.

Cognoverat enim ipsa ex litteris Vicariorum Apostolicorum in Imperio Sinarum et adiacentibus regnis constitutis, plurima, eaque gravissima ex clandestinis nuptiis oriri mala Ecclesiae Christi, quae in regionibus istis diffusa est: quamobrem eodem flagrans christianae charitatis zelo, quo in similibus circumstantiis incensi fuerunt Tridentini Concilii Patres, eorumdemque Vicariorum consiliis et suasionibus impulsi, eorum vestigiis inhaerendum esse existimavit, decrevitque in Sinarum Imperio clandestinitatis vitium inter impedimenta matrimonium dirimentia habendum fore, prout declaratum est in *instructione de coniugiis, (V. n. 753)*, quam misit ad Vicarios istis in regionibus publicandam.

Profecto talis apparebat in Imperio Sinensi Ecclesiae status, eaeque videbantur esse temporum et locorum circumstantiae, ut decretum hoc vel maxime congruum esse suaderent ad gravissimis occurrendum malis ex clandestinis nuptiis dimanantibus, debitumque *magno sacramento* honorem in regionibus istis restituendum.

Verum cum ex eorumdem Vicariorum posterioribus litteris Sac. Cong. intellexisset, aliquibus in locis publicationi illius decreti gravissimas opponi difficultates, ex quibus oriri facile potuissent mala longe iis graviora, quibus per decretum illud consulendum erat, summopere probavit eorum consilium, qui hanc ob rationem a publicatione illius decreti absti-

nendum sibi esse censuerunt. Isti, ita se gerentes, assecuti plene fuisse dicendi sunt dictam Sacrae Congregationis mentem ex ipsa mox laudata instructione *de coniugiis* satis perspectam, quaeque fuit gravissimis malis ex clandestinis nuptiis manantibus salutarem medelam afferre, minime vero aliquid periclitari, per quod ea recrudescere facile potuissent, et ingravescere.

Quamobrem eadem Sacra Congregatio prudenti tuo consilio publicationem illius decreti committendam esse existimavit, atque auctrix tibi est, ut ab illa abstineas ubi eam in destructionem potius corporis Christi, quam in eius aedificationem esse videbitur; ubi vero prudenter noveris obtemperandum fore iis quae in illa instructione praecepta sunt, propterea-que spirituali christianorum bono profuturam esse, illam publices. Simul tamen congruum vel maxime esse iudicavit, christifidelium animos ad observantiam instructionis illius antea praeparare per instructionem alteram, in Tunkino Orientali concinnatam, quaeque sequens est. « Antequam consuetas Regni cae-« remonias peragant (futuri coniuges) proprium « missionarium adire debeant, et ipse inquirat « an aliquod habeant impedimentum; et si ni-« hil obstet, post Poenitentiae sacramentum « rite susceptum, coram ipso ministro, iuxta « ritum Ecclesiae contrahant, et benedictionem « nuptialem ab eo accipiant. Secundo, si mis-« sionarius adiri nequeat, et ineundi matrimo-« nii urgeat necessitas, atque aliunde nullum « omnino obstet impedimentum, tali casu, pa-« rentes duos testes eligant, qui una cum sponso « et sponsa, eorumque propinquis ad ecclesiam « loci se conferentes, flexis genibus, consuetos « fidei, spei, charitatis, et contritionis actus « in communi recitent, sicque sponsus et sponsa « ad contrahendum matrimonium rite se dis-« ponant. Post haec surgentes sponsus et sponsa « coram praedictis testibus per verba de prae-« senti mutuum exprimant consensum, et post « gratias Deo actas domum revertantur. Si « autem ad ecclesiam ire nequeant, in priva-« tis domibus praedicta observentur; postea « vero, data opportunitate, et novi coniuges, « et testes missionarium adeant, ut ipsi de ma-« trimonio rite inito legitime constet, et ab eo-« dem benedictionem accipiant ».

Cum vero in superius laudata instructione *de coniugiis* praevisus fuerit casus absentiae missionarii, aut non facilis aditus ad eumdem, ac declaratum quid ea in circumstantia faciendum esset a volentibus contrahere matrimonium, eadem instructio responsionis loco haberi poterit ad quaesitum quo quaerebatur, quid faciendum sit post promulgationem integri Tridentini decreti in casu absentiae missionarii, vel non facilis accessus ad eumdem.

Novam potius responsionem merentur duo articuli, ad resolvendum propositi praedictae Sacrae Congregationi; videlicet an in casu, quo contrahere volentes matrimonium ambo, vel eorum alteruter sit superstitionibus addictus, licitum sit Missionario eos de consensu in Matrimonium interrogare, vel saltem praesens tantummodo in silentio esse matrimoniali eorum contractui, et an in absentia Missionarii, haec praesentia licita sit testibus in Matrimonio adhibendis.

Verum cum istorum dubiorum resolutio a cognitione maxime dependeat qualitatis, et naturae praedictarum superstitionum, nec non signorum, quibus exprimitur consensus in Matrimonium, Sacra Congregatio differendam existimavit dictorum dubiorum resolutionem, donec certior de illis facta fuerit, eaque sibi plene habuerit perspecta.

817

De servandis in Missa ritibus ab Ecclesia statutis.

Instr. S. C. de Prop. F. *30 Iunii 1830* (ad Vic. Ap. Cocincin.) — In sacrorum administratione, maxime in tremendo Missae sacrificio, ritus negligere ab Ecclesia statutos, istis pro arbitrio addere et detrahere, et mixtam quamdam liturgiam ex Ecclesiae statutis, et ex aliis proprio marte excogitatis efformare, ... summopere reprobandam (agendi rationem) esse nemo non intelliget. Ritus enim et caeremoniae inductae sunt in Ecclesiam ut debita cum veneratione externus cultus erga Deum exerceatur, ut sacra quae peraguntur mysteria augustiora fiant, et sint ea in magnam christifidelium aedificationem, eorum in Deum pietatem excitando et devotionis affectum. Hinc Sacrosancta Tridentina Synodus ita ad rem hanc (sess. XXII *De Missae sacrif.* c. 5): *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam submissa voce, alia vero elatiore in Missa pronuntientur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, quo et maiestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis ac pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Tales cum sint ecclesiastici ritus et caeremoniae, sequitur eas iuris esse Ecclesiae, ad eamque tantummodo pertinere eas constituere, sicut ad Ecclesiae ministros eas amussim observare, maxime quod in hisce Ecclesiae ritibus implicita multorum catholicorum dogmatum continetur professio. Hinc etiam ex liturgiis fides eruitur de Verbi et Spiritus Sancti divi-

nitate, de veritate humanitatis et divinitatis Christi, de virginitate Deiparae, de Episcoporum supra presbyteros dignitate, de necessitate gratiae Christi ad opera aeternae vitae meritoria, de peccati originalis in omnes homines diffusione, de Sacramento Confirmationis, de incruento Missae Sacrificio, de reali Corporis Christi praesentia in Eucharistia, de mirabili quae in ea fit transubstantiatione, de Purgatorio, de cultu et invocatione Sanctorum, aliisque pluribus, ex quo factum est ut theologi in liturgiis fontem theologicum agnoverint, ex quo Ecclesiae doctrina nobis manifestetur. Quae cum ita sint, rectissime laudata mox Tridentina Synodus ita decrevit (sess. VII. *De Sacram. in genere,* can. 12): *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiae Pastorem mutari posse, anathema sit.*

Haec in Tridentina Synodo sancita, opponenda sunt contra sacrorum Ecclesiae rituum violatores, et fortassis etiam aspernatores; opponenda ipsis est auctoritas Summorum Pontificum Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII, qui Missale Romanum una cum suis rubricis, pro Ecclesia universa, tribus editis Constitutionibus approbarunt; et adversus pertinaces rigidiori etiam utendum erit agendi ratione, si id evangelicae prudentiae, ex qua nunquam deflectere debent qui in Ecclesia Christi regunt et gubernant, congruum esse videatur.

818

De Praefectorum App. iurisdictione.

S. C. de Prop. F. *2 Aug. 1830* (C. G.) Se la giurisdizione del Prefetto Ap. possa considerarsi come quasi episcopale, e quasi ordinaria.

R. Negative.

819

De precibus pro praeside acatholico.

S. C. de Prop. F. *2 Aug. 1830* (C. G.) — Santorin. — Il Vescovo di Santorino per non incorrere l'indignazione dell'attuale Presidente (scismatico) della Grecia, in certe funzioni nelle quali si prega pel Re Cristianissimo di Francia, protettore de' cattolici in oriente, ha fatto dire dopo il versetto *Domine salvum fac regem etc.* anche il versetto *Domine salvum fac praesidem etc.* senz'altra orazione. Quale istruzione o risposta dee darglisi?

R. Esse annuendum.

820

Facultas benedicendi aquam baptismalem brevioriformula.

S. C. de Prop. Fide *26 Sept. 1830* — Archiep. Baltimoren. et Episcopi Foederatar. Americae Sept. Provinciarum in Synodo Provinciali Baltimorensi mense Octobri anno 1829 celebrata congregati, S. V. exponunt valde difficile esse in permagna locorum distantia, sacerdotes, ad Baptisma conferendum, aquam Sabbato Sancto et Pentecostes benedictam ex fontibus ubi asservatur desumere, et secum circumferre; quare S. V. precantur ut facultatem missionariis Americae septentrionalis concedere dignetur, benedicendi aquam baptismalem ea breviori formula qua missionariis peruanis apud indos summus Pontifex Paulus III uti concessit, quaeque in Rituali Limae anno 1797 impresso refertur *(V. Rituale Rom. in Append.).*

R. Sacra C. censuit ac decrevit supplicandum SS. D. N. pro gratia ad viginti annos, attenta consuetudine iam vigente, missionariorum inopia, et temporis angustiis in quibus missionarii versantur, ut caeteris sacri ministerii officiis fungi possint. — Hanc autem S. C. sententiam Sanctitas Sua (Pius VIII) benigne approbavit, et facultates necessarias et opportunas ad memoratam formam in Baptismo adhibendam ad viginti annos impertita est.

821

De baptismate dubio in ordine ad matrimonii validitatem.

S. C. S. Off. *17 Nov. 1830* — An degentes in iis protestantium locis, ubi baptisma dubium est, tamquam infideles habendi sint, ita ut inter catholicos et eos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur.

R. 1. Quoad haereticos quorum sectae ritualia praescribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. — 2. Quoad alios qui iuxta eorum rituale baptizant valide, validum censendum est Baptisma. Quod si dubium persistat, etiam in primo casu, censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. – 3. Si autem certo cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

822

Circa ritus promiscuitatem.

S. C. S. Off. *16 Iunii 1831.* — An Episcopus cophtus catholicus consecrare possit ss. lapides et ecclesias latinorum. 2. An latini uti valeant ss. oleis benedictis ab Episcopo ritus cophti catholici.

R. Non expedire.

823

Facultas dispensandi in consang. et affin. non comprehendit facult. dispens. in publica honestate.

S. C. de Prop. F. *4 Iulii. 1831* (C. P. pro Sin.) Tunkin. Occid. — Se la facoltà di dispensare negl'impedimenti di consang. ed affinità, abbracci la facoltà di dispensare nell'impedimento di pubblica onestà proveniente da matrimonio rato e non consumato, ovvero il missionario che gode la facoltà di dispensare

nei due primi impedimenti ha bisogno di nuova facoltà per dispensare nell'impedimento di pubblica onestà.

R. Negative quoad primam partem: affirmative quoad secundam.

824

De collatione Ordinum diebus festivis abrogatis, et de nonnullis ritibus Ordinationis.

S. R. C. *12 Nov. 1831.* — MARSORUM — 1. Si Episcopo detur facultas conferendi Ordines sacros diebus festivis, potestne illos conferre in diebus Apostolorum, caeterisque per Apostolicam Sedem abrogatis? Hisce autem diebus licetne conferre etiam Ordines minores?

2. In Ordinatione clericorum, antequam tonsurandi nominatim vocentur a notario, debetne archidiaconus eos invitare dicens: *Accedant qui promovendi sunt ad Tonsuram?*

3. In collatione primae Tonsurae, legitur in Pontificali: *Quilibet quum tondetur dicit: Dominus pars, etc.* Haec verba sunt proferenda etiam ab Episcopo?

4. Quando Ostiarius, archidiacono comitante, claudit et aperit fores ecclesiae, debetne claudere et aperire etiam cum clavi, praesertim si in foribus oratorii, ubi confertur Ordo, non adsit clavis?

5. *Amen* quod Pontificale praescribit respondendum in traditione vel materiae, vel sacrorum indumentorum, in Ordinatione, dicendum est ab ipso ordinando vel ab adstantibus?

6. An, ordinatis Episcopo candelam offerentibus post Offertorium, tolerari possit usus ut una tantum candela accendatur, quae a singulis ordinatis Episcopo offeratur?

7. Si Missa Ordinationis non fiat in cantu, subdiaconus et diaconus debetne cantare vel legere Epistolam et Evangelium, et quando?

8. Diaconi et Subdiaconi in sacra Ordinatione quando dicere debent *Confiteor*, ante vel postquam communicati sunt Presbyteri?

9. Si Ordinatio Presbyteri fiat in cantu, Praefatio, et alia quae cantantur ab Episcopo, quomodo dicenda sunt ab ordinatis?

10. In Pontificali legitur: *Ordinati ad Presbyteratum dicant Evangelium in fine Missae.* Dicerene debent una cum Episcopo ad suam sedem redeunte, an ex se solis?

11. In Communione ordinandorum, si communicentur etiam ordinati in minoribus, Episcopus utine debet forma: *Corpus Domini Nostri Iesu Christi custodiat te in vitam aeternam;* an dicere: *Custodiat animam tuam?*

12. Praestita a presbytero ordinato in fine Missae obedientia, Pontificale Episcopo iniungit ut eum osculetur. Quomodo ista deosculatio est facienda?

13. Pontificale praescribit quod, completa Ordinatione, ordinati, suggerente archidiacono, recedant ad loca sua. Quibus verbis uti debeat archidiaconus hisce occasionibus?

R. Ad 1. Affirmative ad primam partem, et etiam ad secundam, sed mane tantum.

Ad 2. Potest iuxta morem generalem.

Ad 3. Proferat iuxta morem.

Ad 4. Non est stricte necessarium.

Ad 5. Iuxta consuetudinem, ab Ordinando.

Ad 6. Affirmative.

Ad 7. Legant dum Episcopus legit.

Ad 8. Post Communionem Presbyterorum.

Ad 9. Sine cantu legenda.

Ad 10. Una cum Episcopo.

Ad 11. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 12. Dextera vultus pars deosculanda est.

Ad 13. *Ad loca vestra,* vel similibus.

825

De administratione Poenitentiae et Eucharistiae in domibus privatis.

Ex Litt. Ap. Gregorii XVI *3 Febr. 1832* (AD ARCHIEP. PRIMATEM ARMEN.) — Non mediocri animi nostri aegritudine accepimus isthic (Constantinopoli) Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta privatis in domibus crebro ministrari; ad arcendos itaque abusus omnes qui inde oriri facile possunt, tuum zelum vel maxime excitamus ut hanc rem maturo examine perpendas, collatisque cum Ven. Fr. Archiepiscopo Sardio Vicario Ap. Patriarchali consiliis, provideas diligenterque caveas ne id unicuique indiscriminatim permittatur, sed facultates huiusmodi iis tantum sacerdotibus concedantur qui ea praediti sint pietate quae omnem abigat suspicionem, et in favorem eorum laicorum qui non solum bene morati sint, sed etiam locum habeant ad sacra mysteria rite obeunda aptum, et a profanis disiunctum usibus, ubi sacrum ministerium absque ullo profanationis periculo possit exerceri.

826

De filiis piscatorum ad Ordines promovendis in Indiis.

Instr. S. C. de Prop. Fide *2 Iunii 1832* — MALABAR — 1. La S. C. riconosce che i figli dei pescatori, purchè abbiano le necessarie qualità, cioè siano forniti d'ingegno, di probità e docilità, e siano stati legittimamente procreati da genitori cattolici, e professino veramente la fede ortodossa, non debbano escludersi dall'essere ammessi allo stato ecclesiastico.

2. Quanto a promuoverli però agli Ordini sagri la S. C. ordina che se ne limiti il numero a quattro o al più a cinque, di modo che tal numero sempre si conservi, e non si aumenti in appresso senza suo nuovo permesso.

3. Non sarà accordata ai giovani della schiatta dei pescatori l'ammissione nel Seminario di Verapoli, ma il Vicario Apostolico si darà cura piuttosto che vengano istruiti nella pietà e nelle scienze in Bombay.

4. Quei tra i pescatori che verranno promossi agli Ordini sagri eserciteranno il sagro ministero nelle chiese che spettano alla loro schiatta, o al più in quelle situate in luoghi ove i pescatori formano la più numerosa parte della popolazione. Nelle chiese poi che ai pescatori non spettano, o dove essi non formano il maggior numero della popolazione, non potranno esercitare il ministero se pria legittimamente non vi siano stati invitati, e non si tema il disgusto del popolo.

5. Sarà dello zelo e particolar cura del Vicario Apostolico il far sì che i giovani pescatori i quali si dedicano alla carriera ecclesiastica restino penetrati dall'importanza di dare saggio indubitato e permanente di pietà, di scienza, di probità e di altre virtù, acciò dal loro esempio istesso riconoscano quei che han mostrato contrarietà alla loro stirpe, che anche tra i pescatori possono aversi degni ministri dell'altare; che presso Iddio non vi ha accettazione di persone.

827

De fundorum ecclesiasticorum alienatione.

S. C. de Prop. Fide *27 Aug. 1832* (C. P. pro Sin.) — Cocincin. — Fundos ecclesiasticos a Vicario Ap. vendi aut permutari non posse nisi quando, persecutione urgente, alia ratio praesto non sit eos Ecclesiae conservandi ad effectum tutius pretium investiendi (1).

828

Catechistae munus dignis committendum.

S. C. de Prop. F. *27 Aug. 1832* (C. P. pro Sin.) — Se debba prendersi qualche provvidenza perchè i catechisti non oltrepassino i giusti limiti nell'esercizio di quegli officî che la necessità costringe affidare ad essi.

R. Sedulo curent Episcopi Vicarii App. et missionarii in Sinis degentes, ut catechistae munus idoneis tantum viris et pietate conspicuis committatur.

829

De taxis occasione collationis sacramentorum.

S. C. de Prop. F. *13 Sept. 1832* (C. G.) — Quoad collationem Sacramentorum nihil omnino esse percipiendum; quocumque alio tamen titulo licere Archiepiscopo Primati (Armeno) statuere modicam taxam pro cancellaria et administrorum substentatione, quae taxa constabilienda est attenta qualitate et conditione personarum, pauperibus vero condonanda.

830

Circa intentionem ministri in Baptismatis collatione.

Instr. S. C. S. Officii *30 Ian. 1833.* (ad P. Custodem Terrae S.) Propositum fuit dubium a P. Tua ad S. C. de Prop. Fide transmissum ex parte alicuius ex istis missionariis apostolicis pro persona catholica quae de validitate suscepti olim baptismatis valde dubitat, quia praesumit debitam in ministro intentionem dum illam baptizabat, defuisse; huius autem praesumptionis fundamentum, ut exponitur, totum consistit in confessione seu declaratione cuiusdam Episcopi olim schismatici, postea, Dei succurrente gratia, ad veritatem catholicam conversi, qui nimirum declaravit, se, dum in schismate versaretur, vesano in religionem catholicam odio, nunquam habuisse intentionem vere baptizandi, quando catholicorum filios baptizabat. Et quamvis persona de qua in casu non ab Episcopo qui talem declarationem emisit baptizata fuerit, tamen cum putet, eadem ratione ceteros pariter ministros haereticos, et schismaticos egisse, vel in posterum acturos: hinc baptismatis a se suscepti validitatem in dubium revocat. Diligenti igitur discussione super huiusmodi dubio praemissa, S. Congreg. Paternitati. Tuae peculiari hac instructione respondendum decrevit, ut nimirum, quid de casu praesenti ipsa sentiat, quidque de aliis similibus sentiendum sit, probe intelligas.

Porro ad validitatem baptismi praeter materiam et formam a Christo Domino praescriptam, debitam insuper in ministro intentionem requiri certissimum est. Ad valorem tamen Sacramenti necessariam non esse eam intentionem quam vocant expressam seu determinatam, sed sufficere intentionem tantum *generica*m nimirum *faciendi quod facit Ecclesia* seu *faciendi quod Christus instituit* vel *quod christiani faciunt,* theologi passim docent. « Ad va« lorem Sacramenti, ait P. Antoine *de Sacr.* « *in gen. Cap. II,* non requiritur expressa, et « distincta intentio faciendi Sacramentum, sed « sufficit confusa et implicita, qua quis inten« dat facere id quod facit Ecclesia Christi, aut « quod Christus instituit, aut quod vidit per « parochum fieri, aut quod christiani faciunt. « Constat ex praxi Ecclesiae, quae non rebapti« zat eos qui baptizati sunt ab imperitis et

(1) In Litt. S. C. de Prop. F. *31 Martii 1836* ad Vic. Ap. Cocincinae haec habentur: « Narras, urgente per« secutione et periculo amittendi omnes agros vel hor« tos Missioni oblatos, sicut iam evenit prope aulam « regiam, te permisisse reliquorum venditionem; dum « existimares posse interpretari in hoc casu S. C. be« neplacitum. Tua agendi ratio consonat responso dato « a S. C. anno 1832: tunc enim, cum nondum Sacrae « Congregationi constaret de urgenti necessitate, de« cretum fuit: *Fundos ecclesiasticos a Vic. Ap. vendi « aut permutari non posse, nisi quando, persecutione « urgente, alia ratio praesto non sit eos Ecclesiae con« servandi;* et tunc id fiat *ad effectum tutius pretii « investiendi.* Cum itaque bona illa ob urgentem per« secutionis necessitatem alienata iam sint, restat ut « cures executionem ultimae partis decreti illius, inve« stiendo pretium, ex venditione redactum, in bonis tu« tis, et cum iisdem oneribus ».

« rudibus, aut paganis, cum debita materia et « forma, licet illi non noverint distincte quid sit « Baptismus, aut Sacramentum. Praeterea tunc « est intentio faciendi quod facit Ecclesia, quam « solam requirunt Concilium Florentinum et « Tridentinum ». His permota rationibus, haereticorum baptisma validum esse, minimeque repetendum Ecclesia declaravit. « Caveat Epi- « scopus, ita gravissime docet Benedictus XIV, « in suo percelebri opere *de Synodo lib. VII* « *Cap. VI*, ne incertam et dubiam pronunciet « Baptismi validitatem hoc tantum nomine « quod haereticus minister a quo fuit collatus, « cum non credat per regenerationis lavacrum « deleri peccata, illud non contulerit in remis- « sionem peccatorum, atque ideo non habuerit « intentionem illud conficiendi, prout a Chri- « sto Domino est institutum: siquidem cum « in Galliis disputatum olim fuerit an ob prae- « dictam rationem rebaptizandi essent baptizati « a calvinistis, S. Pius V, ad quem controversia « delata est, minime rebaptizandos definivit, Sa- « cramenti enim validitatem non afficit privatus « ministri error, cui praevalet generalis eiusdem « ministri intentio faciendi quod Christus insti- « tuit, seu quod fit in vera Christi Ecclesia. « Quemadmodum testantur acta Conc. Ebroicen- « sis an. 1576, ubi haec ad rem adnotantur: *Ante* « *decisionem Apostolicae Sedis Romanae, licuit* « *fortasse cuique in suo sensu abundare. Ve-* « *rum, quoniam post habitam de hac facultate* « *disputationem, felicis recordationis Pius V.* « *definivit verum esse Baptisma, quo uterentur* « *calvinistae adhibentes formam et materiam* « *institutam a Christo cum intentione generali* « *faciendi quod Christus instituit, licet errarent* « *in particulari interpretatione et singulari in-* « *tentione, ut alii fere omnes haeretici erravet* « *runt vel circa intelligentiam formae Bapti-* « *smatis, vel circa aliquem effectum. Ob id bapti-* « *zatos ab ipsis calvinistis non iterum tingendos* « *sub conditione* ». Quamvis enim per notissi- mam illam explicitam conditionem *si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es ego te baptizo* quae Alexandri III decreto, in re- novando baptismo de cuius validitate dubitatur, omnino adhibenda est, periculum removeatur rebaptizandi eos, qui iam baptizati fuerint: ta- men ad huiusmodi remedium minime recurren- dum est, nisi rationes vere probabiles et pru- dentes adsint de praecedentis baptismatis vali- ditate dubitandi; « Non ideo (prosequitur iam laudatus Pontifex) quod per praefatam condi- « tionem periculum evitetur rebaptizandi eum « qui iam semel fuerit legitime baptizatus, est « illa passim et temere adhibenda, sed tunc « solum ea uti licebit, cum prudens et proba- « bilis subest dubitatio, an quis fuerit rite ba- « ptizatus, nec diligenti praemissa indagatione, « potuit rei veritas innotescere, quemadmodum « scite perpendit Sotus in 4, dist. 3, quaest.

De baptismi for- ma conditionata.

« unica, art. 9, § *Circa hanc igitur solutionem,* « ubi a sacrilegio non excusat, neque ab irre- « gularitate absolvit sacerdotem sub conditione « rebaptizantem quem scit domi baptizatum, « et nihil est quod collatum ei baptisma ratio- « nabiliter suspectum reddat. Quare minime se- « ctanda sunt exempla quae congesserunt Gobat « *tom. 1, tract. 2, sect. 3,* et Marin. *Theol.* « *tom. 3, tract. 19, disput. 1, sect. 8, n. 140,* « ubi plures sub conditione baptizatos narrant, « qui ob merum scrupulum non tam dubita- « bant, quam imprudenter suspicabantur se non « esse rite baptizatos; quam quidem conditio- « natam Sacramenti iterationem ob consequutos, « seu potius apprehensos effectus quietis con- « scientiarum, iidem auctores videntur appro- « bare; sed potius aures praebendae sunt Estio « *in 4, dist. 2, § 15,* haec ad rem adnotanti: « *Sciendum est non quamcumque levem in con-* « *trarium suspicionem, vel scrupulum debere* « *sufficere ad hoc, ut sub conditione quis hoc* « *pacto baptizetur, sed requiri dubitationem* « *probabilem... Ea autem probabilis dubitatio* « *est, quae, facta etiam diligenti indagine, dis-* « *cuti non potest, ita ut nec moralis certitudo* « *facti haberi possit.* Immo verius obtemperan- « dum est Catechismo Romano *part. 2, de Sa-* « *cram. Bapt. N. 57,* ubi de forma conditio- « nata ait: *Ea Baptismi forma ex Alexandri* « *Papae auctoritate illis tantum permittitur, de* « *quibus, re diligenter perquisita, dubium relin-* « *quitur an baptismum rite susceperint. Aliter* « *vero nunquam fas est, etiam cum adiunctio-* « *ne, Baptismum alicui iterum administrare* ».

Hae autem cautelae ac diligentiae omnes in ferendo iudicio de baptismo iam collato, de cuius validitate dubitatur, ut adhibeantur, tum Sacramenti eiusdem dignitas et sanctitas, tum fidelium utilitas, et animarum quies, atque tranquillitas cui in primis consulendum est, o- mnino suadent. Quandoquidem si nimia, seu imprudenti quadam facilitate, dubia quae circa huius Sacramenti validitatem in dies nascuntur excipiantur, homines timidi et scrupulosi de suscepti baptismi valore semper dubitabunt, se- que iterum baptizari requirent. Horum exem- plum alii atque alii imitabuntur, ideoque multa eaque gravia in religionem orirentur incom- moda et scandala, quae omnino evitari debent.

Quare cum dubium ad P. T. expositum super invaliditate baptismatis de quo quaeritur non ex probabilibus rationibus, quae proposi- tum casum speciatim afficiant, sed ex generica tantum ac levissima praesumptione ortum vi- deatur, ideoque nec prudens sit neque satis fundatum, Sacra haec Congregatio responden- dum censuit, uti respondet: — Iuxta exposita non esse locum renovationi baptismi, ideoque poenitens de quo in casu acquiescat. —

Quod si ex diligentiori investigatione, ad tramites doctrinae hactenus expositae instituenda

sive in praesenti casu, sive in aliis, aliquid novi emerserit, quod novo maturiorique examine dignum videatur, iterum ad hanc S. Apostolicam Sedem recurrendum erit, et novae omnes circumstantiae in casu concurrentes distincte exponendae, et tunc S. C. decernet necessitati opitulari, et conscientiarum quieti provideri.

831

De sacramentis in periculo mortis publicis usurariis administrandis.

S. C. de Prop. F. *26 Aug. 1833* (C. P. pro Sin.) — Se si dia luogo a qualche istruzione sul metodo che si tiene dai missionarî di Fokien relativamente ai Sagramenti, che si amministrano da essi agli usuraî pubblici posti in pericolo di morte, contentandosi della promessa di restituzione fatta dal figlio del padre moribondo.

R. Missionarios accitos ut usurarii publici saluti consulant, si eos invenerint loquendi facultate destitutos, et iam sufficientia poenitentiae signa dedisse compererint, eum absolvant, moneantque heredes de onere restituendi pecunias sine iusto titulo male acceptas, seu iniuste retentas. Si autem tempus supererit, et infirmus loquendi et voluntatem suam patefaciendi vim habet, ab ipsomet infirmo missionarius exigere debet, antequam eum absolvat, ut meliori qua fieri potest ratione creditorum indemnitati consulat.

832

De indulto circa abstinentias pro filiisfamilias.

S. Poenitent. Ap. *16 Ian. 1834* — Se godendo il padre di famiglia l'indulto di mangiar carne nei giorni vietati, e non potendo o non volendo far due pranzi, possano mangiar carne anche gli altri, come i figli e le figlie, il nonno e la mamma, ed anche le persone addette al servizio.

R. Personis quae sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adiecta conditione iis, qui ieiunare tenentur, de unica comestione et de non permiscendis (1).

833

An dispensati ab abstinentia vesci possint piscibus simul et carnibus.

S. Poenitent. Ap. *15 Febr. 1834.* — Utrum fideles dispensati a lege abstinentiae diebus Veneris et Sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio ieiunii, vesci possint piscibus simul et carnibus.

R. S. Poenitentiaria, proposito dubio diligenter perpenso, factaque relatione SSmo Dño Greg. XVI, de ipsius Sanctitatis Suae mandato, respondit: Permitti.

834

Quoad librorum liturgicorum impressionem.

Decr. S. R. C. *26 April. 1834* — Quum ab anno 1788 ad hanc usque diem Breviaria, Horae diurnae, Missalia, Officia parva B. M. V. Officia Hebdomadae maioris, Ritualia, aliaque id generis, quae denuo praelo mandantur, non amplius praeseferant RR. Ordinariorum attestationes, queis declaretur haec exemplaria concordare cum iis quae Romae sunt impressa, ad tramites Bullarum S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII Summorum Pontificum, quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur, Sacrae R. C. supplicatum fuit declarari: Utrum etiamnum servari deberent recensitae Constitutiones Pontificiae, et an transgressores poenas inibi inflictas incurrerent; praesertim ex eo quod in praesentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata exemplaria prae oculis in cusione habita sint, eo vel magis quod non parum torquerentur conscientiae tum eorum qui lucrum ex liturgicorum librorum venditione percipiunt, tum ecclesiasticorum qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce attestationibus muniti; proptereaque demum concedi ut sine ulla dubitatione quis horum librorum usum sibi permitti valeret. — Et Sacra eadem Cong., omnibus mature perpensis accurateque consideratis, rescribendum esse censuit ac declarandum: *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere, et abusum non esse tolerandum.* Huiusmodi declarationi minime acquiescentes qui primitus supplicarunt, et probe quum intelligant contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum, iterum tamen institerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem librorum, quin inflictas poenas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis, EE. PP. satius duxerunt super re iudicium differre. Coadunata demum apud Vaticanas aedes iuxta morem eadem Sacrorum Rituum ordinaria Congregatio, in eaque iam tertia audita relatione... omnibus accurate libratis, rescribendum ac decernendum censuit: *Detur generale Decretum iuxta mentem.* Mens est, ut Ordinarii locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cu-

---

(1) Eadem S. Poenitentiaria cum quaereretur utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiae a carnibus dispensatus, dispensationem ad omnes ex familia indiscriminatim extendere possint, respondit (10 Ian. 1834): « Infirmitatem, et aliud quod-« cumque rationabile impedimentum, de utriusque me-« dici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive gene-« ratim expensarum compendium, eximere posse a prae-« cepto abstinentiae in diebus esurialibus ». Et ad quaesitum: « An ratio propter quam filiifamilias uti pos-« sunt cibis vetitis a patrefamilias exhibitis, sit eorum « impotentia physica sive moralis observandi praece-« ptum; seu potius indultum quo gaudet paterfamilias »; respondit (29 Dec. 1862): « Ratio permissionis de qua, « in quaesito proposito, sermo, non est indultum pa-« trisfamilias, sed impotentia in qua versantur filiifa-« milias observandi praeceptum ».

dantur supradicti liturgici libri sine attestatione a Pontificiis Constitutionibus praescripta, et quoad illos qui huiusmodi attestatione destituuntur, et ab anno praesertim 1788 ac deinceps cusi fuere, aliquod exemplar ex supradictis examini probatae personae ecclesiasticae subiiciant, quae illud conferat cum iis qui in Urbe iuxta morem sunt impressi (exceptis tum Breviario anno 1828 typis *Contedini*, tum Missali anno 1826 praelo *De Romanis* cusis, in quibus nonnulla menda irrepserunt), acceptaque fideli relatione revisoris, quando illud adamussim concordare cum praedictis inveniatur, suo clero declarent ipsi Ordinarii Breviaria, Missalia etc., illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. Ad praecludendam demum omnem viam dubitationis, tradendamque ipsis Ordinariis certam regulam, typographi romani deinceps ante impressionem horum librorum teneantur veniam a Sacra Congregatione impetrare illiusque revisioni subiicere, et attestatione eiusdem Secretarii munire.

835

De norma servanda in mittendis ad varias regiones alumnis Sacrae Congr. de Prop. Fide.

Decr. S. C. de Prop. F. *11 Iunii 1834* — Attentis gravibus plurimarum Missionum ob sacerdotum inopiam spiritualibus necessitatibus, earum potissimum provinciarum, dioecesum atque locorum, ex quibus iuvenes aut nullatenus, aut difficulter admodum haberi possunt, qui in sortem Domini vocati ex Urbano Collegio ad explenda suo tempore apostolica munia instituantur, S. Congregatio (in Consessu diei 12 Maii) peropportunum iudicavit normam definire, quae in mittendis ad varias regiones sacerdotibus alumnis suis servari debeat. Statuit propterea atque decrevit, iuramentum quod singulis praefati Collegii Urbani alumni praestare tenentur ea in parte qua dicitur: *Voveo et iuro quod iussu praedictae Congregationis de Propaganda Fide sine mora in provinciam meam revertar,* eo sensu accipiendum, exigendum, atque praestandum ab iisdem alumnis: 1. Ut provinciae nomine, tota provincia ecclesiastica ad quam alumnus quisque pertinet intelligatur ac veniat: 2. Curae ut sit S. Congregationis alumnos qui praedicto iuramento sese obstrinxerunt mittere sive ad provinciam ecclesiasticam, sive ad dioecesim, ad quam pertinent, ubi maior erit penuria sacerdotum, habita ratione utilitatis animarum: 3. Ut arbitrio eiusdem S. C. alumni ad alias etiam regiones extra propriam cuiusque eorum mitti possint, praevio tamen eorum liberò consensu, et expetita dispensatione a vinculo iuramenti quoad eos tantum, qui iussu S. Congregationis in suam provinciam reversi iam fuerint, quoties alio mitti velint.

Quam S. Congñis sententiam SSmo Dño N. Gregorio d. p. Papae XVI per R. P. D. Secretarium in audientia habita die 25 Maii relatam Sanctitas Sua in omnibus benigne approbavit ac executioni mandari iussit.

836

Missionariis mercium venditio aliquando licita.

S. C. de Prop. F. *13 Aug. 1834* (C. P. pro Sin.) — Che cosa debba rispondersi al Vic. Ap. del Sutchuen sul dubbio relativo al lucro proveniente dalla vendita delle mercanzie, che colà si trasportano in luogo del denaro spettante alla Missione.

R. Posse missionarios subsidiorum sibi debitorum securitati, et Missionis ipsius bono consulere accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas, easdemque ad se delatas vendere, et suum facere pretium ex venditione earum retrahendum.

837

Indultum pro usu cerae ex quadam arbore fluentis.

S. C. de Prop. Fide *31 Aug. 1834* (C. P. pro Sin.) — Coreæ — Potero ne (ego Vicarius Ap.) uti in celebratione Missae cera ex quadam arbore fluente? Cera huius speciei satis similis est cerae communi; facile invenitur, et vilis est pretii, dum cera ex favo mellis extracta ex remotissimis provinciis affertur, et nonnisi cum maximis expensis comparari possit.

R. Supplicandum SSmo pro gratia a Vic. Ap. petita ut, durantibus circumstantiis, ille possit pro suo arbitrio et conscientia permittere in Missae sacrificio usum cerae ex quadam arborum specie fluentis. — SSmus etc., perpensis expositis, benigne annuit pro gratia.

838

Indultum circa Confessionem pro lucrandis plenariis Indulgentiis.

S. C. de Prop. F. *31 Aug. 1834* — *(Ex Aud. SSmi)* — Il Vic. Ap. della Corea domanda che non solo i missionarî ma anche gli altri fedeli possano lucrare le Indulgenze plenarie assegnate per certe solennità o pratiche divote a favore dei fedeli che uniscano alle pratiche prescritte la Confessione e la Comunione, nel caso ancora che manchi il comodo di potersi confessare, o sia per qualche motivo impossibile la celebrazione della S. Messa, purchè i fedeli siano in istato di grazia e fedelmente adempiano le altre opere ingiunte. Nella Collezione de' Decreti fatta per ordine di Benedetto XIV si trova che ad istanza del Vescovo di Meliapur fu proposto un analogo dubbio nella Congregazione delle Indulgenze dei 20 Gennaio 1733, e fu risposto: *Consulendum SSmo ut per organum Congñis de Prop. Fide praedictis missionariis (in regionibus infidelium degentibus) concedere dignetur indultum ut iisdem, quoties pro consequendis Indulgentiis desit copia confessarii, ideoque actualem Confessionem praemittere nequeant, sufficiat con-*

tritionis actus et Confessio in voto. E nel dì 22 dello stesso mese ed anno questa risoluzione fu approvata dal Sommo Pontefice. Ora gli Emi PP. hanno creduto di seguire la traccia di questo medesimo Rescritto pregando la S. V. perchè si degni di dichiarare o concedere a favore del Vic. Ap. e missionarî della Corea lo stesso indulto.

R. SSmus annuit.

839

De fidelium libertate in eligendis sibi confessariis.

Instr. S. C. de Prop. Fide 2 *Iunii 1835* (AD ARCHIEP. ALEPPEN.) — La S. Sede ha ritenuto sempre la massima, che non si deve vincolare in alcun modo la libertà de' cristiani in un punto così delicato, quale è la sacramentale Confessione, ed ha voluto sempre che fosse lecito a ciascuno di manifestare le sue colpe a quello tra i sacri ministri approvati, che gli fosse più a grado. Non ha egualmente mai proibito ad un confessore approvato di ascoltare nella propria Chiesa le confessioni di qualunque siasi cattolico, che si presentasse al sacro tribunale. Così non è proibito ai cristiani di una diocesi passare in un'altra per ivi confessarsi. Inoltre, sebbene per l'adempimento del precetto pasquale deve ogni cristiano fare la sua Comunione nella propria parrocchia, non ha però alcun obbligo di confessarsi in tale occasione al proprio parroco. Questa è stata sempre, ed è la massima e la pratica tenuta dalla S. Sede. Non si è fatta poi mai alcuna distinzione di rito, giacchè l'amministrazione di tal sagramento non porta seco alcun cambiamento di rito; che anzi la stessa S. Sede, quante volte si è mosso alcun dubbio su tal particolare, ha dichiarato, che non devesi fare in tal genere alcuna limitazione. Quindi nel 1626 (5 di Giugno) vietò severamente ad alcuni Vescovi latini d'impedire i loro sudditi di confessarsi dai sacerdoti ruteni, e viceversa; eccole il decreto: « Non debere latinos Episcopos prohibere subditis suis, ne confessiones « faciant cum sacerdotibus ruthenis unitis ab « Ordinariis locorum approbatis: nec e contra « Episcopos ruthenos unitos subditos suos simili prohibitione ligare, ne confessarios latinos approbatos ad excipienda peccata sua « adeant. Nam cum rutheni uniti sint vere « catholici, ubi ritus diversitas non repugnat, « discordias, dissidia inter eos excitantes vel nutrientes, introducere, inconveniens et damnosum est ».

840

Indultum pro sacrorum oleorum veterum usu in sinensibus Missionibus.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1835* — Cum Episcopis et Vicariis App. in Sinis et regnis adiacentibus quandoque contingat ut iis premantur angustiis quibus legitime impediantur quominus iuxta sacros ritus quotannis olea sacra benedicant, SSmus (Greg. XVI)... indultum alias concessum in similibus casibus, ut veteribus oleis utantur, confirmat in perpetuum et ad omnes Episcopos et Vicarios Ap. supradictos extendit.

841

Indultum pro profugis missionariis quoad Missas votivas.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1835 (Ex Aud. SSmi)* — Cum Vic. Ap. Cocincinae ob persecutionem profugus cum nonnullis ex suis missionariis, petierit ut sibi et suis presbyteris qui in huiusmodi circumstantiis reperiuntur, liceat etiam in quocumque festo duplici, in sacris mysteriis peragendis, legere Missas votivas de Trinitate, aut de B. M. V. aut etiam pro defunctis: facta relatione etc. SSmus petita in perpetuum benigne concessit, itemque indulsit omnibus missionariis in Sinis et regnis adiacentibus apostolicum ministerium agentibus et in similibus angustiis positis, ut, variae dierum solemnitatis habita ratione, aliquam ex dictis Missis votivis legere possint, omissis propriis in Missali Romano pro diebus iisdem praescriptis.

842

An valida matrimonia invitis parentibus inita, et matrimonia haereticorum et mixta non servata lege tridentina.

S. C. S. Officii *17 Nov. 1835* — QUEBEC — 1. Quaeritur sitne validum matrimonium a duobus catholicis natu minoribus secundum formas ab Ecclesia praescriptas contractum, sed tamen invitis parentibus.

2. Quaeritur utrum matrimonium partis catholicae et partis protestantis, utriusque natu minoris, invitis parentibus unius ex partibus contractum coram magistratu vel ministro protestante et duobus testibus, validum censeri debeat necne.

3. Estne validum matrimonium a duobus protestantibus absque ullo teste contractum?

4. Matrimonium partis catholicae et partis haereticae contractum inter utramque partem nullo adstante teste validumne censeri debet?

5. Matrimonium duorum catholicorum inter se solos contractum absque ullo teste, vel coram duobus testibus in loco ubi non possunt recurrere ad ministerium alicuius sacerdotis approbati estne validum?

6. Cum pars una catholica et pars altera haeretica desponsantur coram magistratu, et uno tantum teste, vel coram ministro protestanti, et uno itidem teste, potestne magistratus vel minister ut alter testis censeri? Et matrimonium istud estne validum?

De matrimonio contracto coram parocho invito et reluctante.

7. Matrimonium duorum catholicorum inter se, adstantibus duobus testibus contractum coram parocho invito et reluctante estne validum?

De matrimonio catholici haeresim simulantis, cum catholica muliere.

8. Cum catholicus se simulat protestantem aut apostatam, eo consilio ut matrimonium ineat cum muliere catholica coram ministro

protestante et duobus testibus, eiusmodi matrimonium estne validum?

De matrimoniis contractis in fraudem legis tridentinae.

9. Duo catholici dioecesis Quebecensis nonnihil impedimenti obesse animadvertentes ne matrimonium contrahant, in fraudem legis ad illud ineundum coram magistratu pergunt ad Foederatae Americae Septentrionalis ditiones quibus in regionibus facta numquam est tridentini decreti *Tametsi* promulgatio. Ratumne habendum est matrimonium huiusmodi?

R. Ad 1. Affirmative; nec enim dissensus parentum aut aetas minor inter impedimenta matrimonium dirimentia ullo possunt modo nostris hisce temporibus recenseri. Leges caesareas et iussa Principum huic adversa sententiae non moramur; illa namque aut de civilibus tantum effectibus sunt intelligenda, sicut de edicto Henrici III Regis Christianissimi a Ludovico XIII confirmato sentiunt praestantes viri Loretus in parisiensi senatu Consiliarius, Hubertus Episcopus Vabriensis, Cabassutius, Gerbasius, Natalis Alexander aliique; aut, quum id statuant quod limites praetergreditur saecularis potestatis, sunt omnino reiicienda. Circa ea quae ad rationem pertinent Sacramentorum non Principibus saecularibus, sed soli Ecclesiae plena est definiendi potestas. Ea vero non solum in cap. *Licet* et in cap. *Tua, De sponsa duorum* eiusmodi matrimonia rata habuit et declaravit, verum et Tridenti in Spiritu Sancto legitime congregata eos anathemate percussit qui falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse. Nullus igitur dubio reliquus locus est super validitate praedicti matrimonii.

Ad 2. Affirmative pro Canadae regionibus ad quas extensa est Benedictina Declaratio. Iam enim supra monuimus neque aetatem minorem, neque parentum dissensum dirimere matrimonium, quod nec de catholicis solum, sed de ipsis etiam protestantibus volumus intellectum, cum haeretici quoque sacris Ecclesiae legibus teneantur, nec, in iis praesertim quae attinent ad Sacramenta, saeculares leges Ecclesiae sanctionibus ullo possint esse detrimento. Deficientia tandem parochi in casu expresso nonnisi clandestinitatem parit, quae in illis locis in quibus vim habet Benedictina declaratio haud irritat matrimonia haereticorum. Cum vero ut idem fert Benedictus XIV in Opere de Syn. Dioec., in matrimoniis mixtis pars libera et immunis a lege, eamdem immunitatem cum altera parte communicare censeatur, sequitur profecto clandestinitatem non obstare mixtis matrimoniis in Canadae regionibus contractis.

Ad 3. Est validum pro Canadae regionibus: inibi enim viget Benedictina Declaratio, quae valida declarat ea matrimonia quae clandestine ab haereticis contrahuntur.

Ad 4. Validum pro Canadae regionibus ob saepius laudatam Benedectinam Declarationem ad ea loca extensam. Hoc patet ex dictis in solutione ad dubium 2. Praestat vero hic pro maiori claritate verba referre eiusdem Benedicti XIV (Lib. 6, Cap. 6, *de Syn. Dioeces.*) sic exarata: « Cum coniugum alter cum ratione « loci in quo habitat, tum ratione societatis in « qua vivit, exemptus sit a Tridentinae Synodi « lege, exemptio, qua ipse fruitur, alteri parti « communicata remanet propter individuitatem « contractus, vi cuius exemptio, quae uni ex « partibus competit, ad alteram secundum etiam « civiles leges extenditur eidemque communi« catur ». Quae verba, ut videre est, tam sunt clara et aperta ut nullum relinquant dubitationi locum super validitate istiusmodi matrimonii.

Ad 5. Primum matrimonium est validum pro iis dioecesis Quebecensis incolis qui missionariis tantum utuntur, Sacra enim Congr. de Prop. Fide anno 1820 decrevit: « Pro incolis « dioecesis Quebecensis, qui missionariis tan« tum et donec utuntur, non esse locum Decreto « Concilii Tridentini *Tametsi,* nullo habito re« spectu maioris vel minoris distantiae; et mis« sionarii curent referre matrimonia celebrata « in eorum regestu, Ordinario respectivo tra« dendo: » quibus ex verbis patet incolas praedictos matrimonia inire posse, nec parocho nec testibus ullis, quum utraque obligatio ex eodem perveniat Tridentino Decreto *Tametsi,* cui locum non esse declaravit praelaudata Congregatio. Secus vero de iis incolis affirmandum est, qui in locis habitant ubi sunt paroeciae constitutae; illi enim nullo modo a lege Tridentini Decreti immunes haberi possunt; ut proinde ipsorum matrimonia irrita fiant si nullo teste praesente contrahantur. Secundum matrimonium, de quo in dubio fit mentio, validum quoque habendum est: Sacra enim Congregatio Concilii die 30 Martii anno 1669 declaravit, quod sicubi catholicus parochus aliusve sacerdos *vel omnino non adsit, vel illius adeundi libera potestas non sit,* matrimonia etiam nullo adstante sacerdote contracta valida censeantur, dummodo coram duobus testibus contrahantur. Pius etiam VI huic inhaerens declarationi rata habuit matrimonia in Galliis tempore revolutionis contracta, cum ecclesiae legitimis pastoribus destituebantur.

Ad 6. Matrimonium est validum pro partibus Canadae ob declarationem inibi extensam. Repetendum hic est quod iam satis superque monuimus, matrimonia huiusmodi valida semper esse, etiam si nullo adstante teste contrahantur. Superfluum itaque videtur percontari utrum magistratus aut minister haereticus velut alter testis possit existimari. Cur tanta de altero teste sollicitudo, cum in casu de quo agitur, ex collato indulto, nullius testis praesentia ad matrimonii validitatem exigatur?

Leges autem saeculares, si quae in Canadae regione vigent, matrimonia clandestina rescindentes, coram Ecclesia vi nulla pollere, meritoque explodendas esse, iam monuimus in responsione ad dubium 1. Diligenter itaque commonendi sunt qui in Canadae regionibus matrimonia praedicta sic contrahunt, se in foro conscientiae saecularibus illis legibus non teneri, ideoque coram Deo coniunctos esse, ut nulla possint hominum potestate divelli.

Ad 7. Validum. Sic decrevit S. Congregatio Concilii anno 1581 respondens 3 quaesito Episcopi Gienn. sic expresso: « Si invitus et compulsus per vim adsit sacerdos dum contrahitur matrimonium, utrum tale matrimonium subsistat? » Responsum fuit: « subsistere ».

Ad 8. Negative: cum enim alter coniugum haeresim simulat aut apostasiam, non ideo catholicam fidem ex animo deserit. Quocirca cum ambo coniuges sint reapse catholici, clandestinitatis impedimento tenentur. Quod si coniugum alter non haec simularet solum, sed vere animo a catholica fide deficeret, ad haereticam transiens pravitatem, tunc profecto mixtum exurgeret matrimonium, quod ratum habendum esse ex superius dictis manifeste apparet.

Ad 9. Ratum, si coniuges transferant etiam domicilium: irritum, si primum domicilium retineant. Lubet hic resolutiones a S. C. Concilii tribus dubiis datas afferre, ex quibus patet apertissime quaenam sit Ecclesiae mens circa hunc similesve casus. Quaesitum itaque fuit « 1. An incolae tam masculi quam foeminae « loci, in quo Concilium Tridentinum in punc cto matrimonii est promulgatum, transeuntes « per locum in quo dictum Concilium non est « promulgatum, retinentes idem domicilium, « valide possent in isto loco matrimonium sine « parocho et testibus contrahere. — 2. Quid si « eo praedicti incolae tam masculi quam foe« minae solo animo sine parocho et testibus « contrahendi se transferant, habitationem non « mutantes? — 3. Quid si transferant habitatio« nem illo solo animo, ut absque parocho et « testibus contrahant? » S. Congregatio respondit ad 1 et 2: non esse legitimum matrimonium inter se sic transferentes et transeuntes cum fraude; ad 3: si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum.

843

Parochus mixto matrimonio assistens verba *Ego vos etc.* ne proferat.

S. C. S. Off. *26 Nov. 1835* — Se nei matrimonî misti il sacerdote debba anche astenersi dal pronunziare le parole: *Ego vos coniungo in matrimonium.*

R. Parochus assistens matrimonio mixtae religionis se abstineat.

844

De administratione sacramentorum extra propriam Missionem.

S. C. de Prop. Fide *3 Decembr. 1835* (C. P. pro Sin). — 1. Utrum Episcopus Vicarius Apostolicus, e suo Vicariatu absens iusta de causa, et alumnos vel etiam alios suos christianos secum ducens, possit etiam in aliqua regione alteri Vicario Apostolico concredita suis christianis administrare Sacramenta absque ulla Vicarii Apostolici facultate huius loci, praesertim si pluribus diebus itineris inter se distent.

2. Utrum simplex missionarius possit, etiam e sua missione iusta de causa absens, ea omnia quae dicuntur in prima quaestione de Vicario Apostolico.

R. Ad 1. Affirmative quoad subditos suos.

Ad 2. Id licere etiam simplici missionario quoad audiendas confessiones praebendamque sacram Communionem. Cetera sacramenta non licere huic administrare nisi de consensu parochi localis.

845

De interrogationibus in interpellatione coniugis infidelis.

S. C. de Prop. Fide *17 Ian. 1836* — Sutchuen — 1. Christiani quando faciunt interpellationes prioris coniugis infidelis, si coniux infidelis respondeat se velle recipere suam consortem fidelem, tunc interrogant illum an velit converti et an saltem consentiat cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. At si pars infidelis statim respondeat se nolle amplius recipere priorem coniugem fidelem, aut ad illam reverti, tunc nihil ulterius interrogant, quia timent ne pagani magis indignentur et blasphement contra religionem christianam. Quaeritur igitur an possit permitti parti fideli ut cum alio fideli contrahat matrimonium, etiamsi in interpellatione prioris coniugis infidelis omissa fuerit interrogatio an velit converti, et an saltem consentiat simul cohabitare sine contumelia Creatoris. Quod si S. V. censuerit omissionem dictarum interrogationum, *an coniux infidelis velit converti, et an velit saltem cohabitare sine contumelia Creatoris,* reddere nullam interpellationem aut insufficientem, ita ut ex vi huiusmodi interpellationis pars fidelis non possit valide aliud matrimonium contrahere cum aliquo fideli, tunc humiliter supplicat Vicarius Ap. praedictus ut S. V. sanet in radice multa matrimonia quae in Vicariatu Sutchuensi contracta sunt post interpellationem factam sine dictis interrogationibus.

Dispensatio ab interpellatione ob periculum et damnum.

2. Quidam gentilis inique ferens suam uxorem amplexatam esse religionem christianam, solebat illam gravissime percutere, nec ullo modo sinebat illam observare religionem christianam; quare illa mulier clam aufugit a domo mariti sui pagani, et diu mansit abscondita in domibus christianorum. At ille maritus paganus ubique quaesivit uxorem suam paganam, et

ad mandarinum etiam recurrit, qui iussit ut illa mulier ubique quaeratur et suo marito restituatur. Nunc dicta mulier iam suscepit Baptismum, et adhuc manet abscondita in domibus christianorum: sed, cum sit pauper et iuvenis, videtur expedire ut transeat ad alias nuptias cum aliquo christiano. Quare humiliter S. V. supplicat Vicarius praefatus ut dignetur concedere dispensationem a facienda interpellatione prioris coniugis infidelis, quia haec interpellatio non potest fieri sine gravissimo periculo et damno.

R. Ad 1. SSmus, perpensis expositis, benigne matrimonia ut supra contracta in Vicariatu Sutchuensi cum omissione interrogationum, prout in supplici libello exponitur, in radice sanat atque convalidat perinde ac si in matrimoniis contractis interpellationes factae fuissent.

Ad 2. SSmus, mature perpensis expositis, benigne dispensationem petitam concessit.

846

Circa modum Indulgentias concedendi.

Instr. S. C. de Prop. Fide *29 Febr. 1836* (AD VIC. GEN. NANKIN.) — Ad dubia quod attinet, his quae proponis, quaeque spectant ad benedictionem coronis precatoriis seu numismatibus impertiendam respondeo cum Passerinio *De Indulgentiis, quaest. 89 n. 454:* « Cum concessio Indulgentiae sit quid pertinens ad iurisdictionem Ecclesiae ut visibilis, « non potest sola mente aut voluntate Praelati « concedi ». Et n. 455: « Sufficit autem quod « Praelatus suam voluntatem et concessionem « exprimat sive voce, sive scripto, sive nutibus, aut facto; nec est necessaria aliqua verborum aut signorum determinatio, sed quicumque verbis aut signis uti potest, sufficitque ut exprimat determinate id quod concedit ». His autem quae generatim de Indulgentiis a Passerinio dicuntur, tantum addo quoad distributionem et usum numismatum ac coronarum ut supra benedictarum ab eo cui huiusmodi facultas concessa legitime fuerit, servanda esse monita quae unicuique eorum, quibus haec facultas impertitur, dantur, typis Sacrae Congregationis impressa, ut in inserto folio perspicies (1). Nihil est quod dubites de valore benedictionis impertitae coronis quibus crux seu numisma non sit adnexum; indultum enim eodem prorsus modo loquitur de coronis precatoriis, seu crucibus, seu sacris numismatibus benedicendis; quoniam autem cruces et sacra numismata separatim a coronis benedici possunt, sic etiam benedici possunt coronae ab illis seiunctae.

Circa distributionem et usum numismatum et coronarum benedictarum.

Quaeris utrum catechistae teneantur ad emittendam professionem fidei iuxta formulam Pii IV quamvis isthic huiusmodi consuetudo minime vigeat. At non ignoras, etiam in iis locis, ubi magistri quicumque, quamvis grammaticam tantum doceant, legem emittendae fidei professionem implent, parochos posse seligere probos viros, et etiam mulieres, quae pueros vel puellas sibi adsignatas in doctrina christiana erudiant, quin viri aut mulieres sic electae ad emittendam fidei professionem censeantur adstricti: quare satis erit ut in electione et officio catechistarum ea serventur, quae in epistola pastorali Episcopi Caradrensis Synodo Sutchuensi addita N. 26 (2), et in ipsa Synodo sparsim

Circa electionem et officium catechistarum.

---

(1) Monita, de quibus agitur, haec sunt: « In distribuendis huiusmodi coronis, crucibus etc. earumque « usu, Sanctissimus Dominus Noster servari iubet *Decretum fel. recordat. Alexandri VII* editum *sub die 6 Februarii 1657*, nimirum, ut coronae, cruces, rosaria etc. ut supra benedicta, quoad indulgentias non « transeant personam illorum, quibus concessa sunt, « aut quibus ab iis prima vice distribuuntur; nec aliqua re ex praedictis deperdita, pro ea subrogari alia ullo modo possit, quacumque concessione aut « privilegio in contrarium non obstante; nec non eadem commodari, aut precario dari non possint pro « Indulgentiarum communicatione, alioquin amittant « Indulgentias iam concessas; tum etiam praefata post « pontificiam benedictionem vendi non possint, iuxta « dispositionem *Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum* editi *die 5 Iunii 1721*.

« Insuper Sanctitas Sua confirmat Decretum *fel. recor. Benedicti XIV datum die 19 Augusti 1752*, « quo expresse declaratur Missas ad altare (in quo « aliqua ex praefatis sive crucifixi sive numismatis « imago quoquo modo collocata fuerit) lectas, sive a « sacerdote huiusmodi imaginem secum habente celebratas, vigore dictae imaginis nullo prorsus gaudere privilegio.

« Praeterea vetat ne quisquam, quem infirmis mortis proximis assistere contigerit, benedictionem cum « Indulgentia plenaria in articulo mortis, vigore huiusmodi imaginis, illis impertiri audeat sine speciali « facultate in scriptis obtenta, quoniam ad huiusmodi « effectum in Costitutione *Benedicti XIV* incipiente « *Pia Mater*, satis provisum iam fuit.

(2) Haec ibi: « Cum maximi religionis intersit ut « missionarii ministros habeant, quorum contubernio « non infamentur, ac plerumque, experientia teste, ubique eveniat ut in christianorum visitatione, tum iunioris aetatis mulieres, tum virgines ceteraeque puellae, quasi ex condicto, absque nullo prorsus timore, « cum dictis ministris nimis familiariter agant, praetextuque doctrinae ab iis sciscitandae, vana colloquia « frequenter cum iis misceant, risibus et cachinnis inverecundis mutuo sese provocent, atque hinc facile « possint aut tentari aut tentare: ideo ad vitanda scandala statuimus nulli sacerdoti licitum esse sibi adsciscere ministros seu catechistas, qui vigesimum « quintum aetatis annum nondum praetergressi fuerint. « Tales vero eligantur, qui pietate, moribus, gravitate, « doctrina, studii amore, et habitu pudicitiam vere « polliceantur; non permittatur huiusmodi ministris « frequenter cum mulieribus miscere sermonem; nulli « eorum liceat privatim docere virgines; nullus culinas audeat ingredi; nullus a quacumque muliere mu« nuscula, etiamque si religionis res sint, recipere aut « iisdem donare praesumat, nisi forsan communia cal« ceamenta a dictis mulieribus ipsi offerantur, quae « tamen sine licentia sacerdotis recipere non licebit; « nullus, nisi forte in itinere constitutus, propria sponte,

expressa leguntur, donec S. C. opportunum duxerit, novis ordinationibus, catechistarum electionem officiumque dirigere (1). Hinc patet etiam responsio ad dubium quintum: non enim fit independenter ab Ordinario, quod fit a missionario in exercitio sui muneris intra limites facultatum iisdem concessarum vel communicatarum sive expresse sive implicite: quare catechista a missionario rite electus censendus est veluti ab ipso Ordinario approbatus ut fungatur muneribus catechistarum propriis, servata semper illis missionariorum auctoritate, et Ordinarii iuribus providendi ne novi introducantur, et introducti tollantur abusus.

De facultate Missam celebrandi extra statutum tempus.

Ad horam celebrandi Missam quod attinet, in Formula I facultatum sub num. 23 datur celebrandi facultas una hora ante auroram et una hora post meridiem; itaque evidens est praetergredi limites harum facultatum eum qui quacumque hora ante auroram, etiam nulla urgente christianorum necessitate, celebrare praesumit. Neque occasio ministrandi Viaticum sufficiens ratio est statutam horam celebrationis Missae praeveniendi; agi enim non potest contra expressam Ecclesiae legem, et in tali casu defectum Viatici in infirmo supplet Sacramenti percipiendi desiderium. Attamen Sanctissimus D. annuit ut, causa ministrandi Viaticum, Missae celebrandae tempus idoneum non observetur; nam praeceptum sumendi Viaticum praevalet legi ecclesiasticae de tempore celebrandae Missae.

Circa celebrationem trium Missarum nocte Nativitatis Domini.

Successiva trium Missarum celebratio statim post mediam noctem in festo Nativitatis Dñi, et fidelium sacra Communio in Missa quae post mediam noctem celebratur, diserte vetita est iteratis Sacrorum Rituum Congñis decretis dierum 20 Aprilis et 7 Decembris 1641 (2). Temere igitur permittendum non est quod ecclesiasticis regulis contrarium esse invenitur. Celebratio autem praefatarum Missarum in tribus diversis pagis iisdem difficultatibus non est obnoxia; nec enim ipsis sacerdotibus vetitum est unam tantum Missam eo die celebrare, nec lex iubet fideles eodem die tribus Missis interesse. Attamen incolae illius pagi in quo prima Missa celebratur non possunt Eucharistiam sumere nisi eiusdem primae Missae celebratio ad eam horam protrahatur qua istarum regionum christianis vel ex iure vel ex privilegio licet ad Sacram Mensam accedere, casu tantum excepto novi indulti Sedis Apostolicae. Iam vero Sanctissimus Dominus concedit Tibi ut tres Missas continuatas in nocte SSmi Natalis celebres, ita tamen ut a danda populo Communione abstineas.

Quoad Ordinariorum iura circa oratoria.

Dividis in quatuor classes ecclesias sive oratoria in istis regionibus erecta scilicet: 1. earum ecclesiarum quae erectae sint communibus christianorum impensis; 2. earum quae in domo alicuius familiae divitis erectae sint in commodum totius pagi; 3. earum quae sunt in utilitatem alicuius familiae, quae ob distantiam aut alias iustas causas ad communem cappellam venire non potest; 4. demum earum quae erectae sunt ex devotione alicuius familiae, in quibus, quamvis illa non sint nisi oratoria privata, neque ad annuam sacramentorum administrationem ordinata, missionarii invitati solent etiam in maioribus festivitatibus Missam celebrare, relictis cappellis communibus, non sine harum damno, eo quod deficiat qui harum impensas coadiuvet; et quaeris quae sint Ordinariorum seu etiam missionariorum iura circa ecclesiarum seu cappellarum erectionem, approbationem, aut visitationem. — Ex Concilii Tridentini decretis palam fit sanctum Missae sacrificium celebrandum esse in ecclesiis aut oratoriis divino cultui dedicatis ab Ordinariis locorum designandis, et visitandis: designatio itaque, et visitatio cappellarum in quibus celebranda sunt sacra ad commodum christianitatis, quantumvis eae parvae sint, ad iurisdictionem pertinet Ordinarii; regulae tamen ad hunc finem servandae in Sinis, et ob distantiam locorum, et ob defectum ministrorum, et ob persecutionum priculum, eaedem esse non possunt, quae in Europa servantur: hinc Sinarum Ordinarii peculiaribus gaudent facultatibus sibi a Sede Apostolica concessis, quas communicare etiam possunt suis missionariis. Hinc fit ut iis quaedam liceant, etiam quoad electionem loci in quo sacra peragant, quae in provincia christianis Principibus subdita parochis non licerent; at facultatum communicatarum limites praetergredi non possunt: et si iis abutantur, Ordinariorum est illorum vitia corrigere. Quae autem sit facultas missionariis concedi solita relate ad electionem loci, in quo munere fungantur suo, facile colligere poteris ex Synodo Sutchuensi cap. 10, n. 15, ubi, improbata in missionariis acceptione locorum et personarum, ne plurimi sacramentis et verbi divini pabulo priventur, praecipitur « In quemcumque loco- « rum, sive divitem sive pauperem, modo sit « aptus ad congregandos fideles, et securus,

« aut etiam invitatus, ad christianos divertat ut ibi su- « mat cibum: sicque tandem se gerant omnes ut suspi- « ciones caveant, et quidquid mali probabiliter fingi « potest, ne fingatur, ante devitent. Denique pro munere « suo atque conscientia, quae onerata remanet, missio- « narii severe super his invigilent, harumque regularum « observationem efficaciter promoveant ».

(1) Fidei professio cathechistis aliquando imposita. *(V. n. 638).*

(2) S. R. C. 20 *April.* 1641: « An liceat in nocte « Nativitatis Domini, post cantatam primam Missam, « alias duas immediate celebrare, et communicare fi- « deles ».

R. Nullo modo licere, sed omnino prohibendum.

Die 7 *Dec.* 1641 idem decretum confirmatum fuit.

« ibique adsint saltem viginti personae, fuerit « accersitus missionarius, postposita propria « commoditate, ire personaliter non recuset, nisi « gravis alia ratio exigat ut fideles in alium « locum convocentur ». Nihil igitur innovandum videtur quoad oratoria tribus primis classibus comprehensa. Quoad classem quartam, Ordinarii erit pro sua prudentia et conscientia prohibere missionario ne sacra faciat in oratoriis privatis sub 4 numero indicatis, cum communis cappellae damno.

Contra quemdam abusum quoad administrationem Eucharistiae.

Exponis missionarios nonnullos, cum noverint numerum eorum, quibus in Confessione permiserunt ad S. Communionem accedere, non interrogatis poenitentibus, totidem ponere particulas consecrandas; et quaeris num praxis haec sit prohibenda. Nemo non videt missionarios sic agentes uti scientia in Confessione acquisita, quod est Ecclesiae legibus expresse vetitum; nec prava haec agendi ratio efficax est ad arcendos indignos: potest enim indignus accedere inter primos ad Sacram Synaxim, ex quo a Communione dignus pro indigno excluderetur, addito etiam periculo ulterioris scandali in sacramentalis Confessionis praeiudicium; quare abusus hic est omnino tollendus.

De benedictione nuptiali impertienda.

Refers nonnullos missionarios negligere nuptiarum benedictionem, et quaeris utrum ipsi compellendi sint ad nuptias benedicendas. Non ignoras in instructione super matrimoniis, quae in istis regionibus contrahuntur absente missionario, praecipi coniugibus, ut cum missionarius ad eos visitandos accesserit, coram eo se sistant, ut benedictionem accipiant nuptiarum, quamvis eae iam valide contractae censeantur: ob quam causam abstinere debent a consensus renovatione; quamobrem vides reprehensione dignum esse missionarium illum, qui huiusmodi benedictionem petentibus negligat impertiri. Utinam omnes his benedictionibus cumulari studerent! facilior enim in dies evaderet via medendi scandalis, quae a clandestinis matrimoniis oriuntur. Quare, tuos mone missionarios, ut in re tanti momenti faciles se praebeant.

847

Nullae in altari super tabernaculo Reliquiae imponendae.

S. R. C. *12 Martii 1836* — TRIDENTINA — 1. Quum iuxta Decretum S. R. C. pridie kalendas Aprilis 1821, eliminanda sit consuetudo reponendi Sanctorum Reliquias, pictasque Imagines super Tabernaculo in quo SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, adeo ut ipsum Tabernaculum inserviat pro basi, quaeritur: an hoc decretum valeat etiam pro Reliquiis SS. Crucis, vel alterius Instrumenti Dominicae Passionis publicae venerationi expositi.

De collecta pro Papa in Missis.

2. An in diebus anniversariis Electionis et Coronationis Summi Pontificis, collecta in Missis pro eodem adiungenda sit de praecepto.

De colore stolae in administranda SS. Eucharistia.

3. An stola pro ministranda SSma Eucharistia extra Missam esse debeat coloris Officio illius diei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum; vel etiam possit esse alba, prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, ceu multi censent doctores.

Ad 1. et 2. Affirmative.

Ad 3. Affirmative ad utrumque.

848

De matrimonio infidelium polygamorum ad fidem venientium.

S. C. S. Officii *8 Iunii 1836* — In S. C. Generali Universalis Inquisitionis actum est de quaestione ab R. P. D. Archiepiscopo Quebecensi proposita, quae his verbis continebatur: « Ex illis difficultatibus quae in America obstant conversioni barbarorum, inter quos viget polygamia, ea prae caeteris, ut longa experientia constat, praecipue valet, scilicet quod usque nunc, iuxta XI ex XXIX articulis, quibus constat Indultum extraordinarium Episcopis communicatum, infideles plures habentes uxores tenentur, post conversionem et Baptismum primam retinere, si ipsa voluerit converti. Iam vero gravibus missionariorum rationibus permotus, et ut istorum infidelium saluti efficacius consulatur, enixe desidero novam erogari concessionem, cuius tenore eisdem infidelibus plures uxores habentibus, et converti desiderantibus, permittatur ut quam ex illis maluerint (quae ordinarie inter alias iunior est) eligant, ad illam, etiam converti volentem, in matrimonium iuxta regulas Ecclesiae ducendam, sine obligatione primae eligendae. Haec autem desiderata concessio refertur ad decretum S. Pii V 2 Augusti 1571 datum quo declaratur: *Indi... in futurum baptizandi cum uxore quae cum ipsis fuerit baptizata remanere valeant, tanquam cum uxore legitima, aliis dimissis* (1). In hoc enim Decreto nulla fit mentio de prima in legitimam uxorem suscipienda, sed tantum de ea quae cum illis fuerit baptizata. At in casu submisso nulla nascitur difficultas Baptismi suscipiendi a parte illius uxoris, qualiscumque sit, quam infideles prae caeteris eligunt ».

---

(1) En decretum seu Const. S. Pii V *2 Aug. 1571*: « Romani Pontificis aequa et circumspecta providen- « tia, ne ea quae pro salubri Indorum noviter ad fi- « dem conversorum directione sanciri debent et ter- « minari, alicuius haesitationis scrupulo subiaceant, « declarationibus et aliis opportunis consuevit provi- « dere remediis. Cum itaque, sicut accepimus, Indis « in sua infidelitate manentibus plures permittantur « uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, « hinc factum est quod recipientibus Baptismum per- « missum sit permanere cum ea uxore, quae simul « cum marito baptizata existit; et quia saepenumero « contingit illam non esse primam coniugem, unde tam « ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis tor- « quentur, existimantes illud non esse verum matri- « monium; sed quia durissimum est separare eos ab

Rebus omnibus circa controversiam hanc mature perpensis, EE. ac RR. DD. Cardinales Supremi Inquisitores distinguendum esse censuerunt utrum matrimonium haberi possit ut validum necne. In primo quidem casu, videlicet quando agitur de vero matrimonio inito, dubium esse non posse S. Cong. existimavit, infideles plures uxores habentes, post conversionem suam debere primam uxorem retinere, si et ipsa Baptismum suscipiat, vel saltem habitare cum illo assentiatur absque iniuria Creatoris. In altero vero casu, scilicet quando non subsistit validitas nec primi nec subsequentium matrimoniorum, ita ut serio dubitari possit matrimonia huiusmodi ad instar belluarum censenda esse, posse infidelem qui ad fidem convertitur eligere quamcumque velit ex suis mulieribus, dummodo et ea ad christianam religionem convertatur, ac renovetur consensus: vel etiam posse quamcumque aliam eligere mulierem eadem servata conditione.

Gregorius XVI suffragia EE. S. R. E. Cardinalium Universalium Inquisitorum probavit, renovato tamen consensu, si matrimonium in prima hypothesi contrahitur cum secundo vel tertio etc. coniuge, proptereaque primus in infidelitate permanens erit; et addita facultate dispensandi ab interpellatione coniugis primi, quoties aut fieri reipsa nequeat, aut, si fieret, nullius utilitatis fore reputetur, iuxta ea quae a s. m. Benedicto XIV (lib. 13 *De Synod.* cap. 21) traduntur, ubi agatur de matrimonio valido.

849

Circa translationem crucium vel imaginum *Viae Crucis*.

S. C. Indulg. *20 Iunii 1836* — Aturen. — 1. Multoties ad dealbandas parietes, ab iis disiunguntur simul vel successive quatuordecim cruces vel imagines Viae Crucis: aliquando ex una ecclesia in aliam transferuntur, vel in oratorium; quaeritur an amittantur benedictio et indulgentiae.

De precibus in *Viae Crucis* exercitio.

2. Ad lucrandas indulgentias Viae Crucis in ecclesia vel oratorio erectae adnexas, requiriturne recitatio sex *Pater* et *Ave* post quatuordecim stationes?

R. Ad 1. Non amittuntur benedictio et indulgentiae, si una vel altera tantum crux removeatur a pariete ecclesiae, ad illam dealbandam: sed si simul omnes cruces removeantur ut postea iterum ponantur in dicta ecclesia, fideles eo tempore lucrari nequeunt indulgentias, si in aliam ecclesiam vel oratorium translatae sint cruces sine Apostolica facultate.

Ad 2. Negative.

850

Circa pedum unctionem in Extrema Unctione.

S. R. C. *27 Aug. 1836* — Rhedonen. — 1. Anne ultra pedum partem superiorem, inferior quoque ungenda sit in Sacramento Extremae Unctionis.

Annuli benedictio in secundis nuptiis.

2. Utrum in nuptiis, quae secundae dicuntur, omittenda sit benedictio annuli.

De Baptismi caeremoniis supplendis in adulto antea baptizato.

3. Quaenam servari debent caeremoniae et preces, quae supplendae sunt adulto catholico, valide post nativitatem baptizato, sed omissis caeremoniis quae, iuxta Rituale, Baptismum praecedere vel sequi debent: an illae quae in Rituali assignantur pro Baptismo adultorum, vel pro Baptismo infantium?

De Baptismi caeremoniis in baptizando sub conditione adulto.

4. Quae ex his caeremoniis servari debent, quum adultus, ab haeresi ad fidem catholicam conversus, baptizandus est sub conditione ob dubium fundatum de validitate Baptismi a ministro haeretico collati?

R. Ad 1. Nihil innovandum.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Caeremoniae et preces serventur quae in Rituali assignantur pro Baptismo infantium.

Ad 4. Quatenus supplendae sint et supplendae credantur caeremoniae, ut in dubio, illae supplendae sunt quae pro adultorum Baptismo sunt praescriptae.

851

De benedictione sacerdotis super populum.

S. R. C. *27 Aug. 1836.* — Veronen. — 1. Utrum liceat simplici sacerdoti superpelliceo et stola induto, post Vesperas, litanias et preces, immediate altare ascendere et populum dimittere, eum benedicendo nuda manu per verba *Benedictio Dei omnipotentis etc.* ut praescribitur a Rituali post Communionem extra Missam.

De ministerio mulierum in Missa.

2. Potestne sacerdos, omnibus sibi prius commode dispositis quae ad sacrificium occurrere possunt ne mulieres serviant altari, uti ministerio mulieris tantum pro responsis?

R. Ad 1. Affirmative, si adsit consuetudo.

Ad 2. Affirmative, urgente necessitate.

« uxoribus, cum quibus ipsi Indi Baptismum suscepe-
« runt, maxime quia difficillimum foret primam con-
« iugem reperire: ideo Nos, statui dictorum Indorum
« paterno affectu benigne consulere, atque ipsos Epi-
« scopos et ministros ab huiusmodi scrupulis eximere
« volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra,
« ac apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi, sic ut
« praemittitur baptizati, et in futurum baptizandi, cum
« uxore, quae cum ipsis fuerit baptizata et baptiza-
« bitur, remanere valeant, tamquam cum uxore le-
« gitima, aliis dimissis, apostolica auctoritate, tenore
« praesentium, declaramus, matrimoniumque huius-
« modi inter eos legitime consistere etc. ».

852

An benedicens matrimonium teneatur ad celebrandam Missam votivam *pro sponsis*.

S. C. de Prop. Fide *10 Ian. 1837* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Orient. — Se il sacerdote che benedice un matrimonio, quantunque non riceva l'elemosina, sia obbligato a dire nei tempi debiti la Messa votiva designata a questo effetto, o possa dire la Messa del Santo corrente, aggiungendo la colletta della stessa Messa votiva.

R. Servetur Rubricae praescriptio quoad Missae speciem, ita tamen ut celebranti liberum sit mente sua convertere spiritualem Missae fructum in favorem suppeditantis eleemosynam.

853

Facultas pecuniam in merces convertendi.

S. C. de Prop. Fide *10 Ian. 1837* (C. P. pro Sin.) — Se debba accordarsi la facoltà chiesta dal Vic. Ap. del Tonkino Occid. di poter convertire in merci il danaro che da Macao si manda a quella Missione affinchè più difficilmente sia esposto alle rapine de' corsari, alla perfidia dei portatori ed alle angarie del governo.

R. Dummodo absit omnino lucri studium vel propositum, et necessitas ita agendi perduret, et dummodo lucrum, si quod provenerit, non in alicuius missionarii, sed in Missionis utilitatem cedat, et pro hoc tantum peculiari casu, tribuatur petita facultas, ita tamen ut non evadat in exemplum, quasi negotiari liceat missionariis ob Missionis utilitatem.

854

Contra quemdam abusum in Missae celebratione.

Instr. S. C. de Prop. F. *25 Febr. 1837* — (ad Praef. Miss. Epiri) — Non dee tollerarsi l'abuso di alcuni missionarî i quali, com'Ella narra, celebrano i sacrosanti misteri non solo secondo l'intenzione dei maomettani dai quali ricevono dell'elemosine, ma ancora nel tempo che le donne ottomane dimorano sotto l'altare (1). Che però Ella si darà tutto l'impegno di eliminare tale abuso ed ogni altra profanazione del luogo santo. Non si proibisce per altro con questo che i missionarii ricevano ancora dai turchi delle elemosine, se loro si offrono per qualsiasi oggetto del divin culto; s'intende però sempre che essi non per altro debbono porgere incessanti preghiere al Signore se non per la loro conversione alla vera fede, lo che non deve lasciarsi di fare ancor quando non si riceve alcuna elemosina.

855

Circa facultatem absolvendi a censuris.

S. C. de Prop. F. *13 Mart. 1837* (C. G.) – Se la facoltà di assolvere dalle scomuniche conceduta ai Prefetti delle missioni, s'intendono soltanto pel foro interno.

R. Affirmative, ad normam Instructionis die 14 Ianuarii 1726 data *(V. n. 305)*.

856

De facultate commutandi divinum officium in alias preces.

S. C. de Prop. Fide *13 Martii 1837* (C. G.) – Scodrae – 1. Se il Vescovo in forza delle facoltà pontificie (2) possa commutare l'uffizio divino in altre preci, attesa la somma ignoranza di qualche sacerdote che non lo sa recitare, e difficilmente può apprenderne la maniera.

Circa facultatem celebrandi Missam in domibus privatis.

2. I Padri delle diverse missioni di Albania, arrivando frequentemente in Scutari, celebrano la Messa nelle case nelle quali dimorano, ed in altre a loro piacere senza licenza del Vescovo, adducendo i loro privilegi di potere in qualsivoglia luogo celebrare. Si domanda se possano essere obbligati di presentarsi al Vescovo perchè siano conosciute le loro facoltà, ed il luogo dove intendono celebrare.

R. Ad 1. Negative; consulendum tamen SSmo ut facultatem commutandi largiatur. — SSmus concessit.

Ad 2. Affirmative.

857

Ex paganorum matrimonio rato non consummato impedimentum non exurgit publicae honestatis.

S. Congr. S. Officii *19 Aprilis 1837* — Tunk. Occid. — Matrimonium ratum non consummatum paganorum producitne honestatem publicam, vel censeturne impedimentum dirimens post eorum conversionem? Verbi gr. Titius paganus duxit Maeviam paganam sed non consummavit; post mortem Maeviae Titius fit christianus: potestne ducere Bertham sororem vel consobrinam Maeviae e pagana factam christianam? Idemque estne de sponsalibus paganorum ac de matrimonio rato?

R. Impedimentum non subsistere.

858

An liceat Missam pro acatholicis celebrare.

S. C. S. Officii *19 Apr. 1837*. — Utrum possit aut debeat celebrari Missa, ac percipi eleemosyna pro graeco schismatico, qui enixe oret atque instet ut Missa applicetur pro ipso sive in ecclesia adstante, sive extra ecclesiam manente.

---

(1) Ita scripserat Praefectus referens de ecclesia S. Antonii loci vulgo *Capo Redoni* in Archidioecesi Dyrrachiensi: « In questa chiesa si solennizza il 13 « Giugno, alla quale solennità compariscono gli otto- « mani quasi per metà, dove portano di più che cri- « stiani la limosina all'altare, e danno le Messe da « celebrare alla loro intenzione; anzi le loro donne, « quando si ammalano, vengono alla chiesa in quel « giorno ed in altri giorni feriali, e si mettono sotto « nell'antipendio dell'altare, e si celebra sopra le me- « desime ».

(2) Id est vi concessae facultatis communicabilis: *Recitandi Rosarium vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum Officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant.*

R. Iuxta exposita non licere, nisi constet expresse eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem.

859

Circa colorem et materiam sacrorum paramentorum.

S. R. C. *23 Sept. 1837* — Mutinen. — 1. An paramenta coloris flavi adhiberi possint pro quocumque colore, nigro excepto.

2. Num paramenta confecta ex serico, variis coloribus floribusque intexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et praedominans, usurpari valeant mixtim, saltem pro albo, rubro et viridi.

3. Num planetae, stolae et manipula possint confici ex tela linea, vel gossypio, vulgo *percallo,* coloribus praescriptis tincta, aut depicta.

De concione ante SS. Sacramentum detecto capite.

4. Colligitur ex decretis Sacrae Rituum Congregationis non posse fieri concionem, capite tecto, ante SS. Sacramentum palam expositum non obstante quacumque contraria consuetudine. Hinc quaeritur: An id saltem liceat quando SS. Sacramentum est quidem expositum, sed velo serico obductum.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Pariter negative.

Ad 3. Serventur Rubricae, et usus omnium ecclesiarum, quae huiusmodi casulas non admittunt.

Ad 4. Negative.

860

De Sanctorum Reliquiis in altarium consecratione.

Instructio S. R. C. *6 Octobris 1837* — Altare super quo celebratur Missa, sive fixum sit, sive portatile idest cum petra sacra tantum, consecratum omnino esse debet; ac pro ipso altare portatili sive petra sacra, praecipuus est ritus observandus, unctiones adhibendae, reponendae in sepulchro Reliquiae Sanctorum Martyrum, iuxta verba Apocalypsis: *Vidi sub altare Dei animas interfectorum.* Reliquiae ibi reponuntur ob relationem ac mysticam analogiam inter Dominum Iesum Christum caput Martyrum eiusque membra, iuxta Sancti Augustini verba: *Convenienter autem et quasi quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur; scilicet ut qui propter mortem eius mortui fuerunt, sub Sacramenti eius mysterio requiescant.* Ideo sacerdos post confessionem osculans altare profert ea verba: *Quorum Reliquiae hic sunt.* Ex quibus etiam patet necessitas ut in altari sit sepulcrum Reliquiarum. Reliquiis enim non appositis et deficientibus, superflua ac vana essent ea verba. Praeterea sicut altare quodcumque, vel immobile vel portatile, evadit execratum ob fracturam vel per se enormem ob quantitatem, vel enormem propter locum unctionum, licet levis in se fractura esset; ita execratum evadit ob Reliquiarum amotionem: ex quo etiam liquido ostenditur Reliquiarum necessitas in altarium consecratione. Hinc si a ceteris ritibus observandis in nova altarium consecratione dispensavit aliquando Sedes Apostolica, nunquam a ritu dispensavit repositionis Reliquiarum et a caeremoniis necessario in hoc observandis. Sic Sacra Rituum Congregatio Episcopo Augustano supplicanti pro facultate reconciliandi plurima millia altarium (execratorum ob solam remotionem Reliquiarum, quae propterea iterum consecranda omnino erant) cum sola repositione Reliquiarum, iis tantummodo servatis caeremoniis quae in Pontificali Romano praescribuntur, respondit: « In hoc casu gratiam petitam posse concedi »; quae (gratia) a s. m. Clemente IX concessa fuit.

861

Circa *Viae Crucis* tabulas et cruces.

S. C. Indulg. *13 Nov. 1837.* — Cum ad lucrifaciendas indulgentias quae pro stationum Viae Crucis visitatione conceduntur, minime requiratur tabularum erectio, sed crucium, proinde si ob vetustatis causam ipsae tabulae removeantur, ac in earum loco, etiam absque pontificia facultate, novae tabulae substituantur, indulgentiarum concessio perseverat; imo etsi cruces ipsae, quae solae necessario requiruntur ob eamdem rationem, vetustate scilicet labentes renovari debeant, dummodo earum non sit maior pars, nec nova erectione opus est, nec indulgentiarum beneficium amittitur.

862

De interventu conviviis mahumetanorum, et de catholicorum opera in aedificandis eorumdem templis.

S. C. de Prop. F. *21 Nov. 1837* (C. G.) — Se abbia luogo alcuna provvidenza (nella Bosnia) circa l'intervento dei parrochi ai conviti degli ottomani, ed i forzati lavori dei cattolici nella fabbrica o restauri delle moschee.

R. Quoad primam partem non esse interloquendum. — Quoad secundam non esse inquietandos, dummodo gravis mali metu coacti agant, neque intendant mahumetanorum superstitionibus cooperari.

863

De necessaria Patriarcharum electionis confirmatione, et pallii concessione.

S. C. de Prop. F. *1 Dec. 1837* (C. G.) — Patriarchae (graeco-melchit.) nomine Sacrae Congregationis officiose quidem et enucleate scribatur, ad ipsius memoriam revocando quae a sacris Canonibus et Constitutionibus Apostolicis praescribuntur de necessitate scilicet petendi obtinendique a Rom. Pontifice confirmationem electionis patriarchalis et honorem pallii, quod est plenitudinis officii pastoralis insigne, servata antiqua Sedis Apostolicae et patriarchalium Sedium, totiusque Ecclesiae consuetudine, antequam iisdem Patriarchis fas sit

convocare concilium, conficere Chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos, Episcopos consecrare, aliaque peragere quae non obtenta electionis confirmatione et pallii concessione vetita sunt, nisi specialis Sedis Apostolicae venia praedictis Patriarchis facta fuerit. Haec autem ita Patriarchae Antiocheno nuncianda esse Emi et Rmi Patres decreverunt, ut cautum plane sit, ea super re, de universali ac constanti Ecclesiae disciplina.

864

An liceat sacerdotibus matrimoniis protestantium praeesse.

S. C. S. Off. *20 Dec. 1837.* — Episcopus Bardensis *(Bardstow seu Louisville)* humiliter exponit quod multi protestantes, absque ulla intentione religionem catholicam amplectendi, saepe sollicitant ut vel coram uno e suis sacerdotibus, vel coram Episcopo ipso consensum ad matrimonium contrahendum praestent. Notandum est quod in talibus circumstantiis non tamquam sacerdotes sed sicut magistratus civiles agerent Episcopus et sacerdotes, quod legibus reipublicae licitum est. Nunc quaerit utrum ipsi missionariisque suis liceat talibus praeesse matrimoniis.

R. Si agatur de matrimonio inter duas partes haereticas, licet huiusmodi interventus non ita reprobetur ut numquam licitus esse possit, communiter tamen esse dissuadendum. Si vero altera pars sit catholica, obtenta dispensatione ab impedimento mixtae religionis, et servatis solitis clausulis et conditionibus, licere.

865

De facultate quoad libros prohibitos.

S. C. de Prop. F. *18 Martii 1838.* — Coromandel *(Pondichery).* — In folio facultatum Vicariis App. consuete concessarum legitur n. 21: *Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, praeterquam iis missionariis quibus in Domino,* etc. Illa facultas nimis est restricta. Etenim, iuxta ipsius tenorem, nullo modo fidelibus, neque per se, neque per missionarios, libros infidelium de eorum religione tractantes apud se retinendi et legendi licentia concedi potest. Attamen in multis casibus, et pro plurimis christianis edoctis et bona mente praeditis, tales libros apud se saltem per aliquod tempus detinendi, et eos legendi, ad effectum eos impugnandi in voce, facultatem concedere necessarium foret. Sint in exemplum catechistae qui debent, occasione data, idololatriam ipsiusque absurditates impugnare. Sint etiam in exemplum magnates inter christianos, cum quibus gentiles saepe saepius de religione sive gentili, sive christiana, disputant aut tractant. Idololatriae notitiam si illi non habeant, gentilibus respondere, vel eos impugnare nequibunt. Unde enixe rogat Vic. Ap., ad effectum memoratum consequendum, et secluso perversionis periculo, catechistis et fidelibus, de quibus sermo est, dictos libros apud se detinendi et legendi licentiam, sive immediate, sive mediate, idest per missionarios, dare possit et valeat.

R. SSmus annuit pro gratia, iuxta exposita a Vic. Apostolico.

866

De iure proprio Episcoporum quoad Ordinationem.

S. C. de Prop. F. *14 Maii 1838.* (C. G.) — Ius ordinandi clericos ad ordinariam Episcopi iurisdictionem pertinere, cuius proinde exercitium impedire Patriarcha non potest, inconsulto Episcoporum synodo, nec audito antea eodem Ordinario, et sine Sedis Apostolicae oraculo.

867

De precibus in pio *Viae Crucis* exercitio.

S. C. Indulg. *2 Iunii 1838.* — Biturigen. — Multi doctores contendunt, ad lucrandas sacrae Viae Crucis indulgentias omnino necessarium esse recitare sexies Orationem Dominicam et Angelicam Salutationem post absolutas omnes stationes; cum autem haec conditio a paucis fidelibus adimpleatur, Superior Iesuitarum quaerit:

An sine praedicta Orationis Dominicae et Angelicae Salutationis recitatione Indulgentiae Stationum Viae Crucis lucrari queant, necne.

R. Recitatio Orationis Dominicae et Angelicae Salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis statione, quam sexies easdem preces iterare post absolutas omnes stationes est tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria conditio ad lucrifaciendas Viae Crucis indulgentias, uti clare aperteque declaravit S. C. Indulgentiis praeposita in admonitionibus servandis pro Viae Crucis exercitio peragendo, iussu et approbatione editis tum Clementis XII sub die 3 Aprilis 1731, tum Benedicti XIV sub die 10 Maii 1742.

868

De sacramentali absolutione quoad *liberos muratores.*

S. C. S. Officii *27 Iunii 1838.* — Poenae ecclesiastiae a plurimis Romanis Pontificibus in eos statutae sunt, qui societati, quam « Liberorum Muratorum » dicunt, nomen dedissent, atque iuramentum de arcano servando in eorum conventiculis emisissent. Dubium exoritur, utrum ii quos licet emissi iuramenti poeniteat, communicando tamen cum caeteris eidem sectae adhaerentibus, vel eorum conventicula adeundo, vel *alio quolibet modo* veros eiusmodi societatis cultores se palam exhibere perseverent, ad Poenitentiae aut Eucharistiae Sacramenti participationem legitime per confessarium possint admitti. Sacerdotes inveniuntur nonnulli qui huiusmodi homines reapse ad-

mittunt. Ut igitur certa confessariis norma praebeatur, quaeritur, utrum *in quacumque orbis regione* hominibus *liberorum muratorum* societati aggregatis, qui iuramenti de secreto servando vinculis invicem consociati, in unum corpus coalescunt, iuramenti exigendi more apud eamdem sectam adhuc vigente, *sacramentalem absolutionem* licite aut valide confessarius impertiatur, priusquam ipsi *absolute et positive* praedictam damnatam societatem *in perpetuum* relinquant. Quaeritur quomodo se gerere debeat confessarius. Huic petitioni Sacra C. S. Officii sub die 5 Iulii 1837 respondit: « *Iuxta exposita non licere* ».

Cum autem ortum sit dubium, utrum verba illa *non licere* includant, in casu exposito, etiam *invaliditatem absolutionis,* exoratur S. C. ut dignetur id declarare.

R. Affirmative iuxta Constitutiones Apostolicas.

869

De facultate altaria sine Reliquiis consecrandi.

Decr. S. C. de Prop. F. *8 Iulii 1838* — Cum SSmo D. N. Gregorio Divina Providentia PP. XVI per R. P. D. Ignatium Archiepiscopum Edessenum S. Congregationis de Propaganda Fide a Secretis innotuerit, quasdam regiones Imperii Sinensis, et finitimorum Regnorum, RR. PP. DD. Episcopis ac Apostolicis Vicariis commissas, partim timere, partim vexari, partim in dies magis saeviente persecutione urgeri ethnicorum perfidia; ne pericula Ecclesiae ministris augeantur, ne res sacrae profanis polluendae prostent, neve difficultas ecclesiastico ritu celebrandi frequentiam auxiliorum minuat; Sanctitas Sua benigne concessit facultatem *consecrandi,* nempe, *Altaria sine reliquiis sanctorum, etiamsi authenticae in promptu haberi possent; ac super iisdem Altaribus ita consecratis Sacrosanctum Missae Sacrificium celebrandi tam ab ipsis Episcopis ac Apostolicis Vicariis quam ab omnibus evangelicis Operariis: Item celebrandi noctu tribus horis antequam dies elucescat.* Quod beneficium amplissimum successores etiam eorum, quibus elargitum est, respicit; Usus vero eius eo tantum tempore definitur, quo ipsa persecutio, vel eius rationabilis metus perdurat. Contrariis *etc.*

870

De celebratione Missae submissa voce.

S. C. de Prop. F. *19 Iulii 1838* (C. P. pro Sin.). — An tolerandi sint sacerdotes qui submissa voce totam legunt Missam ne forte audiantur vel ab extraneis qui in eadem domo versantur, vel a vicinis paganis, vel etiam a furibus qui in multis locis per totam noctem circumeunt domos, quaerentes quid furentur.

R. Affirmative.

871

De supplendis baptismi caeremoniis ante baptizati Confessionem.

S. C. de Prop. F. *19 Iulii 1838.* (C. P. pro Sin.) — Se abbia a commendarsi che si premetta alla Confessione, la quale è di assoluta necessità, il supplire alle cerimonie non essenziali omesse nell' amministrazione del s. Battesimo.

R. Magis convenit ut omissae in baptismo caeremoniae prius suppleantur, quam baptizatus si indigeat, sacramentaliter confiteatur.

872

Paganorum scholas christiani adolescentes ne frequentent.

S. C. de Prop. F. *19 Iulii 1838* (C. P. pro Sin.) — Omnino prohibeantur christiani adolescentes paganorum scholas frequentare, attento periculo perversionis et idololatriae.

873

De collatione ss. Ordinum diebus festis abrogatis.

S. C. de Prop. F. *19 Iulii 1838.* (C. P. pro Sin.) — An liceat uti facultate sacros Ordines extra tempora conferendi in illis diebus festivis in quibus ex indulgentia S. Sedis neophyti nec audire Missam, nec ab operibus servilibus abstinere amplius tenentur.

R. Affirmative.

874

Quoad repellendos poenitentes et quoad poenitentias pecuniarias.

S. C. de Prop. F. *19 Iulii 1838* (C. P. pro Sin.) — Se debba darsi (al Vic. Ap. di Chan-sì) altra istruzione intorno all'amministrazione del Sagramento della Penitenza.

R. Detur iterum instructio anni 1803 (1). Quo vero ad poenitentias pecuniarias eae omnino prohibeantur tam in actu quam extra occasionem Confessionis, ac insuper addatur

---

(1) En Instructio an. 1803 (16 Ian.) « Questa S. C. non ha creduto potersi intieramente approvare il sistema ch' Ella dice avere adottato coi penitenti che non si emendano, sia per rapporto alla maniera che tiene nell' imporre ad essi le multe pecuniarie, sia nel non ammetterli alla Confessione. Il non ammettere alla Confessione i penitenti che non si emendano, è un togliere loro uno dei mezzi più forti per l'emendazione, giacchè nel presentarsi al confessore ricevono sempre delle esortazioni e stimoli a mutar vita; sembra dunque più utile che anzi loro prescrivano i confessori di tornare spesso, sebbene debbano negar loro l' assoluzione. L' imporre poi multe pecuniarie ai penitenti potrebbe allontanare molti dal sacramento per non volersi privare del loro denaro, e potrebbe rendere odioso il sacramento medesimo con la supposizione che si amministri ad oggetto di ritrarne profitto. Perciò tali multe non debbono imporsi se non con grandissima cautela e circospezione, nè debbono giammai esigersi dal confessore; ma se in qualche caso verranno imposte, si avranno a far consegnare in mano altrui nella maniera più conveniente.

S. Congregationem vehementer dolere utrumque abusum adhuc vigere, atque mandare ut omnes missionarii in administrando Sacramento Poenitentiae se gerant iuxta praescripta in Synodo Sutchuensi (an. 1803) ac praesertim num. 5, cap. VI (1).

875

Benedictio Ap. in artic. mortis quoties impertiri queat.

S. C. Indulg. *24 Sept. 1838.* – VERONEN. – An Benedictio Apostolica pluries impertiri possit, novo mortis periculo redeunte?

R. Negative, permanente infirmitate, etsi diuturna; affirmative vero, si infirmus convaluerit ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat.

876

An denuo benedicendae cruces *Viae Crucis* ad tempus remotae.

S. C. Indulg. *28 Sept. 1838.* — ATUREN. — An de novo benedicendae sint cruces et imagines Viae Crucis ad tempus a parietibus disiunctae propter rationabilem causam.

R. In casu de quo agitur, cruces non sunt iterum benedicendae; quoad imagines vero numquam benedicuntur.

877

De annua Missionum relatione.

Litt. Encycl. S. C. de Prop. F. *31 Oct. 1838.* — Ut haec S. Congregatio de Prop. Fide statum exterarum Missionum apprime cognoscat, obvenientibusque necessitatibus mature ac prudenter occurrere vel providere possit, omnium quae ubique terrarum geruntur, distincte et enucleate est certior facienda. Hinc peropportune Sacra haec Congregatio huic damno proviserat litteris datis sub die 17 Iunii anni 1747; utque res catholica, quae apud hostes christiani nominis passim labefactari solet, bene feliciterque verteret, iterum eamdem rem decernendam et decreto firmandam curavit dato die 2 Aprilis anni 1759; quo cautum est, ut quolibet exeunte anno omnes Archiepiscopi; Episcopi, Vicarii Apostolici, Praefecti, caeterique Missionum Praepositi relationem ad hanc nostram Congregationem transmitterent. Utque res melius expeditiusque perficeretur duos proposuit libellos, quibus datis certis interrogationibus, unusquisque, qui de officio tenebatur adamussim responderet.

Ast profecto maximo animi angimur dolore videntes hoc nostrum praeceptum a nonnullis pessumdari, istasque leges sapientissime constitutas inutiles atque infectas evadere: itaque auctoritate, qua pollemus, cuique notum volumus adhuc plenissime vigere praefatum decretum diei 2 Aprilis 1759, quod adhuc in suo pleno robore permanere decernimus. Stat ergo unicuique onus in fine cuiusque anni certiorandi hanc S. Congregationem de omnibus quae ad sacras spectant Missiones, et respondendi clare, nitide ac distincte omnibus quaesitis in praefatis libellis enunciatis. Ergo hoc in vestris animis fixum haereat penitusque insideat, hanc obligationem tenere omnes, licet quacumque exemptione aut privilegio insignes.

Nostrum esset ad id vos cogere censuris ac poenis ecclesiasticis; sed mitius agentes confidimus satis superque rei provisum si nostra praecepta in vestram mentem, cogitationemque revocaverimus. Vestram itaque conscientiam oneramus; si secus feceritis, quod Deus avertat, vos reos coram Deo esse volumus muneris neglecti.

Mandamus ut praefatae litterae vim legis habeant tum pro his qui nunc sunt, tum pro futuris missionum Praefectis et Moderatoribus, donec expresse et apertis verbis iis non fuerit derogatum.

A nemine nisi a Deo mercedem nostrorum laborum expectantes, nihil aliud restat, nisi ut vos oremus obtestemurque ut vineam Domini sollicitis curis et laboribus colatis et administratione sacramentorum assidua, et verbi praedicatione opportuna, et, quod caput est, bonorum operum exemplo. Vos forma facti gregis ad hanc normam vestras omnes operationes componite, expectantes beatam spem quam daturus est nobis qui non mentitur Deus.

878

De transitu orientalium ex uno ad alterum ritum.

Decr. S. C. de Prop. F. *20 Nov. 1838.* — Cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide recto Ecclesiae regimini in Orientis partibus

(1) Haec ibi: « Neminem quantumvis flagitiosum, « ac scandalosum, et incorrigibilem, qui aliquo licet « exiguo poenitentiae stimulo excitatus, ad tribunal « accedit pro confessione suarum culparum, unquam « praesumant repellere, nisi nominatim et publice « sit excommunicatus, aut sit iis criminibus im- « plicatus quibus a iure adiuncta est excommunicationis « poena, et crimen, propter quod in excommunicatio- « nem incidit, ita notorium, ac manifestum sit, ut « nulla possit tergiversatione celari, aut quovis suffragio « excusari (quod de his neophytis plerumque rudibus, « et imperitis facile diiudicari nequit). Et quidem in « hoc postremo casu, si huiusmodi criminosus paratus « sit scandalum reparare, et Ecclesiae satisfacere, cito « admittatur: *Absolutionem enim sacramentalem,* inquit « Sacra Congregatio de Propaganda Fide in instructio- « ne ad hanc rem specialiter pro hac Missione data « an. 1784, *immerentibus denegare in potestate sacer-* « *dotis est; at criminum confessionem non audire, fla-* « *gitium esset non ferendum.* Quoad vero apostatas a « fide, ad poenitentiam redeuntes, teneantur tantum se- « mel apostasiam abiurare coram fidelibus, et abstinere « coram infidelibus ab actibus infidelitatis: abiuratione « autem peracta, admittantur ut caeteri peccatores ad « confessionem sacramentalem, et, si rite fuerint dispo- « siti, absolvantur a peccatis, iniunctis poenitentiis sa- « lutaribus arbitrio confessarii ».

valde profuturum cognoverit, si regula quaedam traderetur circa transitum ab aliquo ex ritibus orientalibus ad alterum: in generali Conventu habito die 10 Septembris anni 1838, referente Emo ac Rmo D. Iosepho S. R. E. Cardinali Mezzofante, quae sequuntur decernenda censuit. Ex orientalibus nonnulli, uti sunt armeni et maronitae, cum Ecclesia latina pro Eucharistia utuntur azymo; alii vero fermentato, melchitae nimirum, chaldaei, syri, et cophti: nemo proinde a ritu in quo fit usus azymi transire valeat ad ritum in quo conficitur in fermentato, absque beneplacito Sedis Apostolicae, idemque erit servandum circa transitum ex ritu in quo adhibetur fermentatum ad ritum in quo praecipitur usus azymi. Cum autem inter duos ritus permutandos non adest praefata materiae in Eucharistia disparitas, sufficiat consensus duorum Episcoporum a quo, et ad quem fit transitus. Haec pro illis sunt constituta qui iamdiu catholicam fidem profitentur; quod vero ad haereticos et schismaticos pertinet, qui ad Ecclesiae sinum redeunt, permittendum censuit S. C. ut orientalem ritum qui magis iis placuerit amplectantur.

Hanc autem S. Congregationis sententiam SSmo D. N. Gregorio div. prov. PP. XVI relatam... SSmus benigne approbavit atque in omnibus servari praecepit (1).

879

Circa iurisdictionem Delegati Ap. apud orientales.

S. C. de Prop. Fide *11 Dec. 1838* (C. G.) — 1. Utrum Delegatus Apostolicus possit ex rationabili causa administrare, vel aliquo sacro fungi officio in ecclesiis orientalium, invisere intra clausuram monialium conventus, earumdem excipere confessiones, ac quemlibet fidelem absolvere a peccatis reservatis ab ordinariis orientalibus, quin necessario requiratur consensus Ordinariorum orientalium.

2. Utrum saltem provisorie Delegatus Apostolicus possit orientalem fidelem, aut sacerdotem, vel Episcopum delinquentem ligare censuris, ligatos absolvere.

3. Utrum Delegatus Apostolicus possit nomine S. Sedis iudicare, ac statuere super quaestionibus de mutatione rituum v. g. alicui permittendo transire a proprio ad alium ritum.

Circa iurisdictionem Ordinariorum orientalium in missionarios latinos.

4. Il est usage que les Préfets désignent ceux de leurs religieux qui doivent être chargés des paroisses: cette seule désignation ou nomination faite par les Préfets communique-t-elle aux sujets nommés la juridiction curiale, ou doivent-ils la recevoir de l'Ordinaire du diocèse?

5. L'Ordinaire du diocèse outrepasserait-il les limites posés, si pour des raisons à lui connues, et qu'il croirait suffisantes, il interdisait un religieux missionnaire, ou restreignait ses pouvoirs dans ce qui concerne l'administration des sacrements?

6. Utrum Patriarchae, et Ordinarii orientales possint interdicere missionariis latinis, ne sacramenta administrent, et facultates suas exerceant in ecclesiis sibi subditis.

7. Utrum missionarii possint sacramenta administrare, et easdem facultates exercere erga orientales in ecclesiis latinis absque consensu Ordinariorum orientalium.

8. Utrum Patriarchae, et Ordinarii orientales possint interdicere suis subditis ne sacramenta recipiant a missionariis latinis.

9. Utrum absque speciali consensu Ordinariorum orientalium missionarii latini possint excipere confessiones monialium.

10. Utrum missionarii latini possint absolvere orientales a casibus quos sibi reservavere orientales Ordinarii, absque speciali consensu eorumdem Ordinariorum orientalium.

11. Utrum missionarii latini possint absolvere orientales a censuris latis ab Ordinariis orientalibus.

12. Possuntne Episcopi orientales respectivis sui ritus hominibus pro suo lubitu prohibere, ne confiteantur peccata sua missionariis latinis, aut Missam audiant, aut sacram Communionem percipiant in ecclesiis latinis, etiam praeter tempus paschale, et in die festo v. g. patronali?

13. Si non obstante illa episcopali prohibitione accedat unus, aut alter ex praedictis hominibus ad missionarium confitendi gratia, peccatne confitens, peccatne missionarius qui illius accipit confessionem, aut illi in missionis suae ecclesia sacram administrat Communionem?

Quoad auditionem Missae in alieno ritu.

14. Utrum necesse sit ad satisfaciendum Ecclesiae praecepto de audienda Missa diebus Dominicis, ac festis, ut unusquisque Missam audiat in proprio ritu; an sufficiat audire Missam.

De administratione sacramentorum orientalibus ritu latino.

15. Utrum missionari latini possint administrare orientalibus sacramenta Baptismi, Extremae Unctionis, et Matrimonii ritu latino in

(1) In Litt. S. C. de Prop. Fide 7 Aprilis 1859 haec habentur: « Il decreto emanato ai 20 Nov. 1838 riguardo al passaggio degli orientali da un rito all'altro, ed alla facoltà, che si concede agli eretici ad agli scismatici, di scegliere quel rito orientale che più loro aggradi nel ritorno dei medesimi al seno della cattolica Chiesa, non comprende gli apostati, quelli cioè che, essendo cattolici, abbandonarono la vera Chiesa passando all'eresia ed allo scisma, e poi si convertono ». In aliis vero Litteris (15 Iulii 1876) declaratur quod sequitur: « Decretum illud sancitum die 20 Novembris 1838 agit de transitu ab aliquo ex ritibus orientalibus ad alterum, et nihil omnino statuit de ritu latino, neque de iis qui hunc ritum habent, vel habere desiderant; et quod ibi statuitur de haereticis et schismaticis ad Ecclesiae sinum revertentibus, de iis intelligendum est qui ad orientales ritus pertinent ».

ecclesiis orientalibus casu v. g. quo missionarius latinus parochi fungeretur officio in iis ecclesiis.

16. Utrum missionarii iisdem orientalibus eadem sacramenta possint administrare ritu latino in ecclesiis latinis.

De administratione sacramentorum ritu orientali a missionariis latinis.

17. Utrum missionarii possint orientalibus administrare sacramenta praedicta ritu orientali servando illius ritum, cui administratur sacramentum v. g. graecum cum graeco, in casu quo missionarii latini parochi fungerentur officio in ecclesia orientalium.

18. Utrum missionarii possint in aliquo casu administrare latinis sacramenta ritu orientali v. g. ad benedicendum matrimonium, cuius altera pars latina, altera vero orientalis.

De ritus promiscuitate in sacris functionibus et in administranda Eucharistia.

19. Utrum missionarii latini fungentes sacra functione in ecclesia orientali, possint ritui orientali aliquid immiscere ritus latini v. g. ad benedictionem SS. Sacramenti post cantum orientalem recitare orationes lingua latina, et sic de ceteris.

20. Utrum post Evangelium Missae ritu latino celebratae recitari possit, idest legi ad populum Evangelium lingua arabica, quod absque ullo damno saepe factum est.

21. Utrum de consensu Ordinariorum orientalium, aut delegati apostolici quis utens fermentato sacram Communionem excipere possit in azymo, et viceversa.

22. Utrum missionarii latini in propria, seu latina Ecclesia possint cuilibet, vel utenti aliunde fermentato, administrare Eucharistiam in azymo.

23. Se un cattolico, che secondo il suo rito deve comunicare in azimo, si trovasse solo in mezzo di altri cattolici, che comunicano in fermentato, o viceversa, può comunicare in fermentato, o viceversa, per adempire il precetto pasquale, o in articolo di morte?

R. 1. Quoad primam partem: affirmative, si agatur de sacris functionibus usum pontificalium, ac spiritualem iurisdictionem non requirentibus; in reliquis, negative. Quoad secundam parlem moniales respicientem: affirmative, si gravissimus casus urgeat, et raro.

Ad 2. Negative in omnibus ad primam partem. Ad secundam supplicandum SSmo pro facultate absolvendi in foro conscientiae tantum a censuris episcopalibus, dummodo connexae non sint cum casu reservato.

Ad 3. Negative, et ad mentem: Mens est, ut Delegato Apostolico communicentur facultates eius Antecessori concessae anno 1835.

Ad 4. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 5. Negative, dummodo gravis, et urgens adsit causa, statim S. Congregationi significanda.

Ad 6. Detur decretum 26 Aprilis 1647 *(V. n. 116)*.

Ad 7. Negative quoad parochialia iuxta decretum 26 Aprilis 1647, in reliquis affirmative, nisi obstet diversitas ritus in sacramentorum administratione, et servetur Decretum diei 31 Ianuarii 1702 (1).

Ad 8. Provisum in praecedenti, et servetur instructio an. 1705 (2).

Ad 9. Negative, et servetur Const. Gregorii XV. *Inscrutabili* (3).

Ad 10. Negative.

Ad 11. Negative.

Ad 12. Negative in omnibus, etiam quoad sacram Communionem, ubi ritus diversitas non repugnet.

Ad 13. Negative ad primam partem, si agatur de prohibitione generali; secus de praecepto particulari cuipiam facto ob peculiares causas S. Congregationi communicandas; et negative etiam ad secundam, nisi obstet diversitas ritus.

Ad 14. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 15. Affirmative.

Ad 16. Affirmative.

Ad 17. et 18. Negative.

---

(1) Haec ibi: S. Congregatio (de Prop. F.) mandavit praecipi, prout praesenti decreto praecipitur, « omnibus et singulis missionum apostolicarum praefectis et missionariis, ne ullus eorum in posterum « quavis occasione aut praetextu audeat dispensare cum « catholicis quarumcumque missionum orientalium super ieiuniis, orationibus, caeremoniis, et similibus, « a proprio earumdem nationum ritu praescriptis, et a « S. Sede Ap. approbatis. Praeterea S. C. censuit non « licuisse, nec licere praefatis catholicis ullatenus a « prioris ritus a S. R. E., uti supra, probati consuetu« dine et observantia recedere ».

(2) In citata instructione seu concordia inter maronitas et missionarios latinos Syriae (4 Maii 1705) edicitur: « Che i missionari europei esortino efficacemente più e più volte in congiunture opportune li « maroniti di Levante a frequentare le loro chiese nazionali, e di udirvi la Messa, ed assistervi alli divini « offici ne' giorni di festa di precetto, ed in caso che « alcune volte li maroniti andassero in detti giorni a « sentire la Messa alle chiese dei missionari, dovranno « questi tanto in tale occasione, che in qualunque altra « ricordar loro l' obbligo, che, anche secondo il loro « uso antico, hanno di pagare alli parrochi maroniti « le decime, oppure quell'elemosina che, secondo la « loro possibilità sarà loro permesso. Dovranno li me« desimi missionari ricordare alli maroniti questo loro « loro obbligo, particolarmente nelle quattro quaresime « che si fanno secondo l' uso della nazione. Si stima « molto opportuno che qualche missionario nelli detti « giorni festivi, o in alcuni di essi si portasse alla « chiesa nazionale dei maroniti a predicare la parola di « Dio ».

(3) In laudata Const. (5 Febr. 1522) haec habentur: « Confessores vero sive regulares sive saeculares, « quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant ».

Ad 19. Negative quoad sacram Liturgiam; in reliquis servetur consuetudo.

Ad 20. Missionarios non esse inquietandos.

Ad 21. Negative ad utramque partem, et servetur omnino instructio pastoralis Benedicti XIV, quae incipit *Eo quamvis*, §. *Neque etiam*, in qua permittitur orientalibus communio ritu latino tantum in subsidium, nempe cum difficulter communicare possint in proprio ritu.

Ad 22. Detur instructio anni 1757 *(V. n. 409)* necnon Decretum Supremae Inquisitionis 4 Sept. 1721 *(V. n. 296)*.

Ad 23. Affirmative in omnibus quoad utentes fermentato: quoad vero communicantes in azymo, concedantur facultates prout in decreto S. O. 12 Decembris 1821 (1).

880

De translatione Stationum *Viae Crucis*.

S. C. Indulg. *30 Ianuar. 1839.* — 1. Si stationes *Viae Crucis* per cruces erectae a loco removeantur, ubi canonice erectae fuerint, et in alium transferantur, indulgentiae nec primo loco affixae remanent, nec cruces sequuntur, sed nova canonica erectio requiritur.

Quando ob crucium mutationem aut remotionem nova *Viae Crucis* erectio necessaria.

2. Si cruces primitus benedictae omnino pereunt, iterum canonica erectio necessaria est; si pereant ex minori parte, licet alias illis substituere absque ulla benedictione: si penitus tolluntur aliqua peculiari ratione, et ad tempus tantum ut denuo eidem loco restituantur, nec erectione nec benedictione opus est ad indulgentias lucrifaciendas.

881

Circa facultatem rosaria benedicendi.

S. C. Indulg. *30 Ian. 1839.* – Lingonen. – Utrum sacerdos rector Sodalitatis B. M. V. de Rosario olim canonice erectae, sive per Patres Ordinis Praedicatorum, sive per indultum speciale apostolicum, habeat, eo ipso quod sit rector dictae Sodalitatis, facultatem benedicendi rosaria, et quidem pro omnibus christifidelibus, cum applicatione Indulgentiarum quas applicant dicti Patres Ordinis Praedicatorum.

R. Negative nisi in diplomate erectionis, sive in indulto Apostolico, addita sit facultas rectori pro tempore rosaria benedicendi atque illis consuetas Indulgentias applicandi.

882

Circa sollicitantes defunctos denunciandos.

S. C. S. Off. *6 Martii 1839.* — Se debba farsi la denunzia (di sollecitazione) ancorchè il sollecitante sia defunto.

R. Negative, dummodo sollicitatio cum certa ac formali haeresi non coniungatur.

883

Circa indulgentias *S. Birgittae* coronis applicandas.

S. C. Indulg. *22 Martii 1839* – Vivarien. – Iuxta Rescriptum S. C. Indulg. datum die 15 Ianuarii 1839, simplici coronae precatoriae, quinque scilicet vel quindecim decadibus constanti adnecti nequeunt Indulgentiae *S. Birgittae* nuncupatae, nisi hoc Apostolica dispensatione indulgeatur. *Quaeritur:*

1. Utrum haec dispensatio, quae ut supra requiritur, in sequenti concessione contineatur, videlicet: *SSmus oratori est elargitus facultatem benedicendi cruces, crucifixos, sacra numismata et coronas precatorias, eisdemque applicandi omnes et singulas Indulgentias a Sanctitate Sua concessas, ut in elencho typographiae Rev. Cam. Apost. edito anno 1831, etiam Indulgentias S. Birgittae nuncupatas?*

2. Utrum Indulgentiae applicari possint coronis precatoriis *ex chalibe polito (acciaio polimentato)* factis.

R. Ad 1 et 2. Affirmative.

884

De matrimonio infidelium impuberum et consanguineorum, qui postea baptizati sunt.

S. C. S. Off. *17 Apr. 1839.* – Pondicher. – Lucius religione paganus, duodecim circiter annos natus, secundum morem regionis, et iuxta caeremonias quae apud gentiles matrimonium verum denotant, suae sororis filiam Bertham religione gentilem, et quinque vel sex annos natam, uxorem duxit. Ab illo tempore Bertha *taly*, quod est signum matrimonii, collo appensum deferebat, et apud matrem suam manebat. Bertha autem cum decem annos nata esset, et cum Lucio matrimonio se coniunctam sciret, atque, postquam nubilis facta fuerit, cum illo maritaliter cohabitandi voluntatem haberet, una cum marito suo Lucio Baptismum recipit. Quaeritur utrum dicti sponsi debeant, aetate a s. Ecclesia statuta consecuta, consensum renovare, et indigeant dispensatione secundi gradus mixti cum primo, vel utrum per Baptismum dictum matrimonium ad dignitatem Sacramenti fuerit elevatum.

R. Renovandum esse consensum ad cautelam; ad quem effectum pariter ad cautelam impetrandam esse a SSmo dispensationem.

885

De baptismis aqua corrupta collatis.

S. C. S. Off. *17 Apr. 1839.* – Pondichery – Cum in his calidis regionibus aqua baptismatis facile corrumpatur, quaeritur: 1. Utrum valide baptizetur cum aqua quae, etsi suam liquiditatem omnino servet, magnum tamen et

(1) En citatum decretum: « SSmus benigne concessit « Patriarchae Ciliciae facultatem dispensandi armenos « catholicos Diarbekirii commorantes, ut, deficientibus « omnino sacerdotibus armeno-catholicis in azymo « communicantibus pro adimplendo paschali praecepto, « et pro Viatico sumendo, recipere possint S. Synaxim « in fermentato a sacerdotibus catholico-chaldaeis ».

valde iniucundum foetorem exhalat. — 2. Utrum posita validitate baptismi cum tali aqua, et altera bona, sacro Chrismate foecundata, non habeatur, melius sit uti ista aqua putida, quam aqua pura et naturali, Chrismate non foecundata.

R. Baptismos collatos cum aqua corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis; et in casu necessitatis praeferendam aquam naturalem; sed providendum renovatione aquae Fontis Baptismatis iuxta Rituale Romanum.

886

De parochorum monachorum remotione.

S. C. de Prop. Fide *13 Maii 1839* (C. G.) — Qual regola debba fissarsi sulla remozione de' parrochi monaci (greci-melchiti).

R. Circa Regulares ex parochiis removendos normam tradi perspicuam a Benedicto XIV in Constitutione *Firmandis* (*V. n. 348*).

887

Circa Indulgentiarum promulgationem.

S. C. Indulg. *1 Iulii 1839.* — Calcedonien. — Quando Summus Pontifex Indulgentiam quamlibet concedit Urbi et Orbi, ut fideles talem Indulgentiam in variis dioecesibus lucrari possint, requirituine ut haec Indulgentia ab Ordinariis locorum promulgetur; an sufficit e contra ut certi sint praedictam Indulgentiam a Summo Pontifice fuisse concessam?

R. Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.

888

De benedictione cerei paschalis sine cantu.

S. C. de Prop. F. *26 Iulii 1839* (C. P. pro Sin.) – Cocincin. – An in Sabbato Sancto debeamus abstinere a benedictione aquae et Fontis Baptismatis? Ratio dubitandi: ex una parte adest decretum prohibens benedictionem cerei paschalis, quando sine cantu fit Officium, et ex alia parte Rubrica requirit cereum paschalem ad benedictionem aquae in Sabbato Sancto, et in Vigilia Pentecostes, et aliunde nec nobis possibile est nec prudens in tempore isto Officium cantare.

R. Transmittendum Rituale S. Congregationis typis editum anno 1832, cui titulus: *Memoriale Rituum pro aliquibus praestantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus ecclesiis parochialibus* (1).

889

De Missa in celebratione nuptiarum temporibus vetitis.

S. Rit. C. *31 Augusti 1839.* — Montis Pessulan. — 1. Quando nuptiae celebrantur tempore Adventus vel Quadragesimae, debetne fieri commemoratio Missae pro sponso et sponsa per Collectam, Secretam et Postcommunionem?

2. Licetne recitare supra sponsos preces seu orationes in Missali positas post orationem Dominicam, et *Ita Missa est?*

3. Quando praedictae orationes non sunt recitatae in Missa nuptiarum, debentne recitari extra Missam elapso tempore prohibito?

R. Serventur Rubricae Missalis ac generalia memorata decreta, quibus edicitur ut, quoniam temporibus ab Ecclesia vetitis locum habere nequit solemnis benedictio nuptiarum, ita pariter inhibetur commemoratio pro sponso et sponsa in Missa occurrente, neque orationes resumendae extra Missam, tempore prohibito iam elapso.

890

Circa Missam *pro sponso et sponsa.*

S. Rit. C. *31 Augusti 1839.* – Eysteten. – Dum in suo generali decreto pridie kalendas Martii anno 1818, S. R. C. edixit ut Missae votivae privatae pro sponso et sponsa legantur sine *Gloria* et *Credo,* cum tribus orationibus, *Benedicamus Domino* et Evangelio S. Ioannis in fine, Rmus Eysteten. Episcopus Sacrae eidem Cong. exposuit in Bavaria, et praesertim in paroeciis pagorum, huiusmodi Missas plerumque celebrari cum cantu, quamvis unicus sit sacerdos; quas quidem Missas cum cantu in praesentiarum prohibere difficile admodum arbitratur. Quibus positis, sequens exhibuit dubium, nimirum: — An Missae pro sponso et sponsa, quando celebratur cum cantu, addi queat hymnus Angelicus cum symbolo Nicaeno —.

R. Negative ad dubium; in paroeciis vero ubi unus tantum est sacerdos, Dominicis festisque diebus, Missae occurrenti addatur commemoratio pro sponso et sponsa in casu.

891

Adversus nigritarum commercium.

Const. Gregorii PP. XVI *3 Dec. 1839.* In supremo Apostolatus fastigio constituti, et nullis licet suffragantibus meritis gerentes vicem Iesu Christi Dei Filii, qui propter nimiam charitatem suam homo factus, mori etiam pro mundi redemptione dignatus est, ad nostram pastoralem sollicitudinem pertinere animadvertimus, ut fideles ab inhumano nigritarum seu aliorum quorumcumque hominum mercatu avertere penitus studeamus. Sane cum primum diffundi coepit Evangelii lux, senserunt alleviari primum apud christianos conditionem suam miseri illi, qui tanto tunc numero, bellorum

(1) Huiusmodi *Memoriale* etc. (editum iussu Benedicti XIII) reperitur in Appendice Ritualis Rom. typis S. C. de Prop. Fide editi.

praesertim occasione, in servitutem durissimam deveniebant. Inspirati enim a Divino Spiritu Apostoli, servos quidem ipsos docebant obedire dominis carnalibus sicut Christo, et facere voluntatem Dei ex animo; dominis vero praecipiebant ut bene erga servos agerent, ut quod iustum est et aequum eis praestarent ac remitterent minas, scientes quia illorum et ipsorum Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum (1). Universim vero cum sincera erga omnes charitas Evangelii lege summopere commendaretur, et Christus Dominus declarasset habiturum se tamquam factum aut denegatum sibi ipsi quidquid benignitatis et misericordiae minimis et indigentibus praestitum aut negatum fuisset (2), facile inde contigit nedum ut christiani servos suos praesertim christianos veluti fratrum loco haberent (3), sed etiam ut proniores essent ad illos qui mererentur libertate donandos; quod quidem occasione imprimis paschalium solemnium fieri consuevisse indicat Gregorius Nyssenus (4). Nec defuerunt qui ardentiore charitate excitati *se ipsos in vincula coniecerunt, ut alios redimerent,* quorum multos se novisse testatur apostolicus vir idemque sanctissimae recordationis praedecessor noster Clemens I (5). Igitur progressu temporis ethnicarum superstitionum caligine plenius dissipata, et rudiorum quoque populorum moribus fidei per charitatem operantis beneficio mitigatis, res eo tandem devenit ut iam a pluribus saeculis nulli apud plurimas christianorum gentes servi habeantur. Verum, dolentes admodum dicimus, fuerunt subinde ex ipso fidelium numero qui sordidioris lucri cupidine turpiter obcaecati, in dissitis remotisque terris indos, nigritas, miserosve alios in servitutem redigere, seu instituto ampliatoque commercio eorum qui captivi facti ab aliis fuerant, indignum horum facinus iuvare non dubitarent. Haud sane praetermiserunt plures glor. mem. Romani Pontifices praecessores nostri reprehendere graviter pro suo munere illorum rationem utpote spirituali ipsorum saluti noxiam, et christiano nomini probrosam; ex qua etiam illud consequi pervidebant ut infidelium gentes ad veram nostram religionem odio habendam magis magisque obfirmarentur. Quo spectant Apostolicae litterae Pauli III, die 29 Maii MDXXXVII sub Piscatoris annulo datae ad Cardinalem Archiepiscopum Toletanum, et aliae deinceps eisdem ampliores ab Urbano VIII datae die 22 Aprilis MDCXXXIX ad collectorem iurium Camerae Apostolicae in Portugallia; quibus in litteris ii nominatim gravissime coercentur, qui occidentales aut meridionales indos *in servitutem redigere, vendere, emere, commutare vel donare, ab uxoribus et filiis suis separare, rebus et bonis suis spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitute retinere, nec non praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem et operam, quocumque praetextu et quaesito colore, praestare, aut id licitum praedicare seu docere, ac alias quomodolibet praemissis cooperari* auderent seu praesumerent (6). Has memoratorum Pontificum sanctiones confirmavit postmodum et renovavit Benedictus XIV novis Apostolicis Litteris ad Antistites Brasiliae et aliarum quarumdam regionum datis die 20 Decembris MDCCXLI, quibus eumdem in finem ipsorum Praesulum sollicitudinem excitavit (7). Antea quoque alius his antiquior praecessor Noster Pius II, quum sua aetate lusitanorum imperium in Guineam nigritarum regionem proferretur, litteras dedit die 7 Oct. MCCCCLXII ad Episcopum Rubicensem eo profecturum, in quibus nedum Antistiti ipsi opportunas ad sacrum ministerium inibi cum maiori fructu exercendum facultates impertitus fuit, sed eadem occasione graviter in christianos illos animadvertit, qui neophytos in servitutem abstrahebant (8). Et nostris etiam temporibus Pius VII eodem quo sui decessores religionis et charitatis spiritu inductus, officia sua apud potentes viros sedulo interposuit, ut nigritarum commercium tandem inter christianos omnino cessaret. Hae quidem Praedecessorum Nostrorum sanctiones et curae profuerunt, Deo bene iuvante, non parum indis aliisque praedictis a crudelitate invadentium seu mercatorum christianorum cupiditate tutandis, non ita tamen ut Sancta haec Sedes de pleno suorum in id studiorum exitu laetari posset; quum immo commercium nigritarum, etsi nonnulla ex parte imminutum, adhuc tamen a christianis pluribus exerceatur. Quare nos tantum huiusmodi probrum a cunctis christianorum finibus avertere cupientes, ac re universa, nonnullis etiam venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, mature perpensa, Praedecessorum Nostrorum insistentes vestigiis, auctoritate Apostolica, omnes cuiuscumque conditionis christifideles admonemus et obtestamur in Domino ve-

(1) Ad Ephesios VI. 5. seqq., ad Coloss. III. 22. seqq. IV. 1.
(2) Matthaei XXV. 35. seqq.
(3) Lactantius Divin. Institut. lib. V. c. 16. tom. IV. Biblioth. veterum Patrum Venetiis a Gallandio editae pag. 318.
(4) De Resurr. Domini orat. III. tom. III. pag. 420. operum edit. Parisiensis anni 1638.
(5) Ad Corinth. ep. I. cap. 55. tom. I. bibl. Gallandii p. 35.
(6) In Bullar. rom. edit. typis Mainardi tom. VI. part. 2. Const. 604. pag. 183.
(7) In Bullar. Bened. XIV, tom. I. Const. XXXVIII.
(8) Apud Raynaldum in Annalibus ecclesiasticis ad ann. 1462. n. 42.

hementer, ne quis audeat in posterum vexare aut spoliare suis bonis, aut in servitutem redigere, vel aliis talia in eos patrantibus auxilium aut favorem praestare, seu exercere inhumanum illud commercium quo nigritae, tamquam si non homines sed plura putaque animantia forent, in servitutem utcumque redacti, sine ullo discrimine contra iustitiae et humanitatis iura emuntur, venduntur, ac durissimis interdum laboribus exantlandis devoventur, et insuper lucri spe primis nigritarum occupatoribus per commercium idem proposita, dissidia etiam et perpetua quodammodo in illorum regionibus praelia foventur. Enimvero Nos praedicta omnia tamquam christiano nomine prorsus indigna, auctoritate Apostolica reprobamus; eademque auctoritate districte prohibemus atque interdicimus, ne quis ecclesiasticus aut laicus ipsum illud nigritarum commmercium veluti licitum sub quovis obtentu aut quaesito colore tueri, aut aliter contra ea quae Nostris hisce Apostolicis Litteris monuimus praedicare seu quomodolibet publice vel privatim docere praesumat *etc.*

892

De iurisdictione Episcoporum in Regulares missionarios parochos.

S. C. de Prop. F. *11 Dec. 1839.* (C. G.) — 1. An et quomodo Vicarii Ap. seu Ordinarii locorum visitare possint paroecias Regularium missionariorum apostolicorum in suis territoriis existentes.

2. An designatio seu nominatio Praefecti Missionum sufficiat ad communicandam institutionem *auctorizabilem* missionariis qui munere parochorum fungi debent, seu potius teneantur eamdem ab Ordinariis locorum, in quibus id muneris est exercendum, recipere.

3. An Vicarii Apostolici seu Ordinarii locorum ita designatos valeant antea examini subiicere.

4. An et quomodo iidem possint semel admissos ad curam animarum exercendam removere, vel eorum facultates in Sacramentorum administratione cohibere.

5. An Vicarius Patriarchalis Constantinopolitanus potuerit visitationi peragendae instructionem praemittere, cui parochi omnes respondere teneantur.

R. Ad 1. Affirmative in omnibus iuxta Constitut. Benedicti XIV quae incipit *Firmandis (V. n. 348).*

Ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam, iuxta decretum 1838 *(V. n. 879 § 4).*

Ad 3. Negative.

Ad 4. Affirmative in omnibus, dummodo gravis et urgens causa adsit statim S. Congregationi communicanda.

Ad 5. Affirmative quoad ea in quibus visitationi et correctioni eiusdem subditi sunt.

893

De modo gerendi sacra scapularia.

S. C. Indulg. *12 Febr. 1840* — Claromonten. — An ad lucrandas Indulgentias s. scapularis necesse sit ut una pars ab humeris, altera a pectore dependeat; an vero sufficiens sit deferre absque distinctione circa modum.

R. Affirmative quoad primam partem; Negative quoad secundam.

894

De colore scapularis B. M. V. de Monte Carmelo.

S. C. Indulg. *12 Febr. 1840* — Lemovicen. — 1. Color taneus pro scapularibus benedicendis et imponendis fidelibus itane stricte iuxta regulas praescriptus est, ut diversitas coloris admissionem in dictam Confraternitatem nullam irritamque reddat?

2. Huiusmodi coloris diversitas suspenditne saltem fruitionem indultorum et Indulgentiarum, quae adscriptis in dictam Confraternitatem, et gestantibus scapulare tanei coloris sunt concessae?

R. Negative quoad utrumque dubium, dummodo colori vulgo *tané* subrogetur tantum alter consimilis seu niger.

895

Quid requiratur ad lucrandas s. scapularis B. M. V. de Monte Carmelo indulgentias.

S. C. Indulg. *12 Febr. 1840.* — Parochus habens in propria parochia Confraternitatem sacri scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, ut plures ad eamdem attrahat, docet fideles suos, lucrandis indulgentiis non obstare (ne iis quidem qui officium divinum non recitant): 1. si abstinentiam in feria quarta non servent; 2. nec si septem *Pater* et *Ave* singulis diebus non recitent; 3. si utrumque panniculum sacri habitus ex eadem parte pendentem et simul iunctum deferant; 4. si eumdem sacrum habitum non supra pectus portent, sed ab humero transversim sub brachio quolibet. Quaeritur igitur utrum haec cum mente concedentis concordent.

R. Christifideles qui in Confraternitatem sacri scapularis ingrediuntur, et legitime parvum habitum recipiunt, eumque semper deferunt e collo pendentem, unaque sui parte pectus, altera scapulas contegentem, frui possunt omnibus Indulgentiis a Summis Pontificibus concessis praedictae Confraternitati, dummodo tamen pia peragant opera iniuncta in concessione earumdem. Servare autem abstinentiam a carnibus quarta feria, nec non septies in die Orationem Dominicalem et Angelicam salutationem recitare, haud sunt conditiones generales pro lucrandis Indulgentiis deferentibus sacrum scapulare concessis, sed pia tantum opera a confratribus peragenda, qui speciales indulgentias lucrari cupiunt.

896

Applicationi pro defuncto satisfit per Missam festalem aut alicuius Sancti.

S. C. Indulg. *2 April. 1840.* — Utrum sacerdos satisfaciat obligationi celebrandi Missam pro defuncto, servando ritum feriae vel cuiuscumque Sancti etiamsi non sit semiduplex aut duplex.

R. Affirmative.

897

De ritu benedicendi cruces, rosaria etc.

S. C. Indulg. *2 Aprilis 1840.* — 1. Utrum ad Indulgentias applicandas crucibus, rosariis etc. alius ritus sit necessarius praeterquam signum crucis a sacerdote, qui hanc facultatem accepit, factum.

In benedictione crucifixi indulgentia applicatur Christi imagini.

2. Utrum Indulgentia concessa cadat solum in Christum ex aere, ligno, vel alia quaque materia confectum, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri absque periculo amittendi Indulgentiam ipsi collatam?

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative.

898

De annuli delatione in Missa.

S. R. C. *11 April. 1840.* — Quoad annuli usum serventur decreta pluries edita, quibus annuli delatio in Missa est vetita omnibus sacerdotibus, etiamsi sint protonotarii titulares, dignitates et canonici cathedralis.

899

Ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati, Missa nigris paramentis, cum licet, celebranda.

S. C. Indulg. *21 April. 1840.* — 1. Utrum qui privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare, diebus non impeditis, ut possit Indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari. — 2. Utrum qui celebrat in altari privilegiato pro singulis diebus debeat semper uti paramentis nigris, diebus non impeditis, ut Indulgentiam privilegii consequatur.

R. Ad 1. Affirmative. — Ad 2. Ut in primo.

900

An possit aliquando christianus gentilibus mancipium vendere.

S. C. S. Off. *29 Apr. 1840* — Coreae — An possit christianus gentilibus vendere mancipium quod malae indolis est, et nihil vult audire de religione sancta nostra.

R. In casu de quo agitur, et dummodo mancipium non sit baptizatum, dominum non esse inquietandum.

901

De baptismi quadam formula invalida.

S. C. S. Officii *23 Iunii 1840.* — Cincinnae — Quaedam mulier quatuor genuit liberos quos et ipsa baptizavit dicens in lingua vernacula: *Ego volo ministrare tibi Sacramentum Baptismi peccatorum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Quaero ergo an Baptismus sic collatus valeat, vel an debeat sub conditione reiterari tanquam dubius, vel tandem an sit nullus, ideoque absolute denuo conferendus?

R. Baptismum fuisse invalidum, ideoque absolute esse baptizandum.

902

An baptizandi filii infidelium, parentibus id petentibus.

S. C. S. Officii *22 Iulii 1840.* — Promont. Bonae Spei. — Pater vel mater infidelis postulat Baptismum pro suis infantibus, illo vel illa vel utroque in infidelitate permanente: tutum erit illum conferre cum periculum sit filios in infidelitate educandos futuros esse, licet detur promissio filios, cum adolescent, de suscepto Baptismo certiores faciendi, eisdemque permittendi se christianos profiteri?

R. Utroque parente in infidelitate permanente, non licere (secluso tamen mortis periculo) quando filii sint in eorum potestate relinquendi, etiamsi detur promissio filios, cum adoleverint, de suscepto baptismo certiores faciendi eisque permittendi exercitium religionis christianae. Quando vero eorum unus sit infidelis et alter christianus, et ambo concordes postulant baptismum pro filiis, licere in casu quo vitae periculum imminere videatur. Monendum tamen parentem christianum ut filium vel filios in religione christiana educare sedulo curet, si convaluerint. Vicarius Apostolicus prae oculis habeat Instructionem Clementis IX quae incipit *Apostolico Spiritu,* eamque missionariis proponat. Et duo decreta Supremae S. Congregationis adnectuntur nempe: « *(Die 7 Maii 1675)* « Quo vero ad Baptismum, licere, si infans sit « in articulo mortis moraliter constitutus, vel « infans non remaneat in potestate infidelium ». « *(Anno 1703):* Non licere si sint filii infide- « lium et in potestate eorum relinquendi, secluso « tamen mortis imminentis periculo; licere vero « si sint filii barbarorum baptizatorum. Curan- « dum tamen per missionarios ac per ipsosmet « eorum parentes ut, cum ad annos discretionis « pervenerint, a se vel ab aliis instruantur, prae- « sertim in illis regionibus, si non praevideatur « in promptu adfuturos ministros evangelicos « qui in hoc parentum commode supplere pos- « sint defectum ».

903

De matrimonio coram haeretico ministro formulam adhibente perpetuitati matrimonii contrariam.

S. C. S. Officii *22 Iulii 1840.* – Promont. Bonae Spei – Definitum est in Congregatione Generali S. Off. die 20 Maii 1754 invalidum esse matrimonium coram ministro calvinista initum eo quod soleat uti formula perpetuitati matrimonii contraria; quaeritur:

1. Quid sentiendum de matrimonio catholicorum sic celebrato, si, non obstante formula ista, intendant bona fide contrahere in sensu Ecclesiae?

2. Quid de matrimonio mixto cum pars catholica intendit ut supra contrahere in sensu Ecclesiae?

R. Ad 1. In casu, prout exponitur, Affirmative, seu matrimonium inter duos catholicos qui in sensu Ecclesiae contrahunt, interveniente declaratione contrahentium, esse validum et indissolubile.

Ad 2. Matrimonium mixtum esse nullum, scilicet parte acatholica expresse declarante se contrahere matrimonium de praesenti iuxta formulam perpetuitati matrimonii contrariam. Quod si pars catholica expresse declaret se intendere contrahere in sensu Ecclesiae, et pars haeretica ei assentiatur, adhuc validum haberi debet.

904

Quid per Indulgentiam altari privilegiato adnexam intelligendum.

S. C. Indulg. *28 Iulii 1840.* — Utrum per Indulgentiam altari privilegiato adnexam intelligenda sit Indulgentia plenaria animam statim liberans ab omnibus purgatorii poenis; an vero tantum Indulgentia quaedam secundum divinae misericordiae beneplacitum applicanda.

R. Per Indulgentiam altari privilegiato adnexam, si spectetur mens concedentis, et usus clavium potestatis, intelligendam esse Indulgentiam plenariam quae animam statim liberat ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse Indulgentiam cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptioni respondet.

905

Casus imperfectae administrationis sacramenti Confirmationis.

S. C. de Prop. Fide *6 Augusti 1840* (C. P. PRO SIN.) — Dum quidam missionarius (Indulto Apostolico confirmandi munitus) in eo erat ut Confirmationis Sacramentum pluribus christianis administraret, territus est a gentilibus in atrio adstantibus. Omissa proinde prima manuum impositione, lectaque praepropere oratione *Omnipotens* usque ad verba *de coelis*, et, neglecta commemoratione septem donorum, protulit formam: *Signo te*, etc. Quaeritur an, attenta Encycl. Benedicti XIV *Ex quo primum*, et scandalo quod oriretur si sub conditione illi christiani iterum confirmarentur, tuta conscientia possint relinqui in bona fide.

R. Non esse repetendam Confirmationem sub conditione.

906

An pro missionariis odio fidei peremptis Missae sint celebrandae.

S. C. de Prop. F. *6 Aug. 1840.* (C. P. PRO SIN.) — TUNK. — In Tunkino sive orientali sive occidentali adest inter missionarios et sacerdotes indigenas utriusque Vicariatus conventio qua, adveniente morte alicuius ex illis, omnes alii sacerdotes utriusque Vicariatus tres Missas pro illius anima celebrare debent. Talis conventio pariter extat inter omnes missionarios Seminarii Missionum ad Exteros, ubique terrarum degant. Porro, occasione harum, exortum est dubium inter missionarios: An, scilicet, praedictae tres Missae debeant celebrari pro illorum anima, quos persecutores in odium fidei trucidaverunt; vel, si non praecise pro illorum anima, saltem debeant celebrari pro solutione debiti circa has Missas erga eos dum viverent contracti, relinquendo divinae voluntati ut quibuslibet necessitatibus vel animabus voluerit, illarum Missarum fructus applicet. Et in casu quo praedictae Missae sint dicendae, an sint Missae dicendae de *Requiem*, vel de die.

R. Licet Innocentius III (in cap. *Martha, De celebr. Missar.*) dicat: *Iniuriam facit martyri qui orat pro martyre*, id tamen ex Benedicto XIV *(De Serv. Dei Beat.*, lib. 2, cap. 2, n. 13 et 14, et lib. 3. cap. 15. n. 8) intelligendum est de *martyre vindicato*, seu postquam de ipsius pretiosa morte Summi Pontificis iudicium accesserit. Ante iudicium igitur, vel certe ante Apostolicam inquisitionem super martyrio, possunt celebrari suffragia seu Missae iuxta consuetudinem vel conventionem de qua supra, et ad libitum de die, vel de *Requiem*.

907

De audiendis Confessionibus in Sinis ante iuramentum Bullae *Ex quo*.

S. C. de Prop. Fide *6 Aug. 1840* (C. P. PRO SIN.) — Se i missionarî in missione prima di prestare il giuramento alla Bolla *Ex quo* (Bened. XIV. *15 Iulii 1742*) possano confessarsi scambievolmente.

R. Ante ingressum ad loca ubi viget Constitutio *Ex quo*, Affirmative, iuxta decretum 21 Nov. 1678 (1). Post ingressum ad praedicta loca, Negative.

908

De omissa impositione manuum sacerdotum in Ordinatione.

S. C. de Prop. F. *6 Aug. 1840* (C. P. PRO SIN.) — Utrum supplendae sint caeremoniae impositionis manuum sacerdotum, quae in Ordinatione sacerdotali ob distantiam missionariorum omissae fuerunt.

R. Negative.

---

(1) En decretum S. C. 21 Nov. 1678: « Instantia « declarationis quod missionarii Vicariis App. subiecti « possint alter alterius confessionem audire, nec non « uti inter se facultatibus etiam in locis ubi commode « reperirentur alii sacerdotes, nulla praevia Ordinario- « rum licentia, et non obstante decreto huius S. Congr. « *(5 Aug. 1630)*, responsum habuit: *Quoad confessio- « nem, affirmative; quoad vero reliqua, explicent quibus « facultatibus uti velint* ».

909

Oleum consecratum vetustum numquam cum novo miscendum.

S. C. de Prop. F. *6 Aug. 1840* (C. P. pro Sin.) — Utrum liceat miscere oleum consecratum vetustum cum oleo consecrando, vel melius esset consecrare oleum, et postea misceri cum oleo vetusto iam consecrato.

R. Ex Rubrica neutrum licet; oleum vetustum semper comburendum.

910

De appositione verborum superstitiosorum, ex legis iussione, in testamentis.

S. C. de Prop. Fide *6 Aug. 1840* (C. P. pro Sin. — Tunk. Occid.) — Mos est apud tunkinenses ut in testamentorum confectione, praesertim lege sic iubente, apponantur verba: *Phan–huong–hoa,* quorum sensus est: *pars bonorum quae primogenito assignatur ut thus adoleat pro defunctis;* quae pars nec vendi nec ullo modo alienari potest, sed fructus inde percepti, ex intentione legislatoris, ad sacrificia et convivia superstitiosa pro progenitoribus defunctis impendi debent, ita ut si ille, cui haec pars vocata *Phan–huong–hoa* obtigit, sacrificia et convivia superstitiosa pro defunctis progenitoribus negligeret, posset cogi sententia iudicis hanc partem cedere in favorem alterius parentis qui de sacrificiis supradictis curam haberet. Equidem christiani hos fructus non ad superstitiones, bene vero ad opera pia erga defunctos impendunt; attamen quaeritur an in confectione testamentorum liceat apponere verba praedicta, quae iuxta sensum suum obvium rem superstitiosam exprimunt, quamvis testator christianus haec verba apponendo in mente intendat non rem superstitiosam his verbis expressam, sed tantum validitatem testamenti, quod, verbis praedictis omissis, iuxta leges Regni vitiatum foret. Sed advertendum quod licet praedictorum verborum *phan–huong–hoa* sensus, sive in obvia explicatione, sive in legislatoris mente, sit superstitiosus, tamen omnes sive pagani sive mandarini apprime sciunt christianos, haec verba in suorum testamentorum confectione apponendo, non illa in sensu eorum naturali ac superstitioso intelligere, bene vero in sensu christiano. Ideo huc usque christiani his verbis, ob rationem legitimam utentes, nondum ab ullo missionario inquietati fuerunt.

R. Non esse inquietandos.

911

De causis matrimonialibus recte pertractandis.

Instr. S. C. Concilii *22 Aug. 1840.* — Cum moneat Glossa *(in cap. fin. de frig. et malef.)* in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez *(de matrim. lib. 7, disp. 107)* et Card. Argenvilliers *(in dissert. matrimonii rel. inter vota Constantini P. 5, vol. ult. n. 16)* plura hinc a sacris canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur, s. m. Bened. XIV (in Constit. *Dei Miseratione*) processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis, in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta ss. canones, citatam s. m. Bened. XIV Constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta, et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a S. Conc. Trid. *(sess. 24, cap. 20 de ref. §* Ad haec), ac etiam a s. m. Bened. XIV *(in cit. Constit.* Dei Miseratione *§ 4)* causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata, etiam prae Abbatibus vere Nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus, iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Acta processus latine scribenda, exceptis excipiendis.

De iudicibus.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel iudex delegatus citari mandabit defensorem matrimonii, quatenus in curia episcopali iam deputatus existat; sin minus idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata Constitutio s. m. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic defensor matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publi-

De defensore matrimonii.

cati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

De examine. Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc defensor matrimonii tradet interrogatoria clausa et obsignata cancellario seu notario, aperienda illo postulante ex iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus; quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus coeteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum, coram iudice, adstante defensore matrimonii et cancellario; iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit cancellario.

Interim dum pars erit examinanda, ipse cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a iudice vel a defensore matrimonii, cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensore matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine cancellarius leget clara et intelligibili voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex deferet iuramentum eidem coniugi se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et, si fuerit illiteratus, per signum crucis; dein iudex et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato defensore matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante defensore matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma quae data fuit pro instantis examine, servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis; quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis vel novis confectis, prout defensor matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus,* hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam Text. *in Cap.* Litterae Vestrae: *de frig. et malef.* Ut id facilius exequi iudex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem, sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante defensore matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui, ut supra dictum est, deponant; seorsim erunt hi quatuordecim, conflantes septimam manum, examini subiiciendi, designatis diebus et horis, delato prius iuramento singulis. Defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant, etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam defensoris matrimonii, erunt ab Episcopo illius dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata san. mem. Bened. XIV praescriptis, quique expleat munus defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt, praesertim quando initum fuerit matrimonium, utrum inter coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint; quamdiu in eadem domo, vel civitate cohabi-

taverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea, quatenus querela super nullitate ex iis sit ut solvi possit matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim defensore matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam defensori matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus, iudex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos, et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, nec non facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora, ad locum accedent iudex, defensor matrimonii, cancellarius, ac periti. Singuli ex peritis, ac seorsim, corpus viri inspicient ea qua fieri poterit decentia, et factis experimentis, quae iuxta artem, non tamen illicitis, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt:

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio quod apparere poterit. An adsint signa quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae causa, utrum sit impotentia perpetua, insanabilis, ac praecedens matrimonium; an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, defensor matrimonii exhibebit interrogatoria clausa, sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens; iudex, defensor validitatis matrimonii, et cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supra dictum est de peritis, tres saltem obstetrices deputabit quae a duobus saltem peritis, uno medico et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die mulier erit traducenda ad domum honestae matronae pariter a iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus obstetricibus et matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis, a peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit: quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus matrona et obstetricibus, statim, ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi, utrum mulier virgo sit an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, defensor matrimonii et cancellarius cum peritis, ut supra, ad domum matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae obstetrices referent de virginitatis, aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit defensor validitatis matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

De processus publicatione.

Quatenus defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni, et publicabitur processus, edito super hoc decreto a iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii, et a cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur nemini, nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante proces-

sus publicationem, uno excepto defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

De defensionibus. Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et nunquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi caussa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta Constitut. saepius citatam *Dei miseratione*.

De sententia. Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit defensor matrimonii, sententiam proferat Episcopus. Si hac matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit defensor matrimonii appellare iuxta citatam Constitutionem, nec poterunt coniuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *Dei miseratione*. Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede cancellario.

De appellatione.

De altera sententia.

912

Circa vetitum libros imprimendi antequam a S. C. examinentur. **Ex Litt. S. C. de Prop. Fide** *31 Augusti 1840* — (ad Vic. Ap. Siami) — Quemadmodum per Seminarii Praesidem Ampl. Tuae significaveram, in particulari conventu super negotiis missionum sinensium, habito die 6 labentis Augusti proposita ac perlecta fuit epistola A. T. diei 26 Iunii, qua facultatem petebas *imprimendi, edendi ac distribuendi aliqua opuscula controversiae, si quae iudicaveris necessaria aut utilia,* non obstante decreto anni 1770, quod confirmatum vel extensum putabas per alterum diei 8 Ianuarii 1777. EE. PP. in re tam gravi omni maturitate perpensa, ac moti rationum momentis quae supramemoratum decretum anni 1770 provocaverunt, eidem derogare noluerunt, aliisque eiusmodi petitionibus viam sternere, eo vel magis quod in eodem decreto potestas relinquitur Vicariis Apostolicis imprimendi *parvas doctrinas, catechismos, instructiones ac preces, quae fidelium usui quotidiano inserviunt.* In reliquis autem nec urgens perspicitur necessitas libros imprimendi antequam Sacrae Congr. examinandi exhibeantur, neque ex aliqua fortasse mora in eodem examine incommodum vel detrimentum obventurum apparet. Certiorem insuper A. T. facere non praetermitto decretum anni 1777 nullo modo ad confirmandum vel extendendum generatim praecedens anni 1770 editum fuisse, sed personale tantum fuisse indultum, seu facultatem Vic. Ap. Sutchuensi elargitam, caeteris Praesulibus haud communem. Si quid igitur imprimendum ac typis vulgandum A. T. habeat, quod in decreto anni 1770 exceptum non fuerit, illud praevio examine ac de licentia S. C. edendum erit.

913

S. C. de Prop. F. *21 Sept. 1840* (C. G.) — Se approvare i decreti fatti da M. Vicario Ap. Patriarcale di Costantinopoli nella sua Visita, cioè:

Circa parochorum officia, eorumque dependentiam ab Ordinario. 1. Che nella Messa parrocchiale si faccia da tutti i parrochi il discorso parrocchiale.

2. Che il parroco od altro sacerdote in sua vece debba fare il catechismo in tutte le Domeniche dell'anno, meno i due mesi che seguono alla prima Comunione.

3. Che i parrochi debbano confessare per lo meno una volta l'anno tutti i fanciulli giunti all'uso della ragione, e più spesso quelli che si dispongono alla prima Comunione.

4. Che i parrochi avvertano in tempo opportuno i forastieri che vogliono contrarre matrimonio di procurarsi dalla loro patria i documenti di stato libero, ed esiggano dagli sposi prima del matrimonio la fede della Confessione.

5. Che in quanto alle tasse per le funzioni sagre i parrochi ed altri ecclesiastici qualsivogliano debbano conformarsi in tutto alla tariffa approvata dal Vicario Patriarcale.

6. Che concorrendo in un medesimo giorno il pontificale del Vicario Patriarcale ed una funzione parrocchiale, il parroco debba anticipare la sua funzione per modo che non coincida punto col tempo del pontificale.

7. Che ov'è chiesa, o pubblico oratorio sia vietato il celebrare nelle case le Messe.

Circa mulierum confessiones. 8. Che ove siano chiese ed oratorî pubblici sia proibito l'ascoltare confessioni di donne nelle case particolari, se non per causa d'infermità, età decrepita o sordità.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative. Optat S. Congregatio ut parochi utantur Catechismo Bellarmini, et, si quo alio utantur, transmittatur ad S. Congregationem.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Quoad primam partem, affirmative; quoad fidem Confessionis, suadendum ut exhibeant, sed si renuant, non ideo a matrimonio excludendi, et detur decretum 17 Aprilis 1820 (1).

Ad 5. 6. 7 et 8. Affirmative.

(1) Episcopus Quebecen. quaesiverat: « Quid agen« dum cum pravis iis catholicis, qui renuunt peccata « confiteri priusquam ad matrimonium accedant». S. C. respondit die 17 Apr. 1820: « Si catholici, de quibus « in dubio, sint vere publici peccatores, non sunt ad« mittendi, nisi parochus ex causis vere gravibus ex« cusari possit, quae recensentur penes probatos aucto« res, quos consulat; in reliquis iuxta votum consul« toris, nempe: Si sunt peccatores occulti, praemissa « salutari admonitione, etiam si peccata sua confiteri « recusaverint, non sunt a matrimonio excludendi ».

914

De puellis desponsatis quae nunquam, nec ad Missam audiendam, e domo exeunt.

Instr. S. C. de Prop. F. *26 Sept. 1840* (AD VIC. AP. SCOPIAE). — Nella Congr. Generale tenuta li 20 Luglio decorso sono stati proposti i dubbî da V. S. fatti alla S. C. nella sua venuta alla Dominante, ed ora vengo a parteciparle le decisioni relative perchè possa dare esecuzione alle medesime. — E da prima addimandava V. S. se debba tollerarsi il costume che le giovani promesse in matrimonio rimangano per più anni racchiuse in casa, e tralascino di conseguenza l'andare alla chiesa per ascoltare nei dì festivi la Messa. Al che la S. C. *(in Congr. Gen. 20 Iulii)* ha risposto che non debbasi ulteriormente tollerare siffatto costume, e quindi dovere V. S. prudentemente insistere per la osservanza del precetto della Chiesa. Che se non possa ciò ottenersi da tutte, si procuri per lo meno che quelle donzelle che non vanno alla Messa impieghino qualche tempo all'orazione nelle proprie case, e s' istruiscano nel catechismo.

De bannis, et de Decreto Trid. *Tametsi.*

Nel secondo dubbio avvertiva V. S. che si tralascia di fare la pubblicazione prescritta dal Tridentino, e diceva che ai matrimonî medesimi assiste non altri che il parroco ed un testimonio in qualità di compare; e quindi chiedeva se debbasi comportare siffatto costume. Quanto alla prima parte ha deciso la S. C. che debbano farsi onninamente le pubblicazioni nelle città e nei paesi giusta il Concilio Lateranense sotto il Pontefice Innocenzo III, il Tridentino *Sess. XXIV, 1 de Reform.* e l'Albanese *Prov. I parte II, c. VIII, p. 46;* e giusta la Costit. della sa. m. di Benedetto XIV ivi riferita *p. 127, § 11.* — Quanto poi alla seconda parte ha prescritto che si comandi espressamente che i matrimonî, a seconda del Tridentino medesimo nel luogo citato, *coram parocho et duobus vel tribus testibus,* il che è ancor conforme al prescritto nel Concilio Albanese *pag. 46.* Siccome poi i matrimonî finora contratti senza avere adempito a tal prescrizione debbono considerarsi siccome nulli, ne viene per conseguenza che debbono essere dal Sommo Pontefice sanati e convalidati. Dovranno quindi con apposita supplica implorarsi le dovute sanazioni.

De sponsalibus sub certo et limitato tempore contrahendis.

Nel terzo quesito manifestava V. S. l'abuso che le giovani rimangono d'ordinario vincolate cogli sponsali per quattro o cinque anni prima di congiungersi in matrimonio, e che gli sponsali, mentre possono esser rescissi dall'uomo sempre che voglia, non sono mai rescindibili dalla donna per qualunque ragione possa ella averne, e quindi implorava V. S. che si provvedesse alla giusta libertà della donna, e fosse ristretto e determinato il tempo degli sponsali. La S. C. ha deciso che venisse mandato a V. S. il decreto emanato dalla S. C. del Concilio dell'anno 1713 di cui ecco le parole: « S. Con« gregatio S. R. E. Cardinalium Concilii Tri« dentini interpretum censuit moneri posse par« tes ad contrahenda sponsalia sub certo tem« pore, quo elapso, permitti posse cum aliis « bene visis; non tamen cogi posse partes ad « contrahenda sponsalia certo tempore; et qua« tenus sponsalia fuerint contracta indefinite, « absque tempore limitato, posse superiorem « ob legitimam causam, praesertim probabilis « fornicationis, tempus celebrandi Matrimonii « sponsis praefigere, eoque elapso facultatem « concedere cum aliis contrahendi ». Procurerà quindi V. S. con tutta quella prudenza che Le sarà possibile di far sì che venga osservato siffatto decreto, e per maggior sua regola ed istruzione consulterà benanche in proposito i buoni autori che ne hanno parlato.

De sponsalibus quae pro filiis contrahunt parentes.

Nel quarto dubbio, che è pure relativo agli sponsali, esponeva V. S. che i parenti contraggono eglino stessi gli sponsali pei figliuoli senza alcun consenso di questi, e quindi addimandava se debba esigersi onninamente anche il beneplacito dei figli contraenti per la validità degli sponsali. Alla quale domanda la S. C. ha creduto aver ben provveduto col ricordare l'osservanza del decreto del Concilio Albanese *part. 2, c. VII, pag. 47* espresso in questi termini: « Quoniam « omnimoda arbitraria libertate matrimonium « initur, toto pectore incumbant parochi ut con« trahentium assensus omni impulsionis, coa« ctionis, seu directae seu indirectae, materia « careat, nec sacro iungant connubii nexu quos « externae audacia violentiae, matrimonialia « iura vitiando, vitiavit. Temerariis eorum au« sibus, qui invitis confoederantur uxoribus, « anathematis poena infligatur. Parochi quoque « invalidae auctores coniunctionis ecclesiasticis « innodentur censuris ».

Matrimonia in ecclesia celebranda.

Il dubbio che in quinto luogo V. S. proponeva si volge sulla consuetudine di celebrare i matrimonî di sera, in guisa che vanno privi i contraenti della benedizione nuziale, che, giusta il Rituale Romano deve farsi in chiesa durante la S. Messa. Su di che la S. C. ha prescritto di dichiarare a V. S. le parole del Concilio Tridentino *Sess. XXIV, Cap. 1.* « Benedictionem sacerdotalem in templo recipiendam (a coniugibus) »; non che quelle dell'Albanese *p. 46:* « In parochialibus ecclesiis fiant matrimonia ».

De detestabili puellarum mercimonio.

Nel sesto dubbio manifestava V. S. il barbaro costume di porre ad incanto le figliuole da marito, talchè quegli addiviene lo sposo che offerisce somma maggiore. Il quale detestabile mercimonio delle figlie vuole la S. C. che sia tolto mercè tutto il potere dello zelo sacerdotale.

Circa mulierum ius adeundi tertiam paternae hereditatis partem.

In settimo luogo V. S. rammemorava la facoltà che la legge ottomana conferisce alle donne di adire la terza parte dell'eredità dopo la morte del padre, e il divieto che di giovarsene loro han fatto i Vescovi per gli odî e nimistà che essa seco traeva; e quindi bramava

sapere se debba sussistere perchè le donne non si prevalgano di somigliante beneficio. Sulla qual cosa non ha potuto la S. C. formare il suo giudizio, mercechè nè V. S. nè altri mai si è curato di meglio chiarire i motivi del divieto dei Vescovi; e quindi è necessario, per decidere il quesito, che V. S. faccia meglio conoscere le ragioni che persuasero i medesimi Vescovi ad interdire alle donne l'approfittarsi del diritto loro dalle leggi civili conceduto.

De parochorum iudicio in causis civilibus.

Coll'ottavo dubbio V. S. richiedeva se i parrochi possano lecitamente emettere la loro decisione intorno alle cause civili che dalle parti vengono ad essi assoggettate; e in caso affermativo, se sia espediente il permetterlo, in vista segnatamente del disordine che sovente interviene del ricorrere che fa l'una o l'altra parte, o talvolta ancora entrambi, perchè non paghi della decisione del parroco, al tribunale turco. Su di che ha prescritto la S. C. di far palese a V. S. esser massima fondamentale fissata e pubblicata dalla medesima S. C. con circolare dei 15 Gennaio 1622 *(V. n. 2)* che l'intenzione della Propaganda « non è d'alzar tribunali o di esercitar giurisdizione temporale in alcun luogo, nè di tenere maniere violente o insolite, ma è di attendere per vie soavi e piene di carità, che son proprie dello Spirito Santo, alla conversione degli infedeli, ora predicando, ora insegnando e disputando, ed ora ammonendo, esortando e pregando, ed anche di tirare i popoli dolcemente colla orazione e col digiuno, e colle limosine, e fin colle discipline e colle lagrime, alla luce della verità e alla via della salute, amministrando loro i SS. Sagramenti senza fare niun rumore, e, per dir così, con un soave silenzio ». Che però sì per la esposta massima, sì pel sacro carattere del sacerdote, sì per le leggi ecclesiastiche, sì per la poca idoneità di quei parrochi a giudicar rettamente, è stata d'avviso la S. C. di loro vietare di mescolarsi nelle questioni civili, tranne i casi di amichevoli compromessi, nei quali ambe le parti si obbligano a deferire onninamente al giudizio arbitramentale del parroco, o di altro sacerdote da V. S. designato.

De modo restituendi turcis res ablatas.

Nel dubbio nono implora V. S. una norma sul contegno a tenersi coi penitenti che hanno rubato ai turchi, e non possono far la restituzione senza pericolo della vita, volendo i turchi conoscere sempre il nome del ladro. Intorno alla qual cosa la S. C. ha decretato che debbasi V. S. attenere al sentimento dei buoni autori, i quali insegnano che non potendosi effettuare la restituzione delle cose rubate al loro padrone, nemmeno per mezzo dei confessori, e d'altra parte non potendo il colpevole ritenere il mal tolto, debbasi erogare il valore delle cose rubate *ad pias causas, vel inter pauperes.*

De homicidiis quaecultionis causa patrantur.

Il decimo dubbio proposto insorge dalla niuna guarentigia che le leggi turche danno per la vita dei sudditi, onde i cristiani si credono autorizzati in lor feroce ignoranza a trucidare l'uccisore di un loro fratello, perciocchè, non vendicandone la morte, credono esporsi a maggior pericolo di crudeli assassinî; e conchiude V. S. col dimandare se possano assolversi quei cristiani che, per l'indicato motivo, meditano la morte dell'uccisore di un loro confratello. Essendo siffatto quesito altre volte stato discusso, la S. C. confermando le già date risoluzioni, ha risposto che non debbono affatto assolversi siffatti penitenti, e che si faccia nota a V. S. la risoluzione dei 9 Maggio 1763 in cui a somigliante dubbio fu risposto: « licitum non esse « hominibus privatis iniurias ulcisci, licet in iis « locis degant in quibus nemo est qui vindi- « candis criminibus praesit: proindeque eos- « dem, nisi animum ulciscendi deponant, non « esse absolvendos, ut alias respondit S. C. ». Come pure la medesima Congregazione ha voluto che si rendesse noto a V. S. che in seguito della relazione della visita fatta nell'Albania e Macedonia dal P. Michele da Borgo S. Siro, in cui tra gli altri disordini esponeva il P. Michele quello della frequenza degli omicidî per vendetta, e per falsa opinione che l'ucciso invendicato soffra gravissime pene; la medesima S. C. nella Congregazione dei 24 Agosto 1762 rispose: « Monendos esse missiona- « rios ut tam privatis quam publicis adhorta- « tionibus falsas opiniones extirpent, nec ad- « ministrent sacramenta iis qui ulciscendi ani- « mum non deponunt ».

Circa Missae celebrationem pro defunctis christianis occultis.

Addimanda V. S. nel dubbio undecimo se possa celebrarsi il divin sacrifizio per quei cristiani, la cui fede, mentre vissero, rimase occulta, sebbene in punto di morte mostrassero d'essere pentiti, e dessero qualche segno esterno tuttochè privato, di cristiana credenza. Alla quale dimanda la S. C. ha giudicato bastantemente provveduto nel Concilio Albanese p. I, cap. 3 e 4, e nelle due Costituzioni della sa. me. di Benedetto XIV ivi inserite pp. 121 e 176, non che nei decreti della S. C. di Propaganda che ivi pure leggonsi alla pag. 205.

De baptismo filiorum christianorum occultorum, et de mutatione eorum nominum in nomina turcica.

Col bipartito dubbio duodecimo chiede V. S. primamente se possano lecitamente battezzarsi i figli dei cristiani occulti, nell'antiveggenza che eglino pure si terranno sempre in egual modo, durante il viver loro, nascosti, simulando di appartenere al maomettismo; e poscia interpella l'oracolo della S. C. sul contegno a tenersi verso quei fedeli che cangiano in nomi turchi i cristiani nomi dei loro figliuoli. Il qual dubbio in ambedue le parti viene bastantemente sciolto da quanto Benedetto XIV prescrive nella Costituz. *Inter omnigenas* (2 Feb. 1744).

Circa usuras.

Le usure formavano il soggetto del decimoterzo dubbio, in cui esponeva V. S. che i cristiani sogliono prendere gl'interessi del 10 per cento, mentre i turchi il 15 e 18 per cento,

e però dubita se siasi a permettere tale usura comunque a termini delle leggi civili permessa, e *quatenus negative*, se debbansi obbligare alla restituzione i fedeli che l'hanno percetta. In risposta al che la S. C. ha deciso che si trasmetta a V. S. l'istruzione del S. Off. dell'anno 1784 la quale troverà qui annessa (1).

De christianorum opera in aedificandis infidelium templis, et in diebus festis.

Nel dubbio decimoquarto chiedeva V. S. se i cristiani possano prestar l'opera loro alle fabbriche delle moschee, sendovi astretti dai turchi; e se possano altresì lavorare nei dì festivi, obbligati a ciò egualmente dai medesimi turchi: avvertendo che alcuna volta trovansi tutti i fedeli forzati a travagliare collettivamente nelle opere pubbliche, e tale altra volta solo individualmente debbono prestarsi in servigio dei rispettivi padroni anche per vero dispregio di nostra religione. La S. C. usando la maggiore indulgenza che può, ha deciso rispondere a V. S. come ha risposto non ha guari ad altra somigliante domanda: *Non esse inquietandos, dummodo gravis mali metu coacti agant, neque intendant mahumetanorum superstitionibus cooperari.* Quanto poi al secondo quesito ha decretato non potersi comportare che i cristiani diano opera a tali lavori nei dì festivi quante volte siavi aperto dispregio della religione; ma se non havvi dispregio della religione, e non potrebbesi impedire il lavorare dei medesimi senza troppo grave detrimento dei fedeli medesimi, in tal caso doversi prudentemente tollerare, purchè ascoltino la s. Messa; e, ove pur loro fosse impedito lo assistere al divin sacrifizio, debbono per lo meno supplire in qualche guisa con altre orazioni e pie opere, imposte opportunamente dai parrochi.

De opera famulorum et pistorum diebus festis.

Col dubbio decimoquinto bramava V. S. sapere che cosa debba prescriversi ai servi e fornaî che debbono lavorare nei dì festivi, e di rado possono assistere al divin sacrificio. Su di che la S. C. ha parimente risposto che possa verso i medesimi usare quella benigna indulgenza che ammette la notissima dottrina dei buoni moralisti, e la prassi, diportandosi verso i medesimi conformemente a quanto si è detto nella risposta al dubbio antecedente.

De praecepto Missam audiendi quoad ruricolas.

Il sestodecimo dubbio riguarda i contadini cui la distanza della chiesa non sempre permette lo assistere alla Messa. E su ciò pure la S. C. ha detto che debba V. S. attenersi alle teorie che nei moralisti sogliono trovarsi in tal particolare, ed abbiano a considerarsi non solo le distanze dei luoghi e le asprezze delle strade, ma benanche l'età, il sesso e la tempra delle rispettive persone, per giudicare se *ratione impotentiae* possano dirsi esonerati dall'obbligo di andare alla chiesa. Perciò o la lontananza dei contadini dalla chiesa in cui celebrasi la s. Messa è tanta, e tale ancora la difficoltà delle strade, che il portarvisi riesca di grave incomodo anche ai contadini: e in tal caso potranno anch'essi venirne scusati, come dicono tutti i moralisti; o questa lontananza non è nè in se stessa, nè per la scabrosità della via, almeno nella bella stagione, così grande e faticosa che possa dirsi a tutti indistintamente quei contadini incomodissima: e allora quelli pei quali il recarsi alla chiesa non fosse che una lunga camminata senz'altro che un poco di stanchezza, dovranno dirsi obbligati a farla per soddisfare al precetto della Chiesa.

915

Circa exequias et sepulturam massonum.

S. C. S. Off. *2 Decembr. 1840.* — An liceat celebrare parentalia et ecclesiasticam sepulturam concedere iis qui ante exitum receperunt Sacramenta, attamen sectae massonicae nomen dederunt, et in feretro tenent sectae eiusdem emblemata.

R. Affirmative, servata forma Innocenti III Cap. *A nobis, De sent. excom.*, ablatis insigniis sectae ab Ecclesia damnatae, et dummodo appositio emblematum demandata non fuerit a defuncto post receptionem Sacramentorum, vel ab eodem fuerit revocata; et amoveantur statim cognita eorum appositione, et omnino ante associationem cadaveris. Moneantur confessarii loci de obligatione exigendi retractationem ante sacramentalem absolutionem.

916

De modo securitati bonorum ecclesiasticorum prospiciendi.

Decr. S. C. de Prop. F. *15 Dec. 1840* — Quum in foederatis Americae Septemtrionalis Statibus nulla a legibus civilibus ecclesiastica successio agnoscatur, et ideo nullum ius nec Episcopis, nec sacerdotibus ab iisdem legibus tribuatur transmittendi suis successoribus bona quaecumque, quae a pia fidelium largitate ad ecclesiasticos, vel pios usus, sive Episcopis, sive sacerdotibus donata fuerunt: praedictorum bonorum, (circa quae Concilii Provincialis Baltimorensis IV Patres pastoralem sollicitudinem laudabiliter ostenderunt decreto VIII) securitati prospicere volens Sacra Congregatio de Propaganda Fide decrevit in posterum servanda esse quae sequuntur:

1. Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi omnes in foederatis Americae Septentrionalis Statibus, statim post huius decreti receptionem testamentum iuxta leges Status, in quo degunt, quarum accuratam notitiam ex certis fontibus sibi comparabunt, conficiendum curent. Illud autem duplicato, et aeque authentico chirographo seu exemplari omnino efficient, atque heredem bonorum omnium ecclesiasticorum ad pios usus sibi, vel praedecessoribus suis, vel quibusvis aliis sive laicis sive clericis donatis,

(1) Dicta instructio reperitur inserta in Instructione S. C. de Prop. Fide circa lucrum ex mutuo an. 1873.

quae ipsi actu possideant vel ius ad possidendum habeant, illum ex Coepiscopis suis americanis, quem magis in Domino expedire iudicaverint, constituent. Hunc autem si forte ex vivis excedere acciderit, alium ex iisdem Coepiscopis in eodem testamento substituant, atque eius loco heredem nuncupent.

2. Testamento igitur, duplici et aeque authentico chirographo exarato, alterum ex exemplaribus Episcopi omnes ad Baltimorensem Archiepiscopum, hic vero ad seniorem Episcopum loco tuto custodiendum mittat; alterum vero testator ipse penes se asservabit. Moneatur etiam a testatore Episcopus, qui heres constitutus fuerit, per litteras, quas perlectas comburet, eo tantum fine se heredem nuncupatum fuisse ut bona omnia ecclesiastica dioecesis religiose custodiantur, donec a S. Sede successor eligatur, illique tunc fideliter et legitime transmittantur.

3. Testatore vita functo, heres, maxima qua poterit cura, bonorum omnium, tum mobilium, tum immobilium conservationi prospiciet, atque inter sacerdotes dioecesis defuncti Episcopi ministrum idoneum ei fidelem eligat, cui per procurationis mandatum administrationem bonorum committet, ea tamen lege ut rationem, quum opus fuerit, fideliter reddat.

4. Statim ac Episcopi defuncti successor a S. Sede de more electus fuerit, atque litteras apostolicas electionis acceperit, Episcopus, qui decessoris eius heres per testamentum constitutus fuerat, hereditatem universam illi, instrumentis iuxta formam a legibus civilibus praescriptam, omnino tradet; atque sive per se, sive per procuratorem, cui bonorum administrationem commiserat, rationem reddere curabit.

5. Si quem autem Episcoporum Coadiutorem habere contigerit, hunc per testamentum heredem instituet.

6. Archiepiscopi munus erit sedulo invigilare, et curare, ut a suffraganeis aliisque Statuum Unitorum Episcopis omnia quaecumque hoc Decreto S. C. praescribuntur religiosissime serventur. Moneat Episcopos, qui testamentum conficere et ad metropolim mittere neglexerint, vel formam a legibus civilibus requisitam non servaverint, vel aliquo adminiculo legibus contrario illud irritum reddiderint. Si quando autem monitiones suas nullum effectum consequi viderit, de hoc Sacram Congregationem certiorem per litteras facere non omittat, ut opportunum et efficax remedium huic malo adhibere tempestive possit. De quibus omnibus Archiepiscopi conscientia oneratur. Quod autem spectat ad ipsum Archiepiscopum, is qui in provincia reperietur a consecratione episcopali suscepta antiquior Episcopus, hoc munus obibit.

7. Quo autem praedicta omnia rite et recte praestare valeat Archiepiscopus, accuratam notitiam legum circa testamenta, quae in unoquoque ex Statibus Unitis vigent, sicut etiam adminiculorum, seu, ut aiunt, *formalitatum*, quae ad testamentorum validitatem requiruntur, tum per Episcopos ipsos, tum etiam per iurisconsultos, et legis peritos quantocius obtinere non omittat; et ne haec omnia memoria excidant, eorum indiculum apud se scriptum retinebit.

8. Testamenta vero ipsa, quae ad Archiepiscopum mittentur, nullo sigillo claudantur, sed folium in quo includuntur, in forma epistolarum usitata complicatum, et Archiepiscopo vernacula lingua inscriptum, sigillo muniatur, uti aliae epistolae communes, ut, eo aperto, Archiepiscopus testamentum legere, atque an rite ac recte confectum fuerit, omnibus attente perpensis, iudicare possit, adhibito etiam, si opus fuerit, peritorum in legibus civilibus consilio.

9. De bonis vero ecclesiasticis, quae iure a civili potestate concesso, ab Episcopis, ecclesiis, collegiis, monasteriis, aliisque locis piis possidentur, vel recta ad Episcoporum successores transeunt, nil est quod hoc decreto statuatur; ideoque in illo minime includuntur. Episcopi igitur, si qui sint, qui nulla alia bona ecclesiastica suo nomine possideant, ad testamentum superius descriptum faciendum non tenentur.

10. Eadem sollicitudine Sacra Congregatio providere volens securitati bonorum communitatum omnium, sive ecclesiasticarum, sive religiosarum, tum virorum, tum etiam puellarum, et quarumcumque aliarum piarum institutionum, quae inter bona ecclesiastica locum obtinent, vel saltem eorum naturae participant, atque sollicita Ecclesiae Pastorum cura piis usibus, ob quos vel comparata, vel donata fuerunt, servanda et posteris fideliter transmittenda sunt, quae sequuntur decernit.

11. Archiepiscopus et Episcopi post decreti huius receptionem, ad superiores, praefectos, vel praesides communitatum, quae intra dioecesis suae fines reperiuntur, scribent, illisque omnibus auctoritate S. C., quae illis omnibus ad hoc specialiter delegatur, praecipient, ut quam primum fieri poterit, certiorem per litteras Episcopum ipsum faciant: 1. An, quae, et quo onere, bona possideat communitas, cui praeest. – 2. An suae communitati facultas seu ius a civili potestate datum fuerit, bona omnia, vel eorum partem possidendi, et ad successores transmittendi (If they have been incorporated and empowered to hold all, or any part of their property, and what?). – 3. An bona omnia, vel aliqua eorum pars a Superiore vel ab aliquo communitatis membro, vel a pluribus coniunctim possideatur. – 4. An aliquem invenerint modum tuto ad successores bona praedicta transmittendi, et quis sit modus iste. – 5. An nullus alius habeatur modus praeter testamentum.

12. Responso accepto, Ordinarius quid agendum sit facile comperiet. Nam si quae sint communitates, quibus ius a potestate civili tributum fuerit possidendi, et ad successores transmittendi bona omnia, vel aliquam eorum partem, nulla erit occasio sollicitudinem suam exercendi ad eorum conservationem. Sin autem modus aliquis excogitatus fuerit possidendi bona per societatis contractum, quo bona in communi possidentur a tribus vel quatuor communitatis membris, ita ut omnes socii ius illud possideant naturalis suae vitae tempore, sed, quocumque ex illis mortuo, ius apud superstites socios remaneat possidendi bona universa, nulla facta cuique ex ipsis potestate alienandi suae vitae tempore, vel per testamentum relinquendi bona praedicta post mortem: tunc id tantummodo ab Episcopo curandum erit, ut, uno ex sociis mortuo, alius ex communitatis membris in societatem adsciscatur. Tandem si unica testamenti remaneat via transmittendi bona ad successores, praecipiat Episcopus superioribus, vel illi, qui suo proprio nomine communitatis bona possidere tunc poterit, ut statim testamentum iuxta leges civiles, duplici exemplari aeque authentico perficiat, ex quibus unum in communitatis scriniis diligenter asservetur, alterum vero ad Episcopum dioecesanum in archivio asservandum mittatur.

13. Ad communitates autem, quarum bona ab Episcopo possidentur, de hoc decreto nulla erit scribendi necessitas, quum per testamentum Episcopi, satis bonorum illorum securitati prospiciatur.

14. De Superioribus decreto huic minime obsequentibus, post unam vel alteram monitionem, Episcopi ad S. Congregationem scribent, quo mala, quae inde sequi possent, opportuno remedio praecaveantur.

Haec sunt, quae de bonis, in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus, ad Ecclesiam sive iam pertinentibus, sive in posterum spectaturis, tuto servandis, S. Congregatio statuenda esse iudicavit.

Facta vero SSmo Domino Nostro Gregorio PP. XVI. rei totius relatione per R. P. D. Ignatium Cadolinium Archiepiscopum Edessenum S. Congregationis Secretarium, Sanctitas Sua, quae superius praescripta sunt, in omnibus confirmavit, et exequenda esse iussit (1).

917

S. C. Indulg. *5 Febr. 1841* – VALENTINEN. – 1. Utrum sufficiat recitatio Confessionis, id est *Confiteor etc.*, in Sacramento Poenitentiae habita, pro recitatione illius praescripta, quando impertienda est benedictio cum Indulgentia in mortis articulo. De recitatione *Confiteor* apud infirmos.

2. Utrum necesse sit tribus vicibus recitare *Confiteor etc.* quando administratur Sacrum Viaticum, Extrema Unctio, ac Indulgentia in mortis articulo impertitur.

3. Utrum infirmus lucrari possit Indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impartiendam. Circa benedictionem cum indulg. plenaria in mortis articulo.

4. Utrum sacerdos valide conferat Indulgentiam plenariam in articulo mortis, omissa formula a Summo Pontifice praescripta, ob libri deficientiam.

R. Ad 1. Negative, iuxta praxim et rubricas, nisi necessitas urgeat.

Ad 2. Affirmative, iuxta praxim et rubricas.

Ad 3. Negative in eodem mortis articulo.

Ad 4. Negative, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva.

918

S. C. Indulg. *26 Febr. 1841* – Benedictus XIV in suis monitis ad recte peragendas Viae Crucis stationes editis die 10 Maii 1742, et praecipue sub num. VII sic ait: *Che essendo eretta la Via Crucis nella chiesa, i fedeli si astengano dal praticarla nel tempo degli Uffizi divini e della S. Messa, e quando in chiesa* De modo peragendae *Viae Crucis.*

(1) In Concilio Plenario II Baltimorensi (an. 1866) Tit. IV, n. 191 haec habentur: « Huius decreti S.C. intui« tu, quinti Concilii Baltimorensis Patres (*) ita declara« runt: *Perpenso decreto S. Congregationis de bonis tem« poralibus Ecclesiae, Patres animum maxime propensum « ad mentem S. Sedis in omnibus sequendam ostenderunt, « sed censuerunt speciales leges Statuum singulorum lo« corumque adiuncta gravia afferri incommoda decreti « executioni; singulorum tamen Episcoporum conscien« tiam onerandam esse ut testamento vel alio instrumento « consulant securitati bonorum ecclesiasticorum quae penes « se sunt; quorum testamentorum duplicatum exemplar « apud Archiepiscopum deponant, Archiepiscopus autem « apud seniorem Episcopum, intra tres menses a sua con« secratione; quod si neglexerit Episcopus aliquis, mo« nebit eum officii Archiepiscopus, eumque diu cessantem « ad S. C. deferet. Idcirco orant PP. ut S. Sedes di« gnetur decreti rigorem hac ratione mitigare* ».

Concilium autem Plenarium III (an. 1884) haec habet in Tit. IX, Cap. II: « Summorum Pontificum ac « Praedecessorum nostrorum cura de bonis externis Ec« clesiae hac in regione secure firmiterque servandis « quanta fuerit, ex actis et decretis Conciliorum nostro« rum tam provincialium quam plenariorum apertum « est. Nec minori nos sollicitudine bonorum illorum « securitati providere intenti, Episcopos iterum iterum« que monemus oneratam esse suam conscientiam, ut « testamento vel alio legali documento, prout, spectatis « locorum adiunctis vel legum in suo Statu vigentium « indole, melius videtur, securae bonorum ecclesiastico« rum quae penes se sunt ad successores transmissioni « consulant ».

(*) Decreta Concilii Provincialis V. Baltim. confirmata fuere a S. C. de Prop. Fide decreto 30 Sept. 1843.

vi sia tal concorso di popolo, che il farla possa cagionar tumulto e disturbo, tanto più che, non essendovi impedimento, si devono visitare ad una ad una le stazioni. Ex hoc monito dubium oritur: An christifideles in magno populi concursu, maxime cum ecclesia repleta et compressa sit devotis, possint sine corporis motu de loco in locum Indulgentias *Viae Crucis* lucrari.

R. Negative, absque speciali indulto: singula enim Summorum Pontificum decreta affirmant inter alias conditiones pro acquirendis Stationum *Viae Crucis* Indulgentiis, necessario requiri aliquem corporis motum, ut clarius declaratum est ab hac S. C., nempe: *Che si passi da una stazione all'altra, per quanto permette o la moltitudine delle persone che le visitano, o la ristrettezza del luogo ove sono erette.*

919

Circa Communionem pro indulgentia papalis benedictionis.

S. C. Indulg. *19 Martii 1841* — Sanctitas Sua benigne declaravit: Per Confessionem et Communionem die Paschatis Resurrectionis peractam, et Indulgentiam plenariam papali Benedictioni adnexam lucrari, et satis praecepto Paschatis fieri.

920

De necessitate dispensationis et praescriptarum cautionum in matrimoniis mixtis.

Litt. Ap. Gregorii PP. XVI *30 Aprilis 1841* (AD EPP. HUNGAR.) — Quas vestro et communi istius Regni Antistitum nomine ad Nos per Ven. Fratrem Iosephum Episcopum Csanadiensem misistis, obsequentissimae literae partim moeroris, partim laetitiae causa Nobis extiterunt. Et sane cum pro Apostolici muneris officio sacrae doctrinae et disciplinae integritati cavere studiosissime debeamus, non possumus non moleste ferre quidquid in earum discrimen induci fortasse contingat. Exploratum porro satis superque est, quid Ecclesia de matrimoniis catholicos inter et acatholicos perpetuo senserit. Ipsa nimirum tamquam illicitas planeque perniciosas semper habuit eiusmodi nuptias tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones illas severe interdicentes, et recentiores Summorum Pontificum sanctiones, a quibus speciatim recensendis iuvat abstinere, cum ea abunde sufficiant, quae in rem disseruit insignis memoriae Praedecessor Noster Benedictus XIV in Encyclicis Literis ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celebratissimo opere quod *de Synodo Dioecesana* inscriptum est. Quod alicubi propter locorum ac temporum difficultatem talia connubia tolerentur, id profecto ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione adprobationis vel consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala affert necessitas, non voluntas; quemadmodum in data ad Archiep. Moguntinum die 9 Octobris 1803 epistola fel. rec. Pius VII, Decessoris sui ad Episcopos Vratislaviensem, Rosnaviensem, Scepusiensem responsiones commemorans, sapienter animadvertit. Hinc etiam accidit, ut, si aliquid de canonum severitate remittens haec Apostolica Sedes mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, id gravibus dumtaxat de causis, aegreque admodum fecerit, et nonnisi expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut coniux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce coniugiis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsa divina et naturali legi fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committit. Iam vero ex praedictis vestris litteris comperimus, per istius Regni dioeceses abusum communiter inolevisse, ut matrimonia catholicos inter et acatholicos, nulla licet accedente Ecclesiae dispensatione, nec praeviis necessariis cautionibus, per catholicos parochos benedictione sacrisque ritibus honestarentur. Ac propterea intelligitis, Vener. Fratres, quam graviter exinde affici debuerimus, maxime cum invectam ita lateque propagatam perspiceremus omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis in dies promotum funestissimum, uti vocant, indifferentismum in religionis negotio intra vastissimi illius Regni fines, quod antea catholicae fidei gloria tantopere praestabat. Nec sane dissimulamus, Nos sanctissimi, quo fungimur, muneris partes minime fuisse praetermissuros, si scilicet res pridem innotuisset. Hanc autem silentii Nostri causam ex eo etiam vobis pronum est coniicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus ad promiscuas nuptias isthic ineundas Apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis conditionibus, iniunctisque regulis, quae ex Sanctae huius Sedis instituto servari consueverunt.

Inter haec tamen non parum solatii Nobis allatum est, quod uno tempore de ingruenti malo certiores facti, didicerimus pariter adhibita per vos collegasque vestros studia ad illud opportune medendum. Et superabundavit quidem gaudio cor Nostrum, cum noverimus, quo coniunctim zelo inflammemini, ut catholicae fidei puritas illaesa usque permaneat; quaque unanimiter hanc Apostolicam Sedem, veritatis ducem et magistram, observantia ac devotione prosequamini, ad illius nutum crediti vobis pastoralis officii rationem sedulo dirigentes. Ubi

enim docti Nostris in rem ipsam declarationibus ad alias regiones spectantibus, perpendistis, praxim, quae isthic invaluerat, Ecclesiae principiis, ac legibus penitus adversari, ac proinde sine gravi periculo tolerari per vos diutius non posse: minime dubitastis communi consilio atque opera eidem tollendae ut par erat insistere, parati etiam fortiter sustinere pericula, si quae forent, pro aeterna vestra gregisque salute obeunda. Ad Nostram autem laetitiam complendam accesserunt uberes fructus, qui ex vestris curis illico dimanarunt. Neque etiam ignoramus, quam fideliter parochi, et reliquus clerus vestris ea de re monitis praeceptisque fuerint obsequuti, ita ut, illegitima consuetudine iam passim sublata, primaevae Sacrorum Canonum disciplinae consultum sit. Itaque gratulamur Vobis maiorem in modum, Vener. Fratres, et gratias agentes Deo, qui vosmetipsos in fidei suae ac doctrinae tutelam fortitudine induit ex alto, hortari ac vehementius etiam excitare non desistimus, ut pari firmitate atque constantia pergatis catholicae Ecclesiae causam propugnare, ne pravus usus uspiam reviviscat, et si quod adhuc superest illius germen funditus eradicetur. Interim vero non potuimus non attente respicere ad ea omnia, quae in memoratis Vestris literis addebatis, exponentes nimirum gravissimas circumstantiarum difficultates, unde permoti ac propemodum coacti tolerandum censuistis, ut siquando catholicus vir aut mulier, conantibus licet contra per debitas suasiones hortationesque sacris Pastoribus, in contrahendi mixti matrimonii citra necessarias cautiones sententia persistat, nec aliunde res absque maiori catholicae religionis discrimine valeat impediri: tum parochi matrimonio ipsi passive tantum intersint ab omni religioso ritu et a quovis adprobationis indicio prorsus abstinendo. Qua quidem providentiae forma dum propositum Vobis erat praesenti necessitati prudenter occurrere, arduum huiusmodi negotium ad Nos quamprimum deferendum statuistis, assensum in id Nostrum impetraturi, quem ex urgenti causarum concursu praesumi tunc quodammodo posse arbitrabamini. Et reapse Nos, qui, ceteroquin sanctissimis catholicae doctrinae institutis integre retinendis iugiter intenti, nequaquam omittimus calamitosis istarum regionum circumstantiis, ortisque inde vestris angustiis pro tradita Nobis potestate subvenire: quin susceptam per vos consilii rationem improbemus, petitioni vestrae ducimus indulgendum. Idque facimus congruenter ad ea, quae et Nos ipsi, Praedecessorum Nostrorum exemplo, circa aliarum ditionum loca haud ita pridem tolerantes admisimus; et iam ante alter illorum, sanctae nempe memoriae Pius VI pro aliqua ipsiusmet Hungarici Regni dioecesi pluries declaraverat. Is namque in responsione, quam tum an. 1782 Vindobonae degens, tum subsequenti post suum in urbem reditum dandam mandavit Episcopo Scepusiensi, quamque huius successori an. 1795 iterari iussit, ita de mixtis connubiis in iis temporum adiunctis agens mentem suam aperuit: « Quaecumque scilicet de hac re latae « essent leges, oportere, ut Episcopus et parochi « studiose et prudenter curent, ne huiusmodi « matrimonia fiant, et, si contrahantur, ut pro« les universa in catholica religione educetur: « quoties vero, ipsis invitis, secus fuerit factum, « abstineant semper a nuptiali benedictione im« pertienda, eorumque praesentia, si necessitas « urgeat, sit tantummodo materialis, neque acti« bus et declarationibus coniungatur, quae con« firment vel adprobent prolem aliter quam in « religione catholica posse educari ».

Matrimonii mixti sine cautionibus celebrationi parochum adesse aliquando tolerari.

Siquidem igitur, Venerabiles Fratres, in Regni istius dioecesibus ex temporum, locorum, ac personarum conditione quandoque contingat, ut matrimonium acatholici viri cum catholica muliere, et vicissim, deficientibus licet cautionibus ab Ecclesia praescriptis, abque maioris mali scandalique periculo, in religionis perniciem interverti omnino non possit, simulque (verbis utimur gloriosae memoriae Pii VII in supranunciata epistola ad Archiep. Moguntinum) in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse dignoscatur, si huiusmodi nuptiae quamtumlibet vetitae et illicitae, coram catholico parocho potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugerent, celebrentur: tunc parochus catholicus aliusve sacerdos eius vice fungens poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri *testis*, ut aiunt, *qualificati*, seu *auctorizabilis*, ita scilicet, ut utriusque coniugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat. His autem in circumstantiis, uti idem Decessor Noster apposite commendabat, haud impari, imo maiori etiam conatu et studio per Episcopos et parochos elaborandum est, ut a catholica parte perversionis periculum quoad fieri poterit, amoveatur, ut prolis utriusque sexus educationi in religione catholica, quo meliori modo fas erit, cautum sit, atque ut coniux catholicae fidei adhaerens serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici coniugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinendam erit opportunissimum.

Ceterum intime dolentes, quod haec tolerantiae ratio erga Regnum, professione catholicae religionis insigne, fuerit ineunda, sincerissime coram Deo profitemur, Nos ad ipsam unica de causa adduci, seu verius pertrahi, ne graviora Ecclesiae catholicae incommoda obveniant. Idcirco vos, Venerabiles Fratres, cunctosque collegas vestros per viscera Iesu Christi, cuius personam, immerentes utique, gerimus in terris,

tota animi contentione obtestamur, ut id demum in tam gravi negotio agere studeatis, quod implorato Spiritus Sancti lumine, istiusmodi fini revera censueritis respondere. Atque illud una simul satagite, ne tali tolerantiae ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos fiat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum ea matrimonia detestantium, et constantissimae curae qua Sancta Mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum iacturam contrahendis. His vestrum aliorumque sodalium Antistitum et parochorum erit, in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus, flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges ad connubia eadem pertinentes commemorare, accuratamque earum custodiam iniungere. Haec omnia *etc.* (1).

921

Circa communicationem in divinis cum acatholicis.

Ex Instr. S. C. S. Off. *12 Maii 1841* (AD EP. SANCTORIEN.) — 1. Non sarà lecito a verun Vescovo cattolico sebbene invitato dal governo greco scismatico, nelle feste di detta corte, di unirsi al governatore, per intervenire alla chiesa greca scismatica a cantare la *doxologia* quasi che come superiore dei cattolici vi prendesse parte al pari delle altre autorità civili ed ecclesiastiche scismatiche.

2. I cattolici, i quali, come impiegati civili del governo, sono invitati ed obbligati dal governo greco d'intervenire alle funzioni, che per feste di corte si fanno nelle chiese greche scismatiche, non celebrandosi la Messa, non si avranno ad inquietare, se per tali loro personali circostanze, intervengano alla doxologia purchè non prendano parte nella medesima, *et meram praesentiam materialem exhibeant causa honoris civilis.*

3. I Vescovi cattolici invitati dal governatore locale per le feste di corte a solennizzarle nelle loro chiese, si limitino al solo canto dell'*inno ambrosiano, e alla benedizione del Sagramento,* dopo la quale siavi la solita trina acclamazione « Viva il Re ». Può qui aversi in memoria l'avviso dato già in altra istruzione in occasione di pubbliche preghiere ordinate da un Principe acattolico, che cioè l'indirizzassero non pel solo bene temporale del sovrano e del governo, ma bensì per la vera felicità, che è il prezioso dono della fede, e l'essere nel seno della vera Chiesa.

4. Essi Vescovi in tali circostanze mai facciano pontificale, o facciano da altri cantare Messa, onde così evitare che, intervenendovi il governatore scismatico coi suoi officiali, si dia loro *l'incenso e la pace, non essendo ciò lecito per verun pretesto.*

5. Si ometta perciò l'invito del governatore scismatico alla Messa solenne nelle feste del S. Protettore, affinchè non siavi occasione di devenire a questi atti, che non possono permettersi.

6. A questa istruzione attengasi ogni volta che si volesse dal governo per istraordinarie circostanze qualche ecclesiastica funzione.

---

(1) In Instructione *30 Aprilis 1841* ad Episcopos Hungariae ab Emo Card. Lambruschini iussu Sanctitatis Suae transmissa haec adiecta sunt: « ..... Per« motus praeterea SSmus D. N. iis quae in praenun« ciatis litteris per Hungaricos Antistites addebantur, « quaeque ex ipsorum sensu uberius expressit Episcopus « Csanadiensis, tali nempe providentiae forma haud « satis mederi multiplici regionum necessitati, nec au« ferri suarum et cleri anxietatum causas, habita prae« sertim ratione nuptiarum, quas ob denegatam etiam « ex defectu cautionum catholici parochi benedictionem « coram acatholico ministro iniri contingat: alia non« nulla pari benignitate decrevit super mixtis connubiis « in Hungariae Regno, et Magno Transylvaniae Ducatu « indulgenda seu toleranda. Itaque praesenti instructione « Primati, Archiepiscopis, et Episcopis eiusdem Regni « Pontificio nomine significatur: si recensitae superius « circumstantiae in re, de qua agitur, intercesserint, « pati ipsos ulterius posse, ut a parocho catholico tum « consuetae proclamationes fiant, omni tamen praeter« missa mentione circa religionem illorum, qui nuptias « sint contracturi: tum etiam de peractis hisce procla« mationibus literae mere testimoniales concedantur, in « quibus (dummodo nullum adsit dirimens impedimen« tum) unice enuncietur, nil aliud, praeter Ecclesiae « vetitum ob mixtae religionis impedimentum, conci« liando matrimonio obstare, nullo prorsus addito verbo, « unde consensus aut adprobationis vel levis suspicio « sit oritura. Quod autem attinet ad connubiorum isto« rum coram acatholico ministro, seu non servata « Conc. Tridentini forma, celebrationem: erit omnino « Sacrorum Praesulum ac parochorum studiosissime « instare atque in caritate Dei et patientia Christi par« tem catholicam hortari ac monere, ut illam nimirum « ab tanti scandali turpitudine, quantum possint, abs« terreant. Siquidem vero huiusmodi ipsorum monitis « atque hortamentis nihil, quod absit, proficientibus, « mixta matrimonia ea ratione fuerint inita: inspectis « tam praeteritis, quam praesentibus locorum, de quibus « sermo est, peculiaribus circumstantiis, erunt ab Epi« scopis et parochis prudenter dissimulanda, et, quam« vis illicita, pro validis habenda; nisi tamen canoni« cum aliunde officiat dirimens impedimentum, seu in « nuptiarum celebratione appositae fuerint conditiones « substantiae matrimonii ex catholica doctrina repu« gnantes. Ceterum quocumque demum modo mixta « haec matrimonia citra Ecclesiae dispensationem et « necessarias cautiones, sive per passivam catholici « parochi praesentiam, sive coram acatholico ministro « contracta fuerint: illud Episcopis et parochis San« ctitas Sua magnopere commendat, ut omni pastorali « sollicitudine catholicum coniugem ad patratae culpae « detestationem, congruamque poenitentiam opportune « conentur excitare, eumque solerter adducant ad obli« gationes implendas, quibus gravissime tenentur, illam « praesertim, quae est de catholica universae prolis edu« catione impense curanda. Quae si ex voto contingant, « adeoque constet eum revera resipuisse, paratumque « esse ad opportunam, quoad valuerit, scandali repara« tionem, tunc sane poterit ipse sacramentorum Eccle« siae particeps fieri, quemadmodum respondens die 13 « Iul. 1782 Archiepiscopo Mechliniensi sanctae memo« riae Pius VI in rem adnotavit ».

7. Si procuri di evitare il reciproco intervento dei cattolici alle chiese scismatiche, e degli scismatici alle cattoliche, potendo piuttosto ciascuno nelle respettive chiese eseguirle secondo la propria professione.

8. Col mezzo dei confessori, e con quelle cautele che suggeriranno le circostanze locali e personali, colla maggior riserva i Vescovi istruiranno nei casi occorrenti quei cattolici, che si trovino nelle occasioni considerate in questa istruzione.

922

Circa requisita ad acquirendas Indulgentias.

S. C. Indulg. *23 Maii 1841.* – Briocen. – 1. An eodem die lucrari possint plures indulgentiae plenariae, quando pro unaquaque praescripta est perceptio divinae Eucharistiae.

2. An possit per preces iam obligatorias, v. gr. per Horas canonicas satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucrandam indulgentiam plenariam.

3. An sufficiant quinque *Pater* et *Ave* quae recitari solent ob adimplendam Summi Pontificis intentionem, quando praescriptum est ut visitetur ecclesia vel altare, ibique fundantur preces.

4. An idem vir possit aggregari multis sodalitatibus, et lucrari indulgentias unicuique concessas, dummodo conditiones praescriptas impleat.

5. An quando possessor coronae Domini vel crucis, cui applicatae sunt Indulgentiae *Viae Crucis,* preces praescriptas recitat una cum aliis, qui sibi non habent sive coronam, sive crucem tali privilegio ditatam, possint adstantes et simul recitantes easdem Indulgentias lucrari, quas lucratur possessor coronae seu crucis?

Circa facultatem benedicendi numismata etc. quoad numerum.

6. An in facultate a S. Sede concessa benedicendi *pro numero mille* cruces, crucifixos, numismata, etc. haec verba *pro numero mille* intelligenda sint de mille crucibus, mille crucifixis, mille numismatibus, etc.

R. Ad 1 Affirmative, servatis tamen aliis appositis conditionibus.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Preces requisitae in indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem sunt ad uniuscuiusque fidelis lubitum, nisi peculiariter assignentur.

Ad 4. Affirmative.

Ad 5. Negative absque speciali facultate.

Ad 6. Negative, sed *mille* in totum.

923

Circa facultatum prorogationem.

S. C. de Prop. F. *5 Iulii 1841.* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — Se, fattane la domanda per la rinnovazione, l'indulto dato di poter usare delle facoltà spirate debba intendersi delle ordinarie soltanto, o delle straordinarie ancora e particolari.

R. Affirmative iuxta modum; nempe quoad facultates extraordinarias et particulares, quae pro determinato casuum numero conceduntur, renovatae intelligantur pro eadem quantitate si biennio transacto a die postulationis, Vicarii Apostolici responsum non acceperint.

924

De usu sacrorum oleorum veterum.

S. C. de Prop. F. *5 Iulii 1841.* (C. P. pro Sin.) — Chan-si — Se accordare ai missionarî la facoltà di usare gli olî santi vecchi, ritardando i nuovi.

R. Affirmative iuxta mentem, quae est ut hac facultate utantur ipsa die Sabbati Sancti, quin unius mensis spatio olea praestolentur.

925

De Missa defunctorum pro Indulgentia altaris privilegiati.

S. C. de Prop. F. *5 Iulii 1841.* (C. P. pro Sin.) — Utrum festum semiduplex sit causa iusta ut Missa de Requie celebrari nequeat, et nihilominus indulgentia altaris privilegiati lucrifieri possit.

R. Negative.

926

In functionibus maioris hebdomadae Imperator infidelis haud nominandus.

S. C. de Prop. F. *5 Iulii. 1841.* (C. P. pro Sin.) — Chan-si — Se nell'orazione del Venerdì Santo *pro Imperatore* debbasi leggere il nome del sovrano cinese, al quale taluno dei missionari sostituisce il nome dell'Imperatore di Austria.

R. Omittendum; et item in Praeconio paschali verba quae ipsum respiciunt.

927

Circa festorum translationem ad diem Dominicam.

S. C. de Prop. F. *5 Iulii 1841* (C. P. pro Sin.) — Siam — Se le feste (patronali) trasferite alla Domenica seguente per apostolico indulto, possano celebrarsi nell'antecedente, quando questa sia più prossima alla festa.

R. Negative.

928

De administratione Eucharistiae damnatis ad mortem.

S. C. de Prop. F. *21 Iulii 1841.* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — 1. Quid de christianis vel sacerdotibus, propter fidem non solum ad carceres perpetuos vel temporales damnatis, sed ad mortem laqueo vel gladio subeundam? Potestne illis deferri SS. Sacramentum pridie, vel ipso die eorum executionis? Et tunc debet illis administrari tamquam Viaticum moribundis, vel tamquam Communio ordinaria benevalentibus?

2. Quid de christianis ad carcerem vel etiam ad mortem damnatis non propter fidem sed ob crimina vera, vel illis iniuste imputata (quod

non raro)? Potestne illis attritis et sacramentaliter absolutis deferri SS. Eucharistiae Sacramentum, maxime si illud petant?

De fidei confessoribus ss. Eucharistiam sibimet administrantibus.

3. An permitti potest in hoc persecutionis tempore ut fidei confessores ad mortem propter fidem damnati, et quibus in carcere defertur SS. Euchar. Sacramentum occulte, possint illud suis manibus accipere et sese occulte communicare, ne sacerdos illos more ordinario communicans a persecutoribus agnoscatur et prehendatur; vel satiusne est in illo casu ab illis confessoribus communicandis abstinere, maximo cum illorum animae detrimento?

R. Ad 1. Affirmative, et per modum Viatici.

Ad 2. Affirmative, et ad mentem, quae est ut Vicarius Ap. quam maxime curet ut damnati ad mortem coelesti pane reficiantur.

Ad 3. Affirmative quoad primam partem, dummodo nullo irreverentiae aut conculcationis periculo tantum Sacramentum exponatur.

929

Circa modum quemdam interpellationis coniugis infidelis.

S. C. de Prop. F. *21 Iulii 1841.* (C. P. PRO SIN.) — TUNK. OCCID. — Titia infidelis a suo marito infideli repudiata, et postea christiana facta, Paulo christiano nubere vult. Sacerdos illi praecipit interpellationem de iure suo marito infideli facere; sed illa sic tantum illum interpellavit: *Visne ut ad te redeam?* seu *visne me iterum ut tuam uxorem habere et recipere?* Cui ille: *Non, i quo volueris.* Statim Titia rediit ut cum Paulo nubat. Quaero an illud licite et valide possit sine nova interpellatione, et sine ulla ab ea dispensatione: an interpellatio a Titia facta modo supra relato valida et sufficiens sit ad matrimonium valide et licite contrahendum cum christiano.

R. Attentis locorum et temporum circumstantiis, non esse inquietandos, et rem arbitrio et prudentiae Vicarii Ap. remitti.

930

Circa facultatem dispensandi in matrimoniis conversorum.

S. C. de Prop. F. *21 Iulii 1841.* (C. G. PRO SIN.) — TUNK. ORIENT. — Se possa il Vic. Ap. usare coi cattolici delle facoltà accordategli per dispensare nei matrimonii con i convertiti dalla eresia o dall'infedeltà.

R. Detur Decretum diei 17 April. 1828 *(V. n. 802)* ac etiam Instructio Bened. XIV. *(V. n. 402).*

931

An quaedam pactio cum paganis sit cooperatio ad superstitiosa.

S. C. de Prop. F. *21 Iulii 1841.* (C. P. PRO SIN.) – TUNK. OCCID. – Nunc ex edicto regis coguntur christiani fana idolis, et templa progenitoribus erigere. Porro plurimis in locis, ubi pagani et christiani mixti sunt, christiani cum paganis paciscuntur quod ipsi sustinebunt ad libitum suum, et quomodo poterunt, maiorem, vel aliquam specialem partem operum publicorum et licitorum in pago, modo pagani non illos inquietent circa superstitiones, non illos mandarinis prodant et accusent, et insuper tractent negotium superstitionum coram mandarinis pro toto pago ad libitum et quomodo poterunt. Sic agendo christiani non intendunt ut pagani ipsorum loco superstitiosa peragant, sed intendunt solummodo sese a superstitionibus faciendis liberare, et sese mandarinis occultare. Caeterum pagani nec maiores nec numero plures faciunt superstitiones quam de more suo faciunt. Quaero an talis pactio christianos inter et paganos sit licita, attentis superius dictis, attenta insuper ratione quod nisi tali modo paciscantur christiani cum paganis, vel superstitiones peragent, vel innumerabiles vexationes sustinere cogentur.

R. Prout exponitur, posse tolerari, seu non esse inquietandos.

932

Circa nuptialem benedictionem.

S. C. de Prop. F. *21 Iulii 1841.* (C. P. PRO SIN.) — TUNK. OCCID. — 1. Benedictio nuptialis quae est in Rituali prohibeturne dari tempore vetito? An vero hoc tempore prohibetur tantum benedictio quae est in Missali?

2. In quantum affirmative ad primam partem praefati dubii, an saltem cum permissu Vicarii Ap. licite possit dari tempore vetito benedictio Ritualis tam iam matrimonio iunctis quam iungi intendentibus? In quantum autem affirmative ad secundam partem primi dubii, an Vicarius Ap. permittere possit ut, eodem tempore vetito, illa Missalis benedictio detur, saltem iam matrimonio iunctis in absentia sacerdotis et absque illa benedictione? Quod si negative ad duplicem partem huius secundi dubii, humiliter postulo hanc facultatem.

3. Benedictio quae est in Missali potestne dari illis qui sine illa benedictione iam matrimonio iuncti sunt in primis nuptiis, quando mulier iam gravida est, vel iam filios peperit? Item iis qui hic et nunc de praesenti matrimonium contrahunt in primis nuptiis, quando sponsa cognoscitur gravida, vel iam ante matrimonium filios ex fornicatione genuit?

4. Quando datur benedictio nuptialis iis qui iam valide matrimonio iuncti sunt, debetne recitari formula: *Ego vos in matrimonium coniungo,* sine renovatione consensus? Quid quando dubitatur (ut saepissime) an iam valide contraxerint necne?

5. Estne necessarium ut qui iam valide matrimonio iuncti sunt, sint ambo in statu gratiae, ut licite possint recipere benedictionem nuptialem, sive quae in Rituali, sive quae in

Missali est, et quam petunt non ad validitatem eorum matrimonii, sed tantum ne Sacramenti dignitas vilescat, et ut fructus spirituales ex hac benedictione recipiant? In praefato casu sacerdos potestne et debetne illos adhortari ut sese praesentent ad benedictionem nuptialem recipiendam? Quid, si una pars est absolutionis capax, altera non?

R. Ad 1. Negative ad primam partem, dummodo non adsit consuetudo non contrahendi matrimonium, etiam sine solemnitate, tempore vetito; affirmative ad secundam.

Ad 2. Affirmative ad primam partem, quatenus adsit supradicta consuetudo; negative ad secundam, sed supplicandum SSmo pro facultate. Quam benigne concessit ad formam concessionis pro Vicario Apostolico Sutchuensi anno 1796 *(V. n. 631)*.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Ad primam partem: Detur Instructio anni 1806 (1). Ad secundam partem, consulat probatos auctores.

Ad 5. Ad primam partem, convenit; ad secundam, provisum in prima.

933

Facultas pro Superioribus interinis Missionum Sinensium administrandi Sacramentum Confirmationis.

Decr. S. C. de Prop. F. *29 Iulii 1841.* — Cum fieri quandoque possit, ac factum revera aliquando sit, ut in remotissimis Missionum Sinarum, ac finitimorum regnorum regionibus Praesule episcopali charactere insignito, cui unaquaeque illarum credita est, vita functo, vel successor iam designatus nondum sit consecratus Episcopus, vel haud tam cito alter Antistes viduatae Missioni praefici queat: S. Congregatio de Propaganda Fide in Particulari Conventu super negotiis Missionum earumdem habito die 21 Iulii anno 1841, ut spiritualibus fidelium necessitatibus in memorato casu provideatur, censuit, ac decrevit supplicandum Sanctissimo, qui dignaretur pro antedictis Missionibus concedere ut, Sede vacante, Superior interinus vel Vicarius Generalis, cui iuxta Constitutionem sa. me. Benedicti XIV *Ex sublimi* etc. ecclesiastica iurisdictio devoluta est, vel electus Vicarius Apostolicus nondum consecratus, Confirmationis Sacramentum administrare eamdemque facultatem uni vel alteri ex sacerdotibus vacantis Vicariatus aut Dioecesis subdelegare possint.

Hanc autem S. C. sententiam SSmo D. N. Gregorio PP. XIV. . . relatam die 26 mensis et anni, ut supra, Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, petitamque facultatem indulsit.

934

De benedictione cum indulg. plen. damnatis ad mortem.

S. C. de Prop. F. *10 Aug. 1841.* (C. P. pro Sinis) — Tunk. Occid. — Utrum Indulgentia plenaria in articulo mortis concedi possit damnatis ad mortem, dum ad illam subeundam ducuntur, vel eadem die qua eam subituri sunt?

R. Affirmative, cum fieri poterit.

935

Circa apostatas et eos qui contra fidem lapsi sunt ad tempus tantum.

Litt. S. C. de Prop. F. *10 Aug. 1841.* — (Ad Vic. Ap. Tunk. Occid.) — Duo solvenda proposuisti: 1. Utrum contra fidem lapsi ad tempus tantum, seu qui fidem negarunt, vel Crucem calcarunt coram mandarinis, sed domum suam reversi religionem observant ut de more, inciderint in excommunicationem contra haereticos et apostatas latam. — 2. Utrum sic circa fidem lapsi, et etiam apostatae, possint et debeant ad tribunal Poenitentiae invitari et admitti, antequam suam apostasiam vel suum lapsum coram cristifidelibus abiuraverint, non equidem ut statim absolvantur, sed ut confiteantur peccata sua, et hac occasione instruantur, et paulatim ad absolutionem praeparentur. — Super hisce S. C. censuit dandam Amplitudini Tuae Instructionem anni 1817 quam hic adiectam invenies quae data iam fuit Vicario Ap. Sutchuensi *(V. n. 723)*, iuxta quam te gerere poteris in memoratis casibus; ac insuper consulas monet Synodum Sutchuensem cap. VI. n. 5. (2).

936

Circa sacras functiones, praesertim hebdomadae sanctae.

Litt. S. C. de Prop. F. *10 Aug. 1841.* – (Ad Vic. Ap. Tunk. Occid.) – Circa Missionis paroecias vel ecclesias, et sacras functiones, ad dubium primum quod attinet, exortum quoad Missae celebrationem in feria V maioris Hebdomadae, Amplitudinem Tuam certiorem facimus, quod nuper SSmus D. ad decennium benigne facultatem dedit, pro cunctis Missionibus ad Sinas, celebrandi Missam lectam tam in supradicta feria V, quam in Sabbato Sancto. Hinc ad alterum dubium, nempe: « Cum sacerdotum indigenarum districtus non sint verae et pro-

(1) Ita se habet Instructio an. 1806: « Trattandosi « di sola benedizione nuziale, dovrà piuttosto ai con- « iugi dichiarare che una tal benedizione, benchè utile « e salutare, non è però necessaria alla validità e inso- « lubilità del loro coniugio, e recitare perciò sopra gli « sposi ciò che prescrive il Rituale Romano, prescin- « dendo dal richieder loro la rinnovazione del consenso, « e dal proferir le parole *Ego vos coniungo etc.* ».

(2) Haec ibi: « .... Quoad vero apostatas a fide ad « poenitentiam redeuntes, teneantur tantum semel apo- « stasiam abiurare coram fidelibus, et abstinere coram « infidelibus ab actibus infidelitatis; abiuratione autem « peracta, admittantur ut ceteri peccatores ad confes- « sionem sacramentalem, et, si rite fuerint dispositi, « absolvantur a peccatis, iniunctis poenitentiis salutari- « bus arbitrio confessarii ».

prie dictae parochiae, quaeritur utrum, quando in aliquo districtu plures sunt sacerdotes, omnes possint celebrare Officium Sabbati Sancti; et, in quantum affirmative, quaeritur an in praefato casu omnes debeant facere Officium completum, id est, cum benedictione cerei, ignis novi, etc., vel sufficitne ut Officium completum fiat ab uno sacerdote, dum alter vel alii simpliciter Missam celebrant in alio loco, ut fideles illam audire possint. Idem est dubium circa benedictionem candelarum, cinerum, palmarum, an nempe fieri possit a diversis sacerdotibus in pluribus eiusdem parochiae seu districtus locis ». S. C. respondit: — Affirmative ad primum, et detur decretum S. Rituum C. diei 10 Decembris anni 1703, quo statutum est functiones omnes Hebdomadae Sanctae non esse de iuribus mere parochialibus. — Quoad secundum, provisum per facultates elargitas celebrandi Missam lectam in Sabbato Sancto. — Quoad tertium, ut ad primum.

937

Approbatio Missae votivae *pro fidei propagatione.*

Decr. S. C. de Prop. Fide *21 Aug. 1841.* Cum tanta sit quae ad Ecclesiae bonum ubique terrarum promovendum ex optime merita Societate Propagationis Fidei in Gallia instituta resultat utilitas, S. C. de Prop. Fide illam Societatem impense iuvandam et favore suo prosequendam esse iudicavit. Itaque in generali Conventu die 9 Augusti an. 1841 habito, eadem S. C. censuit ac decrevit supplicandum SSmo D. N. ut facultatem concedere dignaretur, qua in omnibus dioecesibus in quibus vel nunc adest, vel in posterum aderit memorata Societas, diebus non impeditis, celebrari possit Missa votiva *pro Fidei Propagatione* ab Ap. Sede probata pro locis Missionum, cuius Missae collectas addere liceat in Missis, quae recurrentibus Societatis festis celebrabuntur, ita tamen ut collectae istae quando festum celebretur ritu duplici primae classis recitari debeant sub unica conclusione. Hanc autem S. Congregationis sententiam Sanctitas Sua in omnibus approbavit, et petitam facultatem benigne concessit.

938

De nuptiali benedictione et Missa *pro sponsis.*

S. C. S. Off. *1 Sept. 1841.* — 1. Licite matrimonium contractum coram parocho benedici ab alio sacerdote de consensu parochi vel Ordinarii. — 2. Quoad Missam celebrandam *de sponsis* vel *de sancto* standum decreto S. R. C. die 3 Martii 1818. *(V. n. 728)* — 3. Sacerdotem non teneri Missam applicare pro sponsis nisi ab iisdem eleemosynam accipiat. — 4. In eadem Missa posse sacerdotem plures sponsos benedicere. — 5. Ab eodem sacerdote celebrante aspergendos esse aqua benedicta sponsos ante altare genuflexos, non autem ab alio sacerdote. — 6. Non licere sponsos benedicere in Missa defunctorum, sed potius transferendam esse benedictionem ad aliam diem. — 7. Quando plures simul copulantur, accepto primum singulorum consensu, et rite celebratis singulis matrimoniis, dictaque pro singulis a parocho forma *Ego vos coniungo in matrimonium*, etc., nihil obstat quominus benedictiones annulorum et reliquae benedictiones fiant in communi per verba generalia.

939

De tempore baptismatis parvulis conferendi.

Litt. S. C. de Prop. F. *11 Sept. 1841* – (ad Vic. Ap. Coreae) – Circa praxim ab Amplitudine tua statutam quoad parvulorum Baptisma *intra decem dies ad summum, per sacerdotes, si detur opportunitas, vel per catechistam non vero per aliam personam, excepto casu necessitatis, conferendum*, EE. PP. standum omnino existimarunt Synodi Sutchuensis praescriptionibus.

Ex Synodo Sutchuensi: « Praeterea, cum in hisce regionibus vigeat consuetudo minime tuta ut parentes recens natos infantes in eodem lecto secum deponant, aliunde vero missionarii districtus suos nonnisi semel in anno perlustrare valeant: ne periculum subsit infantibus intereundi sine Baptismate, uti iam non semel accidit, in singulis christianitatibus specialiter edoceantur viri idonei atque mulieres, in primis vero catechista, qui pueros recenter natos, etiamsi non infirmos, baptizent, supplente dein presbytero, cum adventaverit, Baptismatis caeremonias: moneanturque parentes ut, quam primum commode fieri poterit, eos aqua salutari ablui procurent. Prudens valde est ut intra triduum abluantur; ne autem sacramentum tam necessarium diu nimis protrahatur cum periculo salutis, praefinimus octo dies ab infantis nativitate, mandamusque ut ultra hunc terminum non differatur ».

940

De quadam omissione in Confirmationis collatione a presbytero.

Ex Litt. S. C. de Prop. F. *11 Sept. 1841* — (ad Vic. Ap. Coreae) — De Confirmatione a presbytero ex Apostolico indulto collata, quamvis ut narras, omissa quandoque fuerit monitio de ministro huiusce Sacramenti, et de facultate extraordinaria presbytero administranti elargita, iuxta Instructionem S. C., nihilominus validum fuit Sacramentum. Moneas tamen missionarios ceteroquin oportet servandam omnino esse Instructionem de qua sermo.

Circa participationem sacrificiis et idolothytis ethnicorum.

His porro quae addebas, nempe quoad participationem sacrificiis et idolothytis, vel quoad cibos idolis oblatos et a paganis divitibus pagi fidelibus pauperibus distributos, Emi PP. ad rem esse duxerunt responsiones datas a Suprema Inquisitione anno 1768, 15 Decembris,

quibusdam quaestionibus operariorum in Sinis, nec non ab ipsa hac S. C. die 16 Ianuarii anni 1797 peculiari dubio a Vicario Ap. Sutchuensi proposito quas responsiones adiicimus *(V. nn. 470, 637)*.

De indulto Missam tecto capite celebrandi.

Circa vero facultatem celebrandi Missam tecto capite, ob allatas rationes, ea iuxta Breve Pauli V *(V. n. 206)*, et Alexandri VII Indultum uti etiam poteris, non obstante praedecessoris tui prohibitione. Privilegium enim hoc ab Apostolica Sede Vicariis Ap. eorumque operariis concessum est, ac viget adhuc, eo quod nondum ab eadem S. Sede aliter declaratum fuit, uti in eodem Indulto legitur. Quod si abusus in hoc irrepserint aliqui, nec ea quae a Paulo V praescripta sunt rite serventur, rem S. Congregationi referes, ut provideatur.

941

Circa Communionem paschalem in Fer. V in *Coena Domini*.

S. C. de Prop. Fide *11 Sept. 1841* — Siam. — An sit approbanda et retinenda consuetudo, quae viget in Bankok, non dandi Communionem Paschalem in Feria V *in Coena Domini*.

R. Probe consideranti perspicuum erit, abusum potius quam consuetudinem appellari posse, quem propterea omnino tollendum EE. Patres Vicario Ap. commendant.

942

Circa *Viae Crucis* erectionem.

S. C. Indulg. *25 Sept. 1841* — Apamien. — An pro validitate erectionis Viae Crucis, et ad lucrandas Indulgentias ipsi adnexas, sit absolute necessarius processus verbalis ab Episcopo, vel ab eius Vicario conficiendus: an sufficiat facultas a S. Sede per rescriptum obtenta?

R. Circa erectionem Stationum Viae Crucis, impetratis antea ab Apostolica Sede necessariis et opportunis facultatibus, omnia ac singula, quae talem erectionem respiciunt, scripto fiant, tam nempe postulatio, quam erectionis eiusdem concessio, quarum instrumentum in codicibus, seu in actis episcopatus remaneat, et testimonium saltem in codicibus paroeciae seu loci, ubi fuerint erectae praefatae Stationes, inseratur.

943

De sacramentali confessione in ordine ad Indulgentias.

S. C. Indulg. *15 Dec. 1841* — I. Per decretum S. C. Indulg., datum die 12 Iunii 1822, conceditur confessionem sacramentalem peractam infra hebdomadam ante festivitatem suffragari posse ad Indulgentiam lucrandam *(V. n. 772)*. Quaeritur: 1. An verba *infra hebdomadam* significent octo dies tantum, quae festivitatem immediate praecedunt, an vero hebdomadam illam totam et integram, quae ante festum decurrit, ita ut, ex. gr., Confessio facta die dominica suffragetur ad lucrandam Indulgentiam die sabbati hebdomadae sequentis, in quam diem festum incideret, tametsi tunc 13 dies inter Confessionem et festivitatem intercessissent. — 2. An Confessio octavo die ante festivitatem peracta, vi huius indulti, suffragetur tantum ad unam Indulgentiam lucrandam: an vero per hanc Confessionem aliae etiam lucrifieri possint Indulgentiae, quae infra praedictum tempus occurrent, et ad quas lucrandas sacramentalis confessio caeteroquin requireretur.

II. Utrum cum in Bulla vel Brevi, quo conceditur Indulgentia, Confessio tanquam conditio *sine qua non* praescribitur, necesse sit ut sacramentalis absolutio poenitentibus detur ad Indulgentiam lucrandam.

R. Ad I; Quoad primam partem 1. quaesiti: Affirmative; quoad secundum partem: Negative. Quoad primam partem 2. quaesiti: Negative: Affirmative quoad secundam partem.

Ad II. Negative.

944

Altare portatile nequit esse privilegiatum.

S. C. Indulg. *15 Decemb. 1841* — Mechlinien. — Si a S. Sede indultum locale altaris privilegiati conceditur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello nec in rescripto de qualitate altaris, sitne fixum scilicet vel portatile, an altare censeri possit privilegiatum etiamsi sit portatile.

R. Negative.

945

Circa piarum sodalitatum erectionem.

S. C. Indulg. *25 Ianuarii 1842* — Cum Episcopus Cameracensis, in erigendis sodalitatibus cuiuscumque tituli, unicuique sodalitati eadem statuta servanda tradiderit, quin mentio fiat in ipsis de aliquo pio opere a sodalibus exercendo, quaerit a S. C.:

1. Utrum Indulgentiae, talibus ab Apostolica Sede concessae, validae sint, et an sodales eas lucrari possint, adimpletis tantum conditionibus in pontificiis concessionibus praescriptis.

2. Utrum praefata statuta servanda sint sub poena nullitatis Indulgentiarum, ita ut fideles Indulgentiis priventur ob eorum inobservantiam, sive integram, sive ex parte tantum.

3. Utrum receptio fidelium, seu adscriptio in Sodalitatem, facta a parocho respectivo illius ecclesiae in qua sodalitas reperitur erecta sufficiens sit ad lucrandas adnexas Indulgentias, quamvis statuta mentionem non faciant quod parochus debeat esse sodalitatis rector.

4. Utrum Episcopi, qui ab Apostolica Sede facultatibus sunt muniti communicandi Indulgentias sodalitatibus, quas in propriis dioecesibus erexerunt, debeant, sub poena nullitatis ne-

cessario uti formula a san. mem. Clemente VIII approbata: an satis erit eas erigere cum diplomate cuiuscumque formulae, episcopali signo obsignato, in quo, citato apostolico indulto, mentio quoque fiat tum de necessitate adscribendi sodalium nomina in sodalitatis album, tum de distantia servanda, prout Clemens VIII san. mem. in sua Constitutione praescribit.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Dummodo sodalitates sint canonice erectae, et sodales adimpleant opera iniuncta a Summis Pontificibus pro lucrandis Indulgentiis suae respective confraternitati adnexis, ipsique sodales legitime descripti fuerint in confraternitatem, inobservantia partialis seu generalis statutorum non obest acquisitioni Indulgentiarum, ex eo quod statuta sunt potius ad regimen et ad rectam sodalitatis administrationem data, minime vero tanquam iniuncta opera ad Indulgentias acquirendas.

Ad 3. Affirmative, quatenus parochus sit ab Episcopo erigente deputatus ad recipiendos sodales, etiamsi nulla de eo facta sit mentio in statutis.

Ad 4. Quoad 1. partem: Negative. Quoad 2. partem: Ordinarii se conformare debent Litteris Apostolicis particularibus ab ipsis Ordinariis obtentis, et ubi in concessionibus enunciatur: *Servata Constitutione Clementis VIII,* hoc respicit conditiones in ipsa Constitutione enunciatas, quae sunt observandae, minime vero formulam quae respicit Superiores Regulares in eorum Ordinis tantum sodalitatibus erigendis.

946

De sacris Ordinibus sine debita intentione accedentis.

S. C. S. Off. *2 Martii 1842* — ANGLIAE — Titius, dum Episcopus confert ei Ordinem Subdiaconatus, interna mentis intentione renuit, nec vult vere acceptare Ordinem illum, nec contrahere obligationem perpetuae castitatis; deinde eodem prorsus modo ordinatur diaconus; denique Ordinem Presbyteratus accipit cum debita interna intentione, eumque Ordinem vere et sincere acceptat. *Quid agendum?*

R. Ad Emum Maiorem Poenitentiarium, ut Titium promotum ad Presbyteratum per saltum dispenset a suspensione et irregularitate, et mandet ut omissos Ordines Subdiaconatus et Diaconatus secrete recipiat a quocumque catholico Antistite extra tempora, non servatis interstitiis, et absque dimissoriis proprii Episcopi, in quibuscumque diebus festis, etiam continuis, et postea possit rite Missam in posterum celebrare, aliaque sacerdotalia munia valide et licite exercere.

947

De dispensatione super impedim. affinitatis ex licita simul et ex licita.

S. Poenit. Ap. *29 Martii 1842* — Bme Pater — Episcopus Namurcensis humillimus Sanctitatis Vestrae orator exponit, in sua dioecesi, uti et in aliis plurimis locis, non raros esse casus, in quibus pro matrimonio ineundo petenda sit dispensatio super impedimento affinitatis primi, vel secundi gradus lineae collateralis; saepe autem contingere, ut hoc impedimentum ortum fuerit nedum ex matrimonio praecedenti consummato cum defuncto coniuge oratoris, vel oratricis, sed etiam ex copula antimatrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata. Iamvero cum dubitaretur, an hisce in casibus satis esset postulare dispensationem super affinitate ex consummato matrimonio proveniente, vel opus foret indicare etiam illicitam copulam antea habitam, Vicarius tunc Capitularis huius dioecesis rem detulit ad Sacram Congregationem Propagandae Fidei; et a Praesule Congregationis eiusdem Secretario anno 1827 auctoritate Summi Pontificis Leonis XII responsum accepit, utramque affinitatis originem in propositis casibus esse narrandam. Verum propter conditionem temporum hominumque malitiam non parva inde difficultas contingit, cum Ordinarius, seu executor dispensationum, necessariam in occurrentibus casibus informationem instituit, nam interrogationes circa hoc punctum sunt plerisque oratoribus valde odiosae, aliis ridiculae, ita ut apud ipsos executor nonnunquam veniat in suspicionem pravae curiositatis. Quare Episcopus orator valde optat, et rogat, ut obligatio illa copulae antimatrimonialis in praefatis casibus explicandae, suprema, si videbitur, Sanctitatis Vestrae auctoritate tollatur.

R. Sacra Poenitentiaria, attentis expositis, et re universa mature graviterque perpensa, factaque de his relatione SSmo Dño Nostro Papae Gregorio XVI, de eius speciali et expresso mandato, Ven. in Christo Patri Episcopo Namurcen. Oratori respondet, Sanctitatem Suam Apostolica auctoritate permittere, ut mentio antimatrimonialis copulae pro dispensationibus super impedimento, de quo in precibus, omittatur; atque hinc idem SSmus Dñus dispensationes omnes, in quibus nulla illius ratio habita fuerit, benigne sanat, atque ad omnes iuris effectus, ratas validasque decernit; matrimonia etiam, quae illarum vi coram Ecclesia rite alias iam inita sint, in radice convalidando. Non obstante praefata declaratione anni 1827, ceterisque contrariis quibuscumque.

948

An adsit impedim. disparitatis cultus inter putativum christianum et baptizatam.

S. C. S. Off. *29 Aprilis 1842* — 1. Utrum possessio publica nominis christiani, publicaque opinio qua quis creditur christianus sive quia ortum habuit ex parentibus christianis, sive quia constanter christianae alicui comunioni fuit annumeratus, christianumque se profitetur, sufficiat ad validitatem matrimonii in casu, in quo dictus homo revera non fuisset, aut in-

valide fuisset baptizatus, et matrimonium iniisset cum baptizata, non petita dispensatione disparitatis cultus: Si praedictum matrimonium declaretur invalidum propter disparitatem cultus.

Dispensatio super impediment. mixtae religionis non valet pro impediment. disparitatis cultus.

2. Utrum intendat Sancta Sedes dispensare etiam super impedimento disparitatis cultus quando dispensat partem catholicam ad contrahendum cum parte acatholica. Si intendat S. Sedes talem dispensationem concedere, quae validitati matrimonii sufficiat, quando dispensat super mixtae religionis impedimento, ita ut valeat matrimonium partis catholicae cum parte haeretica aut schismatica, etiamsi haec forte non fuerit, aut rite non fuerit baptizata.

3. Utrum Ordinarius dispensando virtute Indulti Apostolici super impedimento mixtae religionis, talem dispensationem concedat quae sufficiat ad validitatem matrimonii, etiamsi forte non fuerit, aut rite non fuerit baptizata pars acatholica.

R. Ad 1. Iuxta exposita, Negative.

Ad 2. Negative; Sedes enim Apostolica super impedimento disparitatis cultus nonnisi expresse, et gravissima de causa dispensat. In reliquis detur decretum feriae IV 17 Nov. 1830 super precibus R. P. D. Episcopi Anicien. (1).

Ad 3. Provisum in secundo.

949

Circa obligationem sollicitantes denunciandi.

Ex Litt. S. C. S. Off. *20 Maii 1842* — Il P. Provinciale dell'Ordine Agostiniano d'Irlanda ha inoltrato un'istanza .... per essere accertato dell'esistenza del decreto della S. C. del S. O. sull'obbligo di denunziare i sollecitanti riportato nella *Nota* alla Bolla di Benedetto XIV. *Sacramentum Poenitentiae* nella Teologia Morale del P. Antoine. Questa Suprema ha risposto: « essere genuino il Decreto ». *Praedicta* Nota *est quae sequitur:* « Qui in partibus schismaticorum, haereticorum et mahumetanorum degunt, licet subiecti sunt Constitutionibus contra sollicitantes, tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulla spes adsit punitionis denunciati, atque mulieres sine periculo et infamia denunciare nequeunt, denunciatos vero facile poenam declinare posse credatur, recurrendo ad episcopos schismaticos, vel ad laicos iudices infideles, ex decreto S. C. S. Officii die 21 Februarii 1630, attentis supradictis causis, absolvendi sunt, et liberandi ab huiusmodi onere denunciandi; moneri tamen debent, ut cessantibus narratis periculis et impedimentis, teneantur denunciare ».

950

Circa facultatem benedicendi et imponendi scapularia.

S. C. Indulg. *22 Iunii 1842* — Briocen. — An sacerdos qui obtinet facultatem benedicendi ac imponendi scapularia, habeat eo ipso facultatem commutandi obligationes commutabiles confratrum, quando opus est, scilicet cum recursus ad alterum sit impossibilis, ut hoc commodo fideles non priventur.

R. Negative; vigore enim obtentae facultatis benedicendi ac imponendi scapularia non sequitur quod sacerdos ea quoque gaudeat potestate commutandi obligationes iniunctas, nisi expresse enuntietur in rescripto concessionis pro benedictione et impositione scapularium.

951

De observantia cautionum in matrimoniis mixtis.

S. C. S. Off. *30 Iunii 1842* — 1. Utrum matrimonia mixta, si vir est acatholicus, benedici licite possint a parocho, etiamsi coniuges promittant se educaturos proles in religione catholica, cum haec promissio irrita declaretur a lege civili, et pueri instituendi debeant tradi ministellis protestantibus.

2. Quibusnam censuris ecclesiasticis pars catholica subiicienda sit, si ipsius culpa promissio parocho facta de liberis catholice educandis non adimpleatur?

3. Quidnam Episcopis et parochis faciendum, si forte pars catholica ante annum 14 aetatis liberorum moriatur, et proinde promissis suis stare non potuit?

4. Quid de matrimonio iudicandum, quod sponsi mixtae religionis, quod parochus catholicus propter defectum cautionis opportunae de catholica educatione prolis illud benedicere (aut litteras dimissoriales dare) recusavit, coram ministello protestantico contraxerunt? Numquid mulier haec, ubi Concil. Trident. est acceptum, concubina erit habenda? Et si ita, quibus sub conditionibus Ecclesiae poterit conciliari, eiusque matrimonium reconvalidari?

5. Quid accurate et strictissime sumpta significat cautio opportuna?

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Prudentiae Episcopi id esse commissum qui habita ratione adiunctorum omnium poterit urgere executionem meliori modo quo expedire ei videatur.

Ad 3. Episcopis et parochis huiusmodi filios remanere commendatos, qui satagere debent pro viribus, ut catholica doctrina imbuantur.

Ad 4. Quoad utramque partem recurrat in casibus particularibus.

---

(1) En decretum *17 Nov. 1830:* « Quoad haereticos quorum sectae ritualia praescribunt collationem Baptismi sine necessario usu materiae et formae essentialis, examinari debet casus particularis: Quoad alios qui iuxta eorum ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quod si dubium persistat, etiam in primo casu censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

Ad 5. Talem promissionem, quae in pactum deducta praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita ut prudenter eiusmodi executio expectari possit. — SSmus approbavit.

952

Contra abusum celebrandi Missam in domibus privatis.

Litt. encycl. S. C. de Prop. F. *13 Augusti 1842* (AD PATRIARCHAS ORIENTALES) — La S. C. viene a conoscere che facilmente si pratica nell' oriente la celebrazione della Messa nelle case private, e che quindi questa sacrosanta azione non ottiene sempre il dovuto rispetto, mentre il luogo per essa destinato serve pure a domestici e profani usi, e bene spesso rimane esposto alle irriverenze degl' infedeli. La mancanza di chiese in cui si trovano alcuni paesi e villaggi, come pure altre circostanze locali, possono aver influito a far nascere siffatto abuso. In ogni modo si crede necessario di eccitare lo zelo de' Superiori ecclesiastici onde si adoperino con tutto l'impegno per estirparlo, e adempiano per tal guisa l'obbligo strettissimo che loro incombe di zelare il decoro della casa del Signore, e del culto divino.

Conviene quindi che V. S. faccia conoscere che non è assolutamente lecito nè ai sacerdoti d'offerire ovunque lor piaccia il divin Sacrificio: e molto meno ai laici l'esigere a lor piacimento tale celebrazione nelle proprie case. Potrà ricordare che fin dai primi tempi della Chiesa vennero dagli Apostoli, e dai sacri pastori destinati alcuni determinati luoghi per sì augusta ceremonia, che in conseguenza per regola ordinaria non potevasi fuori di essi eseguire. Analogamente a quest' uso, che inviolabile per tutti i secoli si mantenne nella Chiesa, furono in varî tempi pubblicati de' canoni per impedire la celebrazione della Messa nelle case private, e notissimo è divenuto in proposito tanto nella Chiesa orientale, che nella occidentale, il canone 58 del Concilio Laodiceno. Tanto bastar dovrebbe onde quelli, che si gloriano di essere figli della Chiesa, si uniformassero con pronta sommessione a quanto Essa co' suoi usi, e con le leggi ha stabilito: nondimeno potrà V. S. insinuare i motivi che hanno reclamata tale disposizione. Così difatti esigeva il rispetto e il decoro dovuto alla santità de' nostri misteri, cui facilmente mancar si potrebbe se fosse lecito ovunque offrirli. Celebrandosi inoltre ne' privati domicilî, viene spesso il popolo defraudato di un numero di Messe proporzionato al bisogno, e per ciò appunto più facilmente viene da molti trasgredito il precetto della Messa festiva. Faccia pure rilevare i vantaggi, che si ottengono dal concorrere tutti insieme alla chiesa pel buon esempio; per l'opportunità che ivi si offre di sentire le istruzioni, e per la tanto raccomandata comune preghiera che ivi si pratica.

Per eliminare più facilmente cotal abuso sarà cura di V. S. e degli altri Vescovi onde ne' luoghi, che privi sieno di chiese, vengano deputati degli oratorî, che servono invece di chiese, ove soltanto sia lecito l'offerire il divin Sacrificio. Dovrà poi invigilare che in tali oratorî, e ovunque con la dovuta autorizzazione, secondo le regole ecclesiastiche, si offrissero i divini misteri, non si pratichi altra azione profana; sieno detti luoghi segregati da tutti gli usi domestici, e situati in guisa che rimosso venga ogni pericolo d' irriverenza e profanazione.

V. S. potrà più facilmente estirpare qualunque abuso sia invalso in questa materia, adoperandosi per ravvivare sempre più nel popolo le fede della reale presenza di Cristo nella sacra Eucaristia, e con eccitar nel medesimo la più fervida divozione verso questo pegno della sua carità lasciato alla S. Chiesa.

953

De modo erigendi *Viam Crucis*.

S. C. Indulg. *22 Aug. 1842* — An qui habet facultatem erigendi *Viam Crucis*, benedictione tabularum et crucium prius facta, teneatur ipse tabulas collocare, et stationes percurrere, ut valida sit erectio.

2. An benedictione tabularum et crucium facta a sacerdote legitime delegato, alter quicumque tabulas collocare possit privatim sine caeremoniis, et etiam alio tempore.

Circa substitutionem et mutationem crucium *Viae Crucis*.

3. An quando in priorum tabularum locum aliae substituuntur, nova requiratur facultas illas benedicendi, et *Viam Crucis* erigendi.

4. An mutatio crucium de loco in locum in eadem ecclesia secum importet annihilationem Indulgentiarum *Viae Crucis* adnexarum.

R. S. Congr. denuo declaravit, in erectione *Viae Crucis* benedicendas tantum esse cruces, minime vero tabulas seu picturas, et respondit:

Ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Negative, dummodo substitutio non sit maioris partis crucium.

Ad 4. Negative.

954

Circa colorem et gestationem scapularis Immaculatae Conceptionis B. M. V.

S. C. Indulg. *22 Augusti 1842* — ENGOLISMEN. — 1. Utrum color caeruleus sit color necessarius in scapulari Beatae et Immaculatae Mariae Virginis.

2. Utrum qui scapularia Montis Carmeli, et Immaculatae Conceptionis accepit, utrumque gestare debeat.

R. Ad 1 et 2. Affirmative.

955

De quodam legato ad testamentorum validitatem praescripto pro cultu superstitioso.

S. C. S. Officii *24 Aug. 1842* — TUNK. OCCID. — 1. Ex lege civili huius Regni, pars bonorum quae vocatur *phan-kuong-koa*, et

quae pro cultu maiorum destinata est, prohibetur vendi et quovis modo alienari, et fructus ex ea percepti ad solum cultum maiorum impendi debent. (Dans les testaments, chacun est obligé de léguer un dixième de ses biens au fils aîné pour faire les sacrifices et autres cérémonies du culte des ancêtres ; sans ce legs, le testament est nul. Aussi les chrétiens mettent cette disposition dans leurs testaments pour en assurer la validité ; mais ils n'entendent pas par là prescrire des superstitions, et on fait seulement les suffrages habituels selon l'usage de l'Eglise). Unde quaeritur quomodo agendum sit erga christianos qui in tribunali sacro sese accusant praedictam partem hereditatis vendidisse, vel fructus inde perceptos ad usus profanos consumpsisse.

De iis qui satagunt ut sui liberi maiorem hereditatis partem in fraudem legis habeant.

2. Praedicta pars, ut decima pars bonorum familiae, ex lege debet assignari primogenito masculo, sed in defectu prolis sexus masculini lex iubet quod filius fratris maioris, et, in illius defectu, fratris minoris, ut primogenitus habeatur, ac proinde, praeter partem dictam *phan-kuong-koa,* quae illi datur ut curet de cultu maiorum, adhuc illi conceditur ius accipiendi unam partem hereditatis sicut caeteri liberi. Multi haud aequo animo ferunt quod maior pars bonorum suorum in detrimentum liberorum, quos genuerunt, sic ad alienos transeat ; unde fit quod omni modo possibili conantur ut in fraudem legis liberi sui maiorem partem bonorum familiae habeant, ita ut filio fratris nihil detur, nisi quod absolute denegari non potest, quin coram iudice reclamet. His positis, quaeritur utrum talis agendi ratio sit peccatum contra iustitiam, ita ut sit obligatio restituendi.

R. Ad 1. Si testator verba de quibus agitur, testamento apposuerit pro sola tantum validitate testamenti, non esse inquietandos christianos, de quibus supra, et decima pars cedat heredi, vel heredibus quibus de iure ; si vero voluntas testatoris ea sit ut decima pars applicetur cultui catholico : quoad praeteritum, iidem Emi DD. dixerunt: Supplicandum SSmo pro facultate sanandi alienationes et distractiones de quibus agitur, iniuncto tamen aliquo pio opere pro fidelium animabus expiandis, vetita protestatione ethnici cultus (1); quoad futurum vero, servetur pia testatoris voluntas.

Ad 2. Non esse inquietandos.

SSmus (Gregorius XVI) praefatas resolutiones approbavit et remisit facultates D. Vicario Ap. Tunkini sanandi alienationes et distractiones de quibus in precibus iuxta Emorum suffragia.

956

In Extr. Unctione oleum ab Episcopo benedictum necessario adhibendum.

S. C. S. Officii *14 Sept. 1842* — An in casu necessitatis parochus ad validitatem sacramenti Extremae Unctionis uti possit oleo a se benedicto.

R. Negative, ad formam decreti Fer. V. coram SSmo die 13 Ian. 1611 (2).

957

Circa christianos vectigalia fraudantes emptoribus animalium imposita.

S. C. S. Off. *21 Sept. 1842* — CHAN-SI — 1. Qui (in Chan-si) quando si comprano muli, cavalli, maiali ecc. bisogna che il compratore paghi un certo dazio secondo è stato il prezzo p. e. il tre per cento: io (Vic. Ap.) sempre obbligai in coscienza i defraudatori di tali dazi. Adesso avendo esaminato questa cosa più sottilmente ho trovato che tutti i cristiani quando comprano da cristiani detti animali non pagano il dazio, e che tanto i cristiani, quanto i gentili, se possono sfuggire i gabellieri, partono anche dalle fiere senza aver pagato tal dazio. La ragione, mi dicono i cristiani, è che noi siamo obbligati al tributo, cioè fondiario, ed ai vettigali quando paghiamo le gabelle ; questi dazi non appartengono al Governo, ma sono imbrogli de' ministri subalterni, i quali vendono, o affittano un tale officio di gabelliere degli animali, sicchè cooperiamo negativamente al danno del gabelliere, a procurare il cui lucro non siamo obbligati, ma non defraudiamo il governo. Avverto che chi paga quel dazio è libero da vessazioni, poichè trovandosi il legittimo padrone dell'animale, il compratore non è tenuto a restituirlo, se non dopo che avrà ricevuto il suo denaro dal venditore, e cotesto dovrà pagare le spese della causa nel tribunale; se poi non si è pagato tal dazio, il legittimo padrone ha l'azione direttamente contro il compratore. Pagandosi tal dazio si riceve una carta d'assicurazione, e segnasi in un libro il nome del compratore, del vendi-

(1) In litteris S. C. de Prop. Fide (17 Sept. 1842) ad Vic. Ap. Tunk. Orient. haec habentur: « Quoad « solutionem prioris quaestionis, quaedam Supremae « ipsius Inquisitionis nomine hic addenda sunt. Dictum « enim est: *decima pars cedat heredi vel heredibus* « ut nempe casus praevideatur in quo plures una si- « mul adsint heredes, hoc est *coheredes,* inter quos « dividenda erit antedicta decima pars, habita ratione « quotae seu partis assis hereditarii unicuique ex man- « dato testatoris pertinentis. Dictum praeterea est: *ve-* « *tita protestatione ethnici cultus,* ut fideles nempe sciant « nec simulate quidem id eis licere: nam ex casus ipsius « rerum adiunctis patet eos posse in hoc forte peccare, « ut gubernio nempe suadeant sese etiam facto legis « praecepto obtemperare ».

(2) En decr. S. Off. *13 Ian. 1611.* « SSmus (Paulus V) « in Congregatione Generali coram se habita, praevio « maturo examine et censura propositionis sequentis, « quod nempe *Sacramentum Extremae Unctionis oleo* « *episcopali benedictione non consecrato ministrari va-* « *lide possit,* auditis DD. Cardinalium suffragiis, decla- « ravit dictam propositionem esse temerariam et errori « proximam ».

tore, il giorno. I cristiani dunque dicono: quando compriamo da cristiani non vi è alcun timore di accusa, o vessazione, e se vi fosse qualche vessazione, non diremmo d'averlo comprato, ma d'averlo avuto in prestito dal tale, il quale ha la carta d'assicurazione: e se comprando da gentili e non pagando il dazio, lo venisse a scoprire il gabelliere, siamo pronti non solo a pagare tal dazio, ma anche la pena che c'imporrà. Aggiungono finalmente che persone di coraggio niente temono, e che se sono state condotte davanti al giudice, questo le ha rimandate libere temendo che se le condannasse per non aver pagato il dazio, e fosse portato l'appello al tribunale superiore, egli il giudice sarebbe o ripreso, o punito. Posto ciò, domando umilmente alla S. C. se debbano obbligarsi in coscienza tali defraudatori alla restituzione, ed a chi debba farsi, non essendo conveniente, che si presentino a' gabellieri gentili per restituire. Un sacerdote indigeno mi ha proposto lo stesso caso; gli ho risposto, che tacesse fino alla risposta di cotesta S. Congr.

De restitutione ob damnum illatum fanis idolorum, et ob furtum rerum iisdem oblatarum.

II. 1. Un cristiano se avvertitamente rovinasse le mura, o le porte, o altri utensili di un pagode, e fosse ritenuto dai gentili, deve o può restituire il prezzo del danno almeno sotto altro titolo?

2. Se non fosse stato scoperto, ed in confessione se ne accusasse?

3. Se ubbriaco, o inavvertitamente avesse cagionato danno, come si dee regolare essendo ritenuto, e come essendo occulto, e come se non usò tutta la diligenza, o non previde?

4. Se un cristiano avesse rubato le offerte agli idoli o le rendite d'un pagode sia obbligato alla restituzione, ed a chi, e come? Se non si ricordasse del luogo, o non conoscesse gli offerenti, o collocato in gran distanza, come dovrebbe regolarsi?

5. Come debba risolvere un sacerdote il caso d'un gentile, che desidera battezzarsi, e narra aver commessi tali danni, o ingiustizie, o pure si accusa di tali cose nella confessione dopo il battesimo credendosi obbligato a restituire?

Circa imagines salvatoris more nensium depictas.

III. Come debba regolarsi un missionario trovando nelle Chiese, e nelle case le immagini del Salvatore colla barba alla cinese, e colle scarpe? Finora nessuno ha detto ai cristiani ciò esser proibito dalla Chiesa, ossia da Urbano VIII.

R. Ad I. Christianos fraudantes vectigalia emptoribus animalium Chan-si in regno Sinensi imposita non obligari in conscientia ad restitutionem, dummodo, iuxta exposita, saltem prudenter constiterit illa non esse a legitima auctoritate praecepta. Monendos tamen ut solvant quoties non valeant in illo infidelium Regno absque periculo iacturae nostrae sanctae religionis se eximere, dummodo se abstineant a mendacio.

Ad II. Quoad 1. partem: Teneri ad restitutionem titulo iustitiae.

Quoad 2. partem: Teneri ad restitutionem secreto faciendam.

Quoad 3. partem; consulat probatos auctores.

Quoad 4. partem: Teneri ad restitutionem faciendam vel sacerdotibus, vel iis ad quos pertinere noverint, vel etiam teneri vergere in pauperum beneficium, aliosque pios usus, si suis dominis directe restituere moraliter impossibile redderetur; et detur decretum diei 16 Februarii 1795 *(V. n. 621)*.

Quoad 5. partem: Teneri si possit, et cognoscat personas, et detur Bulla Pauli III *(V. n. 114)*.

Ad III. Missionarii eo meliori modo, quo possint, curent, ut imagines, de quibus agitur, conformentur illis quas ubique terrarum adhibet Ecclesia catholica.

958

De formula erectionis Confraternitatum, et de earum directoribus.

S. C. Indulg. *18 Novembr. 1842* — In variis Galliarum dioecesibus, et specialiter in dioecesi Caenomanensi, permultae existunt confraternitates SS. Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, et SS. Cordis Iesu. Diversae illae confraternitates, ex speciali S. Sedis facultate, ab Episcopis cum brevi formula fuerunt erectae; nomina confratrum et consororum in particularibus regestis inscribuntur, sed ad Directorem archiconfraternitatis non mittuntur, nec administratores pro unaquaque confraternitate eliguntur. Caenomanensis Episcopus, omnes fidelium anxietates praecavere aut sedare volens, expostulat a S. Congregatione:

1. An aliqua determinata formula necessaria fuerit sub poena nullitatis.

2. An necesse sit sub eadem poena ut administratores eligantur.

3. An Episcopus designare possit directorem uniuscuiusque confraternitatis suae dioecesis, sive iam existentis, sive ab ipso ex speciali apostolica facultate erectae.

4. An director ab Episcopo sic designatus eo ipso rosaria cum applicatione indulgentiarum, et scapularia benedicere ac imponere possit.

R. Ad 1. Negative, quia formula praescribitur tantum pro erectione sodalitatum a regularibus peragenda.

Ad 2. Negative, quia administratorum electio erit tantum ad bonum sodalitatum regimen, minime vero ad validitatem erectionis necessaria.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Negative, nisi in huiusmodi concessionibus facta sit facultas rectori pro tempore benedicendi rosaria, coronas et scapularia.

959

Circa vota ab acatholicis emissa.

S. Poenit. Ap. *29 Nov. 1842* — Protestans votum castitatis nec non paupertatis et

obedientiae emisit voce et scripto coram ministro anglicano ; quaeritur utrum vim saltem voti simplicis et privati, aut veluti irritum omnino sit habendum in casu conversionis ad religionem catholicam.

R. Votum, de quo in precibus, esse simplex, et voventem teneri ad observantiam voti, si veram habuerit intentionem vovendi.

960

Circa legem abstinentiae quoad artifices et famulos inter acatholicos et malos catholicos viventes.

S. C. S. Off. *14 Dec. 1842* — Cum quaereretur de modo subveniendi conscientiae plurimorum artificum, structorum, famulorum etc. qui artis suae vel indigentiae causa vivunt inter reformatos, et malos catholicos in Anglia vel Hollandia, vel alibi, et continuo exponuntur periculo violandi legem abstinentiae, Emi DD. dixerunt : Si operam locant catholicis, serventur leges ecclesiasticae ; si operam locant dominis acatholicis, detur decretum diei 27 Maii 1671 *(V. n. 195)*.

961

De modo benedicendi cruces, numismata et coronas cum indulgentiarum applicatione.

S. C. Indulg. *7 Ian. 1843* — Briocen. — 1. Qui obtinuit facultatem benedicendi cruces, sacra numismata et coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum, potestne ea facultate legitime uti publice, v. gr. in ecclesia vel oratorio coram fidelibus inibi congregatis, et res benedicendas manu tenentibus, si in indulto facultatis sit clausula *privatim*.

2. Quando in indulto existit clausula *in forma Ecclesiae consueta*, sufficitne signum crucis manu efformare super res benedicendas, absque pronunciatione verborum formulae benedictionis, et sine aspersione aquae benedictae ?

3. Si necessaria est formula, utrum sufficiat quaecumque formula, modo ab Ordinario approbata ; an necessario adhibenda sit formula Ritualis Romani ?

4. Quando in indulto facultatis non existit clausula *in forma Ecclesiae consueta* sufficitne efformare manu signum Crucis super obiecta benedicenda ?

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. et 4. Responsum in secundo.

962

An indultum indulgentiarum pro quadam sodalitate alias non expressas excludat.

S. C. Indulg. *30 Ian. 1843* — An indultum apostolicum quod specificat quasdam indulgentias cuidam Sodalitati concessas, excludat alias indulgentias non specificatas in praefato indulto, quarum tamen mentionem faciunt nonnulli auctores de indulgentiis pertractantes.

R. Standum esse verbis indulti, ex quo, si nulla sit expressa conditio, v. gr. *dummodo nulla alia indulgentia reperiatur concessa,* aut similia etc. eruitur firmas remanere singulas indulgentias etiam praecedenti tempore elargitas, de quibus mentio quoque fit apud auctores de indulgentiis pertractantes.

963

De cultu et veneratione SS. Crucis D. N. I. C.

S. R. C. *18 Febr. 1843* — Cenomanen. — Dum Rmus Cenomanen. Episcopus in id potissimum intendit ut pastoralis sibi commissi muneris partes omnes expleat, ea qua par est sedulitate ac vigilantia, reperit in universa sua dioecesi permultas vivificae Crucis Domini Nostri Iesu Christi Reliquias, quae quamvis vix sensibiles sint, attamen in crucibus vel argenteis vel deauratis occluduntur, ac fidelium venerationi publice exponuntur, ferme ad instar Sanctissimi Sacramenti, nec non cum iisdem solemniter benedictio impertitur more pro benedictione Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti usitato ; praecipuis tamen in honorem Sanctissimae Crucis precibus adhibitis. Quae singula dum serio perpendit Episcopus orator, ac iuxta sancita a Sacrosancto Concilio Tridentino Sessione XXV tit. *de invocatione, veneratione et Reliquiis Sanctorum,* in earumdem recognitione et approbatione invigilat pro sua dioecesi circa memoratarum Reliquiarum cultum, certas indubiasque leges praefinire exoptat ab omnibus in re non exigui certe momenti religiose servandas. Hinc Sacram Rituum Congregationem humillimis precibus adiens, enixe rogavit ut quidquid hac ipsa in re alias definitum fuit indicare dignaretur.

Enixis huiusmodi precibus, per infrascriptum Secretarium relatis in Ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, rescribendum censuerunt : « Dentur decreta super re edita » ; ac proinde declararunt cum Reliquia Sanctissimae Crucis benedicendum esse populum dum ea reponi debet in custodia postquam processionaliter delata fuit, aut publicae venerationi exposita, sicuti decretum fuit in una Brixien. sub die 15 Septembris 1736 ad dubium I ; et successive in una dubiorum sub die 31 Maii 1817 ad dubium 11, illud etiam definitur quod benedictio isthaec semper sit impertienda, etiam si sacerdos qui functionem explet non sit Canonicus ; nam haec ipsa dubia proponebantur nomine Capituli unius cathedralis ecclesiae : in una vero Lucionen. sub die 23 Maii 1835 ad dubium 3, in actu talis benedictionis omnino interdicitur cantus cuiuscumque versus vel precis, uti iamdiu cantus iste fuerat interdictus etiam in benedictione cum Sanctissimo Sacramento in una Caputaquen. sub die 9 Februarii 1762. Quoad autem hanc processionem cum vivificae Crucis Ligno,

Sacra Rituum Congregatio declaravit licitum esse hanc sacrosanctam Reliquiam capite detecto deferre etiam sub baldachino, incensantibus duobus thuriferariis; verum his tantum in locis, ubi adest immemorabilis consuetudo. Quod spectat vero ad incensationem Reliquiae Sanctissimae Crucis, sancitum fuit in Brixiensi superius enunciata ad dubium secundum et in Mutinen. sub die 23 Septembris 1837 ad dubium XIV quaest. 1, hanc fieri debere a sacerdote non genuflexo, sed stante, etiam Feria VI in Parasceve; et in ipsa Brixien. ad dubium tertium illud fuit etiam decretum quod Capitulum et clerus transeundo processionaliter ante altare, in quo Sanctissimae Crucis Reliquia reconditur, haud genuflectere debeat. Verum si loco principe Reliquia Sanctissimae Crucis super altare fuerit exposita tunc transeuntes ante illam, uti decretum fuit in una Varsavien. sub die 7 Maii 1746 ad dubium septimum, unico genu usque ad terram flexo venerare debent; diversimode vero sola capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita sit in custodia. Insuper in Missa coram Sacratissimae Crucis Ligno palam exposito in eadem Lucionen. sub die 23 Maii 1835 ad dubium primum, edicitur caeremonias omnino differre debere ab iis quae adhiberi solent coram Sanctissimo Sacramento publice fidelium venerationi exposito; nam in casu coram Reliquia Sanctissimae Crucis genuflectendum est tantum in accessu et recessu ab altare, et quoties sacerdos transit per medium altaris seu de latere ad latus ut in incensatione: atque ibidem ad dubium secundum definitur necesse non esse in hac expositione ut qui in choro stant habeant caput detectum; quod omnino requiritur coram Sanctissimo Sacramento palam exposito, neque ut in transitum genuflectant utroque, sed tantum unico genu. Quod si agatur de expositione Reliquiae Sanctissimae Crucis Feria VI in Parasceve, Sacra Congregatio in eadem Mutinen. diei 23 Septembris 1837 ad dubium XIV quaest. 2, 3, 4, 5 et 6, declaravit servandam esse vigentem consuetudinem, tum quoad colorem pluvialis in benedictione, tum quoad modum recitandi orationem « *Respice quaesumus Domine* » a sacerdote vel genuflexo vel stante; tum quoad admittendos fideles ad osculum huius Sacratissimae Reliquiae; tum demum quoad sacros ministros, diaconum nimirum et subdiaconum, accedentes ad adorationem Reliquiae SS. Crucis: siquidem necesse non est ut et ipsi calceamenta deponant. In generali tandem decreto a Sacra Rituum Congregatione sub die 6 Maii 1826 lato, et a s. m. Leone Papa XII confirmato die 27 eiusdem mensis et anni, dum admittitur seu toleratur consuetudo deferendi in processionibus sub baldachino Reliquiam Sanctissimae Crucis, id ediçitur omnino, ut Reliquia ista seorsim a Reliquiis Sanctorum custodiatur in reliquiario, atque stricte praecipitur Ordinariis locorum, ut eliminandis hac etiam in re singulis abusibus serio incumbant, decreti ipsius observantiam solertissime urgeant, ac pro viribus adlaborent ne deinceps cum Sanctorum Reliquiis in eadem theca Lignum Sanctissimae Crucis occlusum permaneat.

Haec, quae a Sacra Rituum Congregatione hucusque circa cultum et venerationem Reliquiarum Sanctissimae Crucis Servatoris Nostri Iesu decreta, stabilita vel per modum generalis regulae tradita fuere et communiter in Ecclesiis Urbis servantur, ad mentem Sacrae eiusdem Congregationis summatim communicantur Reverendissimo Episcopo Cenomanen., ut ea prae oculis habeat in efformandis pro sua dioecesi regulis in cultu et veneratione ipsius Sanctissimae Crucis Reliquiae servandis.

964

De facultate indulgendi parochis ut Missam *pro populo* per sacellanos applicare possint.

S. C. Concilii *11 Martii 1843* — Silvae Ducis — R. P. a Secretis S. Congregationis de Propaganda Fide, Sacri huius Ordinis definitioni subiecit de mandato SSmi facultatem expetitam a Vicario Apostolico Sylvae Ducis (Bois le Duc), nimirum indulgendi aliquoties parochis Vicariatus ut per sacellanos suos implere possint onus applicationis Missae pro populo. — Praenotandum in facto est non leves exortas esse in Belgio praesertim controversias utrum Missae illius applicatio sit onus personale, ita ut per sacellanos seu vice-parochos impleri non possit. Huic controversiae causam dedit opus in lucem editum a sacerdote Varhoesen qui onus illud personale esse demonstravit tum doctrina S. Alphonsi de Ligorio, tum Sacri huius Ordinis resolutionibus. — Praemittendum etiam est, in facto, iuxta statuta synodalia praesertim mechliniensia, Missam parochialem, quae dicitur *summa*, cum cantu expleri statis horis, et ad eam concurrere plebem quae pro certo tenet eam Missam pro se applicari. Ex his factum est ut parochi sive ob legitimum impedimentum, sive etiam absque iusta causa, Missae illius celebrationem et applicationem pro populo sacellanis suis committere consueverint. Nec praetereundum est Vicarium Apostolicum oratorem, de hac re consultum, responsum dedisse *non posse parochos absque iusta causa* per sacellanos applicare Missam pro populo. Ex his factum est ut quamplurimae excitarentur controversiae utrum onus revera sit personale, et quae esse possit iusta causa ut per alium adimpleatur. Haec erant EE. VV. patefacienda ut verba concessionis librare possint; agitur enim de rescripto quod firmat regulam praesertim in iis ditionibus.

R. Sacra Congregatio Emorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum

censuit rescribendum : — Pro facultate indulgendi parochis Vicariatus ut per sacellanos Missam pro populo applicare possint in casibus verae necessitatis, et dummodo ex canonica causa fiat, facto verbo cum SSmo. — Factaque de praemissis per Subsecretarium S. Congregationis... relatione SSmo Domino Nostro, eadem Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis in omnibus benigne approbavit et confirmavit. Proptereaque eadem Sacra Congregatio supradictam facultatem, superius descriptae resolutionis forma ac tenore in omnibus et per omnia adamussim servatis, memorato Vicario Apostolico benigne impertita est.

965

De matrimoniis conversorum in Oceania quoad valorem.

Instr. S. C. S. Off. *6 April. 1843* — (AD VIC. AP. OCEANIAE) — Iam a die 28 Maii 1835. V. Amplitudo ad S. C. de Prop. Fide recurrerat, exponens difficultates circa valorem matrimoniorum in illis Oceaniae locis initorum ; atque iterum die 20 Iunii anni 1840 eidem S. C. alia dubia circa idem obiectum proposuerat, quod videlicet, legibus loci non solum non obstantibus sed faventibus, ibidem permittantur iniri alia matrimonia post triennium absentiae alterius partis, et quaerebat quid in hisce casibus esset agendum :

1. *Si uterque sit infidelis, et alteruter aut uterque voluerit converti ?*

2. *Si uterque sit baptizatus, et alteruter, aut uterque voluerit converti ?*

3. *Si utriusque, aut alterius baptismus sit dubius ?*

Matrimonia conversorum in infidelitate contracta.

S. C. de Prop. Fide supradicta dubia ad S. Officium transmisit, ubi diligentissime discussa fuerunt tum illa dubia, tum cetera omnia quae hactenus ex Oceania circa hanc materiam ad S. Sedem missa fuerant, et quidem in consessu Emorum Inq. Generalium fer. II, die 21 Novembris 1842, et 1 Decembris eiusdem anni, coram SSmo autem fer. V, die 6 Aprilis 1843. SSmus vero D. N. D. Gregorius Papa XVI, re coram se diligenter discussa, ad 1, nempe : *Cum agatur de matrimoniis in infidelitate contractis et uterque coniugum, vel unus ex ipsis converti voluerit, an possint alias nuptias inire, relicto priore coniuge,* rescribi mandavit : « *Cum « in casu posito, attentis etiam particularibus « circumstantiis, non una interveniat ratio iu- « ste dubitandi de valore huiusmodi matrimo- « niorum, provisum per communicationem iam « factam a S. Congregatione de Propaganda « Fide Vice-Praefecto Oceaniae Meridionalis « Decreti Sanctitatis Suae sub feria IV, 8 Iu- « nii 1836, una cum instructione adnexa Emi- « nentissimorum Inquisitorum Generalium ideo « Vicario Apostolico recurrenti utraque trans- « mittatur* ». Sacra autem Congregatio, ut supremis mandatis Suae Sanctitatis obtemperet, utrumque respective, Decretum et Instructionem Eminentissimorum ad Vicarium Apostolicum transmittit. *(V. n. 848).*

Matrimonia conversorum ab haeresi.

Duo alia dubia versantur circa baptizatos, sive eorum baptismus sit validus, sive de eius valore iuste dubitaretur, et circa hos S. Sanctitas iussit imprimis Vicario Apostolico communicari Instructionem Emorum datam fer. IV, 17 Nov. 1830, prout S. C. de facto transmittit. *(V. n. 821).* Advertendum est tamen, quamvis baptismus in casibus in decreto expressis, validus censendus sit in ordine ad matrimonium, tamen partem conversam, de cuius baptismi valore prudenter dubitaretur, rebaptizandam fore sub conditione quia Baptismus est Sacramentum necessitatis. Atque sic confidit S. C. satisfactum fore plerisque difficultatibus, quae ex baptismo oriri poterunt. Sed quoad matrimonia post baptismum contracta, praecipua attentio Vicarii Apostolici in ipsum valorem matrimonii dirigenda est. Certum est matrimonium contractum cum conditione ipsius substantiae, et nominatim ipsius indissolubilitati repugnante, nullum esse, ut habetur ex Can. *Si conditiones, De conditionibus appositis.* Iam vero non paucae formulae a protestantibus adhibitae illa conditione irritante contaminatae sunt in quibus expressis verbis inhaeret haec conditio : *contraho tecum donec in fidelitate permanseris;* immo etiam voluntas aliquando satis aperte factis exprimitur, vel verbis simul et factis, dum verba, vel facta interpretantur ipse usus et consuetudo illorum locorum, ita ut abfuisse intelligatur consensus in contractum perpetuum et indissolubilem.

De formulis contractus nuptialis conditione irritante vitiatis.

Tametsi autem dubitandum non sit, quin validum matrimonium contrahi possit cum errore mere concomitante circa eius indissolubilitatem, quia tunc praevalet generalis voluntas contrahendi matrimonium iuxta institutionem Christi, et generalis illa voluntas privatum errorem quodammodo absorbet, attamen ubi adhibetur formula cum explicita vel implicita illa conditione, iam fieri nequit, ut particularis error absorptus maneat a generali voluntate contrahendi iuxta institutionem Christi. Inter formulas conditione irritante vitiatas, non postremum locum tenet ea quae *transylvanica* dicitur, quaque calvinistae in Transylvania et in pluribus aliis locis utuntur. Substantia huius formulae (tametsi quoad accidentalia nonnihil variare possit) in eo consistit : Minister protestans ad contracturos dicit : *Audite S. Evangelium;* deinde praelegit eis Matth. 19, v. 9. *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem* etc. quo textu ipsi abutuntur ad stabiliendos suos errores, et contracturi, qui eisdem erroribus participant, admonentur de restrigendo consensu. Post consensum utrimque editum, perdurante eodem ritu, ab ipsis iuramentum exigitur, in quo sibi mu-

tuo promittunt fidelitatem quoadusque altera pars in honestate perstiterit. Pariter vitiata esset formula si minister pro textu Matth. 19, adhiberet alium, v. gr. Matth. 5, 32. *Ego autem dico vobis quia omnis, qui dimiserit uxorem suam* etc. vel Hebr. 13, 4, *honorabile connubium* etc. quibus pariter illi abutuntur ad eumdem finem, maxime si tunc, prout apud illos fieri solet, minister instructionem vel sermonem ad contracturos habeat de mutuis coniugum officiis, inter quae illud etiam numerant de unione servanda, donec altera pars in adulterium labatur; ac denique solum iuramentum, ut supra emissum in ipso ritu contractus sufficit ad matrimonium irritandum.

Circa alias formulas ita pariter statuendum, si vel implicite, vel explicite conditionem contineant matrimonii substantiae repugnantem. Praeterea cum vel ex precibus, vel ex adhortatione, quae aliquando praemittitur, aliquando postponitur formulae, vel ex mutuis promissionibus contrahentium aliquod vitium irritans emergere possit, etiam ad caeremonias huiusmodi attendendum est: nam plerumque et formula iuramenti, et promissiones mutuae aequivalent apud ipsos pactioni huiusmodi, quod scilicet violatio illorum inducat respective cessationem et iurium et obligationum inter coniuges, proindeque rescissionem matrimonialis vinculi. Ex hisce omnibus, et etiam ex adiunctis loci circumstantiis, ab eo qui in iis praesens sit facile dignosci poterit quaenam sit prava coniugum intentio.

Quia vero contingere posset, ut duo baptizati (de his enim nunc agitur) contraherent coram ministro protestantico, vel coram Principe, declarando se contrahere iuxta leges, vel consuetudinem regionis, ubi etiam levibus ex causis dissolvi solent, talia matrimonia irrita essent.

In omnibus igitur supra expositis casibus possunt talia matrimonia a Vicario Apostolico irrita declarari, ac facultas tribui parti (vel partibus) conversae ad alias nuptias, nullo alio interveniente canonico impedimento, convolandi. Hic vero nonnulla pro diversitate casuum, et circumstantiarum sunt diligenter adnotanda ut omnia inserviant ad maiorem catholicae religionis profectum:

1. Si ambo venirent ad catholicam fidem, et vellent secum uniti remanere, in casu nullitatis eorumdem matrimonii, renovent consensum. Quia vero evenire potest in hoc et sequentibus casibus, ut interveniat aliquod aliud canonicum impedimentum, SSmus D. N. Vicario Apostolico concedit ad decennium facultatem dispensandi in omnibus impedimentis iuris mere ecclesiastici, exceptis his in quibus ipse Pontifex dispensare non solet etiam in terris infidelium, et tunc recurratur in casibus particularibus; porro hanc facultatem Vicarius Apostolicus possit subdelegare missionariis sui districtus, vel in eo cum eius facultate commorantibus.

2. Si una tantum pars vellet fieri catholica, altera vero renueret, vellet tamen in matrimonio manere, Vicarius Apostolicus possit dispensare in matrimoniis mixtis, cum solitis conditionibus ab Ecclesia requisitis, nisi aliter prudentia requirat, transmisso Brevi Apostolico Pii VIII *(23 Martii 1830)* cum instructione Emi Albani *(V. n. 811)*, ad Vicarium Apostolicum prout S. Congregatio ad eumdem transmittit, ut iudicium ferre possit quid, et quousque prudentia permittat.

966

De formula absolutionis sacramentalis pro graecis latinos absolventibus.

S. C. S. Off. *14 Iunii 1843.* — Proposito dubio de usu graecorum in Italia conferendi sacramentalem absolutionem per formam deprecativam. Emi DD. decreverunt: « Sacerdotes italos graecos tam in casu necessitatis, quam in casu quo sint approbati a latinis Ordinariis ad audiendas confessiones latinorum, obligari in conscientia (prout decrevit Innocentius XIII feria V die 26 Nov. anni 1722) ad adhibendam formam indicativam *ego te absolvo etc.* dum absolvunt latinos; ad tramites videlicet Constitutionis Clementis VIII. Si autem absolvant graecos graeci ritus, sequantur morem penes eos servari solitum.

967

An cessent Indulgentiae si nova aedificetur ecclesia.

S. C. Indulg. *9 Aug. 1843.* – Leodien. – 1. An cesset Indulgentia confraternitatis SS. Rosarii, vel aliae indulgentiae, si nova aedificetur ecclesia *fere in loco* ubi vetus existebat.

2. An cesset Indulgentia si nova ecclesia aedificetur in coemeterio, non in loco veteris ecclesiae.

3. An cesset Indulgentia si nova ecclesia aedificetur in alio loco, et non in coemeterio veteris ecclesiae.

R. Ad 1. Negative, dummodo sub eodem titulo aedificetur (1). — Ad 2. Affirmative. — Ad 3. Ut in secundo.

968

Circa omittendam unctionem renum in Extrema Unctione.

S. C. de Prop. F. *21 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Sutchuen — Senes valde debiles,

(1) Proposito dubio: « An verba *fere in loco* ita « accipienda sint ut intelligatur de parva distantia, puta « quantum est iactus lapidis, vel spatium 20 sive 30 « passuum; aut contra, an accipienda sint lato sensu, « ut adverbium *fere* dicatur pro muris civitatis, vel con- « finio oppidi, paroeciae etc. »; S. C. Indulg. (23 Martii 1886) respondit: « *Affirmative* ad primam partem; *Negative* ad secundam ».

et infirmi ethica febri vel simili morbo laborantes, qui praesumuntur morituri antequam praesentem habere possint missionarium, quasi in extremo morbo ungi possunt, ut rescripsit S. C. anno 1801 *(V. n. 651)*. Saepius vero in fidelium conventu, suscepto Viatico, et Missa finita, hic ungi solent huiusmodi senes et infirmi, nec non alii quidam periculosius aegrotantes. Quando autem pro renum unctione peragenda in viris laxantur et elevantur vestes, statim multi, maxime mulieres, rubore suffunduntur, et velociter aufugiunt propter gentis mores. Si igitur S. Congregationi probatum fuerit, dignetur, obsecro, a SS. D. N. obtinere ut renum unctio omittatur non solum quando infirmus commode moveri non potest, sicut vult Rituale Rom., sed etiam quando Extrema Unctio administratur in coetu fidelium.

R. Affirmative, facto verbo cum SSmo — SSmus adprobavit.

969

Presbyteri Confirmationem conferentes patrini esse nequeunt.

S. C. de Prop. F. *21 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Se sia lecito ai sacerdoti che amministrano il Sagramento della Cresima fare insieme da padrini.

R. Non esse tolerandum.

970

Vicarios App. in Sinis iuramentum Bullae *Ex quo* semel emisisse satis est.

S. C. de Prop. F. *21 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) – Leao-tung – An Vicarii App. dum transeunt ad novam sibi assignatam provinciam, teneantur praestare iuramentum (praescriptum in Const. Benedicti XIV *Ex quo*).

R. Satis est semel emisisse.

971

Quae benedictio viduis nubentibus dari nequeat.

S. C. de Prop. Fide *21 Sept. 1843.* (C. P. pro Sin.) — Pekini — 1. Fuerunt olim sacerdotes qui post primam uxorem, etiamsi secunda vel tertia vice nupserint (fideles), nec benedictionem et consensum, ut invenitur in Rituali, ab illis postulabant, pessime intelligendo Rituale Romanum, cum illa benedictio de qua loquitur Rituale Rom. secundis nunptiis non impertiendam, solum habet locum in sponsa non virgine, et solum intelligitur illa benedictio quae est in Missali.

De celebranda Missa *pro sponso et sponsa.*

2. In his locis non est consuetudo ut celebrentur. Missae *pro sponso et sponsa.* Ut hae celebrentur laudabile et praeoptandum; sed ego semper (hoc) habui ut consilium et desiderium S. Ecclesiae, non autem praeceptum; quid mihi agendum est?

R. Ad 1. Benedictionem, quae viduis conferenda prohibetur, esse illam quae habetur in Missali Romano.

Ad 2. Nisi gravis et rationabilis adsit causa, celebrandam esse Missam *pro sponso et sponsa;* et quoad applicationem detur decretum anni 1837. *(V. n. 852).*

972

Privilegium Indulgentias concedendi haud competit Vicariis App.

S. C. de Prop. F. *21 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Se i Vicarî Apostolici possano concedere tutte quelle Indulgenze ai fedeli loro soggetti che i Vescovi titolari possono compartire ai loro diocesani.

R. Negative.

973

Cornu cervinum cibus quadragesimalis.

S. C. de Prop. F. *21 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Cornu cervinum aqua emollitum, saccharo conditum, et glutinum factum potestne haberi cibus quadragesimalis?

R. Consulendum SSmo pro dispensatione, quatenus opus sit. — SSmus *(in Aud. 14 Ian. 1844)* annuit.

974

An benedictio sponsis dari possit, si alteruter superstitionibus implicetur.

S. C. de Prop. F. *23 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — Si unus tantum (ex sponsis), vir scilicet aut mulier implicetur superstitionibus, sacerdos poteritne illis dare benedictionem nuptialem in favore partis bene paratae? in contrahendo scilicet, ne (haec) damnum patiatur propter peccatum suae compartis: aut saltem in contracto (matrimonio), quia tunc non adest periculum profanandi sacramentum: reciperent tantum uberiorem gratiam.

R. Iam provisum per responsionem anni 1841 *(V. n. 932).*

975

De relatione a Vicariis Apostolicis S. Congregationi exhibenda.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Se ai Vicarî Apostolici corra obbligo di dare ogni quinquennio la piena relazione del Vicariato, ed ogni anno ragguagliare la S. C. degli avvenimenti e cose più notabili.

R. Affirmative iuxta decretum diei 20 Septem. anni 1741 *(V. n. 331).*

976

Circa facultatem celebrandi Missam de *Requiem*, et liberandi animas a purgatorii poenis per privilegium altaris.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — 1. An in facultate celebrandi Missam de *Requiem* feriis secundis non impeditis *officio novem lectionum,* per huiusmodi officium intelligatur officium duplex aut etiam officium semiduplex.

2. An per facultatem liberandi per celebrationem Missae de *Requiem* animam a purgatorii poenis intelligatur liberatio totalis, vel solum indulgentia plenaria.

3. An sacerdos celebrans Missam de *Requiem* in feria secunda non impedita possit vi facultatis obtentae liberare animam secundum suam intentionem, et vi privilegii altaris aliis animabus indulgentiam applicare.

R. Ad 1. Intelligitur officium duplex; officium vero semiduplex nonnisi in diebus quibus, iuxta rubricas, Missae defunctorum celebrari non possunt. Verumtamen iuxta declarationes Alexandri VII 22 Ianuarii 1667, Clementis IX 25 Septembris 1669, et Ven. Innocentii XI 4 Maii 1688, tum in duplicibus tum in semiduplicibus in quibus Missae de *Requiem* prohibitae sunt, per celebrationem Missarum de festo occurrente, animabus in purgatorio detentis suffragari potest iisdem Indulgentiis perinde ac si essent celebratae Missae de *Requiem* ad formam privilegiorum.

Ad 2. Ecclesia per altare privilegiatum intelligit, per Missam celebratam ad praedictum altare, vel ab eo qui eodem privilegio personaliter fruatur, pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, animam ipsam de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequi, ita ut, D. N. Iesu Christi suffragantibus meritis, a purgatorii poenis liberetur.

Ad 3. Negative quia est idem privilegium.

977

De quadam contributione ethnicis solvenda.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — Se possano i cristiani per sottrarsi alle vessazioni pagare ai gentili una contribuzione per cose lecite, sebbene poi sia erogata in superstizioni.

R. Affirmative, seu melius, licitum ut exponitur.

978

Circa suffragia pro defunctis peccatoribus poenitentibus.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Se approvare che, per fine di dare esempio, si vieti ai cristiani di recarsi alla casa di un defunto per pregare e fargli suffragî, perchè menò vita cattiva, sebbene in morte siasi pentito ed abbia ricevuto i SS. Sagramenti.

R. Negative.

979

Quoad vetitam librorum de religione impressionem.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Se nel divieto sulla stampa dei libri di religione s'intendano compresi i sermoni o prediche dei missionari, in guisa che non sia sufficiente l'esame ed approvazione del rispettivo Vicario Apostolico.

R. Quatenus velint typis edi, affirmative; secus negative in casu, dummodo Vicarius Ap. eos sermones approbaverit.

980

An liceat confessario occultos coniuges hortari ad nuptialem benedictionem recipiendam.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843.* (C. P. pro Sin.) — Tunk. Occid. — Licetne confessario coniuges hortari ad benedictionem nuptialem recipiendam, cum cognoscat in sacro tribunali eos copulam cum affectu maritali habuisse, secluso tamen periculo profanationis Sacramenti?

R. Respondeatur cum instructione qua dicatur matrimonium christianorum in iis locis in quibus promulgatum non est decretum Concilii Trid. (Cap. I, Sess. 24 de Reform. Matr.) per legitimum viri et mulieris consensum perfici; ac propterea ubi constet de legitimo consensu, nullumque obstet canonicum impedimentum, posse confessarium, prout in casu, exhortari coniuges ut recipiant nuptialem benedictionem.

981

De facultate benedicendi olea sacra quoad Vicarii Apostolici Coadiutores.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Cocincin. — Se dimorando il Coadiutore in lontane regioni del Vicariato con l'assenso del Vic. Ap. possa benedire gli oli santi per quelle cristianità.

R. Consulendum SSmo. — SSmus declaravit satis esse provisum per concessiones factas annis 1835 et 1841 *(V. nn. 840 et 924)* quas proinde significandas, et, si opus sit, extendendas mandavit ad regiones in Vicariatu Ap., de quo agitur, contentas.

982

An Coadiutor Vicarii Ap. huius specialibus privilegiis uti queat.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — Cocincin. — Se il Coadiutore del Vicario Apostolico possa usare il pastorale, sedere in trono, e tutt'altro, nel celebrare pontificalmente, a somiglianza del Vicario Apostolico (che ne ha l'indulto).

R. Negative, nisi adsit consuetudo, et exceptis iis functionibus in quibus id exigit ritus.

983

Quoad ius proprietatis christianorum in agros ipsis a civili auctoritate assignatos.

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) – Cocincin. – Dedi (ego Vic. Ap.) litteras ad S. C. in quibus loquebar de decreto a rege lato ad agros a legitimis eorum possessoribus auferendos, et quaerebam: – *An liceret pago christiano agros, a rege illi assignatos, sibi ut suos vindicare; et an liceret christianis fructus dictorum agrorum facere suos quando illi ipsis titulo militiae vel servitii publici assignantur.* Sed... S. C. quaerit: 1. Utrum cocincinenses, quibus praedia auferuntur, tamquam legitimi verique possessores bonorum illorum habeantur; vel e contra regi tamquam

domino ea pertinere censeantur. — Respondeo ad 1. (i. e. primam partem): Affirmative; dictos enim agros aut praedia inter se vendunt et emunt sine ulla omnino conditione vel onere ullo. Quotannis tributum dictorum agrorum solvunt, et titulo possessionis agrorum nihil aliud a possessore exigitur. Aliunde usque nunc quoties rex abstulit praedia aliqua ab aliquo, semper possessori pretium praedii solvit. Ideo respondeo ad 2. (partem): Negative. — S. C. quaerit: 2. Utrum bona illa, a gubernio fisco adiudicata, cum regni seu publicis bonis commixta curentur, vel seiuncta administrentur. — Respondeo 1. Dicta bona non fuisse adiudicata, ideo cum bonis publicis ea nec curari nec administrari seiunctim. Respondeo 2. Dicta bona adiudicata fuerunt ad pagos, intra quorum fines existebant: ideo eorum administratio et cura pertinet ad pagos, non ad gubernium. Pagi tamen non videntur habere proprietatem veram et absolutam dictorum agrorum; vendere enim eos non possunt, locare tamen eos possunt per aliquot annos iustis de causis, a praefectis tamen approbandis. Isti agri *publici* dicuntur quia eorum proprietas ad nullum in particulari pertinet, et eorum fructus ab his solis qui operibus publicis vacant percipi possunt. Et dicuntur ad pagum istum vel illum pertinere quia ii soli qui ad istum vel illum pagum pertinent, fructus percipere possunt agrorum intra fines istius vel illius pagi existentium. Miles igitur istius pagi nullum ius habet ad agros publicos alterius pagi, in cuius tabulis inscriptus fuit et pro quo militat.

Alia quaedam sunt etiam notanda: 1. Nullus inter indigenas videtur dubitare an pagi possint iuste, nec ne, dicta praedia a lege illis adiudicata recipere. — 2. Nec inter eos qui partem agri sibi a pago assignatam recipiunt, ullus est qui suspicetur hoc sibi non licere; vel enim ipsi vi dictae legis amiserunt praedia, vel non: si prius, tunc partem sibi assignatam, ut compensationem quamdam habent; si posterius, tunc sunt pauperes, et partem sibi assignatam habent velut pretium quo pagus eos conducit ad militandum, vel operibus publicis vacandum pro pago. – 3. In tota hac provincia unus tantum est pagus in quo duae partes sunt christianae, et tertia pars pagana. Tres aut quatuor alii pagi sunt in quibus media pars est christiana et media pars pagana. In omnibus aliis pagis provinciae christiani sunt inferiores numero paganis, et in tota provincia novem sunt millia christianorum. – 4. Si declaratur non licere communitati christianae et christianis dicta praedia recipere, nihil utilitatis refunditur in antiquos eorum possessores; et multa inde sequerentur incommoda: *a*) Isti agri relati sunt in tabulis publicis ut agri communes, nec possibile est mutare dictas tabulas; et qui dicta praedia alicui darent aut reciperent non titulo militiae vel servitii publici, sed alio titulo, certe haberentur et punirentur ut rei malae administrationis, et ad restitutionem obligarentur sine ullo dubio. *b*) Si totus pagus christianus foret, non posset quidem dicta praedia reddere, sed posset forsan compensationem facere antiquis possessoribus; sed nullus est pagus omnino christianus, et pagus nihil habet ad reddendum etc. Et quomodo obligare privatos ad reddendum quod recipiunt titulo militiae et servitii publici etc.?

R. Attentis omnibus et singulis circumstantiis, non esse inquietandos.

984

S. C. de Prop. F. *27 Sept. 1843* (C. P. pro Sin.) — An in Ordinatione Ostiariorum possit omitti traditio clavium, aut oporteat uti clave qualicumque. De clavium traditione in ordinandis Ostiariis.

R. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

985

Ex Instr. S. C. Concil. *14 Octobr. 1843.* Ordinariorum esse de re cognoscere et perpendere num revera necessitas urgeat ut sacerdos duas Missas celebrare cogatur, nec aliter utendum concessa hac iteratione quam iuxta conditiones ab ipsis apponendas, habita locorum, populorum et paucitatis sacerdotum, ac proinde verae necessitatis ratione, de qua legatur Benedicti XIV. Constit. *Declarasti* ad Ep. Oscensem anni 1746, et in eius opere *De Sacrificio Missae* lib. 3, cap. 5 et 6. Ipsorum vero conscientia oneratur stricte, nec permissio concedatur generaliter, quasi privilegium alicui sacerdoti, sed ob peculiares casus, et necessitatis causa ab ipso (Ordinario) examinata, qui praeterea moneat parochos quibus facultatem iterum, eadem die, secundam Missam celebrari concesserit, ne eleemosynam vel stipendium a quovis et sub quocumque praetextu pro ea percipiant, iuxta decreta alias edita a S. C., sed eam pro populo sibi commisso gratis applicent. Circa Missae iterationem.

986

S. C. S. Off. *6 Martii 1844.* — Americ. Sept. — 1. Se sia lecito ai sacerdoti cattolici assistere come magistrati civili ai matrimonii degli eretici. An liceat sacerdotibus adsistere haereticorum nuptiis.

2. Se sia lecito battezzare i bambini degli eretici esibiti al battesimo dai genitori, parenti, ed amici benchè non vi sia probabilità nella parte de' genitori, che saranno istruiti nella religione cattolica? An liceat haereticorum filios baptizare.

R. Ad 1. Detur decretum Fer. IV. 20 Decembris 1837 nempe: « Si agatur de matrimo-« nio inter duas partes haereticas responden-« dum ad mentem: *Che sebbene non si con-*

« *danni tale intervento, in modo che non possa* « *mai esser lecito, pure comunemente si deve* « *dissuadere*. Si altera pars sit catholica, ob- « tenta dispensatione ab impedimento mixtae « religionis, et servatis solitis cautelis et con- « ditionibus, licere ».

Ad 2. Dentur decreta 24 Aug. 1826, et 19 Septembris 1827, nempe: « Illam praxim (ba- « ptizandi etc.) non esse approbandam, prout « ex epistola ad Archiepiscopum Pisanum; ab « hac regula in praxi discedi non debere, sci- « licet infantes haereticorum a parentibus obla- « tos non esse baptizandos, nisi probabilis af- « fulgeat spes catholicae eorum educationis ». SSmus approbavit.

987

Circa preces pro defunctis qui christiane non vixerint.

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide *23 Martii 1844* (Ad Vic. Ap. Cocincinae) — Quaerebas utrum christianis prohibendum esset domum defuncti convenire ad orandum pro eo, quoties ille christiane non vixerit in vita sua, licet tamen, in articulo mortis constitutus, ad meliorem frugem sese recipiat, et sacramentis munitus decedat: ea nempe de causa ut fideles, hac in mortuos agendi ratione exterriti, facilius in officio contineantur, pieque vivere satagant. Haud tamen placuit S. Congregationi defunctis, ceteroquin poenitentibus, et in Ecclesiae communione obeuntibus, prohibere gratiam, suadendumque potius operariis ut peccatores obfirmatos et scandalosos ad saniora consilia, S. Pauli monitis inhaerentes, revocare adnitantur. Contra vero eos qui impoenitentes decesserint, sese gerant iuxta leges Ecclesiae.

988

De comestione panum idolis oblatorum.

Ex Litt. S. C. de Prop. F. *23 Martii 1844* (Ad Vic. Ap. Leao-tong). — Quaerebas an christiani possent recipere panes, quos, in novo anno vel sacrificiis, pagani velut amicitiae causa eis distribuunt, scientes oblatos diabolo fuisse: an manducare possent, ac denique an munera muneribus rependere. Hisce omnibus consonam esse perspicies responsionem Supremae Inquisitionis ad similia dubia, anno 1768 exhibita datam, quae sic habet: *Licitum esse comedere epulas indifferenter appositas, quamvis idolis oblatas, dummodo non in templo, neque in loco idolis sacro, et dummodo omnis adsit species cultus aut venerationis idoli, ac superstitionis, nullumque adsit periculum scandalizandi fideles vel infideles.* Idem rescriptum fuit a S. C. de Prop. Fide anno 1797 Vic. Ap. Sutchuensi, nimirum, secundum ea quae proposita fuerant, *tolerari posse, secluso scandalo, et ne concitaretur aliqua persecutio (V. num. 637).*

Circa contractum oppignerationis.

Alterum (dubium) *oppignerationis* nuncupatum contractum respiciebat. Quamvis contractus huius generis alias vetitus ac illicitus declaratus a S. Sede fuerit, ex noviter tamen ab Amplitudine Tua deductis, Emi Patres rescribendum duxerunt: *Ea de causa christifideles non esse inquietandos, dummodo in casibus particularibus inter datum et acceptum servetur aequitas naturalis.* Data porro occasione, condoceas fideles oportet, S. Sedem alias prohibuisse, seu illicitum declarasse contractum *oppignerationis* nuncupatum, anno 1779 expositum (quae prohibitio in Synodum Sutchuensem relata fuit), prout S. Sedi exhibitus fuerat, qui in substantialibus circumstantiis erat omnino diversus.

Circa repetitionem iuramenti Bullae *Ex quo.*

Quoad iuramenti autem repetitionem, de qua item quaerebas, a missionariis praestandi, scias opus est nihil innovatum fuisse ab iis quae in Constitutionibus Clementis XI ac Benedicti XIV praecipiuntur, ita ut ii teneantur iuramentum emittere in manibus Vicarii sui Apostolici, vel ab eo delegati, antequam exercitium aggrediantur missionis, etiamsi in manibus Superiorum suae Religionis, si Regulares fuerint, vel Romae Emi Praefecti, vel alibi alterius Vicarii Ap. aut Episcopi illud praestiterint. Quod si in eorum adventu Vicarium vel delegatum adire prohibeantur, quantocius valeant, ad eum sese conferre debent, ac iuramentum praestare, vel ei iuramenti praestiti in manibus alterius Missionis Superioris testimonium exhibere. Ad Vicarios tamen Apostolicos quod attinet, semel emisisse satis est.

Illicitum missionariis more sacerdotum ethnicorum incedere.

Petebas quarto, ad facilius catholicam fidem inter tartaros inducendam, an possent missionarii induere vestes a sacerdotibus *Lama* adhibitas, vel saltem tondere more illorum caput suum, seu penitus radere. — Alias etiam quaestio haec ad examen revocata fuit, exhibita a prioribus Vicariis, quibus anno 1685 S. C. negative rescripsit, etiam quoad habitus colorem (1), a qua responsione recedi non posse censuerunt Emi PP., ac, prout quaestio etiam nunc proponitur, *non licere* dixerunt.

989

Quando urgeat obligatio de statu missionum in Sinis referendi, atque visitationis ss. Liminum.

Litt. S. C. de Prop. F. *23 Martii 1844.* (Ad Vic. Ap. Tunk. Occid.)... — Petebas an de statu missionis ratio reddenda esset singulis annis, iuxta decretum anni 1838, vel quovis quinquennio.... Ad minuendum iisdem Praesulibus onus, decreverunt (Eminentissimi PP.)

(1) Anno 1685 Vicarius Ap. Siamen. petiit ut missionarii possent « uti veste talapoinorum, qui apud illas « gentes in religiosorum, seu sacerdotum numero ha- « bentur; vel saltem illius colorem assumere ». Et S. C. de Prop. Fide *(20 Martii)* respondit: *Negative, etiam quoad colorem.*

quovis quinquennio tantum plenam accuratamque, iuxta formulam typis editam, relationem esse mittendam, nec aliam requiri ab eorum Coadiutoribus. Monent nihilominus Vicarios Ap. ut singulis annis notulam conversorum, baptizatorum et annuae sacramentorum administrationis catalogum, una cum aliis notatu dignioribus, quae intra id temporis forte evenerint, S. Congregationi praebere non omittant. His porro addendum quod, postulante altero ex Vic. Ap., decernendum duxerunt visitationem nempe ad Sacra Limina, ad quam peragendum quovis decennio tenerentur, per procuratorem ab ipsa S. C., petentibus iisdem Vicariis, designandum, esse perficiendam; quum iis nec, S. Sede inconsulta, liceat, nec omnino expediat, sibi creditas Missiones, in iis praecipue quibus versantur adiunctis, relinquere.

990

An sufficiat Communio paschalis pro Indulgentia plenaria.

S. C. Indulg. *10 Maii 1844* — MECHLINIEN. — 1. An christifideles secundum canonem *Omnes utriusque sexus* Sacramentum Eucharistiae suscipientes tempore paschali, possint per hanc sacram Communionem lucrari Indulgentiam plenariam, ad quam lucrandam inter cetera praescribitur S. Communio.

De Communione sacerdotis in Missa pro indulgentia lucranda.

2. Utrum sacerdos in honorem B. M. V. Missam celebrans pro accepta eleemosyna, possit per sacram Communionem in Missae sacrificio peractam lucrari Indulgentiam vel sibi, vel defunctis applicandam, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio.

3. An sacerdos qui Missam celebrat ex. g. pro defuncto, eidemque applicat Indulgentiam plenariam altaris privilegiati, possit eodem die, vi sacrae Communionis in Missae Sacrificio peractae, lucrari aliam Indulgentiam plenariam, vel sibi, vel defunctis applicabilem, si ad hanc lucrandam praescribitur sacra Communio.

R. Ad 1. Affirmative, dummodo indulgentia lucrifacienda non sit in forma iubilaei, pro qua tantum requiritur specialis Confessio et Communio; satis enim declaratum est a SS. D. N. Gregorio PP. XVI, per decretum huius S. C. in una Monasteriensi sub die 19 Martii 1841.

Ad 2. et 3. Affirmative.

991

An liceat pecuniam accipere in ethnicorum funeribus.

Litt. S. C. de Prop. F. *23 Maii 1844* (AD VIC. AP. SIAM ORIENT.) — Quaerebas primo: Aliquando duces christiani cum suis domesticis ex officio suo tenentur comitari regem, quando celebrat funera magnatum aut principum. Ordinarie ista funera locum habent in platea ad combustionem principum destinata. Porro in istis funeribus est consuetudo quod rex proiicit pecuniam, quam assistentes certatim arripiunt. Christiani possuntne arripere istam pecuniam? Quod si, ut fit aliquando, rex singulis assistentibus pecuniam distribuat, possuntne etiam eam accipere? Ratio (inquiebas) dubitandi est quia, etiamsi rex non aperiat intentionem suam, attamen censetur eleemosynam largiri sive in suffragium defuncti, sive ut merito talis eleemosynae ipse aliquando perveniat ad coelos superiores, ideoque timendum videtur quod talis eleemosyna superstitiosa sit. – Alterum (dubium) erat: Iam a duabus vicibus rex, assistens funeribus solemnibus cum sua familia in tentoriis prope flumen, iussit ut adducerentur christiani annamitae (utpote optimi remiges), cymbas conscenderent, et cursu contenderent coram se ad sui ipsius et familiae regiae, ut ait, delectationem: postea victoribus pecuniam distribuit. Possuntne christiani sic cymbis contendere in medio flumine extra territorium fani, et ad solam, ut aiunt, regiae familiae delectationem? Ratio dubitandi (inquis) est quia isti cursus cymbarum occasione funerum exercentur, quamvis certum sit quod non reperiantur in catalogo rituum funeralium, et ante adventum annamitarum non exercebantur. — Hisce porro, prout exposita sunt, Sacra Cong., mature perpensis, ex parte christianorum cooperationem omnino ad superstitiosa deprehendi non posse censuit, ac propterea *inquietandos non esse* rescripsit.

De christianis cymbarum cursu contendentibus coram rege funeribus ethnicis adsistente.

992

Indulgentiae pro Sodalitate *Angelica* ad bonum infidelium infantium et adultorum.

S. C. de Prop. Fide *9 Iunii 1844 (Ex Aud. SSmi).* – SSmus D. N. Gregorius PP. XVI ad preces quorumdam Vicariorum App. Imperii Sinarum ac finitimorum Regnorum, inclytae fidelium sodalitati, in memoratis Missionibus erectae vel instruendae, et *Angelicae* nuncupatae, cuius munus est sacro Baptismate periculose aegrotantes et in articulo mortis costitutos infidelium infantes abluere: ut ad tam pium nec non arduum obeundum charitatis opus magis magisque firmentur atque excitentur utriusque sexus fideles, et una simul ad infidelium etiam adultorum conversionem efficacius promovendam, Indulgentias, prout infra, benigne impertiri in perpetuum dignatus est.

1. Quicumque Associationi Angelicae nomen dederint plenariam Indulgentiam consequuntur prima die admissionis, si vere poenitentes et confessi, Sacra Communione refecti fuerint, ac devote oraverint pro finibus praescribi consuetis.

2. Semel in mense eamdem Indulgentiam plenariam lucrari poterunt omnes praefati sodales, qualibet die ad sacramenta pie accesserint, et devote sic oraverint.

3. Sodales qui longe peregrinantur, Indulgentiam unius anni singulis peregrinationis diebus acquirent, modo quinquies *Pater* et *Ave* semel in die recitaverint pro prosperitate As-

sociationis ; Indulgentiam vero septem annorum ac totidem quadragenarum consequentur qui, vel consilio vel de facto, aliquo modo operam dabunt ut infidelis aliquis adultus ad fidem convertatur, et sacro Baptismate regeneretur, sicut et ii qui alicui infanti infidelium in articulo mortis constituto Baptismum conferent vel conferri curabunt; plenariam vero indulgentiam acquirent ii qui vel ad conversionem decem adultorum infidelium in anno opera sua efficaciter cooperaverint, vel Baptismum decem infantibus infidelium in periculo mortis constitutis contulerint, vel conferri curaverint, in decursu unius anni, ita ut dicta Indulgentia censeatur concessa pro quolibet numero decem vel adultorum in anno ad fidem venientium, vel infantium infidelium in anno baptizatorum, et cum clausulis sub nn. 1 et 2 contentis.

4. Sodales qui statis quibusdam locis affixi permanent, Indulgentiam centum dierum lucrabuntur, quibuscumque diebus infantulos baptizandos perquirent, modo quinquies *Pater* et *Ave* semel in die recitaverint pro incremento Sodalitatis; insuper unius anni Indulgentiam consequentur qui, ut supra, vel consilio vel de facto, aliquo modo operam dabunt ut infidelis aliquis adultus ad fidem convertatur, et sacro Baptismate regeneretur, sicut et ii qui alicui infanti infidelium in periculo mortis constituto Baptismum conferent vel conferri curabunt; plenariam vero Indulgentiam acquirent ii qui vel ad conversionem decem adultorum infidelium in anno opera sua efficaciter cooperaverint, vel Baptismum decem infantibus infidelium in articulo mortis constitutis contulerint, vel conferri curaverint in decursu unius anni, ita ut dicta Indulgentia censeatur concessa pro quolibet numero decem vel adultorum in anno ad fidem venientium, vel infantium infidelium in anno baptizatorum, et cum clausulis sub nn. 1. et 2. contentis.

5. Ceteri vero quicumque fideles, quotiescumque infantulos paganorum periculose aegrotos aqua Baptismatis expiaverint, centum dierum Indulgentiam acquirent.

6. Demum Indulgentiam centum dierum acquirent devote recitantes in quocumque idiomate, et toties quoties, orationem *Aeterne rerum omnium effector Deus* a s. Francisco Xaverio pro conversione infidelium compositam; nec non plenariam in die festo S. Francisci Xaverii, et una vice singulis mensibus lucrandam, peractis consuetis conditionibus, qui per integrum annum quotidie dictam orationem devote recitaverint (1).

7. Omnes autem praedictae Indulgentiae, concessae pro omnibus Missionibus in Sinis ac Regnorum finitimorum, poterunt per modum suffragii animabus defunctorum fidelium applicari (2).

993

De christianis tibicinibus operam suam ethnicorum pagodis aut festivitatibus praestantibus.

S. C. S. Officii *3 Iulii 1844* — PONDICHER. — Emus Cardinalis de Tournon sub poena excommunicationis latae sententiae prohibuit ne christiani tibicines suam operam praestarent idolorum pagodis aut illorum festivitatibus, hancque sententiam Summus Pontifex Benedictus XIV confirmavit: et insuper iniunctum fuit a Summo Pontifice Clemente XII ut missionarii ad haec Regna sacris obeundis missionibus missi, praestarent iuramentum implendi integre, exacte et omnimode tenorem memorati decreti. Missionarii nostri semper supradictum iuramentum, praestarunt et adhuc praestant, licet missionarii capuccini et sacerdotes goanenses ac lusitani illud non praestarent, et etiam nunc non praestent. Sed circumstantiae temporum nunc tales sunt ut necessitas adsit dispensationem iuramenti petendi circa unum punctum supradicti decreti, nempe circa tibicines, qui sunt in anglis et gallis regionibus, aut

(1) Praedicta oratio ita se habet: « Aeterne rerum « effector Deus, memento abs te animas infidelium « procreatas, easque ad imaginem et similitudinem « tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum « his ipsis infernus impletur. Memento, Iesum Filium « tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. « Noli, quaeso, Domine, ultra permittere ut Filius « tuus ab infidelibus contemnatur, sed precibus san- « ctorum virorum, et Ecclesiae sanctissimi Filii tui « sponsae placatus, recordare misericordiae tuae, et « oblitus idololatriae et infidelitatis eorum, effice ut « ipsi quoque agnoscant aliquando, quem misisti Do- « minum Iesum Christum, qui est solus vita et resur- « rectio nostra, per quem salvati et liberati sumus, cui « sit gloria per infinita saecula saeculorum. Amen ». (*Omnibus christifidelibus qui eamdem orationem, corde saltem contrito, devote recitaverint, Indulgentiam tercentum dierum, semel in die, concessit Pius PP. IX. die 24 Maii 1847*).

(2) Pro eisdem Missionibus quod sequitur indultum obtentum fuit ex Aud. SSmi die 18 Ianuarii 1778: « SSmus D. N. Pius PP. VI, ad magis augenda inter « fideles defunctorum suffragia, omnibus et singulis « utriusque sexus christifidelibus in quavis Imperii Si- « nici, tum etiam Tunkini, Siami, Cocincinae, Cam- « bodiae et Ciampae parte morantibus, qui vere poe- « nitentes, confessi et sacra Communione refecti, pie « ac devote Deum oraverint pro animabus in Purga- « torio detentis, vel ea die in qua Commemoratio ce- « lebratur omnium fidelium defunctorum, vel in qua- « libet alia die infra octavam eiusdem Commemora- « tionis, plenariam Indulgentiam, applicabilem quoque « per modum suffragii eiisdem animabus, ac semel « tantum in praedictis diebus lucrandam, benigne in « perpetuum concessit; illis autem, qui vel in ipsa « Commemoratione, vel in reliquis eiusdem octavae « diebus, corde saltem contriti, pro animabus ipsis « aliquas ad Deum preces effuderint, partialem septem « annorum ac totidem quadragenarum Indulgentiam « applicabilem, et lucrandam, ut supra, in perpetuum « similiter est impertitus: quam etiam partialem In- « dulgentiam, pari modo applicabilem, S. S. voluit ac « declaravit, ut praefati christifideles consequi valeant « ter in quolibet mense cuiusvis anni, dummodo corde « saltem contriti pro ipsis animabus devote precentur ».

etiam in proprio ac personali famulatu regum huius regionis, ita ut missionarii non teneantur dictos tibicines, prohibitioni a decreto factae contra facientes, ab ecclesia expellere, licet eis, alio quo poterunt modo, salutarem poenam ut poenitentiam infligant. Duces enim in exercitibus, et dicti reges, expulsionem tibicinum ab ecclesia existimant tanquam excitamentum in rebellionem contra sua iussa, et tanquam factum boni ordinis et militaris disciplinae subversivum; unde irascuntur, et non solum dictos tibicines puniunt, sed etiam eis suadent ut, religione catholica relicta, et ipsi, et uxores, (fere omnes tibicines sunt uxorati), et liberi, ad partes protestantium transeant. Insuper dicti duces inquirunt media sumendi vindictam a missionariis, et non solum missionarios minantur, sed et gubernator pudicheriensis me (Vicar. Apost.) minatus est cum ira, etiam in facie, propter tibicinem gallum ab ecclesia expulsum. Valde ardua est in hoc puncto nostra positio. Si enim non fecerimus iuxta tenorem iuramenti, periuri sumus, et, si fecerimus, magnae perturbationes exurgere possunt, et etiam exinde plures christiani non culpabiles possunt ad partes protestantium transire. Saepe missionarii a me quaesierunt ut dispensationem, de qua sermo est, ab E. V. peterem. Dum autem graves sint rationes in favorem eorum postulatus, efflagitanter ac enixe precor E. V. ut supradictam dispensationem nobis impetrare dignetur.

R. Nihil esse innovandum. *(V.* Litt. S. C. de Prop. Fide *5 Apr. 1853).*

994

Circa facultatem dispensandi a votis et a iuramento.

S. C. de Prop. F. *19 Maii 1845* (C. G.) — Facultas dispensandi a votis facultatem dispensandi a iureiurando per se non includit.

995

Plurium matrimoniorum, quorum incerta validitas, *in radice* sanatio.

S. C. de Prop. F. *1 Iunii 1845 (Ex Aud. SS̃mi)* – Yun-nan. – Cum christianitates sui Vicariatus multos iam per annos a solis indigenis visitatae fuerint missionariis, qui forsan omnia et singula dirimentia matrimonium impedimenta non callebant sufficienter, ex quo potuit evenire ut nonnulli fideles invalidum sic contraxerint matrimonium, etiam bona fide, S. V. etiam atque etiam rogat orator Episcopus ut talia matrimonia invalide contracta sanare *in radice* dignetur, seu ea sanata esse *in radice* declarare non gravetur.

R. Mature perpensis expositis, SS̃mus matrimonia de quibus in supplici libello agitur, ex plenitudine apostolicae potestatis *in radice* benigne sanavit. Mandat tamen Sanctitas Sua ut huius gratiae pontificiae mentionem facere debeat Episcopus orator in secretorum matrimoniorum libro.

996

Facultas confraternitates erigendi non omnibus servatis conditionibus.

S. C. de Prop. Fide *8 Iunii 1845 (Ex Aud. SS̃mi)* — Cum ea sit Ecclesiae consuetudo, ut quae a Summo Pontifice approbantur et instituuntur piae sodalitates sive SS. Cordis Iesu, sive SS. Sacramenti, sive SS. Rosarii B. M. V. aliaeque, suam habeant capellam propriam in ecclesiis in quibus instituuntur, et in pluribus orientis Missionibus non sint ecclesiae nec oratoria communia, sed in domibus privatis omnia fiant exercitia religionis: hinc Episcopi et Vicarii Apostolici illarum regionum, quibus a Summo Pontifice conceditur facultas erigendi huiusmodi confraternitates, missionariis et sacerdotibus indigenis facultatem communicant in iis confraternitatibus, quas instituunt, admittendi fideles qui iis confraternitatibus nomen dare volunt, et eorum nomina inscribendi in catalogo quem secum deferunt. Sed haud raro contingit ut huiusmodi catalogi in satellitum manus cum sacerdotum suppellectilibus sacris decidant ac deperdantur. Memorati Antistites existimant Summum Pontificem, cui nota est conditio Vicariorum Apostolicorum in imperio Sinarum, aliisque regionibus, ubi non sunt ecclesiae nec oratoria communia, eo ipso quo ipsis impertitur facultatem aliquam erigendi piam sodalitatem, eos eximere ab obligatione piae illi sodalitati peculiarem assignandi capellam, nec non ab onere servandi catalogum eorum qui ei adscribi volunt. Si autem ea non fuerit hactenus mens Summorum Pontificum, qui Vicariis Apostolicis praedictarum Missionum facultatem elargiti sunt pias quasdam instituendi sodalitates, timent ne nullum sortitae sint effectum erectiones sodalitatum antea factae, haud servatis illis conditionibus, et idcirco suppliciter petunt:

1. Ut S. V. auctoritate apostolica, convalidare dignetur sodalitatum erectiones, quae ob ecclesiae vel altaris proprii defectum nullae sunt.

2. Ut Vicariis Apostolicis et missionariis sacerdotibusve ab eis delegatis ad tales erigendas confraternitates, facultatem tribuere dignetur eas instituendi sine ea obligatione.

3. Ut eos pariter liberet ab onere servandi catalogum eorum qui iis aggregari volunt.

R. Rebus in supplici libello expositis mature consideratis, habitaque praesertim ratione locorum et peculiarium circumstantiarum, Sanctitas Sua benigne annuit in omnibus pro gratia iuxta preces.

997

Per novam deaurationem calix et patena consecrationem amittunt.

S. R. Congr. *14 Iunii 1845* – Leodien. – Num calix et patena amittant consecrationem per novam deaurationem, et sic indigeant nova consecratione.

R. Affirmative: amittere nimirum, et indigere nova consecratione, iuxta exposita.

998

Confessariis satagendum ne poenitentes clandestinis societatibus adhaereant.

S. C. S. Officii *2 Iulii 1845* – Angliae et Hiberniae – Episcopi privatim per se vel per alios sibi bene visos nomine S. Sedis confessariis praecipiant ut serio moneant suos poenitentes, ne societati *liberorum muratorum* aliisque huius generis clandestinis aggregationibus nomen dare, vel earum conventicula adire aut fovere praesumant; ac pertinacibus sacramentalem absolutionem negent, cum facultate absolvendi vere resipiscentes ab excommunicatione incursa.

999

Circa conditionalem baptismi repetitionem.

Circa rebaptizandos baptizatos ab hodiernis haereticis.

Instr. S. C. de Prop. F. *26 Iulii 1845* (ad Vic. Ap. Pondicher.) – Gravis est abusus, nec tolerabilis, rebaptizandi omnes quos catechistae baptizaverint, propter generale validitatis dubium. Id videlicet repetita romana decreta vetant. Ergo nonnisi post institutum singulorum casuum examen, ad Baptismi conditionalem repetitionem veniendum erit. Baptizatos porro ab hodiernis haereticis, denuo a catholicis baptizari, non est imprudens nec insuetum, propter haereticorum incertam et suspectam praxim; non tamen eo nomine quod dubitetur de fidei baptizantium capitibus. Etenim si certo constaret praedictos haereticos legitimam adhibuisse formam, materiam atque intentionem, rebaptizare prorsus non liceret, ut omnes norunt, neque Synodi (pondicheriensis) Patres certe ignoraverunt, qui illis decreti sui verbis nihil aliud fortasse designant, quam hodiernos haereticos, socinianos, methodistas, quakeros, et forte alios, qui, cum Baptismi necessitatem negant, ritum fere contemnunt, idcirco baptizare recte nullo modo creduntur.

Circa ordinem servandum in baptismate mulierum adultarum.

Ad dubium liturgicum super adultarum Baptismate mulierum quod attinet, hic servandus ordo: Post secundam nimirum genuflexionem electae, legatur unica oratio *Deus Abraham* etc. absque exorcismis; post tertiam, sine oratione, quae non adest pro feminis, duo recitentur exorcismi, nempe *Exorcizo te* etc., et *Ergo, maledicte diabole,* etc., qui prioris exorcismi post primam genuflexionem continuatio sunt, ac desinunt per verba *quod nos fronti eius damus,* etc. Post haec autem legatur oratio *Æternam,* etc., quae utriusque sexus baptizandis fidelibus communis est.

De exigenda observantia Constitutionis Benedicti XIV *De ritibus malabaricis.*

Ut omnes praecidantur ambiguitates, privatisque occurratur sententiis in iis quae requiruntur circa sa. me. Benedicti XIV Constitutionem *De ritibus malabaricis,* cunctis primum innotescere voluit S. C. illam definite praeceptivam esse, eiusque observantiam constanter tenendam. Eiusdem capitula, quantum opus est, catechumenis sunt exponenda, ita tamen ut hi obedientiam omnibus generatim spondeant. Ab Apostolico demum Vicario curandum erit ut hac in re et quod ad debitum Constitutionis obsequium una eademque sit omnium operariorum agendi ratio.

Nulla indorum classis a scholis et a missionariorum famulitio arcenda.

Quod attinet ad scholas, optat S. C. ut eae cunctis omnino Indorum classibus pateant (prout multa decreta et adhortationes S. Congregationis et Pontificum Maximorum iamdiu mandaverunt), atque ut nulla doctrina tum sacra, tum etiam saecularis iis denegetur. Item optat S. C. ut a missionariorum famulitio, cum fieri poterit, nulla classis christianorum indorum arceatur.

1000

In altari ante Tabernaculum nulla collocanda Reliquia.

S. R. C. *6 Sept. 1845.* — Sancti Angeli in Vado — Legis latae per generale decretum editum die 31 mensis Martii anno 1821 bene conscius R. D. Paulus Antonius Marchi Canonicus Cathedralis Sancti Angeli in Vado, qua interdicitur apponi vel imagines, vel reliquias Sanctorum super Tabernaculum ubi reconditur SS. Eucharistiae Sacramentum, S. R. C. humillime supplicavit, ut saltem ante eiusdem Tabernaculi ostiolum collocari possit alicuius Sancti reliquia, die quo eiusdem festum recolitur, maxime quum vigeat super hoc ipso immemorabilis consuetudo.

R. Omnibus attente consideratis, ac praesertim Decreto in una *Congregationis Montis Coronae* edito 22 mensis Ianuarii anno 1701 ad dubium 10, quo prohibetur collocare et retinere, vel vas florum, vel quid simile ante praedictum ostiolum Tabernaculi, rescribendum censuit: Non licere, et assertam consuetudinem tamquam abusum eliminandam.

1001

De venditione chartae quam pagani superstitiose sunt adhibituri.

S. C. de Prop. Fide *3 Oct. 1845* (C. P. pro Sin.) – Tunk. Occid. – Christiani quamdam chartae speciem fabricant quam ordinarie vendunt paganis... Cum illa charta ex seipsa sit indifferens ad quemcumque usum, illam pagani nova operatione praeparant ut ad superstitiosa peragenda apta sit.

R. Siquidem charta, prout ab utrisque venditur, per se et in communi hominum aestimatione sit indifferens, et primario vel directe non referatur ad superstitiosa, non esse inquietandos.

1002

Necessaria ad fidem propagandam tum Episcoporum missio, tum cleri indigenae institutio.

Instr. S. C. de Prop. F. *23 Nov. 1845* De clero indigena – Neminem profecto latere potest quibus curis ac studiis Apostolica Sedes, pro collato sibi divinitus munere, in id assidue

intenderit, ut Evangelicae legis lumine latius in dies per omnem terram effuso, iacentes adhuc in tenebris et umbra mortis populi aeternae veritatis gloriam agnoscerent, susceptumque semel vitae verbum firmissime tenerent. Duo enim esse praecipua ac veluti necessaria catholicae Religionis propagandae, et stabiliendae instrumenta, missionem scilicet Episcoporum, quos *Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei,* et sedulam indigenae cleri institutionem, tum alia gravissima, tum praesertim Apostolorum exemplum, ac primitivae Ecclesiae testimonium manifestissime evincunt. Sane, ut ea, ceteroquin notissima, hic praetermittantur, quae Sacrae Litterae, et enucleatius ipsorum Apostolorum epistolae et acta opportune ac abunde in rem habent, audire omnino est S. Clementem Romanum S. Petri discipulum, ac S. Pauli adiutorem et comitem, ita de Apostolis ad Corinthios scribentem ep. 1, cap. 44, « *praedictos* (Episcopos) *constituerunt, ac deinceps futurae successionis hanc tradiderunt regulam, ut, cum illi defecissent, ministerium eorum ac munus alii probati viri exciperent* ». Et subsequenti saeculo S. Irenaeus (advers. haereses lib. 3, cap. 3), inquiebat: « *habemus adnumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi, et successores eorum usque ad nos* ». Quin ea fuit initio Ecclesiae de amplificando Episcoporum numero, deque iis per diversas regiones magis magisque distribuendis sollicitudo, ut id multo ante aetatem suam factum fere ubique affirmaverit S. Cyprianus his luculentissimis verbis in epistola 52. ad Antonianum: « *iampridem per omnes provincias, et per urbes singulas ordinati sunt Episcopi* ». Quamobrem S. Augustinus contra Cresconium lib. 3, 18 commemorat Episcopos ab ipsis Apostolorum sedibus inconcussam seriem usque in sua tempora perducentes.

1. De Episcoporum missione.

Nec minus ex sacris monumentis evidens compertumque est Apostolos, missosque ab eis in ultimas etiam orbis partes Episcopos plures quacumque sacerdotes, et ministros initiasse, atque adeo clerum ex indigenis hominibus ad christianae religionis firmitatem et incrementum instituisse. Hinc S. Ignatius martyr S. Petri discipulus eiusque in Sede Antiochena post Evodium successor constitutus, variis in Ecclesiis una cum Episcopo presbyteros, et diaconos accurate describit: *Studete,* inquit in sua ad Magnesianos epistola n. 13, *ut confirmemini in dogmatibus Domini, et Apostolorum... cum dignissimo Episcopo vestro ; et digne contexta spirituali corona presbyterii vestri, et secundum Deum agentibus diaconis.* Et in alia ad Smyrnenses (n. 12) salutat *Deo dignum Episcopum, et Deo decorum presbyterium, et conservos . . . diaconos.* Id ipsum de Corinthiorum Ecclesia liquet ex allata superius S. Clementis priore epistola (cap. 40), ubi sic legitur: « *summo quippe sacerdoti sua munia tributa sunt, et sacerdotibus locus proprius praestitutus est; levitis quoque sua ministeria incumbunt* ». Denique non praetereundus Eusebius ab Apostolorum aevo licet remotior, cuius apertissimus est qui sequitur locus: (Hist. Ecc. lib. 3, cap. 23). « *Cum post obitum tyranni ex insula Patmo Ephesum rediisset Ioannes ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut Episcopos constitueret, partim ut Ecclesias integras disponeret, ac formaret, partim etiam ut homines sibi a Divino Spiritu indicatos in clerum quemdam, seu sortem Domini seponeret.*

2. De cleri indigenae institutione.

Iam vero Apostolorum exemplo et vestigiis inhaerentes Romani Pontifices universae Ecclesiae divina auctoritate praepositi, cum semper et ab antiquissimis usque temporibus, tum maxime tribus postremis saeculis per Sacram hanc Congregationem sanctissimo propagandae fidei negotio peculiariter addictam impense curarunt, ut multiplicatis, quo magis fieri posset, Episcopis, erectisque pro locorum opportunitate Ecclesiis, Religionis incolumitati, et commodo consultum iugiter esset. Atque hanc saluberrimam providentiae rationem non modo ad regiones evangelico semine primum faecundatas, sed etiam ad illas ubi per saeculorum intervalla, vel haeretica pravitate, vel ethnica iterum superstitione invalescente, res catholica misere periclitabatur, patere studiosissime voluerunt. Quod si nonnullis in locis ob adversas temporum vices magnique momenti causas titulatos atque ordinarios Episcopos constituere haud licuit, Apostolicos tamen Vicarios episcopali charactere et potestate auctos ad fidelem illic populum regendum mittere non distulerunt, paucisque tantummodo in regionibus ob graviora rerum adiuncta simplices presbyteros catholico gregi praeesse passi sunt, eo certe consilio ac mente ut, cum primum datum esset, perfecta ibidem ecclesiasticae hierarchiae forma instauraretur.

Porro autem Romanos Pontifices pro supremi officii sui sanctitate in id aeque omni ope atque opera incubuisse, ut, qui in diversas terrae partes abibant, earumque Ecclesiis praeficiebantur Episcopi, ii indigenae cleri institutionem vehementissime urgerent, res est, ut cuique perspecta, ita multiplici documentorum genere confirmata. Huc revera spectant omnigena subsidia in Episcopos remotissimarum etiam regionum pluries collata ad seminaria erigenda, ubi pueri indigenae sacris deinceps initiandi, ad pietatem et scientiam informarentur. Huc permulta nationalia collegia eumdem in finem sive Romae, sive alibi ingenti sumptu ac labore instituta, et vel a fundamentis exstructa. Huc peculiares facultates Episcopis et Vicariis Apostolicis extra ordinem tributae ; quo scilicet aliquibus praesertim in locis facilior

esset indigenarum hominum ad presbyterii honorem et gradum ascensus. Huc demum innumerae fere Romanorum Pontificum epistolae, et constitutiones, itemque tot ac tanta ipsorum auctoritate per Sacram hanc Congregationem edita documenta et decreta, perspicuum procul dubio testimonium Apostolicae de ista re sollicitudinis in aevum extitura.

Perlongum nimis esset pontificias huiusmodi sanctiones singillatim recensere, vel solummodo etiam, serie a primis Ecclesiae saeculis ad nos deducta, commemorare. Satis sit nonnullas hic afferre quae ab Sacrae huius Congregationis origine ad haec usque tempora latae identidem sunt. Itaque iam inde ab anno 1626, Iaponiae Episcopo mandatum fuerat « *ut iaponios, quos necessarios et idoneos iudicaret, ad sacros Ordines usque ad presbyteratum promoveret.* At paulo post die nempe 28 Novembris annui 1630, generatim quod ad Indos statutum est « *omnino providendum esse, ut qui ex Indis fuerint magis habiles, post diligentem et exactam eorum instructionem, morumque eorumdem per aliquot annos probationem, et in pietate, christianaeque Religionis functionibus exercitationem, ad sacros Ordines usque ad sacerdotium inclusive promoveantur* ».

Anno autem 1659 immortalis memoriae Pontifex Alexander VII monitos per Sacram hanc Congregationem expresse voluit Vicarios Apostolicos ad Tunquini, Sinarum, et Cochinchinae regna proficientes « *potissimam rationem Episcopos in illas regiones mittendi, fuisse, ut omnibus modis, atque rationibus curarent iuventutem illam sic instituere, ut sacerdotii capaces redderentur, et ab eis consecrarentur, ac suis locis per vastas easdem regiones collocarentur, rem illic christianam summa diligentia iis dirigentibus curaturi* » : itaque hunc finem semper ob oculos habere eos iussit, « *ut ad sacros Ordines quamplurimos, et quam aptissimos adducerent, instituerent, et suo tempore promoverent* » (1).

Similia prorsus habent sapientissimi eiusdem Pontificis Constitutiones *Sacrosancti Apostolatus officii* 18 Ianuarii 1658, et *Super cathedram* 9 Sept. 1659, nec non Clementis IX *In excelsa*, et *Speculatores*, utraque die 13 Septembris 1669, atque etiam Clementis X *Decet Romanum Pontificem* 23 Decembris 1673 uno ipsoque sensu indicentes: « *eo potissimum fine in Sinas, Tunquinum, Cochinchinam, Siamum, et alia vicina regna missos, ibique constitutos esse Episcopos Vicarios Apostolicos, ut ex christianis indigenis, seu incolis illarum partium instituerentur clerici, et sacerdotes, ac crescente fide, fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim introduceretur* ».

Praeterea Innocentius XI Litteris Apostolicis in forma Brevis, quarum initium *Onerosa pastoralis*, circa sinenses Missiones, datis die 1 Aprilis 1860, *Apostolicorum Vicariorum numerum augendum* mandavit, ut amplissimae illae regiones recte et fructuose gubernarentur, et singuli eorum *institutioni, et ordinationi naturalium sive indigenarum praecipue studerent.*

Quid quod Venerabilis hic Pontifex ad indigenae cleri institutionem memoratis in regnis efficacissime promovendam eo progressus est, ut suis legatis Heliopolitano ac Berithensi Episcopis inter alia potestatem fecerit *cogendi* etiam *Vicarios Apostolicos, poenis a sacris canonibus inflictis, ad instruendos, et ordinandos clericos et sacerdotes naturales sive indigenas,* ut scilicet indigenarum quoque Episcoporum institutioni paulatim via sterneretur; quam quidem ipse Pontifex quibusdam in locis iam tum perfici praecepit? His deinde eodem plane proposito accesserunt Litterae in forma Brevis Clementis XI *Dudum felicis* 7 Decembris 1703, decretum Clementis XII 16 Aprilis 1736, plures Benedicti XIV Constitutiones, Epistola encyclica Pii Sexti 10 Maii 1775 ac tandem permulta in hanc rem ipsam a SSmo D. N. Gregorio XVI, quem Deus diutissime sospitet, per Sacram hanc Congregationem constituta ac decreta.

Atqui tamen impensis hisce, et numquam intermissis curis eum non respondisse exitum, quem Apostolica Sedes merito sibi pollicebatur, tristis experientia demonstrat. Silere quidem non licet complures Episcopos, aut Apostolicos Vicarios omni certe laude dignos in Sinis praecipue et finitimis regnis, vel nuper ut datum ipsis fuit, vel iamdiu etiam in cleri indigenae institutione assidue uberique cum fructu adlaborare. Atque hinc sane repetendum, imo potius summopere laetandum, quod illic catholica fides ita alte lateque radices egerit; ut tamquam nativa doctrina longo licet saeculorum decursu integra vigeat, et immota consistat, nec diuturnae saevissimaeque ethnicorum persecutiones eam perimere unquam valuerint.

Verum obversantur una simul menti, et ab extremis terrae finibus supplices veluti manus ad sanctam Petri cathedram protendere videntur miserrimi tantarum regionum incolae, quos inter, plantata pridem magnis curis vinea Domini, agricolarum inopia, ob neglectam nempe indigenae cleri institutionem, in eo ferme est, ut arescat, aut vix aliquod interdum germen emittens, nascentis adhuc Ecclesiae conditionem praesefert. Interea illud Dei miserentis auxilio nostris temporibus feliciter evenisse constat, ut vel pene sublatae, vel saltem imminutae admodum sint difficultates, quae rei catholicae firmiori, et magis canonica forma dilatandae alicubi praesertim obstabant; adeoque ad salutare

(1) Instr. ad Vic. Ap. Tunquini, et Cochinchinae anno 1659.

opus properandum evangelica illa verba quodammodo impellant: *levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem* (Ioan. cap. 4, v. 25).

Istiusmodi igitur causae fuerunt cur Sacra haec Congregatio opportunissimum duxerit singulos Missionum praesides iterum iterumque hortari, et monere, ut tantum negotium coniunctis viribus impensius persequantur. Quare in generalibus comitiis diei 19 Maii praesentis anni de Pudicheriani conventus deliberationibus agens, ut eximium Episcopum Drusiparensem, aliosque probatissimos praesules in sancto, de quo sermo est, proposito magis magisque confirmaret, ceteros autem, ubi opus sit, ad lata toties de hac ipsa re decreta pro suo munere revocaret, per hanc instructionem ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, Vicarios Apostolicos, aliosque Missionum praesides mittendam, ea quae sequuntur, statuere omnino, ac mandare in Domino existimavit.

1. Et primo quidem omnes ac singuli Missionum praesides, quovis titulo earum regimen gerant, ita rei catholicae promovendae, et firmandae operam navent, ut ubi adhuc desiderantur Episcopi, praefici quantocius possint; ubi vero regionum amplitudo postulat aut sinit, ipsorum Episcoporum numerus, territoriis divisis, augeri, Ecclesiaeque ad perfectam hierarchici regiminis formam constitui tandem aliquando queant.

2. Illud insuper aeque studiosissime curent, quod etiam praecipui illorum muneris est, ut ex christianis indigenis, seu incolis earum partium, probati clerici instituantur, ac sacerdotes initientur; quo scilicet crescente fide, fideliumque numero, disciplinae ecclesiasticae usus paulatim invalescat, ac religionis catholicae stabilitati prospiciatur. Huius rei causa maxime proderit, immo necessarium erit, seminaria condere, in quibus adolescentes, qui a Deo ad sacerdotium vocati fuerint, bene diuque educentur, sacrisque doctrinis imbuantur.

3. Ad omnem vero scientiam, ac pietatem levitae indigenae informandi et in sacro ministerio sedulo exercendi sunt; ita quidem, ut, quod iamdudum Apostolica Sedes in votis habet, ad ecclesiastica quaevis munia, atque ad ipsum Missionum regimen idonei fiant, et episcopali etiam charactere digni existant. Quae tamen maximi sane momenti res, ut tutior evadat, et non sine religionis emolumento perfici suo tempore possit, qui ad tantum onus designantur, illi ferendo assuescant oportet. Quapropter, quos ex indigenis clericis Missionum praesides praestantiores censuerint, eos gradatim ad potiora implenda munera instituant, ac suos quoque Vicarios pro opportunitate deputare non renuant.

4. Hinc reiiciendus, ac omnino abrogandus erit mos indigenas presbyteros ad cleri tantum auxiliaris conditionem eis merito molestam deprimendi. Quin potius paulatim, et, cum fieri prudenter poterit, ea regula inducenda, ut inter evangelicos operarios, sive indigenae ii sint, sive europaei, ceteris paribus, praelationis ordo ex antiquiori Missionis exercitio servetur, atque adeo honores, officia, et gradus illis tribuantur, qui diutius sacro munere perfuncti sint (1).

5. Ad haec compluribus in locis factum est, ut, neglecta et posthabita indigenae cleri institutione, evangelici iidem operarii laicos catechistas adiutores sibi in ministerio adsciscere consueverint; et forsan eorum operam plerumque fidei dilatationi perutilem experti sint. At cum non satis consentanee Apostolicae Sedis menti, atque ecclesiastici ministerii rationi id egerint, et graves etiam hac in re abusus ex praedictorum catechistarum seu imperitia, seu licentia praevaluisse innotuerit, Sacra haec Congregatio singulis Missionum praesidibus mandare non praetermittit, ut donec eiusmodi laicorum auxilium, ob cleri indigenae defectum, vel paucitatem necessarium fuerit, viros morum integritate, et fide omnino conspicuos ad id muneris eligi ac erudiri rectissime satagant. Ceterum hac etiam de causa omnem per eos operam in cleri indigenae institutionem dari iubet, ut nempe progressu temporis, iuvenes potius levitae, et novus idem clerus catechistarum officia pedetentim occupent, et diligentius impleant.

De ritibus orientalibus in Indiis.

6. Quia alicubi in Indiarum etiam regionibus christiani ritus orientales, ac praesertim syro-chaldaicus, subsistunt: ideo missionarii, si quando de iis inter catholicos agetur, observent omnino Benedicti XIV P. M. sapientissimam Constitutionem, quae incipit *Allatae sunt*, editam die 26 Iulii anno 1755.

In rebus politicis ne se ingerant missionarii.

7. Quod in praedicta Constitutione *Sacrosancti Apostolatus Officii* Alexander VII olim monuit Indorum parochos, ut *caverent*

(1) In Litt. S. C. de Prop. F. 12 Iunii 1858 ad Vic. Ap. Pondicher. haec declarantur: « Statuto proinde missionariorum europaeanorum, ex Apostolici Missionarii titulo ac dignitate qua ditantur, praeeminentiae quodam veluti iure, alia quaelibet superaddatur distinctio, seu decanatus gradus, ut presbyteros indigenas in choro aliisque conventibus praecedere debeant, supervacuum esse intelliges, quemadmodum habita ac servata inter apostolicos ipsos missionarios, pro ministerii evangelici exercitio, ratione et ordine, in usu iugiter fuisse doces. Interim tamen, firma hac missionariorum apostolicorum, indigenarum presbyterorum respectu, praestantia, nil obstare percipies, quominus naturalis idem clerus ita curetur ac foveatur, ut, cum tempus advenerit, prout laudata Instructio et allatae pariter Seminarii (Parisien.) regulae commendant, par esse valeat ad quaevis Ecclesia munia obeunda, quin europaeanorum operariorum ulterius egeat moderamine. Inter haec vero, ac salva missionariorum apostolicorum praeeminentia, nil item impedire videtur, quominus quaedam, ut ad maiora paretur et erigatur naturalis idem clerus, indigenis quoque presbyteris inter ipsos praestantia ac decus aliquod tribuatur, habita meritorum sive laborum in vinea Domini ratione ».

ullo sese modo ingerere in rebus spectantibus ad politiam saecularem; quodque pluribus verbis Sacra Congregatio in sua ad Vicarios Apostolicos apud Sinas instructione commendavit; id graviores nunc ob causas monendum est atque inculcandum, ne missionarii inter diversarum gentium regimina versantes, saecularibus atque politicis se negotiis immisceant, studiove partium, atque nationum scindantur: sic enim et ab evangelicis regulis discederent, et propriam vocationem pessundarent, et se fortasse ac religionem in discrimina multa coniicerent.

De piis societatibus instituendis.

8. Postremo Sacra eadem Congregatio memoratos Missionum praesides vehementer in Domino hortatur, ut non minori sollicitudine ad alias utiles admodum atque etiam necessarias institutiones animum convertant, sibique subditos operarios ad eas adducant; ne quid nimirum desit, quod ad apostolici ministerii perfectionem, et animarum salutem ubique magis procurandam conferat. Eiusmodi profecto sunt peculiares quaedam orandi studio, ac poenitentiae rigore commendatae societates, aliaeque ad exercenda misericordiae, et christianae charitatis opera saluberrimae institutiones, ex quibus catholica fides permulta hausisse emolumenta gloriatur. Inter haec vero summopere, et in primis omnino curanda est religiosa atque etiam civilis puerorum, et puellarum educatio, qua nil validius ad ipsius catholicae fidei incrementum, perennitatem, et decus fingi unquam aut excogitari potest. Proinde nil prorsus omittatur, ut optimis comparatis praeceptoribus, ac piarum feminarum sodalitatibus invectis, ad erudiendam iuventutem ubilibet, quoad poterit, scholae et gymnasia aperiantur. Atque in id praeterea vigilandum sedulo erit, ut missionarii fideles populos in iis etiam quae socialem vitam spectant recte imbuendo, atque informando, ad evangelicae doctrinae tramites ac indolem eorum labores et artes dirigere haudquaquam detrectent. Ex his autem omnibus quae catholicae religionis propagationi, ac stabilitati mirifice profutura persuasum cuique esse debet, ea sensim ex locis ipsis temporalia quoque commoda Missionibus obvenient quae imminutis, aut forte etiam deficientibus, ob temporum vices, exteris subsidiis, illarum necessitatibus sublevandis sufficiant. Operam denique impendant quotquot sunt Missionum praesides, ut quod ad fovendam fidei, ac disciplinae unitatem plurimum interest, synodales saepe conventus celebrentur, unde maxime fiet, ut una eademque sit operariorum agendi atque administrandi ratio, et studiosissima animorum coniunctio: neque in illud etiam adlaborare grave sit, ut ad necessarium inter S. Sedem, ac Missiones vinculum servandum, expeditiores, facilioresque communicationum viae in dies pateant.

De synodalibus conventibus celebrandis.

Quam quidem Sacrae Congregationis Instructionem SSmo Domino Nostro Gregorio divina providentia PP. XVI per infrascriptum Sacrae eiusdem Congregationis Secretarium relatam in audientia habita die 12 Novembris, Sanctitas Sua illam benigne in omnibus adprobavit, et omnino servari mandavit.

1003

S. C. S. Officii *14 Ianuar. 1846* – Tche-Kiang et Kiang-si – Bonzus (quidam) ethnicae superstitionis erroribus nuntium mittere, et sanctae catholicae Ecclesiae nomen dare paratus, *petit:* Ut sibi liceat retinere quae antea perceperat in ethnico officio quod gessit, quaeque in medicae artis exercitio comparaverat.

An bonzus ad fidem veniens possit lucra antea acquisita retinere.

R. Non esse inquietandum, dummodo aliunde non intervenerit certa iniustitia. Et re quidem vera nullum excitandum dubium quoad medicae artis emolumenta, cum mercedis locum obtineant. Quae item ab ethnicis sacerdotali munere sibi bonzus quaesivit, quamvis superstitioso e fonte manaverint, legitime tamen eidem obvenisse videntur, utpote quae fuerint paganae gentis propria, eiusque consensu suis sacerdotibus honorarii loco attributa. Iure autem meritoque praelaudato decreto est limitatio superdicta *dummodo aliunde non intervenerit certa iniustitia.* Iustitiae siquidem effata: *Suum cuique reddendum; Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris,* ab ipsa naturae lege manantia, ubique gentium vim obtinent. Si quae igitur bonzus sive in medicae artis, sive in sacerdotalis officii exercitio se certo noverit iniuste percepisse, restituat domino, vel eius heredi, necesse est; aut, si uterque incertus sit, pauperibus eroganda, quorum nomine venire idem bonzus ex facti specie minime videtur.

1004

S. C. Indulg. *20 Martii 1846* — Mechlinien. — 1. An in resolutione data a S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 15 Decembris 1841 *(V. n. 944)* per verba *altare fixum seu locale* intellexit *altare fixum* prouti supra ex scriptoribus de rebus liturgicis definitum est (1).

De altari fixo, et portatili, in ordine ad privilegium.

2. An vox *altare portatile* in eadem resolutione habeat eamdem significationem quam ex eisdem scriptoribus superius indicavit orator (sacrorum canonum professor) (2).

---

(1) Scilicet: *Ad propriam* fixi *seu* localis *altaris rationem non sufficere firmum terraeque fixum fundamentum, nisi ita stabiliter pars inferior cum superiori mensa connectatur, ut unum simul compositum efficiant.*

(2) Videlicet: *Altare* portatile *haberi et esse quod licet stabilem parieti terraeque affixam structuram exhibeat, eius tamen mensa unum corpus non constituit cum subiecta lapidum strue, et cuius superposita mensa seorsim a reliquo aedificio consecratur, et si mensa ista amovetur a sustentaculo cui aptatur, consecrationem non amittit.*

R. Ad 1. S. Congregationem intellexisse altare fixum quidem quod a loco dimoveri non possit, sed non tamen cuius superior pars sive mensa sit ex integro, lapide vel adeo calce coniuncta ut lapis consecratus amoveri non possit; secus enim diruto altari, quod privilegiatum concessum erat ob alicuius Sancti imaginem, post novam constructionem novo indigeret privilegio.

Ad 2. S. Congregationem intellexisse altare ut dicitur *viaticum*, quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena, saltem quoad maiorem partem, capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur.

1005

Pauli III Constitutio pro Indiis extenditur ad Sinas.

Litt. S. C. de Prop. F. *28 Aprilis 1846* (AD VIC. AP. TUNK. OCCID.) — Ad removendam omnem ambiguitatem, ac petitionibus tuis annuens, Sanctitas Sua, ad sinenses finitimasque sive orientales regiones, Constitutionem s. m. Pauli III extendere dignata est, ita ut eiusdem sanctiones, quoad Indorum etiam baptisma, tuto e nunc in Missione ista servare liceat (1).

1006

De valore decretorum et responsionum Sacrae Rituum Congregationis.

S. R. C. *23 Maii 1846* — An decreta a Sacra Rituum Congregatione emanata, et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis scripto formiter editae, eamdem habeant auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae.

R. Sacra Rituum Congregatio, ad Vaticanum subsignata die coadunata in ordinario Coetu, audito a subscripto Secretario fideli relatione, expositisque rationum momentis, et diligenter consideratis, rescribendum censuit: « Affirmative ». Atque ita rescripsit.

1007

De neophyto qui, post interpellationem prioris coniugis infidelis repudiatae, cum altera infideli remanere petit.

Instr. S. C. de Prop. F. *28 Maii 1846.* — SIAM — Expendimus quod Siamensis Missionis operarii solvendum dubium proposuere; erat autem: *Titius infidelis, post repudiatam Bertham coniugem suam infidelem, aliam duxit Saram nomine, etiam infidelem, quacum per decem et amplius annos convixit. Ille dein christianam fidem amplexus Bertham interpellavit an vellet ad ipsum redire, et ad Christi fidem converti, aut saltem cum eodem pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare; qua utrumque recusante, Titius dispensationem petiit ut cum Sara, quae christiana quidem fieri non vult, sed cum eo sine contumelia Creatoris habitare consentit, remanere et matrimonium contrahere valeat.* Qua in re, ac utrum dispensatio concedi queat, missionarios inter se dissidere narras. Mature tamen omnibus perpensis, iis omnino assentiendum ducimus qui, per dispensationem, Titius cum Sara matrimonium contrahere posse existimant. Quamvis enim, ex recensitis responsis iussu Clementis PP. XIII, anno 1659, a Supr. Inquisitione latis, Titio eo in casu nonnisi fidelem sponsam ducere licitum eruatur, id tamen pro communi regula traditur, seu prout de iure, ut scilicet innotescat quid liberum per se cuique sit, secluso quovis indulto, ac generatim loquendo. Cum porro dispensationis Apostolicae ratio habeatur, per eam cessante disparitatis cultus impedimento, Titius utique Saram ducere, etsi infidelem, iure poterit, et cum ea nubens a vinculo prioris coniugii solutus dicendus est ac si fideli nupsisset. Illud porro animadvertendum erit, in casibus particularibus, utrum quandoque expediat eiusmodi dispensationem concedere; quod sane, attentis locorum, temporum ac personarum circumstantiis, prudenti arbitrio relinquitur illius qui praedicta dispensandi facultate ab Apostolica Sede ditatus fuerit.

1008

Circa Indulgentiarum publicationem.

S. C. S. Off. *8 Iulii 1846* — MARIANOPOL. — 1. Se un curato, che riceve dalla S. Sede un indulto di pubblica Indulgenza per la sua parrocchia, possa pubblicare l'Indulgenza, senza che il Vescovo diocesano abbia visato l'indulto, e ne permetta la pubblicazione.

Circa negotiationem (quoad clericos, et regulares).

2. Se un sacerdote in buona coscienza possa fare stampare, e vendere libri devoti ritraendone un vantaggio per compensarsi delle spese non solo, ma anche delle fatiche sue, e del rischio cui si espone di soffrirne danno.

3. Se il medesimo sacerdote dagli utili di quel negozio abbia intenzione di servirsene a vantaggio de' poveri giovanetti, possa ciò fare.

4. Se un prete, o una comunità religiosa non ha facilmente i mezzi di mettere a frutto il danaro, possa impiegarlo ne' Banchi (si sup-

(1) In Const. Pauli PP. III pro Indiis Occidentalibus an. 1537 quae incipit *Altitudo divini consilii (V. n. 114)* haec habentur: « Statuimus ut qui in posterum, extra ur-« gentem necessitatem, sacrum Baptisma ministrabunt, « ea observent quae a dicta Ecclesia observantur, one-« ratis super hac tali necessitate conscientiis eorum, « extra quam quidem necessitatem in sacro Baptismo « haec quatuor observentur; primum, aqua sacris actio-« nibus sanctificetur; secundum, catechismus et exor-« cismus fiat singulis; tertium, sal, saliva, capella et « candela ponatur duobus vel tribus pro omnibus utrius-« que sexus tunc baptizandis; quartum, Chrisma pona-« tur singulis in vertice capitis, et oleum catechume-« norum ponatur super cor viri adulti, puerorum et « puellarum; adultis vero mulieribus ponatur in illa « parte quam ratio pudicitiae demonstrabit ».

pone pubblici) o darli in mano a persone particolari col frutto tassato dalla legge.

Circa usuras.

5. Se sia lecito d'impiegare il danaro a un interesse maggiore di quello fissato dalla legge, per es. a 25 ovvero anche a 50 per 100?

6. Se in coscienza si possa obbligare il mutuatario a dare un premio per es. di 25 per 100, richiedendo l'obbligo in iscritto dell'interesse legale sulla somma imprestata e del premio.

7. Pietro domanda a Paolo 50 scudi in prestito: si ricusa Paolo, ma dice a Pietro; vendimi il tuo cavallo, che io te lo pago 50 scudi; e Pietro acconsente alla vendita. Poco dopo Paolo conoscendo, che Pietro ha bisogno del cavallo, gli fa offerta di rivenderlo a lui per cento scudi, a condizione però di pagarli dopo un anno con l'interesse legale, e Pietro vi acconsente, e ne sottoscrive l'obbligazione. Si domanda se Paolo in tale transazione abbia aggravato la sua coscienza.

8. Se i confessori in Canadà possano ragionevolmente negare l'assoluzione ad un uomo, che prende in prestito dalle Banche il danaro a 6 per 100, da restituirsi fra lo spazio di tre mesi; indi lo impiega con altre persone a lungo credito per esempio di uno, o due anni, imprestando 50 scudi per una scritta obbligatoria di cento, sulla quale esige l'interesse legale del 6 per 100.

9. Se sia lecito comprare un credito scritto e sicuro pagabile fra un dato tempo, per esempio di un anno, dando la metà del credito ad uno che si trova in bisogno di danaro contante.

10. *a*) Un sacerdote presta una somma di danaro ad un mercadante da mettere in commercio, a condizione di aver parte nel profitto senza frammischiarsi nel negozio, e che il suo denaro gli venga restituito al tempo fissato. Si domanda se ciò sia lecito.

Circa vectigalium solutionem.

b) Se sia lecito adoperare mezzi per non pagare i diritti di dogana imposti dal governo sulle merci portate da altri Stati.

11. Essendo entrate le dette mercatanzie nello Stato, se sia lecito comprarle.

12. Nel caso che si rispondesse affermativamente al n. 10 *b*), si domanda se sarebbe un giusto motivo di modificare la risposta, pensando allo scandalo che ne prenderebbe il governo protestante a carico della Chiesa cattolica.

Circa dierum festorum observantiam.

13. Se per l'adempimento del divino precetto di santificare la Domenica basti ascoltare la Messa, ed anche la sola Messa bassa.

Circa applicationem Indulgentiae altaris privilegiati.

14. Si domanda infine se un sacerdote il quale applica la Messa per una persona vivente celebrando ad un altare privilegiato, possa applicare l'Indulgenza dell'altare ad un'anima del purgatorio.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Si agatur de libris, quorum sacerdos qui typis mandare optat est auctor, licere; si autem agatur de libris ab alio compositis, vel alias editis, generatim loquendo non licere, sed in casibus particularibus rem conferat cum suo Ordinario, eiusque stet iudicio.

Ad 3. Stet iudicio Ordinarii.

Ad 4. et 5. Dentur decreta una cum responso S. Congr. de Prop. Fide: « *Decretum Feriae IV* « *31 Aug. 1831:* – Propositis dubiis sequentibus « Capituli Collegiatae Lucani: *Se la necessaria* « *onesta sostentazione sia un sufficiente titolo di* « *dare il denaro ad interesse, e se questo titolo* « *supposto ammissibile si possa estendere anche* « *alle chiese, monasteri ed altri luoghi pii;* Emi « DD. dixerunt: *Non esse inquietandos et ac-* « *quiescant, dummodo parati sint stare manda-* « *tis S. Sedis* ». — « *Responsum S. Congrega-* « *tionis de Prop. Fide ad Vicarium Apostolicum* « *Mogol anno 1828 super dubio respiciente i* « *rinvestimenti fatti ai mercanti del danaro* « *appartenente ai legati pii* ». — Eadem S. C. respondendum decrevit Vicario Apostolico cum instructione ut sequitur: « In quanto poi a ciò « che si dice del denaro di questi legati pii « che per maggior commodo suol darsi ad in- « teresse ai mercanti, ad evitare qualunque pe- « ricolo di usura, dee V. S. procurare, per « quanto può, di fare osservare gli ordini più « volte dati da questa S. C. i quali portano « che il denaro dei legati pii non si dia ad « interesse a persone particolari, nè s'impieghi « in commerci eventuali, ma che se ne com- » prino beni stabili, o che sopra beni stabili si « metta a frutto formandone cioè regolari e « legittimi censi. Che se nonostante le sue « premure vedrà che il danaro già dato ad in- « teresse ai mercanti si continuerà a lasciare « nelle loro mani, o ben anche se ne dà loro « del nuovo, formando altri simili contratti, « non deve Ella mettersi in pena neppure per « questo, nè deve inquietare chi diede o ricevè « il denaro in tal modo, poichè prescindendo « anche dai titoli di lucro cessante o di danno « emergente, è chiaro da quanto Ella espone « che questo denaro dato così e senza cauzione « ai mercanti corre un gran rischio di perdersi. « In fatti Ella aggiunge che una grande quan- « tità di simili fondi (in denaro) si è perduta « appunto per essersi dati nelle mani dei mer- « canti, quali alla fine hanno fallito. Ora è sen- « timento d'innumerabili teologi, come attesta « il B. De Liguori lib. 3, § 761, che quando « la sorte corre un vero e straordinario peri- « colo, si può a titolo di esso esigere un cor- « rispondente e proporzionato interesse. Per di « lei chiaro lume le riporto qui un decreto di « questa medesima S. C. di Propaganda, che « ad istanza dei missionarî Regolari della Cina « fu pubblicato nel 1645 con approvazione della « s. m. d'Innocenzo X e con ordine del mede-

« simo che fosse da tutti quei missionarî osser-
« vato. Il dubbio è riferito in questi termini:
« *In Sinarum regno lege stabilitum est ut in*
« *mutuo triginta pro centum accipiatur absque*
« *respectu lucri cessantis et damni emergentis.*
« *Quaeritur utrum christianis licitum sit pro*
« *pecuniarum mutuo, licet non interveniat lu-*
« *crum cessans et damnum emergens, praedi-*
« *ctam triginta pro centum quantitatem lege*
« *taxatam accipere. Et causa dubitationis est*
« *quia in recuperanda pecunia est aliquod pe-*
« *riculum quod qui accipit mutuum fugiat,*
« *vel quod tardet in solvendo (cum detrimento*
« *scilicet mutuantis) vel quod necesse sit coram*
« *iudice repetere, vel propter alia huiusmodi.*
« — Resp. *Censuit S. C. ratione mutui imme-*
« *diate et praecise nihil ultra sortem principalem*
« *esse accipiendum. Si vero aliquid recipiant*
« *ratione periculi probabiliter imminentis, prout*
« *in casu, non esse inquietandos, dummodo*
« *habeatur ratio probabilitatis periculi, et qua-*
« *litatis eiusdem, ac servata proportione inter*
« *periculum et id quod accipitur* ».

Ad 6. Quoad praemium, generaliter loquendo non licere. Quoad interesse legale, provisum in *quinto* per decreta.

Ad 7. Affirmative.

Ad 8. Affirmative iuxta exposita.

Ad 9. Negative.

Ad 10. *a*) Non licere, et consulat Constitutionem Benedicti XIV latam die 25 Februarii 1741 (1).

Ad 10. *b*) Consulat probatos auctores.

Ad 11. 12. 13. Consulat probatos auctores.

Ad 14. Negative, et dentur decreta, seu 1. Constitutiones Apostolicae Summorum Pontificum Alexandri VIII, Clementis IX, et praesertim Innocentii XI, qui suorum praedecessorum doctrinam confirmans, declaravit in Brevi sub die 4 Maii 1688 promulgato: *Quandocumque sacerdos aliquis Missam pro anima, quae Deo in charitate coniuncta ab hac vita migraverit, ad praedictum altare (privilegiatum) celebraverit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii Indulgentiam impetrabit.* — 2. Propositio damnata ab Alexandro VII: *Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam, fructum ipsimet celebranti correspondentem.*

1009

De matrimoniis mixtis coram acatholico ministro contracti, lege civili catholicam prolis educationem impediente.

S. C. S. Officii *5 Aug. 1846* — Georgiae — 1. Se debba tenersi non solo come illecito, ma ancora come invalido il matrimonio che si contrae da una parte cattolica, e l'altra russa alla presenza del ministro eretico, dove i contraenti in forza delle leggi imperiali sanno che restano obbligati a far tutti i futuri figli russi (scismatici).

2. Se possa il missionario, dopo che detto matrimonio è stato benedetto dal prete russo, ubbidire senza peccato alla legge dell'Impero che ordina di fare coi nuovi sposi una specie di secondo matrimonio, venendo con ciò a ratificare il matrimonio già benedetto alla chiesa russa.

3. Se dopo tal matrimonio possa ammettersi la parte cattolica al ricevimento dei SS. Sagramenti, sebbene in forza delle leggi imperiali non vi sia più speranza di separazione dalla comparte, nè di fare alcun figlio cattolico.

4. Se possa mai convalidarsi simil matrimonio, in cui ritrovinsi le circostanze suddette cioè di non potersi separare dalla comparte eretica, di non potergli neppure suggerire di convertirsi, e molto meno di poter fare alcun figlio cattolico.

5. Se debba obbligarsi in coscienza il coniuge cattolico, che non è suddito russo a portarsi in altro dominio, dove non esistono tali leggi, sebbene con suo incomodo affine di torre simili ostacoli per la convalidazione dalla sua prole.

R. Ad 1. Matrimonia de quibus agitur, tametsi sint illicita, tamen ut valida esse habenda, ubi nullum aliud interveniat canonicum dirimens impedimentum.

Ad 2. Non prohiberi Praefectum missionis, quin praesentiam suam materialem exhibeat, ut audito utriusque partis consensu, pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referat; curet tamen diligenter ne per illam mere materialem praesentiam detur occasio credendi quod per id licitum habeatur matrimonium benedictum a sacerdote schismatico, et caveant semper ab illicitis huiusmodi matrimoniis ullo suo actu approbandis, multoque magis a sacris precibus, et ab ecclesiastico quovis ritu iisdem admiscendis.

Ad 3. Praevia absolutione a censuris et impositis poenitentiis salutaribus partem catholicam postquam, facti poenitens clara dederit poenitentiae signa, et dummodo serio proponat se curaturam pro viribus coniugis conversionem, et totius prolis in catholica religione educationem, ad sacramenta admitti posse, et non esse locum separationi.

Ad 4. Provisum in praecedentibus.

Ad 5. S. Congregatio non censuit actum fore prudentiae, ut missionarius indistincte suadeat, et multo minus obliget partem catholicam, ut in aliam ditionem se transferat, ob gravissima incommoda, quae multoties timeri possent. Quoad reliqua provisum in antecedentibus.

(1) Id est Constitutio *Apostolicae servitutis* contra clericos negotiatores.

1010

De separatione Reliquiarum SS. Crucis a Reliquiis Sanctorum.

S. R. C. *22 Febr. 1847* — Cenomanen. — An praxis separandi Reliquias SSmae Crucis D. N. I. C. a Reliquiis Sanctorum sit accurata et retinenda.

R. Affirmative: et ad Emum Praefectum ad mentem. Et mens fuit quod scribatur tam Emo Urbis Vicario, quam Rmo Sacristae Capellae Palatii Apostolici, ad quos pertinet custodia sacrarum Reliquiarum, ut in vigorem revocentur decreta alias edita pro separatione Reliquiarum SSmae Crucis a Reliquiis Sanctorum.

1011

Circa decretum *21 Augusti 1670* de statu libero comprobando.

S. C. S. Officii *24 Febr. 1847*. — 1. Nel quarto ultimo paragrafo del suddetto Decreto *(21 Augusti 1670; V. n. 192)* si dice: « Fides « aliaque documenta, quae producuntur de par- « tibus, non admittantur nisi sint munita sigillo « ac legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita « saltem per testes, qui habeant notam manum « et sigillum ». Se non sono esse fedi documenti muniti del sigillo dell' Ordinario, ma del sigillo e firma del solo parroco, e tal firma e tal sigillo, sia di parroco della diocesi, sia di parroco estraneo, è ben conosciuta da uno o più ufficiali della Curia, come dal cancelliere o sostituito, possono ammettersi? Ed in caso negativo, a conoscersi se il sigillo o firma sia del parroco scrivente, basta la testimonianza del padre o madre dello sposo o sposa, o di altri della di lui o di lei famiglia?

2. « Nel terzo ultimo § del Decreto si prescrive: « Pro testibus in hac materia recipian- « tur magis consanguinei quam exteri, quia « praesumuntur melius informati ». Sotto la parola *consanguinei* possono intendersi i propri genitori, abbenchè si scorgano talvolta interessati al disbrigo del matrimonio, per cui si esibiscono essi stessi, o si fanno indicare dagli sposi medesimi ad attestare sulla loro libertà di stato? E se in mancanza dei genitori facessero le loro parti o fratelli, o zii, potranno questi nella conoscenza o supposto di tale interessamento sentirsi in qualità di testimoni?

3. Nel predetto § verso la metà si aggiunge: « Et notarius exacte describat personam testis, « quem si cognoscat, utatur clausula: *mihi bene « cognitus*; sin minus, examen non recipiat, « nisi cum persona testis aliqua alia compa- « reat cognita notario, et duae attestentur de « nomine et cognomine ipsius testis ». Avvenendo che in una diocesi siano diversi e lontani paesi, e siavi l'uso che gli sposi mandino o portino seco loro due testimoni per lo più incogniti al cancelliere, ad anche incogniti spessissime volte nella città di vescovile residenza, non ritrovandosi persona che li conosca, a scanso di gravi incomodi per le popolazioni per la perdita del tempo e del danaro, che vi spendono inutilmente, se dovessero rimandarsi indietro, ed a scanso anche di forti lagnanze che ne nascerebbero, possono prendersi le loro testimonianze sul legale assioma che *Nemo praesumitur malus nisi probetur?*

4. Succedendo anche bene spesso il caso che in seguito del fatto stato libero, per qualche contraria circostanza datasi agli sposi, non ha più luogo per allora il matrimonio: passato uno due o tre mesi senza effetto, dovranno essi tornare a fare lo stato libero per detti uno due o tre mesi, trattandosi specialmente di basso ceto e di persone non cognite alla Curia per essere di diversi paesi?

5. Essendo in molte diocesi invalso l'uso che nell'esame degli stati liberi si ricevano le deposizioni dei soli uomini, e dicendosi nel sullodato Decreto *testes* senza eccepirne le donne, possono sentirsi anche le donne?

6. Non rare volte suol pure avvenire che un uomo o donna si trovi domiciliata in altro paese da quello d'origine perfino a dieci e più anni, tuttochè partita dalla sua patria, o altra città o paese, già adulta. Basterà che provi la libertà di detti dieci e più anni passati nel paese del suo ultimo domicilio, o converrà pure (null'ostante un sì lungo tempo di assenza dalla sua patria, o suo primo paese) avere anche le fedi di stato libero di questa o questo per maritarsi?

7. Finalmente nel penultimo § del suddetto Decreto si prescrive: « Et huiusmodi exa- « minibus debet interesse... extra Urbem vel « Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona « insignis et idonea ab Episcopo specialiter de- « putanda ». Per le parole *persona insignis et idonea* possono intendersi i Vicarii Foranei coi loro cancellieri, benchè questi non abbiano la facoltà di rogare, accordata solo al cancelliere vescovile? Ed in caso negativo può attendersi la consuetudine in contrario?

R. Ad 1. Quoad primam partem, Affirmative; quo tamen in casu apponatur legalitas a Curia Episcopali. Quoad secundam partem: Provisum in prima.

Ad 2. Affirmative.

Ad 3. Servetur Instructio.

Ad 4. Generatim affirmative; in casibus vero particularibus, prudenti arbitrio Episcopi,

Ad 5. Affirmative.

Ad 6. Quoad primam partem, Negative. Quoad secundam partem, Affirmative.

Ad 7. Quoad primam partem, Affirmative; Vicarii tamen Foranei transmittant acta ad Curiam Episcopalem, cuius est expedire fidem status liberi. Quoad secundam partem, Provisum in prima.

1012

De facultate pro Regularibus missionariis circa usum pecuniae.

Decr. S. C. de Prop. F. *12 Martii 1847.* Inter facultates concedi solitas missionariis apostolicis ex regularibus Ordinibus desumptis, ea quoque numero undecimo reperitur « deferendi, « nimirum, recipiendi ac expendendi pro suis « urgentibus ac aliorum necessitatibus pecunias, « quae a piis benefactoribus ipsis fuerint obla- « tae, vel alio legitimo modo ad eos pervene- « rint ». Licet vero, si indulti tenor rite perspiciatur, eatenus tantum observantiae regularis severitas relaxetur, quatenus necessitas vel utilitas ipsius missionis id exigant; attamen, attento praesertim severiori instituto cui Minores, *Cappuccini* vulgo nuncupati, sunt addicti; aequo amplior pluribus antedicta facultas visa est. Proinde, ad praecavendos saltem abusus ne, dum missionibus praefati regulares vacant, Instituti spiritum amittant; opportunum fore ducitur arctioribus limitibus eamdem facultatem coarctari: idque etiam R. P. Fr. Venantius ab Augusta Taurinorum, vices Procuratoris Generalis modo gerens, enixis precibus postulavit.

Sacra proinde Congregatio, referente infrascripto Archiepiscopo Thessalonicensi Secretario, primo quidem monendos duxit missionum illarum Praefectos ut peculiarem de missionariis sibi subiectis curam gerant, ac sedulo curent ne, pro locorum ac personarum adiunctis, ea iisdem desint, quae requiruntur non modo tempore quo in missionibus degant, sed etiam ut, cum provincias iidem iterum petant, iter conficere valeant. Censuit vero missionarios saltem praefati Ordinis tum hactenus ad Missiones deputatos, tum etiam in posterum deputandos antedicta facultate uti debere dependenter prorsus a Missionis Praefecto, vel altero missionario, qui in singulis stationibus praesit, ita ut dati et accepti rationem reddere iisdem teneantur.

Hanc vero S. C. sententiam SS. D. N. Pio Divina Providentia Papae IX ab eodem Secretario die 28 Februarii huius annni relatam, Sanctitas Sua in omnibus probavit, illamque servari iussit.

1013

De caeremonia tonsionis capillorum apud siamenses.

S. C. S. Officii *17 Martii 1847* — Siam — Est apud siamenses consuetudo radendi pueros et puellas a tenerrima aetate, conservando cirrum in vertice capitis; quando vero pervenerunt ad octo annos et supra (aliquando differunt usque ad sexdecim annos), tunc parentes vocant bonzios ad orandum et aspergendum aquam superstitiosam super puerum vel puellam; postea radunt cirrum, vacantque conviviis et comoediis, parentesque colligunt pecuniam a suis notis et amicis. Omnes siamenses quos consului mihi dixerunt aspersionem hanc eo fine fieri ne puer vel puella insaniat, et ut a morbis aut daemonibus praeservetur. Talis consuetudo nullo modo per falsam eorum religionem praescripta videtur, et a multis non observatur; videtur ergo esse caeremonia civilis, cui admisceri quasdam superstitiones apud paganos necesse est. Sed nunc quaeritur:

1. Quando bonzii iam abierunt venitque tempus vacandi conviviis, christiani (praesertim si a magnatibus invitantur) possuntne participare istis conviviis? Usque modo non prohibuimus quando sine comoediis lusibusque inhonestis fiunt.

2. Apud quosdam christianos, et praecipue neophytos, observatur etiam consuetudo radendi pueros et puellas, servando ipsis cirrum in vertice, quem suo tempore radunt, sed modo sequenti: Mane cum comitatu adducunt ad ecclesiam puerum vel puellam, pro quo vel pro qua parentes petierunt Missam; qua finita, sacerdos benedicit ipsi secundum formulam Ritualis Romani, et postquam ad domum reduces fuerint, dignior inter notos et amicos cirrum sine ulla caeremonia radit; deinde parato vacant convivio, parentesque colligunt pecuniam quam ipsi conviviis in simili circumstantia expenderant. Vicarii Ap. praedecessores mei illud permiserunt, sed cum quadam repugnantia, et quia inter confratres sunt quidam qui illam caeremoniam reprobare videntur propter quamdam similitudinem cum illa quam exercent pagani, ideo consulendum esse duximus, et si, ut puto, tolerari possit tuta conscientia, illam christianis permissam esse declarabimus.

R. Ad 1. Detur decretum Congr. Particul. de Prop. Fide mensis Martii 1817, hoc est: *Non licere adesse tonsioni capillorum; et quoad eleemosynam et mensam, non licere, si haec habeatur ut partes religiosae caeremoniae; si autem habeantur pro laetitia familiae, licere.*

Ad 2. Monendos ut se abstineant.

1014

Circa servorum emptionem et manumissionem.

S. C. S. Officii *17 Martii 1847* — Siam — In Siamensi Regno triplicis generis sunt servi: — 1. Servi irredimibiles qui sine sponsore venduntur. Si forte moriantur, pretium illorum a nullo exquiri potest, et penitus perditur. — 2. Captivi quos rex elargitur, vel mandarini inter se partiuntur, et, si moriuntur eodem modo perditur illorum pretium, quod a lege taxatum est ad centum et quinquaginta circiter francos. — 3. Servi redimibiles qui sub sponsore emuntur, ita ut, si fugiant, sponsor vel solvit pretium, vel in fugitivi locum succedit. Si moriuntur, ordinarie dimidium solummodo pretium a sponsore exigitur. Secundum leges siamenses opera illorum servorum in locum usurae reputatur, et, quando redimunt se, integrum pretium solvere debent domino. His positis, quaeritur:

1. Utrum christiani possint emere servos irredimibiles, vel non.

2. Vel saltem possuntne cum tacita intentione ipsis relaxandi de pretio suo pro rata parte illorum operae?

3. Quando autem opera adaequabit pretium, debentne illos dimittere liberos, vel possuntne illos servare ut filios adoptivos, ipsis invitis, humaniter illos tractando?

Aliquando evenit quod isti servi procreant liberos in sua servitute: quando autem isti filii servorum, facti adulti, volunt e domo domini sui exire, debent solvere domino pretium educationis, centum circiter francos. Porro:

4. Christiani possentne exigere istud pretium in compensatione alimentorum in pueritia expensorum? Admodum difficile est determinare quantitatem pretii relaxandi, operae servorum correspondentem, et multo magis difficile est inducere christianos ad talem compensationem faciendam, propter exemplum paganorum, qui nihil omnino relaxant.

Ideo suppliciter ab EE. VV. postulamus ut, quantum fieri potest, quasdam regulas circa istam materiam nobis describere dignentur, ita ut neque dominorum, neque servorum iura laedantur.

Porro, ad maiorem rei elucidationem, tertium articulum regulae nostrae, qui sic se habet, a siamensi lingua in latinam hic transfero: *Secundum christianam legem, dominus debet diminuere pretium servi sui, quando erunt rationes minuendi, ita ut debeant dimittere illum liberum, quando secundum aestimationem sacerdotis et maiorum pagi, opera servi pretium suum adaequabit. Porro sacerdotes et maiores quando huiusmodi compensationem ponderabunt, debent habere rationem aetatis servi: an (sit) puer; an senex; an dominus illum emerit propter misericordiam, an pro suo proprio commodo; quantum illum occupaverit et pro quali servitio; an servus ille sit debilis; an aegrotaverit, et quamdiu; praeterea debent aestimare periculum sortis et damnum emergens, quando his locus erit.*

R. Ad 1. Dentur Decreta S. Officii fer. IV. 20 Martii 1686 et 12 Sept. 1776 prout in adnexo folio *(V. nn. 230, 515)*.

Ad 2. Provisum in praecedenti.

Ad 3. Negative.

Ad 4. Provisum in praecedentibus. — SSmus decisiones Emorum approbavit.

1015

De canonicis in choro confabulantibus.

S. C. Concilii *27 Martii 1847* — 1. An et quomodo (canonici) confabulantes in choro tempore divinorum officiorum amittant quotidianas distributiones in casu.

2. An confabulationes, ob quas amittantur distributiones, constitui possint a pluribus parvis collocutionibus in casu.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, si plures fiant in eadem hora.

1016

De possessione et usu aedis in qua ab ethnicis superstitiosa peraguntur.

S. Congr. S. Officii *21 April. 1847* — Tche-kiang et Kiang-si. — I. Sinenses, etsi innumeros, non esse tamen in tota Imperii extensione partitos nisi in trecentum et aliquot cognomina variis familiis communia, de quibus multum gloriantur, quae scrupulose servant, quaeque superbe transmittunt, forte veluti aliquod signum distinctivum inter se et cives aliorum regnorum. Vere ubique et in unoquoque pago, quamvis non magno, mos invaluit pro variis familiis eiusdem cognominis habendi unam aedem communem *Tsu Tong* nuncupatam, in qua asservant unam vel plures tabellas in avorum honorem erectas, et cum eorum nominibus inscriptas, coram quibus superstitiones et sacrificia peragunt; pariter in eadem aede convivia agunt in uno, vel in utroque aequinoctio sive de rebus comestibilibus antea progenitoribus oblatis, sicut et de aliis non oblatis. Variae eiusdem cognominis familiae habent adhuc pro variis eiusmodi aedibus unum codicem communem, in quo inveniuntur scripta omnia nomina hominum eiusdem cognominis, quem ordinarie renovant et imprimunt quolibet quindennio. Quando renovatur codex, pagani varias faciunt superstitiones, et, quando est renovatus, bonzios adhibere solent ad orandum pro variis familiae membris, quae in illis ultimis annis e vita decesserunt. Si nascatur puer masculus, parentes, ut illius nomen inscribi possit in codice particulari, usque dum principalis renovetur, debent promittere aliquam quantitatem vini aut aliquas sapecas ad illud emendum: illud enim vinum tempore aequinoctii bibetur in aede superstitiosa ab omnibus membris particularium familiarum, quando inter se convivantur de aliis fructibus vel reditibus qui proveniunt ex terris templo progenitorum ab eorum avis vel proavis addictis. His praenotatis quaeritur:

De conviviis quae ibi locum habent in aequinoctiis.

De inscriptione nominum in codice cum ethnicis communi.

1. An christiani possint simul cum aliis gentilibus familiis eiusdem cognominis aedem, de qua supra agitur, vel templum progenitorum retinere et possidere.

2. An christiani possint participes esse conviviorum quae in tali aede locum habent in uno vel utroque aequinoctio, dummodo non edant res progenitoribus oblatas.

3. An fideles deinceps possint inscribere nomina puerorum in codice quem habent communem cum infidelibus?

De contributionibus quas ethnici ob suas comoedias a christianis exigunt.

II. In omnibus fere locis istius provinciae, sinenses faciunt pluries in anno comoedias, vel intra, et aliquando ante templum idolorum vel

progenitorum, vel in plateis publicis, exigendo ut omnes familiae et omnes officinarum praepositi contribuant expensis, et hoc tam rigorose ut qui solvere recusat cogatur ad alium locum migrare vel claudere suam officinam. Istae comoediae, quamvis fiant semper, vel fere semper pro uno fine superstitioso, nihilominus habere videntur alterum finem, sicut in aliis orbis partibus, nempe laetitiam publicam. Unde, cum christiani semper numero pauciores non possint vi se defendere, nec ad auctoritatem recurrere, quaeritur:

4. Utrum christiani, gravibus urgentibus causis, possint solvere aliquid, non ratione superstitionis, sed tantum ratione tributi quod solvunt ad emendum ius faciendi commercium, unice intendendo laetitiam publicam, expressisque verbis finem superstitiosum reiiciendo.

De comoediis in aede progenitoribus dicata.

III. In uno pago, cuius tertia pars incolarum est christiana, sunt duae aedes progenitoribus dicatae: prima pertinet ad infideles in qua ipsi soli quolibet anno faciunt quatuor comoedias; alia vero partim pertinet ad alios gentiles, partim ad christianos. In illa ultima aede ab omni tempore mos invaluit ut gentiles faciant etiam quolibet anno duas comoedias, et christiani pariter duas alias. A pluribus annis christiani, urgentibus missionariis, usi sunt, sed frustra, pluribus mediis ad se liberandum a tali servitute. Infideles, licet sint eiusdem cognominis, per vim, persecutionem aliam illis minando, cogunt illos ut saltem praebeant, si nolunt ipsi eas duas comoedias facere, pecuniam ad hoc necessariam, dicentes se nolle cogere illos ad solvendum pro superstitionibus, siquidem ipsi non credunt, sed illos debere solvere sicut alii, pro laetitia publica. Quaeritur igitur:

5. Utrum in tali casu, urgentibus gravissimis causis, liceat christianis facere illas duas comoedias, eligendo comoediae argumentum non directe superstitiosum, et omittendo, sicut usque nunc, consentientibus gentilibus, omiserunt, actus superstitiosos qui comoedias a solis paganis factas antecedere vel comitari solent; vel utrum saltem liceat christianis, urgente persecutione, praebere auxilium seu pecuniam ad faciendas dictas comoedias.

R. Ad 1. Quoad proprietatem non esse inquietandos; quoad interventum, licere in negotiis tantum mere civilibus, ita tamen ut ista negotia nullo actu superstitioso vitientur.

Ad 2. Non licere; et detur Instructio anni 1753.

Ad 3. Inscriptio taxative civilis et politica, et disiunctive sumpta ab omni scandalo et ab omni actu superstitioso, licita est, ideoque permittenda; secus negative; et consulat Constitutionem Bened. XIV *Ex quo singulari*, diei 7 Augusti 1742.

Ad 4. Christiani praemittant protestationem se solvere pecuniam taxative tanquam mere tributum, dummodo non adsistant ritibus superstitiosis; et, si a nemine reclametur contra, non esse inquietandos.

Ad 5. Non licere.

1017

Circa sacra utensilia defunctorum Episcoporum, praesertim Cardinalium.

Litt. Ap. Pii PP. IX *1 Iunii 1847.* — Quum illud plurimi referat, ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quae animos torqueat, ac controversias excitet, idcirco si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas nostras libenter intendimus. Iam vero praeter indultum testandi de propriis bonis, quod Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sancta haec Sedes tribuere solet per Apostolicas Litteras in forma Brevis incipiente: *De benignitate Sedis Apostolicae*, iisdem per alias similes Litteras in forma Brevis, quarum initium: *Cum fel. rec. Urbanus VIII* facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicuius ecclesiae, seu capellae, vel loci pii non obstante Constitutione Urbani VIII « *Aequum est* » edita die 24 Iulii anno 1642, qua sacra Cardinalium utensilia Pontificio Sacrario attribuuntur. Verum quum in memorato postremo Brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus, ex quodam invecto usu addi consueverit clausula « *Salva* « *que in praemissis quoad ecclesias cathedra-* « *les, metropolitanas, aut patriarchales, qui-* « *bus praefueris, seu quas alias ex conces-* « *sione vel dispensatione Apostolica in titulum,* « *administrationem, seu Commendam obtinue-* « *ris; dispositione Constitutionis fel. rec. Pii* « *PP. V anno 1567 tertio Kalendas Septem-* « *bris anno secundo* »; saepe saepius dubia exorta sint circa interpretationem et vim huiusmodi reservationis, eo vel magis, quod in superius memorato Brevi « *De benignitate Sedis Apostolicae* » praefatae S. Pii V Constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte derogetur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis, Episcopis, et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum et illusorium foret, quatenus adiecta clausula eam vim haberet, quam verba praeseferunt. His quoque accedebat, quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant, Cardinales utpote qui in memorata S. Pii V. Constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur. Quae cum ita essent Ven. Fr. N. Petrus Card. Ostini nunc Ep. Albanensis, qui tunc temporis episcopalem Ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI Praedecessore Nostro, ut rem certo definiret, atque expresse declararet, an Cardinales Episcopi, seu Abbates *Nullius* in Apostolicis memoratis Litteris S. Pii V Praedecessoris Nostri compre-

hendantur, ac statueret quaenam sacra ornamenta, et supellectiles, et utensilia S. R. E. Cardinalium ad Sacrarium Pontificium ex memorata Constitutione Urbani VIII, et quaenam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum *Nullius,* sive cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata Sancti Pii V Constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum supellectilium, et utensilium, quando Episcopus sive successive, sive simultanee plures Ecclesias gubernaverit. Nos igitur, qui in memorati Decessoris Nostri bo. me. Gregorii XVI locum, licet immerentes, suffecti sumus, ad praecidendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas, de consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negociis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, haec, quae sequuntur, auctoritate nostra Apostolica decernimus, et mandamus. — 1. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in Constitutione S. Pii V incipiente « *Romani Pontificis* » exceptis tamen Cardinalibus Episcopis Suburbicariis, nec non exceptis pariter Cardinalibus Abbatibus *Nullius,* qui in Romana Curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata Constitutione « *Aequum est* » Urbani VIII Praedecessoris Nostri, ad Pontificium Sacrarium spectabunt. — 2. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis Constitutioni S. Pii V cuius initium « *Romani Pontificis providentia* » in Litteris in forma Brevis incipientibus : « *De benignitate Sedis Apostolicae* » apponi solitis, in altero Brevi quod incipit « *Cum fel. rec. Urbanus VIII* » auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana Constitutio, eiusque loco substituantur ea, quae sequuntur « *Quod si Ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus praefueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, Te vehementer hortamur, prout iam Benedictus XIV Praedecessor Noster in sua Constitutione incipiente* « Inter arduas *Cardinales hortabatur, ut in praedictis rebus disponendis eas ecclesias prae oculis habeas, caeterisque praeferas* ». Quae vero hoc in articulo praescripsimus ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante praesentium Litterarum publicationem enunciatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent. — 3. Sacra utensilia quae vigore Constitutionis S. Pii V incipientis « *Romani Pontificis* » ecclesiis cathedralibus debentur, haec esse edicimus: mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros pontificales, alterum cui titulus *Canon Missae;* item calices, patenas, pixides, ostensoria, thuribula, vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus, et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quae sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui, sacrisque functionibus fuerint destinata; exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad Ecclesiam non pertinentibus, neque constet Ecclesiae fuisse donata. Volumus propterea teneri, ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex Ecclesiae reditibus, ac proventibus sibi compararunt, ne alias praesumi debeat ea omnia reditibus Ecclesiae comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad Sacrarium Sacelli Summi Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae redituum, quibus comparata fuerint, et praeter ea quae in Constitutione Urbani VIII incipiente « *Aequum est* » in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pixides, ostensoria, vas aquae benedictae cum aspersorio, vasa sacrorum oleorum, et urceolos cum pelvibus, ac tintinnabulo, tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum, et his similia, exceptis annulis, et crucibus pectoralibus, etiam cum sacris reliquiis. — 4. Quando Episcopus duas, vel plures Ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter ecclesias cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, iuxta Constitutionem S. Pii V incipientem « *Romani Pontificis* ». — 5. Ubi vero aliquis Episcopus simul praefuerit duabus, vel pluribus Ecclesiis unitis, vel in perpetuam administrationem concessis, quae habeant Capitulum, et cathedralem ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem Ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum reditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero reditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione fructuum. — 6. Quod si constet Episcopum, qui per translationem dua-

Nonnulla Pontifex decernit et mandat.

Quaenam sint sacra utensilia da quibus agitur.

bus Ecclesiis successive praefuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia reditibus tantum unius Ecclesiae, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius dioecesis, ex cuius episcopalis mensae proventibus fuerint acquisita. Haec volumus et mandamus etc.

1018

Circa magnetismi usum.

S. C. S. Officii *28 Iulii 1847* — Marianopol. — L'art du magnétisme s'exerce dans le dit diocèse. Est-il criminel quand on prétend savoir ce qui se passe dans les lieux fort eloignés, ou ce qui est tout a fait interieur et caché dans le coeur? Quand on s'en sert pour découvrir des voleurs ou malfaiteurs? Quand on en fait usage pour assoupir les personnes à qui il faut faire l'amputation de quelques membres, afin de les rendre insensibles à la douleur?

R. Pro nunc detur Decretum fer. III loco IV 23 Iunii 1840 prout sequitur: « Remoto omni « errore, sortilegio, explicita aut implicita dae« monis invocatione, usus magnetismi, nempe « merus actus adhibendi media physica aliunde « licita, non est moraliter vetitus, dummodo « non tendat ad finem illicitum aut quomo« dolibet pravum. Applicatio autem principio« rum et mediorum pure physicorum ad res « et effectus vere supernaturales, ut physice « explicentur, non est nisi deceptio omnino il« licita et haereticalis ».

1019

De incensatione in Benedictione cum SS. Sacramento.

Ex Litt. S. R. C. *11 Sept. 1847* (ad Archiep. Ariminen.) – Omissio incensationis conformior est Ecclesiae praxi in benedictione cum sacra Pyxide; requiritur tamen omnino quum impertitur benedictio cum Ostensorio, ac proinde illam hoc in casu exigat (Archiep.); ac pariter exigat ut in summitate Ostensorii crux visibilis apponatur quod requirunt ecclesiasticae leges, non obstante consuetudine Ordinis Praedicatorum, cui peculiaris est ritus in explendis caeremoniis.

De cruce in summitate Ostensorii.

1020

De textura vitrea in sacris paramentis.

S. R. C. *11 Sept. 1847* — Atrebaten. — An licitum sit, ad celebrandam Missam, ornamentis uti quorum textura vitrea est mixta auro vel argento.

R. In voto Magistri Caeremoniarum, seu Negative; proptereaque praedictis ornamentis uti non licet.

1021

De precibus in Litaniis Sanctorum non omittendis.

S. R. C. *11 Sept. 1847* — Veronen. — Quum in multis Breviariis et Ritualibus in Litaniis Sanctorum desiderentur preces pro arcendo *flagello terraemotus, peste, fame et bello,* quaeritur utrum recitari debeant, et quo loco apponendae?

R. Affirmative, et ponendas esse post versum *A fulgure et tempestate.*

1022

Orantibus pro laponis conversione Indulgentia conceditur.

S. C. de Prop. F. *14 Nov. 1847 (Ex Aud. SSmi).* – Le Vic. Ap. du Japon supplie humblement V. S. de daigner accorder à perpétuité quarante jours d'Indulgence que pourront gagner tous les fidèles de l'un et de l'autre sexe toutes les fois: 1. qu'ils feront une prière pour la conversion du Japon; 2. ou qu'ils exhorteront les autres fidèles à prier pour la conversion du dit Empire; et une Indulgence plénière qu'ils pourront gagner deux fois l'an, en se confessant, communiant, visitant une église quelconque, et priant comme ci-dessus.

SSmus D. N. Pius PP. IX perpensis expositis, benigne annuit pro gratia iuxta petita, contrariis quibusque non obstantibus.

1023

De catholica religione in Oriente.

Litt. Ap. Pii PP. IX *6 Ianuarii 1848* (ad Orientales). — 1. In suprema Petri Apostoli sede, meritis licet imparibus, disponente Domino, constituti, et sollicitudine onerati omnium Ecclesiarum, respeximus inde ab exordio Pontificatus nostri in diversas orientis ac finitimarum regionum nationes christianas cuiuscumque ritus, quae non uno quidem ex capite peculiarem a nobis curam exposcere videbantur. In oriente enim Unigenitus Dei Filius propter nos homines homo factus apparuit, et per vitam, mortem, et resurrectionem suam opus humanae redemptionis perficere dignatus est. In oriente a divino eodem Redemptore, ac subinde ab eius discipulis, praedicatum initio est Evangelium lucis et pacis; et quamplurimae inclaruerunt ecclesiae Apostolorum, qui illas instituerant, nomine insignes. Sed insequenti etiam tempore, et longo plurium saeculorum intervallo, floruere in orientalibus nationibus Episcopi, Martyres, aliique sanctitate ac doctrina praestantissimi viri, quos inter communi totius orbis praeconio celebrantur Ignatius Antiochenus, Polycarpus Smyrnensis, Gregorius Neocaesareensis, eiusdemque nominis Nyssenus ac Nazianzenus, Athanasius Alexandrinus, Basilius Caesareensis, Ioannes Chrysostomus, bini Cyrilli Hierosolymitan. et Alexandrinus, Gregorius Armenus, Ephraemus Syrus, Ioannes Damascenus, nec non slavorum apostoli Cyrillus et Methodius, ut taceamus porro de caeteris prope innumeris, qui effuso similiter pro Christo sanguine, aut sapientibus scriptis, eximiaeque virtutis operibus nomina sua perenni item posteritatis memoriae commendarunt. Pertinent quoque ad Orientis laudem fre-

quentissimi Episcoporum conventus, praesertim vero Oecumenica vetustiora Concilia ibidem celebrata, in quibus, Romano Pontifice praeeunte, catholica fides contra illius aetatis novatores vindicata fuit solemnique iudicio roborata. Denique posteriori etiam aevo, quamvis haud exigua christianorum orientalium pars a communione Sanctae huius Sedis, atque adeo a catholicae Ecclesiae unitate recessisset, et in oriente ipso rerum summam obtinuerint gentes a christiana religione alienae, numquam tamen defuere illic homines bene multi, qui divinae gratiae auxilio freti, suam in vera fide et catholica unitate constantiam inter multiplices calamitates, et diuturna eorum praesertim temporum pericula comprobarunt. Heic autem abstinere non possumus, quominus commemoremus singulari cum laude illorum Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos, qui sedulam contulere operam suis ovibus in catholicae veritatis professione custodiendis; et quorum proinde curis, Deo benedicente, factum est, ut mitigata postea temporum asperitate tantus inibi inventus sit eorum numerus, qui in catholica unitate manebant.

Pontificis in fideles orientales propensissima voluntas

2. Itaque ad vos primum verba nostra convertimus, Venerabiles Fratres, dilecti filii, catholici Antistites, et cuiuscumque Ordinis clerici ac laici, qui perseverastis firmiter in fide et communione Sanctae huius Sedis, vel qui ad eam postmodum, errore cognito, non minori quidem virtutis laude convenistis. Etsi enim rescripserimus dudum ad multos ex vobis, a quibus gratulatorias de nostra ad Summum Pontificatum electione litteras acceperamus, et inde a die 9 novembris anni 1846 omnes totius catholici orbis Antistites per encyclicam epistolam allocuti fuerimus; consilium tamen est alio hoc peculiari sermone certiores vos facere studiosissimae caritatis, qua de vobis rebusque vestris, solliciti sumus. Opportunam vero de his scribendi occasionem habuimus in missione ven. fratris Innocentii Archiepiscopi Sidensis, qui a nobis Constantinopolim legatus est ad celsissimam othomanam aulam, ut potentissimum turcarum imperatorem nostro nomine conveniat, et pro oratore ab illo ad salutandos nos antea allegato plurimas nomine nostro gratias persolvat. Ipsi quidem Ven. Fratri diligenter mandavimus, ut vos, et quaecumque ad vestram catholicaeque Ecclesiae causam in amplissima othomana ditione pertinent, eidem imperatori nostris verbis impensissime commendet. Nec dubitamus, quin imperator ipse, sua iam sponte erga vos benevolus, maiori porro benignitate rebus vestris faveat, et neminem ex suis subditis catholicae religionis causa vexari permittat. Iam vero memoratus Sidensis Archiepiscopus nostrae in vos caritatis studia uberius declarabit illis ex sacris praesulibus primoribusve nationum vestrarum, quos Constantinopoli adesse contigerit: atque inde postmodum ad nos rediturus divertet, prout res et occasio tulerit, ad nonnulla alia orientis loca ut, quemadmodum in mandatis a nobis habuit, ecclesias catholicorum cuiusque ritus inibi sitas nostro nomine invisat, nostrisque verbis amantissime alloquatur, et consoletur nostros Ven. Fratres dilectosque filios, quos in locis illis invenerit.

3. Idem vero et ipsis tradet, et cum reliquis vestrum communicandas curabit nostras hasce litteras, testes, uti diximus, nostrae in catholicas vestras nationes propensissimae voluntatis, et per quas vobis omnibus notum facimus et confirmamus, nihil potius nobis fore, quam ut de vobis ipsis et de catholicae apud vos religionis statu quotidie magis bene mereamur. Quare cum inter alia relatum ad Nos sit, in regimine ecclesiastico vestrarum nationum quaedam esse, quae ob anteacti temporis calamitatem incerta adhuc manent vel minus apte constituta, libenter equidem aderimus auctoritate nostra apostolica, ut ad normam sacrorum canonum, servatisque SS. Patrum institutis, rite omnia componantur et ordinentur. Omnino autem sartas tectas habebimus peculiares vestras catholicas liturgias: quas plurimi sane facimus, licet illae nonnullis in rebus a liturgia ecclesiarum latinarum diversae sint. Enimvero liturgiae ipsae vestrae in pretio pariter habitae fuerunt a praedecessoribus nostris; utpote quae et commendantur venerabili antiquitate suae originis, et conscriptae sunt linguis, quas Apostoli aut Patres adhibuerant, et ritus continent splendido quodam ac magnifico apparatu celebrandos, quibus fidelium erga divina mysteria pietas et reverentia foveatur.

4. Ad hanc Sedis Apostolicae rationem erga catholicas orientalium liturgias plura spectant Romanorum Pontificum decreta et constitutiones, quae de illis conservandis latae sunt: inter quas laudare sufficiet litteras apostolicas Benedicti XIV decessoris nostri, eas praesertim, quarum initium « *Allatae sunt* » datas die 26 iulii 1755 (1). Eodem pertinet, quod sacerdotibus orientalibus in Occidentem venientibus nedum liberum est proprio nationis suae ritu celebrare in sacris latinorum aedibus, sed patent etiam diversis in locis, ac Romae praesertim, templa in peculiarem ipsorum usum aedificata. Insuper nec monasteria defuerunt orientalis ritus, nec domicilia alia excipiendis orientalibus destinata; nec etiam collegia in eum finem condita ut orientalium filii, sive soli, sive cum aliis adolescentibus, ad litteras

(1) Extant tom. IV Bullarii Benedicti XIV n. 47. Aliae ea de re eiusdem Pontificis constitutiones habentur tom. I memorati Bullarii n. 87, et tom. III n. 44.

sacrasque scientias, atque ad clericalem disciplinam informentur, et idonei fiant ecclesiasticis muneribus deinceps in sua cuiusque natione obeundis. Quamvis autem aliqua ex his institutis recentiorum temporum calamitate perierint, nonnulla tamen adhuc supersunt, ac florent; in quibus, Venerabiles Fratres, dilecti filii, praeclarum sane documentum habetis singularis benevolentiae, qua Sedes Apostolica vos resque vestras prosequitur.

5. Ceterum scitis iam, Ven. Fratres, dilecti filii, Nos in vestris religiosis negotiis procurandis adiutrice opera uti nostrae Congregationis plurium S. E. Romanae Cardinalium, cui a Propaganda Fide nomen est. At vero studium bene de vobis merendi commune est et aliis plurimis, tum romanis, tum exteris, qui in alma hac urbe morantur. Quo in numero nonnulli ex latino, atque etiam ex vestris orientalibus ritibus, praesules, piique alii viri consilium nuper inierunt de pia societate eum in finem instituenda, ut sub auctoritate memoratae nostrae Congregationis cultum apud vos catholicae religionis, et uberiores eiusdem progressus quotidianis piis precibus, collata aliqua stipe, et omni ope atque opera sua iuvare conniterentur. Qua de re cum relatum ad Nos fuerit, commendavimus equidem et probavimus pium illorum consilium, ac suasores ipsis fuimus ut ei operi sine mora manum admoveant.

Ad catholicos orientales Episcopos adhortatio.

6. Post haec, ad vos speciatim verba nostra convertimus qui aliis praeestis, VV. FF., catholici orientalium Antistites cuiusque gradus; ut collaudato iterum vestro et vestri etiam cleri zelo in sacris ecclesiasticisque muneribus obeundis, hac porro hortatione nostra addamus vobis animos ad virtutem. Itaque obtestamur vos in Domino Deo nostro, ut caelesti eius auxilio freti advigiletis maiori usque alacritate ad custodiam delectarum ovium, nec desistatis praelucere ipsis verbo et exemplo, ut ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. Incumbant alacriter in eamdem curam presbyteri, qui sub vobis sunt, et animarum praesertim curatoribus instate, ut decorem diligant domus Dei, foveant populi pietatem, sancta sancte administrent, et, minime neglectis ceteris officii sui partibus, peculiari utantur diligentia in informandis pueris ad rudimenta christianae doctrinae, atque in reliqua fideli plebe verbi Dei pabulo cum sermonis facilitate pro eius captu enutrienda. Summa autem illis vobisque ipsis sedulitate curandum est, ut fideles omnes solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, gratias agentes Deo luminum et misericordiarum patri, quod in tanto rerum discrimine constantes per eius gratiam permanserint in catholica communione unicae Christi Ecclesiae, vel reversi porro ad illam fuerint, dum alii ex popularibus suis vagantur adhuc extra unicum idem ovile Christi, a quo illorum patres iamdudum misere exiverant.

Schismatici ad unionem cum Sancta Romana Ecclesia invitantur.

7. Post haec, abstinere non possumus, quominus caritatis et pacis verba his etiam loquamur orientalibus Christum colentibus, qui a communione sanctae huius Petri Sedis alieni sunt. Etenim urget nos Christi caritas ut, iuxta eius monita et exemplum, dispersas oves sequi per invia quaeque et aspera, atque illarum infirmitati succurrere connitamur, ut in septa dominici gregis tandem aliquando regrediantur. Audite igitur sermonem nostrum vos omnes, quotquot in orientalibus ac finitimis plagis christiano quidem nomine gloriamini, sed cum Sancta Romana Ecclesia communionem minime habetis; ac vos potissimum, qui penes illos sacris muneribus estis addicti, aut maiori etiam ecclesiastica dignitate fulgentes ceteris praesidetis. Recogitate ac memoria repetite veterem ecclesiarum vestrarum conditionem, quum mutuo inter se et cum reliquis catholici orbis ecclesiis unitatis vinculo conglutinabantur: et considerate deinceps, num quidquam vobis profecerint divisiones quae postmodum subsequutae sunt, et quibus factum est ut nedum cum ecclesiis occidentalibus, sed neque inter vos ipsos retinere potueritis antiquam sive doctrinae sive sacri regiminis unitatem. Memineritis symboli fidei, in quo nobiscum profitemini, credere vos « Unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam »: atque hinc perpendite, num ipsa haec Sanctae et Apostolicae Ecclesiae Catholicae unitas in tanta illa vestrarum ecclesiarum divisione inveniri possit, dum vos ipsi eam agnoscere abnuitis in communione Romanae Ecclesiae, sub qua aliae per totum mundum frequentissimae Ecclesiae in unum corpus coaluere semper et coalescunt. Atque ad rationem eius unitatis, qua fulgere Catholica Ecclesia debet, penitius intelligendam, memoria recolite orationem illam in Ioannis Evangelio consignatam (1) in qua Christus Unigenitus Dei Filius Patrem pro suis discipulis ita precatus est: « *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos* »; et subinde adiecit: « *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti: et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus: Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum; et cognoscat mundus, quia tu me misisti, et dilexisti eos sicut et me dilexisti* ».

(1) Ioannis XVII 11, 20, et seqq.

8. Verum idem humanae salutis auctor Christus Dominus, unicae illius, adversus quam portae inferi non praevalebunt, Ecclesiae suae fundamentum posuit in Apostolorum principe Petro; cui claves dedit regni caelorum (1); pro quo rogavit, ut non deficeret fides eius, addito etiam mandato ut fratres in ea confirmaret (2); cui denique pascendos commisit agnos et oves suas (3), atque adeo totam Ecclesiam, quae in veris Christi agnis atque ovibus est. Atque haec pertinent pariter ad Romanos Antistites Petri successores; quandoquidem, post Petri mortem, Ecclesia usque ad consummationem saeculi duratura, fundamento, super quod aedificata a Christo fuit, carere non potest. Quare S. Irenaeus, Polycarpi, qui Ioannem Apostolum audierat, discipulus ac deinde Lugdunensis Episcopus, quem orientales non minus quam occidentales inter praecipua christianae antiquitatis lumina recensent, dum adversus haereticos sui temporis referre vellet doctrinam Apostolis traditam, supervacaneum existimavit omnium ecclesiarum apostolicae originis enumerare successiones, affirmans satis sibi esse, ut allegaret contra illos doctrinam Ecclesiae Romanae, propterea quod « *ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab Apostolis traditio* (4) ».

9. Novimus commune vobis studium esse, ut doctrinae adhaereatis a vestris maioribus custoditae. Sequimini igitur veteres Antistites et christifideles orientalium omnium regionum, de quibus innumera prope monumenta demonstrant, ipsos cum occidentalibus consensisse in reverenda Romanorum Pontificum auctoritate. Inter praecipua ex oriente ipso eius rei documenta (praeter Irenaei locum paulo ante laudatum) commemorare hic iuvat quae IV Ecclesiae saeculo gesta sunt in causa Athanasii Alexandrini Antistitis, sanctitate non minus quam doctrina et pastorali zelo clarissimi, qui ab orientalibus quibusdam praesulibus in Concilio praesertim Tyri habito iniustissime condemnatus, et ab ecclesia sua pulsus, Romam venit; ubi venerunt etiam alii ab oriente Episcopi a suis item sedibus per iniuriam deiecti. « *Episcopus igitur Romanus* (qui erat Iulius decessor noster) *cum singulorum causas cognovisset, omnesque in Nicaenae fidei doctrinam consentientes reperisset, tamquam idem cum ipso sentientes, in communionem recepit. Et quoniam propter sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, suam cuique Ecclesiam restituit. Scripsit etiam orientalibus Episcopis, reprehendens eos, quod in supradictorum causis non recte iudicassent, et quod ecclesiarum statum turbarent* (5) ». Initio etiam saeculi V., Ioannes Chrysostomus Constantinopolitanus Antistes, vir item longe clarissimus, qui Chalcedone in Synodo ad Quercum per summam iniuriam condemnatus fuerat, confugit et ipse per litteras et internuncios suos ad Sedem hanc Apostolicam, et a decessore nostro S. Innocentio I innocens declaratus est (6). Praeclarum aliud veneratae a vestris maioribus Romanorum Pontificum auctoritatis documentum extat in Chalcedonensi Synodo anni 451. Enimvero Episcopi, qui in illam ad sexcentum convenerant, ac pene omnes (paucis scilicet exceptis) ex oriente erant, post litteras Romani Pontificis S. Leonis M. in secunda Concilii actione perlectas clamaverunt: « *Petrus per Leonem ita locutus est* ». Subinde autem, Synodo ipsa pontificiis Legatis praesidentibus absoluta, iidem Concilii Patres in gestorum relatione ad Leonem missa, eum per memoratos Legatos congregatis Episcopis *sicut membris caput praefuisse* affirmarunt (7).

10. Ceterum non ex solis Chalcedonensis Concilii actis, sed ex reliqua etiam orientalium veterum synodorum historia proferre liceret monumenta alia quamplura; ex quibus constat, Romanos Pontifices in Synodis praesertim Oecumenicis primas habuisse partes, eorumque auctoritatem et ante Conciliorum celebrationem, et his porro absolutis, fuisse imploratam. Atque etiam extra Conciliorum causam afferre possemus alia Patrum veterumque orientalium seu scripta seu gesta longe plurima; ex quibus item apparet supremam auctoritatem Romanorum Pontificum viguisse iugiter apud maiores vestros in oriente universo. Sed quoniam nimis longum foret ea omnia hoc loco recensere, et quae iam indicavimus satis sunt ad rei veritatem ostendendam: heic tantum coronidis loco memorabimus quemadmodum vetustissima aetate, ipso scilicet Apostolorum aevo, gesserunt se corinthii fideles in dissensionibus, quibus ipsorum ecclesia gravissime turbata fuerat. Nimirum corinthii dissensiones illas suas per litteras, et per Fortunatum ad eas perferendas huc profectum, detulerunt ad S. Clementem, qui paucis post Petri mortem

(1) Matthaei XVI 18, 19.
(2) Lucae XXII 31, 32.
(3) Ioannis XXI 15, et seqq.
(4) Ipsa haec sunt Irenaei verba *Lib. III contra haereses cap. 3.*
(5) Verba haec sunt Sozomeni Lib. III Hist. Eccl. cap. 8. Rem universam fusius exponit Athanasius ipse in sua *Apologia contra Arianos.*
(6) Binae hac de re Chrysostomi litterae ad Innocentium, et litterae Innocentii tum ad Chrysostomum, tum ad clerum et populum Constantinopolitanum extant tom. III operum Chrysostomi edit. Maur. p. 515 et seqq.
(7) Tom. IV Conciliorum edit. Labbeo-Venetae pag. 1235 et 1755.

annis Romanae Ecclesiae Pontifex factus fuerat. Clemens autem, re graviter considerata, rescripsit per Fortunatum ipsum et per adiunctos ei internuncios suos Claudium Ephebum et Valerium Vitonem, a quibus Corinthum perlata est celebratissima illa Sancti Pontificis Romanaeque Ecclesiae epistola (1), quae tum penes corinthios ipsos, tum penes alios orientales tanto in pretio habita fuit, ut subsequenti etiam tempore in pluribus ecclesiis publice legeretur (2).

11. Iuxta haec hortamur vos, atque obtestamur, ut absque ulteriori mora redeatis ad communionem sanctae huius Petri Sedis, in qua verae Christi Ecclesiae fundamentum esse et maiorum vestrorum aliorumque veterum Patrum traditio, et quae antea commemoravimus Christi Domini verba in Sanctis Evangeliis relata demonstrant. Nec enim fieri umquam poterit, ut in unius Sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae communione sint, qui divulsi esse voluerint a soliditate petrae, super quam Ecclesia ipsa divinitus aedificata est. Ac nulla sane ratio est, qua vos ab hoc ad veram Ecclesiam Sanctaeque huius Sedis communionem reditu excusare valeatis. Nostis enim, in rebus ad divinae religionis professionem spectantibus nihil esse tam durum, quod pro Christi gloria aeternaeque vitae retributione non sit perferendum. At vero ad Nos quod attinet, testamur et confirmamus, nihil nobis antiquius esse, quam ut vos ad communionem nostram redeuntes nedum nulla, quae durior videri possit, praescriptione affligamus, sed ex constanti Sanctae huius Sedis instituto peramanter et paterna prorsus benignitate excipiamus. Itaque non aliud vobis imponimus oneris, quam haec necessaria: nimirum ut ad unitatem reversi consentiatis nobiscum in professione verae fidei, quam Ecclesia Catholica tenet ac docet, et cum Ecclesia ipsa supremaque hac Petri Sede communionem servetis. Hinc ad vestros sacros ritus quod attinet, reiicienda solummodo erunt, si quae in illos separationis tempore irrepserint, quae eidem fidei et unitati catholicae adversentur: atque his demptis, sartae tectaeque vobis manebunt veteres liturgiae vestrae orientales: quas pro illarum venerabili antiquitate et ceremoniis ad fovendam pietatem idoneis apud nostros decessores in pretio fuisse, atque a nobis pariter plurimi fieri in priori harum litterarum parte iam declaravimus.

12. Insuper deliberatum fixumque nobis est ut erga sacros ministros, sacerdotes et praesules, qui ex istis nationibus ad unitatem catholicam revertantur, eamdem teneamus rationem, qua decessores nostri tum proximae tum superioris aetatis multoties usi sunt; ut illis scilicet servemus gradus et dignitates suas; atque hinc illorum, non minus quam reliqui catholici orientalis cleri, opera utamur ad cultum catholicae religionis inter populares suos tuendum ac dilatandum. Denique tum ipsos tum laicos, qui ad communionem nostram redierint, eadem qua ceteros orientis catholicos benevolentia complectemur; immo et iucundum nobis erit omni studio conniti, ut de his aeque ac de ipsis quotidie magis bene mereamur.

13. Utinam clementissimus Deus dare dignetur sermoni huic nostro vocem virtutis; utinam studiis benedicat fratrum filiorumque nostrorum, qui nobiscum de salute vestrarum animarum solliciti sunt: utinam ea humilitatem nostram consolatione laetificet, ut inter orientales christianos catholicam unitatem restitutam videamus, et in unitate ipsa novum habeamus subsidium ad veram Christi fidem in gentibus etiam a Christo alienis magis magisque propagandam. Nos quidem non intermittimus idipsum a Deo misericordiarum et luminum Patre per Unigenitum suum Redemptorem nostrum in omni oratione et obsecratione suppliciter poscere; eumdemque in finem invocare patrocinium Beatissimae Deiparae Virginis, et Sanctorum Apostolorum, Martyrum, Patrum, quorum praedicatione, sanguine, virtutibus et scriptis vera Christi religio propagata olim per orientem et conservata est. Desiderio autem desiderantes gratulari tandem de vestro reditu in Ecclesiae Catholicae gremium, vobisque benedicere tamquam fratribus filiisque nostris, interea cunctos, qui modo in oriente locisque conterminis sunt, catholicos Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, clericos, laicos iterata nostrae flagrantissimae caritatis testificatione prosequimur, eisque omnibus apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 6 ianuarii 1848, pontif. nostri anno II.

1024

Ex Decr. S. C. super statu Regular. *25 Ian. 1848* — 1. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, monasterio, domo sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, monasteriis, ac domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore iuris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua et expressa mentio

De testimonialibus Ordinariorum litteris pro admittendis ad religiosum habitum.

(1) Extat haec Clementis epistola in Bibliotheca Veterum Patrum, Venetiis a Gallandio edita tom. I pag. 9 et seqq.

(2) Ex Eusebio (Historiae Eccl. Lib. III cap. 16) et ex Dionysio Corinthiorum Episcopo, cuius testimonium extat apud Eusebium ipsum Lib. IV cap. 23.

fiat, nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit (1).

2. Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de postulantis qualitatibus, referre debeant de eius natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere, nec ipsis unquam liberum esse huiusmodi testimoniales litteras denegare; in eisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere quae ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino iudicaverint.

1025

Circa modum erigendi *Viae Crucis* stationes.

S. C. Indulg. *31 Ianuarii 1848.* — NANCEIEN. — Episcopus Nanceiensis postulat: Utrum erectio et benedictio Stationum *Viae Crucis* in ecclesia vel oratorio ita fieri possit, ut ante caeremoniam, vel etiam die praecedenti, quatuordecim cruces cum tabulis pictis, si quae sint, suspendantur in locis praefixis, et earum benedictio fiat a sacerdote ad eas ante aram converso; quibus expletis, sacerdos ad singulas cruces genuflexus eas incensat et orat more solito, vel utrum expositio et suspensio fieri debeat durante caeremonia, quod quidem esset difficillimum.

R. Servandam esse in omnibus consuetudinem.

1026

An possit Missa offerri pro uno, et indulgentia, quae per eam acquiritur, alteri applicari.

S. C. Indulg. *31 Ianuarii 1848.* — TOLOSAN. — An quando requiritur sacrificium Missae pro Indulgentia lucranda, Missa possit offerri pro uno et Indulgentia applicari pro altero.

R. Communicetur oratori votum consultoris. – *Votum consultoris:* – Hanc eamdem quaestionem enucleandam sibi proponit doctissimus P. Ioannes Cavalieri, scilicet: An Indulgentia et Sacrificium dividi queant? Respondet: « Decisio pendet ex verbis indulti; si enim cantat: *Qui pro defuncto Missam in tali altari dixerit, liberat animam eius, etc.,* Sacrificium et Indulgentia non possunt dividi, sed utrumque pro eodem defuncto est applicandum; si autem tò *pro defunctis* in indulto desit, applicatio solius Indulgentiae sufficit ad liberandam animam, et Sacrificium cuilibet poterit applicari; ... si tamen fundator, aut stipem erogans imponat onus celebrandi in altari privilegiato, tunc praedicta divisibilitas locum non habet; per impositionem quippe talis oneris censetur etiam voluisse applicationem Indulgentiae. Secus est si sacerdos onus habeat sacrificandi, sed non in altari privilegiato; tunc quidem adimplet obligationem suam per applicationem Sacrificii, et liber est quoad applicationem Indulgentiae, dummodo tamen celebret in altari cuius privilegium non exquirat etiam applicationem Missae ». Quae solutio et mihi arridet: nam Indulgentia etiam pro defunctis est donum ex Ecclesiae thesauro depromptum, qui constat ex meritis Christi, Beatae Mariae Virginis et aliorum Sanctorum; opera vero iniuncta sunt conditio solum sine qua effectum non sortitur Indulgentia: ergo aliud est Indulgentia, aliud opus iniunctum. Porro si applicatio Indulgentiae pro solis defunctis concessae necessario coniuncta esset cum applicatione Sacrificii, Sacrificium et Indulgentia forent unum et idem, ergo Sacrificium non esset tantum opus iniunctum, nec Indulgentia ex Ecclesiae thesauro deprompta, sed ex valore infinito eiusdem Sacrificii, qui certe Ecclesiae potestati non subest, sed voluntati Dei finito modo applicantis; atqui Sacrificium est tantum opus iniunctum, et Indulgentia non ex valore, seu fructu Sacrificii eruitur, ergo non sunt unum et idem, adeoque Sacrificium et Indulgentia dividi possunt (saltem dum aliud in indulto non exprimitur), et consequenter, in hac hypothesi, sacerdos potest Sacrificium offerre pro uno, et Indulgentiam applicare pro altero. Haec sunt, quae sapienti iudicio vestro, Eminentissimi Patres, subiicienda esse duxi –.

1027

Piae largitiones non sunt causa sufficiens pro matrimonialibus dispensationibus.

S. C. de Prop. F. *11 Martii 1848.* (C. P. PRO SIN.) — Se possa riguardarsi per legittima e sufficiente causa, in mancanza di altre, di accordare dispense matrimoniali, l'oblazione di qualche limosina a favore dei poveri e della chiesa.

R. Negative.

1028

Circa Missae applicationem iuxta ethnicorum mentem.

S. C. de Prop. F. *11 Martii 1848* (C. P. PRO SIN.) – Se possa un missionario ricevere la limosina della Messa, ed applicarla secondo la mente o intenzione di un oblatore gentile che abbia per iscopo di ottenere la guarigione da malattia, o la liberazione dal carcere e dalla pena capitale che gli sovrasta.

R. Affirmative.

(1) Eadem S. C. die 1 Maii 1851 declaravit sufficere testimoniales datas ab Ordinariis per litteras privatas.

1029

De iurisdictione Vicariorum App. quoad Regulares missionarios.

S. C. de Prop. F. *11 Martii 1848* (C. P. PRO SIN.) — Excepta interna disciplina regulari, missionarios religiosos quoad omnia negocia et directionem Missionum sub iurisdictione Vicariorum App. esse; et ad mentem: *Mens est* che si faccia particolarmente sentire che se il missionario religioso deve considerarsi legato da una doppia obbedienza verso il Capo della Missione cioè, e verso il Superiore Regolare, la prima deve essere la preponderante, e quindi nel conflitto dee vincere, e non paralizzarsene l'effetto coll'esigere l'osservanza della seconda.

1030

Libri haereticorum nullatenus in conversorum manibus relinquendi.

S. C. S. Officii *26 Iulii 1848*. — MALAC. — Inter varios libros qui birmano vel cariano sermone passim in his regionibus disseminantur ab anabaptistis, cum quibusdam plus minusve erroneis, reperiuntur Novi Testamenti translationes, quarum quidam loci adulterati, quidam vero, licet orthodoxi, non ad normam vulgatae editionis translati sunt; alii tandem propter defectum verborum, aut accurati sermonis ignorantiam, ambiguitatem praeseferunt, vel saltem non adaequate ad genuinum sensum translati sunt. Hi libri et translationes difficile possent auferri a neophytorum praesertim anabaptistarum conversorum manibus, quatenus illorum lectioni sint assueti, et missionarii catholici meliores (libros) legendos illis praebere nondum valeant. Unde quaeritur:

1. An libri de quibus agitur possint relinqui in manibus conversorum, sub praetextu quod errores in illis inserti non intelligantur, vel saltem non credantur.

2. An possint absolvi missionarii, qui, sub iisdem praetextibus vel aliis huiusmodi, nollent auferre supradictos libros e manibus christianorum.

3. Utrum saltem, postquam errores reperti, correcti vel suppressi fuerint, possint supradicti libri relinqui fidelibus usquedum habeantur libri accurate scripti vel translati.

R. Ad singula dubia, negative. Curandum omnino ab operariis evangelicis ut libri, de quibus agitur, flammis comburantur, et omnem dent operam perficiendae catholicae emendataeque versioni biblicae, typis dein edendae, praevio S. Congregationis de Prop. Fide examine et approbatione.

1031

De tormentorum explosione in profectione exercitus tempore superstitiose determinato.

S. C. S. Officii *17 Sept. 1848*. — SIAM — 1. Circa profectionem exercitus est consuetudo quod magi regis, ex superstitiosa supputatione, definiant diem, horam et momentum profectionis; tunc dux iubet explodere tormenta ad dandum signum. Possuntne christiani milites in tali casu explodere tormenta ad iussum regis vel ducis? Usque modo christiani milites exploderunt tormenta, et timenda sunt gravia incommoda si renuant obtemperare.

De elephante albo circa quem superstitiosa extat opinio.

2. Elephas albus pluris aestimatur in Siam utpote animal curiosum, pulchrum, et boni ominis pro felicitate Regni. Porro, quando adducunt eum in ratibus ad regiam civitatem, magnates aliquando assumunt christianos, ut adiuvent ad trahendam ratem in qua insidet animal, quod cum comitatu plurimo et signis laetitiae excipiunt in civitate. Licetne christianis trahere ratem elephantis albi? Ratio dubitandi videtur esse quod siamenses aliquam superstitiosam opinionem habeant circa elephantes albos.

An licita cooperatio combustioni cadaveris regis vel principis.

3. In media civitate est platea vacua, in qua, quoties comburendum est cadaver regis vel principis, aedificant magnum mausoleum sub quo fit cadaveris combustio. Circa mausoleum construunt septum intra quod versantur talapuini ad funera invitati. Praeterea disponunt tentoria extra septum pro rege et magnatibus, faciuntque stratum in tota platea, partim ex tabulis, partim ex arundinibus. Nunc quaeritur:—*a*) Christiani possuntne, si ad id iubentur, adiuvare in construendo mausoleo, exceptis quibusdam figuris et emblematibus superstitiosis? — *b*) Possuntne caedere, vel adducere, aut trahere ad terram ligna aut tabulas ad confectionem dicti mausolei destinatas? — *c*) Possuntne texere stratum ex arundinibus, sive intra, sive extra septa? — *d*) Possuntne tenere arundines in suis domibus, ea tradere ducibus paganis, qui exigunt opus huiusmodi pro dicto mausoleo? Istud mausoleum videtur esse quasi tentorium momentaneum, siquidem statim post combustionem penitus destruitur.

Circa oblationem comestibilium in funeribus principuum.

4. In funeribus principum, omnes eorum clientes adiuvant, sive opera sua, sive pecunia, pannis albis, aut comestibilibus. Ista comestibilia non sunt oblata idolis, sed communia, et cedunt partim talapuinis, partim magnatibus, qui assistunt funeribus, et partim operariis et servis principum. Nunc quaeritur: — *a*) An christiani clientes principum possint occasione funerum deferre ad palatium regis vel principis domini sui quaedam munuscula comestibilia, ipsa die funerum, saltem praevia protestatione ut saepe fit, quod ipsa munuscula offeruntur ipsi principi, non autem pro talapuinis neque ad suffragium defuncti? — *b*) Possuntne offerre ista munuscula saltem aliquot dies ante funera? Si vero nihil offerunt, valde timendum est ne incurrant odium aut vindictam domini sui.

De quadam processione ob superstitiosum finem.

5. In Siam pueri et puellae servant cirrum supra verticem capitis ad aetatem circiter duodecim annorum; tunc abradunt cirrum, adhibendo quasdam caeremonias superstitiosas. Cen-

sent enim quod, si non radunt cirrum, pueri variis calamitatibus erunt obnoxii. Aliquando rex filium aut filiam ad unum sacellum, ad id constructum in palatio, tribus vicibus mittit magno cum apparatu, ad recipiendum orationes et aquam lustralem talapuinorum antequam abradat cirrum: ad processionem assumunt pueros variarum nationum indutos vestibus gentis suae. In decursu processionis brahamani procedunt spargentes ex utraque parte orizam superstitiosam. Porro, si rex iubeat ut assumant pueros christianos ad istam processionem, possuntne christiani tradere pueros suos, supposito quod isti pueri nullam peragant superstitionem sed solum comitentur principem honoris gratia? — Iste casus raro accidit; dicunt iam bis ac ter accidisse, inscio vel consentiente Vicario Ap. non esse certum. Sed certum est quod si in futurum acciderit, satellites per vim cogent pueros ad comitandum principem. Ideo enixe rogo E. V. ut sententiam vestram circa istum et alia puncta ad me quam primum transmittere dignemini.

R. Ad 1. Nisi publica opinione explosio tormentorum bellicorum habeatur tamquam actus superstitiosus, non esse inquietandos. Et detur decretum anni 1817 S. Congr. de Prop. Fide *(V. n. 720)*.

Ad 2. Non esse inquietandos nisi publica opinione habeatur uti actus superstitiosus. Et detur decretum uti supra.

Ad 3. Detur Instructio S. C. de Prop. Fide diei 2 Iulii 1827 super dubiis propositis a Vic. Ap. Siamensi *(V. n. 795)*.

Ad 4. Iuxta exposita tolerari posse, remoto scandalo, et detur decretum 1645 S. Congregationis de Prop. Fide *(V. pag. 32)*.

Ad 5. Detur decretum an. 1817 *(V. n. 720)* et Instructio S. C. de Prop. Fide, ut supra, anni 1827.

1032

Resiliente coniuge infideli a promissione de cohabitatione pacifica, potest fidelis ad alias convolare nuptias.

S. C. S. Officii *27 Sept. 1848* (Oceaniae Occid.). — Utrum pars fidelis matrimonii initi aut confirmati coram proprio missionario, promissione de cohabitatione pacifica a parte non baptizata prius data, possit disiungi non solum quoad habitationem sed etiam quoad torum et quoad vinculum a parte infideli, quae deinceps non vult amplius pacifice cohabitare propter partis fidelis religionem.

Quaeritur utrum haec pars fidelis possit valide et licite convolare ad alias nuptias.

R. Affirmative.

1033

De auctoritate Vicariorum App. seu Superiorum Missionum quoad missionarios.

Instr. S. C. de Prop. F. *30 Sept. 1848* (sulla dipendenza dei missionari regolari dai vicarii apost. ed altri superiori di missioni).

È ben dolente la S. C. che non di rado si metta in dubbio da alcuni missionarî specialmente Regolari l'autorità dei Vicarî Apostolici ed altri Superiori di Missioni, e di tratto in tratto vadansi riproducendo delle questioni di dipendenza, inesauste sorgenti di conseguenze funestissime al bene ed al progresso delle missioni medesime, quantunque dalla medesima Sagra Congregazione siano state più volte esaminate e definite, cui si aggiunse la suprema autorità della S. Sede con sapientissime prescrizioni. Ad eliminare sì disgustose differenze fin dal 1669 la sa. me. di Clemente IX nella Bolla *Speculatores etc. (V. n. 186)*, stabilì le regole riguardo alla dipendenza dei nominati missionarî, ordinando

1. Che i missionarî debbano presentare le proprie patenti al Vicario Apostolico, non ostante che siano spediti in Missione direttamente dalla S. Sede, o dalla S. Congreg. di Propaganda Fide, di modo che se ricusino di presentarle, possano i detti Vicarî come delegati della medesima S. Sede inibir loro l'esercizio del ministero.

2. Che i medesimi sono tenuti a chieder licenza ai Vicarî Apostolici di esercitar le loro facoltà ecc. sebbene questi non possano senza grave causa negargliela.

3. Che debbano esercitar la cura d'anime in mancanza del clero secolare, e ciò non solo *ex charitate*, ma ben anche *ex iustitia*, tal che possano esservi costretti dai Vicarî Apostolici.

4. Che esercitando la cura d'anime, debbano rapporto alla medesima ed alle funzioni parrocchiali, esser soggetti alla visita e correzione dei Vicarî.

5. Che debbano render conto, richiesti, ai Vicari Apostolici dell'esecuzione delle pie lascite, se siano deputati ad eseguirle.

6. Che se tra loro nascano questioni, i Vicarî Apostolici, come delegati della S. Sede possano deciderle e terminarle ecc.

Queste regole furono successivamente ancor meglio dichiarate, e di nuovo inculcate, a seconda delle difficoltà che si ravvisarono incontrarsi nell'osservanza delle medesime, o in occasione di dubbi proposti sull'oggetto stesso. Così nel 1677 la S. Sede dichiarò obbligati i citati missionarî, non esclusi i PP. della Compagnia di Gesù, all'obbedienza e subordinazione ai Vicarî Apostolici « *quoad omnia negotia et directionem missionum* ». Nel 1680 a togliere ogni equivoco sulla relazione dei Religiosi verso i Superiori Regolari, la S. Sede volle chiarito che sebbene essi quanto alla disciplina regolare, erano soggetti ai Superiori dell'Istituto, pure questi non li potevan rimuovere dalla Missione senza il consenso del rispettivo Vicario Apostolico. Nel 1701 si confermò, che i ricordati missionarî in quanto al-

l'amministrazione dei Sagramenti ed altri ministeri di missione sono *immediatamente* soggetti alla S. C. di Propaganda o a chi alla medesima li sottopone, cioè ai Vicarî Apostolici. Similmente nel 1702 si ripetè il decreto, che i missionarî regolari nella Cina, di qualunque Istituto siano, debbono esser soggetti intieramente ai Vicarî Apostolici nell'amministrazione dei Sagramenti, e cura d'anime ecc. e così successivamente.

Da tuttociò è facile di dedurre su quali cose debbano i Religiosi di qualsiasi Istituto e Società dipendere, ed esser soggetti al Vicario Apostolico, ossia al Prelato Superiore della Missione, qualunque sia il titolo, sotto cui la regga. In ogni modo ad escludere ogni ulteriore occasione di dubbiezza, la Congregazione particolare per gli affari della Cina, in conformità delle anzidette prescrizioni, ha ingiunto (e il Santo Padre si è degnato di confermarlo) di dichiarare di nuovo espressamente a V. S. per sua norma e governo, che i missionarî regolari, compresi e nominatamente inchiusi i PP. della Compagnia, *eccettuata la sola interna disciplina regolare, quoad omnia negocia et directionem Missionum sub iurisdictione Vicariorum Apostolicorum esse.* Volle inoltre, che si dichiarasse ancora espressamente e si facesse sentire, che se il missionario religioso deve considerarsi legato da una doppia obbedienza verso il Capo della Missione, e verso il Superiore Regolare, la prima dev'esser sempre la preponderante, e quindi, in caso di conflitto, la prima dee vincere, e non venir paralizzata coll'esigere l'osservanza della seconda. Sarebbe difatti ben singolare l'esigere, che il religioso dovesse preferire e far precedere l'obbedienza professata al Superiore dell'Ordine, a quella che è sopra ogni altra, cioè alla suprema autorità della S. Sede, e del Vicario di Gesù Cristo, o far preponderare un qualsiasi punto di regolare ed interna disciplina agli obblighi principali e gravissimi di missionario, ed il bene particolare al pubblico, ed alla salvezza eterna di moltissime anime confidategli. È ben persuasa la S. Congregazione, che non potrà giammai aver luogo l'additato conflitto, se il Superiore Regolare, egli stesso animato sia dal vero spirito evangelico, e dalla dovuta obbedienza e rispetto alla S. Sede, ed ai Rappresentanti o Vicarî della medesima, e se questi dal canto loro non si faranno regolare che dal vero interesse della religione, che certamente in molta parte dipende dalla santità de' ministri a' quali viene esso affidato. Si apparterrà pertanto a V. S. come di attenersi alle sopradette regole e norme, così di esigere dai suoi missionarî la più esatta osservanza delle medesime.

1034

De dubiis circa baptismum promovendorum ad Ordines.

Instr. S. C. de Prop. F. *30 Sept. 1848* — (AD VIC. AP. COCINC. OCCID.) — Quaestio fiebat an rebaptizandi sub conditione sint, qui promovendi sunt ad minores vel sacros Ordines, quique nullum exhibent collati eis Baptismatis documentum seu testimonium, tum ob librorum defectum, tum ob memoriae labilitatem, aut mortuis parentibus, patrinis etc., vel dubium exurgat, an valide baptizati fuerint a minus instructis catechistis aliisve christianis. Hac de re A. Tuam, quoad primam dubii partem, testimonii nimirum defectum, nosse praestat iugiter, tum a S. C. tum a Supr. Inquisitione, quoties eiusmodi quaestiones propositae fuerunt, rescriptum esse negative, sententiam communem afferendo, eos nempe, qui a parentibus christianis nati, et ab iis christiano more educati sint, baptizatos omnino fuisse praesumendum. Praesumptioni vero eiusmodi inhaerere licet in altero quoque casu, seu cum dubitatur de catechistarum aut christianorum, qui clericum baptizaverint, sufficienti instructione ad sacramenti administrationem. Nisi enim valida admodum sit dubitandi ratio quae moralem in hoc aut in illo casu peculiari certitudinem pariat, pro validitate baptismi standum erit, nec fortuito suspicioni adhaerendum, qua vel fideles, in re adeo familiari in Sinis, ac multo magis cathechistae, quorum deputationi adeo caute ab Apostolicis Vicariis proceditur, minus instructi censeantur. Secus enim, ac si negativa dubia admittantur, ambiguitatibus quovis in casu ac sine fine locus fieret.

1035

Circa commercium opii et *arrach.*

Litt. S. C. de Prop. F. *30 Sept. 1848* (AD VIC. AP. MALACEN.) — Quaestio proposita fuit A. Tuae nomine, ab Episcopo Hesebonensi quoad opii et *arrach* commercium a quodam christiano Provinciae Merguy susceptum, et in eodem oppido Karianorum statutum in quo presbyteri Seminarii missionem inchoarant. Petierat autem Episcopus Hesebonensis, ut missionariis potestas fieret excommunicandi venditores tum opii tum arrach, necnon emptores, seu qui ea merce utuntur, non secus ac publicos concubinarios, eosque qui praeceptum paschale implere negligunt. Mature tamen omnibus perpensis, Emi Patres peropportunum censuerunt, ut iis inhaereas quae traduntur in adiecta Instructione diei 23 Iunii 1830, eadem de re lata *(V. n. 815)*, omnemque curam adhibeas ad usum quidem istum extirpandum, at caute et prudenter agens, ne mala, quin imminuantur, aucta dein doleas. Quam parce enim ecclesiasticis censuris uti expediat, A. Tuam latere nequit; eae siquidem cum sint ecclesiasti-

Censuris parce utendum.

cae disciplinae nervus, nonnisi ex gravibus admodum causis, canonicis et probatis, adhibendae sunt, ac Salvatorem nostrum potius imitari congruit, qui tantae mansuetudinis et longanimitatis exemplum se praebuit; plures quippe hortamentis, monitis, obsecrationibus et charitate, magis quam austeritate et poenis, lucrifiunt.

1036

An necessaria dispensatio coniugi converso ut remaneat in matrimonio cum coniuge adhuc infideli.

S. C. S. Officii *14 Decembr. 1848* — Tunk. Occid. — 1. An (in casu matrimonii in infidelitate contracti, et conversionis unius coniugis) si non daretur talis dispensatio (disparitatis cultus), pars conversa non posset nec licite nec valide remanere cum sua comparte infideli, sine contumelia Creatoris cohabitare consentiente?

An recusatio christianae educationis prolis aequivaleat contumeliae Creatoris.

2. Quid si pars infidelis, equidem sine contumelia Creatoris cohabitare consentiret, sed recusaret sinere ut proles nata vel nascitura in religione christiana instituatur?

R. Ad 1. Quando pars infidelis consentit habitare cum fideli absque contumelia Creatoris, matrimonium consistere iuxta D. Paulum, atque ad huiusmodi effectum nullam in casu necessariam esse dispensationem.

Ad 2. Posse in casu partem fidelem transire ad alias nuptias cum alia parte catholica; recusatio enim educationis prolis in religione catholica aequivalet contumeliae Creatoris. R. P. D. autem Vicarius Ap. efficaciter insinuet parti fideli ut curet, eo meliori modo quo potest, pertrahere prolem, si quam habuit, ad catholicam religionem.

1037

Negotiandi facultas peculiaribus in casibus missionariis concessa.

S. C. de Prop. F. *20 Aug. 1849. (Ex Aud. SSmi).* — Il Vic. Ap. della Cocincina Orientale implora il permesso di negoziare nei casi particolari qui appresso notati.

1. Il Vicariato della Cocincina Orient. abbisogna di un proprio naviglio per servizio della Missione, e questo deve in ogni anno recarsi a Singapore, od altro porto europeo, sia per trasportarvi gli alunni che si diriggono al Collegio di Pinang, e le lettere per l'Europa, sia per riceverè gli annui sussidî che dall' Europa provengono, sia per comperare vino, grano, olio ed altre cose necessarie, sia per ricevere nuovi missionarî e ricondurre gli alunni che hanno terminato il loro corso ecc., cose tutte che non si possono fare senza un naviglio proprio. Ora il Vicariato spende non lieve somma pel detto naviglio, pel nocchiero, marinari e quanto altro può avervi relazione. Ma d'altra parte i sussidî annui ad esso assegnati sono ben tenui ed incapaci a sopperire a tutti i bisogni della Missione. Ciò posto, chiede il Vicario Ap. che sì ad esso, che al suo successore venga permesso in tal caso di comperare delle mercanzie più ovvie e facili ad esitarsi, per cavar qualche profitto nella rivendita, e trovare così un compenso alle succennate spese. D'altronde ciò è necessario per occultarsi alle curiose ricerche degli infedeli che vedendo il naviglio fare i traietti senza mercanteggiare, entrerebbero in sospetto, ne farebbero la denuncia ai Prefetti col più grave danno e col massimo pericolo del Vicariato intero.

2. All' occidente della Cocincina trovansi molte tribù barbare che appartengono a quel Vicariato, e alle quali ancora non venne predicato il Vangelo. Ma l'accesso ne è interdetto a tutti fuorchè a coloro che comprano il diritto di negoziare presso di esse; ed è difficile e pericoloso, e solo può essere aperto ai missionarî e loro ministri a costo di gravissime spese. A potersi quindi occultare presso gl'infedeli, come si è accennato di sopra, e presso queste barbare tribù, che altrimenti sospetterebbero male dei missionarî, con danno e pregiudizio della Missione che vorrebbe intraprendersi presso coloro, come pure a trovare così un mezzo di sussidiarsi nei loro gravi bisogni supplica il Vic. Ap. che in questo caso sia nell'accesso, sia nella permanenza presso codesti barbari venga accordato il negoziare *nomine missionis*.

R. Pro gratia, dummodo per interpositam personam, et quoad emptionem iuris negociandi apud barbaras nationes, nihil solvatur quod superstitionem redoleat.

1038

Circa cooperationem ad superstitiosa.

Instr. S. C. de Prop. Fide *30 Augusti 1849* (ad. Vic. Ap. Tunk. Occid. — Ad tria ab A. Tua proposita dubia quod attinet, nonnulla quae eorum solutioni congruere perfacile intelliges, adnotanda occurrunt. Dubia porro eiusmodi sunt:

An ad paganos idola deferentes liceat dapes afferre, earumque partem christianis relictam edere.

1. In aliquibus locis pagani, quando suum idolum, vel idoli sedem, de uno loco ad alium processionaliter deferunt, idoli laudes cantando, multaque superstitiosa faciendo, christianos cogunt eis media in via occurrere cum duabus mensis dapibus oneratis, eosdem deprecandi causa ut a superstitionibus eximantur. Deinde pagani mediam partem dapum assumunt, et dant illam aliis paganis, qui ex pagis vicinis ad festum superstitiosum occurrunt, manducandam, aliam mediam harum dapum partem christianis relinquunt, qui illam alio deferunt atque manducant.

Illicitum deferre mensas ad aedem templo idoli attinentem, nec non offerre *betel* idoli latoribus.

2. Aliquando pagani, propter eorum penuriam, idolum suum sic processionaliter circumgestare nequeunt; tunc illi aliqua in suo templo offerunt sacrificia, et christianos cogunt praedictas duas mensas afferre in aliquam do-

mum, quae templo idoli attinet, et peracto sacrificio, dapes a christianis allatas, idolo non oblatas, pagani in templo manducant una simul cum eorumdem dapibus idolo sacrificatis; christiani vero partem dapum, quam illis pagani relinquunt, alio asportant et edunt inter se.

3. Aliis in locis pagani, quando suum idolum processionaliter deferunt, christianos cogunt praesentare idoli latoribus, quando ad idoli templum sese conferunt ad idolum in humeros suos assumendum, aliquas *betel* buccellas. Haec vero supradicta praestare christianos pagani cogunt, non tanquam contributionem ad superstitiosa, sed tanquam quoddam hommagium illis honorificum, ad petendam ab eis exemptionem a superstitiosis; quo hommagio praestito, cum protestatione a christianis facta quod utpote Domini coeli cultores et adoratores, non possunt nec idolum adorare nec illius cultus expensis contribuere, christiani ad nihil aliud coguntur; quo vero hommagio non praestito, pagani illos cogunt ad omnia superstitiosa quae ipsi faciunt.

Hisce positis, quaerebas: Num haec christianorum agendi ratio in tribus praefatis dubiis tolerari possit? Praedictas mensas praedictumque *betel* solum aliqui principales ex christianis deferunt paganis offerenda, sed ad has mensas et ad hoc *betel* praeparanda multi, tum viri tum mulieres opera, et omnes aliqua pecuniae summa concurrunt; num omnes illi miserrimi christiani a sacramentorum participatione arcendi sunt, vel aliqui tantum, et quinam?

Ad solvenda itaque tria proposita dubia ea conferre videntur quae habet Synodus Sutchuensis. Nam, iuxta decreta generalia Sacrae huiusce Congr. haec inter alia praecipiuntur: *Nullo modo nullaque causa licitum esse, sive ad vitandas persecutiones, sive etiam ad servandam vitam, vel minimum superstitiosis contribuere, sive pecuniae, sive orizae, sive cuiuscumque rei a quocumque etiam praefecto publico postuletur, sive apponatur conditio ut non inscribantur eorum nomina in catalogo conferentium, sive fiat protestatio se nimirum non conferre pro superstitiosis. Nunquam licere potest disponere mensas, nec apponere, nec alio quovis modo superstitiosis cooperari.* Quae sane conveniunt iis in priori dubio expositis; non enim extra sacrificii aut superstitiosae caeremoniae locum deferre ac deponere mensas coguntur christiani, sed in via, cum idolum de una ad aedem aliam transfertur, ac dum peragitur superstitiosa functio inter laudes et cantica in idoli laudem; nec de oblatione agitur pro festo aliquo quod ad populi laetitiam pertineat, aut ad aliud quid indifferens et cultui religionis christianae non repugnans referatur et destinetur; quo in casu, secluso scandalo, et ad persecutionem vitandam, eiusmodi mos tolerari posset, ut habetur in laudata Synodo; verum de festo res est quod omnimode ad superstitiosa refertur, et iis in adiunctis delatio fit et depositio mensarum, in quibus abesse nequit scandali suspicio et occasio. Hinc, ex festi qualitate et delationis ac praesentationis mensarum circumstantiis, omnino christianis id non licere perspicuum videtur; curandum propterea esset, ut saltem seorsim et extra caeremoniarum actum, atque in locum ab omni scandali snspicione immunem, nec superstitionibus addictum, eiusmodi mensae deferri possent; quo in casu, intercedente etiam protestatione, tolerari posset consuetudo, quemadmodum Sacra Congr. rescripsit in particulari Conventu anni 1796. — Quoad alteram dubii partem, nimirum de medietate mensarum, quam sibi a paganis relictam alio transferunt, et inter se christiani manducant, praesto est responsio Supremae Inquisitionis die 15 Decembris anni 1768 lata, qua traditur: *Licitum esse comedere epulas indifferenter appositas, quamvis idolis oblatas, dummodo non in templo, neque loco idolis sacro, et dummodo omnis absit species cultus, aut venerationis idolis ac superstitionis, nullumque adsit periculum scandalizandi fideles vel infideles.* Iisdem igitur in adiunctis, multo magis licere mensas idolis minime oblatas manducare dicendum est.

Negativam item responsionem alteri dubio tribuendam arbitramur; fertur enim christianos teneri mensas deferre ad aedem quae templo idoli attinet. At vero si, docente Synodo Sutchuensi, *nunquam licere potest disponere mensas ad locum oblationis, cibos dividere, apponere..., non licet contribuere pro emptione cuiuslibet rei, etiam eduliorum illuc deferendorum;* additque etiam *pro spectaculis quae fiunt ante templa idolis vel progenitoribus dicata,* haud licere fatendum ad contiguam idoli templo eidemque spectantem domum afferre mensas; quod, praeter alia in Supr. Inquisitionis responsione adnotata, saltem scandali suspicione et occasione haud immune esset.

Easdem ob rationes, negative quoque respondendum videtur dubio tertio, quod est de *betel* oblatione: eaedem quippe circumstantiae sunt, quae ad superstitionis contributionem seu cooperationem, actum eiusmodi quodam modo conferunt. S. autem Cong. die 13 Ianuarii 1783 rescripsit: *Sciant fideles nullo modo nullaque causa licitum esse vel minimum pro superstitiosis contribuere..., sive fiat protestatio se nimirum non conferre pro superstitiosis, sed potius ad redimendum se ab iniusta vexatione.* Hinc Sutchuensis ipsa Synodus tradit: *Serio moneantur, fideles atque instruantur de gravitate peccati quod committunt ii qui contribuunt aut concurrunt ad superstitiosa. Et quoniam in pluribus locis frequentissima est occasio sic contribuendi, nec desunt qui vexationibus et exactionibus debilitati, vel timore aut humana consideratione ducti, cadunt, ideo in omni pa-*

tientia et doctrina missionarii frequenter, tum per se tum per catechistas edoceant et adhortentur fideles ut huiusmodi tentationibus fortiter et constanter, postposito omni humano timore, resistant, id persuasi quod non patietur Deus ipsos tentari supra id quod possunt. Ex eadem denique Synodo praxis eruitur servanda cum iis qui superstitionibus implicati fuerunt, vel iisdem quovis modo cooperati sunt, et ad poenitentiae tribunal accedunt. *Gravissime* (tradit) *monemus omnes missionarios, eisque mandamus ut, reiecto rigore et severitate, huic regulae omnino adhaereant eamque diligentissime servent, scilicet, quilibet peccator, quem confessarius vel attritum vel contritum prudenter iudicaverit, statim absolvatur... imposita salutari poenitentia. Praxis enim ista, prudens et benigna, est antiquissimus Ecclesiae usus, Scripturae et Patrum auctoritate comprobatus. Porro, si vigeat in tota Ecclesia catholica, ubi copia est confessariorum, ubi nullum persecutionis periculum, quanto magis in his regionibus servanda est, ubi continuo contra catholicos persecutiones vigent, et ubi messis quidem multa, operarii paucissimi. Nec ab hac regula excipiendi sunt peccatores publici et scandalosi, qui fecerunt quod in se est ut scandalum reparetur.*

1039

Ad visitationem ss. Liminum non tenentur Coadiutores.

Litt. S. C. de Prop. F. *24 Dec. 1849.* — Ad memoratum Praesulem (Coadiutorem) quod attinet, petitamque pro eo dispensationem a Sacrorum Liminum visitatione, scias volumus nonnisi Vicarios Ap. ex generali S. C. decreto, teneri ad eiusmodi visitationem, quovis decennio, per procuratorem tamen ab eadem S. C. designandum, nisi a SSmo D. dispensatio tribuatur; eosdemque Vic. App., quovis quinquennio, plenam accuratamque creditae sibi Missionis relationem.... transmittere debere; singulis autem annis, notatu digniora quae evenerint, vel scribenda occurrant, nuntiare. Coadiutores vero, neque ad visitationem peragendam, neque ad reddendam Vicariatus rationem teneri, nisi forte hoc eis munus, nimirum relationis tradendae, Vicarius Apostolicus coadiutus delegaverit suo nomine absolvendum.

1040

Circa clausulam *urgente necessitate* in concessione dispensationum matrimonialium.

S. C. de Prop. F. *3 Ian. 1850 (Ex Aud. SSmi).* — Nelle dispense dei primi e secondi gradi di parentela a contrarre matrimonio suole apporsi la clausola *urgente necessitate,* o *quatenus concurrat necessitas.* Domanda il Vescovo di Monterey per quiete di sua coscienza se nel concedere le dispense si adempia all'indicata condizione di *necessità* quando la volontà dei contraenti è così determinata, che in caso negativo andrebbero a contrarre avanti il magistrato civile con pubblico scandalo.

R. Affirmative.

1041

An possint christiani offerre animalia etsi suppetatur quaedam in rege superstitiosa intentio.

S. C. S. Officii *21 Febr. 1850.* — Siam Orient. — Iam a pluribus annis rex Siam, praeter animalia quae sunt in horto regio, alit varia animalia, elephantes, equos, boves, oves et capras, anseres, porcos, anates, gallinas, etc., vel in stabulis, vel in septis intra hortos; aluntur expensis regiis, et per servos numerosos. Quoties moritur aliquod animal, illud statim deferre debent ad *Rong viset* (culinas regias), ubi coquitur et partim comeditur a famulis, operariis et ancillis palatii, partim mittitur ad *Rong than* (domum eleemosynae) pro alendis pauperibus. Quidam etiam dicunt optimam partem offerri talapuinis. Porro, si rex exigat a ducibus christianis quaedam animalia ad alendum in septis vel stabulis suis, protestando quod non intendit *Kum,* id est superstitionem, neque laxabit illa intra fines fanorum, sed mandabit alere illa ob solum beneplacitum suum, duces christiani possuntne, tuta conscientia, illa animalia regi offerre? — Ratio dubitandi est quia, ex una parte, quamvis rex utatur quidem his animalibus ad alendos servos et ancillas, operarios et pauperes, supponitur tamen in animo regis quaedam intentio superstitiosa, v. g., sustentando vitam animalium, intendit suam propriam vitam conservare. Sed, ex alia parte quando rex non solum non manifestat intentionem superstitiosam, sed coram tota aula sua saepe saepius protestatur quod ob merum beneplacitum, et non ob ullam causam superstitionis, intendant alere animalia, videtur loquelae regiae fidem adhibendam esse, quia vox regis ubique ut sacra et veridica habetur. Alioquin omnes qui verbo regio non credent (secundum ingenium huius nationis) ut rebelles reputabuntur, et maximis poenis cum tota sua cognatione affligentur.

Quale presbiteri suffragium habeant in rebus fidei et morum.

R. Christiani catholici de quibus agitur, si vera sunt exposita, praemittant protestationem se dare animalia, de quibus agitur in quaesito, taxative in merum tributum. Sciat Vicarius Ap. eosdem christianos non esse ob id inquietandos. Monendus autem per S. C. de Prop. F. Vicarius Ap. praefatus, simplices sacerdotes, in vera Christi Ecclesia, in rebus ad fidem moresve spectantibus, non habere suffragium decisivum, sed solummodo consultivum. Atque hinc acriter moneantur etiam praedicti siamenses missionarii ut in posterum abstineant se a similibus, nimirum ne audeant ferre suffragium decisivum in rebus fidei et morum.

1042

De facultate concedendi ter in anno indulgentiam plenariam.

S. C. de Prop. F. *12 Maii 1850. (Ex Aud. SSmi)* — Cocinc. et Mandchur. — An concessio Indulgentiae ter in anno, iuxta facultatem 14 ordinariam Vicariis App. concessam (1), intelligi debeat *distributive* per annum fidelibus singulatim ad opportunitatem impertienda, an tribus diebus per annum praescriptis *collective* elargienda? Die 31 Ianuarii 1796 a S. C. de Prop. F. fuit responsum: *Negative ad primum; affirmative ad secundum.* Inde sequitur, concludit Illmus Miche Coadiutor Cocincinae, quod triginta ad plus fideles possint gaudere Indulgentiae beneficio, quia in Sinis et Regnis adiacentibus, ubi saevit persecutio, singuli missionarii singulis diebus vix excipiunt decem, ad summum duodecim, Confessiones. Inde dictus Praesul, cui potissimum se adiungit Vicarius Ap. Mandchuriae, humiliter ad S. V. pedes provolutus, petit ut pro tanto neophytorum bono, in his locis difficillimis ubi saevit persecutio, ubi magis ardua videtur ad coelum via, propter paganorum consortia et vexationes, necnon operariorum apostolicorum penuriam, quando vix semel in anno sacerdoti occurritur, tantam gratiam concedere dignetur ut haec facultas 14 ordinaria, Vicariis App. concessa, *sensu distributivo* intelligi in posterum debeat, et ipsam missionariis suis possint communicare.

R. SSmus, perpensis expositis, benigne annuit pro gratia iuxta preces.

1043

De baptismo infantium cum formula: *Si vis baptizari, ego te baptizo etc.*

S. C. S. Officii *12 Iunii 1850* (Cocincin.) — Utrum validus sit Baptismus infantibus collatus cum hac conditione: *Si vis baptizari, ego te baptizo* etc.; et quid agendum erga illos qui, apposita tali conditione, a quibusdam mulieribus baptizati sunt, an scilicet iterum vel absolute, vel conditionate sint baptizandi?

R. Validum esse Baptismum sub enunciata conditione collatum, quae tamen conditio in posterum omnino omittenda erit.

1044

An ad fidem conversus, uxore pagana impedimento detenta quin ad eum redeat, possit alias inire nuptias.

S. C. S. Off. *12 Iunii 1850* — Concinc. Occid. — 1. Quidam ad fidem nuper conversi interpellant coniugem infidelem an velit converti vel saltem habitare pacifice. Respondet illa se quidem velle, sed detineri a secundo marito, vel a creditore qui illam abire non sinunt. Quaeritur utrum in hoc casu coniux conversus possit ad alias transire nuptias.

2. Ex S. Sedis indulto nobis dispensare licet cum gentilibus plures uxores habentibus, ut, post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti; sed saepius evenit ut mulier quae habuerit plures successive maritos convertatur. Quaeritur ergo utrum locus esse possit dispensationi, quatenus illa retineat quem maluerit ex istis, modo fidelis fiat, si primus noluerit converti. Et utrum post baptismum partis infidelis requiratur consensus renovatio explicita, vel an sufficiat implicita, scilicet per copulam subsequentem cum affectu maritali.

Facultas dispensandi cum gentilibus polygamis ad fidem conversis valet etiam pro mulieribus plures maritos habentibus.

R. Ad 1. Affirmative: nempe conversum de quo agitur, si non est legitime ab Apostolica Sede dispensatus, teneri ex divino praecepto ad faciendam in praesenti casu una vice interpellationem alteri coniugi; posse autem eam facere pluries ex mera charitate. Expleta autem a converso hac divinitus iniuncta conditione, si pagana uxor ad ipsum non redierit intra iustum aliquod et rationabile temporis spatium, posse praefatum conversum, licite et valide alias inire nuptias cum muliere tamen christiana, dummodo vir non sit causa impedimenti quo mulier detineatur.

Ad 2. Locum esse dispensationi tam pro hominibus quam pro feminis. Post baptismum vero partis infidelis necessariam esse consensus renovationem explicitam, neque implicitam sufficere per copulam subsequentem cum affectu maritali.

1045

Casus viri qui duas habens uxores, ad fidem conversus, secundam converti nolentem ducere permittitur, cum prima nec converti nec cum eo habitare velit.

S. C. S. Off. *17 Iulii 1850.* — Siam — Brutus conversus ad fidem Christi duas acceperat uxores quarum prima ab ipso remissa nupsit cum alio viro; qui Brutus iam baptizatus interpellavit primam uxorem ut converteretur, aut saltem rediret cum ipso; sed illa renuit cum eo habitare, seu redire ad Brutum, tum convertere se ad fidem; secunda vero consentit habitare sine contumelia Creatoris cum Bruto, sed non vult converti. Humillime petitur utrum Bruto iam baptizato concedi possit dispensatio disparitatis cultus ut nubat cum secunda illa muliere pagana, vivente, ut semper supponitur, prima et legitima uxore quam olim in paganismo ipse acceperat. Saepius quidem adsunt rationes gravissimae. Secunda uxor, quae melius dicitur concubina, dedit viro liberos, et separatio ut plurimum difficillima.

R. Posito quod interpellata prima uxor renuat vel converti, vel cohabitare sine contumelia Creatoris, si conversus gravibus de causis

---

(1) Id est: *Largiendi ter in anno Indulgentiam plenariam contritis, confessis ac sacra Communione refectis.*

mulierem catholicam ducere nequeat, supplicandum Sanctissimo pro facultate dispensandi ad decennium ab impedimento disparitatis cultus, remittenda prudenti arbitrio et conscientiae R. P. D. Vicarii Ap. Siamensis qui, tam in casu Bruti quam in aliis similibus casibus prius easdem graves causas recognoscere debeat. — SSmus annuit.

1046

De precibus pro principe infideli.

Litt. S. C. de Prop. F. *24 Iulii 1850.* (AD ARCHIEP. ARMEN. CONSTANTINOP.) — Soltanto entro i limiti dell'impero turco, ed in modo di semplice *tolleranza* si permette la desiderata preghiera pel Sultano. Per quel che riguarda il modo, si ammette... nella seguente forma: *Preghiamo il Signore affinchè conceda la sua divina grazia al nostro inclito Imperatore per poter godere la pace temporale ed eterna.* Finalmente volendo il Sultano che venga inserito nella detta preghiera il suo proprio nome, nulla osta che si aderisca a cotal suo desiderio. Apparterrà quindi al saggio discernimento di V. S. di usare quando lo crederà più opportuno di tal permissione, tenendosi sempre nei limiti prescritti.

1047

De voto Episcopi titularis in synodo provinciali.

S. C. Concilii *25 Aug. 1850.* – AQUEN. – Episcopus mere titularis non habet votum decisivum in Synodo Provinciali nisi omnes et singuli Episcopi consentiant; neque supra ceteros gaudet praecedentia, licet ante consecrationem acceperit, nec considerari potest ut Episcopus exemptus.

1048

De usu candelarum ex oleo seu adipe ceti.

S. C. SS. Rit. *7 Sept. 1850* – OCEANIAE. Etsi Sacra Congregatio de Propaganda Fide non intermisse institerit, ut in remotissimis etiam Missionibus pro Sacrosancto Missae sacrificio adhibeantur candelae ex industria apum labore confectae, et interdum ex Apostolica venia indulserit ut missionarii uti possent oleo in Missae celebratione loco cerae, et deficiente etiam oleo celebrarent absque luminibus, attamen praeterire nequivit fervidas preces operariorum evangelicorum in dissitis, et adhuc nascentibus sacris Missionibus in Oceania, quorum nomine exponebatur sibi pene impossibile esse pro sacrosancto Missae Sacrificio vel ceram, vel oleum comparare, ut iam impetratum indultum pro oleo loco cerae adhibendo, executioni demandare valeant. Et quum operariis ipsis non parum displiceat absque luminibus sacrosanctum Sacrificium celebrare, et quum iisdem difficile minus appareat ex piscatione, quae ibi instituitur ex societatibus balenariis, consequi candelarum illarum qualitatem, quae in pluribus regionibus sunt in usu, quaeque efformantur ex oleo seu adipe ceti, praevia necessaria purificatione, et communiter *spermaceti* appellantur, harum usum in Sacra Actione sibi permitti instanter efflagitant, eo vel magis, quia ex eorumdem depositione, huiusmodi candelae ob nitorem, puritatem et lucem lingua illa *bougies à l'étoile* nominantur. Et quoniam eidem Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, antequam quidquam in re decerneret, placuit huius Sacrorum Rituum Congregationis votum, et sententiam exquirere, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, in ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunati, audita a me subscripto Secretario fideli relatione, cribratisque maturo examine singulis circumstantiis in facti expositione concurrentibus, rescribere censuerunt: — Affirmative, seu permitti posse dummodo preces veritati nitantur.

1049

Circa cooperationem *mediatam* ad superstitiosa.

Ex Litt. S. C. de Prop. F. *9 Sept. 1850* (AD SUPER. PARISIEN. SEMIN. MISSION. AD EXTER.) Quamvis primum, non solum ex litteris R. P. D. Mallensis Episcopi, verum etiam ex iis quas missionarii illius transmiserant, in Suprema Inquisitione examen institutum fuisset super dubio a praedicto Antistite proposito, quoad oblationem animalium a siamensi rege impositam, ac proinde, mature omnibus perpensis, Sacrum Tribunal in feria V, sub die 21 Februarii a. c. responsum ediderit *(V. n. 1041)*, quod missionariis ac Praesuli patefaciendum D. Tuae misimus: nihilominus, instante in primis Episcopo Columbicensi tunc Romae commorante, inter haec advenientibus aliis epistolis, vel animadversionibus, consultationibus etc., eorumdem operariorum, rem iterum Supremae Inquisitioni expendendam obtulimus, ne quid accuratae ac solerti deliberationi defuisse dici posset. Quapropter, iterum iterumque omnique maturitate expensis omnibus, in Sacro Conventu feriae IV, die 28 elapsi Augusti, EE. PP. decreverunt: *Cum noviter deducta a missionariis non immutent statum quaestionis inter eos et Vicarium Ap., satis provisum,* nimirum per praecedens responsum diei 21 Februarii. Mentem vero suam esse addiderunt EE. PP., ut novam hanc responsionem D. Tuae significaremus Operariis communicandam, ita tamen ut una simul eos doceas Apostolicam Sedem quaestionem definiisse, *probe agnitis ac mature perpensis omnibus prorsus hinc inde deductis;* doceas insuper ac paterne moneas Operarios ipsos, in eiusmodi controversia, illos haud res accepisse suo sub aspectu, nec distinxisse, uti par erat, inter immediatam ac mediatam cooperationem; haec enim permitti potest ubi gravis adsit advenientis mali detrimentique metus.

1050

An baptizandi adulti silvestrem vivendi rationem retinentes.

S. C. S. Officii *18 Sept. 1850.* – Perth. – 1. Se gli adulti selvaggi, i quali dopo essere sufficientemente istruiti nella cattolica fede domandano essere rigenerati nel sagro lavacro, ma incontrano invincibile difficoltà nell' abbandonare la loro maniera di vivere selvatica, debbono per questa sola ragione essere dal sacro fonte allontanati.

aAn baptizandus dultus *in mortis articulo* qui contritionis actum elicere nequit.

2. Se un adulto selvaggio *in articulo mortis* per la brevità del tempo, per mancanza di idee e per ignoranza della lingua, non solo non può essere istruito nelle cose necessarie *necessitate medii* ma neppur formare un atto di contrizione o d'attrizione dei personali peccati possa essere battezzato.

R. Ad 1. Si verba illa « la loro maniera di vivere selvatica » indicant tantum usus indifferentes qui nec religioni nec morali opponuntur, baptizari debere; aliter differatur baptismus donec amoveantur obstacula.

Ad 2. Si antea dederint signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eamdem dispositionem ostenderit, baptizari posse sub conditione, quatenus tamen missionarius, cunctis rerum adiunctis inspectis ita prudenter iudicaverit.

1051

Circa facultatum extensionem.

Litt. S. C. de Prop. F. *21 Sept. 1850* (ad Administr. Ap. Pekin.) — Postulabas responsum ad quaedam dubia proposita nimirum:

1. Facultates vel privilegia concessa uni horum locorum Vicariatus suntne consequenter aliis Vicariatibus concessa?

De festorum translatione.

2. Usque modo quando festa S. Iosephi Patroni Sinarum primarii, Annuntiationis B. M. V. et S. Francisci Xaverii Patroni etiam Sinarum cadunt in Dominica die Quadragesimae aut Adventus, in quibus de eis non potest fieri Officium, illa festa pro christianis non transferuntur, sed fiunt in eadem die Dominica, etiamsi Ecclesia hac die festa illa non celebret. Illa praxis estne bona et conservanda?

De applicatione plurium indulgentiarum uni coronae.

3. Quaeritur an eidem coronae duplex aut triplex Indulgentia applicari possit, v. g. indulgentiae ordinariae, aliae dictae S. Birgittae, et indulgentiae SS. Rosarii.

!De mentione Vicarior. et Administrat. Apost. in Canone.

4. Cum multum indigeamus auxilio divino ad bene administrandum loca nobis commissa, rogamus ut permittatur in perpetuum, sicut alibi iam permissum est, ut omnibus sacerdotibus tum Vicariatus Mongoliae,. tum nostrae Administrationis Pekinensis nominatim orare in Canone, hi pro suo Episcopo Administratore Ap., et illi pro suo Episcopo Vic. Apostolico. — Hisce S. C. respondit ut infra, scilicet:

Ad 1. Negative nisi exprimatur in concessione.

Ad 2. Detur instructio iuxta rubricas, nimirum: Solemnitas festi fit die quo cadit, licet transferatur Officium; nec obstat regulae huic generali quod S. Ioseph et S. Franciscus Xaverius in Sinis ut Patroni principales habeantur, nisi quoad privilegium quo iidem praeferri deberent et anteponi Officiis Dominicae II, III, et IV Adventus, aut Quadragesimae: quod et generalibus rubricis amussim conforme est, quodque ubi contingat, v. g. in festo S. Iosephi, nedum dubium haud movet, verum etiam discrepantiam aufert diei inter solemnitatem et officium.

Ad 3. Affirmative, quoties non requiratur diversitas formae coronae.

Ad 4. Exhortandos missionarios ad preces privatim pro Episcopo Administratore aut Vicario Ap. fundendas.

1052

De asservatione ss. Sacramenti in cubiculis pro infirmis.

S. C. de Prop. F. *22 Sept. 1850 (Ex Aud. SSmi)* — Tunkini Occid. — Humiliter exponit (Vic. Ap.) S. V. quod, cum hoc tempore multi sint in supradicto Vicariatu infirmi, cum ex alia parte persecutio multum sedata sit, ac parum ex mandarinorum et paganorum parte timendum, permisit ut in diversis districtibus asservaretur, in cubiculis nempe particularibus decenter ornatis, SS. Sacramentum pro infirmis, cum lampade accensa. Nisi enim ita fieret, permagna infirmorum multitudo sine Viatico moreretur. Hinc humillime postulat ut S. V. hanc praxim, in casu praefato et similibus, approbare velit pro conscientiae Oratoris tranquillitate.

R. SSmus benigne remisit preces arbitrio et prudentiae Vicarii Ap., cum facultatibus necessariis et opportunis, durantibus circumstantiis, et servatis servandis.

1053

Circa communicationem in divinis cum acatholicis.

S. C. S. Officii *20 Nov. 1850* — 1. Se sia lecito porgere torce o lumi accesi a qualsivoglia persona eterodossa, che ami assistere alle nostre funzioni.

2. Se si possa permettere che i fanciulli di genitori scismatici esercitino l'officio di ministri nella celebrazione dei divini misteri.

R. Ad 1. Negative et ad mentem. La mente è che se, attese le particolari circostanze, non possono escludersi da tal cerimonia le sole persone eterodosse, se n'escludano eziandio i laici cattolici.

Ad 2. Non posse permitti.

1054

De Baptismo quoad subiectum.

S. C. S. Officii *11 Decembris 1850* — Vic. Ap. Candwic. — 1. Nous avons baptisé quelques sourd-muets, aux quels nous voyons

faire quelques signes de religion, sans être bien certains, qu'ils sachent les principaux mystères de la foi.

2. Nous avons également baptisé des veillards en danger de mort, et souvent sans connaissance, lorsque nous avons cru, que ce n'était pas sans raison que la divine providence nous conduisait auprès d'eux; et que d'ailleurs nous avions la certitude qu'ils avaient renoncé à l'idolatrie, et qu'ils n'étaient point ennemis de la vérité, quoique par ignorance ils ne l'eussent point embrassée d'une manière bien explicite.

3. Nous baptisons des hommes qui ont des femmes calvinistes, et viceversa, lorsque nous croyons qu'il n'y a point de danger de perversion.

4. Nous baptisons les enfants des personnes non baptisées lorsqu'elles mêmes desirent d'être baptisées plus tard: ce qui arrive presque toujours.

5. Nous ne sommes pas si faciles à l'égard des enfants bien portants, qui appartiennent à des parents membres de l'église calviniste. Nous ne les baptisons pas. Nous l'avions fait quelque fois, et nous nous en sommes repentis.

6. Nos chrétiens en baptisent souvent en danger de mort, soit publiquement, soit en cachette, et nous connaissons un grand nombre des calvinistes, dont les enfants ont eu le bonheur d'être marqués ainsi du sceau des élus, et de mourir avec la robe de l'innocence. Puissent ils obtenir pour leurs parents les faveurs de la miséricorde divine.

Circa Baptismi caeremonias.

7. Lisant dans la rubrique qui précède la manière de suppléer les cérémonies du Baptême: « Si vero ob multitudinem baptizatorum, « ut in India et novo orbe, quandoque con« tigit, in singulorum baptismo praescripti « ritus adhiberi non possunt, tunc vel pluribus « simul adhibeantur, vel, si urget necessitas, « omittantur »; nous avons cru pouvoir adopter la conduite qui suit: . . . . 1. Pour le cierge qui n'est pas toujours de cire et qui n'est pas non plus toujours allumé, nous disons au pluriel: *Accipite lampadem* etc.

8. Avant de commencer la cérémonie du Baptême nous faisons mettre les catéchumènes à la porte de l'eglise sur deux rangs, les homme à droit, les femmes à gauche. Dans certaines localités soit à cause des hérétiques, soit à cause de la pluie, ou de toute autre raison, nous faisons dans l'eglise même les cérémonies que d'après les rubriques nous devrions faire dehors.

9. Quand nous n'avons que quelques personnes à baptiser nous suivons le Rituel aussi exactement que nous est possible.

Circa aquam baptismalem.

10. Comme nous n'avons point des Fonts, et qu'il ne nous est pas possible de conserver partout de l'eau baptismale, nous en avons fait toutes les fois que nous en avons eu besoin, et nous la faisons encore. L'année 1842 et 1843 nos missionnaires de la grande île, croyant de manquer de saints huiles, se sont contentés quelque fois de baptiser avec de l'eau bénite.

Circa baptismum sub conditione.

11. Nous baptisons sous condition exprimée ou purement intentionelle tous ceux qui se disent avoir été baptisés par les calvinistes.

Circa aetatem confirmandorum.

12. Nous confirmons les enfants sans attendre qu'ils aient atteint l'age de la raison.

Circa caeremonias Confirmationis.

13. Jusqu'à présent nous n'avons point donné des parrains, ou si quelque fois nous en avons donné, nous n'avons point observé la rubrique: *Adulti vero seu alii maiores ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui.*

14. Nous ne faisons point usage de bandelette. Il serait très difficile, pour ne pas dire impossible de s'en procurer. Nous contentons d'essuyer le front avec un linge ou avec du coton.

Circa dispositiones confirmandorum.

15. Nous avons soin que les adultes se confessent avant de recevoir cet auguste Sacrement.

Circa formulam absolutionis sacramentalis.

16. Nous (ob poenitentium multitudinem) omettons quelque fois *Misereatur* etc. *Dñus noster* etc. *Passio Dñi* etc.

Circa administrationem Extremae Unctionis.

17. Nous donnons l'Extrême Onction à tous les malades que nous croyons en danger, et nous suivons le Rituel.

18. Nous ne craignons point de donner ce Sacrement en présence des hérétiques. C'est une occasion pour nous de leur montrer le chapitre V. de Saint Jacques v. 14.

19. Nous n'avons quelque fois, en donnant ce Sacrement, ni surplis, ni étole.

Circa matrimonii celebrationem.

20. D'après la loi du pays nous pouvons marier et nous marions en effet des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques, des catholiques avec des infidèles, des hérétiques avec des hérétiques, des hérétiques avec des infidèles, des infidèles avec des infidèles.

21. Pour les catholiques avec des catholiques nous suivons exactement le Rituel, et nous avons toujours soin de les confesser auparavant.

22. Pour les catholiques avec des hérétiques ou des infidèles nous confessons auparavant, pour plus grande sureté, la partie catholique et nous nous contentons de demander ensuite le consentement des deux parties.

23. Pour les autres nous ne demandons que le consentement.

24. Nul doute que nous puissions, en vertu de nos pouvoirs, marier des catholiques avec des catholiques, des catholiques avec des hérétiques ou des infidèles: mais pouvons nous, en sureté de conscience, comme simples officiers civils recevoir le consentement d'un hérétique avec un hérétique, d'un hérétique avec un infidèle,

d'un infidèle avec un infidèle qui ne prétendent se marier que d'après les sens et les termes de la loi civile qui admet le divorce?

25. Lorsque les deux parties que nous avons mariées ne sont pas toutes deux catholiques, pouvons nous rémarier celle qui obtient un billet de divorce?

26. Si (ce qu'a Dieu ne plaise) deux catholiques allaient se faire marier par les ministres calvinistes avec l'intention de ne se marier que d'après les sens et les termes de la loi civile, qui admet le divorce, pourrions nous remarier la partie qui obtiendrait du gouvernement la permission de se marier à un autre?

27. Notre conduite, dans ce cas, est de marier indistinctement, et même de remarier tous ceux, qui obtiennent du gouvernement la permission de se marier. Nous ne sommes inexorables qu'envers les catholiques, que nous aurions validement marié, et qui voudraient en vertu de la lois du divorce, se marier de nouveau.

De communibus fidelium precibus tempore Missae.

28. Aux Messes qui ne sont pas chantées nos chrétiens recitent tous ensemble les prières que nous avons traduites, et qu'on sait par coeur dans toutes les peuplades.

R. Ad 1. Surdos mutos qui dant aliqua religionis signa posse licite baptizari. Curent autem missionarii eo meliori modo quo possunt, ut eos postea mysteria saltem principalia edoceant sanctae nostrae Fidei atque excitent ad Deum adamandum.

Ad 2. Senes de quibus agitur posse licite baptizari, constito prius quod sint constituti in proximo et moraliter certo articulo mortis, et quod antecedenter abrenuntiaverint idololatriae.

Ad 3. Omnes de quibus hic agitur licite baptizari, dummodo revera constet, ut dicitur, de nullo perversionis periculo.

Ad 4. Infantes, de quibus agitur, posse licite baptizari, dummodo missionarius fundatum motivum habeat credendi fore ut eorum parentes baptismum vel ipsimet petant. Sin minus, habeat prae oculis missionarius non exponere sacramentum periculo profanationis. Et communicentur decreta quae sequuntur: *Decreta super dubiis sequentibus:* « An licitum « sit conferre baptismum pueris a parentibus « infidelibus oblatis, cum periculum sit filios in « infidelitate educandos fore ». R. *(anno 1703):* « Non licere si sint filii infidelium » *etc. (V. nn. 249, 902).*

Ad 5. Bene se gerere.

Ad 6. Infantes de quibus agitur posse licite baptizari, dummodo revera constet de proximo et moraliter certo eorum mortis periculo.

Ad 7. Stent Rituali Romano. Quoad pluralitatem, affirmative ; quoad cereos, sint accensi, et curent, si fieri potest, ut sint ex cera.

Ad 8. Gravibus de causis posse fieri caeremonias, de quibus agitur, intra ecclesiam, sed Vicarius Ap. diligenter advertat ne inter causas graves facile adnumeret contemptum haereticorum.

Ad 9. Commendari praxim de qua agitur ; hinc regula generalis esto: semper inhaerendum caeremoniis in Rituali contentis; quod si impediente causa gravi non possunt omnes, adhibeantur saltem illae quae possunt in casu adhiberi.

Ad 10. Si adsit gravis necessitas, et si nequeat conservari aqua baptismalis, et si olei sancti defectus habeatur, posse conferri Baptisma licite etiam cum sola aqua benedicta. Caveant tamen missionarii ne id peragant nisi existente vera et gravi causa dignoscenda, ut par omnino est, ab Ordinario loci.

Ad 11. Missionarii, qui ita se gerunt, non esse inquietandos, sed exprimant formam conditionatam.

Ad 12. Neminem confirmandum nisi saltem septimum attigerit suae aetatis annum ; neque ab hac latinae Ecclesiae praxi recedendum nisi ob causas omnino graves, ex. gr. si infantes periculose decumbant, aut, ob distantiam locorum, amissa praesente occasione, aliam vix essent habituri.

Ad 13. Dandos in Confirmatione patrinos et observandas Romani Pontificalis rubricas quae neque variandae neque omittendae sunt, nisi ob causam gravem ; et *ad mentem:* Mens est ut loco pedis ponant patrini manum dexteram super dexterum humerum confirmandi.

Ad 14. Si, ut dicitur, vittae comparari difficillime possunt, tolerandam praxim de qua hic agitur.

Ad 15. Hanc praxim esse apprime conformem praxi imperatae § 4 Romani Pontificalis *De Confirmatione,* ideoque laudandam.

Ad 16. Bene se gerere, et *ad mentem:* Mens est ut si, urgente casu, missionarius breviorem formulam adhibere velit, dicat: *Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis, in nomine etc.*

Ad 17. Bene se gerere.

Ad 18. Tolerandam hanc praxim, dummodo contemptui haereticorum ritus nostri non exponantur.

Ad 19. Curent habere, et induant utramque in collatione huius sacramenti.

Ad 20. Providebitur in sequentibus.

Ad 21. Bene et rite se gerere.

Ad 22. Rationem sive modum ibi descriptum coniungendi contrahentes, de quibus agitur, minime vetari, dummodo detur consensus extra ecclesiam, sine ulla omnino benedictione, quemadmodum recte de more iubet Benedictus PP. XIV. *De synod. dioeces.* lib. 5, c. 5, § 5, et serventur conditiones de quibus infra.

Ad 23. Providebitur in sequentibus.

Ad 24. Quoad quaesiti partem primam,

viderit S. C. de Prop. utrum Orator cum suis missionariis fruatur revera facultate dispensandi super mixtae religionis impedimentis et disparitatis cultus. In mentem tamen eiusdem Vicarii Apostolici hic opportune revocetur, matrimonia huius generis semper esse detestanda, nunquam a sacerdote catholico benedicenda, et contrahenda extra fores ecclesiae, praemissis prius tribus solitis conditionibus, quae sunt nimirum educatio totius prolis in catholica veritate, liberum exercitium religionis catholicae, et studium catholicae partis pertrahendi scilicet alteram ad verae fidei professionem.

Quoad secundam quaesiti partem, missionariis, de quibus agitur, sub quocumque respectu consideratis, vetitum esse recipere consensum tam haereticorum cum haereticis, quam infidelium cum infidelibus inter se contrahentium. Quod si Vicarius Apostolicus praevideat superventura damna gravissima catholicae religioni ex recusata hac missionariorum assistentia, sciat ipse missionarios, in tali hypothesi, non esse pro interim ob id inquietandos. Sed ipse quam citissime deferat omnia ad hanc S. Sedem, enunciando eidem diligenter et accurate quae et quanta forent damna quae in casu immimerent; referendo insuper exactissime omnes locorum, temporum, personarumve circumstantias; referendo tandem utrum nostri catholici, sive alii quicumque scandalum patiantur ob memoratam sacerdotum catholicorum adsistentiam, ut S. Sedes matura deliberatione definire valeat utrum illius regionis missionariis possit licite permitti ut intersint praefatis connubiis tamquam officiales, ut aiunt, civiles, sive tamquam testes qualificati et auctorizabiles, sola nimirum exhibita praesentia materiali et passiva, sine ullo approbationis signo, et sine ulla benedictione.

Ad 25 et 26. Non licere, nisi constet primum matrimonium fuisse nullum sive ob legem divortii in pactum deductam, sive ob aliquod aliud dirimens canonicum impedimentum.

Ad 27. Praxim de qua agitur omnino esse vetandam, praesertim si agatur de mixtis matrimoniis fidelium cum haereticis et infidelibus. Quoad assistentiam vero quam missionarii nostri praestant haereticis inter se contrahentibus, et infidelibus, missionarios praedictos non posse licite iisdem assistere, prout responsum fuit supra ad partem secundam quaesiti quinti.

Ad 28. Praxim, de qua agitur, laudandam verbis amplissimis.

1055

Nefas christianis idolorum templa erigere aut eorum erectioni cooperari.

S. C. S. Off. *8 Ian. 1851* – Tunk. Occid. – Sunt christianitates, quae iam a mandarinis coactae sunt fanum publicum idolis erigere, et in posterum certe aliae ad hoc cogentur. Porro, stante crudelissimo tyranno qui hoc miserrimum Regnum gubernat, difficillime erit haec fana publica destruere ob mandarinorum et paganorum rabiem, qui civili potestate freti eadem destrui non patientur, vel destructa reaedificari urgebunt; sed facilius erit christianis intra pagum suum sese a superstitionibus faciendis abstinere. Quaeritur:

1. An, attentis supramemoratis, christianitates quae fana hujusmodi erexerunt, censeri vere possint a superstitionibus immunes, modo nullos superstitionis actus in istis fanis pergant;

2. Vel, ut illae christianitates a superstitionibus vere liberae sint, estne absolute necessarium ut illa fana destruant, quaecumque sint vexationes et mala quae exinde illis accidere poterunt? Et in quantum affirmative:

3. Tota christianitas debetne censeri superstitionibus implicata, quamdiu fanum ab eadem erectum adhuc stabit, vel tantum istius christianitatis primores?

R. Ad 1. Non licere christianis templa idolis fabricare aut eorum fabricae cooperari, et detur decretum pro Iaponia, die 7 Decembris 1626, videlicet: *Non possunt iaponii fideles, ut periculum mortis vel exilii evitent, altaria vel idolis fabricare aut eorum fabricae cooperari.*

Ad 2. Negative, et detur decretum *Sutchuen.* feriae V, 20 Augusti 1778, nempe: *Christiani qui emunt territoria, supra quae idola sunt aut parva idolorum oratoria, possuntne monere gentiles, quorum prius erat territorium, e territorio tollere, ipsisque recusantibus, teneturne confringere illa et destruere? — Cum territoria venduntur, videtur quod cum fundi dominio in emptorem transferatur etiam ius ac proprietas idolorum aut oratoriorum idolis dedicatorum, quae in fundo sita sunt. Si res ita se habet, tenetur christianus idola tollere ac oratoria destruere, vel in aliam formam ac usum ita redigere, ut nulla amplius species appareat oratorii idolis consecrati, et omnis superstitiosi cultus removeatur occasio. Monere autem gentiles ut ipsi idola tollant ac oratoria destruant, nec turbarum excitandarum periculo vacat, nec iustum est ut, quae idola per se potest christianus evertere, permittat paganis alio transferre ac profano cultu adorare. Si vero idola ac oratoria huiusmodi, quamvis in privatorum territoriis constituta, publici iuris ac sub principis potestate sunt, tunc non licet christianis ea tollere ac destruere; et potius abstineant ab iis territoriis emendis in quibus profana haec simulacra ac oratoria reperiuntur.*

Ad 3. Provisum in secundo.

1056

Societatem cum mercatoribus inire illicitum missionariis.

S. C. S. Off. *29 Ian. 1851.* — Kui-Ceu — Implorat (Vic. Ap.) facultatem procurandi ut pecunia, a Seminario Parisiensi pro viatico et necessitatibus missionariorum missa, in portubus convertatur in merces, quae intra regionem vendantur, ut sic sine detrimento recipiatur integra pecunia missa. Sic res procedit. Vicarius Ap. pecuniam ad se missam deponit apud quemdam mercatorem in provincia sua commorantem, et partem illius pecuniae de tempore in tempus sumit et expendit prout necessitates postulant; et sic in fine anni, plus minusve pecuniae superest in manibus mercatoris, qui ea utitur pecunia ut suum exerceat commercium, et lucrum ex ea percipit, miraturque quod Vicarius Ap. nullam lucri advenientis partem recipiat. Petit Vic. Ap. ut sibi liceat cum illo mercatore societatem inire, ut lucri vel damni sit particeps, pro rata pecuniae apud praefatum mercatorem a Vic. Ap. depositae.

R. Quoad ineundam societatem, negative: et Vic. Ap. Kui-ceu consulat Benedictum XIV in sua Constitutione *Apostolicae servitutis* et *de Synod. Dioeces.* lib. 10, c. 3, et detur decretum diei 13 Augusti 1834 nempe: *Posse missionarios etc. subsidiorum sibi debitorum securitati, et missionis ipsius bono consulere, accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas, easdemque ad se delatas vendere, et suum facere pretium ex venditione earumdem retrahendum.*

1057

De administranda Confirmatione sine baculo et mitra.

S. C. S. Off. *12 Febr. 1851.* — Coreae — 1. Tuguria coreanorum sunt parva valde, et tam parum alta ut homo in iis vix stare possit: usque modo saepissime non potui administrare sacramenta cum baculo et mitra. Hoc licitum sit mihi in posterum absque scrupulo.

An baptizandi superstitiosam tabellam domi retinentes.

2. Aliquando patresfamilias pagani veniunt ad nos baptismum petentes et adhuc mortuorum tabellam domi retinentes. Equidem illi non curant de tabella, sed filii. Iuxta morem Regni quando quis habet filium satis grandaevum, pater illi tradit omnia vasa et administrationem familiae, et non amplius de eis curam gerit. Illi patresfamilias possuntne admitti ad baptismum, absque eo quod auferant tabellam de domo? Et, si auferre vellent, non possunt, quia filius domi magister illos impediret.

Circa adhibendas in baptismo adultorum caeremonias pro pueris.

3. Licitum sit mihi in posterum absque scrupulo dare baptismum adultis, utendo, propter defectum temporis et nimiam defatigationem, caeremoniis pro pueris assignatis, sive sint pauci sive multi.

Circa promovendum uxoratum cum voto castitatis.

4. Inter alumnos qui modo edocentur, unus est triginta sex annos natus, matrimonio coniunctus, sed a multis annis una cum uxore in continentia vivens, uterque cum voto simplici castitatis; liberos non habet. Cum lacrymis a me petiit ut se daret Missioni: illum incunctanter admisi. Rogo ut, postquam sufficienter edoctus fuerit, licitum sit, vivente uxore, et, cum nullum sit in Corea monasterium, in saeculo remanente cum simplici voto castitatis, virum ad presbyteratum promovere. Homo ille est probatus in fide, et, si fieret sacerdos, maximae utilitatis esset.

De novis nuptiis ob nullam de amissis uxoribus notitiam.

5. Inter fideles sunt qui, tempore famis vel persecutionis separati ab uxoribus, illas amiserunt, et post plurium annorum perquisitionem minime invenerunt, nec ullam quidem notitiam utrum eae vivant an mortuae sint habere quiverunt: possuntne alias uxores accipere?

De permutatione pecuniae in merces.

6. Impossibile est habere in Corea viaticum nostrum totum in solidum: liceat illud mutare in merces, sive lucrum sit, sive iactura.

R. Ad 1. Adstante causa, posse privatim confirmare absque mitra et baculo pastorali, adhibita stola.

Ad 2. Si petunt baptismum priusquam tradiderint filiis vasa omnia et administrationem familiae, non posse baptizari nisi destruxerint tabellas quarum habent dominium; si vero petunt baptismum postquam tradiderint filiis vasa omnia et administrationem familiae, posse baptizari, quia iam tradiderunt tabellas aliis de familia ad quos pertinent in solidum.

Ad 3. Stet Rituali Romano.

Ad 4. Non expedire.

Ad 5. Non posse ad alias nuptias transire, et detur Instructio anni 1792 de Prop. Fide, nempe: *Te non latere arbitror (V. n. 606).*

Ad 6. Detur Decretum 13 Augusti 1834 S. C. de Prop. Fide. *(V. n. 836).*

1058

Circa sacrorum liminum visitationem et relationem de statu missionum.

Instr. S. C. de Prop. F. *21 Martii 1851* (ad Vic. Ap. Tunk. Occid.) — Ad sacrorum Liminum visitationem et ad relationem de statu Missionis quod attinet, scias praestat, ad visitationem praedictam Coadiutores Episcopos non teneri; Vicarios autem Apostolicos ex decreto generali ab Ap. Sede confirmato teneri tantum expleto quolibet decennio, verum per procuratorem a S. C. deligendum perficiendam. Relationem vero plenam de Vicariatus conditione iuxta quaestiones 69 transmittendam esse ex eodem decreto a Vicariis ipsis singulis quinquenniis. Quolibet autem anno, aut quoties etiam infra annum opus fuerit, Sacrae Congregationi patefacienda esse quae memoratu digna evenerint, aut quae necessaria aut opportuna existimaverint enuncianda. Deinde pro-

Circa absolutionem pro defunctis post Missam de die, et absque Missa.

ponebas dubia solvenda, nimirum: « 1. Quando « dicitur Missa pro aliquibus defunctis, vel pro « aliquo defuncto, non praesente corpore, et non « potest cantari Missa de *Requiem* cum orna- « mentis nigris, propter diem Dominicam vel « aliquod festum hoc non permittens, potestne « recitari vel cantari Missa de die, cum orna- « mentis illi diei congruentibus, et, durante « Missa, poni tumulum seu lectica mortuorum « in medio ecclesiae, cum ornamentis nigris « superpositis, et candelis ad utrumque latus « accensis; finitaque Missa de die, sacerdos « potestne facere absolutionem cum pluviali « nigro, non secus ac si Missa de *Requiem* « cantata fuisset? » — Huic dubio negativum responsum in omnibus dedit S. C., ac servandas rubricas monuit; nulla enim est connexio inter Missam diei festi currentis cum ea quae canenda esset in suffragium defunctorum, ac nullo modo convenit solemnitati eiusdem diei festi appositio tumuli pro defuncto, eo etiam sub respectu quod absolutio eiusmodi unum veluti efficit cum Missa de *Requiem*. Quapropter a Sacra Rituum quoque Cong., quoties eiusmodi quaestio proposita fuit, reprobata est commixtio ista seu confusio festivi ac luctuosi ritus *(V. n. 275)*. — 2. « Num « praefata absolutio fieri potest extra Missam, « quacumque hora, et pluries eodem die sive « pro defuncto eodem, sive quacumque vice « pro diversis defunctis cum omnibus ceremo- « niis quibus facienda est quando fit post « Missam de *Requiem?* » — In hoc pariter dubio S. C. negative rescripsit, et servetur Rituale Rom. tit. *De Exequiis* etc. Ratio autem est quod absolutio facienda est propter Missam *de Requiem*, aut absque Missa, cum cadaver ad ecclesiam defertur, et eo praesente; id porro semel fieri debet. Si vero petitionibus quibuscumque obsecundari vellet, absolutionum infinitus esset numerus, ac dein abusus et dissidia facile oriri posse patet cum a praescriptis legibus declinatur. Hinc statutis in Rituali Rom. inhaerendum congruit.

1059

Circa literas testimoniales pro admittendis ad Ordines Regulares.

S.C. super statu Regular. *1 Maii 1851 — Declarationes a Pio PP. IX approbatae ad decretum* Romani Pontifices *25 Ianuarii 1848 (V. n. 1024).* — 1. An sufficiant testimoniales datae ab Ordinariis per literas privatas?

2. Utrum sufficiant testimoniales, in quibus Ordinarii non testantur in specie de iis omnibus, quae in decreto « *Romani Pontifices* » praescribuntur, sed dumtaxat in genere referunt de qualitatibus postulantis.

3. Quid agendum si Ordinarii respondeant se postulantes non agnoscere?

4. Utrum Superiores admittere possint ad habitum sui Ordinis postulantem absque literis testimonialibus Ordinarii quando hic affirmat non posse eas dare quia prohibitus ab auctoritate civili.

5. Utrum Superiores possint ad habitum ipsum admittere milites, de quibus Ordinarii affirmant se non posse in Gallia informare cum nullos delegatos in exercitu habeant, nec parochi ullam de his notitiam habere possint.

6. Quid agendum sit quando Ordinarii nolunt dare literas testimoniales non aliam ob causam, nisi quia opponuntur ingressui postulantis in religionem?

7. In his Ordinibus, in quibus praeter conversos laicos habentur *donati* seu *oblati*, testimoniales exigendae sunt ante susceptionem habitus donatorum et oblatorum vel potius conversorum?

8. An sit nulla susceptio habitus sine literis testimonialibus.

9. Utrum sit invalida professio, si fiat omissis testimonialibus literis.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, sed a Superioribus Regularibus serventur alia de iure servanda ad singulas qualitates postulantium cognoscendas.

Ad 3. Posse postulantes admitti ad habitum, et novitiatum si Ordinarius a Superiore requisitus expresse respondeat sese circa qualitates postulantis informare non posse, quia illum non agnoscit, dummodo tamen testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et postulantes antequam ad habitum admittantur maneant saltem per tres menses in conventu, ibique diligenter probentur.

Ad 4. Sufficere testimonium Ordinarii datum etiam per privatas et secretas epistolas; sed si Ordinarius a superiore requisitus testimoniales ob expositam superius causam quovis modo dare renuat, posse postulantem admitti, supplendo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem.

Ad 5. Affirmative si Ordinarius a Superiore requisitus respondeat se informare ob dictam rationem non posse, dummodo testimonialium defectui per aliam accuratam informationem, et fide dignam relationem suppleatur, et serventur alia de iure servanda; et insuper postulantes, antequam admittantur ad habitum, saltem per tres menses maneant in conventu, ibique diligenter probentur.

Ad 6. Ordinarios, prout in Art. 2. decreti « *Romani Pontifices* » praescribitur, non posse testimoniales literas denegare; si tamen eas dare recusent recurrendum erit ad S. Congregationem *Super statu Regularium.*

Ad 7. Ante susceptionem habitus donatorum, et oblatorum.

Ad 8. Susceptionem habitus esse illicitam, non tamen invalidam: testimoniales literas

omissas in receptione ad habitum quamprimum obtinendas esse, alias novitii ad professionem admitti minime poterunt.

Ad 9. Non esse invalidam, sed illicitam.

1060

De adhibenda aliquando in baptismo aqua non consecrata.

S. C. S. Off. *14 Maii 1851* — Melanesiae ac Micronesiae — Utrum suspicio vaga erga indigenas, qui multis ordinarie inficiuntur superstitionibus, (eos) mortem infantium in extremo agone baptizatorum ipsi baptismo tributuros esse, si specialem videant aquam adhiberi, sufficiat, donec indoles indigenarum melius agnoscatur, ad adhibendam aquam non consecratam.

R. Posse ut in casu.

1061

Circa baptizandos perfecte nudos.

S. C. S. Officii *4 Iunii 1851* — Perth — Supposto che lo stato di nudità perfetta non sia di scandalo, nè di occasione di peccare tra questi selvaggi, come comunemente si crede, attesa la gran contrarietà che sperimentano, sopratutto le femmine, ad indossare ogni sorta di veste, (si domanda) se debbano per questa sola ragione non essere ammesse nella chiesa cattolica.

R. Non baptizentur nisi prius velare saltem pudenda consuescant, excepto articulo mortis.

1062

De matrimoniis fidelium cum paganis sine dispensatione.

S. C. S. Off. *4 Iunii 1851* — Mandciuriae — In his difficillimis dissitisque regionibus saepius occurrunt christiani, qui sive persecutionis vitandae causa, sive propter pecuniae necessitatem, sive etiam propter aliam causam, satis incauti, ut sunt plerumque sinenses, e locis christianorum ubi habitant ipsi, sive nati sunt, ad loca longinqua proficiscuntur, ad 40 vel 50 et amplius dies itineris, simul cum uxore et filiis; in quibus locis non sunt christiani, nec inveniri possunt, nec ullus fuit unquam rumor de religione christiana per circuitum. Grandiores facti filii et filiae nubunt cum paganis sine dispensatione possibili. Pro moribus gentis, filiae praesertim, et saepissime etiam filii, sunt in impossibilitate absoluta transmigrandi ad loca christianorum, sicque debent omnino vel nubere cum paganis, vel manere innuptae aut caelibes. Quid iuris in hoc casu? Tenenturne impedimento disparitatis cultus? Quid iuris ubi fides eorum est in tuto, ut fit aliquando, et ubi sunt in bona fide, ut plurimum evenit?

R. In propositis circumstantiis non esse inquietandos, facto verbo cum SSmo. — SSmus approbavit.

1063

De Missa votiva Passionis D. N. I. C. in maiori hebdomada.

S. C. de Prop. Fide *20 Iulii 1851 (Ex Aud. SSmi).* — SSmus ad preces Vicarii Ap. Cochinchinae Occidentalis, benigne eidem concessit ut sacerdotibus Annamitis, iam facultatem habentibus celebrandi quotidie Missam votivam vel de SS. Trinitate, vel de B. M. V. possit facultatem addere celebrandi Missam votivam de Passione D. N. I. C. in Dominica Palmarum et feria 3 et 4 Maioris Hebdomadae.

1064

Indultum favore pauperum quoad Indulgentias societatis *Propagationis Fidei*, et adhortatio ad eam fovendam.

S. C. Indulg. *5 Aug. 1851.* — Urbis et Orbis — Cum scopus praeclarae Societatis Fidei Propagationis ille sit, ut christifideles utriusque sexus huic coetui adscripti et piis precibus et eleemosynis in id conveniant, ut et Patrem misericordiarum pro dilatatione fidei catholicae exorent, et mediis et sumptibus concurrant iis sustinendis oneribus, quae pro eiusdem fidei dilatatione necessaria omnino sunt, hinc ipsi christifideles, qui eidem adscribuntur, hoc sibi praecipue assumunt, recitandi nempe quotidie orationem Dominicam et salutationem angelicam cum versiculo « *S. Francisce Xaveri, ora pro nobis* », et rite praescriptum obolum hebdomadalem erogandi. Quamvis autem huiusmodi eleemosynae elargitio admodum tenuis facile a christifidelibus queat sustineri; nonnulli tamen hominum in hac lacrymarum valle ea rerum conditione saepe vexantur, qua exiguam quidem eleemosynam hebdomadalem prae sua inopia conferre prohibentur. Quare SSmus D. N. Pius PP. IX dum gratias et indulgentias hucusque pio operi *Propagationis Fidei* a suis Praedecessoribus concessas, servato tamen quoad durationis tempus earumdem concessionum tenore, confirmat, memoria recolens se in terris vices gerere divini Reparatoris humani generis, qui hoc in mundo et exemplo paupertatis cultorem se exhibuit, et verbis paupertatem cum virtute coniunctam in honore voluit haberi, huiusmodi vere pauperibus christifidelibus Ecclesiae thesauros aperuit, ac propteres clementer indulsit, ut, si qui christifideles ita pauperes sint, ut hebdomadalem obolum omnino nequeant elargiri (quod uniuscuiusque conscientiae remittendum esse mandavit), et rite adscribi possint inter sodales, vel iam adscripti, sed qui in posterum id praestare non possent, tamquam sodales omnino habeantur, ita ut omnibus indulgentiis et gratiis *Fidei Propagationis* sodalibus concessis fruantur, dummodo tamen quidpiam pecuniae, etiam in minima quantitate, iuxta uniuscuiusque vires et conscientiam, saltem quolibet mense, societatis Propagationis Fidei collectoribus, usquedum in hoc verae paupertatis statu maneant, elargian-

tur, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Ceterum dum Sanctitas Sua hoc speciali decreto consuluit, ne huiusmodi vere pauperes christifideles gratiis ac sacrarum indulgentiarum thesauro priventur, expresse etiam mandavit ut omnes terrarum orbis christifideles magis magisque in Domino excitentur, praecipue autem ii quos bonorum omnium largitor Deus fortunis ac reditibus locupletavit, singuli autem pro eorum viribus, ut piae huic *(Propagationis Fidei)* societati nomen dare quamprimum solliciti, precibus ac eleemosynis ad finem praeclarum catholicae fidei propagationis concurrant, ac indulgentiis et gratiis a pia matre Ecclesia copiose concessis perfruantur. Quapropter animarum pastores, et praecipue locorum Ordinarii, fidei ac religionis dilatandae zelo succensi, verbis et scriptis subditos sibi fideles ad praeclarum opus sustentandum inflamment, et simul omnes, preces supplicationesque apud Deum Patrem omnipotentem offerre quotidie non cessent, ut, cum messis illa multa sit, mittere dignetur operarios in vineam suam, et opportunis subveniat auxiliis ad onera ingentia ubique terrarum perferenda pro maiori catholicae Ecclesiae dilatatione, ut, omnibus tandem hominibus in unitatem fidei occurrentibus, fiat unum ovile et unus pastor.

1065

Quoad Vicarios App. e Societate Iesu.

Decr. S. C. de Prop. F. *12 Aug. 1851.* – Cum difficultates haud raro exoriantur circa Litteras Apostolicas quibus presbyter aliquis Societatis Iesu ad Vicariatum Ap. regendum constituitur, Sacra Congr. de Prop Fide censuit supplicandum SSmo Domino ut quae iam pro Vicariatu Madurensi a sa. me. Gregorio XVI Apostolicis Literis in forma Brevis die 19 Maii 1846 datis, atque alias deinde constituta sunt, generali decreto comprehenderentur. Statuta vero huiusmodi eo spectant ut quoties Apostolicae Litterae traduntur, quibus memoratae Societatis Vicarius Ap., seu Vicarii Ap. Coadiutor, Administrator, aut Delegatus Ap. ad Vicariatum regendum assumatur, quae sequuntur sancita intelligantur:

1. Dispensatio ac solutio locum habeat a regula Constitutionum Societatis, sive obligatione de non admittenda accipiendaque ulla extra Societatem praelatione seu dignitate. *(V. Decr. 23 Febr. 1880).*

2. Quatenus electus in Societate professus existat, solutum eo ipso intelligatur votum per sacerdotes professos emitti solitum de non recusando consilio Praepositi Gen. Societatis vel eius delegati, in commissi sibi muneris exercitio, si quando ad alicuius Ecclesiae regimen eligantur.

3. Si in Vicariatu Ap., cuius cura committitur, existant alii presbyteri ipsius Societatis, electus habeatur etiam veluti primarius Superior Regularis presbyterorum Societatis, adeoque iuxta Instituti regulas eosdem moderetur ac regat.

4. In gubernio Missionis, et in administratione fundorum et pecuniarum quovis titulo obvenientium, omnia ex sententia Sacrae Congregationis de Prop. Fide peragere debeat, ad eamque singulis saltem trienniis de vero statu Missionis referre teneatur tum circa spirituales, tum circa temporales res ipsam respicientes.

Porro SSmus Dominus Noster Pius PP. IX in audientia infrascripto S. C. Secretario concessa die 10 Augusti anni huius, haec omnia probavit, ac decretum servari praecepit, onerata super his omnibus eligendorum conscientia, ac de Apostolica auctoritate eosdem a quacumque prorsus obligatione dissolvit ac liberavit per professionem regularem suscepta, quae cum supradictis praescriptionibus non cohaereat: contrariis quibuscumque non obstantibus. *(V. decr. 23 Febr. 1880 et 18 Ian. 1886).*

1066

De tactu physico impositionis manuum in Ordinatione.

S. C. S. Off. *19 Aug. 1851* – Cocincin. – Iuxta ius canonicum, in Ordinatione presbyteri et diaconi, impositio manuum fieri debet *tactu corporali;* quod si omissum fuisset, caute supplendum esset quod per errorem omissum esset; sed dubitatur: 1. Utrum si facta fuerit impositio manuum sine *tactu corporali,* suppleri debeat impositio manuum *tactu corporali?*

2. In quantum affirmative, an rumor publicus, et mala fama quae inde eveniret Ordinanti, praesertim in his regionibus, esset ratio sufficiens ad abstinendum ab huiusmodi impositione manuum iterata cum *tactu corporali?*

3. Si suppleri debeat tactus corporalis, an iteranda sint verba quae simul ab Episcopo proferuntur cum impositione manuum, praesertim in Ordinatione diaconi, in qua verba *Accipe Spiritum Sanctum,* etc., videntur multis esse forma Sacramenti?

4. Utrum possit suppleri tactus ille corporalis privatim, quando huiusmodi Ordines non conferuntur?

R. Ad 1. Affirmative. — Ad 2. Negative. — Ad 3. Affirmative. — Ad 4. Affirmative, et secreto in actione Missae, atque etiam extra tempora generalis Ordinationis.

1067

An sufficiat recitari semel *Confiteor* in ministrandis aegroto pluribus sacramentis.

S. C. S. Off. *1 Sept. 1851.* — Quebec — Si l'on peut se tenir au *Confiteor* recité une fois dans l'administration du St. Viatique et de l'Extrême Onction données de suite à un malade, et aussi dans l'application de l'Indulgence *in articulo mortis* quand celle-ci

a lieu en même temps que l' administration de l'un et de l'autre de ces deux Sacrements.

R. Si immineat necessitas conferendi unum post aliud immediate, licere semel in casu; secus repetatur.

1068

An baptizandi surdo-muti ethnicorum filii tum infantes, tum adulti.

S. C. S. Off. *4 Dec. 1851* – Myssur. – 1. Surdo-muti vel infantes, vel adulti, qui post baptismum remanerent inter gentiles sub potestate parentum gentilium possuntne baptizari etiam sine ulla praevia instructione? Si in praefato casu baptismum conferre non potero, saltem in articulo mortis, quid agendum esset quoad surdos-mutos adultos?

An baptizandi idiotae manentes inter gentiles.

2. Utrum idiotae nati, vel ab infantia idiotae facti, remanentes tamen inter gentiles, possint baptizari, quamvis post receptum baptismum adsint in continua occasione participandi gentilitatibus, saltem materialiter.

R. Ad 1. et 2. Detur Instructio per S. C. de Prop. F. Emi Gerdil anni 1777 die 17 Aprilis (*V. n. 522*).

1069

De diligenti perquisitione praemittenda collationi Baptismatis *sub conditione*.

Instr. S. C. de Prop. F. *31 Dec. 1851* (ad Vic. Ap. Mysuren. — Per litteras diei 21 Nov. A. Tuam praemonuimus praecipuum epistolae R. D. Boyer die 7 Sept. datae, quam tuam feceras, argumentum circa necessitatem aliquibus in casibus ac locis, nullo praemisso examine, iterandi Baptismatis puerorum sub conditione, ut primum licuisset, lubentissime votis annuentes tuis, examini S. C. exhibituros. Coactis revera generalibus Comitiis die 1 labentis Decembris, rem absolvendam curavimus ac praevia SSmi D. N. sanctione, quae definienda visa sunt hisce A. Tuae nunciamus. Quantopere itaque, in re tanti momenti, inhaerendum iugiter sit generalibus Ecclesiae definitionibus, Baptismi scilicet sacramentum, utpote una spiritualis generatio, et ex characteris vi ac natura, nulla ratione iterandum, quaeque item constans fuerit Apostolicae Sedis eadem de re doctrina ac praxis A. Tuae apprime compertum esse, ex memorata ipsa epistola patet. In ea quippe amussim ac rite traditur, *generatim* ac *sine delectu*, cum adiunctione etiam seu conditione, quemlibet rebaptizandum non esse. Quamvis autem haec A. Tuam haud latere probe noverit S. C., nihilominus haud supervacuum duxit iterum iterumque in Domino hortari, ut pastoralem omnem vigilantiam adhibere pergas, ne temere ab huiusmodi definitionibus evangelici operarii unquam recedere audeant, ac meminerint, illis tantum permitti Baptismum conditionate administrari, de quibus, diligenti praemissa perquisitione, gravé ac rationabile iuris factive dubium relinquatur, an sacramentum alias rite susceperint. Qua de re eis proderit prae oculis habere tradita a Benedicto XIV in suis *Instit.* 8 et 84, ac in *Synodo dioec.*, praecipue lib. VII, cap. VI. Licet vero a diligenti eiusmodi praevia inquisitione vix forte unquam abstinendum esse, absque periculo iniuriae sacramenti, perfacile appareat, mature tamen perpensis libratisque omnibus, quae in supradicta epistola ab operario Boyer adnotantur, et A. Tuae testimonio firmantur, de quibusdam locis Vicariatus istius, attenta cathechistarum ac fidelium qualitate, ita ut perquisitio aut examen ad validam invalidamve Baptismi collationem dignoscendam, arguendamve, aut omnino institui nequeat, aut nulliter et sine ulla dubii illustratione certo fieret, Sacra eadem Congr., iis in adiunctis et iuxta exposita, durantibusque circumstantiis absque aliis, ut in tuto salus animarum ponatur, Baptismum addita conditione administrari posse declaravit.

Maximo autem una simul animi moerore eadem perceperunt EE. PP. quae a missionario Boyer et ab A. T. narrantur, eam nempe esse quorumdam catechistarum ac fidelium quoque omnium, plerisque recensitis in locis, inhabilitatem et inscitiam vel ad unum Baptismi sacramentum administrandum, ut nemo prorsus eorum sit cui fides de rituali illius collatione praestari ullo modo queat.

Persuasum quidem Sacr. Congregationi est A. Tuam omnem dedisse ac daturam operam, ut defendae nimis earum christianitatum conditioni, et calamitatibus occurratur, nec dubitat quin optimam, catechistarum praecipue, ubivis institutionem, et instructionem, iuxta monita etiam tradita die 23 Novembris 1845, urgeas. Nihilominus EE. PP. id magis magisque A. Tuae commendantes, monent ut donec satius provisum iis in locis fuerit, peritosque et idoneos viros praeficere datum tibi erit, ineptis illis catechistis praecipias et instes ut instrui satagant, ac interim, extra casum verae absolutaeque necessitatis, Baptismi sacramentum administrare non praesumant.

1070

Coniux christianus cum infideli ex dispensatione coniunctus paulino nequit privilegio frui.

S. C. S. Officii *5 Martii 1852* — Nankin. — Petrus christianus, obtenta prius legitima dispensatione, matrimonium inivit cum muliere pagana, quae post tres menses habitationis et tori unionis aufugit ad alium maritum paganum, quocum nunc pacifice vivit, absque ulla spe conversionis, ne redeundi quidem ad virum fidelem. Quaeritur an revera Petrus teneatur innupte vivere, vel potius praevia interpellatione ad alias nuptias transire possit.

R. Non posse Petrum transire ad alias nuptias.

1071

Contra opii commercium et usum.

S. C. S. Off. *10 Martii 1852.* — Vic. Ap. Chen-si — Sinica lex, sicuti nunc est, et semper stetit ex tempore quo opii usum sinicum gubernium advertit, istius succi venditionem vehementer interdicit. Quae interdictio duplici causa nititur: prior quod opium omni virtutis sensu populum destituit, altera quod Imperium depauperat. Sinarum Imperatores virique gerendae reipublicae peritissimi omni ope atque opera enixi sunt, ut prohibitiva lex irrita non esset; innumera edicta promulgata sunt, gravissimisque poenis sancita, europaeos ipsos multis litteris appellaverunt ut tale commercium facere, sinensesque tentare et corrumpere desisterent. Attamen, adversante iusta humanaque lege, invaluit malum. Europaei pestilenti commercio finem adeo attulerunt ut de die in diem auxerint. Constat igitur sinenses, qui opium vendunt et emunt, Imperii legum violatores esse. Constat etiam eos ab europaeis mercatoribus adiuvari ut legi fraudem faciant. Ex immoralibus opii usus consequentiis iterum constabit et sinenses et europaeos, qui opium sive ad vendendum, sive ad utendum tractant, in viam moribus christianaeque religioni contrariam immitti. Omnibus revera probatur opii usum corporis et mentis sanitati noxissimum esse. Pallor horridaque macies deformant vultum omnium qui opii consuetudine detinentur. Eorum sensus stupescunt hebescuntque; evanescit memoria, physicae vires dant locum maximae imbecillitati, tota complexio fit livida, languidi sunt oculi, appetitus aut destruitur aut depravatur, ita ut tantummodo sapiant cibi multo cum saccharo conditi; somnus nec reficit, nec refrigerat, ita ut isti hominum miserrimi nisi serius, a falso quietis tempore excitari possunt, prima eorum cogitatio ad opium volat, quia in ore et gutture sentiunt ignem et siccitatem, quibus ad opium urgentur. Si hora consueta id non accipitur, fit prostratio virium completa, ex oculis et naribus fluit aqua, totum corpus frigore tremit, pectus et caput acerrimis doloribus punguntur; mox sequitur diarrhoea, et, si opium non affertur, saepius post aliquot dies sequitur mors. Talis naturae est opii consuetudo ut per regulatas quantitates expleri non posset: cum tempore, succi modus augendus est, et tunc, debilitatis viribus, infirmo labore, victus non amplius comparari possunt, familia non sustentatur et tunc nihil nisi miseria et crimen. Multi nominantur navium duces, qui, propter conscientiae stimulos, numquam opii advectionem acceperunt, vel post aliquod tempus reliquerunt, severas, quas experti sunt, tempestates illicito commercio adscribunt, improvisam mercatorum mortem, qui, post multos in Sinis laboris annos, ad patriam redeunt, ut male acquisitis divitiis fruantur, Dei vindictam proclamant.

Atqui nobis catholicis missionariis regula tam gravi de re definitiva deest. Instructio S. Congregationis die 23 Ian. 1830 de opii quaestione insufficiens est, quia tantummodo remota theologiae principia ad quaestionem relativa continet. Sed cum ex principiis in S. Congregationis Instructione praedicta positis futurum videatur ut opii commercium ab Ecclesia damnetur, ideo enixis precibus rogamus ut Apostolica Sedes quaestionem dirimere dignetur.

R. Commercium et usum opii, prout exponitur, esse illicitum, ideoque Vicarii Ap. prudenter omnem curam adhibeant ad usum et commercium istud extirpandum. – SSmus D. N. Pius d. p. PP. IX resolutionem Emorum approbavit.

1072

Quomodo preces pro Indulgentiis recitandae.

S. C. Indulg. *15 Martii 1852.* – Urbis et Orbis. – Cum ad Indulgentias acquirendas persaepe contingat ut, inter praescriptas conditiones, vocales quoque preces iniungantur, propositum fuit dubium huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum: *An et quo modo surdo-muti supplere valeant impotentiae, qua detinentur, preces recitandi pro indulgentiis acquirendis iniunctas.* Re mature discussa tum prius ab uno ex praefatae Congregat. consultoribus, tum demum ab Emis PP. in comitiis generalibus apud Vaticanas Aedes die 16 Februarii huius anni habitis, ipsi EE. PP. eiusdem consultoris voto inhaerentes responderunt: – Supplicandum SSmo pro generali decreto ab hac S. C. evulgando, atque apostolica auctoritate firmando, cuius vi statuendum: 1, Quod, si inter opera pro lucranda Indulgentia, praescripta sit visitatio alicuius ecclesiae, surdo-muti ecclesiam ipsam devote visitare teneantur, licet mentem tantum in Deum elevent et pios affectus. — 2. Quod si inter opera sint publicae preces, surdo-muti possint lucrari Indulgentias iis adnexas, corpore quidem coniuncti caeteris fidelibus in eodem loco orantibus, sed pariter mente tantum in Deum elevata, et piis cordis affectibus. — 3. Quod si agatur tandem de privatis orationibus, proprii mutorum et surdorum confessarii valeant easdem orationes commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire iudicaverint. — Facta autem relatione *etc.* Sanctitas Sua non modo praedictum votum approbavit, verum etiam huiusmodi gratiam ac concessionem peramanter elargitam per generale decretum publicari mandavit.

1073

Quomodo intelligenda Indulgentia plenaria *quotidiana* pro ecclesiarum visitatione.

S. C. Indulg. *15 Martii 1852.* — Indulgentiam plenariam *quotidianam* perpetuam vel ad tempus concessam visitantibus aliquam ec-

clesiam seu publicum oratorium, ita semper intelligendam esse mandavit Sanctitas Sua, ut semel in anno tantum ab unoquoque fideli acquiri possit; excepto solummodo casu quo in decreto, rescripto, Brevi etc. concessionis favore alicuius ecclesiae seu publici oratorii, clare et explicite expressum sit, indulgentiam plenariam reapse quotidie ab unoquoque christifidelium rite disposito acquiri posse.

1074

Contra actus superstitiosos erga draconem et defunctos.

S. Congr. S. Officii *31 Martii 1852.* — Hu-nan — 1. An liceat comitari processionem draconis, explodere tormenta eo transeunte, dare candelas pro draconis laterna, vinum et pecuniam pro hac superstitione.

2. An liceat christianis conducere domum cum obligatione deferendi vel per se vel per alium laternam in processione cum dracone.

3. An liceat saltem aliquid contribuere cum protestatione dicendo: *hoc est non pro dracone sed pro te qui colligis contributiones.*

4. An occasione defuncti liceat, dum occiditur sus ut paretur convivium, facere explosiones.

5. An liceat filiis et nepotibus comitando cadaver patris et matris telae albae longum frustum deferre ad ostendendum esse posteros qui possint vocare bonzios ad rumpendum infernum.

R. Ad 1. et 2. Non licere.

Ad 3. Non licere, et detur decretum fer. V 16 Nov. 1769, ut sequitur: *Decretum:* « Quaeritur an sit licitum contribuere candelas pro draconis laterna, vinum et pecuniam, et explodere tormenta pro hac superstitione. – Respondetur: In proposito casu non licere.

Ad 4. Negative.

Ad 5. Non licere.

1075

De electione Episcoporum Angliae.

Decr. S. C. de Prop. F. *21 Apr. 1852* — Ut ecclesiae noviter per Sanctissimum D. N. in Angliae regno constitutae magis in dies floreant, iisdemque Antistites iugiter praeficiantur qui vitae probitate, doctrina, zelo ac prudentia spectatissimi existant, peropportunum visum est si ab ecclesiasticis viris qui sacris obeundis muneribus inter alios praestiterint, potissimum vero testimonio Episcoporum pro tempore existentium, nonnulli Apostolicae Sedi commendentur ex quibus eadem ad episcopalem gradum, quem magis idoneum censuerit eligere valeat.

Commendatio vero huiusmodi tanti momenti esse noscitur, ut, inspectis animadversionibus ab Emo et Rmo D. Nicolao S. R. E. Card. Wiseman, ac RR. PP. DD. Episcopis Angliae redditis, ac re accurate perpensa, Sacra C. de Prop. F. in generali conventu habito die 3 Aprilis 1852 peculiari instructione methodum proponendam censuerit.

Cum Episcopus est constituendus, capitulariter dignitarius et canonici illius ecclesiae conveniant, precibus de more praemissis, ac praestito iuramento de secreto servando, tribus vicibus suffragia ferantur circa personas S. Sedi veluti digniores commendandas. Si in aliqua ex tribus vicibus in favorem nullius adsint suffragia tot numero quae excedant maiorem partem vocum, actus nullius momenti existat, atque iterum suffragia ferantur.

Actus capitularis rite descriptus atque obsignatus, transmittendus erit ad Archiepiscopum, vel ad suffraganeum antiquiorem, vacante sede archiepiscopali; vel, si de commendandis ad ipsum archiepiscopatum agatur, ut coetus episcopalis, consiliis collatis circa tria nomina alphabetico nomine descripta, quae in singulis votationibus maiorem suffragiorum partem obtinuerint ad S. C. referant, suamque opinionem tradant, transmisso etiam ipso authentico capitulari actu.

Demum cum contingere aliquando possit ut canonici legitime impediantur ne ad capitulum, in quo huiusmodi fieri debet commendatio, accedant, censuit S. C. admittendos tunc esse eorumdem procuratores ad effectum tantum tradendi schedam cum nomine et praenomine eligendi.

Ceterum animadvertendum ac declarandum censuit S. C. his omnibus contineri tantummodo commendationem, adeo ut, quando necessarium vel opportunum videatur, Apostolica Sedes suo utatur iure alterum quoque praeter commendatos eligendi.

Cum vero haec omnia SS. D. N. Pio PP. IX a S. Congregationis Secretario relata fuerint in aud. diei 6 eiusd. mensis et anni, Sanctitas Sua benigne eadem probavit, ac servari decrevit, contrariis quibuscumque haud obstantibus (1).

1076

Circa quemdam modum panes eucharisticos conficiendi.

Sacr. Congr. S. Off. *23 Iunii 1852.* – Coimbatur – In hac regione difficillimum est conficere panes eucharisticos farina proprie dicta; unde consuetudo orta est (exceptis forsitan locis in quibus facile haberi potest farina ex Europa) panem conficiendi ex granis contritis et per aliquas horas in aqua infusis, non tamen usque ad corruptionem. Quae grana manibus comprimunt et, ex materia alba adve-

(1) Huiusmodi methodus electionis Episcoporum pro Anglia, etiam pro Hollandia seu Neerlandia statuta est. (S. C. de Prop. Fide 7 Iunii 1858).

niente, panes conficiunt ferro calido, modo in Europa consueto. Aliquod habeo scrupulum de tali confectione. Nam 1. si panem conficientes maximam attentionem non adhibeant, triticum relinquere possunt in aqua usque ad corruptionem, saltem inceptam. 2. Tota substantia tritici non mihi videtur in tali pane contineri. 3. Talis materia mihi videtur appropinquare amidum, ex quo practice panis eucharisticus confici non debet. Aliunde de farina ex Europa adveniente valde dubitandum est utrum pura sit vel non, cum omnibus notum sit mercatores mixturas innumerabiles facere. Unde humiliter quaero:

1. Utrum licita sit supradicta confectio panis pro Missa.

2. Si non liceat, quid debeam facere, praesertim cum illa consuetudo vigeat in diversis partibus Indiae.

R. Affirmative; curet tamen, si fieri possit, Vic. Ap. ut frumentum ex quo panis eucharisticus conficitur, non contundatur solummodo, sed apto instrumento in farinam redigatur, quae deinde cribro exacte purgetur, et panis ex eadem conficiatur, modo in Europa usitato. — SSmus D. N. Pius d. p. PP. IX. resolutionem Emorum approbavit.

1077

De translatione festorum relate ad Indulgentias.

Ex Decr. S. C. Indulg. *9 Aug. 1852.* — SSmus D. N. Pius Pp. IX... benigne mandavit ut omnes Indulgentiae, quae hucusque quibusdam festis concessae fuerunt, ac in posterum concedentur, vel quae pro iisdem festis aliquibus ecclesiis et publicis oratoriis pariter concessae fuerunt, et in posterum concedentur, vel etiam si libuerit, de consensu Ordinarii, illae concessae in sacris supplicationibus, aut in novendialibus, vel septenariis, sive triduanis precibus ante vel post festum, vel eius octavario perdurante, translatae intelligantur pro eo die quo festa huiusmodi, etiam quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem, non vero quoad Officium et Missam, in aliquibus locis, vel ecclesiis publicisque oratoriis, sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante, legitime transferantur. Cum vero transfertur tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, Indulgentiarum nullam fieri translationem decrevit. Hanc autem Apostolicae benignitatis concessionem eadem Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium non obstantibus, ac perpetuis futuris temporibus, absque ulla Brevis expeditione valituram, per hoc Sacrae Congr. decretum typis impressum publicari voluit, dummodo ceterae omnes aliae conditiones in particularibus vel generalibus concessionibus praedictarum Indulgentiarum pro iis adipiscendis omnino serventur.

1078

De impedimento publicae honestatis ex sponsalibus privatim contractis.

S. C. S. Off. *11 Aug. 1852* – Quebec – In dioecesi Quebecensi non vigent ecclesiastica sponsalia. Attamen Rituale dioecesis enumerando diversa dirimentia impedimenta, de honestate publica sic effatur: « Honestas est impedimen- « tum quod oritur ex publica promissione v. g. « inter Petrum et Mariam, cuius tenore dictus « Petrus prohibetur ne matrimonium contrahat « cum matre, sorore vel filia dictae Mariae ». Sed attentis illius Ritualis verbis quae ad publicam promissionem referuntur, plurimi negant tale impedimentum oriri posse ex promissione inter solutum et solutam facta privatim, licet libere et serio, sed sine teste vel scripto. E contra inter alios et doctissimos theologos maximum existit dubium de certa existentia impedimenti dirimentis in casu secretae promissionis supra relatae. Hoc dubio permoti praedecessores Episcopi usum tenuerunt, sicut et ego nunc teneo ad cautelam in talibus casibus dispensandi. Igitur permultum desideratur responsio a S. Sede expressa, tenore cuius cessabit dubium, v. g. si declaretur impedimentum honestatis oriri etiam ex secreta promissione, vel si contra declaretur illud impedimentum produci non posse nisi per publicam promissionem factam coram duobus testibus, vel coram notario, vel per instrumentum promittentium manu subscriptum, vel tandem per proclamationem duorum bannorum vel unius banni. Haec posterior elucidatio, si Sua Sanctitas benigne ratam voluerit habere, obstabit quominus plurima in posterum invalide contrahantur matrimonia, cum saepe ignoretur alterutrius contrahentium secreta matrimonialis promissio prius inita cum affinibus in 1. gradu, et tunc dispensatio ad cautelam de hoc impedimento nequit haberi.

Quaeritur itaque utrum impedimentum publicae honestatis oriatur ex clandestina promissione futuri matrimonii. Insuper mihi pergratum faciet Sanctitas Sua si pro dioecesi indultum voluerit concedere quo valida declarentur matrimonia usque nunc cum tali impedimento contracta absque dispensatione.

R. Affirmative. — Ad supplicationem vero pro sanandis matrimoniis cum impedimento publicae honestatis forsan contractis, supplicandum esse SSmo pro sanatione in radice ad cautelam; et ad mentem. Mens est ut curet Archiepiscopus Orator correcto prius Rituali suae dioecesis, gregem suum docere, prudentiori modo sibi bene viso, de valore sponsalium quacumque forma contrahantur, nec non de impedimento dirimente iustitiae publicae honestatis quod sponsalia valida producunt. — SSmus resolutionem Emorum PP. adprobavit.

1079

De Fonte baptismali et de eiusdem benedictione.

S. C. de Prop. F. *23 Aug. 1852* (C. P.) – Iaffnae – 1. Cum unusquisque missionarius multas habeat ecclesias quarum una distat ab alia, et in unaquaque debeat manere aliquod tempus, quaeritur utrum debeat habere fontem baptismalem in aliqua centrali ecclesia, et benedicere fontem in Sabbato Sancto vel in Sabbato ante Dominicam Pentecostes; et quatenus affirmative vel negative, quis cum quanam aqua debeat baptizare in aliis Ecclesiis.

Circa asservationem SS. Eucharistiae.

2. Quando missionarius non potest decenter servare Eucharistiam quia in ecclesia non sunt nec ianuae nec fenestrae, quaeritur utrum possit, vel debeat, servare Eucharistiam, sint infirmi vel non.

De impedimento affinitatis in neophyto, ante baptismum contractae.

3. Vir infidelis qui adhuc in infidelitate positus cognovit sive publice, sive private, illicite tamen, mulierem quamdam, sive fidelem, sive infidelem, potestne, post susceptum Baptismum valide et licite matrimonium contrahere cum consanguinea eiusdem cognitae mulieris, si ista consanguinea Baptismum susceperit sive ante, sive post copulam de qua agitur?

4. Et quatenus affirmative (de quo valde dubitandum), idem infidelis ad fidem conversus, post mortem legitimae uxoris infidelis, possetne matrimonium contrahere cum consanguinea (usque ad 4 gradum inclusive) eiusdem defunctae uxoris, sive ista consanguinea Baptismum susceperit ante, sive post mortem praedictae uxoris infidelis?

An extet impedimentum criminis ante baptismum admissi.

5. Vir infidelis qui ante Baptismum copulam habuit cum infideli uxore alterius, cui, annuente muliere fidem de futuro matrimonio acceptante, mortem intulit, potestne post utriusque baptismum matrimonium inire cum dicta muliere?

6. Possuntne hoc matrimonium contrahere si, quando patrarunt ista crimina, una pars fuerit christiana?

De matrimoniis infidelium sine notione indissolubilitatis contractis.

7. Possuntne haberi tamquam valida matrimonia infidelium qui contrahunt coram consanguineis, sed absque ulla praecisa notione de indissolubilitate matrimonii, ita ut, saltem implicite credant posse se ab invicem separari et cum alio denuo matrimonium contrahere?

R. Ad 1. Detur Instructio data ad Episcopum Scutarinum *(V. n. 537 § 5)*.

Ad 2. Detur Instructio ad Helvetios 3 Augusti 1803. – *En Instructio:* « Ad impedire « qualunque irriverenza delle cose sagre, la « S. C. non ha giudicato opportuno che dai « cattolici si ritenga nella sagrestia comune ai « protestanti l'Olio santo, il S. Crisma, e la « SS. Eucaristia; ma vuole che siano conser« vate in luogo del tutto separato dagli acat« tolici, e quando altro non ve ne sia proprio, « si conservino piuttosto con tutta la possibil « decenza nella casa del parroco, o di altro « cattolico sacerdote ».

Ad 3. Negative. – Ad 4. Negative. – Ad 5. Affirmative. – Ad 6. Negative. – Ad 7. Affirmative; haberi debent valida.

1080

De thurificatione in Missa cum cantu sine ministris.

S. C. de Prop. Fide *23 Aug. 1852* (C. G.) – Ceylan – 1. Cum in istis regionibus, attento parvo missionariorum numero, difficile sit etiam in solemnioribus festis Missam canere cum ministris, in aliquibus Missionibus praevaluit usus thurificandi in Missa cantata absque ministris; quaeritur utrum, consideratis circumstantiis et usu, possit tolerari.

Circa adolescentes inferiorum castarum in Seminarium admittendos.

2. Cum velim (ego Vic. Ap.) aperire Seminarium, quaeritur utrum debeat considerari solummodo meritum, nullo habito respectu ad castas, vel excludere castas viles et admittere iuvenes ex superioribus et mediis castis? Hoc ultimum mihi videtur melius et quasi necessarium.

De usu rocheti loco cottae.

3. Utrum possit permitti missionariis uti rocheto loco cottae.

De usu baldachini quoad missionarios.

4. Missionarii quando visitant suas ecclesias recipiuntur a populo cum baldachino et cruce, sicut recipitur Vicarius Apostolicus; quaeritur utrum tolerandum.

De qualitate iurisdictionis missionariorum.

5. Missionarii Apostolici gaudentne iurisdictione ordinaria tamquam parochi, aut solummodo delegata in Missionibus ad quas missi sunt per Vicarium Apostolicum?

6. Iidem missionarii possuntne propria auctoritate aeque ac parochi alium delegare sacerdotem ad effectum assistendi et benedicendi matrimoniis christianorum sibi commissorum? Item audire confessiones suorum christianorum etiam in alio Vicariatu?

Circa reatum lectionis librorum prohibitorum.

7. Quid dicendum de illis qui scienter legunt libros per se prohibitos, sed non contentos in Indice librorum prohibitorum? Incurruntne aliquam censuram? Suntne deneganda sacramenta, si non est periculum perversionis?

R. Ad 1. Non esse inquietandos.

Ad 2. Communicentur Instructiones diei 2 Iunii 1832 *(V. n. 826)*.

Ad 3. et 4. Negative.

Ad 5. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

Ad 6. Provisum in praecedenti.

Ad 7. Quoad primam partem, Negative. Quoad secundam, consulat regulas Indicis et probatos auctores.

1081

De usu throni, concessionis Indulgentiae, et mentionem in Canone quoad Vicarios App.

S. C. de Prop. F. *23 Aug. 1852* (C. G.) – Ceylan – In ista insula et generaliter in India praevaluit usus erigendi thronum, et con-

cedendi indulgentiam 40 dierum quotiescumque Vicarii Apostolici celebrant pontificaliter. Quaeritur ergo:

1. Utrum Vicarii Apostolici possint habere thronum, et concedere dictam indulgentiam nec ne; et quatenus negative, quaeritur:

2. Utrum tolerandum propter usum, et ut ne veniat scandalum.

3. Utrum missionarii debeant, vel possint dicere in Canone: *et Antistite nostro N.* – nominando Vicarium Apostolicum.

R. Ad 1. 2. et 3. Negative.

1082

De Monitione *Ne quis* etc. quae fit in Ordinatione.

S. R. C. *25 Sept. 1852* – VENETIARUM – Utrum, etiam quando unus in episcopali sacello ordinatur, palam interdicere debeat Episcopus per unum ex suis, sicuti habetur in Pontificali Romano: *Ne quis accedat irregularis?*

R. Affirmative.

1083

Pro erectione Capitulorum cathedralium provinciae Quebecensis.

Instr. S. C. de Prop. F. *28 Sept. 1852.* (AD ARCHIEPISC. QUEBECEN.) — Per Apostolicas Literas sub die 16 Iulii anni huius datas SS. D. N. benigne annuit pro erectione Capitulorum cathedralium in Ecclesia Quebecensi aliisque provinciae eiusdem dioecesibus iuxta vota per R. P. D. Ep. S. Hyacinthi nomine etiam ceterorum Antistitum exhibita. Cum vero in iisdem Literis Apostolicis instructio S. C. servanda praecipiatur, Emi PP. censuerunt ea canadensibus Capitulis ferme aptanda esse, quae nuperrime pro Capitulis Angliae fuerunt constituta (1).

Unumquodque Capitulum constabit una dignitate et decem canonicis titularibus. Dignitas titulo *Praepositi* distinguatur: inter decem canonicos titulares erunt quoque theologus ac poenitentiarius.

Prima hac vice permittitur Archiepiscopo et Episcopis ut ipsi pro suis respective Capitulis eligant ecclesiasticos viros quos optime meritos atque idoneos censuerint tum ad dignitatem tum ad reliquos canonicatus, comprehensis etiam officiis theologali ac poenitentiario.

Post primam electionem, Dignitas S. Sedis rescripto erit conferenda: quoad reliquos, mensium distinctio servabitur adeo ut vel per S. Sedem, vel per Episcopum collatio fiat. Quod pertinet ad canonicos theologum et poenitentiarium, ii in posterum ad sacrorum canonum normam erunt eligendi.

Ob praebendarum defectum, cumque canonici curae animarum, iuventutis institutioni, aliisque officiis ecclesiasticis vacare debeant: canonici (quatenus Episcopi ita censuerint) ab onere residentiae penes cathedralem, interim ac provisoria ratione, et sacra officia in eadem persolvendi eximuntur; attamen Archiepiscopus et Episcopi, collatis simul consiliis, nonnullos dies intra annum designent, quibus canonici Cathedralis chorum adire, atque ibidem sacra peragere teneantur, utque etiam apud Episcopum congregentur pro negotiis, praesertim circa quae sacrorum canonum praescripto Capituli sententia est exquirenda.

Cum demum congruum sit ut qui in Ecclesiae senatum, consiliarios Episcopi, ac praecipuos eiusdem adiutores pro dioeceseos administratione assumuntur, habitu quoque, ratione aliqua, distinguantur, placuit ut canonici canadenses, iuxta indultum canonicis Angliae factum, nullo facto discrimine dioeceseos aut gradus, supra superpelliceum assumant mozzettam nigri coloris, non tamen sericam, ad formam per Archiep. Quebecensem designandam. Quod vero pertinet ad canonicos honorarios, S. C. Episcopos monitos voluit, eorum numerum haud posse excedere quartam partem canonicorum titularium. De hisce vero honorariis canonicis plura reperire erit penes Thesaurum resolutionum S. C. Concilii ann. 1808 in *Fulginatensi*, 1836 in *Ventimiliensi* vol. 96 p. 543; alia item apud pertractatores. Haec vero probante SS. D. N. traduntur, atque ad huius instructionis normam iuxta Literarum Ap. tenorem Capitula cathedralia erunt interim erigenda.

1084

Circa preces et indulgentias in romana *Collectione* recensitas.

S. C. Indulg. *30 Sept. 1852.* — Cum in Collectione precum ac piorum operum vulgo: *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concedute dai Sommi Pontefici le sante Indulgenze*, duodecies iam Romae typis evulgata pro quibus a Summis Pontificibus, per generales concessiones, Indulgentiae sunt fidelibus elargitae, nonnullae ex iis Indulgentiis non reperiantur fidelibus defunctis applicabiles, nonnullae vero preces, quibus adnexae sunt Indulgentiae, latino tantum vel italico idiomate scriptae sint, et cum pro tertiadecima vice eadem collectio sit iamiam evulganda, enixis precibus SS. D. N. Pium PP. IX rogavi ego infrascriptus Secretariae S. C. Indulg. Substitutus, in Audientia habita die 30 septembris 1852 ut de Apostolica Sua benignitate clementer indulgere dignaretur, ut deinceps omnes et singulae Indulgentiae, tam in ipsa tertiadecima editione, quam in aliis Romae in posterum, de licentia huius S. Congr. evulgandis recensendae, fidelibus etiam defunctis applicabiles esse intelligantur, necnon omnes et singulae orationes in

(1) Simili sane decreto (21 Aprilis 1852) Capitulorum cathedralium Angliae erectio constituta est.

ipsa pariter decimatertia, ac in aliis ut supra continendae, quocumque idiomate, dummodo versiones sint fideles, pro Indulgentiarum acquisitione, recitari possint. Itaque Sanctitas Sua, praefatis humillimis precibus clementissime exceptis, maiori christifidelium spirituali utilitati prospiciens, maximumque animabus defunctorum solatium afferri peroptans, benigne annuit in omnibus iuxta petita. Praeterea eadem Sanctitas Sua mandavit, ut, si contigerit eamdem Collectionem in aliud verti idioma, huiusmodi versio typis publicari non possit absque approbatione huius S. Congregationis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

1085

De litteris testimonialibus pro postulantibus novitiis et professis alicuius Religionis, et pro militibus.

S. C. super Statu Regular. *5 Novembr. 1852.* — Superior Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Aquitaniae in Gallia ad pedes S. V. humillime provolutus expostulat declarationem ad sequentia dubia super observantia Decreti *Romani Pontificis* editi die 25 Ianuarii 1848 *(V. n. 1024)*.

1. Quando postulantes novitii, vel professi alicuius Congregationis petunt admitti ad nostram Religionem, litterae testimoniales petendae sunt a Superioribus alterius Congregationis in qua fuerunt, vel ab Ordinario?

2. Si a Superioribus, an a Superioribus generalibus vel localibus, et quid si in diversis domibus, vel conventibus fuerint?

3. In Hispania adest Patriarcha Indiarum, qui iurisdictionem exercet in universo exercitu per suos cappellanos: litterae testimoniales pro militibus petendae sunt a praedicto Patriarcha, vel ab Ordinario?

Ex Audientia SSmi die 5 Novembris 1852. SSmus propositis dubiis respondendum mandavit, scilicet:

Ad 1. Quoad novitios, et professos saecularizatos, ab Ordinario; quoad professos, qui in Congreg., vel Ordine actu permanent, a Superioribus.

Ad 2. Possunt peti vel a Superioribus generalibus, vel a Provincialibus: vel quatenus agatur de Congreg. et Ordine, in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium a Superioribus localibus. Et si professus in diversis domibus, vel conventibus commoratus fuerit, sufficere testimoniales Superioris generalis, vel Superioris provinciae vel domus, (quatenus Provincialis non habeatur) in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi Superiores, antequam testimoniales concedant, diligenter inquirere debeant de qualitatibus religiosi.

Ad 3. Petendae erunt tam ab Ordinario originis, quam a Patriarcha.

1086

Circa manuum impositionem in episcopali consecratione.

S. C. S. Off. *22 Dec. 1852.* – Richmond. – Dubio quod proposuit Episcopus circa validitatem consecrationis suae, in qua solum Episcopus consecrans in impositione manuum tangebat caput suum, non vero tangebant duo alii coepiscopi assistentes, responsum fuit: *Acquiescat.*

1087

Circa praxim petendi et tradendi libellum repudii civili lege approbatam.

S. C. S. Off. *23 Febr. 1853.* — Tunk. Orient. — Leges annamitae facultatem tribuunt viris uxores legitimas repudiandi una ex causis in lege expressis concurrente, mulierque ita repudiata ad alias nuptias transire valet; ex quo clare infertur has gentes in errore esse quod per tale repudium matrimonii vinculum solvatur; mulier vero quae, Regni caeremoniis servatis, ab aliquo in uxorem recepta, et, absque libello repudii, alii viro coniungi ausa fuerit, tam mulier illa, quam secundus hic vir, cui, antequam repudiaretur a primo, coniuncta fuit, iuxta Regni leges, ambo mortis poena plecti debent. Si ergo mulier aliqua uxorata infidelis ad fidem convertatur, virque suus non solum fidem amplecti recusat, sed nec permitti patitur uxori ad fidem conversae ut secum absque contumelia Creatoris cohabitet, vel talis mulier innupta manere debet usque ad viri illius infidelis mortem, vel ad alias transire terras a loco viri multum distantes, et ibi, suas cum viro illo infideli adhuc superstite nuptias occultando, ad alias cum viro fideli transire nuptias; sed hoc multoties non absque periculo quod a viro infideli vel eius consanguineis comprehendatur, et hinc animae et corporis detrimentum maximum patiatur; quaeritur ergo:

1. An liceat mulieri, de qua in casu, accipere vel etiam petere a viro infideli libellum repudii solo animo ut a gravissimis malis se liberet, ne cogatur innupta manere, aut cohabitare cum infideli cum evidenti periculo superstitionibus se immisceri.

2. Quid si mulier illa revera non est legitima uxor infidelis illius, quia aliquo impedimento dirimente naturali ligati erant? Licetne ei accipere, vel etiam petere a viro libellum repudii, ut absque periculo alicui viro fideli nubere valeat?

3. An liceat viro fideli mulieri fideli libellum repudii tradere, quando eorum matrimonium initum fuit cum impedimento dirimente, ad praecavenda mala quae oriri possunt.

4. An liceat viro ad fidem converso tradere mulieri in infidelitate permanenti libellum repudii.

R. Ad 1. 2. et 4. Attentis expositis circumstantiis, enunciatam praxim pro nunc posse

tolerari, dummodo: 1. In accipiendo vel petendo libello nihil adsit superstitiosi; – 2. praecesserit consueta interpellatio, sed frustra; – 3. pars fidelis minime credat virtute talis libelli se liberam esse a lege coniugii in infidelitate contracti; – 4. ad omne removendum scandali periculum, christifideles opportune instruantur matrimonium etiam in infidelitate contractum, si nullum intercesserit impedimentum dirimens, nullaque conditio substantiae matrimonii contraria in pactum deducta fuerit, esse indissolubile, nisi accedat divina dispensatio, ac propterea si quis ad fidem christianam conversus libellum repudii forte petat, vel accipiat, id factum teneat ad nexum tantummodo civilem, in matrimonio iuxta Regni leges ineundo contractum, dissolvendum, non autem ad naturale coniugii vinculum relaxandum.

Ad 3. Prout in praecedentibus, omissa interpellatione. — SSmus approbavit.

1088

Circa tibicines et cantores ad festa paganorum convenientes.

Litt. S. C. de Prop. F. *5 April. 1853.* (AD VIC. AP. MADURENSEM) — Cum nuper a Suprema Inquisitione responsionem acceperimus ad dubia iam eidem S. C. ab A. T. proposita super Constitutione Bened. PP. XIV. *Omnium sollicitudinum* de ritibus malabaricis, eam tibi patefacere haud immoramur. Dubia quidem, uti nosti, duo erant, quorum alterum catholicos tibicines vel cantores etc. ad festa vel solemnitates paganorum convenientes respiciebat; alterum vero iusiurandum ab apostolicis missionariis praestandum, prout in eadem Constitutione iubetur. Quamvis porro in Congregatione generali, habita feria IV die 16 elapsi Martii, Emi DD. Inquisitores rescribi mandaverint *nihil esse innovandum,* nihilominus attente matureque perpensis ab A. T. allatis rationum momentis, quoad opportunitatem remittendi de severitate contra memoratos tibicines etc., iidem Emi Patres, *mentem* una simul antedictae responsionis aperiendam tibi innuerunt. Mens autem est, ut missionarii, omni meliori et prudentiori modo quo possunt, removere satagant eiusmodi catholicos tibicines, cantores etc. a damnatis ethnicorum conventibus ac solemnitatibus, eos monentes aliter teneri se omnino ab Ecclesiae coetu illos eiicere; quod si reapse impossibile evadat eos amovere, opportunis tamen monitionibus, obiurgationibus et obsecrationibus, nec non denegatione etiam sacramentorum *ad tempus,* a daemoniorum cultu deterreant, et ad bonam frugem revocare conentur. Ex hisce perfacile senties quomodo, firma generatim Benedictinae Constitutionis iussione manente, in casibus peculiaribus et rerum adiunctis de severitate legis remittere aliquid liceat.

1089

De humatione catholicorum et haereticorum in uno eodemque sepulchro.

S. C. S. Officii *13 Aprilis 1853.* — È in uso in Mossul che ogni famiglia abbia il privato sepolcro, camera sotterranea che serve a quell'effetto. Da più anni la nazione giacobita si è divisa, avendone una parte considerevole abbracciato la fede cattolica; contuttociò perseverano i membri della stessa famiglia eretici e non eretici ad esser sepolti nello stesso sepolcro. Deesi togliere un tale abuso?

R. Affirmative, et detur Decretum feriae V 16 Augusti 1781 — *quod est:* « SSmus auditis « Emorum votis mandavit respondi per instru- « ctionem qua insinuetur Episcopo Scepusiensi « quod pro sua prudentia et zelo curet ut cuncta « fiant ad normam sacrorum canonum; quatenus vero absque scandalo id obtineri non « possit, tolerari posse quae Episcopus exponit « in sua relatione ». *(V. n. 549).*

1090

An baptizandi infidelium infantes magno numero, curationis causa, missionariis oblati.

S. C. S. Officii *4 Maii 1853* — SUTCHUEN — En Chine et en d'autres royaumes où les pauvres sont très-nombreux, les deux tiers presque des enfants, plus de la moitié certainement, meurent avant d'avoir commis un péché mortel. Les pauvres petits mal logés, mal nourris, mal vêtus, exposés à toutes les influences d'une température très-malsaine, sont attaqués, durant sept ou huit ans, par de nombreuses maladies qui les font mourir en nombre prodigieux. Ce sont surtout ces millions de pauvres infidèles qui présentent à nos baptiseurs une si grande quantité d'enfants malades sans danger prochain de mort pour qu'ils les guérissent. Tous les enfants malades qui seraient baptisés par millions chaque année, et qui mourraient en si grand nombre avant d'avoir commis un péché grave, seraient sauvés; ceux qui échapperaient à la mort, en plus petit nombre, devenus grands, profaneraient leur baptême. Je demande la permission, si elle est conforme à l'enseignement du Saint-Siége, de faire baptiser ces enfants malades sans danger prochain de mort, qu'on présente en si grand nombre à nos baptiseurs pour les guérir.

R. Non licere, si filii in potestate infidelium sint relinquendi, secluso mortis periculo.

1091

Circa oleorum consecrationem cum duobus tantum presbyteris in pontificali Missa ministris.

Litt. S. R. C. *2 Iunii 1853.* — (AD VIC. AP. CHENSI) — R. P. Fr. Aloysius a S. Iusto Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, in Ecclesia ista Chensi caeremoniarius, S. C. Rit. exposuit quae sequuntur, nimirum: « Quo- « niam a S. Sede dispensatum fuit cum Vic. Ap. « huius Provinciae, ut feria V in Coena Do-

« mini peragere possit consecrationem sacrorum « oleorum cum minori numero presbyterorum « quam qui requiritur ut in Caeremoniali Epi- « scoporum, ob eorum deficientiam, quumque « in dispensatione habeantur haec verba : *Ad- « hibeat quo plures habere potest presbyteros,* « quaeritur utrum illa clausula sic intelligi de- « beat, ut duo presbyteri, quorum eo die unus « agit diaconum Evangelii, alter subdiaconum « Epistolae in Missa Pontificali, debeant, quum « ventum fuerit ad sacram caeremoniam supra- « dictae consecrationis, deponere dalmaticam « et tunicellam, et casulam assumere, ut ma- « ior appareat presbyterorum numerus eiusmodi « consecrationi assistentium, dictaque sacra olea « salutantium : peractaque caeremonia, dalma- « ticam et tunicellam reassumere ad Missam « perficiendam ? Notandum aliunde quod fere « nunquam habeatur aliquis ex Ordine diaco- « nali vel subdiaconali, qui e secretario afferat, « illucque referat sacra olea, unde si non sit « necesse supradictos deponere et reassumere « dicta paramenta, tunc ipsi afferunt et refe- « runt olea, totaque caeremonia convenientius « peragitur. Quoad caetera nihil deest ad Pon- « tificalem Missam, caeteraque illa die peragi « solita solemniter perficienda ». Super quibus omnibus et singulis, facta per me subscriptum S. R. C. Pro-Secretarium SSmo D. N. Pio IX P. M. fideli relatione, prudenti sane consilio constituit (Sanctitas Sua) nil directe memorato Patri respondendum, et satius esse A. Tuae communicare propositam praxim nullo modo adoptandam ; ac proinde omnino convenientius, ut diaconus et subdiaconus qui Pontificali Missae assistunt, quique in casu sunt presbyteri, postquam ad suam sedem Episcopum comitati sunt, retentis sacris vestibus, quibus induti sunt, processionaliter ad sacrarium accedant, ex eoque deferant olea ; inde, quoad fieri potest, Episcopo praestent singula officia quae a Pontificali requiruntur, et praestanda essent ab archidiacono et presbytero assistente, expletaque sacra caeremonia, ad sacristiam sacra Olea reducant, processionaliter ad latera Episcopi revertantur, ut ei in suo quisque officio deserviat. Posita enim Apostolica dispensatione quoad numerum presbyterorum assistentium, nulla prorsus apparet causa ad propositam praxim adoptandam. Quae singula A. T. communico ut Sanctissimi oraculum, uti exponitur, executioni demandetur.

1092

De limitatione temporis et casuum in facultate dispensandi in matrimonii impedimentis.

Instr. S. C. de Prop. F. *7 Iunii 1853.* (AD VIC. AP. PONDICHER.) — Utrum (quaeris) obtenta iam facultate dispensandi, decem tantum in casibus pro quolibet anno, super impedimento secundi mixti cum primo consanguinitatis et affinitatis gradu, si forte in uno anno pro decem casibus dispensationi locus factus non fuerit, in subsequentibus uti possis iisdem qui superfuerint. — Negative respondendum apprime intelliges ex aperta concessionis declaratione, qua nonnisi decem in casibus in quolibet anno, ubi necesse fuerit, dispensandi tribuitur potestas ; atque indultorum verba prout sese exhibent esse intelligenda. Hinc negative quoque respondendum dubio quarto loco proposito inferes, nimirum, per facultatem dispensandi super impedimento secundi mixti cum primo, haud tributum indultum dispensandi quoque quando primus cum tertio mixtus deprehendatur.

De *Missionarii Apostolici* titulo et praestantia.

De *Missionarii Apostolici* titulo ac praelatione scias volumus quaestionem hanc nuperrime quoque a Vic. Apost. Mayssurii propositam fuisse ; utrum nimirum *Apostolici Missionarii* titulus, caeteris paribus, supra alios talem non habentes titulum quemdam gradum aut praeeminentiam conferat ? Quod porro Iassensi Episcopo dedimus affirmativum responsum idem A. T. rescribendum ducimus. Et quoniam eiusmodi forte quaestio, ex male percepta declaratione Instructionis huius S. C. diei 23 Novembris 1845, incip. *Neminem profecto*, § IV *Hinc reiiciendus* etc. *(V. n. 1002)*, oborta praecipue videatur : eidem Iassensi Antistiti, ac tibi etiam significandum existimamus, haud unquam S. C. mentem fuisse ut maximi faciendus *Apostolici Missionarii* titulus, tamquam vacuum tantum nomen dein haberetur : verum id unum intendisse ut ex ea, qua antea detinebantur indigenae presbyteri, fere famulatus, abiectionis et contemptus conditione erigerentur, ac paulatim et sensim, per accuratam sedulamque in omni scientia ac pietate institutionem, ad praecipua quoque obeunda Missionis munia idonei redderentur ; quo tandem fieret ut Missionibus ipsis, florenti satis naturali clero instructis, neque extraneorum subsidiorum, nempe missionariorum europaeorum ope ac ministerio amplius egentibus, rectores, moderatores atque pastores, etiam ex iisdem presbyteris indigenis, praefici possent, quin magnis impensis indesinenter ex Europa operariorum auxilia suppeditare opus esset. Interim tamen haud cogitavit S. C., nec voluit, ut dum clerum indigenam quodammodo erigere et ad maiora parare cupiebat, Apostolicis Missionariis potior omnino ab Apostolica Sede per eiusmodi titulum collata dignitas imminueretur, et causa despondendi animum tribueretur. Quapropter, caeteris paribus, et qua simplices presbyteri ii sunt, tam indigenis, tam europaeis operariis, applicanda regula (§ IV Instructionis traditae) clare innuitur ; paritatem porro inter eos non esse patet per superadditum Apostolici Missionarii decus, quod praelationem utique meretur inter alios qui eodem ditati non sunt.

1093

Circa absolutionem pro defunctis post Missam.

S. R. C. *9 Iunii 1853.* — Cocincin. — 1. Utrum absolutio pro defunctis, finita Missa fieri possit tantummodo quando dicta fuit Missa de *Requiem;* vel fieri etiam possit, in paramentis tamen nigris, post Missam de festo duplici, cuius fructus defunctis applicatur.

De voce *Amen* in fine formae Baptismi.

2. Plures theologi inter quos Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio, sentiunt veniale esse omittere vocem *Amen* in fine formae Baptismi; quae tamen vox non reperitur in Rituali Romano. Hinc quaeritur: Num ea adhibenda sit vel omittenda?

Circa ritum consecrationis episcopalis, presbyteris, loco Episcoporum, assistentibus.

3. Quando pro Consecratione Episcopi facta fuit facultas ut assistant duo presbyteri loco duorum Episcoporum, quaeritur: Utrum hi presbyteri assistentes debeant ambabus manibus caput consecrandi, post Episcopum consecrantem, tangere, et recipere consecratum ad osculum pacis.

R. Ad 1. Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam.

Ad 2. Strictim in casu servetur Rituale Romanum.

Ad 3. Servetur eodem modo rubrica Pontificalis Romani.

1094

De unctionibus in nolarum benedictione.

S. R. C. *23 Iunii 1853.* — Eistetten. — An liceat sacerdoti ab Episcopo delegato ad benedictionem nolarum, quum debeat formam servare in Pontificali Rom. praescriptam, unctiones adhibere.

R. Affirmative.

1095

An denuo confirmandi qui a sacerdotibus schismaticis confirmati sunt.

S. C. S. Off. *5 Iulii 1853.* — 1. Se qualcuno degli scismatici ritornasse all'unità della Chiesa, e non avendo con chi potere esercitarsi nel rito greco, abbracciasse il rito latino (s'intende essendo semplice laico e non sacerdote), può il Vescovo di rito latino confermarlo *sub conditione?*

2. Se i figli dei cattolici siano battezzati dagli scismatici (1) può il Vescovo loro latino riconfermarli *sub conditione?*

R. Ad 1. et 2. Non expedire quod confirmati a sacerdotibus schismaticis denuo liniantur post reditum ad unitatem; et ad mentem. — La mente è che nei casi particolari s'informi il Vescovo del luogo preciso ove i convertiti furono cresimati. Che se fosse in Bulgaria od in Cipro, in Italia o nell'isole adiacenti, o presso i maroniti libanesi, o in altro luogo ove espressamente sia revocata tal facoltà, debba riconfermarli *absolute.* Se in Valachia e Moldavia, nell'Asia o in altri luoghi in cui non fu espressamente rivocata, *acquiescat.* Che se si dubitasse del luogo, del modo, o di altra ragionevole circostanza, *recurrat in casibus particularibus,* et consulat Benedict. XIV *De Syn. Dioec. lib. 7, c. 7 et seqq.* Sedulo autem curet idem Episcopus Vicarius Apostolicus admonere catholicos sibi subditos licitum ipsis non esse extra casum extremae necessitatis petere pro filiis suis Baptismum a schismaticis vel haereticis.

1096

An unitarii, lutherani, calvinistae rebaptizandi sint sub conditione.

S. C. S. Off. *5 Iulii 1853.* — Bulgariae — 1. Se si converte un unitario alla religione cattolica, deve ribattezzarsi almeno *sub conditione?*

2. Se si convertono i luterani e calvinisti, si debbono ribattezzare *sub conditione?*

3. Se si converte un unitario alla religione cattolica è tenuto a ritener la moglie della sua setta, se essa non vuole abbracciare il cattolicismo?

R. Ad 1. Quando unitarii ad fidem catholicam convertuntur, in primis Episcopus diligenter investiget an eorum ministri in collatione baptismi cum necessaria intentione materiam tum remotam tum proximam, et formam iuxta divinam institutionem adhibeant, et si, facta inquisitione, error substantialis certe inveniatur, absolute sunt baptizandi; si autem remaneat prudens dubium circa validitatem, secreto et sub conditione baptizentur.

Ad 2. Dum lutherani et calvinistae ad Ecclesiae sinum redire petunt, Episcopus diligenter inquirat an in locis in quibus baptizati fuerunt a ministris haereticis, in collatione huius sacramenti omnia essentialia circa validitatem rite fuerint servata, et si facta inquisitione meliori modo quo potuit, adhuc prudens dubium de validitate baptismi perseveret, secreto et sub conditione sunt baptizandi.

Circa validitatem matrimonii haereticorum dubie baptizatorum.

Ad 3. Si omnibus perspectis, dubium persistat de valore baptismatis, validum censendum esse in ordine ad validitatem matrimonii, ideoque unitarium ad catholicam religionem conversum non posse dimittere uxorem suae sectae. Si autem certe dignoscatur invalidum esse eorum baptisma ex consuetudine actuali eiusdem sectae, matrimonium inter eos non esse ratum, et ut infideles esse habendos.

1097

Apostolicae Sedis studia pro schismaticorum conversione.

Ex Litteris Apost. Pii PP. IX *2 Febr. 1854* (ad Armenos) — *Neminem vestrum* Summam certe laudem ii omnes merentur, qui exoptant, ut illa Armeniae vestrae Nationis

(1) Notum est graecos Confirmationem una cum Baptismo conferre.

pars, quae adhuc in schismate misere versatur, ad catholicam unitatem redeat. Etenim huiusmodi desiderium plane respondet tum ardentissimis S. Matris Ecclesiae votis, quae Deum orare et obsecrare nunquam desinit, ut omnes dissidentes filii ad suum sinum et complexum revertantur, tum indefessis huius Sanctae Sedis curis et studiis, quae ob hanc causam tantopere adlaboravit, atque adlaborare nunquam intermittit. Ac Nos ipsi, ut probe nostis, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio memorati Nostri ad Illustrem Turcarum Imperatorem Legati occasione utentes, ad Orientales Nostras dedimus Litteras (1), quibus illos amantissime aeque ac studiosissime excitavimus, ut ad catholicae unitatis professionem reverti properarent, festinarent. Atque utinam universa vestra natio caelesti gratiae respondens, eiuratis erroribus, in docilitatis, et unitatis spiritu ad unicum Christi ovile rediret, a quo plane abest quicumque non consociatur cum hac Sancta Petri Sede, ex qua in omnes venerandae communionis iura dimanant (2), ad quam omnis obedientia et honor est deferendus (3), et ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles (4). Equidem incredibili Nos afficeremur consolatione, et universa Ecclesia ingenti exultaret laetitia, si omnis vestra natio ad catholicam rediret unitatem. Ex quo profecto intelligitis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, Nos non solum probare haud posse eorum agendi rationem, qui asperis durisque modis cum vestrae nationis schismaticis agere solent, nec debitam eorum rationem habent, verum etiam vehementer, et omnino illos improbare, qui non amore et benevolentia, sed asperitate ac severitate eos etiam prosequuntur, qui a funesto schismate ad catholicam unitatem sunt conversi.

Contra nonnullorum consilia circa ritus orientales.

Verum eodem tempore tolerare non possumus, ut aliqui catholicae unionis promovendae praetextu nullum discrimen habendum esse velint quoad schismaticorum errores, atque abutentes studio, quo haec Sancta Sedes veteres sanctosque Ecclesiae orientalis ritus tuendos curavit, existiment, in hac re id prorsus omne accuratissime esse exsequendum, quod a Schismaticis in praesentia agitur, et arbitrentur nonnullos quoque usus esse eliminandos, qui in catholicam vestram nationem rite invecti fuerunt, ut solemniori modo ostenderetur, quam vehementer catholica ipsa vestra natio ab haeresi et schismate abhorreat, et catholicae unitati firmiter adhaerescat. Atque isti homines vellent etiam, ut quaedam opera, et ecclesiasticae regulae tollerentur, quas experientia veterum canonum disciplinae adiiciendas plane esse demonstravit, dum catholica Ecclesia ab haeresi et schismate, quae mortua sunt, longe et omnino dissimilis, perpetua vigens vita, et caelestium divitiarum ditata thesauris, ac veritatis magistra, et salutis index, tot sanctorum operum, et pulcherrimarum institutionum est fecunda parens et altrix, quibus religionem, pietatem, humanitatem, omnesque virtutes fovet, et communi omnium bono, ordini, prosperitati, et concordiae mire consulere numquam desinit. At minime ignoratis, eumdem Praedecessorem Nostrum Gregorium XVI contra istorum hominum ita sentientium consilia suas Apostolicas edidisse Litteras, quae die tertia Februarii anno 1832 datae incipiunt « Inter gravissimas ». Illud vero singulare, et admiratione dignum videtur, quod isti rituum tantopere studiosi non dubitent in aliis articulis, ab ipsius orientalis Ecclesiae canonibus deflectere. — Iam vero, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, post haec omnia, quae pro impensae Nostrae erga catholicam vestram Armeniam Nationem caritatis studio Nos ipsi hisce Nostris Litteris Vobis significanda et declaranda existimavimus ad omnes dubitationes et ambiguitates propulsandas, in eam profecto spem erigimur fore, ut Deo bene iuvante iuxta ardentissima Nostra vota concordia et pax, ex quibus vestra eadem natio omnem veram prosperitatem expectare potest, denuo in vestrum omnium animis reviviscant, ac dominentur.

(1) Litterae ad Orientales 6 Ianuarii 1848, quae incipiunt « *In Suprema Petri Sede* ».
(2) S. Ambros. Epist. 12 ad Damas. n. 2 et 4.
(3) Concilium Ephes. Act. 4.
(4) S. Irenaeus adversus haereses cap. 3.

1098

Circa decretorum Sacrae Rit. Congreg. auctoritatem.

S. R. C. *8 April. 1854.* — 1. Quum ex declaratione Sacrae Rituum Congregationis, lata die 23 Maii 1846 in una Ordinis Praedicatorum, sancitum fuerit Decreta et Responsiones ab ipsa emanata, dummodo scripto formiter edita fuerint, eamdem auctoritatem habere ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quaeritur: An per verba *dummodo formiter scripto edita fuerint,* sufficiat quod sint subscripta a Sacrae Rituum Congregationis Praefecto et Secretario, ac eiusdem sigillo munita; vel potius requiratur, ut sint vel Romae vel ab Episcopis in suis dioecesibus promulgatae.

2. Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam: An tanquam *formiter edita* habenda sint Decreta et Responsiones in authentica Collectione inserta.

Ad 1. Affirmative, ad primam partem; Negative, ad secundam.

Ad 2. Affirmative; uti patet ex adiecta Declaratione.

1099

De SS. Eucharistia ad christianos in carceribus vel in domibus ethnicorum deferenda.

S. C. S. Off. *5 Iulii 1854.* — Coreae — 1. Sunt in carcere aliquot fideles, et apud viros paganos aliquae mulieres christianae, qui exire non possunt ad Eucharistiam suscipiendam: expeditne ut illis deferatur secreto, sive in carcerem, sive ad domum gentilium, modo magnum absit periculum?

Circa eos qui superstitioni aliquomodo contribuunt.

2. Illi qui occasione data remote contribuunt superstitioni, v. g. qui foro emunt cibos ad sacrificium ordinatos, qui submittunt igni aliquot ligna ad eos coquendos, qui tradunt vel commodant vas, mattam sternunt ad genuflectendum, et alia huiusmodi faciunt, suntne arcendi a sacramentis usquedum corrigantur, ideoque eorum actio estne peccatum mortale?

R. Ad 1. Affirmative, dummodo tamen aliunde sint rite dispositi, ac ieiuni (excepta gravi infirmitate), et remoto quovis sive irreverentiae sive contemptus periculo; idque fiat eo meliori quo fieri poterit modo, ipsius Vicarii Ap. prudentia determinando.

Ad 2. Detur Instructio Sacrae C. de Prop. Fide diei 5 Aprilis 1785 *(V. n. 576)*. Consulat Synodum Sutchuensem in Cap. X. § 30. (1) Dentur responsa S. Officii sub fer. IV. 5 Septemb. 1736 *(V. n. 320)*.

1100

Circa mittendos ad Urbanum Collegium adolescentes

Litt. encycl. S. C. de Prop. Fide *1 Aug. 1854.* — Haud semel contigit Romam advenisse adolescentes ex dioecesibus vel missionibus, ad quas Apostolica Sedes per S. C. de Propaganda Fide suam peculiariter exerit solicitudinem, qui modis omnibus adnituntur ut in Collegium Urbanum eiusdem S. C. admittantur. Utinam datum esset plurium votis satisfacere: attamen in eo Collegio componendo totius ferme orbis est ratio habenda, atque uti par est earum imprimis Missionum quarum minus felix conditio existit: aedes insuper haud sinunt alumnorum numerum augeri: demum quolibet sub respectu servanda ea regula visa est quae iugiter viguit et aequissima dignoscitur, ut nonnisi ex praevia ipsius S. C. venia, quae ad Episcopos atque alios Missionum praesides mitti consuevit, adolescentes iter suscipiant qui in Collegium admittantur. Quod igitur sapientissime a primordiis fuit invectum et ad praesens usque usu receptum est, servandum omnino edicitur. Ne vero S. C. postulantes huiusmodi repellendo, id praestare cogatur quod maxime displiceret, opportunum visum est Antistites ac reliquos Missionum superiores peculiariter admonere ut nullum ipsi, nisi obtenta

---

(1) Haec ibi: « Serio moneantur fideles, atque in« struantur de gravitate peccati, quod committunt ii, « qui contribuunt, aut concurrunt ad superstitiosa. Mo« dis omnibus a tanto delicto deterreantur, quod fidei « labem, religioni dedecus, fidelibusque maximum infert « scandalum. Et quoniam in plurimis locis frequentis« sima est occasio sic contribuendi, nec desunt, qui « vexationibus, et exactionibus debilitati, vel timore, « aut humana consideratione ducti cadunt, ideo in « omni patientia, et doctrina missionarii frequenter tum « per se, tum per catechistas edoceant, et adhortentur « fideles, ut huiusmodi tentationibus fortiter, et con« stanter, postposito omni humano timore, resistant, id « persuasi, quod Dominus non patietur ipsos tentari « supra id, quod possunt.

« Ne autem in tam gravi materia sibi variis praetex« tibus illudant fideles, sciant nullo modo, nullaque « causa licitum esse sive ad praecavendam direptionem « bonorum, aut aliud grave damnum, sive ad ea redi« menda, postquam direpta sunt, sive ad vitandas per« secutiones, sive etiam ad servandam vitam, vel mi« nimum pro superstitiosis contribuere sive pecuniae, « sive orizae, sive alterius cuiuscumque rei, nec mutuo « aliquid dare, nec operam, vel officium impendere, a « quocumque etiam praefecto publico postuletur, vel « exigatur, sive apponatur conditio, ut non inscribantur « eorum nomina in catalogo conferentium, sive fiat « protestatio se nimirum non conferre pro superstitio« sis, sed potius ad redimendum se ab iniusta vexa« tione, se conferre quasi munus exactoribus, ut pos« sint inter se convivari, aut alia quaevis declaratio.

« Hinc non licet contribuere pro comoediis, aliisque « spectaculis, et ludis, quae fiunt, ut solet, in honorem « idolorum, aut in alium finem superstitiosum, vel ante « templa idolis, vel progenitoribus defunctis dicata, vel « contra bonos mores, nec quidem iis omnibus interesse « licet. Non licet contribuere pro aedificatione, repara« tione, conservatione, et ornatu cuiuscumque templi « idolorum ne quidem Confucii et avorum, nec pro « emptione uniuscuiusque rei etiam eduliorum illuc de« ferendorum, nec pro sustentatione eorum, qui in his « omnibus operam, et laborem impendunt. Nec licet « contribuere pro sacrificiis, aut aliis ritibus, seu cae« remoniis, quae intra domos privatas, vel ad sepulchra « fiunt coram defunctorum tabella, aut feretro etc. Si « mos tamen alicubi invaluerit, quod nos latet, impo« nendi quasdam contributiones, sed simul etiam ad « populi laetitiam, aut aliud quid indifferens referantur, « ac destinentur, tunc, urgente gravissima causa, liceret « fidelibus contribuere pecunias, dummodo per huius« modi contributionem non intendant ad actus super« stitiosos concurrere, praesertim praemissa, si com« mode fieri potest, protestatione, quod imposita tri« buta praestant in ordine tantum ad populi laetitiam, « et ad actus indifferentes, vel saltem cultui religionis « christianae non repugnantes.

« Item nemini ex fidelibus licet, sive in novi aut ple« nilunio, sive in anniversariis, aut aliis diebus cultui « defunctorum, vel idolorum consecratis, etiam prae« missa quavis protestatione, cibos emere, vel coquere, « mensas aptare, vel edulia quovis modo praeparare, « vel dividere, vel apponere, quae fiunt pro idolis, pro« genitorumque spiritibus specialiter praeparanda, et eis « offerenda. Si vero extraordinaria huiusmodi convivia « pro laetitia familiae, pro hospitibus aliisque occasio« nibus minime superstitiosis primario fiant, quamvis « non ignoretur aliquam eorum partem idolis offeren« dam fore, si dapes non distinguantur, ut aliquae fiant « pro oblatione superstitiosa, aliaque pro cibo convi« varum, sed destinatio pendeat ex arbitrio patrisfami« lias, si nulla dapes sit specialiter directa, et praepa« rata pro idolo, in hoc casu si agatur de ordinariis « servis, et culinariis, qui toto anni tempore huiusmodi « ministerio sunt addicti, cibos coquere, et praeparare « licet, praemissa, si commode fieri potest, protesta« tione, se agere pro comestione familiae, non pro su« perstitiosis; at istis quidem nunquam licere potest « disponere mensas ad locum oblationis, cibos dividere, « nec apponere, nec quovis alio modo superstitiosis « cooperari ».

venia et rescripti tenore accurate servato mittant, neque etiam ad huiusmodi scopum commendatitias litteras tradant iis quibus locus haud fuerit adsignatus; imo pro viribus sedulo curent ne aliquis antea haud admissus ea de causa romanum iter suscipiat.

1101

An festum Patroni dioecesis, ubique in ea sub praecepto servandum.

S. R. C. *12 Aug. 1854.* — Ventimilien. — Festum praecipui Patroni dioecesis servandum sub praecepto in locis, in quibus non habetur specialis Patronus a S. Sede confirmatus, de quo, in casu, agendum est de praecepto, loco Patroni dioecesis.

1102

Circa absolutionem post Missam *in die obitus*.

S. R. C. *12 Aug. 1854.* — Briocen. — 1. Num post Missam in die obitus alius sacerdos a celebrante diversus accedere possit ad absolutionem peragendam.

De luminibus ante sacra lipsana.

2. Num thecae deauratae Sanctorum Reliquiis addictae ad altaris ornamentum, inter candelabra collocatae, et apertae singulis diebus sine lumine, sic permanere possint.

R. Ad 1. Negative; et ex decretis hoc iure gaudere tantum Episcopum loci Ordinarium.

Ad 2. Ante sacra lipsana exposita saltem duo lumina, ex decretis, collucere debere.

1103

De baptizandis adultis qui nondum S. Eucharistia refici possunt.

S. C. S. Off. *20 Sept. 1854.* — Yun nan — 1. Novi Dei cultores, qui pie vivunt, et iam doctrinam ad Baptismum absolute necessariam callent, debentne statim baptizari, etiamsi nondum Sacra Eucharistia refici possint? In istis enim infidelium regionibus utilitas maioris doctrinae non videtur praevalere necessitati et etiam Baptismi utilitati, propter periculum ne praedicti catechumeni sine Baptismo moriantur, vel ab imperito christiano forsan baptizentur. Post baptismum suum doctrinam de aliis sacramentis addiscere poterunt. Aliunde multi sunt ita tardi ingenii, ut statim non possint integram sacramentorum callere doctrinam.

De baptizandis qui opium fumigandi consuetudinem statim relinquere nequeunt.

2. Qui fumigant opium et illud statim derelinquere non possunt, propter fumigandi consuetudinem, quin subeant grave periculum mortis, vel saltem morbi gravissimi, modo tamen sese pro viribus emendare conentur, si aliunde dispositi, possuntne ad Baptismum admitti?

R. Ad 1. Novos Dei cultores qui pie vivunt, et iam sunt bene instituti, et necessitas postulabit, posse baptizari, etiamsi S. Eucharistia nondum refici possint. Et Vicarius Ap. consulat Rituale Rom. tit. *De Baptismo adultorum*, et Synodum Sutchuens. cap. 2 § 3.

Ad 2. Dummodo pro viribus, ante Baptismi susceptionem, id impleant quod a se iure exigitur, et eorum constantia probata extitit, ac etiam vita, possunt admitti ad Baptismum, si aliunde sint dispositi.

1104

De matrimonio neophyti quod ante conversionem cum uxore fratris sui defuncti contraxit.

S. C. S. Off. *20 Sept. 1854.* — Yun-nan — In istis missionibus saepe evenit ut minor fratris sui maioris defuncti uxorem ducat, et postea convertatur. Difficillime separari possunt propter prolem iam susceptam vel periculum ne avertantur a fide. Ipsorum matrimonium invalidum esse videtur utpote omnino a lege civili prohibitum, etiam sub poena mortis. Verum post baptismum ad convalidandum eorum matrimonium satisne est ut tantummodo suum renovent consensum?

R. Praevia dispensatione ab impedimentis disparitatis cultus et primi affinitatis gradus per facultates quibus missionarii gaudent, consensum esse renovandum. Quod si superventura mala deprehendantur, relinquendos in bona fide.

1105

De Confirmatione conferenda ante primam Communionem.

S. C. Concilii *19 Nov. 1854.* — (Ad Ep. S. Dionysii). — Cum longe minor aetas pro admittendis ad sacramentum Confirmationis requiratur, quam pro admittendis ad primam Communionem, ceu tradit Catechismus Romanus *De Confirm. n. 18*, et docet Benedictus XIV *de Syn. Dioec. lib. VII, cap. 10, n. 2, 3*, reformari Tibi proponitur iuxta allatam doctrinam articuli 22, p. 19 (in Actis Synodalibus), ita ut prius locus sit Confirmationi conferendae, postea vero, opportuno tempore, primae Communioni suppeditandae.

1106

De quodam *voto* seu *oblatione* ad maximum animarum in purgatorio detentarum solatium.

S. C. Indulg. *20 Nov. 1854.* — Cum sancta sit ac salubris pro defunctis exorandi cogitatio ut ab eorum solvantur peccatis, ad excitandos erga eos militantis Ecclesiae fideles, Romanorum Pontificum apostolica sollicitudo nunquam defuit in elargiendis de ipsius Ecclesiae thesauro pene innumeris indulgentiis, animabus praesertim in purgatorio detentis applicabilibus, tam in quarumdam orationum recitatione, quam in nonnullis piis operibus peragendis, ut citius e piacularibus flammis solutae, ad supernorum civium societatem evolarent. Ut maximum autem eisdem animabus procuraretur solatium, sedente Benedicto XIII fel. rec., pia quaedam devotio, quam *votum* seu *oblationem* appellant, a P. D. Gasparo Oliden ex Clericorum Regularium Theatinorum familia fuit instituta, aut saltem per catholicum Orbem propagata, per quam christifide-

les ipsam amplectentes omnia propria meritoria opera (1) dum in terris morantur, ac singula eorum suffragia, cum ex hac vita decesserint, defunctis fidelibus singulari pietate offerunt, atque in eorum cedunt utilitatem; idemque praelaudatus Pontifex Benedictus XIII omnibus hanc oblationem emittentibus peculiares elargitus est indulgentias, quas rursus, postulante eorumdem Theatinorum Praeposito Generali die 12 Decembris 1788, Summus Pontifex Pius VI sua auctoritate confirmavit: et in Audientia 30 Sept. 1852 SSmus D. N. Pius PP. IX, instantibus nonnullis ecclesiasticis viris non modo eas iterum confirmavit, verum etiam voluit eas, ut infra, declarare: 1. Quod sacerdotes ipsam oblationem profitentes indulto altaris privilegiati personalis gaudere possint singulis anni diebus. — 2. Quod omnes christifideles qui idem votum seu oblationem emittunt, Indulgentiam plenariam fidelibus tantum defunctis applicabilem lucrari queant quocumque die ad sacram Communionem accesserint, et qualibet anni feria secunda sacrum Missae sacrificium in suffragium eorumdem defunctorum fidelium audierint, dummodo in utroque casu aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis suae pie oraverint. — 3. Quod ipsis christifidelibus omnes et singulas Indulgentias quocumque modo concessas, vel in posterum concedendas, quas lucrari possunt, animabus pariter defunctorum applicare liceat. — 4. Quod ut magis ac magis animabus peculiaribus flammis addictis perenne tribuatur auxilium, ad universi Orbis christifideles dictam oblationem exsolventes, quatenus opus sit, hoc indultum extensum habeatur. — Praeterea eadem Sanctitas Sua prae oculis habens tum adolescentes nondum ad sacram Communionem accedentes, tum vero infirmos, senes, villicos, in carceribus detentos, ceterosque fideles qui aut ad sacram Synaxim accedere, aut in feria secunda sacrum Missae Sacrificium audire nequeunt, in Audientia 20 Novembris labentis anni clementer indulsit ut omnibus et singulis christifidelibus, qui legitimo impedimento nequeunt Sacrum audire feria secunda, pro acquisitione supraenunciatae Indulgentiae in qualibet secunda feria, ut supra, concessae, suffragetur Missa quam die dominico ex praecepto audire tenentur; pro omnibus et singulis vero fidelibus, qui aut nondum sacrae Eucharistiae sumendae capaces, aut legitima alia ratione hoc Sacramentum sumere nequeunt, benigne remisit facultatem arbitrio respectivi pro tempore Ordinarii locorum subdelegandi confessarios ex approbatis pro opportuna Communionis in alia opera commutatione. Non obstantibus *etc.*

1107

De lucro quod pecuniam mutuantes, a suis debitoribus, horum famulatu recipiunt. De filiis servorum.

S. C. S. Off. *29 Nov. 1854.* — CAMBODIAE — In his regionibus iam a longo tempore multum insudarunt missionarii ad christianos sibi commissos ab omni labe usurae removendos praesertim in casu de quo infra agitur. — Christifideles, infidelium mores et consuetudines nimis sectantes, quotidie dant mutuo pauperibus debitis obrutis quamdam summam pecuniae, v. g. 100 ligaturas, vel unum panem argenteum, et personam debitoris, vel uxorem, aut filios eius pro pignore debiti (quod aliunde a tertia persona saepe assecuratur) ut servos vel famulos apud se retinent. In hoc casu nihil ultra sortem percipitur, quia labor servi pro usura computatur. Porro, etsi debitor ipse, vel alius quispiam vices eius gerens, per 10 aut 20 annos et amplius famulatus fuerit, sortem integram nihilominus solvere cogitur ad libertatem obtinendam. Imo sors ipsa saepe saepius augetur, quia si quid confregit aut disperdidit apud herum in tempore servitutis, sive culpabiliter vel inculpabiliter, ipsi imputatur et sorti adiicitur. Aliquando etiam contigit sortem esse omnino exiguam, v. g., 30 vel 40 ligaturas, et in hoc casu creditor operam servi seu debitoris sibi etiam integram vindicat, sorte minime imminuta. Quaeritur ergo utrum haec agendi ratio sit usuraria, et ut talis profliganda, sub poena restitutionis et negationis absolutionis.

Ut autem causam sub omni respectu pernoscat S. C., et suum iudicium secure proferre valeat, hic iuvat quaedam momenta prolixius exponere, ad maiorem quaestionis elucidationem.

1. Notandum est legem civilem in Cambodia nihil praecise statuere circa usuram ex mutuo percipiendam; idcirco divitum cupiditati omnimode laxantur habenae. Iuxta consuetudinem, qui humanius tractant suos debitores usura 60 pro 100 singulis annis exigunt, plerique alii 100 vel 200 et saepe 300 et amplius pro 100 accipiunt; sed nulla est taxa legalis, et rex ipse a me interrogatus respondit usuram stipulatam, quantumvis enormis sit, semper esse solvendam: et revera istam regulam sequuntur tribunalia.

2. Inter eos qui in servitutem propter de-

(1) In postrema editione (an. 1898) Collectionis a Leone PP. XIII sa. me., approbatae *(Decr. Sacrae Congr. Indulg. 23 Iulii 1898)* cui titulus: *Raccolta di orazioni e pie opere per le quali sono state concesse dai Sommi Pontefici le ss. Indulgenze* sic legitur (p. 453): « Quest'atto eroico di carità, a vantaggio delle anime del « purgatorio, consiste in una spontanea offerta che fa « il fedele a Sua Divina Maestà in suffragio delle dette « anime di tutte le sue opere *satisfattorie* in vita, e di « tutti i suffragi che può egli avere dopo morte ».

bita redacti sunt, quidam sunt aetate provecti ut senes et vetulae, quorum opera vix compensare potest expensas victus ac vestitus eorum. Idem dicendum est de iunioribus a 10 annis usque ad aetatem 15 vel 16 annorum: hic non agitur de istis servis qui ex levi labore ius nullum comparare possunt ad imminutionem debiti sui; agitur tantum de iis qui in aetate virili constituuntur. Porro isti in duas classes ordinari possunt. Quidam extra sed prope domum heri habitant nihilque ordinarie ad victum ab eo accipiunt nisi diebus quibus ei operam praestant. Sed plerique sub eodem tecto cum domino manent, eique semper inserviunt. Imo sub quocumque regimine servi constituantur, si filios procreent in tempore servitutis, dominus eos ut servos suos habet et tractat, et, si libertate donentur, hoc non fit sine pretio argenti, quamvis grandiores facti sufficienter laboraverint ad compensandum sumptus infantiae suae. (Iuxta statutum legis civilis, herus potest exigere 80 ligaturas ab unoquoque filio servorum suorum in servitute procreato, cum libertatem obtinere voluerit.) — Ex supra dictis patet servos in Cambodia servare facultatem sese redimendi, pretium emptionis hero refundendo; attamen plures domini eos vendunt quanti possunt, non secus ac iumenta et bubalos.

3. Labor ordinarius servorum non idem est in singulis domibus, sed differt pro varia conditione vel industria heri, et ipso sexu aut viribus servorum. Si mulieres sint, coquere cibos, haurire aquam in flumine, contundere orizam, curare infantulos, emere et vendere in emporio, fila gossypii nere, suere, et telas texere, est occupatio earum ordinaria. Si masculi praeter opera prius recensita, ipsorum est colligere et findere ligna, piscari, herbas secare, arundines in silvis ad domum aedificandam caedere, culmum falcare et contexere ad tecta domus tegenda, remigare in cymbis et fruges advehere. Si vero dominus sit arator, quilibet servus, sive mas, sive foemina, suo labore concurrit ad colendos agros, plantandas segetes, et eas metendas, advehendas et conculcandas. Imo sunt domini, lucro inhiantes, qui, opera in domo sua deficiente, suos servos aliis conducunt, et mercedem sibi vindicant, vel eos cogunt per rivos et flumina cymbas ducere ad commercium pro ipsis agendum: hic labor, ut cultura agrorum, est gravissimus.

4. Ad praesentem quaestionem enucleandam, maxime interesset indicare qua mercede conducantur famuli in hoc Regno: inde enim pateret quantum creditores percipiant ex labore servorum suorum supra sortem pecuniae illis mutuatae. Sed haec regula nobis deest, cum nullus inveniatur famulus conductitius in Cambodia. Qui vult habere famulum solvit debitum alicuius personae, vel dat quamdam summam mutuo, et servum accipit, cuius labor, seu famulatus, pro usura computatur, ut supra dictum est. Quidam tamen missionarii famulos conducere potuerunt ut sibi cibos pararent, quibus quotannis mercedem 40 ligaturarum solvunt. Sed hic famulatus alteri comparatus longe levior est. Aliquando etiam contingit debitores, propter dedecus servituti inflictum, alterum conducere, quem in sui locum sufficiunt, et hic mercedem 20 ligaturarum singulis mensibus accipit, quamvis opera eius non tanti valeat. Unum tantum servum novi pretio 3 ligaturarum ad mensem conductum, sed in domo cuiusdam viduae cui operam levissimam impendebat. Summa 5 ligaturarum est pretium infimum et rarissimum, et summa 20 ligaturarum est supremum, et tamen ordinarium. Reor ergo verum et legitimum pretium laboris servorum inter haec duo extrema esse quaerendum, habita ratione gravitatis istius laboris ut expositum est in num. 3 praecedenti.

Si deficiunt famuli conductitii in Cambodia, non tamen desunt alii operarii, ut vectores, remiges etc., qui singulis diebus praeter cibaria (quae hic sunt vilioris pretii) dimidiam ligaturam pro mercede accipiunt, seu 15 ligaturas in mense. En sola momenta mihi nota quae in medium afferri possunt ad valorem et pretium laboris servorum aestimandum. Scio laborem operariorum conductitiorum esse gravem et continuum, operam vero servorum, etsi aliquando gravem, interdum tamen remitti. Habita ergo ratione istius differentiae, si partem mitiorem secuti, et magis hero faventem, supponimus servum mercedem 6 ligaturarum singulis mensibus tantum mereri, inde sequetur herum percipere usuram 72 pro 100 quotannis! Quis tantam oppressionem tolerare posset?

In tribunali Poenitentiae, fidem habens verbis fidelium qui se perhumanos in servos suos dictitabant, et in partem mitiorem alios inclinare studens, saepe poenitentibus meis iussi ut 20 ligaturas eis quotannis saltem remitterent, ita ut debitum 100 ligaturarum post 5 annos famulatus extingueretur. Sed vix unum aut alterum poenitentem obedire paratum inveni: omnes, consuetudini inhaerentes, recalcitrant, et cum mala fide contendunt servorum operam vix aequare expensas victus ac vestitus eorum. Si vero servorum verbis praebere aurem, et oculis nostris credere licet, pro certo tenendum est eos nunquam esse otiosos, sed quotidie a mane usque ad vesperam variis operibus addictos esse; et hoc verum est. Si enim domini nullum lucrum ex labore servorum perciperent, non tam satagerent servos emere. Hic fere quarta pars populationis servituti mancipatur. Cum cambodiensis aliquis sua industria aut labore unum panem argenteum comparare potuerit, eo pretio unum aut alterum servum emere properat, ut pigritiae indulgere possit et alieno

labore vivere. Quamvis dicta servitus sit impropria, cum servus sit pignus debiti, et servet facultatem se redimendi, attamen saepe perpetua est. Dominus enim pro usura operam servi sibi adscribit: debitum ergo remanet integrum, et servus se eximere nequit quin aliud debitum contrahat, sese alteri domino mancipando, et sic, servitute remanente, mutantur tantum domini, nisi servus habeat parentes aut cognatos qui ei succurrere velint et valeant. — En pessima lues cui remedium afferre intendimus, S. C. rogantes ut instructionem ad nos dirigere dignetur, qua innixi firmo pede inter tot et quotidianas difficultates rectam viam unanimiter tenere valeamus. Ut autem paucis verbis praecipuas difficultates quibus irretimur indigitare queam, proponuntur sequentia dubia:

1. Christifideles in Cambodia degentes possuntne, tuta conscientia, operam servorum seu debitorum suorum sibi adscribere, ut superius expositum est, sorte principali minime imminuta, et hoc, secluso omni titulo extrinseco periculi sortis, damni emergentis et lucri cessantis?

2. Si negative, quantum circiter domini imminuere debent singulis annis vel mensibus, habita ratione laboris servorum et valoris eius prout in num. 3 et 4 prius expositum est?

3. Licetne hero seu creditori filios servorum suorum, durante servitute natos, sibi ut servos vindicare, aut retinere, eosque ut tales vendere, non secus ac si nati fuissent ex parentibus in vera et proprie dicta servitute constitutis?

4. Ut dicti servorum filii libertate donentur, potestne herus tuta conscientia, ab eis quidquam exigere praeter sumptus infantiae eorum?

R. Prout exponitur, et agendo de pecunia mutuo data: Ad 1. Negative, et consulat Encyclicam *Vix pervenit (V. in Instr. S. C. de Prop. F. an. 1873)*.

Ad 2. Interveniente iusto et vero titulo ipsi mutuo extrinseco, et dato aequo pretio operae et laboribus servorum iuxta communem aestimationem, detractis sumptibus necessariis pro ipsorum alimonia, id tantum pro lucro, seu potius pro iusta compensatione exigi poterit quantum idem titulus ad iustitiae libram vere postulat, reliquum vero in sortis diminutionem cedere debebit. Si vero iustus et verus titulus non intervenit, tunc meminerint nihil omnino ex mutuo, vi ipsius mutui, ultra sortem repeti posse, sed integrum pretium et valorem operum et laborum, detractis ut supra sumptibus pro alimonia, in sortis diminutionem cedere debebit; et ad mentem. Mens est: Curent missionarii avertere christifideles a similibus contractibus valde periculosis ut provideant animae tranquillitati.

Ad 3. Negative.

Ad 4. Negative, et detur Responsio fer. IV 17 Martii 1847, nempe: — *Feria IV, 17 Martii an. 1847 — Ad dubium: Utrum christiani possint exigere a filiis servorum, factis adultis et volentibus ex eorum domibus exire, centum circiter francos in compensationem alimentorum in pueritia expensorum, EE. DD. mandarunt rescribi: Negative.*

Ad dubium genericum, nempe: — Utrum haec agendi ratio sit usuraria, et ut talis profliganda sub poena restitutionis et negationis absolutionis. — Iam provisum per praecedentes responsiones, et, quoad absolutionem denegandam vel restitutionis onus imponendum, consulat probatos auctores.

1108

De coronis, crucibus etc. acervatim benedictis.

S. C. Indulg. *12 Martii 1855.* – Verdunen. – Enixis precibus Verdunensis Episcopus huic S. Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae exposuerat quod hactenus coronae deprecatoriae, numismata sacra et cruces, antequam tali vel tali personae distribuantur, in globo benedicantur cum applicatione indulgentiarum a sacerdotibus, qui huiusmodi facultatem a S. Sede impetraverunt; et exinde quaerebat *utrum valida sit benedictio ita ut indulgentias praedictas adnexas possit quisque lucrari.* Proposito itaque dubio in Generali EE. PP. conventu, in Palatio Apost. Vaticano die 5 Martii 1855 habito, S. C., voto Consultoris audito, respondit: *Affirmative.* – Et facta... SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in Audientia diei 12 eiusdem mensis, Sanctitas Sua votum S. Congregationis confirmavit.

1109

Circa modum sacra scapularia gerendi.

S. C. Indulg. *12 Martii 1855.* – Melden. – An parvi habitus seu scapularia sint necessario immediate super corpus deferenda, ita ut illud physice tangant, vel an super vestes retineri possint.

R. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

1110

De indulgentia plenaria in mortis articulo semel lucranda.

S. C. Indulg. *12 Martii 1855.* – Ditionis Belgicae – Cum Sacra Congr. Indulgen. in una Valentinen. sub die 5 Februarii 1841 sequenti dubio: *Utrum infirmus pluries lucrari possit indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam,* resolutionem dedisset: *Negative in eodem mortis articulo,* exinde quaeritur: 1. Utrum vi praecedentis resolutionis prohibitum sit, infirmo in eodem mortis articulo permanenti impertiri pluries ab eodem vel a pluribus sacerdotibus hanc facultatem habenti-

bus indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae vulgo *benedictio papalis* dicitur. – 2. Utrum vi eiusdem resolutionis item prohibitum sit, impertiri pluries infirmo, in iisdem circumstantiis ac supra constituto, indulgentiam plenariam in articulo mortis a pluribus sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus, puta ratione aggregationis Confraternitati SSmi Rosarii, sacri Scapularis de Monte Carmelo, SSmae Trinitatis etc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, postquam in generalibus comitiis habitis die 5 Martii 1855 apud Aedes Vaticanas votum Consultoris super praefatis dubiis audisset, respondendum censuit: *Affirmative ad utrumque, firma remanente resolutione in una Valentinen. sub die 5 Feb. 1841.* Factaque de his omnibus SSmo D. N. relatione in Audientia habita die 12 Martii eiusdem anni, Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis benigne confirmavit.

IIII

De Sacrae Scripturae versionibus.

S. C. Indicis *27 Martii 1855* — Ep. Sanctorien. – 1. La Bibbia francese di M. de Genoude pubblicata ultimamente in Francia sotto l'ispezione di M. Arciv. di Parigi, senza note però, s'intende dalla S. Sede approvata, oppure resta proibita secondo le regole generali dell'Indice?

De versione psalterii, evangeliorum, epistolarum et totius Missae.

2. Che cosa debbasi pensare del Salterio di Davidde; degli Evangeli ed Epistole dell'anno; della traduzione di tutta la Messa, compreso il Canone: tradotti in lingua francese da autori cattolici? Si permette la lettura, oppure restano proibiti secondo le regole generali dell'Indice?

De Bibliis textu originali editis et de vulgata latina haereticorum.

3. La Bibbia pubblicata nei testi originali greco de' settanta, ebraico, ed anche la vulgata in latino degli eretici e scismatici, senza note, commenti, scolî e prolegomeni, è permessa o resta proibita come libro di essi trattanti *de religione ex professo?*

De Bibliis et de libris liturgicis schismaticorum.

4. La Bibbia de' settanta ed altri libri liturgici pubblici o privati, di cui si servono i greci separati, ed in cui non si contengono gli errori della loro setta, ma il testo biblico sincero, preghiere scevre di errore, ed in uso presso costoro, sono permessi o pure *in praesumptionem periculi* proibiti?

R. Ad 1. Provisum per observationem Clementis Papae XIII ad Regulam IV Indicis, subiectumque decretum S. Indicis Congregationis an. 1757 (1).

Ad 2. Affirmative quoad primam partem, dummodo editiones fuerint ab Ordinariis recognitae, et ab Apostolica Sede approbatae. Negative quoad secundam partem.

Ad 3. et 4. ut in 2., et ad mentem. Mens est ut Episcopus recurrat ad Apostolicam Sedem pro facultatibus, iis qui idonei censeantur impertiendis.

IIII2

De quadam contributione quae superstitionem olere videtur.

S. C. S. Off. *27 Iunii 1855.* — Tunk. Occid. — 1. Possuntne fideles contribuere cum pago vel cum parentela ad emendum bubalum, vel bovem, aut porcum, qui dividendus est inter omnes habitatores pagi, aut inter parentes? Ex sua carnium parte, christiani praeparabunt suas mensas quae nulla superstitionis labe inficiuntur, et infideles ex sua parte conficient suas idolo aut progenitoribus offerendas. Si christiani non contribuant, exponentur rixis, iurgiis et inimicitiis personarum, quandoque litibus et apostasiae.

De inscriptione in catalogis iuxta quos christiani ad superstitiosa coguntur.

2. Possuntne absolvi illi quorum nomina inscribuntur in catalogo pagi, vel in catalogo sui magistri, et non possunt illa delere? Iuxta hos catalogos infideles pagi vel condiscipuli cogent illos ad sacrificia superstitiosa; illi tamen promittunt se nihil facturos esse, sed propter pusillanimitatem valde timendum est ne violent suam promissionem. S. C. iam resolvit hoc dubium in responsis ad Episcopum Wratislaviensem, sed hoc responsum non habemus.

---

(1) Regula IV. Indicis ita se habet: « Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte iudicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii, Bibliorum, a catholicis auctoribus versorum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis argumentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

« Qui autem absque tali facultate ea legere, seu habere praesumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.

« Bibliopolae vero, qui, praedictam facultatem non habenti, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quovis modo concesserint, librorum pretium in usus pios ab Episcopo convertendum, amittant; aliisque poenis pro delicti qualitate, eiusdem Episcopi arbitrio, subiaceant.

« Regulares vero, nonnisi facultate a praelatis suis habita, ea legere, aut emere possint ».

« *Observatio Clementis PP. VIII.* — Animadvertendum est circa suprascriptam quartam Regulam Indicis fel. rec. Pii Papae IV nullam, per hanc impressionem et editionem, de novo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus, concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cum hactenus mandato et usu sanctae romanae et universalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias legendi, vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias Sacrae Scripturae, tam novi quam veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua editas ».

Decr. S. C. Indicis 13 Iunii 1757. — « Quod si huiusmodi Bibliorum versiones vulgari lingua fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris, conceduntur ».

Circa actus superstitiosos gentilium in domibus christianorum.

3. Iuxta consuetudinem Regni, domus primogeniti cuiusque familiae est locus in quo tota familia congregatur, offert progenitoribus et manducat immolata: uxor, filiae, domesticique debent verrere sordes, sternere mattas, parare locum ad immolandum. Quando primogeniti convertuntur ad Deum, familia non vult illis parcere haec opera; saltem exigit locum ad immolandum; si recusent, parentes non raro intentant lites pro fide periculosas et dispendiosas: christiani possuntne se habere modo passivo erga haec omnia, et relinquere illos facere haec superstitiosa in domo sua?

De illicitis erga idola reverentiae signis.

4. Cum infideles congregantur in suis aedibus vel ad dividenda inter se onera pagi, vel ad sacrificia peragenda, vel ad festa in honorem idoli celebranda, qui prope transeunt debent descendere de palanchino, aut inclinare pileum in signum reverentiae: fideles, ne afficiantur duris aut iniuriosis ictibus, possuntne descendere de sella gestatoria, aut pileum inclinare cum protestatione ista: *Saluto primores tantum, non revereor idolum?*

Circa abstinentiam a pronuntiatione nominis idoli ob reverentiam.

5. Infideles in honorem idoli sui prohibent nomen eius pronuntiari in toto pago, et indicant alterum verbum ad significandam rem quam exprimit nomen hoc. Christiani possuntne se abstinere a pronuntiatione nominis idoli, non reverentia, sed tantum metu paganorum, qui afficerent illos virgis et poenis infamantibus? Ratio dubitandi est ne videantur honorare idolum.

R. Ad 1. Iuxta exposita, dummodo christiani non intendant ad actus superstitiosos, nec sic in publica existimatione habeantur, non esse inquietandos. Nihilominus S. C. censuit pro varietate rerum et circumstantiarum dandam esse resolutionem feriae IV, 5 Septembris 1736, nempe: *Mos est in Regno Tunquini.... (V. n. 320).*

Ad 2. Detur Decretum sub die 21 Aprilis 1847, nempe: *Sinenses etsi innumeros.... (V. n. 1016).*

Ad 3. Simplicem tantum patientiam, citra ullam sive expressam sive tacitam approbationem aut quovis ministerio penitus excluso eisdem superstitiosis actibus (si quandoque contingat a christianis), posse permitti, cum aliter odia, inimicitiae vitari non possunt, facta tamen fidei protestatione, ac cessante periculo subversionis.

Ad 4. Non licere.

Ad 5. Non esse inquietandos.

1113

De polygamo ad fidem converso cuius prima uxor expectatam conversionem diutius differt.

S. C. S. Off. *4 Iulii 1855.* — Tunk. Orient. — Si quando evenerit ut polygamus ad fidem conversus, facta iuxta Apostolicas sanctiones interpellatione, sub spe conversionis coniugaliter habitaverit cum prima uxore (quippe quae sola fuit et est legitima eius uxor), quae interim conversionem ac baptismi susceptionem diutius differt, fas erit Episcopo, rei veritate bene perpensa, declarare integrum esse coniugi fideli ac baptizato ad alia vota, cum persona tamen fideli, convolare, sive cum secunda, si ad fidem convertatur, sive cum quacumque alia persona fideli.

1114

Circa privilegium paulinum, et infidelis coniugis interpellationem.

S. C. S. Off. *4 Iulii 1855.* — Siam. — I. Cum sinenses interdum emigrantes discedant, et in regno Siamensi permanenter maneant, hinc fit ut per distantiam locorum interpellatio ad coniugem infidelem pervenire nequeat, vel est multum difficilis. Quaeritur: An possit dispensari ab interpellatione coniugis, attentis facultatibus Synodi Sutchuensis, cap. IX, § 8, quae id permittit pro difficultate exquirendi partem interpellandam, vel quia in tanta est distantia ut interpellatio ad illam pervenire nequeat, vel saltem res est multum difficilis. Quod deducitur ex Brevi Gregorii XIII, die 25 Ianuarii 1585 *(V. n. 400).*

II. Leges in illis regionibus admittunt divortium et sinenses successive plures recipiunt uxores, et, relicta prima, habent aliquando filios a secunda muliere.

Quaeritur 1. Si prima, recusat redire cum viro, facta interpellatione, neophytus potestne, praevia dispensatione disparitatis cultus, contrahere cum secunda infideli, quae tantum vult cohabitare, a qua habuit filios?

Quaeritur 2. Si secunda mulier infidelis det spem futurae conversionis, licet filios non habeat, potestne similiter neophytus coniungi cum illa, praevia dispensatione ut supra?

Quaer. 3. In casu quod secunda mulier converti velit, satis erit tantum interpellari prima an converti velit, omissa alia interrogatione an consentiat habitare pacifice?

III. Evenit aliquando quod prima mulier vendita maneat in servitute, ipsa vero ad obtinendam libertatem consentit tantum habitare pacifice.

Quaeritur: 1. An primus vir eiusdem teneatur (eam) redimere a servitute, licet non ab ipso vendita fuerit, sed a parentibus vel a secundo viro, qui postea eam repudiavit?

Quaer. 2. Si neophytus habeat secundam uxorem in infidelitate, a qua filios habuit, et haec consentit converti ad fidem, vel cohabitare in pace, potestne illam retinere, renovato consensu, et data dispensatione, si necessaria?

Quaer. 3. In casu quod prima mulier, ut a servitute liberetur, simulet se velle converti ad fidem, postea converti recuset et cohabitare pacifice, potestne coniux denuo vendere infidelibus ad recuperandam pecuniam, et cum altera in matrimonio coniungi?

IV. Si neophytus in infidelitate plures uxores habuit successive, quas repudiavit, illa autem, quam in actu conversionis retinet, consentit converti ad fidem, neophytus potestne coniungi cum ipsa, quin prima interpelletur iuxta decretum latum a Pio V pro Indis sub die 2 Augusti 1571?

V. Si vir infidelis habens uxorem mulierem christianam, retineat concubinas, potestne dici hoc esse iniuriam Creatoris, ita ut in hoc casu mulier christiana possit uti privilegio in favorem fidei ad contrahendas alteras nuptias?

VI. Titius, relicta prima uxore infideli, transit ad alias regiones, ubi edoctus et baptizatus, cum Anna christiana nupsit coram parocho sine interpellatione, celato primo matrimonio: postea ad meliora reversus culpam confitetur, et petit dispensationem ab interpellatione primae uxoris ut renovet consensum cum Anna: potestne dispensari, si adsint conditiones ad dispensandum necessariae? Titius bona fide contraxit matrimonium cum Anna et ignorabat illud esse impedimentum.

R. Respondendum esse per S. Congregat. de Prop. Fide R. P. D. Vic. Ap. Siamensi iuxta adnexam instructionem.

Instructio. Propositis dubiis et quaesitis Episcopi Mallensis, Vic. Ap. Siamensis, feria 4, die 4 Iulii 1855, S. C. S. Officii respondendum censuit sequenti Instructione, cum fere omnia quaesita, utpote respicientia interpellationem coniugis infidelis, faciliorem solutionem admittant si attendatur verbis et praescriptionibus Synodi Sutchuensis, quae, approbante S. Sede, extensa fuit etiam ad regna Sinis adiacentia, inter quae comprehenditur etiam regnum Siamense; siquidem in cap. IX, § 8 eiusdem Synodi perspicue declaratur quando ab interpellatione dispensari possit, et quibus modis ad normam Brevis Gregorii XIII sit procedendum, et insuper praescribitur de quibus facienda sit: ibidemque reperitur quando et quomodo, prima legitima uxore renuente vel converti ad fidem, vel saltem cohabitare sine contumelia Creatoris, possit fidelis secundam ducere. At, si etiam secunda renuat converti, declarans tantum habitare pacifice, minime licitum est viro fideli. Si vero agatur de particulari casu, et gravia subsequantur mala, certior faciendus est Romanus Pontifex, ad quem recurrendum semper est in casibus extraordinariis, cum adnotatione omnium circumstantiarum. Interim standum erit praescriptionibus Synodi Sutchuensis et facultatibus a S. C. de Prop. Fide eidem Vic. Ap. impertitis. Cumque, ex eis quae habet Vic. Ap. in tertia secundi dubii quaestione, videatur inniti Apostolicis facultatibus dispensandi cum infidelibus plures uxores habentibus ut post baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima legitima uxor voluerit converti, atque in hoc casu sufficere ut interpelletur num velit converti, S. Cong., antequam propositae quaestioni quidquam respondeat, eidem Vic. Ap. scribendum censuit, ut afferat rationem dubitandi circa usum earumdem facultatum. Si vero agatur de legitima uxore in captivitate detenta, etsi repudiata ab altero viro, instruendus erit neophytus, ac monendus ut debitam interpellationem non omittat, a qua tantum dispensetur si adsint supradictae iustae causae, servatis semper servandis. Aliunde, respondente captiva muliere (supponitur legitima) se velle aut converti aut cohabitare sine contumelia Creatoris, eam a quocumque venditam redimere non negligat, si ei suppetunt media. Nunquam vero coniugi converso licebit eam vendere, etsi mendax in suis pollicitationibus reperta fuerit. Verumtamen, si pars infidelis, etiam post longam cohabitationem cum viro converso, nedum converti recuset, sed insuper tentet fidelem pertrahere ad peccatum, vel a viro iniuste divertat, aut alias ineat nuptias, poterit conversus uti privilegio in favorem fidei concesso, ac matrimonium cum alia muliere fideli licite et valide contrahere.

Praeterea vetitum omnino est christianam nubere pagano; quod si, praevia dispensatione disparitatis cultus a S. Sede obtenta, quandoque eiusmodi matrimonium fieri contingat, notum est illud indissolubile futurum quoad vinculum, et solum aliquando quoad torum posse dissolvi, si motiva canonica adsint a iudice ecclesiastico agnoscenda. Nunquam proinde, vivente viro illo infideli, licet concubinario, poterit christiana mulier secundas inire nuptias. Si vero agatur de uxore pagana alicuius pagani concubinarii, quae convertitur, tunc facta interpellatione (ut supra), si renuat converti aut cohabitare absque iniuria Creatoris, ac proinde desinere a concubinatu (qui sine iniuria Creatoris certe haberi nequit), poterit uti privilegio in favorem fidei concesso.

Privilegium in favorem fidei locum habet tantummodo si matrimonium (cum infideli) conversionem praecessit.

Generatim, si coniugis conversio praecesserit matrimonium cum infideli, praevia dispensatione Apostolica initum, nullo modo illo frui potest privilegio in favorem fidei concesso; si vero matrimonium praecesserit conversionem, tunc pars conversa poterit uti eo privilegio, servatis servandis, prout dictum est.

Animadvertendum est etiam, quoad impedimenta dirimentia, ignorantiam invincibilem aut bonam fidem haud sufficere ut valide contrahatur matrimonium. Etsi quandoque (quod tamen raro credendum est in praxi) illa ignorantia et bona fides excusare valeat a peccato, tamen nunquam efficere potest matrimonium validum quod obice dirimente fuerit initum. Hinc si quis transeat ad alias regiones, et ibi edoctus et baptizatus uxorem duxerit christianam, omissa debita interpellatione primae legitimae uxoris, eam facere tenetur, nisi adsint

illae causae dispensandi prout in Synodo Sutchuensi cautum legitur.

Itaque ad enodationem propositorum casuum attente et fideliter perpendenda est laudata Synodus, expendendae sunt facultates Apostolicae, et consulendi probati auctores. Quod si nihilominus difficultates ac dubia suboriantur, tunc recurrat ad S. Sedem, enucleatis omnibus circumstantiis, prout dictum est.

1115

De conopaeo tabernaculi SS.Sacramenti.

S. Rit. C. *21 Iulii 1855.* — 1. Utrum tabernaculum, in quo reconditur SS. Sacramentum conopaeo cooperiri debeat, ut fert Rituale. Et quatenus affirmative: — 2. Utrum conopaeum istud confici possit ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannabe contexto. — 3. Cuiusnam coloris esse debeat: aliis opinantibus, ut Baruffaldus, conopaeum debere esse coloris albi, utpote convenientis SS. Sacramento; aliis autem, ut Gavantus, eiusdem coloris cuius sunt pallium altaris et caetera paramenta, pro temporis festique ratione, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo in exequiis defunctorum.

R. Quoad primam quaestionem: affirmative. Quoad secundam: pariter affirmative. — Quoad tertiam: utramque sententiam posse in praxim deduci, maxime vero sententiam Gavanti, quae pro se habet usum ecclesiarum Urbis.

1116

De modo se gerendi cum addictis sectae massonicae quoad sacramenta, exequias, et ecclesiasticam sepulturam.

S. C. S. Offic. *1 Augusti 1855.* — Portus Aloisii — Nous sommes dans ce moment en lutte avec les francs-maçons .... Voici les instructions que j'ai données a mes ecclésiastiques: je les soumets respectueusement a V. E. et je désire qu'Elle puisse les approuver. J'ai ordonné ce qui suit:

1. Que toute personne qui aurait été assistée d'un prêtre, ou qui aurait demandé l'assistance d'un prêtre à l'heure de la mort, reçoive la sepulture ecclésiastique. Voilà la première règle: et je crois qu'il est impossible dans ce pays-ci d'agir autrement. Le fait d'avoir cherché à se réconcilier à l'Eglise, même à l'heure de la mort, doit être regardé comme une réparation suffisante pour autoriser la sepulture ecclésiastique, et je n'oserais pas faire autrement. J'espère donc que V. E. approuvera cette première règle.

2. Que si le corps d'un maçon défunt était porté à la loge massonique, on ne le reçoive pas à l'église, mais au contraire, qu'on doive lui réfuser rigoureusement toute prière et cérémonie ecclésiastique.

3. Que pour admettre à la sainte Communion un franc-maçon le clergé doive exiger rigoureusement qu'il abandonne à jamais la société maçonique, ce que le maçon peut faire sans bruit en cessant de fréquenter leurs loges et de les aider à se maintenir.

4. Que quant au sacrement de mariage, le clergé doive agir avec les maçons, qui ne veulent pas abandonner leur fraternité criminelle, comme il agit avec les protestants dans le cas de mariages mixtes.

Je ne vois pas la possibilité de faire autrement, et j'espère que V. E. approuvera toutes ces instructions que j'ai données à mon clergé. V. E. sait qu'il existe dans ce diocèse des lois qui rendent le mariage valide aux gens de l'état, et, si nous mettons trop d'entraves au mariage ecclésiastique, les époux se contenteront du mariage civile tout seule, et viveront ainsi dans le concubinage. Mais voici une question bien sérieuse que je soumets aut Saint Siége, le priant humblement de m'accorder une réponse pour la direction de ma conscience. Il s'agit toujours de franc-maçons. Les Bulles des SS. PP. qui excommunient les franc-maçons n'ont jamais été promulguées ici d'une manière solennelle pas plus qu'en Angleterre; mais comme règle générale, mon clergé a exigé, quand un maçon se présentait au tribunal de la Pénitence (chose excessivement rare), qu'il abandonât la franc-maçonnerie. Cependant un de mes prêtres affirme qu'en France les confesseurs admettent à la sainte Table les franc-maçons sans leur demander ce qu'ils sont, pourvu qu'ils soient de la bonne foi: et ce prêtre a agi ainsi à Maurice dans quelque cas. Maintenant le Saint Siége a répondu le 5 Juillet 1837, et le 27 Juin 1838 aux Vicaires Apostoliques d'Angleterre que l'absolution donné aux maçons dans quelque partie du monde que ce soit, est illicite et invalide. Un de nos maçons de Maurice qui faisait la Communion paschale depuis quelques années, et qui était, je le suppose, dans l'ignorance et la bonne foi, ayant appris que les maçons sont excommuniés, et qu'il devait les quitter, s'il voulait recevoir la S. Eucharistie, a préferée la maçonnerie à la religion, et cette année il n'a pas fait la Communion paschale. L'absolution donnée à celuici lorsque il ignorait le mal de la maçonnerie, est elle valide ou invalide? Il y a quelques autres personnes, mais pas beaucoup, qui se trouvent dans la même position. Je supplie V. E. de vouloir bien me donner une décision, et une solution de ce cas.

R. Eminentissimi DD. mandarunt respondi per S. C. de Propaganda Fide iuxta adnexam Instructionem, et dentur decreta:

Feria IV. 2 Dec. 1840. — Ad dubium: « An liceat celebrare parentalia et ecclesiasticam « sepulturam concedere iis qui ante exitum re- « ceperunt sacramenta, attamen sectae masso- « nicae nomen dederunt, et in feretro retinent « sectae eiusdem emblemata: » Emi decreverunt

« respondendum : « Affirmative, servata forma « decreti Innocentii III Cap. *A nobis* de sent. ex- « com., et dummodo appositio emblematum « demandata non fuerit a defuncto post rece- « ptionem Sacramentorum, vel ab eodem fuerit « revocata, et amoveatur statim cognita eorum « appositione, et omnino ante associationem « cadaveris. Moneantur confessarii loci de obli- « gatione exigendi retractationem ante sacra- « mentalem absolutionem ».

Feria V. die 5 Iulii 1837 — Proposito dubio : « Utrum in quacumque orbis regione ho- « minibus liberorum muratorum societati ag- « gregatis, licet emissi iuramenti eos poeniteat, « sacramentalem absolutionem licite aut valide « confessarius impertiatur, priusquam ipsi ab- « solute et positive praedictam damnatam so- « cietatem in perpetuum relinquant » ; Sacra Congregatio S. Officii respondit : *Iuxta exposita non licere*. Cum autem natum sit dubium : « Utrum verba illa *non licere* includant in « casu exposito etiam invaliditatem absolutio- « nis » ; *Feria IV 27 Iunii 1838* Emi DD. dixerunt respondendum esse : *Affirmative iuxta Constitutiones Apostolicas*.

Quoad dubium de validitate absolutionis impertitae sectario addicto societati massonicae ignoranti pravitatem huius sectae, *Feria IV 2 Iulii 1845* Emi decreverunt : « Vicarii Apo- « stolici privatim vel per se vel per alios sibi « benevisos, nomine S. Sedis *etc. (V. n. 998)*. Instructio — *Illme ac Rme Domine* — Ex epistola quam superiori anno ad S. C. de Prop. Fide misisti satis clare liquet quo studio ac pastorali zelo flagras tam in procuranda gregis Tibi commissi salute, tam in tuenda SS. Canonum observantia ac integritate. Principio siquidem spirituali tuae dioecesis incremento merito laetaris ; qua de re haec suprema Congregatio plurimum in Domino gratulatur ; deinde de temporum difficultate graviter conquereris, deque hominibus qui clandestinis societatibus ab Apostolica Sede toties damnatis tenaciter addicti perturbationes et scandala ciere, atque salutares Ecclesiae leges infringere moliuntur. At cum ea sit militantis Ecclesiae perpetua vicissitudo ut veluti Petri navicula nunc tranquillitate fruatur, nunc urgentibus fluctibus veluti iactata periclitetur, praeclara passim occasio suppetit his qui praesunt Christi ovibus proferendi pastoralem zelum quo et ea possint amplecti quae licere et expedire prudentia dictaverit, et in dubiis rebusque arduis auxilium valeant efflagitare ab Apostolica Sede quae poscentibus praebet veritatem. Optimo itaque consilio dubia isthic nuper exorta tum de ecclesiastica sepultura sive danda vel deneganda iis qui proscriptis societatibus sunt addicti, tum praesertim de sacramentorum participatione, ad hanc S. C. delata sunt. Quamvis autem ex responsionibus eiusdem S. C. alias datis, atque ex Apostolicis Constitutionibus super hac re sapientissime editis late pateat qua ratione enunciata dubia enucleari possint, lubet nihilominus aliqua directe adiungere tum pro maiori eorumdem enodatione, tum insuper ut ceteri, qui in excolendo dominico agro tecum adlaborant, normam habeant quam inoffenso prorsus pede sequi possint et debeant.

Norunt profecto omnes gravissima damna quae ex clandestinis societatibus nedum temporali reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali animarum saluti a multis retro annis inferuntur. « Inde enim (ut loquitur Leo XII) (1) « existunt acerbissimae calamitates, quibus Ec- « clesia fere ubique vexatur, et quas sine dolo- « re, imo sine moerore commemorare non pos- « sumus. Impugnantur impudentissime sanctis- « sima eius dogmata et praecepta, eius di- « gnitas extenuatur, et pax illa et felicitas, « qua suo quodam iure frui deberet, non per- « turbatur modo, sed omnino evertitur ». Quamobrem, ut probe nosti, Apostolica Sedes qua Encyclicis doctrina ac pastorali unctione refertis, qua exhortationibus, nunquam destitit ab huiusmodi societatibus Christi oves avertere, atque sectas extremum exitium Ecclesiae minitantes, suprema sua auctoritate damnare, inflictis insuper gravissimis poenis, ac in primis maiori excommunicatione reservata, ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua (2) nemo per quemquam nisi per Romanum Pontificem praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Quae cum ita sint, nemini dubium esse potest quin transgressores in hanc gravissimam poenam inciderint. Qui enim post habitam harum constitutionum notitiam, vel proscriptis societatibus nomen dare praesumunt, vel ab iis omnino recedere detrectant, hi profecto in re gravissima Ecclesiam non audiunt, eiusque auctoritatem contemnunt ; merito igitur plectuntur, cum, supremi Pastoris Christi iudicio, tamquam ethnici censeri debeant. Praeclare S. Cyprianus gravissimam hanc poenam spiritalem gladium appellat (3) quo superbi et contumaces necantur. Quo etiam fit ut nedum bonorum spiritualium communione, sed, si contumaces ac obstinati decesserint, etiam ecclesiastica sepultura priventur.

Verum cum Christi Ecclesia divini fundatoris spiritu instructa nihil magis exoptet quam ut devii, deposita contumacia, tandem aliquando ad ipsius sinum redeant, ideo, quemadmodum

(1) Bulla *Quo graviora* (13 Martii 1825).
(2) Ita Clemens XII Bulla *In eminenti;* Benedictus XIV *Providas;* Pius VII *Ecclesiam;* Leo XII *Quo graviora;* Pius IX Encycl. *Qui pluribus*.
(3) S. Cyprianus Epist. 62.

etiam in articulo mortis possunt per contritionem in Dei gratiam redire, ac internam cum membris mystici corporis Christi communicationem adipisci, ita, si clara dederint resipiscentiae signa (quae passim a doctoribus enumerantur) (1), possunt etiam post mortem ab ecclesiastica censura absolvi, ac subinde (si casus excipiantur a iure praescripti) (2) etiam ecclesiastica sepultura donari. Id luculenter declarat Innocentius III cap. *A Nobis est saepe quaesitum* de sent. excom. ubi statuit insuper quo ritu sint absolvendi qui obtenta, prout creditur, gratia apud Deum per contritionem, per externa resipiscentiae signa excommunicationis vinculo exsolvuntur. Haec autem locum etiam sibi vindicant, si quando defuncti corpus in aulam massonum (vulgo *Loggia, Loge*) delatum fuerit. Etenim, si extrema defuncti voluntate id accidit, procul dubio ecclesiastica sepultura carere debet, cum, ut praefertur, obduratus obierit. Si vero perversa aliorum opera contra defuncti votum, quippe qui cum veris resipiscentiae signis decessit, neque absolutionis beneficio privari debet, nec ecclesiastica sepultura, prout ex doctrina nuper exposita, et ex decreto (3) huius S. C. clarissime eruitur.

Quamvis vero ex his quae hactenus dicta sunt ultro profluat solutio ad ea quae sacramentorum participationem respiciunt, atque in primis num *liberi muratores* ceterique huius generis sectarii ad absolutionem in sacramento Poenitentiae, atque ad S. Synaxim admitti possint, nihilominus utilitatis expers non erit aliqua pressius adiungere. Ut autem silentio praetereantur ea quae a sacris canonibus generali regula praescribuntur, Romani Pontifices qui Christi vices gerunt in terris, in memoratis constitutionibus, quarum iam notitia ubilibet propagata est, conceptis verbis docent, et crebro declarant eos beneficium absolutionis a lata censura obtinere haud posse, nisi vel in articulo mortis, vel ex Apostolicae Sedis benignitate; atque in utroque casu cautum est, ne confessarius absolutionem conferat, nisi prius retractationem emiserint, ac certa dederint resipiscentiae signa (4). Accedit gravissima ratio ex iuramento a massonibus praestito deprompta, quod nedum ecclesiastica lege, sed divina prorsus ac naturali damnatur: « Quid enim? inquit « Leo XII (5), nonne nefas est iusiurandum, « quod in iustitia pronunciandum est, veluti « vinculum habere quo quis se ad iniustam « caedem obliget, et ad eorum contemnendam « auctoritatem, qui, cum vel Ecclesiam, vel « legitimam civilem societatem moderentur, ius « habent ea cognoscendi, quibus illarum salus « continetur? Nonne iniquissimum et indignis- « simum est, Deum ipsum veluti scelerum te- « stem et fideiussorem appellare? Rectissime « Patres Concilii Lateran. III inquiunt Can. 3: « *Non enim dicenda sunt iuramenta, sed po-* « *tius periuria, quae contra utilitatem eccle-* « *siasticam et Sanctorum Patrum veniunt in-* « *stituta.* Et intoleranda est eorum ex his ho- « minibus impudentia sive amentia, qui cum « non modo in corde suo, sed etiam palam « dicant *Non est Deus,* audeant tamen iusiu- « randum exigere ab iis omnibus quos suas « in sectas deligunt ».

Quamobrem ubi primum confessariis Hiberniae et Angliae ex Apostolica indulgentia per Episcopos facta fuit potestas absolvendi poenitentes qui damnatis societatibus adhaeserant, haec tria sapienter praescripta fuere: 1. Ut confessarii serio monerent suos poenitentes ne clandestinis aggregationibus nomen dare, earum conventicula adire aut favere praesumerent; — 2. Ut pertinacibus sacramentalem absolutionem denegarent; — 3. Ut vere resipiscentes ab incursa excommunicatione absolverent. Atque in hoc tantum casu tributa fuit opportuna potestas (6) quemadmodum confessariis tuae dioecesis non aliter ab Apostolica Sede tribuitur. Quae cum ita sint, facile quisque intelliget neminem ex massonibus absolutionem, de qua agitur, posse consequi nisi deposita contumacia, atque clandestinis societatibus omnino relictis: neminem insuper ex confessariis posse nisi vere resipiscentes absolvere, idque vel in articulo mortis, vel extra ex Apostolicae Sedis benignitate ac indulgentia.

Neque hic immorandum super dubio, si forte, nimirum, possit aliquis tali bona fide ac ignorantia laborare, ut quamvis proscriptis societatibus adscriptus, tamen a lata censura reservata immunis ac proinde valide absolutus censeri valeat, tametsi nullam retractationem emiserit, utpote qui, bona fide relictus, ne cogitaverit quidem de periculis erroribusque quibus scatent clandestinae societates. Vix enim generalis regula super hac re tradi potest; peculiares enim facti circumstantias oportet sedulo perpendere, atque pro earum varietate ab auctoribus probatae doctrinae iudicandi normam sumere, dummodo tamen prae oculis habeantur ea quae, tanta sententiarum gravitate, in Constitutionibus Apostolicis decernuntur. Id insuper accidere deinceps non poterit, cum confessarii Apostolicae Sedis praecepto teneantur serio monere poenitentes ne clandestinis aggregationibus nomen dare vel favere praesumant, atque debeant ante absolutionem exigere

(1) Fagnanus tit. 28 *De sepultura* n. 12, 13. Ferraris V. *Excom.*
(2) Cap. *Ad audientiam* tit. *De torneamentis.* Bened. XIV *De Syn.* lib. 13, c. 18, n. 10.
(3) Decretum fer. IV 2 Decembris 1840.
(4) Constit. Apost. et decreta.
(5) *Quo graviora.*
(6) Decretum an. 1840.

retractationem, prout in decretis, quae tibi transmittuntur, apertissime traditur. Quod si, nisi resipiscant, indigni prorsus censeri debeant qui absolvantur in sacramento Poenitentiae, potiori iure ab Eucharistica Mensa sunt arcendi: qua enim ratione ad Sacramentum unionis et pacis admitti poterunt hi qui nunc clanculo, nunc scriptis et aperta vi Christo eiusque Ecclesiae bellum indicere, eiusque dogmata et tranquillitatem evertere funditus moliuntur? Pro externa vero agendi ratione, haec locum habent, dum agitur de his qui notorie damnatis societatibus sunt adscripti: occulti enim, ut probe nosti, si publice Eucharistiam peterent, non essent arcendi, cum et ipse Christus Pastorum Princeps Sacramentum sui corporis in suprema coena proditori haud negaverit. Quod attinet denique ad matrimonium, in quo una contrahentium pars clandestinis aggregationibus adhaeret, cum usque adhuc Apostolica Sedes nullum generale decretum super hac re tulerit, oportet ut pastores caute ac prudenter se gerant, et debent potius in casibus particularibus ea statuere quae magis expedire in Domino iudicaverint, quam generali regula aliquid decernere. Certe boni pastoris partes erunt, quantum sine clamoribus ac scandalis fieri poterit, huiusmodi connubia impedire (1). Confessarii praesertim in sacramento Poenitentiae qua instructione ac consiliis, qua adhortatione, debent poenitentes graviter admonere ne tali periculo se ac futuram sobolem temere exponant, cum nil boni faustique expectari possit ab eo qui Dei eiusque Ecclesiae leges tam inique contemnit. Quoniam vero, ut exponis, denegata facultate contrahendi huiusmodi matrimonia, nonnulli passione forsan abrepti, parochi ac testium praesentiam negligerent, initoque tantum contractu civili, vitam in concubinatu degerent (quod ubi viget decretum *Tametsi* Concilii Trid. verissimum est), ideo urgente necessitate, pro casibus, ut dictum est, particularibus poteris ea decernere quae magis in Domino expedire iudicaveris. Oportet denique ut nunquam ab oculis excidant Apostolicae Sedis sapientissima instituta, quae prout cunctis Ecclesiae Pastoribus est regula veritatis, cunctis identidem praeclara praebet pastoralis mansuetudinis ac prudentiae exempla. Et ne remota proferantur, praestat animum adiicere ad ea quae superioribus annis super hac re gesta fuere: idque eo vel magis quoniam dubia, de quibus hactenus actum est, eadem ferme sunt ac illa pro quibus in Anglia, Hibernia, et alibi acriter disceptabatur, quaeque tandem ad hanc supremam Congregationem fuerunt deducta. Post sedulam itaque investigationem, resolutiones seu decreta prodiere, tum ad enucleanda dubia tum ad sedandas animorum perturbationes aptissima. Transmissis vero huiusmodi decretis, iniunctum fuit Episcopis ac Vicariis Apostolicis ut privatim, nomine S. Sedis, eorumdem executionem confessariis praeciperent; quandoque insuper, ne perturbationes in Ecclesiae perniciem suscitarentur, adiecta fuit clausula ut a publicatione omnino abstinerent. Quapropter, ea qua polles pastorali prudentia, privatim nomine S. Sedis confessariis tuae dioecesis praecipies ut sedulo obtemperent, ac omnino adhaereant his quae tum in memoratis decretis, tum in hac epistola continentur, quin tamen publicentur. Plurimum haec suprema Congregatio in Domino confidit ut tali prudenti oeconomia, ac insigni tua, Illme et Rme Domine, mansuetudine devicti, etiam devii, relictisque damnatis aggregationibus, valeant tandem aliquando Ecclesiae ac Pastorum vocem submisse ac salubriter audire.

1117

Ad casum polyandriae extenditur facultas dispensandi cum polygamis ad fidem conversis.

S. C. S. Officii *5 Sept 1855* — Cum in Thibetensis Imperii quibusdam provinciis frequens sit simultanea polyandria, enixe Ap. Sedem rogat (Praefectus Ap.) ut illi indulgeat communicabilem missionariis facultatem dispensandi cum muliere religionem christianam profitenti, ut cum viro, qui vult fidem profiteri, nubere possit.

R. SSmus, audita relatione suprascriptae instantiae una cum EE. ac RR. DD. Cardd. Generalium Inquisitorum suffragiis, interpellato viro legitimo (si quis adsit) an velit converti, quatenus renuat, benigne annuit pro gratia extensionis facultatis in polygamia etiam quoad polyandriam, nempe mulier baptizata ducere valeat alium virum benevisum post susceptum baptismum.

1118

De muliere pagana baptizanda quae nec ad primum maritum redire, nec alterum relinquere potest.

S. C. S. Off. *12 Sept. 1855* — Coreae — 1. Sequens casus hic occurrit: mulier pagana viro pagano nupta, propter morum dissensionem ab illo discessit, alterique nupsit (quod in ista regione frequens est inter paganos); primus quoque maritus aliam uxorem sibi copulavit. Nunc dicta mulier, audita religione christiana, Baptismum enixe petit, sed nec potest ad primum maritum redire, qui nec vult illam, neque iuxta regionis morem recipere posset; nec

(1) Praestat audire verba Leonis XII, Bulla *Quo graviora;* sic porro Pontifex Episcopos catholicos alloquitur: « Cognoscant (fideles) per vos sectariorum « dolos, et quanta diligentia eos, eorumque consuetu« dinem cavere debeant. Horreant vobis auctoribus et « magistris pravam eorum doctrinam, qui sanctissima « religionis nostrae mysteria, et purissima Christi prae« cepta irrident, omnemque legitimam potestatem im« pugnant ».

facile potest secundum maritum relinquere a quo plures filios generavit. Humillime postulat dicta mulier, quae via salutis ipsi maneat, vel quo pacto in articulo mortis baptizari posset.

De mancipiorum conversorum nuptiis, qui in infidelitate matrimonia impropria dicta contraxerunt.

2. Mancipia apud infideles non proprie dictum matrimonium contrahunt, sed herus, servam nubilem habens, volentem virum advocat, qui maritaliter cum serva vivit, nullo feminae interrogato consensu; filii qui nascuntur ad herum pertinent; masculus vero advocatus nullo ligamine detinetur, et ad libitum discedit, ita ut femina pluribus successive eodem modo iungatur. Porro huiusmodi fornicarias coniunctiones nullam veri matrimonii rationem habere sine tergiversatione pronuntiavi et, iuxta decisionem hanc, aliqua iam matrimonia ad fidem conversorum rite fuerunt contracta. Nunc vero, propter aliquorum dubium, humiliter rogo ut peremptorium responsum detur, et quae contracta fuerunt matrimonia si quod supersit dubium, quod mihi non videtur, in radice sanentur.

R. Ad 1. Iuxta exposita mulierem esse baptizandam, et praevia interpellatione primi viri, prout de iure, si renuat, data dispensatione disparitatis cultus, matrimonio copuletur secundo viro pagano, servatis servandis, praesertim circa educationem filiorum.

Ad 2. Iuxta exposita, dummodo in singulis matrimoniis praecedentibus baptismum non interfuerit reciprocus matrimonialis consensus, acquiescat.

1119

Quomodo intelligenda verba *patrino infantem* (baptizandum) *tenente*.

S. C. de Prop. F. *21 Ian. 1856* (C. P. pro Sin.) — Per verba (Ritualis) *patrino infantem tenente* haud susceptio absoluta requiritur, cum *tenere* aeque intelligatur ac sufficiat, si patrinus, ut in more est, physico contactu infantis iungat se cum eo cuius manibus ille tenetur, et ad aquae infusionem comitetur deferentem, quin opus sit ut patrinus vel matrina tantum, amoto deferente, infantem suas in manus excipiens, sacerdoti baptizandum exhibeat.

1120

De christianis qui coguntur ad contributionem pecuniae pro superstitiosis.

S. Congr. S. Officii *9 Aprilis 1856*. — Tunk. Occid. — Plurimi christiani superstitionibus implicati satis facile enixis suis precibus apud paganos a superstitionibus agendis se servant immunes, sed difficillime a pecunia secundum ratam suam partem solvenda pro superstitionibus agendis sese liberare possunt. Omne quod a paganis obtinere possunt est ut non illis tradant suae pecuniae contributionem, nisi elapso aliquo tempore post actas omnes superstitiones. Sic agendo illi miserrimi christiani multum laetantur quod eorum pecunia ad superstitiones agendas non assumpta fuit, nonnisique ad usus indifferentes expendenda est, et sic a superstitionis peccato omnino mundos esse se putant. Num horum christianorum talis agendi ratio tolerari potest? Num in eorum bona fide relinquendi sunt, et ad sacramenta admitti possunt? Ut ita fieri possit multum optamus; secus enim multi aliunde satis boni christiani a sacramentis arcendi, in peccato relinquendi et aeternae damnationi exponendi erunt.

R. Si tributum, de quo agitur, constet recipi et persolvi a christianis non pro superstitionibus, sed uti impendendum in alios usus indifferentes, christianos ipsos ita persolventes, emissa etiam protestatione se nolle contribuere pro superstitiosis, non esse inquietandos.

1121

Contra Indulgentias falsas et apocryphas.

Decr. S. C. Indulg. *14 Apr. 1856*. — Sacrae Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, quae iuxta institutionem a s. m. Clemente PP. IX peractam Constitutione quae incipit: *In ipsis Pontificatus primordiis* sub die 6 Iulii 1669 *facultate* instructa est *omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum Reliquiis, aut Indulgentiis emergentem... expediendi; ac si qui abusus in eis irrepserint, illos... corrigendi et emendandi...; falsas, apocryphas indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Romano Pontifici retulerit, illius auctoritate reiiciendi*, pluries Indulgentiae typis impressae delatae sunt, quae licet falsae omnino, apocryphae et indiscretae, attamen hac illac, sive hominum malitia, sive incuria, et absque ulla prorsus auctoritate typis mandantur, et circumferuntur. Unde illud haud parum detrimenti provenit, ut in errorem inducantur christifideles, et apud S. M. Ecclesiae hostes Indulgentiae ipsae irrisionibus pateant. Quapropter Sacra Congregatio in generalibus Comitiis in Palatio Apostolico Vaticano die 31 Martii proxime elapsi habitis, plures huiusmodi Indulgentias typis excusas tamquam apocryphas, nullas et indiscretas habendas esse declaravit, et locorum Ordinariis, per quorum dioeceses Indulgentiae eiusmodi circumferuntur, commendandum censuit, ut Sacrae Congregationis decreta in hanc rem edita omni studio observari curent.

Indulgentiarum concessiones generales impetrantes exemplar ad S. C. Indulgentiar. deferre debent.

Quum vero incongruum prorsus sit omnia semper summaria, libellos, folia etc. persequi, quae indiscretas, falsas apocryphasque indulgentias descriptas continent, et qualibet vice prodierint, specialibus decretis eliminare, SSmus D. N. Pius PP. IX, in Audientia diei 14 Aprilis 1856, praemissam Emorum PP. sententiam adprobando, cupiens insuper, ut ad *inaestimabilem* Indulgentiarum *thesaurum* quod attinet

omnia *pie, sancte et incorrupte fiant,* mandavit ut hoc decreto omnes per orbem Ordinarii hortentur ut pro ea, qua pollent, et qua uti debent, sollicitudine in Dominici gregis bonum usque procurandum, invigilent non modo uti eiusmodi Indulgentiae falsae et apocryphae, quantum fieri potest, minime circumferantur, easque e fidelium manibus removeant, verum etiam satagant, ut decreta a S. C. salubriter edita, ac praesertim super earumdem Indulgentiarum publicatione et impressione observentur, in primis vero decretum sub die 19 Ianuarii 1756 latum, et a s. m. Benedicto XIV die 28 eiusdem mensis adprobatum, quod ita se habet: *Cum experientia quotidie comperiatur complures Indulgentiarum concessiones generales expediri inscia ipsa S. C., ex quo multi promanant abusus ac confusiones, re mature perpensa, praesenti decreto declaravit, impetrantes posthac huiusmodi generales concessiones, teneri sub nullitatis poena gratiae obtentae, exemplar earumdem concessionum ad Secretariam eiusdem S. Congregationis deferre* (1). — Ceterum ad falsas apocryphasque Indulgentias a veris et genuinis haud difficili negotio internoscendas, ea etiam recolere locorum Ordinarios iuverit, quae sapienter, de more, et hac in re idem fel. rec. Pontifex Benedictus XIV in Opere *De Syn. dioeces.* edocuit. Et si praeterea aliquibus in rerum adiunctis super Indulgentiarum quarumcumque authenticitate ac genuinitate dubii haerent, ad S. C. recurrant, ut inde opportunam dubiorum resolutionem assequantur.

1122

De Indulgentiis pro sodalibus S. Scapularis Immaculatae B. M. V.

S. C. Indulg. *14 April. 1856.* — Tarantasien. — 1. An sodales scapularis caerulei Immaculatae Conceptionis, recitando sex *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem Sanctissimae Trinitatis et Deiparae Virginis Immaculatae, orando pro haeresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque christianorum principum pace et concordia, omnes lucrifaciant Indulgentias septem basilicarum Romae, Portiunculae, Ierusalem, et S. Iacobi de Compostella.

2. An easdem Indulgentias lucrentur toties quoties, et in quocumque loco preces ipsas fuderint.

3. An ad easdem lucrandas Indulgentias recitare sufficiat sex tantum *Pater, Ave* et *Gloria,* ita ut necesse minime sit alias preces addere, prouti in Indulgentiarum concessionibus atque rescriptis orare per aliquod temporis spatium iuxta intentionem Pontificis seu pro haeresum extirpatione, exaltatione S. Matris Ecclesiae, atque christianorum principum pace et concordia etc., iniungi consuetum est.

4. An ad memoratas Indulgentias consequendas necessaria sit sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptio.

5. An denique hae ipsae Indulgentiae omnes animabus in purgatorio detentis applicari possint.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative iuxta votum Consultoris, nempe servato decreto S. C. die 7 Martii 1678, approbato ab Innocentio XI, cuius initium *Delatae saepius* (2).

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Negative.

Ad 5. Affirmative. — SSmus approbavit.

1123

Haud probandum ut mulieres pias meditationes alta voce in ecclesia recitent.

Litt. S. C. de Prop. F. *21 Maii 1856* (ad Vic. Ap. Tunk. Centr.) 1. Ex antiqua consuetudine Episcopus Tricomiensis (Vicarius Ap. decessor) retulit ortum, ut nunc quoque preces quotidianae alternatim a viris et mulieribus recitentur tam in ecclesia quam extra, et aliquibus abhinc annis morem invaluisse ut dum sacerdos Missam celebrat, tres quatuorve puellae iam nubiles pias meditationes ad unamquamque Missae partem accommodatas alta voce recitent seu decantent. Hac praxi, aiebat Praesul, christiani valde adiuvantur ad continendas evagationes mentis, Missamque pie ac devote audiendam; nihilominus a multis improbatur quasi contraria verbis Apostoli dicentis: *mulieres in ecclesiis taceant;* quibus ipsa S. C. inhaerens in instructionibus datis ad Vic. Ap. Sutchuen. 29 Aprilis 1784, et ad calcem Synodi Sutchuensis impressis prohibuit « ne in « publico virorum conventu virgines vel ver- « bum Dei praedicare, vel docere, aut palam le- « gendo, vel singulariter praecinendo, quodam- « modo annunciare praesumerent » quod anno 1844 confirmatum est. Hoc minime obstante quaerebat Praesul, an S. Congregationis

---

(1) In Aud. habita ab Emo Praefecto S. C. de Prop. F. die 15 Dec. 1859 Summus Pontifex: « udito analogo « rapporto in proposito della pendenza con la S. C. delle « Indulgenze sulle prescrizioni del decreto *Urbis et* « *Orbis* 14 Aprile 1856, si è degnato, a seconda dei « desideri esternati dall'Emo Prefetto di quella, sanare « tutti i rescritti o Brevi d'Indulgenze generali di qua- « lunque siasi Congregazione o dicastero (ottenuti) sino « a questo giorno, senza uniformarsi alle prescrizioni « del suenunciato decreto, purchè i medesimi presentino « una certezza di loro autenticità, e solo manchi ad « essi la ingiunta esibizione in detta S. Coñgne: ed ap- « provare che nel tratto successivo anche dalla Coñgne « di Propaganda nella concessione di simili generali « Indulgenze si adotti la clausola che gli impetranti « abbiano ad esibirne copia alla Congregazione delle « Indulgenze *sub poena nullitatis* ».

(2) In citato decreto declarantur falsae plures Indulgentiae, et enunciatur « semel dumtaxat in die *ple-* « *nariam indulgentiam* in certos dies ecclesiam visitan- « tibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, « lucrifieri ».

auctoritati abolendam penitus praxim hanc videretur, quod forte haud omnibus in aliis praecipue Missionibus expedire persuasum erat: vel potius tolerandam, aut permittendum ut dictae piae meditationes a pueris decantentur seu a cathechista aliquo ad omnes precavendas obloquutiones. Serio autem libratis omnibus quae a laudato Antistite adnotata fuere, Emi PP. rescribendum A. Tuae censuerunt: *Firma alterna recitatione vel cantu iuxta consuetudinem, servatis tamen decretis anni 1784 et 1844, curandum prudentiori modo quo poterunt, ut id tantum a pueris vel ludimagistris fiat.*

De celebratione Missae coram infidelibus.

2. Cum inter alias facultates Vicario Ap. in Formula I. n. 13 tribuatur celebrandi Missam coram infidelibus et excommunicatis, si aliter celebrari non possit, cumque praxis aliunde ubivis vigeat ut nedum non arceantur, verum etiam invitentur quandoque infideles ad sacras functiones, quod plerumque catholicae rei prodesse compertum fuit, utrum aliquid circa hoc emendandum esset Tricomiae Praesul sciscitabatur. Hoc porro item in themate S. C. respondit: *Serventur decreta, iuxta tamen regulas prudentiae, pensatis locorum et personarum circumstantiis.*

1124

De validitate matrimonii infidelium.

S. C. S. Officii *18 Iunii 1856.* — Cum matrimonium infidelium cui nullum obstet impedimentum iuris divini, aut naturalis, sit validum, ideo quotiescumque moraliter constet fuisse valide initum, nulla adest necessitas renovandi consensum (in casu conversionis unius coniugis), neque coniux ad fidem conversus cogendus est ut infidelem coniugem pacifice ac sine contumelia Creatoris cohabitare volentem deserat, nisi revera adsit perversionis periculum sive respective coniugis fidelis, sive prolis.

1125

Administratori privilegia Episcoporum non competunt nisi per indultum.

S. C. de Prop. Fide *6 Iulii 1856 (Ex Aud. SSmi).* 1. Cum Episcopus N. fuerit auctoritate Apostolica a dioecesi sua amotus, maneatque perpetuo suspensus ab exercitio omnis episcopalis iurisdictionis, Rmus N. fuit anno 1841 ad Episcopatum promotus electusque Coadiutor seu Administrator dioecesis N. cum omni iurisdictione episcopali in illam dioecesim; dubitatur igitur: 1. Cuius nomen, vel Episcopi suspensi vel Administratoris in Canone Missae nominari debeat a sacerdotibus in dicta dioecesi celebrantibus.

2. An supradictus Episcopus Administrator uti possit sede episcopali, baculo pastorali et mozetta. Et quatenus negative, humiliter petitur ut praedicto Episcopo Administratori concedatur pro gratia illorum usus, nam illis hucusque bona fide et de consilio aliorum Episcoporum usus est; et mutatio esset populo subiectum et causa admirationis, oblocutionis et scandali.

R. Affirmative in utroque, de speciali gratia in exemplum non adducenda, ac dummodo in casu consuetudo introducta fuerit.

1126

De Pio Opere *a Sancta Infantia*, cui datur Cardinalis patronus.

Ex Litt. Ap. Pii PP. IX *18 Iulii 1856.* — Gratae admodum animo nostro acciderunt preces quibus Pium Institutum a *Sancta Infantia* nuncupatum nuper a Nobis postulavit ut unum aliquem e S. Rom. Ecclesiae Cardinalibus deligeremus, qui apud Nos et hanc S. Sedem eiusdem Instituti patronus existat cuius ope ac ministerio Apostolicae Nostrae auctoritatis ductum facilius sequi possit, quo communi Ecclesiae bono, et commoditatibus inserviat. Iam vero quamquam ab alio pio opere, quod a *Propagatione fidei* nuncupatur ortum duxerit huiusmodi pium opus a *Sacra Infantia* appellatum, tamen sive praecipuus illius finis, sive personae, quae in ipsum adsciscuntur, spectentur, dignum profecto censemus, quod peculiari Nostrae auctoritatis praesidio fulciatur. Et sane dum ipsum eo intendit, ut miserrimos sinensium, sive aliarum idololatrarum gentium infantes immanitate parentum morti addictos ab acerbo interitu redimat, et salutaribus abluat baptismatis aquis, catholicos pueros arcessit, atque excitat, ut iisdem servandis, quoad possint, operam adiiciant suam, ac tam praeclarum charitatis actum absolventes tempestive agnoscant eximium Dei beneficium, qui eos vocavit in admirabile lumen suum, quod sane beneficium despici hoc tempore per summum nefas solet a rationalismi sectatoribus. Quapropter novum hoc christianae charitatis institutum nedum minime obstare perspicuum est pio operi fidei propagandae, verum illud mirifice adiuvare dignoscitur, siquidem dum in puerorum animis christianae fidei igniculos excitat, et verae pietatis sensus ingerit, iam tum eosdem incendit, atque acuit ad animarum salutem quaerendam, et verae Religionis lucem propagandam, sic ut adulta aetate pium institutum *Propagationis Fidei* alacriori animo amplexuri videantur. Maximo igitur cum animi Nostri gaudio perinde ac Decessor Noster, suboriri videmus hic in Urbe opus religioni adeo utile atque opportunum, illudque coelesti sacrarum Indulgentiarum thesauro ditavimus, dumque eidem tuendo unum e S. Romanae Ecclesiae Cardinalibus patronum constituimus, novum paternae Nostrae voluntatis ac benignitatis qua illud prosequimur, edere voluimus argumentum. Reliquum nunc est, ut merita laudum praeconia tribuamus pii huiusce operis adiutoribus ac rectoribus pro curis illius propagationi ac prosperitati solerter impensis, ac

tum ipsos, tum singulos huic instituto adscriptos vehementius hortemur, ut in proposito constanter perseverent, animarum saluti studentes, quam curare quisque debet ex praecepto charitatis: unicuique enim mandavit Deus de proximo suo. Neque vero Venerabiles Fratres catholici Orbis Antistites monere hic praetermittimus ut huiusmodi christianae institutionis genus in suam quisque dioecesim inducere, ac tamquam arbusculum assurgentem in vinea Domini excolere diligenter velit, fructus uberrimos allaturum.

1127

De conciliis pro bonorum ecclesiarum parochialium administratione.

S. C. de Prop. F. *21 Iulii 1856* (C. G.) — *S. C. probavit pro dioecesibus Hollandiae sequentia:* STATUTA GENERALIA DE CONCILIIS QUAE BONIS TEMPORALIBUS ECCLESIARUM PAROCHIALIUM ADMINISTRANDIS IN ARCHIDIOECESI ULTRAIECTENSI ET SUFFRAGANEIS DIOECESIBUS PROPONUNTUR.

Art. 1. Unaquaeque parochia sive nunc existens, sive in posterum ab Episcopo per dismembrationem vel coniunctionem erigenda, praescriptionibus horum statutorum subiacet.

Art. 2. Cura negotiorum rerumque temporalium, sive materialium, de quibus parochiae interest, in unaquaque parochia, sub ecclesiastica auctoritate Episcopi, mandatur *concilio,* quod *a bonis ecclesiae parochialis administrandis* vocatur, et cui consequenter incumbit *(pro re nata)* ponere omnes actus civiles, ad quos parochia quatenus est corpus morale habilis est.

Art. 3. Concilium administrandis bonis temporalibus parochiae praepositum constat parocho qua talis, eiusve vicario (locum tenente), et aliquot membris, quorum numerum Episcopus pro rerum adiunctis determinabit, et quibus erit nomen *Magistri fabricae ecclesiae.*

Art. 4. Parochus eiusve locum tenens perpetuo et ipso iure est praeses huius concilii. Ille labores concilii dirigit, ordinem in congregato concilio tuetur, curatque ut haec statuta aliaeque huc spectantes praescriptiones et iussiones Episcopi observentur.

Art. 5. Magistri fabricae Ecclesiae non efficiunt per se collegium, sed perpetuo agunt statuuntque tamquam unum idemque cum parocho, eiusve locum tenente, concilium...

Art. 6. Magistri fabricae nominantur ex parochianis, qui probitate et aptitudine excellunt. Prima vice Episcopus ipse nullo intermedio eos nominat, deinde autem in locum quemlibet vacantem nominat unum ex duobus candidatis, quos concilium iuxta regulas ab Episcopo approbandas electos proponet.

Articulis 7, 8 et 9. docetur, quinam non possint nominari et quinam excludantur, inter quos illi recensentur qui Communionem paschalem negligunt, vel aliter sunt peccatores publici scandalosi.

Art. 10. Magistri fabricae per quatuor tantum annos munere hoc fungi possunt: per vices abeunt iuxta certum ordinem ab Episcopo statuendum... qui iuxta hunc ordinem abeunt iterum nominari possunt...

Articuli 11, 12, 13, 14 plura statuunt de tempore et modo faciendi electionem, electos Episcopos proponendi, nominatos ab Episcopo denunciandi.

Art. 15. Quisque magister fabricae potest, id petens, cum honore a munere per Episcopum solvi, audito concilio.

Poterit Episcopus propter graves causas, quarum aestimatio penes ipsum est, aliquem fabricae magistrum a munere dimittere, vel etiam universum concilium penitus dissolvere, facta tamen in utroque casu integra inquisitione factorum auditisque partibus.

Decreto, quo quis cum honore a munere solvitur, vel ab eo dimittitur, vel concilium dissolvitur, Episcopus statuet de nominationibus faciendis aliisque consectariis, prout rei adiuncta suaserint.

Articulis 16 et 17 statuuntur quaedam de modo curam gerendi, inter quae et hoc: Curae quotidianae demandantur praesidi (parocho) et thesaurario.

Art. 18... Decreta capiantur absoluta votorum pluralitate. Si vota paria sunt, praesidis votum erit decretorium.

Si neque parochus, neque eius locum tenens adest, aut si non adest dimidium numeri magistrorum fabricae, nullum decretum fieri potest.

Decreta concilii bonis ecclesiae parochialis administrandis praepositi, si legibus ecclesiasticis vel communis parochiae bono adversantur, ab Episcopo poterunt cassari sive omni efficacia privari.

Art. 19. Concilium bonis ecclesiae parochialis administrandis praepositum curas sibi commissas diligenter fideliterque geret. Continuas curas iustamque sollicitudinem adhibebit:

a) Pro ecclesia parochiali, domo pastoris et sacristae, ecclesia succursali, sacello, coemeterio, aliisque e pecuniis, et in bonum parochiae factis institutionibus, quae ad rem ecclesiasticam parochiae pertinent;

b) Pro bonis titulisque ad illas aedes institutionesque pertinentibus, comprehensis etiam reditibus et expensis, accidentalibus lucris et oneribus, et quibuscumque aliis iuribus et obligationibus.

c) Pro bona conservatione tutaque custodia bonorum omnium parochialium tam immobilium quam mobilium, speciatim archivii ecclesiae parochialis, titulis proprietatis aliisque chartis, uti etiam de tabulis pictis, aliisque rebus artificiosis, aut monumentalibus, aut certe alicuius momenti.

Caeterum regulis ordinat temporales indi-

gentias hisque providendi media, conditiones quibus Ecclesiae res immobiles aliaeve fructiferae locentur, inter quas numerantur sedilia in ecclesia parochiali et succursali vel sacello, uti et ius sepulturae in coemeterio etc.

Art. 20. Concilium praedictum non potest, nisi obtenta in scriptis facultate ab Episcopo, quidquam facere, quod fines ordinariae administrationis transgreditur.

Itaque non potest, nisi eadem facultate obtenta:

a) Hereditatem, legata, donationes (solemniter factas) vel fundationes acceptare, aut iisdem renunciare;

b) Bona immobilia emere;

c) Vendere, permutare, hypothecae subiicere, oppignorare, servitute aliove modo onerare, aut ultra trium annorum spatium locare res Ecclesiae immobiles;

d) Vendere, permutare, oppignorare vel alio quovis modo a destinatione sua avertere obiecta artificiosa, monumenta historica, aliave mobilia alicuius magni momenti;

e) Magnas pecuniae summas mutuo accipere, transactiones aliosque contractus onerosos facere;

f) Aedes ecclesiasticas excitare, diruere, aut nova forma induere, et reparationes extraordinarias facere;

g) Coemeteria condere;

h) Facere aut supprimere parochiales, sive ad rem ecclesiasticam parochiae pertinentes, institutiones;

i) Imponere capitationem, collectas inducere, aut eas, quas habet ecclesia, aliis donare;

j) Litigare sive tamquam actor, sive tamquam reus.

Art. 21. Parocho demandatur exclusive:

a) Ordinarium exercitium religiosi cultus, et quidquid praeterea ad munus eius spirituale pertinet;

b) Cura tuendi ordinem in ecclesia, in coemeterio, et sub exercitio cultus religiosi;

c) Determinatio modi quo collocentur sedilia, scamna, capsulae oblationibus recipiendis inservientes, atque etiam quo fieri possint in Ecclesia collectae, denunciationes, aliaeque actiones;

d) Admissio et repulsio obiectorum, quae sive ad usum, sive ad cultum, sive ad ornatum in ecclesia vel sacristia forte destinentur;

e) Dispositio altaris, mensae pro distributione SS. Eucharistiae, cathedrae sive suggestus, e quo ad populum dicatur, organorum, loci cantoribus destinati, et aliorum omnium quae ad exercitium vel administrationem religiosi cultus spectant;

f) Tractatio, usus, custodia, conservatio vasorum sacrorum, vestium, librorum, aliorum omnium ad exercitium vel administrationem sacri cultus necessariorum paramentorum, ornamentorum, utensiliumque ecclesiae vel altaris, inter quae panis, vinum, thus, cerei, caeteraeque res omnes usu consumptibiles;

g) Scriptio, dispositio, custodia librorum, quibus baptizati, confirmati, matrimonio iuncti, defuncti etc. inscribuntur, aliarumque omnium chartarum, quae ad archivium pastorale pertinent.

Quoad dictas res, aliasque omnes pastorale munus concernentes parochus sequitur exclusive leges ecclesiae, et statuta vel praecepta ab Episcopo.

Si causa acquisitionis, vel conservationis rerum ad ornatum ecclesiae vel altaris pertinentium sumptus ex aerario ecclesiae solvi debent, concilium ecclesiae bonis administrandis praepositum de his imprimis sollicitum esse tenebitur. Quando de necessitate horum sumptuum disputatur, Episcopus litem dirimet.

Art. 22. Cantores, organista, sacrista, pueri chorales, campanae pulsator, sepulchrorum fossores caeterique ministrantes ecclesiae, quoad ministerium suum, soli parocho subiecti sunt. Merces eorum, parocho rogante, a concilio statuitur. Ab ipso parocho nominantur et dimittuntur.

Art. 23. Episcopus regulas statuit de certis, sive fixis reditibus ecclesiasticis parochi, aliorumque clericorum parochiali ecclesiae inservientium.

Quatenus dicti reditus ad instar pensionis vel suppletionis ex aerario ecclesiae solvi debent, summam ad instar pensionis vel suppletionis solvendam, Episcopus, audito praedicto concilio, determinat.

Art. 24. Episcopus regulas statuit de iuribus stolae, oblationibus sive honorariis parocho competentibus. Ille statuit iura, quae ecclesiae competant propter usum ornamentorum, cereos etc. occasione exequiarum, anniversariorum, aliarumque solemnitatum.

Quae parocho aliisque in parochia ministrantibus clericis obveniunt commoda, quae causalia dicuntur, haec non indigent statutis regulis, et de his ad concilium praedictum nihil attinet.

Si quando perit proportio inter reditus et onera fundationum, aut si ex alia causa provisio in his et similibus requiritur, Episcopi erit de provisione curare.

Si per fundatores vel benefactores fructibus bonorum vel capitalium non est assignata certa destinatio, aut si de destinatione lis oritur, Episcopus decernet quid parocho, quid aerario ecclesiae, aliisve ius habentibus competat.

Articuli 25 et 26 agunt de custodia aerarii rerumque pretiosarum. Art. 27 agit de inventariis conficiendis. Art. 28 de iisdem verificandis, quae verificatio, in visitatione ab Ordinario vel ab eius delegato facta, et aliis quibusdam temporibus fieri debet. Art. 29 de re-

gistro archivii parochialis. Art. 30 et sequentes usque ad 38 inclusive de aestimatione unoquoque anno facienda eorum quae anno proxime futuro expendenda et accipienda sint, et de rationibus acceptorum et expensorum unoquoque anno reddendis. Art. 39 determinat modum transitionis. Art. 40 praecipit, ut, si duae pluresve parochiae habent commune coemeterium, vel alias communes institutiones ad rem ecclesiasticam pertinentes, concilia harum parochiarum mox provideant in iis, quae ad harum rerum gestionem pertinent, et unum pluresve deputabunt, ut sint quibus haec administratio committatur. Haec administratio iuxta principia horum statutorum gerenda erit, et quae hunc in finem statuenda videbuntur, indigebunt, ut vim habeant, approbatione Ordinarii.

Art. 41. Ecclesiae succursales sive sacella (oratoria), quae subsistunt quin aliquid ex aerario parochiali ad earum sustentationem impendatur, et quae ad hoc usque tempus separatam administrationem habuerunt, poterunt propriam administrationem, distinctam a concilio bonis ecclesiae parochialis administrandis praefecto, servare, si Ordinarius consenserit.

Eo casu administratio putatae ecclesiae vel oratorii poterit disponi iuxta haec statuta, et sic disposita tenebitur ea in omnibus servare quemadmodum concilium bonis ecclesiae parochialis administrandis praepositum.

Art. 42. Episcopus sibi servet:

a) Regulas praescribere, quibus exsecutio horum statutorum et observatio praescriptionum, quas continent, indigere videbuntur;

b) Lites et dubia tollere quae de sensu statutorum forte oriantur;

c) Ampliare et modificare illos articulos, quos ad certius tuendum parochialium ecclesiarum bonum aliqua mutatione egere experientia forte docebit;

d) Delegare facultates, quas habet in actiones conciliorum, quae bonis ecclesiarum parochialium administrandis praeficiuntur.

1128

De magnetismo eiusque abusibus compescendis.

Litt. encycl. S. C. S. Off. *4 Aug. 1856.* — In Congregatione Generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. M. supra Minervam (fer. IV. 30 Iulii 1856) Emi ac Rmi DD. Cardinales in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem Generales Inquisitores, mature perpensis iis quae circa *magnetismi* experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi praesentes literas encyclicas ad omnes Episcopos ad magnetismi abusus compescendos.

Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phaenomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta, remota, ac futura detegi magnetismi arte, vel praestigio, praesertim ope muliercularum, quae unice a magnetizatoris nutu pendent. Nonnullae iam hac de re a S. Sede datae sunt responsiones ad peculiares casus quibus reprobantur tanquam illicita illa experimenta, quae ad finem non naturalem, non honestum, non debitis mediis adhibitis assequendum, ordinantur; unde in similibus casibus decretum est Feria IV 21 Aprilis 1841: *Usum magnetismi, prout exponitur, non licere.* Similiter quosdam libros eiusmodi errores pervicaciter disseminantes prohibendos censuit S. Congregatio. Verum quia praeter particulares casus de usu magnetismi generatim agendum erat, hinc per modum regulae sic statutum fuit Feria IV 28 Iulii 1847: *Remoto omni errore etc. (V. n. 1018).* Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo, aut illicitudo in usu, aut abusu magnetismi, tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiae, potius curiosa sectantes magna cum animarum iactura ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc *somnambulismi,* et *clarae intuitionis,* uti vocant, praestigiis muliercolae illae gesticulationibus non semper verecundis abreptae, se invisibilia quaeque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario praesumunt, magnum quaestum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturae. In hisce omnibus quacumque demum utantur arte, vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita, et scandalum contra honestatem morum. Igitur ad tantum nefas, et religioni, et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis sollicitudo, vigilantia ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adiutrice gratia, poterunt locorum Ordinarii, qua paternae charitatis monitis, qua severis obiurgationibus, qua demum iuris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adiunctis, expedire in Domino iudicaverint, omnem impendant operam ad huiusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos, ut dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione praeserventur.

1129

Circa venditionem librorum acatholicorum.

S. C. S. Officii *6 Aug. 1856* — OREGON — 1. Se un libraio cattolico possa vendere con sicura coscienza in un paese protestante i libri eterodossi, come p. e. la bibbia anglicana, i libri immorali, come *l'ebreo errante* ecc.

Circa validitatem matrimoniorum in quibus partes ab extante lege divortii non abhorrent.

2. Se debbano considerarsi come validi i matrimonî dei protestanti, contratti sotto una legge la quale permette il divorzio, essendo disposte le parti a giovarsene, qualora in seguito non si trovino scambievolmente soddisfatte.

R. Ad 1. Scribatur a S. Congregatione de Prop. Fide ad mentem. – La mente è che la Propaganda faccia conoscere a Mr. Vescovo di Oregon con quale delicatezza la S. Sede si diporta nel concedere una qualche licenza nel vendere i libri proibiti, escludendo sempre quelli che sono di sua natura immorali, e che trattano *ex proposito contra religionem;* che non ostante, attese le peculiari circostanze del luogo e del tempo a cui accenna, rimette alla sua coscienza e prudenza il concedere all'oratore libraio quelle facoltà che crederà strettamente indispensabili.

Ad 2. Consulat Benedictum XIV *De Synodo Dioeces. lib. XIII. Cap. 22.* Quod si dubium oriatur, recurrat in casibus particularibus, expositis omnibus facti circumstantiis.

1130

Ab interpellatione minime dispensandum si coniux infidelis fidem vult amplecti.

S. C. S. Off. *6 Aug. 1856* — Cocinc. Orient. — Aliquoties evenit ut occurramus gentilibus qui volunt converti ad fidem, sed quia, dimissa prima uxore, secundum matrimonium contraxerunt cum alia, tenentur interpellare primam illam uxorem quae non raro peroptat redire cum illis, et ex toto corde consentit ad fidem amplectendam ut in gratiam recipiatur a marito. Gentiles autem nolunt illas recipere, nec consentiunt secundam uxorem dimittere, quae aliunde est etiam parata ad fidem amplectendam. Unde fit ut aliquoties numerosae familiae remaneant in infidelitate. Habeo quidem ex concessione Apostolica facultatem dispensandi super interpellatione; sed haec facultas non se extendit ad casum supramemoratum. Si igitur E. V. iudicat hoc expedire, suppliciter ab ea peto ut dignetur mihi impetrare a SSmo D. N. facultatem dispensandi ab interpellatione etiam in casu supramemorato, quando scilicet una pars nullo modo adduci potest ut cum altera redeat.

R. Negative.

1131

In Paschae celebratione a romano calendario non recedendum.

Litt. S. C. de Prop. F. *10 Febr. 1857.* — (Ad Vic. Ap. Cocincin. Occid.) — Literis die 2 Augusti elapsi anni datis rescribentes sub die 20 p. p. Ianuarii A. Tuam admonuimus proposita in iis dubia ad Supremam Inquisitionem solvenda sine mora remissa fuisse. Alterum sub n. 1. ex iis ita sese habebat: *Cum in his orientalibus regionibus luna prius quam in Europa oriatur, aliquando accidit ut dies lunae in Europa primus, in Sinis sit secundus, et sic de ceteris; ac proinde evenire potest (et revera anno elapso contigit) ut dies 14 iuxta calendarium romanum sit dies Dominica in qua celebrari Pascha non debeat; in Sinis vero idem dies sit 15 in qua iuxta rubricas Pascha celebrari debeat; quaeritur utrum in hoc casu quoad celebrationem Paschae ceterorumque festorum mobilium sequendum sit calendarium romanum vel calendarium sinense.* — Quaestioni huiusmodi item a Provicario Missionis Oceaniae Centralis alias propositae cum Sacrum Tribunal responsum, mature re discussa ac libratis omnibus, exhibuerit, quod SSmi Dñi oraculo firmatum fuit, idem responsum A. Tuae patefaciendum iussit; est porro: *Nihil esse innovandum, et non esse recedendum a calendario romano.*

1132

De professione votorum simplicium a regularibus praemittenda professioni votorum solemnium.

Litt. encycl. S. C. super statu Regul. *19 Martii 1857.* — Neminem latet, tristissimis hisce temporibus quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessundare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum, uti par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus, tamquam ovis morbida electum Christi gregem inficiat, vel verae vocationis expers, et suscepti Instituti poeniteat, et gravem sodalibus molestiam afferat cum disciplinae perturbatione, et regularis observantiae discrimine. Hinc porro evenit, ut qui ex adverso sunt, contra regulares familias, licet de christiana et civili republica optime meritas, pleno ore blaterent, et culpam quae paucorum est, in universum coetum conferant. Ex quo non levi religionis damno debita christiani populi erga religiosas familias opinio et reverentia vel maxime imminuta. Siquidem regulares viri propriae vocationis assidue memores esse debent, et omnium virtutum splendore fulgere, atque ex proprii Instituti regula nullis curis nullisque laboribus parcere, ut maiorem Dei gloriam ac sempiternam hominum salutem procurare queant. Quod si semper, hisce praesertim temporibus, ab ipsis maiore studio et contentione est praestandum, cum populi, licet omnigenis insidiantium hominum erroribus fraudibusque misere decepti, tamen et veritatis luce, ac sanctissimae nostrae religionis auxilio se maxime indigere sentiant. Quocirca regulares viri, qui auxiliares Ecclesiae milites merito semper dicti et habiti sunt, nihil nunc intentatum relinquere debent, ut qua opere, qua voce, qua exemplo errorum tenebras dissipent, hominumque mentes divinae nostrae religionis lumine illustrent, errantes in omni bonitate patientia ac doctrina ad veritatis et salutis semitas perducant, vitiorum germina

radicitus evellant, ac pietatem, religionem omnemque virtutem ubique foveant, excitent ac propagent. Ut autem haec prospere feliciterque agere et consequi valeant, charitatem in primis praeseferant oportet, quae virtutum omnium parens et altrix, quaeque patiens atque benigna omnia suffert, omnia sustinet, et idcirco necesse est Religiosos ipsos viros arctissimo charitatis vinculo inter se esse coniunctos, quo concordissimis animis, consociatisque studiis praeliantes bella Domini, et quaerentes unice quae Christi sunt, possint Dei eiusque sanctae Ecclesiae regnum magis in dies extendere.

Cum igitur Ecclesia prudenti quadam oeconomia ingruentibus malis iuxta rerum ac temporum adiuncta provide sapienterque occurrere soleat, SS. D. N. Pius PP. IX, Religiosos Ordines praecipua benevolentia prosequens, et ab iis huiusmodi mala avertere cupiens, rem deferendam voluit ad S. Congregationem super Statu Regularium, ut PP. Cardinales, rebus accurate discussis, proponerent quidquid in Domino expedire existimassent. Itaque auditis eorumdem Cardinalium sententiis, universaque rei ratione sedulo perpensa, haec quae sequuntur, quoad religiosas virorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex Apostolicae auctoritatis plenitudine statuit atque decernit, atque ab omnibus, ad quos spectant, ex obedientiae praecepto observari et executioni demandari districte iubet, et contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, derogat, ac plene derogatum esse declarat.

Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et statutorum Ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur; et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII incipiente « *In supremo* » praefinita est.

Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint, computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero Superior Generalis, ac etiam Superior Provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum vigintiquinque expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus novitiatus, de consensu tamen Magistri novitiorum, et duorum religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sint.

Decreta S. Congregationis super Statu Regularium incipientia « *Romani Pontifices* » et « *Regulari disciplinae* » anno 1848 promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.

Quae de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, servanda erunt relative ad eos, qui post datam praesentium ad habitum admittentur (1).

1133

An liceat iuramentum emittere coram sacerdote schismatico.

S. C. S. Off. *1 Apr. 1857* — ZACYNT. — Se sia permesso ai cattolici emettere il giuramento nelle mani del prete greco (scismatico) per obbligo imposto dal governo, qualora si presti in maniera che il solo giudice lo imponga, ed il prete greco senza stola e senza candele accese dinanzi al Crocifisso, e senza minimamente dettarlo, se ne stia silenzioso; nè esiggasi che la sola e pura sua presenza, mentre il testimonio lo pronunzia da sè ponendo la mano sul Vangelo.

R. Quatenus minister schismaticus assistat iuramento catholicorum praesentia mere passiva et politica, sine stola aliisque signis ministerii, seu tamquam non addictus sacris, sic iurantes non peccare; secus non licere.

1134

De unctione in benedictione calicis et campanarum.

S. R. C. *9 Maii 1857* — STRIGONIEN. — 1. An Calix, cuius inauratio dumtaxat renovatur, possit a sacerdote, Ordine Episcopali non insignito, simpliciter sine unctione benedici; vel in hoc quoque casu ad Episcopum perferri debeat, ut ab hoc cum unctione benedici queat.

2. An in urbibus, in quibus frequenter funduntur campanae, et simul a residentia Episcopi longius remotae sunt, aliquis ex Dignitatibus Capituli vel ex Praelatis deputari possit ad novas campanas sine unctione benedicendas.

---

(1) In Litt. Ap. Pii PP. IX 7 *Febr. 1862* statuitur quod sequitur: « Quoad religiosas virorum familias cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti in quibus solemnia vota emittuntur statuimus, ac decernimus nullam omnino, irritam, et nullius roboris fore professionem votorum solemnium tam scienter, quam ignoranter, quovis modo, praetextu, et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis, et conversis, qui licet probationem, et novitiatum prout de iure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia, et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti ».

R. Ad 1. Quoad primam partem, Negative; quoad alteram, Affirmative ad utrumque.

Ad 2. Non posse, si campanae deserviant ecclesiis et sacris functionibus annunciandis.

1135

De cantu in Missis defunctorum.

S. R. C. *9 Maii 1857* – Portus Aloisii. – 1. Num in responso a Sacra Rituum Congregatione die 11 Septembris 1847 in Taurinen. ad dubium secundum dato, quod respicit Missas defunctorum cantandas, verba illa *precatio suffragii* includant Sequentiam *Dies irae,* quae vix vocari potest oratio vel precatio? Item: Num in dictis Missis cantari necessario debeat Offertorium?

De usu stili seu virgulae argenteae in Extrema Unctione.

2. Circa Extremae Unctionis administrationem libellus inscriptus: *Ordo administrandi sacramenta ex Rituali Romano extractus, et iussu Episcoporum in Anglia adhibendus,* dicit: *Intincto stilo vel pollice in oleo sancto etc.* Quum vero theologorum non una sit sententia circa consuetudinem adhibendi stilum in hac sacra unctione; et theologi ipsi concludant, quod quisque sequatur usum Ecclesiae suae; quaeritur: Utrum in dioecesi ista Portus Aloisii, in qua invaluit usus stilum seu virgulam argenteam adhibendi in administratione Extremae Unctionis, usus ipse tuto continuari possit.

Circa usum adhibendi in baptismo adultorum ritum pro infantibus.

3. Quum in dioecesi Portus Aloisii usus hucusque praevaleat in Baptismate adultorum ritum adhibendi pro Baptismate infantium designatum, Episcopus orator postulat, ut ex gratia liceat hunc usum servare praesertim ob paucitatem sacerdotum, quorum unicuique in ipsa dioecesi incumbit cura quinque vel sex amplius millium catholicorum, cum eodem numero paganorum; ac proinde temporis angustiae ex hoc proveniunt.

Ad 1. Affirmative ad utrumque.

Ad 2. Negative excepta necessitatis causa.

Ad 3. Negative in omnibus.

1136

An festi translati vigilia transferri possit.

S. R. C. *9 Maii 1857* – Ruremunden. – 1. An vigilia alicuius festi transferri possit, si festum quod vigiliam habet, in diem aliam fixam perpetuo sit translatum, uti accidit in civitate Ruremundensi, ubi festum Sancti Iacobi Apostoli perpetuo transfertur ob occurrentiam Sancti Christophori Martyris Patroni ecclesiae cathedralis?

De ritu quo Titularis ecclesiae cathedralis celebrari extra civitatem debeat.

2. An Titularis ecclesiae cathedralis a clero extra civitatem celebrari debeat ritu duplici primae classis cum octava?

R. Ad 1. Negative. — Ad 2. Affirmative.

1137

An Administrator Ap. thronum possit habere et in canone Missae nominari.

S. R. C. *9 Maii 1857* – Pekini et Mongoliae. – 1. Ex iure communi Administrator Apostolicus debetne aut potest habere solium a parte Evangelii?

2. Debetne aut potest illud habere etiam in omnibus locis dioecesis suae administrationis?

3. Decreta quae dicunt Vicarium Apostolicum eadem non posse in suo Vicariatu ac Episcopi in sua dioecesi, et ei plura prohibent inter quae adest favor nominari a sacerdotibus in canone Missae, tacent omnino de Administratoribus Apostolicis, unde concludendum videtur praesertim Administratorem Apostolicum dioecesis Pekinensis ut talem non attingi a variis his laudatorum decretorum prohibitionibus in dioecesi suae administrationis, et eadem ibidem posse ac proprius Episcopus. Potestne praesens Administrator Pekinensis in locis suae administrationis Apostolicae prudenter sequi hanc suam interpretationem?

R. Sacra Congr. singula mature expendere curavit, et inhaerens decretis alias in similibus editis praesertim in una Sarsinaten. die 22 Augusti 1722 rescribere rata est: *Negative in omnibus iuxta enunciatum decretum in una Sarsinatensi* 22 Aug. 1722 (1).

---

(1) Enunciatum decretum ita se habet: « *Dubia:* « 1. An Episcopus Civitatis Ducalis modernus Administrator Ecclesiae Sarsinatensis in functionibus pontificalibus gaudeat omnibus illis praeeminentiis et « praerogativis quibus fruuntur et gaudent omnes alii « Episcopi in propriis dioecesibus. Et quatenus negative:

« 2. An dictus Episcopus Administrator amovibilis « Ecclesiae vacantis, dum cantat Missas et Vesperas in « pontificalibus possit sedere super cathedra episcopali « elevata quatuor gradibus, parata cum baldachino ac « postergali, et uti baculo. — 3. An concedere possit Indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate « Apostolica. — 4. An ei dum assistit Missae solemni « ab alio cantatae debeant canonici facere circulos ad « *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Credo, Sanctus* et « *Agnus Dei,* et tunc ubinam debeat sedere. — 5. An « fieri debeat Anniversarium suae Consecrationis cum « Missa cantata per Capitulum et clerum, eiusque no« men debeat in canone memorari per sacerdotes ce« lebrantes. — 6. An cum Administrator Missam cantat « in pontificalibus, debeat poni super altare septimum « candelabrum cum candela accensa. — 7. An dum « idem cantat Missam in pontificalibus, debeant omnes « canonici sacris paramentis indui; vel tres tantum « fungentes officiis diaconi, subdiaconi et presbyteri as« sistentis. — 8. An dum vadit ad cathedralem debeat « sumere cappam magnam in aedibus superioribus Epi« scopatus, vel in ingressu ecclesiae aut presbyterii. — « 9. An canonici eum accessurum ad cathedralem de« beant omnes excipere in dictis aedibus, vel soli tres « aut quatuor ad portam ecclesiae. — *Resp.* Ad 1. Nega« tive. — Ad 2. Negative quoad primam partem; Af« firmative quoad secundam. — Ad 3. Negative. — « Ad 4. Negative, et sedeat in primo stallo chori. — « Ad 5. Negative. — Ad 6. Negative. — Ad 7. Negative « quoad primam partem; Affirmative quoad secundam. « — Ad 8. Arbitrio Administratoris. — Ad 9. Decere, « in casu de quo agitur, ut omnes accedant ».

1138

De officio defunctorum recitando a sacerdotibus assistentibus (cum stipendio) mortuorum exequiis officiisque.

S. R. C. *9 Maii 1857* — Petrocoricen. — Utrum parochus aliique sacerdotes Exequiis mortuorum Officiisque quotidianis pro iisdem assistentes, ac pro ea functione stipendium accipientes, teneantur per se Officium defunctorum persolvere, ita ut solummodo assistentes et non cantantes vel psallentes, fructus non faciant suos; an vero sufficiat ut assistant, et schola Officium persolvat, ipsis interea pro suo lubitu alias preces fundentibus, v. g. Breviarium recitantibus pro sua quotidiana obligatione.

R. Affirmative quoad primam partem; negative quoad secundam.

1139

De Sanctis Patronis tum *loci* tum *ecclesiae*.

S. R. C. *9 Maii 1857* — Briocen. — Etsi iuxta declarationes alias datas ab hac S. Sede Ap., nomine *Sancti Patroni loci* intelligi debeat Sanctus qui in determinato loco, civitate vel oppido colitur velut delectus ad Deum patronus, ita ut *Patronus dioecesis* non sit colendus cum festo de praecepto iis in locis quae peculiarem aliquem Sanctum venerantur Patronum; attamen Vicarius Gen. dioecesis Briocen. ulterius a Sacra Rituum Congregatione requisivit, num iste Sanctus *loci Patronus* sit ille *parochialis* (*ecclesiae*) *civitatis:* et quatenus affirmative postulavit quisnam sit Patronus civitatis illius in qua plures ecclesiae parochiales extant? Huic porro quaestioni.... S. C. rescribere rata est: — Cessat omne dubium si Titularis ecclesiae, qui etiam appellari quandoque solet *Patronus ecclesiae,* distinguatur a *Patrono loci,* puta civitatis, provinciae, Regni etc. *Titularis* enim sive *Patronus ecclesiae* is dicitur sub cuius nomine seu titulo ecclesia fundata est, et a quo appellatur. *Patronus* autem *loci* proprie is est quem certa civitas, dioecesis, provincia, Regnum etc. sibi delegit velut singularem ad Deum patronum, servatis in eiusdem electione regulis in decreto s. m. Urbani VIII diei 23 Martii 1630 statutis. *(V. n. 54).*

1140

Iis qui dimiserunt scapulare B.M.V. de Monte Carmelo sufficit pro Indulgentiis ut illud simpliciter resumant.

S. C. Indulg. *27 Maii 1857* — Massilien. — An qui rite semel adscripti Sodalitati Scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, postea habitum sacrum Sodalitatis dimiserunt, teneantur ad novam sacri habitus receptionem a potestatem habente, si velint Indulgentias praedictae Sodalitati a Summis Pontificibus concessas lucrari: vel an sufficiat ut habitum sacrum ipsi denuo resumant simpliciter.

R. Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.

1141

De litteris testimonialibus et de documento suscepti baptismi pro admittendis ad religiosum habitum.

S. C. super Statu Regul. *29 Maii 1857.* — Eutrope Abbate dei Trappisti di Gethsemani nella diocesi di Louisville in America considerando, che l' America è una terra di emigrati, e di viandanti, ossequiosamente implora che la S. V. si degni dichiarare:

1. Se sia sufficiente di esigere dai postulanti ecclesiastici le lettere testimoniali del Vescovo che ha loro conferito l'Ordine, ovvero sia necessaria anche la testimoniale del Vescovo nella cui dioecesi sono stati ultimamente impiegati.

2. Siccome la maggior parte de' postulanti laici sono irlandesi, o tedeschi, per ottenere l' attestato del Battesimo fa duopo di scrivere in Europa, e le risposte tardano molti mesi, e qualche volta non si ricevono affatto, così quando evvi una certezza morale che sieno battezzati, se possono ammettersi almeno provvisoriamente alla vestizione dopo due mesi circa di prova.

3. Se il postulante è già religioso di altra Congregazione, od Istituto regolare, basterà di domandare gli attestati dal Superiore da cui dipende?

Sacra Congregatio super Statu Regularium vigore specialium facultatum a SSmo D. N. Pio PP. IX concessarum propositis dubiis respondendum censuit prout respondet:

Ad 1. Si agatur de postulantibus in sacris Ordinibus constitutis sufficere testimoniales Episcopi, qui Ordines sacros legitime eis contulit, una cum testimonialibus Ordinariorum dioecesum, in quibus deinde ultra annum in unaquaque dioecesi commorati fuerint.

Ad 2. Documentum recepti Baptismatis exhibendum esse ante admissionem ad habitum.

Ad 3. Quoad novitios alterius Ordinis, et professos saecularizatos, testimoniales litteras petendas esse ab Ordinario: quoad professos, qui in Congreg. vel Ordine actu permanent, dummodo ab Apostolica Sede facultatem ad alium Ordinem transeundi obtinuerint, testimoniales literas petendas esse a Superioribus, nempe vel a Superioribus generalibus, vel a Provincialibus Ordinis *a quo:* vel quatenus agatur de Congregatione, et Ordine in quo Provinciales non habeantur, loco Provincialium a Superioribus localibus; et si professus in diversis domibus, vel conventibus commoratus fuerit, sufficere testimoniales Superioris generalis, vel provincialis, vel Superioris domus (quatenus provincialis non habeatur) in qua postremo tempore moratur. Caeterum huiusmodi Superiores antequam testimoniales concedant diligenter inquirere debeant de qualitatibus religiosi.

1142

An ecclesias ab ethnicis destruendas possint christiani exarmare et occultare.

S. C. S. Off. *15 Iulii 1857* — Tunk. Centr. — Cum rex eiusque ministri non solum religionem catholicam, Christique ministros illius praecones persequantur, sed etiam ecclesias domosve ad christianorum congregationem, precum sacrarum recitationem, sacramentorumque administrationem destinatas, sive benedictas sive non, ut sint, severe prohibeant, ac destruere cogant maxima cum populorum, ubi inventae fuerint, iactura: quaeritur utrum Vicarii App. populis ob id coram mandarinis accusatis possint licentiam concedere ut christiani eas deforment, ligna materiamque ita complicantes, ut secreto asservari possint, ut, cum oportuerit, iterum ad pristinam formam reducantur. Me non latet S. Congregationis S. O. ad dubia R. P. Navarrete responsio anni 1674 declarans quod: « Regi gentili sive « eius ministris in odium fidei templa subver- « tere praecipientibus non possint christiani nec « missionarii tali actioni cooperari, aut manus « executioni imponere »; nec etiam alia eiusdem S. C. decisio anni 1776 a SSmo D. N. Pio PP. VI approbata, qua ad dubium a R. P. Fr. Feliciano Alonso propositum, scilicet: « An « liceat christianis tempore persecutionis, evi- « tandi persecutiones et pericula fidei eiurandae « causa, ecclesias divino cultui dedicatas, non « consecratas nec benedictas, animo iterum, si « possint, eas reaedificandi, evertere seu exar- « mare? » Responsum fuit: « Affirmative, dum- « modo non adsit scandalum et contemptus « religionis ». His non obstantibus adhuc mihi superest dubium: primo enim de casu quo rex vel mandarini templorum direptionem et destructionem, ut eiuratae fidei signum praecipiant, loqui videtur, sed hoc non semper, imo raro evenit. Secundo vero ecclesias consecratas vel benedictas non comprehendit, atque de privata christianorum determinatione loqui videtur, de qua non est maior difficultas. Si vero nec christianis privata auctoritate, nec Episcopis Vicariis App. adsit, vel a SSmo non concedatur talis facultas, in gravissimum et, ut ita dicam, certum praevaricationis laqueum incidunt populi christiani cum vel ab exteris ipsis infensis, vel a quocumque eiusdem pagi incola coram mandarinis, ut saepius evenit, accusantur. Nullum enim in Tonkino vidi vel ad aures pervenit meas, qui ita fortis in fide esset ut ecclesiam ad Deo cultum praestandum constructam clare fateretur coram mandarinis, sed vel muneribus mandarinum eiusque satellites placavere, ne hac de re eos interrogarent, vel ambagibus, amphibologiis mendacibusque excusationibus utentes illam occultarunt, vel demum ut verum Dei templum a mandarinis recognitum illud destruxerunt, plerumque cum fidei publica negatione scripto mandarino exhibito. Plures certe cum mandarinis familiariter secretoque loquentes, se ecclesiam habere fatentur: si vero res iudicialiter tractetur, nullus veritatem dicere audet, quia si cultus catholici templum in aliquo pago existere ex iudicialibus documentis constet, etiam illius destructio constare debet, alioquin tam pagi incolae, quam districtus iudex et praefecti sive mandarini gravibus plectendi sunt poenis tamquam regalium decretorum transgressores. Cuncta vero narrata mala aliaque plurima quae his in casibus exoriri solent vitari possunt, si opportuna data facultate, praevio Vicariorum App. examine huiusmodi templa ad tempus sive exarmentur atque occultentur, sive benedicta, sive nondum benedicta fuerint.

R. Detur decretum feriae V 4 Iulii 1776 *(V. n. 513)* et ad mentem. Mens est quod in sensu explicato, nimirum dummodo non adsit scandalum et contemptus religionis, potest idem fieri quoad templa benedicta vel consecrata, et in hisce temporum angustiis, imminente persecutione, remittitur prudenti arbitrio Vicariorum App. rem sacram facere ubicumque et quomodocumque in Dño expedire iudicaverint, imitantes primaevos Pastores qui saeviente persecutione in domibus privatis, in chryptis, in coemeteriis offerebant, exhortantes fideles ut sint prudentes in fuga, numquam vero mendaces, sed constantes in certamine ad coronam martyrii, si Deo placuerit, acquirendam: et serventur omnes hac de re instructiones et responsiones S. Sedis.

1143

De muliere pagana baptizanda quam vir cui invalide nupsit dimittere non vult.

S. C. S. Off. *22 Iulii 1857* — Coreae. — Mulier pagana, a viro suo pagano expulsa, alteri viro gentili, qui suam uxorem etiam repudiaverat, ante quadraginta annos se coniunxit, a quo plures habuit filios. Dicta autem illa mulier, cum de sancta Religione audivit, a tribus annis Baptismum cum lacrymis expostulat. Vir paganus cui se adiunxit, nec illam dimittere, nec priorem uxorem revocare consentit: maritus legitimus iam mortuus est. S. V. rogo ut, quomodo mulieris illius saluti providendum sit, mihi indicare dignetur.

R. Iuxta exposita mulierem esse liberam, et, prudenter separata a viro concubinario, nihil obstat quominus baptizetur.

1144

De quadam processione superstitionem redolente.

S. C. S. Off. *22 Iulii 1857 et 3 Febr. 1859* — Est alia caeremonia quae haud minus superstitionem redolet quam praecedens. Adveniente tempore messis, rex accersit praefectos suos qui cum suis subditis in regiam conveniunt, ubi ordinatur processio circum moenia urbis, cum

intentione obtinendi abundantiam frugum. Diversae tribus quibus constat populus Regni Cambodiae huic processioni assistere debent, cambodienses scilicet, christiani, qui ob religionem quam profitentur vocantur europaei, malaccenses et sinenses. Sic ordinatur processio dicta: Quinque cumuli frugum recens demissarum in effigiem monticulorum extra moenia civitatis extruuntur. Tunc fit processio, quae urbem ter circuit, transiens coram rege qui sedet in tentorio iuxta viam adornato. Christiani suum locum habent in hac processione *He meac* nuncupata, et armis instructi suum ducem sequuntur. Cum vero processio pervenit ad quamdam portam civitatis, quidam bonzii, in strato elevato stantes, aqua lustrali transeuntes aspergunt. Sed christiani eos inclamant dicentes: Sinite ab ista aqua; nos sumus christiani eamque in horrorem habemus. Post tertium circuitum comburuntur frugum tumuli, et tunc unusquisque domum suam revertitur. Quidquid hucusque dixerimus vel fecerimus, nunquam potuimus avertere imbelles neophytos nostros ab ista processione; adeo regiam iram formidant. — Quaeritur ergo utrum, facta protestatione ut supra, vel aliter, licite possint milites christiani dictae processioni interesse, praesertim cum sit locus timendi ne rex graviter in absentes animadvertat.

R. Ad primum dubium super explosione tormenti vulgo *mortari (V. pag. 639 n. 1170)*, EE. PP. decreverunt: Iuxta ea quae proponuntur, non licere; et detur R. P. D. Vicario Ap. instructio P. Consultoris Nerini sub fer. IV 13 Nov. 1777 a suprema S. C. communicata Sacrae Congr. de Prop. F. — *Secundum quod scribis est huius modi: duas isthic bellicorum tormentorum explosiones fieri (V. n. 526).*

Ad secundum dubium: An christiani assistere possint processioni quae fit, prout exponitur, ad obtinendam abundantiam messis, EE. rescripserunt: Non licere, et R. P. D. Vic. Ap. consulat Bullam Bened. XIV *Omnium sollicitudinum. (V. n. 347).*

1145

De superstitiosa erectione columnae in matrimoniali quodam umbraculo vulgo *pandel*.

S. C. S. Off. *22 Iulii 1857* — Myssur — Sciendum est in Indiis, in quibus sive civiles sive religiosae celebrandae sunt solemnitates, in facie domorum quaedam construi umbracula (tamulice *pandel*). Matrimoniale *pandel* dextrae manus Indi duodecim habere debet columnas, sinistrae manus Indi undecim tantum habere potest; pulcherrimum et maxime necessarium pro coetu parentum amicorumque congregato. Quot caeremonias observant gentiles, quot deos deasque invocant, quibus columnas dedicant diis, narrare prolixius foret. Multa nostri christiani dereliquerunt; attamen in tali *pandel* unam columnam fere sicut gentiles erigunt et habent. Et quia essentialis et praecipua inter tamulenses habeatur, illam abolere timui; attamen propter rationes subsequentes illam tolerare reformido:

1. Materia designata totius columnae; siquidem vel *bambou,* vel alia specialis arbor requiritur, dum e contra materia aliarum columnarum est indifferens.

2. Dies plantationis est peculiaris; siquidem ab erectione illius usque ad caeremoniam matrimonii essentialem, impar dierum numerus semper esse debet (3 vel 5), dum pro erectione *pandel* parvi refert quot et qui numerantur dies.

3. Momentum erectionis ominosum est; siquidem gentiles et christiani multi astrologos et brahmanos consulunt, dum pro aliis columnis nullum inquirunt momentum.

4. Nomen illius columnae; nam astrologi coniunctione vel disiunctione planetarum et siderum observata, momentum propitium *monhourtam* declarant, tunc nomen *monhourtocombou* id est columna propitia dicitur, sed nullum nomen sic attribuitur aliis columnis.

5. Locus erectionis determinatur; siquidem versus ecclesiam stare debet... sponsus et sponsa semper in faciem illius sedere et indesinenter in faciem illius remanere debent.

6. Caeremoniae et preces in plantatione usitatae. Gentiles suas habent, sed christiani catechistam adducunt recitantem litanias, et *Salve Regina* cantant. Multi novem granorum seminant species, lacte et aqua irrigant ut germinent intra matrimonii dies, in signum abundantiae, quidam dicunt, sed in honorem novem planetarum vel constellationum frequentissime talis operatur seminatio; certe, si talis columna esset indifferens, tales non adhiberentur precationes.

7. Ornamenta quibus illam ornant; nam illam pannis rubris et fulvis cooperiunt, sandalico liniunt pulvere, pretiosos lapides, variaque monilia appendunt, floribus circumcingunt. Arboris *mouguo* dictae foliis illam coronant. Tandem christiani vel depingunt imaginem crucis vel crucem appendunt huic columnae. Sed, quos adorant vel quibus in honorem quorumdam deorum utuntur, ramos aut arbores semper eodem modo gentiles ornare sciendum est.

8. Processiones vel circuitus cum inclinationibus venerationis tali columnae faciunt. Quando sponsi primo sub dicto *pandel* intrant, ambo columnam circumeunt, et inclinatione capitis illam venerantur; in pluribus aliis circumstantiis talem faciunt processionem: christiani dicunt tales inclinationes crucem respicere; sed quis credit inter gentiles, quando crux non est patens et apparens?

9. In multis locis.... huic columnae alligant ramum arboris cuiusdam. Sed in tali caeremonia cuiuscumque arboris ramus sacer sem-

per habetur.... Tamulenses, saltem quos cognosco, talem non videntur alligare ramum (sicut canarenses), *moungo* arboris folia tantum in extremitate alligant.

His consideratis, tali columnae quamdam significationem, vel gentilem, vel superstitiosam, Indos attribuere evidenter apparet...

R. Non licere, et prudentiori modo curandum per R. P. D. Vic. Ap. Maissurii ut huiusmodi abusus aboleatur.

1146

De inversione horae prandii et refetiunculae diebus ieiunii.

S. C. S. Off. *29 Iulii 1857* – Suecian. – Potestne (diebus ieiunii) ratione quacumque v. g. studiorum, hora prandii et collationis interverti ut, more gallico, collatio sumatur hora undecima, prandium vero hora quinta post meridiem?

R. Inverti posse rationabili de causa; et consulat probatos auctores.

1147

De matrimoniis initis vel cum intentione utendi, si libuerit, lege divortii, vel ficte.

S. C. S. Off. *19 Aug. 1857* – Tahiti – Mulier tahitiana matrimonium init secundum legem suae regionis quae admittit divortium. Mulier illa intendit se uti velle divortii a lege permissi facultate, si circumstantiae id ipsi suadeant. Revera repudiato primo illo viro voluntarie, sive coacta, mulier ad secundas, et quoque tertias nuptias transit coram publico officiali ac ministro... Hodierna die vult ipsa mulier catholicam fidem amplecti; impossibile ipsi est ad primum virum reverti, qui pari exemplo ad alias item transiit nuptias, qui non vult catholicam fidem sequi, quique mulierem, cui postremo nupsit, nullimode relinquere vult. Ex altera vero parte sperare haud fas est, mulierem, de qua supra, in continentia vivere paratam fore. Casus expositus ita ordinarius est in quibusdam locis, quemadmodum alter de coniugibus quorum nuptiae ad obitum usque perdurent. His positis, quaeritur:

1. Quid sentiendum de huiusmodi coniugiis initis cum intentione non expressa pro lubitu divortii?

2. Possuntne huiusmodi coniuges in bona fide relinqui, moniti tamen quod si catholici evadant nequeunt uti lege divortii, prout antea fecerint?

3. Ad augendam eamdem bonam fidem, potestne ab eis peti renovatio consensus, cum fidem catholicam amplectuntur, et eorum coniugium benedictione nuptiali ditari?

4. Quae tenenda est praxis ac ratio agendi ad tramites misericordiae, ut saluti animarum illorum prospiciatur?

5. Extraneus catholicus non vult vivere nisi in concubinatu cum muliere tahitiana protestante, sed spe movetur temporalis utilitatis, quae ipsi proveniet contractum iniens coram officiali civili, et ministro; ac propterea ad eiusmodi contractum ineundum procedit, quemadmodum in casu praecedenti sermo fit. Omnes exteri norunt huiusmodi contrahentium intentiones, ac notum palamque est extraneum virum, de quo supra, tandem relicturum mulierem cui nupsit, et quam uti concubinam tenet, ut vel in sua patria, vel etiam in regione Tahiti serio ad alias nuptias duraturas transeat.

R. Ad 1. Quoties in foro externo rite constet coniuges animo ac voluntate solvendi vinculum contraxisse, aut cum expressa repudii conditione in pactum deducta, matrimonium est nullum. Si vero expressa illa conditio, de matrimonio pro aliquo casu dissolvendo, apposita minime fuerit, et aliunde nullum praecesserit impedimentum, standum pro valore contractus: exceptio enim intentionis in foro externo non admittitur nisi probetur, et probari nequit nisi per externam declarationem. Consulat insuper Benedictum XIV. *De Synodo lib. 13, cap. 22, n. 7.*

Ad 2. Negative, adhuc vivente priori coniuge, nisi de nullitate matrimonii antea contracti rite constet.

Ad 3. Provisum in secundo.

Ad 4. Consulat probatos auctores, qui data opera de apostolicis missionibus, ac de procuranda infidelium et haereticorum salute scripserunt.

Ad 5. Matrimonium esse nullum, si constet in foro externo huiusmodi coniuges contraxisse ficte; vel nonnisi dissolubiliter etc. prout in primo.

1148

An consecrari queat altare in ecclesia tantum benedicta.

S. R. C. *12 Sept. 1857* — Molinen. — 1. Utrum in ecclesia tantummodo benedicta altare possit consecrari, quin prius ipsa ecclesia consecretur.

An moniales corporalia abluere possint cum Ordinarii venia.

2. Utrum moniales seu piae feminae vitam communem sub regula degentes, possint cum licentia Ordinarii abluere corporalia, pallas, et purificatoria.

Circa duos ministros in Missa privata.

3. Num tolerandum sit ut mos non geratur decretis S. Congregationis duos ministros in Missa lecta prohibentibus, eo sub praetextu quod hi ministri non introducantur ratione dignitatis celebrantis, sed ratione celebritatis aut frequentioris assistentiae, ex. gr. si Missa sit parochialis aut communitatis.

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Servanda esse quidem decreta quoad Missas stricte privatas; sed quoad Missas parochiales, vel similes, diebus solemnioribus, et quoad Missas quae celebrantur loco solemnis atque cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis, tolerari posse duos

ministros Missae inservientes, servatis ordinationibus S. Congregationis in una Tuden. diei 7 Sept. 1816 ad dubia 5 et 6 (1).

1149

De impressione et evulgatione summariorum Indulgentiarum.

S. C. Indulg. *14 Decembris 1857* – PETROCORICEN. – In decretis de libris prohibitis quae post regulas Indicis addita sunt, haec leguntur § III, n. 12: *Indulgentiarum libri omnes, diaria, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia S. Cong. Indulg.* Cum vero circa huius regulae interpretationem plura dubia exorta sint, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus Episcopus Petrocoricensis et Sarlatensis in Galliis ab Ipsa efflagitat humillime:

1. Utrum praefata regula ita intelligenda sit, ut nulla summaria, catalogi, folia Indulgentiarum, ipsa auctoritate Ordinarii imprimi possint, absque speciali licentia S. C. Indulg. etiam quando ipsi certo constat authenticas esse illas Indulgentias, verbi gratia, quia penes se habet catalogos aut summaria Romae impressa.

2. An vero haec impressio et evulgatio solum prohibeatur Ordinario, quando non ipsi certo constat iam a S. C. Indulg. evulgatas fuisse has Indulgentias.

R. Articulum 12, § III decretorum post Regulas Indicis editorum ita esse intelligendum, et in praxim deducendum, ut si agatur de edenda concessione alicuius Indulgentiae vel Summarii Indulgentiarum quod ex Brevi Apostolico vel Rescripto desumendum est, aut de Summario ex auctoritate S. C. iam vulgato, in potestate Ordinarii sit licentiam concedere earumdem Indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio); e contra vero si sermo sit de Summario vel antea collecto, sed nunquam approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa S. Congregationis Indulgentiarum licentia, addita tamen conditione: Facto verbo cum SSmo. — SSmus approbavit.

1150

De recitatione Rosarii in communi una tantum persona manu coronam habente.

S. C. Indulg. *14 Decembris 1857.* – An consulendum sit Sanctissimo ut concedere dignetur, ut omnes utriusque sexus christifideles Rosarium, vel tertiam saltem eiusdem partem, in communi recitantes, lucrentur Indulgentias a fel. rec. Benedicto Papa XIII concessas, licet manu non teneant rosarium benedictum, ac sufficere ut una tantum persona, quaecumque ea sit, ex communitate, illud manu teneat, eoque in recitatione de more utatur.

R. Affirmative. — In Audientia diei 22 Ianuarii 1858, Sanctitas Sua, benigne annuit, addita tamen expressa conditione, quod fideles omnes, caeteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona quae tenet coronam, ut Rosarii Indulgentias lucrari queant.

1151

Circa limitationem facultatis erigendae *Viae Crucis*.

S. C. Indulg. *14 Dec. 1857.* — TORNACEN. — Cum rescripta S. C. Indulg., quibus facultas erigendi *Viam Crucis* sacerdotibus saecularibus conceditur, eamdem facultatem delimitent *ad ecclesias seu publica oratoria de dioecesi locorum, in quibus Ordo Minor. S. Francisci non existit, quaeritur:*

1. An per loca, in quibus Ordo Minor. S. Francisci non existit, intelligendum sit in casu civitas, oppidum, pagus cum respectivis suburbiis, sive locis eis adiacentibus; et quatenus Negative:

2. An intelligendum sit paroecia, vel universa dioecesis, aut alia quaelibet dioecesis sectio seu pars.

3. An per formulam rescripti censeatur prohibitum quominus *Via Crucis* erigatur extra ecclesias, vel oratoria sive publica sive privata, ex. gr. in coemeteriis, vel in claustris.

4. An sub poena nullitatis apponatur delimitatio ad loca ubi Ordo Minor. S. Francisci non existit, et ad ecclesias et oratoria tantum eiusmodi locorum, ita ut *Via Crucis*, a sacerdote saeculari, in locis in quibus laudatus Ordo extat, vel extra ecclesias seu oratoria, erecta, denuo erigenda sit.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Provisum in primo.

Ad 3. et 4. Affirmative.

1152

De indissolubilitate Matrimonii.

Instr. S. C. de Prop. F. *1858* – (AD EPP. GRAECO–RUMENOS). — Difficile dictu est quanta animi laetitia Sacra haec Congregatio fuerit affecta, cum primum accepit, factum fuisse tandem opera, fortitudine atque constantia Venerabilium istius Ecclesiae Fogarasiensis seu Albae Iuliae Praesulum, ut inveteratus ille abusus quo coniugium christianum vel ob adulterium, vel ob perfidam alterius coniugis desertionem impune solvebatur, coeperit non excindi modo, sed pene radicitus convelli, ne unquam amplius fruticetur. Atque id quidem ex eo accidit Congregationi iucundius quod per hanc talis tantique abusus excisionem atque evulsionem, videat optatae executioni mandatam illam fidei formulam, quam Romani Pontifices omnibus graecis atque orientalibus, expresse profitendam

(1) En dubia proposita: 5. An in Missis privatis permitti possit ministro aperire Missale et invenire Missam. – 6. An in iisdem Missis privatis permitti possit ministro, si fuerit sacerdos, diaconus, vel subdiaconus, ut praeparet Calicem et ipsum extergat in fine post ablutionem, sicut in Missa solemni ». S. C. respondit: Ad 5. Negative, et serventur rubricae. — Ad 6. Ut ad proximum *(antecedens)* ».

proponunt, qui, eiuratis erroribus, ab haereseos vel schismatis dissidiis ad catholicae Ecclesiae unitatem, tamquam ad unicum veritatis asylum se recipiunt.

In hac enim formula ab Urbano VIII illis proposita aperte quisquis profiteri tenetur: « Item Sacramenti Matrimonii vinculum indis« solubile esse, et quamvis propter adulterium, « haeresim, aut alias causas possit inter coniu« ges tori et cohabitationis separatio fieri, non « tamen illis aliud matrimonium contrahere fas « esse » (1). Hancque formulam qui Urbanum subsecuti sunt Pontifices omnes plane comprobarunt, confirmaruntque; quos inter Benedictum XIV praesertim volumus appellatum, qui Simoni Evodio, electo Ecclesiae Antiochenae Patriarchae, hanc ipsam proposuit fidei formulam edendam profitendamque (2).

Neque umquam destitit Apostolica Sedes, quoties sibi se obtulit occasio, ab inculcanda atque exigenda huius articuli, qui tanti momenti est, observatione. Iam enim ex Actis Concilii Florentini constat Eugenium IV Summum Pontificem de hoc penes graecos inveterato abusu fuisse graviter conquestum, nec quid ii reponerent, invenerunt (3). Qui propterea Pontifex in suo decreto pro Armenis in eodem Concilio haec edixit: « Assignatur autem triplex « bonum matrimonii, primum est proles sus« cipienda et educanda ad cultum Dei; secun« dum est fides quam unus coniugum alteri « servare debet; tertium est *indivisibilitas ma« trimonii* propter hoc quod significat coniun« ctionem Christi et Ecclesiae. *Quamvis autem « ex causa fornicationis liceat tori separa« tionem facere, non tamen aliud matrimonium « contrahere fas est, cum matrimonii vinculum « legitime contracti perpetuum sit* » (4). Demum hunc ipsum articulum solemniter Oecumenica Tridentina Synodus definivit Sess. XXIV can. VIII his verbis: « Si quis dixerit Eccle« siam errare, cum docuit et docet iuxta Evan« gelicam et Apostolicam doctrinam, propter « adulterium alterius coniugum matrimonii vin« culum non posse dissolvi, et utrumque, vel « etiam innocentem, qui causam adulterio non « dedit, non posse, altero coniuge vivente, « aliud matrimonium contrahere, moecharique « eum qui, dimissa adultera, aliam duxerit, « et eam quae, dimisso adultero, alii nupserit, « anathema sit ».

Hoc porro canone Concilium nihil aliud sanxit, quam quod in utraque Ecclesia occidentali et orientali continenti traditione a Christo et Apostolis creditum et servatum est. Quoad Ecclesiam quidem latinam seu occidentalem res est perquam explorata. Iam enim saeculi V initio a Concilio Milevitano II id adstructum fuerat eadem pene formula quam deinceps Concilium Tridentinum adscivit, suamque in Can. VII, quem memoravimus, fecit, eiusque verba haec sunt: « Placuit, ut secun« dum Evangelicam et Apostolicam disciplinam « neque dimissus ab uxore, neque dimissa a « marito alteri coniungantur; sed ita maneant « aut sibimet reconcilientur. Quod si contem« pserint, ad poenitentiam redigantur (5) ».

Atque in eamdem doctrinam conspirant, ut notum est, S. Hilarius Pictaviensis (6), S. Ambrosius (7), S. Hieronymus (8), S. Augustinus (9), S. Innocentius I. (10). Quorum singula per singulos verba referre heic supervacaneum putamus; satis erit S. Innocentii gravissimum testimonium producere quo Exsuperio Episcopo Terraconensi, qui hac de re eum interrogaverat, respondit: « De his etiam « requisivit dilectio tua, qui, interveniente re« pudio, alii se matrimonio copularunt. Quos « in utraque parte adulteros esse manifestum « est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis « dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam « copulam festinarunt, neque possunt adul« teri non videri, in tantum, ut etiam hae « personae, quibus tales coniunctae sunt, etiam « ipsae adulterium commisisse videantur, se« cundum illud quod legimus in Evangelio: « *Qui dimiserit uxorem suam et duxerit al« teram, moechatur, similiter et qui dimissam « duxerit, moechatur.* Et ideo omnes a com« munione fidelium abstinendos (11) ».

Verum non minus luculenta sunt ac peremptoria, quae graeci Patres hac super re nobis exhibent testimonia. Ac primae ipsius nascentis Ecclesiae sensum patefacit vir apostolicus Hermas in libro *Pastoris,* cui quantum tribuerint vetusti Patres, iique nec pauci numero, nec minus auctoritate insignes, vix est qui possit ignorare. In eo porro Libro II Mandato IV legitur: « Si permanserit in vitio suo « mulier? Et dicit (Angelus): Dimittat illam « vir. Et vir per se maneat. Quod si dimiserit « mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse

(1) In Bullario Bened. XIV, tom. I, p. 260.
(2) In Const. LXXII *Nuper ad nos* in Bullario eiusdem Pontif. tom. I, p. 258.
(3) Concilia generalia et provincialia Severini, Binii: Colon. Agripp. 1618, tom. IV, part. I, pag. 60 et seq.
(4) Acta Conc. Harduin. tom. IX, col. 440.
(5) Conc. XVII, Acta Concil. Harduin. Tom. I, col. 1700.
(6) In Cap. IV, Comment. in Matth. num. 22, ad Maur.
(7) Exposit in Luc. lib. VIII.
(8) Epist. LXXVII, n. 3, 4, col. 455, ad Vallars. et in Comment. in Cap. XIX, S. Matth.
(9) In duobus libr. *De Coniugiis adulter.* ad Pollentium.
(10) Epist. ad Exsuperium Tarrac. n. 12 edit. Constant. col. 794; et iterum Epist. II ad Victricium Rotomag. n. 15 ibid. col. 752.
(11) Epist. IV, loc. cit.

« moechatur (1) ». Iustinus vero Martyr in Apologia I ostendens quantum christiana institutio praestet gentilium institutionibus, hoc de castitate velut Christi praeceptum generatim enuntiat: « Qui ducit repudiatam ab altero viro, « moechatur » (2).

Quibus congruunt, quae in Canonibus *Apostolicis* nuncupatis, quorum magna semper extitit in Ecclesia graeca auctoritas, constituta sunt. Etenim in can. XLVIII indefinite, nullaque prorsus exceptione facta, statuitur: « Si « quis laicus uxore sua eiecta, aliam acceperit, « vel ab alio dimissam, segregetur » (3). Exinde factum est ut S. Basilius, S. Gregorius Nazianz., S. Ioannes Chrysostomus, Theodoretus, aliique passim, dum uno ore facultatem tribuunt fidelibus coniugem dimittendi adulteram, unanimi consensione inficientur eos posse, adultera dimissa, eaque vivente, aliam ducere uxorem.

Sane S. Basilius vel in ipso Canone IX, quo tantopere abutuntur qui divortium propugnant, omnimodam insolubilitatem adstruit matrimonii dicens: « Aeque viris et mulieribus con- « venit secundum sententiae consequutionem, « quod a Domino pronunciatum est, non licere a « matrimonio discedere, nisi ob fornicationem. « Consuetudo autem non ita se habet, sed de « mulieribus quidem multa accurate observari « deprehendimus, cum Apostolus quidem dicat, « quod *qui adhaeret meretrici, fit unum corpus.* « Ieremias vero, *quod si fuerit mulier cum alio « viro, non revertetur ad virum suum, sed polluta polluetur:* et iterum, *qui habet adulteram, « stultus est et impius.* Consuetudo autem etiam « adulteros viros, et in fornicationibus versantes, « iubet a mulieribus retineri. Quare quae una « cum viro dimisso habitat, nescio an possit « adultera appellari. Crimen enim hīc attingit « mulierem, quae virum dimisit, quanam de « causa a coniugio discesserit. Sive enim per- « cussa plagas non ferat, ferre satius erat quam « a coniuge separari; sive damnum in pecuniis « non ferat, ne haec quidem iusta excusa- « tio: sin autem, quoniam ipse vivit in for- « nicatione, non habemus hanc in ecclesia- « stica consuetudine observationem, imo vero « ab infideli viro non iussa est mulier separari, « sed propter eventum incertum remanere: *Quid « enim scis, mulier, an virum salvum sis fa- « ctura?* Quare, quae reliquit, est adultera, si « ad alium virum accesserit: qui autem relictus « est, dignus est venia, et quae una cum eo « habitat, non condemnatur. Sed si vir, qui « ab uxore discessit, accessit ad aliam, est et « ipse adulter, quia facit ut ipsa adulterium « committat, et quae una cum ipso habitat, « est adultera, quia alienum virum ad se tra- « duxit » (4).

Ex quibus discimus iuxta B. Patrem pares ex Evangelio esse virum et mulierem, etsi consuetudo per leges civiles inducta tribuat marito facultatem dimittendi propter adulterium mulierem, quam huic denegat. Ceterum ipse ad normam Evangelii utrumque, virum scilicet et mulierem, reum adulterii declarat, qui, alterutro vivente, licet dimisso, vel vir alteram duxerit uxorem, vel uxor alteri viro nupserit. Quam germanam esse eius mentem patet tum ex aliis locis (5), tum potissimum ex Regula LXXIII in qua absolute pronunciat etiam in casu adulterii: « Quod non licet viro uxore dimissa « aliam ducere: neque fas est repudiatam a ma- « rito ab alio duci uxorem » (6); idque ad normam evangelicae doctrinae quam ibidem adducit.

S. Basilio consonat S. Gregorius Nazianzenus, qui itidem reprobat consuetudinem a legibus civilibus inductam de repudiandis uxoribus adulteris, dum e contra non licet mulieribus repudiare adulteros maritos, dicens: « Circa hanc (quaestionem) plerosque male af- « fectos cerno, ac legem eorum iniquam, nec « sibi constantem. Quid enim causa fuit, cur « mulierem coercerent, marito contra indulge- « rent, eumque liberum relinquerent? Et mulier « quidem, quae improbum consilium adversus « viri sui cubile susceperit, adulterii piaculo « constringatur, acerbissimisque legum poenis « excrucietur; vir autem, qui fidem uxori da- « tam per adulterium violaverit, nulli supplicio « obnoxius sit? Hanc legem haudquaquam pro- « bo, hanc consuetudinem minime laudo » (7). Et in Epist. CCXI. « Equidem libentissime, « scribit, consilium dedissem meo Ucriano, ut « multa eorum quae in medio interiecta sunt, « praetercurreret: quo divortium ratum non fa- « ceret: quod legibus nostris omnino displicet: « tametsi Romanorum leges aliter iudicent » (8). Per quae quidem verba expresse Beatus Pater opponit legibus civilibus quae permittunt divortium, leges christianas quae illud vetant.

Demum S. Ioannes Chrysostomus insolubile quocumque in casu coniugium constanter affirmat, quum civiles leges, quae divortium sanciunt, tamquam contrarias legi Evangelicae planissime improbat. Scribit enim: « Quid « enim dicemus ei, qui de nobis iudicaturus est,

(1) Edit. Coteler. *PP. Apost.* Tom. I, edit. Antuerp. 1698, pag. 87.
(2) Edit. Maran. n. 15.
(3) Apud. Coteler. edit. Antuerp. Tom. I, pag. 444.
(4) Epistola CLXXXVII, edit. Maur. Tom. III, pag. 273, seq.
(5) Can. XLVIII.
(6) Edit. cit. Tom. II, *in Moralibus,* pag. 308.
(7) Orat. XXXVII, n. 6, edit. Maur. 1778 Tom. I, pag. 649.
(8) Opp. edit. Paris. 1630 Tom. I, pag. 905.

« quando legem illatam in medium legerit di-
« cens: iussi repudiatam uxorem non ducere,
« dicens id adulterium esse: Quomodo igitur
« ausus es ad prohibitas nuptias accedere?
« Quid dicemus, quid respondebimus? Num-
« quam enim illic fas externas leges praetexere,
« sed necessarium est tacentes et ligatos in ge-
« hennae ignem immitti cum adulteris, et alie-
« num torum iniuria afficientibus. Nam et qui
« dimiserit absque causa stupri, et *qui eiectam*
« *vivente viro duxerit,* cum eiecta illa punien-
« tur » (1). Et iterum absolute alibi pronunciat: « Nec mihi enim dicas: ille eiecit. Nam
« eiecta adhuc manet eiicientis uxor » (2).

Ex hac constanti atque unanimi maiorum doctrina factum est, ut numquam ausi fuerint fideles, dimissa ob adulterii flagitium uxore, novas celebrare nuptias illa vivente. Sane ex universa antiquitate ne unum quidem proferri exemplum potest de eiusmodi celebratis coniugiis, ecclesiastica praesertim probante aut suffragante auctoritate. Quae agendi ratio eo pluris facienda est, quod imperiales leges eiusmodi divortia permitterent. Argumento igitur ineluctabili est aetate illa nondum noxiam ac perniciosam de dirimendis coniugiis praxim induci coepisse, sed adhuc Evangelicae et Apostolicae doctrinae consentientem viguisse disciplinam in Ecclesia graeco-orientali, quae ut in ceteris, sic etiam in hoc articulo cum Romana seu occidentali conveniebat Ecclesia. Alioquin tum frequentes, prout postea factum est, eiusmodi coniugiorum diremptiones accidissent; inter utramque Ecclesiam dissensiones, et controversiae hac de causa excitatae fuissent quamplurimae. Verumtamen, quantum ex historiis aut monumentis repetere vel longissime possumus, nihil umquam quaestionis per eam aetatem inter utramque Ecclesiam hac de re exortum, aut agitatum novimus; quodque certe mirabile foret, nullum huiusmodi quaestionis vestigium memoriae proditum fuisse.

Itaque non ex Sacris Literis neque ex maiorum traditione, prout serioribus temporibus nonnulli excogitarunt, repeti perniciosa eiusmodi praxis potest. Secus enim huius concertationis vestigia alicubi in vetustis documentis apparerent. Contra vero notum est ad hos fontes non se recepisse, aut provocasse graecos scriptores, nisi postquam acriter Ecclesia Romana gliscentem hunc abusum insectari coepit, ut quoquomodo praxim suam aliquo veritatis colore cohonestarent, ne turpiter adeo se ab Evangelicae et Apostolicae doctrinae tramite descivisse faterentur.

Non aliunde igitur haec praxis seu verius abusus Ecclesiae graeco-orientalis arcessendus est, quam ex imperatorum legibus quas per summum nefas primum nefarius Photius luctuosi schismatis auctor, quo graeca Ecclesia a Romana seu Catholica discissa est, in suo *Nomocanone* inter canonicas sanctiones adscivit, perinde ac si profanae leges a Patribus hac super re reprobatae, vim ecclesiasticae et canonicae auctoritatis haberent. Ex eo enim tempore factum est, ut furtim prima perversa illa consuetudo in Ecclesiam graeco-orientalem irrepere coeperit, dissimulantibus ignavis episcopis laicae potestatis nimis addictis; postea vero etiam ingravescens malum probantibus, donec longe lateque diffusum altas egerit radices, nulla fere humana vi convellendas. Haec autem adeo diversa agendi ratio, quae serioribus temporibus obtinuit, ab ea, quae viguit anteriori aetate, florentibusque Ecclesiae sanctissimis Patribus, luculenter ostendit aliam prorsus primitus doctrinam invaluisse, nec nisi post luctuosum schisma contrariam gliscere ac praevalere praxim coepisse.

Quod neque ipsi iuris canonici interpretes graeci inficiari ausi sunt, immo vero aperte fatentur. Satis heic sit unum commemorare penes graeco-orientales non exiguae auctoritatis scriptorem, Blastarem monachum, qui de causis agens quibus matrimonium solvitur, quasque haud paucas tum ex parte mariti tum ex parte uxoris recenset, eas omnes repetit ab imperatorum legibus. Sic enim scribit: « De matrimonii
« solutione multis in locis multae leges tra-
« ctant, sed perfectius Novella Iustiniani, quae
« diserte causas exponit, ob quas maritus aut
« uxor repudium coniugi mittere potest... Cau-
« sae vero nominatim enumeratae sunt a re-
« ligiosis imperatoribus, ob quas solas matri-
« monium solvere licet ». Inter has causas autem et illam refert: « Si adulterii mulier accu-
« sata, et, secundum leges, adulterii convicta
« fuerit » (3).

Notum vero est, ut gravissimis Pii VI verbis utamur, humanis legibus nonnulla interdum humanae fragilitati concedi, quae non licent iure conscientiae. Notum est non defuisse leges talem usurae modum permittentes, quae cum iure naturali ac divino conciliari prorsus non valeant, ut proinde facultas hisce legibus data, impunitas potius dicenda foret, quam iusta libertas. Ac ne a subiecta materia discedamus, notum pariter est primis quoque saeculis permissum humanis legibus fuisse, ut certis de causis matrimonia solverentur, forte etiam utrique parti facultate ad alias nuptias transeundi facta. Quid porro ad haec Ecclesiae Patres?

---

(1) In serm. *de libello repudii*, num. 3, edit. Maur. Tom. III, pag. 207.
(2) Hom. XVII, in Matth. Tom. VII, pag. 227, seq. num. 4.
(3) Matth. Blastaris, Syntagma Alphabeticum littera Ξ, cap. XIII.

Chrysostomus in cap. VII Epist. ad Rom.: *Non mihi recites leges externas, atque profanas, quae libellum repudii dare, ac divortium facere praecipiunt; non enim profecto secundum has leges iudicaturus est Deus, sed iuxta eas, quas ipse posuit.* Hieronymus Epist. 30: *Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi: aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit.* Quocirca idem S. Doctor peccasse fatetur Fabiolam, quod repudiato marito, adultero quidem, et qui sese scorto vilique mancipio miscuerat, *non innupta manserit;* tametsi eam excuset, quod adolescentula esset, et civilibus legibus permitteretur repudium, scribens: *Igitur et Fabiola, quia persuaserat sibi, et putabat a se virum iuste dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio, viventibus viris, foeminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit* (1).

Cum porro ab Apostolica Sede adeo perniciosa obiurgaretur praxis, tunc demum graeco-orientalis Ecclesiae scriptores, ut eam quoquomodo cohonestarent, confugerunt ad textus Matth. V 32. et XIX 9 ubi clausula apponitur exceptionis: *Excepta fornicationis causa.. Nisi ob fornicationem;* quasi nempe voluerit Christus Salvator Noster per eam, adulterii flagitio interveniente, tribuere facultatem non modo dimittendi uxorem fornicariam, verum etiam et alteram ducendi, ea dimissa. Quae quidem interpretatio quam absona sit et a Christi mente aliena unusquisque facile videt, qui attendat ad scopum quem sibi id temporis proposuit, nempe abolendi concessum a Moyse ob duritiem cordis israeliticae gentis libellum repudii, ac revocandi coniugium christianum ad primaevam eiusdem divinam institutionem perpetuae indissolubilitatis. Quem profecto scopum minime attigisset, si divortii faciendi fidelibus suis in causa adulterii tribuisset facultatem. Unusquisque praeterea id videt, qui attendat ad loca parallela Marci X 11. et Luc. XVI 18, ubi quavis exclusa exceptione, absolute Christus adulterii reum pronunciat, qui dimissa uxore sua, alteram duxerit, et eam, quae, dimisso viro, alteri nupserit; qui attendat ad Paulum Apostolum Rom. VII 4 seqq. tum 1 Cor. VII 10, 11 et 39, Christi exponentem de matrimonii christiani perpetua indissolubilitate doctrinam; qui demum ad universae ecclesiasticae antiquitatis sensum attendat, quae in allegatis Matthaei verbis non aliam datam a Christo facultatem agnovit praeter coniugis adulterae dimissionem quoad torum habitationemque, coniugii vinculo, quamdiu illa vixerit, perseverante. Sic perperam iidem scriptores ad Canonis IX S. Basilii patrocinium se receperunt, quasi nempe S. Pater secum ipse pugnasset, dum, ut vidimus, absolutam coniugii christiani ad normam evangelicam adstruxit indissolubilitatem; atque absurde iuxta civiles leges admisisset virum quidem in casu fornicationis posse uxorem repudiare, non item vero uxorem adulterum maritum; idque postquam par in utroque coniuge iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam ius cognovisset.

Quod si praeterea ad unum alterumve scriptorem, qui ipsis quadantenus favere videatur, recurrant, rursum cum eodem laudato fel. rec. Pontifice Pio VI reponimus: « Non ex privatis « istorum sententiis Ecclesiae traditio est colli- « genda, ut patet vel ex controversia circa Ba- « ptismum ab haereticis collatum, et beatitu- « dinem non protrahendam ad diem ultimi « iudicii; licet enim in hisce capitibus viri « eruditione et sanctitate conspicui erraverint, « Ecclesia nihilominus eiusmodi controversias « ex traditione diremit. Quidni ergo et prae- « sentem similiter dirimere potuerit? Quamob- « rem, ut in praesenti quaesito haereamus de « solvendo matrimonii vinculo absentiae causa, « haud amplius licet viro catholico quaestionem « agitare, et velut dubitationi adhuc obnoxiam « habere, quae Tridentini aperta definitione « Can. VII allata prorsus dirempta est » (2).

Quae cum ita sint, Sacra haec Congregatio dum debita laude prosequitur istius Metropolitanae Albaeiuliensis Archipraesulem, qui maiori usque alacritate adlaborandum duxerit, ut inveteratus eiusmodi abusus dissociandi propter adulterium aut perfidam desertionem coniugium penitus convellatur, eumdem ad constantiam et fortitudinem in suscepto proposito adhortatur. Immo vero istiusmodi Metropolitanae Ecclesiae suffraganeos Episcopos etiam atque etiam Sacra haec Congregatio enixe excitat, ut et ipsi in hoc idem studium ac sollicitudinem suam impense conferant, ut uno animo coniunctisque viribus optatus finis obtineatur. Eo vel magis quod cum actus Unionis istiusmodi dioeceseon cum Ecclesia Catholica feliciter executioni mandatus est, adposita fuerit expressa conditio quod graeci-orientales pollicerentur non modo profiteri cum Apostolica Sede quatuor articulos in quibus ab ea dissidebant, verum etiam « ea « omnia admittere, profiteri ac credere, quae « S. Mater Ecclesia Romana *admittit, profitetur « et credit* ». Iam vero nullum dubium subest Romanam Ecclesiam credere et profiteri articulum de absoluta, etiam in casu adulterii ac perfidae desertionis, coniugii christiani insolubilitate.

Quocirca huic articulo speciali ratione insistendum ab istiusmodi Provinciae praesulibus est penes obluctantes, si qui fuerint, quibus

(1) Litt. (Pii VI) ad Anton. Archiep. Pragens. die 11 Iulii 1789.
(2) Ibid. (loc. sup. cit.).

praesens instructio communicari poterit. Sic enim facilius sibi persuadebunt non agi de nova in istis dioecesibus introducenda doctrina, sed unice de inveterato abusu penitus eliminando, qui altas radices fixerat. Immo vero haec ipsa instructio haud parum proderit oculis illuminandis illi eiusdem gentis parti, quae adhuc luctuoso schismati adhaeret, quaeque in errore hac super re iugiter perseverat.

Quoad separationem unius coniugis ab altero ad monasticum institutum profitendum.

Verum antequam huic instructioni finis imponatur, censuit Sacra haec Congregatio admonendos istius provinciae Antistites de altero vitando errore circa connubii dissolutionem, quique similiter componi nequit cum sana Ecclesiae catholicae doctrina. Intelligitis sermonem esse de separatione quae identidem alicubi fit unius coniugis ab altero, absque eius consensu, ad aliquod profitendum monasticum institutum sub perfectioris vitae obtentu. Porro fidei quidem dogma est ab Oecumenico Concilio Tridentino definitum: « Matrimonium ra-
« tum, non consummatum, per solemnem reli-
« gionis professionem alterius coniugum diri-
« mi » (1); ast si matrimonium inter fideles fuerit consummatum, dissolvi nulla ratione potest, nisi inter ipsos pari consensu de servanda continentia conveniant, et quidem iuxta canonicam dispositionem, scilicet ut uxor voto se castitatis obstringat, aut si iunior fuerit, in monasterium se recipiat, ut maritus vitam monasticam profiteri possit. Adeoque et haec praxis inter abusus recensenda est qui a legibus imperialibus inducti sunt, atque a Sanctis Patribus reprobati (2). Sane antiquus auctor epistolae ad Celantiam S. Hieronymo adscriptae, quaeque aut S. Paulini, aut Sulpicii Severi esse creditur (3), acriter arguit eam matronam, quod absque mariti consensu continentiam voverit. Id ipsum praestitit S. Augustinus in Epist. ad Armentarium et Paulinam, nam eum hortatur ad continentiae votum servandum quo sese obstrinxerat, vetat nihilominus illud servare, si eius uxor suum non praebeat assensum, adiiciens: « Nam et vovenda talia non sunt
« a coniugatis, nisi ex consensu et voluntate
« communi. Et si praepropere factum fuerit,
« magis est corrigenda temeritas, quam persol-
« venda promissio » (4). Item S. Gregorius M. qui apertius adhuc id ipsum scribit ad Theoctistam Patriciam; « Si dicunt, inquit, causa re-
« ligionis coniugia dissolvi debere, sciendum
« est, quia etsi hoc *lex humana* concessit, di-
« vina lex tamen prohibuit . . . Scimus quia
« scriptum est: *erunt duo in carne una.* Si
« ergo vir et uxor una caro sunt, et religionis
« causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum
« in hoc mundo remanentem, vel etiam for-
« tasse ad illicita migrantem, quae est ista con-
« versio, de qua una eademque caro et ex
« parte transit ad continentiam, et ex parte
« remanet in pollutione? » (5)

Ac ceteris omissis, Magnus S. Basilius eamdem aperte doctrinam professus est. Etenim in *Regul. fusius tractatis* Interrog. XII haec in rem nostram praeclare scribit: « Atque ii etiam
« qui matrimonio coniuncti ad huiusmodi vitae
« genus (monasticum) accedunt, interrogandi
« sunt, *an mutuo consensu id efficiant,* ex Apo-
« stoli praecepto: *Nam,* inquit, *sui corporis*
« *potestatem non habet,* sicque qui accedit,
« coram pluribus testibus recipiendus est. . .
« Quod si dissentiat altera pars, repugnetque,
« quod minus sollicita sit, quomodo placeat
« Deo, in mentem veniat Apostolus, qui dicit:
« *In pace autem vocavit nos Deus* » (6).

Id ipsum a plerisque Conciliis constitutum novimus, ac a summis Pontificibus, quorum decreta relata sunt a Gratiano in Causa XXVII § 2 (7), et in Decretalibus lib. III tit. 32 (8).

Adhortatio.

Ut igitur huiusmodi errores quos profanae, ut plane ostendimus, leges obtruserunt, procul absint a populis vestrae curae concreditis, Sacra haec Congregatio non modo cupidissime exoptat, sed et fidentissime sperat. Atque huius optatissimae spei iam ipsimet praedecessores Tui Ecclesiae Fogarasiensis Antistites suo in vinea Domini excolenda zelo, suoque fervore arrham profecto illi certissimam praestiterunt. Iamdiu enim ipsi uno illo, quo ardentissime flagrarunt tutandi catholici dogmatis studio, sponte permoti, e vestris gregibus talem tantamque abusionem eradicare pro viribus coeperunt. Nullum igitur dubium, non modo quin ab incepto unquam sis destiturus, sed quin usque etiam et usque alacriori nisu coneris inceptum persequi, ac tandem aliquando consummare. Praesertim cum ad id tot tantisque modis Te ac Venerabiles Coepiscopos istius provinciae vehementer adhortetur SS. Domini Nostri Pii PP. IX manifestissima voluntas, cui quantum cordi sit, ut istarum Ecclesiarum venustas non modo nulla turpetur macula, aut ruga, sed ut in dies efflorescat magis, magisque adeo aeterno placeat sponso, Vos omnes, Venerabiles Praesules, plus quam ceteri, probissime nostis. Nullis ergo parcendnm laboribus, nulli industriae, nullis incommodis, modo ad optati tandem finis adeptionem fas sit perve-

(1) Can. VI Sess. XXIV.
(2) Id enim invenimus constitutum in Novell. Iust. 22, *de Nuptiis,* ubi de iure repudii. Item lib. V Cod. tit. 17 et in Digestis tit. *De divortiis.* Insuper in Novell. 123 *De sanctissim. Episcop.* C. 40 *Solvatur Matrimonium.*
(3) Apud Vallars, in monito ad Ep. CXLVIII.
(4) Epist. CXXVIII n. 9, edit. Maur.
(5) Lib. XI, Ep. XLV ed. Maur. col. 1130.
(6) Opp. edit. Maur. tom. II, pag. 354.
(7) A cap. 21 ad 26.
(8) Capp. 2, 3, 4.

nire. Non deerunt profecto ab adversariis catholici nominis pugnae: exorientur inimici vestri, aut verius inimici Christi, ac difficultatibus undiqueversum petitis, constantiam ac fortitudinem vestram oppugnare unanimi conspiratione connitentur. Ast in constantia, fortitudine, et longanimitate certaminis reposita est corona victoriae, quam in suprema illa die reddet vobis Dominus iustus iudex, cuius sponsam vos illi inter aerumnas et labores immaculatam, atque ab omni erroris contagione intactam, inviolatamque servastis. Beati quidem heic eritis si maledixerint vobis homines propter iustitiae ac veritatis propugnationem: sed multo tum beatiores, cum legitimum certamen, quod in defendenda Christi sponsa sustinuistis, coelestis aeternae gloriae largitor et sponsus immarcescibili donabit corona.

1153

De processu conficiendo super viri impotentia et non secuta matrimonii consummatione.

Instr. S. C. S. Off. *1858* (*Pro conficiendo processu super viri impotentia, et non secuta matrimonii consummatione, accedente Pontificis dispensatione ab accurata observantia praescriptionum Bullae Benedicti XIV* « Dei Miseratione »).

Iudex ad hoc deputatus prae oculis habeat quod examina, quaecunque illa erunt, fieri debent sub iuramenti fide; et cancellarius curiae episcopalis, vel altera persona deleganda, interrogationes, responsa, et quaelibet acta scripto tradet, facta prius adnotatione mensis, diei, anni, loci, et personae iudicis coram quo conficiuntur acta, nec non cuiuslibet testis examinandi.

Testes singillatim audiantur, et in fine examinis se subscribant proprio nomine, vel cum signo crucis quatenus sint illiterati.

Primus ille coniux audiatur qui actor est in causa. Interrogationes Iudicis arbitrio, prudentiae, et sagacitati relinquuntur: attamen pro eius commoditate sequentes traduntur, quibus alterae addantur prout melius in Domino iudicaverit ad factorum veritatem magis magisque eruendam, nimirum: — A quanto tempore sese cognoverint sponsi ante matrimonium; an parentum consensu, sponte, et mutua voluntate illud inierint; an in sequenti nocte in eadem domo, eodemque cubiculo, et toro cubaverint, officiisque coniugalibus ultro libenterque operam dederint; an matrimonium consummaverint; an ipse examinatus cognoscat, vel suspicetur causas propter quas consummare nequiverint, licet iteratis vicibus etiam in sequentibus noctibus ausi fuerint; an id contigerit ob nimiam angustiam cunei mulieris, vel ob immodicam sui penis crassitudinem, aut propter debilitatem, ita ut nulla, vel parvi momenti fuerit erectio; an, quae, et quanto tempore adhibita fuerint medicamenta, et quinam fuerint effectus; quamdiu simul vixerint et condormierint; quis primus alterum coniugem deseruit, et an etiam aliae causae accesserint: an et quibus parentibus, amicis, vel vicinis secreto manifestaverint quod matrimonium non fuerit consummatum, eosque singillatim nominet. Haec vel similia etiam ab altero coniuge requirantur, ut an inter se apprime conveniant dignoscatur.

Deinde testes qui ab ipsis coniugibus fuerint recensiti, seorsim examini subiiciantur. Prius vero eorumdem parentes audiantur, uti praesumptive magis informati; postea vero famuli, et viciniores. Si quis illorum obierit, vel longinquas regiones petierit, in actis innuendum erit. Interrogationes autem sequentes proponuntur, sed immutandae pro rerum adiunctis: — An cognoscat coniuges de quibus sermo; an sciat utrum libenter mutuoque affectu sese copulaverint, condormierint, et matrimonium consummaverint; an sit instructus quibus de causis consummare nequiverint, et an, et quid ad illas amovendas experti fuerint; utrum et quae conquestio inter ipsos extiterit; quaenam sit fama tam apud se, quam apud alios de hac praetensa non consummatione.

Singulorum testium absoluto examine, duo saltem ex celebrioribus civitatis physici medicinam et chirurgiam callentes seligantur, corpus viri inspecturi super eius potentia ad coeundum cum muliere, maxime virgine, nec ille physicus praetereundus qui forsan antea fuerit adhibitus ad viri incommoda medenda. Animadvertendum autem, ut mediis utantur licitis et honestis, et perscrutandum praecipue utrum illius virilia sint iuxta naturae leges accurate conformata: nimirum an penis naturalem habeat dimensionem, promptamque erectionem ad coeundum necessario duraturam; an aliquo morbo fuerit affectus, a quanto tempore, et cuiusnam characteris; an fibrae compactae et consistentes, seu potius flaccidae lassaeque sint; an testes sani, naturalisque magnitudinis, et utrum aliquo vitio laboraverint, vel adhuc laborent; quo in casu morbi characterem, et causas investigabunt; an verus, vel recens, naturalis, vel acquisitus, et an curabilis, nec absque salutis periculo. — Quibus omnibus diligenter inspectis, singula sub iuramento scripto tradent, et quid ipsi sentiant de viri impotentia, an acquisita, vel ingenita; absoluta, vel relativa tantum, ingenue fateantur nullaque relicta ambigendi ratione.

Corpus insuper mulieris, sed maxime illius genitalia membra a duabus saltem obstetricibus in arte et praxi peritioribus ac bonis moribus imbutis inspiciantur, adhibito prius mulieris balneo, si necessario praemittendum physici et ipsae iudicaverint. Accurate observabunt signa integritatem mulieris constituentia, nimirum conformationem partium, in-

cturam, duritiem, rugositatem, et colorem; an hymen sit integrum, vel confractum in totum vel in parte; hoc in casu an et qua naturali causa, seu potius e congressu extranei corporis contigerit; an myrtiformes carunculae inveniantur, earumque magnitudinem, numerum, et conformationem, aliaque signa ab arte tradita integritatem aut corruptionem mulieris constituentia sedulo inspiciant. Deinde unaquaeque seorsim singula, quae repererint, sub sacramento iudici, et a cancellario scripto fideliter tradenda, distincte exponat, et quid ipsae sentiant de illius integritate declarent. Earumdem depositiones praedictis physicis examinandae tradantur, ut decernant num mulier adhuc integra habenda sit, atque matrimonium non consummatum iudicandum. Verum si aliquod dubium adhuc explicandum supersit, opportunis ab ipsis physicis concinnatis interrogationibus, iterum obstetrices examinentur, et si nihilominus anceps peritorum iudicium permanserit, corpus mulieris ab ipsis inspiciatur, adstante vero matrona antiquae virtutis, nullique exceptioni obnoxia, et ab Ordinario designanda. Expleta inspectione, iudicium dabunt physici singulasque proferent rationes quibus ipsorum sententia innititur.

Praetereunda tamen non erit investigatio super qualitate testium audito eorumdem parocho vel alia proba et apprime instructa persona, utrum ipsi sint bonis moribus imbuti, ac plenam mereantur fidem illorum depositiones.

Omnibus superius recensitis diligenter ab Ordinario collectis, illa ad S. Congregationem mittere festinabit, decretorio eius iudicio subiicienda.

1154

De matrimoniis mixtis.

Instr. S. C. de Prop. F. *1858* – (AD EPP. GRAECO–RUMENOS) – Litterae, quas nuper, Venerabiles Praesules, ad Archiepiscopum Farsensem, in austriacis ditionibus Apostolicum Nuntium super mixtis nuptiis dedistis, Sacrae huic Congregationi christiano nomini propagando, ex SSmi Domini Nostri mandato, traditae sunt; eidemque simul iniunctum est, ut rite examinatis matureque perpensis, quae in praefatis litteris continentur, opportunas ad Vos responsiones atque instructiones perscriberentur.

S. Congregatio persuasum habet minime Vos ignorare, Venerabiles Praesules, quae hac super re a Summo Pontifice Gregorio XVI fel. rec. tum in Litteris Apostolicis, tum in Instructione Eius nomine die 30 Aprilis 1841 ad Episcopos Hungariae et Transilvaniae datis, declarata et praescripta sunt *(V. n. 920)*; quandoquidem per Archiepiscopum Strigoniensem Pontificia haec decreta atque mandata cum omnibus etiam graeci ritus catholicis Episcopis, qui tunc in illis regionibus existebant, communicata, atque ab eximiis illis Antistitibus summa cum reverentia parique animi gaudio accepta fuere. Ex huiusmodi praeclaris tum Pontificiae vigilantiae, tum sapientissimae pastoralis sollicitudinis documentis abunde cognosci potest, quaenam constans fuerit universalis Ecclesiae et S. Sedis doctrina et agendi ratio circa illas nuptias, quas catholicos inter et haereticos seu schismaticos celebrari aliquando contigerit; neque proinde opus est, ut iisdem aut aliis quam plurimis, quae suppeterent historicis seu theologicis argumentis rem Vobis notissimam retractare et magis comprobare oporteat.

Praescripta in rem et indulta a Gregorio PP. XVI.

Id porro sapientissime a Summo illo Pontifice statutum est, ut dum Ecclesiae doctrina atque immutabilia ecclesiasticae disciplinae capita sarcta tecta haberentur, et ne minimum quidem auctoritati illius Ecclesiae legis detraheretur, qua huiusmodi mixta matrimonia tamquam illicita et perniciosa prohibentur; gravissimis tamen difficultatibus, quibus ob tristes rerum locorumque circumstantias catholici Antistites premerentur, opportuna tolerantiae remedia adhibita fuerint.

Indulsit nimirum SSmus Pontifex, ut quotiescumque matrimonium acatholicus vir cum catholica muliere vel vicissim, deficientibus licet cautionibus ab Ecclesia praescriptis, absque maioris mali scandalique periculo in religionis perniciem interverti omnino non possit, simulque in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse dignoscatur si huiusmodi nuptiae, quantumlibet vetitae et illicitae, coram catholico parocho potius, quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugerent, celebrentur, tum parochus catholicus aliusve sacerdos eius vices fungens, poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut aiunt, *qualificati* seu *authorizabilis;* ita scilicet ut audito utriusque coniugis consensu deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat.

Dein idem Pontifex suo nomine Episcopis significare iussit in hisce rerum circumstantiis pati illos ulterius posse, ut a parocho catholico tum consuetae proclamationes fiant, omni tamen praetermissa mentione circa eorum religionem, qui nuptias sint contracturi; tum etiam de peractis hisce proclamationibus literae mere testimoniales concedantur, in quibus (dummodo nullum aliud adsit dirimens impedimentum) unice enuncietur nil aliud praeter Ecclesiae vetitum, ob mixtam religionem, impedimentum conciliando matrimonio obstare; nullo prorsus verbo addito unde consensus aut approbationis levis suspicio sit oritura.

Denique quamquam sacrorum Praesulum

et parochorum studium quam maxime excitaverit, ut catholicos hortentur et moneant ne eiusmodi matrimonia coram acatholico ministro celebrarentur; tamen si, spretis ipsorum monitis et hortamentis, mixta matrimonia ea ratione inita fuerint, inspectis tam praeteritis, quam praesentibus locorum, de quibus sermo est, peculiaribus circumstantiis, ab Episcopis et parochis prudenter dissimulanda, et quamvis illicita, tamen pro validis habenda esse declaravit.

Intelligitis porro, Amplissimi Praesules, huiusmodi tolerantiae et indulgentiae remediis S. Sedem minime recessisse ab illa Ecclesiae doctrina, qua mixta matrimonia multiplici peccandi periculo communiter affecta, ac proinde suapte natura et ratione illicita esse semper iudicavit, nec legem illam universalem Ecclesiae, qua generatim prohibentur, aut sustulisse aut immutasse.

Abhorret S. Sedes, uti semper abhorruit, ab illis connubiis, maximeque dolet, quod nostris temporibus in pluribus regionibus frequentius occurrant, nec penitus impediri possint. Quod si hac praesertim de causa ea matrimonia in quibusdam regionibus ubi catholici cum haereticis seu schismaticis permixti habitant, non solum tolerat, sed quandoque etiam ob peculiares rerum et personarum circumstantias dispensando permittit, ut catholicus aliquis vir, aut catholica aliqua mulier, cum muliere aut viro haeresi aut schismati addictis nuptias contrahant, semper tamen et omnino cautum esse vult, ut observatis quibusdam conditionibus et cautelis, ea omnia ab huiusmodi connubio removeantur, quae legi naturali aut divinae adversantur.

Rursus si impediri omnino citra maioris mali scandalique periculo nequeat quominus deficientibus illis conditionibus matrimonia mixta celebrentur, tunc neque ad perpetratum a filiis suis crimen tacet, neque illicitum connubii foedus iisdem coeremoniis cohonestare permittit, quibus eas nuptias sanctificare solet, quae in Domino contrahuntur; attamen dum illa coniugia deplorat, atque indubiis verbis et factis damnanda esse declarat, ea utitur indulgentia, ut ad graviora damna avertenda id fieri patiatur quod sine Dei offensa fieri posse cognoscit, quodque in ipsius Ecclesiae utilitatem necnon in filiorum suorum salutem cedere posse confidit.

Quoad benedictionem sacerdotalem in matrimoniis mixtis.

Iam vero ex memoratis vestris litteris ad praefatum Apostolicum Nuntium datis non sine magno animi dolore percepit Sanctitas Sua, illa praesertim, quae a sapientissimo Antecessore suo Gregorio XVI fel. rec. circa passivam assistentiam, quam vocant, praescripta sunt inter graeci ritus tam catholicos quam schismaticos homines, aut minime executioni mandari, aut si exequerentur, nullomodo hac indulgentia impediri posse, quominus mixta matrimonia coram sacerdote schismatico ineantur. Nam si passiva illa assistentia omnino urgeretur, atque catholici graeci pro huiusmodi nuptiis sacerdotis uniti benedictione privarentur, fieri certissime scripsistis, ut iidem catholici ab ineundis matrimoniis mixtis minime desistentes, ad sacerdotem schismaticum pro obtinenda benedictione se converterent; sicque tum ipsi, tum universa ipsorum proles perversionis periculo committerentur. Ex orientalis enim Ecclesiae doctrina sacerdotalem benedictionem ad matrimonii validitatem necessario requiri; nec ratum et legitimum, seu Sacramentum, tam a schismaticis quam a catholicis graeci ritus hominibus censeri connubium, nisi adhibitis Ecclesiae solemnibus caeremoniis celebraretur, neque iisdem persuaderi posse asseruistis, ut matrimonium praesente tantum parocho, illoque nihil prorsus sacri agente conciliatum, pro sacramento et pro indissolubili foedere haberent atque venerarentur. Ut proinde impediatur, quod certe impediri debere pro summa vestra pietate et religione cognoscitis, quominus eiusmodi nuptiae a catholicis in suorum ipsorum et futurae prolis perniciem coram schismaticis sacerdotibus ineantur, optimum, si non unicum, rati estis fore remedium, ut catholico sacerdoti indulgeatur dictis matrimoniis assistere, et illa sacro et ecclesiastico ritu cohonestare.

Maximi sane momenti sunt, quae a Vobis, Reverendissimi Praesules, in huiusmodi angustiis de re gravissima relata sunt; neque parvi facienda pericula et difficultates, quae ex vestra sententia passivam, uti aiunt, assistentiam in illis dioecesibus consequerentur.

Ad singula proinde respondendum est. Atque ut ab eo incipiatur ex quo praesertim memoratae difficultates oriri videntur, a benedictione scilicet sacerdotali, quam ex ipsius Ecclesiae orientalis doctrina ad matrimonii validitatem necessariam esse asseruistis, Ipsi profecto perspicitis hanc quaestionem intime connexam esse cum alia gravissima et celeberrima de ministro nempe sacramenti Matrimonii, quae inter catholicos doctores hinc inde agitatur. Qua in re cum nullo adhuc Ecclesiae decreto quaestio decisa sit, haec S. Congregatio nec iudicis partes assumere, nec ipsam quaestionem definire modo habet in animo. Interim vero praeteriri nequit, sententiam, quae ipsos contrahentes sacramenti ministros esse defendit, teste Benedicto XIV (in opere de Synodo Dioecesana lib. VIII cap. XIII n. 4 et seq.) et communiorem esse, et validissimis niti argumentis, quibus ex ipsius S. Sedis agendi ratione magnum pondus accessisse negari haud potest. Hinc licet utraque sententia libere defendi queat a viris theologis, si tamen de valore peculiaris cuiusdam matrimonii agitur, caute et circumspecte loquendum et agendum est, nec statim tamquam invalidum pro-

nunciandum erit matrimonium ex eo, quod absque sacerdotis benedictione celebratum sit. Quamquam enim Ecclesia nihil hactenus de ministro matrimonii pronuntiaverit, illud nihilominus certissimum est, S. Sedem sacerdotalem benedictionem aliosque ecclesiasticos ritus, qui in conciliandis nuptiis adhiberi solent, minime eo loco habere, ut eos ad matrimonii validitatem omnino necessarios esse iudicet. Quod, ut alia plura omittantur, ex eo manifeste patet, quod laudatus Gregorius XVI nonnullorum Antecessorum suorum vestigia secutus in saepe memoratis suis Litteris, quae Vobis certe notissimae sunt et familiares, mixtas nuptias cum sola passiva parochi assistentia absque ullo ritu sacro celebratas, pro validis habeat, et declaret, eum parochum, qui materiali tantum praesentia adest, audito utriusque coniugis consensu, deinceps pro suo officio actum tamquam valide gestum in matrimoniorum librum referre posse decernat.

Nec audiendus esset qui diceret huiusmodi matrimonia valida quidem esse tamquam contractus, non autem sacramenti dignitate insignita. Nam quando de christianorum matrimonio agitur, contractus a sacramento distingui nequit: « Fidei enim dogma est », ut nuper declaravit SSmus Pontifex Pius PP. IX fel. rec. in epistola ad Sardiniae Regem die 19 Septembris 1852 data, « fidei dogma est ma« trimonium a Domino Nostro Iesu Christo ad « sacramenti dignitatem erectum esse; atque « ex Ecclesiae doctrina, sacramenti ratio non « qualitatem aliquam accidentalem refert con« tractui superadditam, sed ad ipsius matri« monii essentiam pertinet, ita ut unio con« iugalis inter christianos non sit legitima nisi « in matrimonio quod sit sacramentum, extra « quod non habetur nisi concubinatus ». Quare si quis mixta connubia cum passiva tantum parochi assistentia conciliata, quae S. Sedes pro validis habet, sacramenti ratione destituta esse pronunciaverit, contractum in matrimonio christianorum a sacramento dividi posse supponeret, atque in hoc doctrinae Ecclesiae contradiceret.

De Ecclesiae orientalis doctrina circa benedictionem nuptialem.

Nunc vero ut ad ea veniamus, quae de orientalis Ecclesiae doctrina circa benedictionem sacerdotalem retulistis, notum profecto est eamdem Ecclesiam non minus quam occidentalem, inde ab origine christiani nominis, in celebrandis fidelium nuptiis, utpote novae legis sacramento, sacros ritus sacerdotumque benedictiones adhibuisse, simulque omnibus severissime interdixisse, ne, illis praetermissis seu neglectis, coniugale foedus conciliare auderent. Quod autem matrimonia contra communem Ecclesiae usum inita non solum pro illicitis, sed etiam pro irritis habita fuerint, ex ecclesiasticis orientis documentis demonstrari nequit. Equidem nullum cognovimus antiquae eiusdem Ecclesiae Patris effatum, nullum Conciliorum canonem, quo illud expressis ac indubiis verbis declaratum fuisse appareat. Porro orientalium et graecorum euchologia dum solemnitates ac ritus commemorant, quibus connubium celebratur, mutuum consensum quo sponsus et sponsa inter se copulantur supponunt, atque coniunctionem tamquam iam factam sanctificant, quin ullo verbo significetur, sacerdotem esse qui sponsos in matrimonium coniungat aut sacramentum ipsum efficiat et conferat. Dein cum secundae et tertiae nuptiae nec coronarentur nec benedicerentur, et nihilominus, quamvis apud orientales improbarentur, tamquam sacramentum reciperentur, patet minime spectatam fuisse ut necessariam sive coronationem sive benedictionem ad sacramentum constituendum.

Immo ex ipsius Balsamonis scholiis ad Canones S. Basilii 37, 38, 40, patet antiquitus reputatum fuisse nuptias solo contrahentium consensu perfici. Hinc persuasio illa de sacerdotalis benedictionis necessitate posterioribus temporibus orta esse videtur; quod nec difficulter explicari potest. Constat enim Leonem Philosophum Imperatorem nono saeculo legem tulisse (inter Novellas 89) cuius titulus est *ne matrimonia citra sacram benedictionem firma habeantur*, et in qua iussit eadem *sacrae benedictionis testimonio confirmari*. Viri autem docti demonstrant, mutatis illo tempore tum publicis, tum privatis Imperii conditionibus, actus illos legitimos, quibus ex iuris civilis praescripto nuptias, ut iustae legitimaeque evaderent, conciliari oportebat, aut in desuetudinem abiisse, aut amplius non suffecisse ut in singulis connubiis cognosceretur ea ad legum normam pro legitimis haberi posse. Hinc ratus est Imperator sacras caeremonias ab Ecclesia in celebrandis nuptiis adhiberi solitas praebere certissimum documentum, quo maritalis ille honor et affectio, atque legitimus in unionem coniugalem consensus, qui ad vera et legitima matrimonia requiritur, cognosci et probari possit.

Huiusmodi vero Leonis Imperatoris sanctio, utpote a civili potestate lata, nec ecclesiasticas leges mutare, neque dirimens matrimonii impedimentum inducere potuit. Tota ipsius vis ad civiles tantummodo matrimonii effectus referenda erat. Attamen plurimi orientales, qui tum canones, tum Imperatorum leges collegerunt atque interpretati sunt, eamdem sanctionem seu legem, sicut et aliam posteriorem ab Alexio Comneno publicatam, in suas collectiones retulerunt. Minime autem mirandum est, quod ipsa sanctio seu lex ad sacramentalem etiam matrimonii naturam deinceps fuerit applicata; cum neminem, qui ecclesiastici iuris historiam apud graecos noverit, lateat imperatoriis sanctionibus in orientali Ecclesia, maxime postquam diro schismate ab unitate avulsa fuit,

parem, imo et maiorem quam sacris canonibus attributam fuisse auctoritatem. Hinc sententia, quae matrimonia absque sacerdotis benedictione inita pro invalidis habet, in hominum animis eo facilius praevaluit, quo magis illorum intererat, ut nuptiae eo modo celebrarentur, qui ad consequendos civiles earumdem effectus omnino requireretur.

Circa Matrimonii sacramenti ministrum apud orientales.

Ceterum posterioribus etiam temporibus, in Ecclesia orientali, sententiam quae sacerdotem huius sacramenti ministrum, atque sacerdotalem benedictionem ad eiusdem sacramenti validitatem, necessariam esse asserit, minime ab omnibus receptam fuisse, ex iis patet quae Gabriel Metropolita Philadelphiensis in tractatu seu opusculo, quod de sacramentis conscripsit, de Matrimonio disserit (1). Qui saeculi XVII scriptor, dum in aliorum sacramentorum tractatione de eorum ministro sermonem habet, ubi de matrimonio disputat, ministrum penitus praeterit. Capite quidem 2. eiusdem de matrimonio tractatus enumerans ea, quae ad *legitimum* (νομιμον) matrimonium requiruntur, quarto loco *oportere* dicit *ut matrimonium sit coniunctum per sacerdotem et preces eius ac benedictiones.* Capite vero 9, postquam in praecedenti Capite *materiam* huius sacramenti *mutuum viri et foeminae consensum esse iuxta praestantes doctores* asseruerat, *formam* esse dicit *confessionem verborum ipsorum coram adstantibus, hoc est: Vis me, volo te.* Ex hac doctrina suapte sequi videtur, Gabrielem Metropolitam Philadelphien. minime considerasse sacerdotem tamquam sacramenti ministrum, quippe qui formam ab ipsis coniugibus materiae applicandam, seu ea omnia agenda esse doceat, quibus sacramenti ratio absolvitur. Benedictio porro sacerdotalis, quam ad legitimum (νομιμον) matrimonium requirit, ex eius sententia nihil faceret ad illud firmum ac validum reddendum.

Quae hactenus per summa capita de sacramenti Matrimonii ministro, nec non de sacerdotalis benedictionis necessitate allata sunt, non ideo dicta esse credatis, Venerabiles Praesules, quod Sacra haec Congregatio in hac re vel iudicium proferre, vel istorum fidelium persuasionem reprobare voluerit, qua nuptias religiosis ritibus cohonestari tanto ardore desiderant. Minime quidem: sed quoniam huius rei veluti praecipuae difficultatum causae a Vobis mentio facta est, suum esse duxit, aliqua saltem ad gravissimam hanc quaestionem dilucidandam afferre, ne illam consulto silentio praeteriisse, sicque ultro admittere videatur, ipsam orientalem Ecclesiam indubie et sacerdotem pro sacramenti ministro, et ipsius benedictionem tamquam pro valore matrimonii necessariam habuisse. Profecto in re, quae necessarias sacramenti partes divinamque eiusdem institutionem respicit, tam orientalis quam occidentalis Ecclesiae doctrina apprime conspirare eademque esse debet; cumque exploratum sit in occidentali Ecclesia, ac praesertim ab hac Apostolica Sede benedictionem sacerdotalem ceterosque sacros ritus in matrimonii celebratione adhibitos, minime pro necessaria eiusdem sacramenti parte haberi aut habitos fuisse, patet ea quae circa eamdem benedictionem in Ecclesia orientali praescripta inveniuntur, non ad dogmaticam ipsius doctrinam, sed ad disciplinam tantummodo pertinere potuisse, proindeque nuptias inter fideles orientalis ritus conciliatas, non statim pro irritis et invalidis esse habendas, simul ac constiterit eas absque sacerdotis benedictione fuisse celebratas.

De passiva sacerdotis assistentia in matrimoniis mixtis.

Caeterum in mixtorum connubiorum negotio, de quo nunc Vobiscum agendum est, nil refert, ut optime Ipsi intelligitis, quaenam circa Matrimonii ministrum ac benedictionis necessitatem sententia amplectatur. Non enim illud quaeritur, utrum sacerdotalis benedictio reapse requiratur ad valide contrahendum eiusmodi matrimonia; sed totius rei cardo in eo situs est, ut decidatur utrum, habita ratione illius persuasionis, quae graeci ritus fidelibus passivam parochi assistentiam exosam reddit, haec ipsa assistentia omitti debeat, atque eius loco liceat sacerdoti eadem connubia adhibitis ecclesiasticis precibus et caeremoniis cohonestare.

Iam superius dictum est, S. Sedem aliquando in lege matrimonia mixta prohibente dispensare, ac permittere ut praemissis observatisque debitis cautelis eadem connubia iuxta formam a Concilio Tridentino praescriptam celebrarentur. Eiusmodi nuptiae cum Ecclesiae venia initae, licitae profecto sunt, ac citra omne peccatum a catholico viro seu catholica muliere contrahi possunt.

Attamen S. Sedes, ut in animis catholicorum numquam obliteretur memoria canonum, qui haec detestantur connubia, atque constantissimi illius studii, quo S. Mater Ecclesia filios avertere consuevit ab iisdem nuptiis in eorum futuraeque prolis perniciem contrahendis, praeter memoratas cautiones, quae omnino praemitti debent, alias ulterius praescribere solet conditiones de omittenda scilicet, in eorum connubiorum celebratione, parochi benedictione, deque ipsa celebratione extra ecclesiam peragenda. Quod si proinde eadem S. Sedes ne in illis quidem matrimoniis sacerdotalem benedictionem adhibendam esse duxit, quae licita sunt et cum Ecclesiae venia contrahuntur, quomodo permittere aut tolerare poterit, ut sacris ritibus cohonestentur ea coniugia, quae ob neglectas cautelas ab Ecclesia praescriptas illicita prorsus sunt et reprobanda?

(1) Apud Schelstrate in *Actis Orientalis Ecclesiae contra Lutheri haeresim* Pars I pag. 253.

Novimus equidem Summos Pontifices, ubi de licitis, et cum venia Ecclesiae contrahendis matrimoniis ageretur, aliquando tolerantia usos fuisse atque Antistitum prudentiae commisisse, ut ipsi, omni rerum, locorum ac temporum ratione habita, iudicent, quando praedictae conditiones de ipsis praefatis coniugiis, extra ecclesiam nempe et absque parochi aut alius catholici sacerdotis rite deputati benedictione, sine gravioris mali metu et periculo possint ac debeant servari, et quando ad maiora mala et scandala propulsanda tolerari possit mos eadem coniugia benedicendi. Ast etsi huiusmodi tolerantia in illis matrimoniis aliquando intercedere queat, quae utpote cum Ecclesiae venia ineunda, licita sunt, illam tamen ad omnia mixta connubia indiscriminatim extendendam esse nemo pronunciare audebit, qui animo reputet, quaenam in hac re sit constans Ecclesiae doctrina et agendi ratio. Vos, Reverendissimi Praesules, minime latet praefata matrimonia ideo maxime ab Ecclesia prohibita esse, quia in illis contrahendis catholicus coniux, ut plurimum, periculo committeretur transgrediendi ipsius legis naturalis et divinae praeceptum, quo tenetur suam prolem in religione catholica, extra quam non est salus, educare, et a se omnem perversionis occasionem avertere, atque alterius coniugis salutem omni studio procurare. Hinc nisi eiusmodi periculum opportunis iisque efficacibus cautionibus penitus amoveatur, catholicus in praedictis mixtis matrimoniis ineundis temere ageret, atque, ut declarat Summus Pontifex Pius VIII fel. rec. (1), *non modo canonicas violaret sanctiones, sed directe etiam gravissimeque in naturalem et divinam legem peccaret.* Iam vero inde vosmetipsi intelligitis, Venerabiles Praesules, matrimoniis, quae sine gravissimo peccato a catholicis contrahi nequeunt, minime a catholico sacerdote bene precari posse. Gravissimi siquidem criminis et ipse coram Deo et Ecclesia reus foret, quippe qui non solum aliorum peccatum et sacrilegium proprio actu approbaret, illisque cooperaretur, sed etiam aut sacramentum publice indignis administraret, si pro illius ministro eumdem habere velis, aut sacri ritus exhibitione ad sacrilegam sacramenti profanationem concurreret, si, ut plurimi tenent, ipsi contrahentes ut ministri sibi invicem conferunt sacramentum.

Quamobrem ubi illicitae nuptiae catholicos inter et haereticos seu schismaticos impediri minime possunt, sapientissimi Romani Pontifices tristem eorum, qui huiusmodi connubiis implicantur, conditionem, atque maius bonum Ecclesiae respicientes, passivam tantummodo parochi assistentiam, quam in mixtis matrimoniis conciliandis, servatis conditionibus, et cum eorum dispensatione permittere consueverunt, tolerari posse arbitrati sunt. Benedictionem autem sacerdotalem caeterosque Ecclesiae ritus numquam in eiusmodi nuptiis admiserunt, imo expressis verbis ab omni sacro ritu abstinendum esse semper et constanter declararunt.

Neque dicatur Ecclesiam, sicut ad maiora mala et scandala amovenda passivam assistentiam aliquando tolerare consuevit, ob eamdem rationem indulgere posse, ut quando sponsi hanc passivam assistentiam adversantur; eorum nuptiis quamvis illicitis sacerdotalis benedictio adhibeatur. Nam diversa et non eadem est passivae assistentiae et sacerdotalis benedictionis ratio. Parochus qui ex S. Sedis tolerantia, et tantum ut Concilii Tridentini legi satisfiat, illicito matrimonio tamquam testis, materiali tantum praesentia, adest, coram se fieri sinit, quod ipse nequit impedire, quodque, si alio modo factum fuerit, tam in catholici coniugis, quam in Ecclesiae damnum cederet. Parochus nihil dicit, nihil agit, quo illicitam et perniciosam eiusdem coniugis actionem aut approbare aut cohonestare videatur; imo hoc ipso quod actui ex natura sua sacro assistat, quin ullo modo eas exhibeat preces et caeremonias, quibus Ecclesia alias matrimonia et approbat et solemniora reddit, manifeste vel tacendo et nihil agendo declarat a catholico iniri connubium, quod Ecclesia tamquam illicitum et perniciosum reprobat atque damnat. E contra sacerdos iisdem illicitis nuptiis benedicens, non tantum fieri sineret quod nequit impedire, sed ipse propria sua actione aliorum peccato cooperaretur, et insuper sacrum et publicum ministerium, quo fungitur, profanando, illicitas mixtas nuptias tam suo, quam Ecclesiae nomine approbare, earumque libertatem saluti animarum et fidei causae perniciosam sua ipsa opera fovere videretur. Itaque quamquam omni studio enitendum est, ut impediantur catholici quominus pro benedicendis mixtis ipsorum nuptiis ad sacerdotes schismaticos confugiant, sicque se ipsos et futuram sobolem perversionis periculo committant; ea tamen ratione semper agendum esse clare dignoscitur, quae prorsus ab omni peccato aliena est. Quandoquidem quod ex se malum et peccatum est, nec ad impedienda maiora mala, nec ad promovenda quaecumque etiam bona admitti potest.

Interim cum inter fideles, qui graeco ritui addicti sunt, ex vestra concordi sententia, passiva illa assistentia a Gregorio XVI pro Hungariae Regno indulta in usum deduci minime possit, unus alterve vestrum Reverendissimus Antistes ratus est, malis et difficultatibus saltem ex parte obviam iri, si illa lex reintegraretur, qua omnia indiscriminatim matrimonia mixta coram catholico parocho fieri iubebantur, vel nova lege praescriberetur, ut eadem

(1) Pius VIII in Litt. Ap. ad Archiep. Colonien. et Episcopos suffraganeos die *25 Martii 1830. (V. n. 811).*

matrimonia vel omnia coram sponsi, vel omnia coram sponsae parocho celebrarentur.

Attamen revocata ad pristinum vigorem priore illa lege, eaedem vel etiam maiores haberentur difficultates. Numquam siquidem, uti ex superius dictis patet, licere poterit catholico parocho, ut in nuptiis, quae spretis conditionibus illicite contrahuntur, sacerdotalem benedictionem impertiatur; quam si negaret, uti certe negare deberet, quotiescumque cautelae ab Ecclesia praescriptae deficerent, partes passivam ipsius assistentiam recusantes, aut posthabita lege civili ad sacerdotem schismaticum confugerent nuptias celebraturae quae iuribus civilibus carerent, aut pars catholica ad schisma transiret, ut illis iuribus potiatur atque civiles poenas effugiat.

Parum itidem utilitatis pro Ecclesia sequeretur, nec difficultates minuerentur si, nova lege, aut solius sponsi, aut solius sponsae parocho assistendi ius tribueretur.

In primis enim animadvertendum est non easdem in Transilvania quam in Hungaria civiles leges circa religiosam prolis in mixtis nuptiis procreandae educationem etiam modo obtinere. In Hungaria siquidem dum sponsus catholicus est, universa proles in catholica religione educanda est; dum vero sponsus acatholicus seu schismaticus, filiae quidem in matris catholicae religione educari iubentur, filii autem patris confessionem sequi permittuntur. E contra in Transilvania proles iuxta sexum in alterutrius parentis religione educanda est. Hinc in Transilvania sive sponsi, sive sponsae parocho assistendi ius tribueretur, in quolibet mixto connubio praescriptae cautelae exigendae essent; quae si negarentur, negari etiam deberet sacerdotalis benedictio. In Hungaria autem licet parochus sponsi in omnibus matrimoniis mixtis inter virum catholicum et mulierem acatholicam contrahendis, saltem et tolerantia S. Sedis, sacros ritus adhibere possit, tamen sponsae parocho id non liceret, nisi de universa prole in catholicae religionis sanctitate educanda expresse cautum foret. Ex his iam patet tum in Hungaria, tum in Transilvania, cuicumque demum parocho ius assistendi mixtis nuptiis decerneretur, coniugia obvenire posse, quibus bene precari catholico sacerdoti nefas est; et proinde difficultates, quae in illicitis eiusdem nuptiis oriri solent, nullo modo removerentur. Deinde cum, eadem hac nova lege, parocho schismatico vel sponsi vel sponsae idem omnino ac catholico matrimoniis assistendi ius tribuendum esset, catholici per ipsam legem ad vetitam in sacris communicationem cum schismatico sacrorum ministro adigerentur. Eiusmodi vero legem Ecclesiae nec ipsa ferre, nec ut a civili potestate feratur, petere unquam potest.

Quae cum ita sint, vosmetipsi perspicitis, Venerabiles Praesules, ab huiusmodi legibus parum vel nihil pro utilitate Ecclesiae sperandum fore; quandoquidem nisi passivae assistentiae loco, ipsa sacerdotalis benedictio adhiberi posset, quod prorsus nefas esse cognoscitis, istis legibus minime impediretur, quominus catholici ab illicitis mixtis connubiis desistere nolentes ad schismaticos sacerdotes se convertant, atque illegitimis ipsorum ritibus sese immiscentes, paulatim a catholicae Ecclesiae fide et unione recedant. Alia igitur via multiplicibus illis malis difficultatibusque occurrendum erit, quae Vos merito tantopere angunt ac sollicitos habent.

Nulla alia porro ratione id securius et efficacius fieri posse videtur, quam si omni ardore, quo vos in procuranda animarum salute flagrare compertum est, in id intendatis, ut fideles curae vestrae concrediti mixtas nuptias aut omnino evitare, aut saltem nonnisi observatis adamussim debitis cautelis celebrare studeant.

Quod ut assequi possitis, in primis ipsorum fidelium animis impenso constantique studio inculcandus erit ille fidei nostrae articulus de catholicae nempe fidei et unitatis necessitate ad salutem consequendam. Quod praecipuum christianae religionis dogma, ut probe nostis, tum innumeris penes Sanctorum Patrum locis testatum, tum solemnibus quoque Ecclesiae actibus ac praesertim illis fidei professionibus enunciatum est, quas ab Apostolica Sede propositas tam graeci, quam caeteri orientales catholici amplectuntur. Ne cessetis proinde fidelibus eadem repetere verba, quibus celeberrimus Apostolorum discipulus S. Ignatius Martyr in epistola ad Philadelphienses utitur dicendo: « Ne « erretis, fratres mei: si quis schisma facientem « sectatur, Regni Dei hereditatem non conse« quitur ». Etenim crebro et continuo tum a vobismetipsis, tum a caeteris, qui vobis subsunt, animarum pastoribus excitandus est populus ad catholicam fidem atque unitatem, ad quam summo Dei beneficio adductus est, tamquam unicam salutis viam ardentiori usque studio custodiendam, atque ideo ad omne illius deserendae periculum vitandum. Quae quidem catholicae unitatis tenendae necessitas, ubi fuerit in cunctis fidelium animis impressa alteque defixa, haud facile deinceps irrita erunt monita atque adhortationes, quibus ipsos avertere debebunt parochi a nuptiarum foedere cum schismaticis ineundo, aut si aliqua interdum causa interveniat, ob quam mixtae huiusmodi nuptiae sini debeant, eas non aliter contrahant nisi impetrata Ecclesiae dispensatione, et conditionibus, quae ab ipsa praescribi solent, religiose observatis.

Interim haec S. Congregatio minime ignorat ea esse tristissima locorum ac temporum adiuncta, ut tam felix rei exitus nec semper, nec facili modo obtineri possit. Ex gravissimis enim litteris Vestris cognovit maximas difficultates

et angustias ea potissimum de causa adesse, quod in Vestris regionibus civiles leges etiam nunc habeantur, quarum una reversalibus, ut aiunt, de religiosa filiorum educatione litteris omnem vim obligandi ademit, altera perniciosam fidei deserendae et ad acatholicorum partes transeundi libertatem praebet. Ast praeterquamquod S. Sedes omni studio in id incumbit, ut funesti istarum legum effectus inhibeantur, huiusmodi difficultates animarum pastores nullo modo a gravissimo quo tenentur officio eximere valent, ut fideles mixta connubia inire cupientes, nec non eorum parentes aliosve quorum sub cura sunt, sedulo ab ipsis edoceantur, quaenam circa eam rem Ecclesiae sententia sit, graviterque moneantur, ne illius praecepta, terreni forsitan lucri aut commodi causa, in perniciem animarum suarum perfringere audeant.

Vestrum proinde erit, Amplissimi Praesules, parochos de hoc officio commonere, illisque demandare, ut in fidelium memoriam revocent notissimum illud naturalis divinaeque legis praeceptum, quo non solum peccata, sed et pericula ad peccatum proxime inducentia evitare iubemur; uti etiam aliud praeceptum eiusdem legis, quo parentibus iniungitur filios educare in disciplina et correptione Domini, ideoque ipsos erudire ad verum Dei cultum, qui unice est in Ecclesia catholica. Hinc oportet parochi adhortentur fideles, ut illicita mixta connubia celebraturi serio perpendant, quantam Supremo Numini faciant iniuriam, et quam crudeliter erga se futurosque sibi liberos acturi sint, ubi se ipsosque filios perversionis periculo committant. Monendi porro omnino parochi adigendique sunt, ut sedulo et diligenter gregi suo invigilent, et statim ac compererint adesse iuvenes vel virgines, qui huiusmodi mixtas nuptias cum schismaticis inire velint, tunc ipsos eorumque parentes salutaribus doctrinis imbuant, nihilque omittant, quo eos a transgrediendis Dei et Ecclesiae praeceptis avertant.

Sed quoniam in hoc gravissimo matrimoniorum negotio solius parochi arbitrio et prudentiae nihil relinquendum videtur, sed omnia ex Episcopi sententia fieri necesse est, iam ea Vobis, Venerabiles Praesules, suggerenda sunt, quae a Vobismetipsis praestanda erunt, ne quidquam in hac re praeter ordinem fiat.

Iniungere in primis parochis debebitis, ut Vos de quolibet matrimonio mixto, quod ipsorum parochiani contrahere cupiunt, quam citius certiores reddant, exactissime relatis omnibus rerum, locorum personarumque circumstantiis; nec quidquam omnino in hac re agere praesumant priusquam a Vobis opportuna responsa acceperint. Vestrum deinde erit diligentissime perpendere quid, habita eorumdem adiunctorum ratione, decidendum agendumve sit. Quod si videbitis nullam adesse spem fore ut catholici a celebrandis huiusmodi mixtis nuptiis desistant, paratos tamen esse sponsos ad conditiones omnes adimplendas, quae iisdem nuptiis praemitti debent, tunc poteritis quidem ad eas celebrandas veniam dare, utentes scilicet facultatibus, quas SSmus Dominus Vobis tribuendas esse censuit per Sacrae Congregationis nomini christiano propagando praepositae decretum.

Circa vetitam in mixtis matrimoniis benedictionem.

Ad benedictionem vero quod attinet huiusmodi licitis, et cum Ecclesiae venia ineundis nuptiis impertiendam, optaret quidem summopere Sanctitas Sua, ut conditiones, quas Sancta Sedes praescribere solet de celebrandis scilicet illis connubiis extra Ecclesiam et absque benedictione, etiam apud Vos servari omnino possent. Quoniam vero, ut retulistis, Vestrarum dioecesium fideles passivam, uti aiunt, assistentiam tamquam in Ecclesia orientali non usitatam aversantur, ac sacerdotis benedictionem tanti faciunt, ut, si illa a catholico sacerdote negaretur, non modo id aegre ferrent, sed timendum plane foret, ne ad illam obtinendam ad schismaticos sacerdotes confugiant, eadem Sanctitas Sua ad maiora mala evitanda opportunum fore duxit Vestrae prudentiae esse omnino relinquendum, ut ipsi iudicetis quando praedictae conditiones sine gravioris mali periculo possint ac debeant servari, et quando ad maiora mala et scandala propulsanda tolerari possit mos easdem nuptias benedicendi.

Interea necessarium plane erit, ut fideles curae Vestrae concrediti sedulo instruantur graviterque moneantur de peccato, quo obnoxii forent, si pro celebrandis mixtis matrimoniis sacerdotem schismaticum adirent, ab ipso nuptialem benedictionem accepturi. Sive enim hoc facerent, accepta iam a catholico parocho eiusmodi benedictione, sive illa omissa seu etiam negata, Ecclesiae legem transgrederentur, qua sic dicta communicatio in sacris cum haereticis et schismaticis prohibetur, atque illegitimis illorum ritibus sese immiscentes, aliis scandalo essent, ac seipsos perversionis periculo se committerent.

Circa proclamationes matrimoniorum mixtorum.

Quod si autem ex iis, quae a parochis Vobis relata sunt, appareat agi de matrimonio mixto, in quo celebrando sponsi cautiones ab Ecclesia praescriptas, aut aliquam eorum observare detrectant, tunc, si nuptiae impediri omnino non poterunt, ex Gregorii XVI indulto compertum est pati posse ut a parochis catholicis consuetae proclamationes fiant. Non ignorat quidem S. Congregatio huiusmodi denuntiationes contrahendis nuptiis praemittendas in Ecclesia orientali antiquitus minime usitatas, nec lege aliqua generali praescriptas fuisse. Sed cum ex iis, quae hac de re ad Apostolicum Nuntium Vindobonensem scripsistis, easdem proclamationes apud Vos in usu esse constet, atque illas faciendi necessitas, uti bene scitis, lege civili quam maxime urgeatur, tolerandum

utique etiam a Vobis erit, ut parochi proclamationes eo modo faciant, et a se factas esse testentur, quem Summus Pontifex in notissimis Litteris Apostolicis ad Hungariae Antistites datis accurate praescripsit. Maxime autem opportunum erit, si hanc veniam concedentes, parocho simul iniungatis, ut, iteratis etiam Vestro nomine salutaribus monitis et hortamentis, sponsos a perpetrando tam multiplici scelere omni studio omnique charitate avertere denuo conetur.

Circa passivam parochi assistentiam in matrimoniis mixtis.

Si vero catholici nullo modo adduci poterunt, ut vel a celebrandis perversis hisce nuptiis desistant, vel legis naturalis et divinae praeceptis obtemperent, tunc Vestrae erit prudentiae iudicare utrum omni habita rerum, locorum et personarum ratione, exigi aut admitti possit ac debeat illa passiva parochi assistentia, quam Gregorius XVI f. r. ad maiora evitanda mala et ob maiorem tantum Ecclesiae utilitatem tolerari posse declaravit. Sane si sapientissimi illius Pontificis indulgentiam nec malis remedium afferre, nec in Ecclesiae bonum cedere posse iudicaveritis, illam passivam assistentiam minime urgere debebitis; sed, ea prudenti consilio praetermissa, nec ulla de causa, nec ullo modo permittere vel tolerare poteritis, ut catholicus parochus aut alius sacerdos illicitis et damnandis eiusmodi nuptiis benedicat. Imo Vestri officii omnino erit admonere graviter parochos ac stricte ab ipsis exigere, ut non solum a benedictione et a quocumque alio sacro ritu abstineant, sed ab omni etiam verbo et actu, quibus illicita illa coniugia cohonestare et approbare viderentur; ne, uti superius iam dictum est, gravissimi criminis etiam ipsi coram Deo et Ecclesia rei evadant. Sponsi autem catholici, quibus in hisce circumstantiis deneganda est sacra benedictio, si coram schismatico sacerdote dein coniugale foedus celebrare praesumpserint, nec durius habendi, nec omnino reiiciendi aut derelinquendi sunt: sed omni conatu et sedula charitate parochis elaborandum erit ut, quod iam praelaudatus Summus Pontifex Gregorius XVI Hungariae Episcopis significari iussit, catholicus coniux ad patratae culpae detestationem congruamque poenitentiam opportune excitetur, atque solerter adducatur ad obligationes implendas, quibus gravissime tenetur; illam praesertim de catholica universae prolis educatione impense curanda. Quae si ex voto contingant, adeoque constet eum revera resipuisse paratumve esse, quoad valuerit, scandali reparationi, tunc sane poterit ipse sacramentorum Ecclesiae particeps fieri.

Quae prae oculis habenda cum de mixtis nuptiis conciliandis agitur.

Ex iis quae hactenus exposita sunt, iam intelligitis, Venerabiles Praesules, quanta prudentia, quantaque constantia agendum sit, ubi mixtae catholicos inter et schismaticos conciliandae sunt nuptiae. Non enim solius ecclesiasticae disciplinae ratio habenda est, quae utique pro diversa rerum, locorum temporumque conditione variari potuit, atque aliquando etiam mutari debet, ubi animarum salus maiorque ipsius Ecclesiae utilitas id postulaverit; sed insuper quae sit eiusdem Ecclesiae inviolabilis doctrina, quaeque naturalis ac divinae legis praecepta, prae oculis omnino habendum; ne cum mala atque pericula gravia etiam et certa propulsare intendimus, graviora provocemus manifestisque peccatis implicemur.

Nunc, quod reliquum est, pauca adiungenda sunt de illo Instructionis ad Hungariae Antistites datae capite, in quo Summi Pontificis Gregorii XVI iussu declaratum est, matrimonia mixta coram ministro acatholico, seu non servata Concilii Tridentini forma celebrata, ab Episcopis et parochis prudenter esse dissimulanda, et, quamvis illicita, pro validis habenda.

Quando omissio formae tridentinae in matrimoniis impedimentum constituat.

Atque in primis in dubium revocari omnino nequit Pontificiam hanc declarationem ad Vestras quoque dioeceses extendi, cum illam pro omnibus Hungariae et Transilvaniae Episcopis datam, omnibus pariter transmissam, atque a Vobis, vestrisve antecessoribus acceptam fuisse constet. Matrimonia proinde mixta coram schismatico sacerdote contracta, licet illicita sint atque damnanda, pro validis tamen habenda erunt, idque vel magis cum ex litteris, quae a Vobis ad Vindobonensem Nuntium datae fuerunt, pateat, pro certo affirmari haud posse Concilii Tridentini Decretum apud Vos in singulis parochiis vim obligandi obtinuisse. Minime enim Vos latet eiusmodi Decretum, iuxta doctrinam a Benedicto XIV in *Syn. Dioecesana lib. XII, Cap. V, n. 6* prolatam, in illis tantummodo locis in vigore esse, in quibus *tamquam Concilii Tridentini decretum* aut publicatum iampridem fuisse, aut iam usu receptum esse constet, ut matrimonia coram parocho et duobus vel tribus testibus tamquam in executionem decreti Concilii Tridentini celebrarentur. Quare etiamsi eadem forma, quae a Concilio Tridentino stabilita est, vel ab aliquo Episcopo, vel a Concilio Provinciali, vel a lege civili praescripta, et inde in parochiis singulis observata fuerit, nisi hanc formam tamquam a praefato Concilio praescriptam et iniunctam, et observatam fuisse constiterit, minime ex neglectu eiusdem formae dirimens matrimonii impedimentum exurgere poterit. Suprema enim tantummodo vel Concilii Oecumenici, vel Summi Pontificis auctoritas novam contrahendi formam praescribere, atque nuptiis contra huiusmodi formam celebrandis firmitatem adimere potest. Hinc Vosmetipsi etiam perspicietis, Amplissimi Praesules, leges illas civiles, quae matrimonia mixta coram solo parocho catholico celebranda esse iusserunt, minime efficere potuisse, ut eiusmodi nuptiae coram schismatico sacerdote contractae pro invalidis haberi possint, licet civilibus effectibus destitutae essent, qui a lege civili nonnisi legitimis matrimoniis tribuuntur.

Quae nuper de mixtis nuptiis coram sacerdote schismatico celebratis, atque de Concilii Tridentini Decreti vigore dicta sunt, tunc etiam prae oculis habenda sunt, quando in foro tum interno, tum externo de valore illarum nuptiarum iudicandum Vobis erit, quae vel a schismaticis inter se, vel coram alio sacerdote quam sponsi et sponsae proprio parocho, aut sacerdote rite deputato celebratae fuerunt. Ubi enim constiterit in iis locis in quibus eiusmodi connubia conciliata sunt, Tridentinum Decretum non tamquam a Concilio hoc Oecumenico latum, aut publicatum, aut observatum fuisse, matrimonia haec omnia, nisi aliud adfuerit dirimens impedimentum, pro validis habenda erunt.

1155

De interrupta *Viae Crucis* visitatione et Rosarii recitatione.

S. C. Indulg. *22 Ian. 1858.* — 1. An fideles lucrentur Indulgentias *Viae Crucis,* dummodo stationes visitent in uno eodemque die, etiam non uno tractu, sed interposito maiori minorique inter stationes temporis intervallo.

2. An pro lubitu vel commodo dividi possit Rosarium B. M. V. itaut acquirantur tum indulgentiae generales adnexae recitationi quotidianae unius coronae, dummodo intra diei spatium, licet non uno tractu sed diversis temporibus recitentur quinque denaria, tum indulgentiae speciales Sodalitatis SSmi Rosarii, dummodo intra hebdomadam quinque denaria recitentur, licet in plures quam tres partes dividantur. Et quatenus Negative,

3. An supplicandum sit SSmo pro concessione.

R. Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative, exceptis confratribus, quod attinet ad Indulgentias ipsis concessas pro recitatione integri Rosarii infra hebdomadam.

Ad 3. Non expedire — Sanctitas Sua resolutiones S. C. confirmavit.

1156

De usu parvi cochlearis in Missa.

S. R. C. *6 Febr. 1858* — BALTIMOREN. — Quum quaesitum esset: *An parvi cochlearis pro aqua in Calicem infundenda usus esset licitus,* Sacra Rituum Congr. respondit an. 1850 *die 7 Septembris* servandam esse rubricam. Quaeritur utrum haec verba intelligenda sint eo sensu, ut usus cochlearis in praedicto casu omnino prohibeatur.

R. Negative, seu usus parvi cochlearis non esse prohibitum.

1157

Servanda a sacerdote qui duas Missas eadem die dissitis in locis celebrare debet.

Instr. S. R. C. *11 Martii 1858.* – Quando sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super corporali ponat Calicem, et palla tegat, ac iunctis manibus in medio altari dicat: *Quod ore sumpsimus;* et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* et abstergat. Hisce peractis Calicem super corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiet ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur et, completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice inspiciat an aliquid divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim sacrae species primum sedulo sorptae sint, tamen dum sumuntur, quum particulae quae circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito Calice, ad imum redeunt. Si itaque Divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem Calicis parte qua ille primum est sumptus. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat et superextantibus adhuc vini speciebus, ex divino praecepto compleri debet.

Postmodum sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat quantum prius vini posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte qua Sacrum Sanguinem biberat in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab altari decedat.

Depositis sacris vestibus et gratiarum actione completa, aqua e Calice dimissa, pro rerum adiunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus sacerdos redeat Missam habiturus) et in exequenda purificatioue in calicem demittatur; vel gossipio aut stupa absorpta comburatur; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur; vel demittatur in piscinam.

Quum autem Calix quo sacerdos primum est usus, purificatus iam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero, in altera Missa diverso Calice uti poterit. — SSmus adprobavit.

1158

De clericorum continentia.

Unitas fidei et sanctitas disciplinae ecclesiasticae commendatur.

Instr. S. C. de Prop. F. *24 Martii 1858.* (AD ARCHIEP. FOGARASIEN. ET ALBA-IULIEN. GRAECI RITUS). — Non latet Amplitudinem Tuam quantum Apostolica Sedes elaboraverit, ut fideles cuiuscumque ritus ac disciplinae, veluti membra eiusdem mystici corporis sub uno in terris capite divina institutione coniuncta, in unitate spiritus inviolate perstarent; atque ut etiam illi qui, a veritate declinantes, ab unitate catholica discesserant, tandem aliquando ad Ecclesiae sinum redirent; denique ut unitas fidei ac sanctitas disciplinae ubique terrarum flo-

reret. Etenim cum fides, per infallibile Ecclesiae magisterium proposita, non humanis rationibus, sed divinis prorsus oraculis Deique revelantis auctoritate innitatur, unica omnino eademque apud omnes esse debet qui Christi Corpus constituere et in unico eius ovile vivere exoptant: ecclesiastica vero disciplina, quamvis pro rerum ac temporum varietate, sive pro diversa illustrioris alicuius Ecclesiae traditione ac consuetudine, externam veluti varietatem non respuat, tamen necesse omnino est ut nil contineat quod non eiusdem fidei sanctitati respondeat, nihil quod morum doctrinae vel ecclesiasticae honestati adversetur. Quo autem consilio, qua pastorali sollicitudine id praestiterint, praesertim quoad orientales, Romani Pontifices, quibus divinitus commissa est cura omnium Ecclesiarum, historiae ecclesiasticae monumenta luculenter ostendunt, et Benedictus XIV, immortalis memoriae Pontifex, in percelebri Encyclica – *Allatae sunt* (1) – ob oculos evidenter ponit quae dixerit quaeve constanter egerit Apostolica Sedes a Nicolao I Sanctissimo Pontifice ad sua usque tempora, ut orientales ad unitatem fidei ac pristinam disciplinae puritatem reduceret atque in ea firmissime solidaret. Qua in re omnis plane cura in eo collata fuit, ut detersis erroribus quos, durante schismate, inimicus homo clanculo superseminaverat, de cetero ritus orientalis qua in parte nec fidei catholicae adversatur, nec periculum generat animarum, aut ecclesiasticae derogat honestati, inviolatus firmusque maneret (2). Quod libentissimo prorsus animo praestitit etiam SS. D. N. Pius Papa IX decessorum suorum eximius aemulator; vix enim S. Petri Apostolorum Principis cathedram conscendit, orientales omnes ad peroptatam concordiam amantissimis plane litteris (3) excitare, iamque unitos favoribus augere non destitit, id unum requirens, ut errores omnimodi evellerentur, sed ritus orientalis maneret inviolatus, quemadmodum et disciplina quam ante schisma orientales servabant et profitebantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis liturgiis ac ritualibus innititur, religiose custodiretur. Equidem non alio consilio novam ecclesiasticam Provinciam, ab Alba-Iulia dictam, praelaudatus Pontifex instituit, quippe qui explicate mandavit, ut forma atque administratio ad ritum et disciplinam orientalis Ecclesiae exigeretur; ut insuper vel tali exemplo etiam dissidentes allecti ac unitatis studio, aspirante Deo, excitati, facilius in gremium catholicae unitatis se reciperent. Quoniam vero disciplina istius Provinciae non satis apte in aliquibus ad exemplum orientalis Ecclesiae composita videbatur, ideo Sanctitas Sua voluit, ut Episcopi memoratae Provinciae una tecum, collatis consiliis, relationem de his omnibus, appositis lucubrationibus commentatam, exhibere curarent, ut inde, rebus sedulo perpensis, opportune provideretur. Quod ubi accepit A. T. laudabili quidem sollicitudine praestitit per litteras pridie Kal. Dec. 1856 datas perque insuper adiuncta folia, ubi plura habentur quae disciplinam spectant orientalem et consuetudines moresque istius novae Provinciae. Porro Sanctitas Sua, cui nihil est potius quam ut disciplina orientalis in sua puritate vigeat ac servetur, summopere in primis desiderans ut qui, vocante Deo, sacris addicuntur ministeriis, nedum doctrina, verum etiam integritate vitae praefulgeant, ut verbo et exemplo fideles, quibus praesunt, possint instruere in doctrina sana, et eos qui contradicunt, etiam puritatis vitae exemplo arguere, voluit ut per hanc S. C. de Prop. Fide quaedam interim A. Tuae ceterisque istius Provinciae Episcopis significarentur quoad continentiam clericorum, quaeve ad ea referuntur quae in praedictis foliis a te transmissis continentur titulo IV *De Matrimonio clericorum,* in epistola vero § XII.

Germana de cleri coelibatu et continentia traditio.

Qui germanam traditionem de coelibatu ac continentia cleri sedulo expenderit, inveniet profecto vel a primis Ecclesiae catholicae saeculis, si non generali et explicita lege, moribus saltem ac consuetudine fuisse firmatum, ut nedum Episcopi et presbyteri, sed ut clerici in sacris constituti virginitatem, vel perpetuam continentiam inviolate servarent. Eadem quippe sacri ministerii dignitas, cui officia prope divina tribuuntur, id exigere videbatur, ut qui immolare ac etiam producere deberent immaculatam victimam, quae ipsa est sanctitas ac puritas, aut virginitatis candore, aut perpetua continentia niterent. Amplissima insuper sanctorum Patrum traditio vel virgines vel post nuptias perpetuo continentes demonstrat Apostolos, unde et ipsi non alios sibi successores adscivere quam qui virginitatem coluissent aut inviolatam continentiam profiterentur. Hic non immorandum quid Apostolorum exemplo ac institutis edocta egerit ac docuerit Romana Ecclesia ceterarum mater ac magistra, quippe quae nunquam illam servandae castitatis obligationem intermisit, per totam occidentalem Ecclesiam salubriter propagavit, ac tandem inviolabili lege sancivit.

Quid de re apud orientales.

Sed et apud orientales coelibatus aut continentia clericorum, praeterquam quod maximo fuit semper in honore, antiquissimo ab usque tempore, in ecclesiis praesertim ubi disciplina Episcoporum sedulitate florebat, religiose servabatur. Epiphanius siquidem, vir sanctitate ac doctrina insignis, quique orientalis Ecclesiae disciplinam optime norat, in expositione catholicae

(1) Encyclic. 26 Iulii 1755.
(2) Encyclic. ut supra.
(3) Litterae Apost. ad Orientales 6 Ianuar. 1848.

fidei (n. 21) conceptis verbis affirmat « Sacerdo-« tium ex virginum ordine praecipue constare, « aut si minus.... ex his qui a suis uxoribus « continent, aut secundum unas nuptias in vi-« duitate versantur ». Principio etenim, prout loquitur Hieronymus (1) « quia rudis ex gentibus constituebatur Ecclesia » ad sacerdotium aliqui etiam assumebantur qui iam matrimonio iuncti fuerant, sed vel in viduitate continentes vel vitam ita degebant quasi uxores non haberent. Unde idem Epiphanius (haeresi 59) diserte fatetur quemadmodum « Sancta Dei prae-« dicatio in diaconum, presbyterum, Episco-« pum et hypodiaconum non suscipit unius « uxoris virum liberos adhuc gignentem, sed « eum qui se ab unica continuit, aut in viduі-« tate vixit, maxime ubi sinceri sunt canones « ecclesiastici ». Neque contraria alicuius ecclesiae particularis consuetudo seu inobservantia quidquam obstat, dum sermo instituitur de disciplina Ecclesiae orientalis; etenim apposite idem Epiphanius prosequitur « At dices mihi: omnino « in quibusdam locis liberos adhuc gignere pres-« byteros, diaconos et hypodiaconos: at hoc non « est iuxta canonem, sed iuxta mentem homi-« num ». Quapropter ambigi nequit quin Epiphanii tempore clerici (ab hypodiacono ad Episcopum) coelibatum vel continentiam colerent. Quod aptissime firmari etiam potest testimonio Hieronymi, qui ob diuturnam in oriente commorationem, illius Ecclesiae mores ac disciplinam perfectissime noverat: porro s. Doctor Vigilantio, clericali continentiae infensissimo, praeter alia argumenta, factum opponit universalis Ecclesiae. « Quid facient orientis Ec-« clesiae, quid Aegypti et Sedis Apostolicae, « quae aut virgines clericos accipiunt aut con-« tinentes, aut, si uxores habuerint, mariti « esse desistunt? Haec denique universalis Ec-« clesiae traditio, hi mores erant ubi purior « disciplina vigebat ».

Putant quidam graecorum, et nimis confidenter asserunt, Episcopos in oriente sponte sua, non aliqua lege adstrictos servasse continentiam, quam dicunt primo in Trullana Synodo fuisse sancitam: ast praeter clarissima Patrum testimonia, vel ipse Iustinianus qui longe ante trullanos canones leges disposuit, quique profitetur, se esse priorum canonum executorem, non semel inculcat (2), ut Episcopi vel ex ordine eligantur monachorum, vel ex clero quidem sed ii qui neque filios, neque uxorem habeant, aut illi saltem non cohaereant. Eadem insuper viget disciplina apud sectas orientales quae vel ante Iustiniani tempora ab unitate defecerant, omnes quippe in eo conveniunt, ut Episcopi eligantur coelibes (3).

Longe aliter accidit quoad presbyteros aliosque clericos; etenim quae erat tempore Epiphanii inobservantia seu laxa alicuius Ecclesiae particularis consuetudo, ita tractu temporis radices agere ac propagari cepit, ut tandem totam pene orientalem Ecclesiam pervaserit; et invalescente consuetudine, quod tantum Cantoribus Lectoribusque permissum erat, etiam presbyteris tributum fuit aliisque clericis in sacris constitutis, ut nimirum cum uxoribus, quas ante sacram ordinationem duxerant, consuescerent. Quinimo eo usque in aliqua provincia orientali se protulit laxioris disciplinae aestus, ut nonnulli etiam post sacrorum Ordinum susceptionem matrimonium attentare praesumpserint; quod tamen utroque iure, ecclesiastico videlicet ac caesareo, et quidem ante trullanos canones, severe ac sub gravissimis poenis improbatum prohibitumque fuit, ut vel ipsae Iustiniani leges luculenter ostendunt. Etenim praefatus Imperator graviter conqueritur (4) de quibusdam clericis qui, *despicientes sacros canones* post Ordinationem nuptias attentare praesumpserant. Sacri siquidem canones severe vetabant sub poena privationis sacri ministerii, ne qui ex presbyteris, diaconis ac subdiaconis post huiusmodi ordinationem coniugari possent: unde, prosequitur idem Iustinianus « quemad-« modum sacris canonibus prohibita sunt talia, « sic et secundum nostras leges rem ipsam « prohiberi » et canonicas poenas civilibus cumulans, filios ex tali nefaria coniunctione susceptos illegitimos decernit ac si ex incestuoso coniugio prognati essent « ita ut neque na-« turales aut nothi seu spurii intelligantur, sed « prorsus et undique prohibiti, et successionis « genitorum indigni ». Hactenus Iustinianus. Et quamvis in iuribus ecclesiasticis, ut rectissime loquitur Benedictus XIV (5), potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi, tamen in re, de qua agitur, Imperator loquitur relative ad sacros canones.

Neque obstat quod Provinciale Concilium Ancyranum canone X diaconis, si in Ordinatione contestati fuerint, se non posse continere, permisit ut vel post Ordines susceptos matrimonium contrahere possent: esto enim quod canon ille concessionis vim habuerit pro Ancyrana provincia, non poterat certe orientalis Ecclesiae disciplinam immutare: et revera non immutavit, prout perspicuis verbis una testantur Epiphanius, Hieronymus aliique Patres, et

(1) Lib. advers. Iovinian.
(2) Lib. I *Cod. de Episc. et Cler.* L. 44. - Novel. 123, c. 14, 59.
(3) Cons. itinerar. hierosolymit. Ioannis Catovici, qui conceptis verbis id testatur de chaldaeis nestorianis, de maronitis.
(4) Cod. Lib. I, Tit. 3. *De Episc. et Cler.* § Sacris Canonibus.
(5) Instruct. *Eo quamvis tempore* die 4 Maii 1745.

ipse Imperator apertissime tuetur (1). Quapropter vel ipsa Trullana Synodus canone VI sub depositionis poena generatim decernit, ut nulli penitus subdiacono, vel diacono aut presbytero post ordinationem nuptias contrahere liceat (2); unde etiam graecorum canonistae ultro fatentur canonem concilii Ancyrani a Quinisesto fuisse penitus abrogatum (3).

Quae cum ita sint facile quisque videt quantum a germana orientalis Ecclesiae disciplina sit alienus mos ille, ut hypodiaconi, contrahentes post huiusmodi ordinationem matrimonium, ad superiores ordines promoveantur cum hoc vel ab ipsa Trullana Synodo penitus abhorreat. Quapropter Sanctitas Sua, cui summopere est cordi, ut mores istius Provinciae, quacumque corruptela detersa, ad normam purioris disciplinae orientalis componantur, haud potest quin meritis laudibus prosequatur Amplitudinis Tuae propositum iterato firmatum, neminem scilicet deinceps admittendi ad sacros Ordines, nisi aut penitus coelibem aut eum qui ante hypodiaconatum, iuxta morem orientalem, legitimam uxorem duxerit. Hic igitur A. Tua ceterique istius Provinciae Antistites in proposito permanentes firmiter state, hic haerete.

Quoad eos vero clericos qui iam post subdiaconatus ordinem nuptias contraxere, et pro quibus A. Tua enixe supplicat ut pro hac vice, ex Apostolica dispensatione, licite promoveri possint ad superiores Ordines: Sanctitas Sua, attentis omnibus, et ex speciali gratia benigne dispensavit, ut quatenus nihil aliud obstet, licite promoveri possint ad diaconatus ac presbyteratus ordines, ac valeant insuper in coniugio iam contracto permanere. Haec autem Apostolicae Sedis indulgentia illos tantum respicit clericos, de quibus expresse loquitur memorata Epistola tua.

Ceterum SSmus D. N. vehementer hortatur in Domino A. Tuam et Venn. Episcopos istius Provinciae, Vobisque addit animos, ut maiori usque alacritate ministerium vestrum implentes, sedulo nitamini, ut clericorum continentia purior floreat ac ad normam genuinae orientalis disciplinae restituta inviolate persistat. Quod si aliqui deinceps (quod Deus avertat) post sacros, ut praefertur, Ordines matrimonium attentare praesumpserint, decernit Sanctitas Sua, ut ad tramites sacrorum canonum severe puniantur, ut quos studium servandae disciplinae ac amor continentiae non movet, vel poenarum timor compescat.

1159

Instr. S. C. S. Off. *2 Maii 1858.* — (AD VIC. AP. ABISSINIAE). — La S. C. del S. O. ha preso in considerazione quanto V. S. ha esposto sul modo, con cui si conferisce il Battesimo dai preti scismatici dell'Abissinia. Volendo pertanto provvedere all'eterna salute specialmente di coloro, i quali illustrati dalla divina grazia ritornano al seno della cattolica Chiesa, ed all'obbedienza della S. Sede, ha creduto la lodata Congregazione necessario trasmettere a V. S. la presente istruzione, la quale serva di norma sicura, onde provvedere ai casi accennati da V. S. e ad altri consimili in avvenire.

De necessitate simultaneae applicationis materiae et formae in Baptismo.

È dottrinale cattolico che nell'amministrare i sagramenti debbono *simultaneamente* applicarsi la materia e la forma. Pertanto ogni qual volta una venga completamente applicata al *suscipiente,* e poscia, dopo qualche tempo o notabile interruzione si pronunzi l'altra, il sagramento sarebbe invalidamente amministrato. Vennero perciò nella Generale Congregazione di fer. IV 14 Aprile 1858, presi ad esame i dubbi e le ragioni di dubitare esposti da V. S. non che altre cognizioni di fatto somministrate alla stessa S. Congregazione, onde si è rilevato che secondo l'abuso introdotto e praticato forse anche in intiere provincie, (come Ella dice) dell'Abissinia si amministra il Battesimo nel seguente modo. Si versa prima l'acqua, o s'immerge il battezzando, e dopo compiuta per intiero quest'azione, si pronunzia la forma, ovvero pronunziata intieramente la forma, si procede all'*abluzione.* Ora questa pratica, in sè riprovevole, secondo la comune sentenza dei teologi, rende invalido il battesimo, o certamente lascia un gravissimo dubbio sulla validità del medesimo. La S. Congregazione dunque eccita lo zelo di V. S. a provvedere ai casi occorsi, ed a quelli che potessero accadere per l'avvenire. E poichè trattasi di un sagramento a tutti necessario, e d'un punto del medesimo delicatissimo, se cioè siasi validamente applicata la materia e la forma al soggetto, e siavi intervenuta la necessaria congiunzione o *simultaneità* della materia colla forma, o all'opposto una sia stata applicata dopo l'altra in modo tale che compiuta *l'abluzione* siasi pronunziata la forma o viceversa: Ella perciò dovrà prendere le più esatte informazioni compatibili colle circostanze di persone e di luoghi. A tale effetto trattandosi di

(1) Auth. Coll. IX, tit. VI, nov. 123, cap. XIV: « Non valente eo qui ordinat in tempore ordinationis, « permittere diaconum aut subdiaconum post Ordinatio- « nem uxorem accipere etc.

(2) Can. VI, Conc. Trull.: « Quoniam in Apost. « canonibus (can. 27) dictum est, eorum qui non ducta « uxore in clerum promoventur, solos lectores et can- « tores uxorem posse ducere; et nos hoc servantes de- « cernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel « diacono vel presbytero post sui ordinationem con- « trahere liceat. Si autem fuerit hoc ausus, depona- « tur etc. ».

(3) Balsam., Zonaras, Aristenius aliique Cons. Arcud. lib. 7, cap. 37 et Bened. XIV Instruc. *Eo quamvis tempore.*

esaminare non già le teorie ed i rituali degli abissini, che si suppongono normali e sufficienti, ma piuttosto la pratica nei fatti e casi singolari, Ella dovrà esaminare nel miglior modo che le verrà consentito tutte le circostanze, che accompagnarono la *collazione* del battesimo ricevuto nell'eresia o scisma, dovrà esaminare lo stesso convertendo e le altre persone, le quali per ragione di ministero, di attinenza, di luogo, di tempo possano somministrare notizie sul modo con cui fu conferito il Battesimo. Quante volte se ne abbia per risultato un giudizio e criterio fondato e prudente (come insegnano provati autori) che la materia e la forma sieno state distintamente e completamente applicate una dopo l'altra, allora si dovrà amministrare il Battesimo *sub conditione*. In pari tempo, *sub conditione* si dovranno conferire gli altri sagramenti della Confermazione e dell'Ordine a coloro che li avessero ricevuti in seguito di un battesimo sì fattamente dubbio ed invalido. Sarebbe poi opportuna cosa tenere apposito registro di cotali atti e persone. In fine onde non abbiansi a destare negli scismatici lamenti, discordie, e forse anche persecuzioni contro i cattolici, con grave danno della missione, siccome sventuratamente è avvenuto nei passati secoli, la S. Congregazione raccomanda a V. S. la maggiore circospezione nelle indagini da praticarsi, e che il tutto si eseguisca, con prudenziale segreto da estendersi ai missionarî, ed a quelli che dovranno prendere parte in simili atti.

1160

De parochorum obligatione applicandi Missam pro populo.

Litt. encycl. Pii PP. IX. *3 Maii 1858.* (AD OMNES EPISCOPOS) — Amantissimi Redemptoris Nostri Christi Iesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres, humana indutus natura non solum saevissimos pro nostra salute cruciatus, atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui corporis, sanguinisque Sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in caelum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis praesentia, et tutissimo spiritualis vitae praesidio communiret. Neque contentus nos tam insigni, ac plane divina dilexisse caritate, beneficia beneficiis cumulans, suique in nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod cum dilexisset suos in finem dilexit eos. Namque se aeternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suum in catholica Ecclesia sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem Sacrificium, quod ipse ad universum humanum genus a peccati iugo, ac daemonis captivitate vindicandum et redimendum in ara Crucis, pretiosissimo suo sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quae in caelis sunt, sive quae in terra, usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, et quotidie fieri, ac renovari iussit per sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suae passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incruento Missae sacrificio, quod conspicuo sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quae Deo Patri nos reconciliavit, quaeque omnem merendi, placandi, impetrandi ac satisfaciendi vim habens « illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur » (1). Atque haec est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse praedixit (2). Quae quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans praesentem aeque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam, donumque poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a iustae animadversionis severitate ad clementiam traducitur; ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animae nondum ad plenum purgatae sublevantur; ea obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant: ea Sanctis, et in primis Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitrici Virgini Mariae eximius quidam honor, cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missae sacrificium offerimus « pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima (3).

Sacrosancti Missae sacrificii excellentia et utilitas.

Cum igitur nihil sit maius, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missae sacrificio, quo idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus Noster Iesus Christus Deo pro omnium salute in altari per sacerdotes of-

(1) S. Gregor. M. Dialog. lib. 4, cap. 58.
(2) Malach. cap. 1.
(3) S. Cyril. Hierosol. Cateches. 23 Mystag. 5 de sacra Liturg.

fertur, et immolatur, iccirco Sancta mater Ecclesia tanto divini sui Sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum caeremoniarum, ac rituum apparatu, cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et maiestas vel externa quoque specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quae in tam admirabili ac venerando Sacrificio occultae continentur, contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine, studioque ipsa pientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari, et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum Sacrificium frequentissime convenirent, praecipiens, ut eidem omnibus de praecepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud, oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam, omniumque bonorum copiam sibi felicissime camparare possent. Iam vero cum omnis pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, Venerabiles Fratres, sacrosanctum Missae sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso, et huiusmodi obligationem ex divino praecepto descendere iuxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis, gravissimisque verbis edoceat « *praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre* » (1). Notissimae quoque Vobis sunt felicis recordationis Benedicti XIV Decessoris Nostri Litterae die 19 Augusti anni 1744 datae, quibus de hac obligatione copiose sapienterque loquens, ac Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quaestiones dubitationesque amovendas, clare aperteque declaravit et constituit, parochos, aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missae sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de praecepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis dioecesibus, dierum de praecepto festorum numerum imminuens, permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi de Sacro audiendo satisfacere deberent (2). Non mediocri certe iucunditate perfundimur, Venerabiles Fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum dioecesium statu cum summa vestri nominis laude, ac pari animi Nostri gaudio ad Nos, et hanc Apostolicam Sedem veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores huiusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex praecepto servantur, diebus, quibus Missae sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis iamdiu praetermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de praecepto erant colendi iuxta Constitutionem felicis memoriae Urbani VIII Decessoris pariter Nostri (3), et quibus haec Apostolica Sedes annuens variis Sacrorum Antistitum postulationibus, ac prae oculis habens causas, rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de praecepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi Sacrum essent exempti. Ubi enim haec benigna Sanctae Sedis Indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi Sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earumdem regionum parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missae sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere qui eiusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

De diebus quibus parochi Missam applicare pro populo debent.

Nos igitur de spirituali universi Dominici gregis Nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes, ex huiusmodi praetermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum praesertim noscamus, hanc Apostolicam Sedem docuisse parochos diebus festis etiam reductis debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices Decessores Nostri enixis Sacrorum Antistitum petitionibus, ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis, et gravibus rerum temporum ac locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Praedecessores Nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in Ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur quo antea peragi solebant, cum enunciata Urbani VIII Constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti.

(1) Concil. Trid. Sess. 23, cap. 1 De Reformat.
(2) Bened. XIV Litt. Encycl. « Cum semper oblatas » Die 19 Augusti 1744.
(3) Urban. VIII Constit. « Universa per orbem » Idib. Septembr. 1642.

Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes Pontificia Rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam, ut haec Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de huiusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas praesertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei Propagandae, sive Sacrorum Rituum, sive etiam per Sacram Poenitentiariam saepissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati.

Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Tridentinis Decretis tuendis, interpretandisque praepositae, hanc Vobis, Venerabiles Fratres, Encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo diligenterque observandam. Quamobrem hisce Litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

Nunc vero paterni animi Nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus Auctoritate Nostra Apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, indultum ab hac Apostolica Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi huiusce indulti beneficio perfrui pergant iuxta tamen conditiones in indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt at administrant. Dum autem haec statuimus, et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut parochi maiore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere glorientur serio considerantes uberrimam caelestium praesertim munerum ac bonorum copiam, quae ex hac incruenti divinique Sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curae commissam abunde redundat. Cum vero Nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua huius obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congregationem unice esse adeundam ad huiusmodi obtinenda indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a Nostra Congregatione Fidei propagandae praeposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

De indultis circa applicationem Missae pro populo.

Nihil plane dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum dioecesium parochis, nulla interposita mora, sedulo manifestare velitis quae in hisce Nostris Litteris de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missae sacrificium suprema Nostra auctoritate confirmamus, ac denuo constituimus, volumus, praecipimus, et mandamus. Ac persuasissimum quoque Nobis est, Vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant, ac studiose observent quae a Nobis in hisce Litteris statuta atque sancita sunt. Optamus autem ut harum Litterarum exemplar in tabulario episcopalis cuiusque vestrum curiae perpetuo asservetur.

Adhortatio.

Cum autem, Venerabiles Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missae sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam parochos praesertim, aliosque divini verbi praecones et eos quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari, ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis Sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant, explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem Sacrificio ea qua par est fide, religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis, omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum dioecesium sacerdotes ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitae innocentia, sanctitate emineant, quae illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam sanctum, tamque tremendum perficere Sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio me-

ditantes ministerium quod acceperunt in Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis, ac caelestis potestatis qua praediti sunt, virtutum omnium splendore, ac salutaris doctrinae laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum, divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Iesu in suo corpore semper circumferentes puris manibus, et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute. Denique *etc.*

1161

Circa vota simplicia solemnibus praemittenda.

S. C. super statu Regul. *12 Iunii 1858.* — SSmus D. N. Pius PP. IX attentis precibus Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum S. Dominici, haec, quae sequuntur, circa naturam et qualitatem votorum simplicium, in encyclicis literis huius S. Congregationis *super statu Regularium* die 19 Martii 1857 praescriptorum, et circa obligationes ac privilegia illorum qui ea emittent, pro eodem Ordine Praedicatorum decernenda statuit, prout praesentis Decreti tenore Apostolica auctoritate decernit atque constituit (1).

1. Vota simplicia, de quibus agitur, perpetua erunt ex parte voventis, utpote quae tendunt ad emittenda deinde vota solemnia, in quibus perfectionem et complementum accipient.

2. Eorumdem votorum simplicium dispensatio reservata est Romano Pontifici, cui professi gravibus urgentibus causis preces porrigere poterunt.

3. Verum eadem simplicia vota solvi etiam possunt ex parte Ordinis in actu dimissionis professorum, ita ut data dimissione professi, ab omni dictorum votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.

4. Facultas autem dimittendi professos votorum simplicium, de quibus agitur, spectat ad Magistrum Generalem Ordinis cum suo generali Consilio. Idem Magister Generalis cum suo generali Consilio poterit in casibus extraordinariis, et praesertim pro regionibus et locis longinquis, ad dimissionem decernendam subdelegare probos et prudentes religiosos, qui saltem tres esse debent.

5. Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit.

6. Professi dictorum votorum simplicium participes erunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in memorato Ordine legitime utuntur, fruuntur, et gaudent.

7. Superiores Regulares, ad quos spectat, concedere poterunt huiusmodi professis litteras dimissorias dumtaxat ad primam Tonsuram, et ad Ordines minores, servatis tamen de iure servandis, et praesertim quae circa Ordinationes Regularium ab Apostolica Sede praescripta sunt.

8. Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum simplicium computentur; et professi votorum simplicium suffragium habeant in actis Capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi.

9. Professi votorum simplicium dominium *radicale,* uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et reddituum erogatio atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, usumfructum, et usum quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint.

10. Professi votorum simplicium remanere debent in domibus professorii et studiorum, et vitam communem perfectam observare.

11. Ad valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiritur professio expressa, et ideo professio tacita omnino abrogata est.

Haec Sanctitas Sua statuit atque constituit contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis non obstantibus, quibus Apostolica auctoritate derogat, ac derogatum esse declarat.

1162

Casus neophyti qui puellam christianam in uxorem duxit, nil dicens de matrimonio in gentilitate contracto.

S. C. S. Off. *20 Iunii 1858.* — PONDICHER. — Unus gentilis non coniugatus, propter annonae deficientiam suum pagum relinquens, alterius provinciae pagum circiter 30 leucis distantem petiit, inibique iuxta morem suae tribus cum puella gentili undecim aut duodecim annos nata matrimonium contraxit. At, licet dicta puella apud maritum maneret, priusquam illa fuerit iuxta regionis existimationem nubilis, supradictus gentilis, propter causam nobis ignotam, suam uxorem coram magnatibus tribus

(1) Quae sequuntur declarationes extensae fuerunt ad alios Ordines qui eas expostularunt, sed pro Ordinibus Fratrum Minorum in art. 9 sublata sunt verba « *ac etiam suo Ordini* », si ita pro eorum libito existimaverint, et subrogata sunt alia verba, nempe « *non tamen suo Ordini* ».

dimisit, suum natalem pagum repetiit, et post reditum suum in pago vicino, commercium vitae habens cum christianis, Baptismum recepit, de matrimonio supra relato nihil dicens. Anno post Baptismi receptionem secundo, ille cum puella christiana matrimonium contraxit, sed nihil dixit de matrimonio in gentilitate contracto, neque interpellationem fecit. Iamiam tres liberos nunc habet ex muliere christiana. Anno autem praeterito puella, quam ipse in matrimonium duxit quando erat gentilis, Baptismum recepit et nunc cum christiano vult nubere. Sed missionarius, in investigatione quam ante matrimonium fecit, primum coniugium in gentilitate ab ea, ut supra, contractum fuisse detegit, et ex eis quae sive ex investigatione memorata dicta fuerunt, sive ex inquisitione facta apud neophyti parentes, ad nostram notitiam pervenit agendi ratio illius supra memorata ; nihil vero ei diximus de validitate aut invaliditate secundi matrimonii ut illius bona fides non tollatur. Interea permissio nubendi puellae recenter baptizatae denegata fuit usquedum responsum habeamus. Cum res ita sint, quaero: 1. Quid sentiendum est de matrimonio dicti hominis cum puella christiana absque interpellatione et dispensatione contracto, et quid nunc agendum? — 2. Quid faciendum ut puella recenter baptizata licite et valide cum homine christiano alio contrahere possit?

R. Ex deductis subsistere primum matrimonium ; ideoque R. P. D. Vicarius Ap. orator curet, prudentiori modo quo fieri potest, partes ad se vocare ad deducenda sua iura et, si nihil in contrarium repererit, redire obliget ad primum coniugium. — Insuper idem Vicarius Ap. suos missionarios hortetur ut opportune instruantur sive cathecumeni, sive neophyti, de obligatione quam habent interpellandi coniugem in infidelitate relictum, antequam ad alia vota transeant, neque ad illa ineunda admittantur nisi propriam libertatem prius comprobaverint.

1163

De quodam contractu emptionis et venditionis.

S. C. S. Officii *3 Aug. 1858* — HONAN — Contractus honanensis sic instituitur. Petrus indigens pecunia adhibet mediatores ut agrum suum vel domum consignet et tradat Paulo in usum et etiam dominium aequivalenter translatum, mediante pretio summae sufficientis, factis et scriptis conditionibus quod post tres annos, ut ordinarie scribitur, Petrus habiturus sit facultatem recuperandi agrum suum vel domum, si velit ; quod si, illo trium annorum spatio transacto, non repraesentet sapecas in pretium receptas, ut verbis sinicis utar, Paulus semper et pro semper retineat usquedum sapecae venerint. Aliquando contractus ille aliis verbis sed eodem sensu conscribitur; sed quomodocumque scribatur, idem est in praxi, propter legem et consuetudinem sine exceptione. *Notandum,* ut scribit Ligorius, *quando agitur de talibus contractibus, non curandum esse de nomine, sed de illorum natura;* parvi ergo refert quod contractus noster forte a quodam *oppignerationis* vocatus fuerit propter Synodum Sutchuen provinciae, probe enim inspecta eius natura, rationem census et venditionis cum pacto redimendi evidenter habet. Duo enim puncta capitalia et essentiam eius constituentia mihi certissime existere constat, sive vi et tenore contractus, sive ex lege, consuetudine, et praxi uniformi, conscientiaque publica.

Punctum primum. — Ager vel domus ita transit in manus, dicamque, dominium aequivalens dominio quod acquiritur vi contractus et venditionis cum pacto reemendi, ut omnia pericula et onera rei in se sumat. Paulus enim debebit postea solvere tributa tam ordinaria quam extraordinaria, repartitiones necessarias facere iuxta conditiones iustas et consuetudine determinatas, et, si ager vel domus pereunt sive alluvione, sive inundationibus, terrae motibus, vel incendiis tam frequentibus, aut occupentur ab inimicis, ut nunc quotidie fit a rebellibus, tunc pereunt pro Paulo, qui suam pecuniam nullo modo recuperare potest. Hoc est tam clarum atque certum ut, dato casu, sinenses nec cogitant quidem de pecunia repetenda, nec possent quidem legaliter coram tribunali. — De contractu hoc honanensi dicendum omnino restat quod Beatus Ligorius scribit in sua Theologia, lib. 3, tract. V, n. 843 *De contractibus:* « *Gratis autem asseritur hoc esse mutuum virtuale, cum hic contractus omnino differat a mutuo. In mutuo enim, si perit res oppignerata, mutuatario perit; hic autem, si perit res censuata, censitori perit* ». Et auctor hic remittit ad num. 813, ubi agitur de venditione cum pacto retrovendendi.

Secundum punctum. — Cum ille contractus sit in favorem Petri vel venditoris, sequitur, et est, summam seu pretium receptum a Paulo censeri et revera esse alienatam, ita ut nunquam repeti possit ab ipso, neque ad hoc illi datur actio in tribunalibus. Unde fit ut multae familiae tales possideant terras a 60, 100, 200 etc. annis quas aliquando postea prae paupertate, ut sibi parent ad manducandum, aliis cedere cogantur pro medietate tantum pretii primitivi ab ipsis dati : quod quidem non sic facerent, si possent cogere Petrum ipsum pecuniae duplo maioris receptorem ad restituendum, sicut fit in mutuo. Interim Petrus, dives effectus, ad libitum censurat vel emit alias terras fertiliores, primis derelictis, ad quas recuperandas equidem ius habet, sed non voluntatem. Unde iterum de isto nostro contractu scripta fuerunt verba ista B. Ligorii, lib. 3, tract. V, n. 840 *De contractibus:* « *Nec*

valet dicere huiusmodi contractum esse quoddam mutuum virtuale, nam in mutuo cogitur mutuatarius reddere eamdem sortem, sed in censu (tang) *capitale fit demortuum et tantum reddi potest ad arbitrium venditoris* ». Uno verbo, quidquid B. Ligorius ipse, et Bouvier, et alii theologi dicunt de contractu venditionis cum pacto reemendi, et de censu, verum omnino est de nostro contractu.

Quod autem in provincia Sutchuen, unde casus fuit expositus S. C., contractus, de quo agitur in Synodo et Theologia D. Perocheau, non istituatur eodem modo quo in Honan, rationes dubitandi sunt: 1. Quod contractus ille ut simplex mutuum usurarium vel antichresis praesentetur, noster autem omnino rationem habet census et venditionis cum pacto reemendi. 2. Quod antea alio modo iudicabatur ab aliis missionariis in illa provincia, ut scitur ex verbis Synodi, in qua asseritur Episcopum Agathopolitanum contra praxim antiquam primum fuisse qui hanc ut vetustatem erroris considerans, usurarium esse pronuntiavit contractum Sutchuen. 3. Quod ex expositione illius contractus, ut instituitur in theologia Perocheau, *De contractibus,* satis clarum apparet omnino differre a contractu in provincia Honan usitato. Sic enim exponit: *Oppigneratio, ut apud Sinas obtinet, est contractus quo quis fundum vel domum alterius in pignus accipit, tradita domino pecuniae summa maiori vel minori fundi vel domus utilitate, sub ea conditione ut, expleto oppignerationis tempore, rei dominus restituat mutuatori integram pecuniam quam ab eo accepit, mutuator vero reddat rem oppigneratam sibique retineat fundi fructus integros quos durante contractu percepit, etiamsi valor superet industriam et expensas quas pertulit in excolendo fundo.* His supponitur, expleto oppignerationis tempore, dominum rei restituere debere mutuatori integram summam; sed quid intelligitur per illa verba *expleto oppignerationis tempore?* Agiturne de illo spatio usitato trium annorum, ut superius diximus, antequam Petrus possit recuperare fundum suum vel domum? Supponiturne hic Paulum, post illud spatium determinatum, posse repetere suam pecuniam sicut in mutuo? Atqui hoc certe falsum esset, nam conditio illa non est nisi in favorem Petri, qui tunc potest recuperare, vel reemere rem suam; sed Paulus nec tunc nec in perpetuum poterit repetere summam suam, nisi quando placuerit Petro, et interim nullum aliud ius habet, nisi patienter expectandi beneplacitum Petri vel haeredum eius. Quod si in expositione Theologiae D. Perocheau dicatur interim sustinere omnia onera et solvere tributa esse adhuc partem officii Petri, dum alter habet solum commoda, falsum hoc est in nostro contractu Honan; onera publica vel tributa non remanent pro Petro, nam illa omnia sustinet Paulus, et solvit tributa tam ordinaria quam extraordinaria.

R. Contractum emptionis et venditionis, prout exponitur, esse licitum, dummodo inter datum et acceptum servetur aequitas iuxta regulas a doctoribus traditas. Praeterea ipsi Vicario Ap. Honanensi iniungatur, ut, data occasione, condoceat fideles S. Sedem olim prohibuisse seu illicitum declarasse contractum *oppignerationis* nuncupatum, primitus a Vicario Ap. anno 1779 expositum (et huiusmodi prohibitionem a Patribus Synodi Sutchuen in eorum Synodum relatam fuisse), prout eidem S. Sedi exhibitus fuerat, qui in circumstantiis substantialibus erat omnino diversus.

1164

Circa ea ad quae tenentur regulares professi votorum simplicium.

S. C. super statu Regul. *6 Aug. 1858* — 1. An Professi votorum simplicium, quae professioni votorum solemnium iuxta litteras encyclicas diei 19 Martii 1857 praemitti debent, teneantur ad officium divinum?

2. An teneantur ad observantiam Regulae Ordinis prout solemniter Professi?

SSmus in audientia habita ab infrascripto Secretario S. Congreg. super statu Regularium die 6 Augusti 1858 respondendum mandavit, nempe: — Ad 1. Non teneri ad privata mrecitationem divini Officii: debere tamen choro interesse ut solemniter Professi. — Ad 2. Affirmative, firma declaratione iam data quoad votum paupertatis.

1165

De commemoratione Summi Pontificis in Missa.

S. R. C. *14 Aug. 1858* — Granaten. — Utrum in toto Orbe catholico sit praeceptiva commemoratio pro Summo Pontifice regnante in omnibus Missis cantatis et lectis in die anniversaria tam creationis quam coronationis eiusdem. — R. Affirmative.

1166

De diacono sacrum Viaticum ad infirmos deferente.

S. R. C. *14 Aug. 1858* — Tunk. Occident. — 1. Diaconus, qui ex mandato sui Vicarii Apostolici defert sacrum Viaticum infirmis, potest ne facere aspersionem aquae benedictae, dicere: *Misereatur etc. Indulgentiam etc.,* signare infirmum vel semetipsum, dicere: *Dominus vobiscum* cum oratione, et benedicere cum Sanctissimo Sacramento infirmum et assistentes?

De diacono exequias peragente.

2. Si idem Diaconus ex pari mandato precans pro defuncto dicat Vesperas aut Laudes vel preces exequiarum in Rituali, debebit ne eas cantare? Debebit ne legere *Non intres,* cantare *Libera,* et circumiens feretrum poterit ne corpus aspergere aqua benedicta et incensare, ac benedicere sepulcrum et dicere alias preces, exceptis excipiendis, iuxta Rituales praesertim si faciat has privatim in domibus privatis?

De additionibus in Litaniis.

3. In Litaniis omnium Sanctorum post versum: *Sancte Raphael,* si addatur distincta invocatio novem Chorum Angelorum vel invocatio unius vel plurium Sanctorum pro devotione cuiuscumque, amittuntur ne omnes Indulgentiae a Summis Pontificibus concessae in recitando Litanias? Si respondeatur affirmative, Episcopus orator implorat ab eadem S. Sede, ut easdem Indulgentias sibi iterum concedere dignetur.

R. Ad 1. Deficiente presbytero, et Vicarii Apostolici concurrente licentia, Affirmative in omnibus.

Ad 2. Ut ad primum.

Ad 3. Observanda decreta, quae omnem vetant in Litaniis additionem.

1167

Circa benedictionem nuptialem.

S. R. C. *14 Aug. 1858.* – Montis Albani. – 1. An possit sacerdos, quum matrimonia extra Missam celebrantur, sicut in ecclesiis civitatum Montis Albani dioecesis frequenter evenit, sponsis benedictionem impertiri, et orationes recitare quae in Missali in Missa pro sponso et sponsa habentur, quaeque dicendae sunt tum post *Pater noster,* tum ante *Placeat,* quando non agitur de nuptiis, in quibus est deneganda supradicta benedictio. Et, quatenus affirmative, an teneatur.

2. Licetne Missam pro sponso et sponsa et benedictionem ad diem proxime sequentem vel in aliam multo remotiorem differre, etsi coniuges ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent?

3. Utrum prohibitio nuptiarum tempore Adventus et Quadragesimae intelligi tantum debeat de Missa pro sponsis, ac de precibus pro nubentium benedictione in Missali positis; an ipsum etiam attingat matrimonium, quod cum solis celebratur caeremoniis, et precibus quae in Rituali reperiuntur.

4. An facta per Episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a S. Concilio Tridentino vetitis, censeatur etiam permissa benedictio coniugum per preces et orationes in Missa pro sponsis contentas. Et quatenus negative, an possit Episcopus in casu eam facultatem concedere.

R. Ad 1. Negative in omnibus.

Ad 2. Negative in casu.

Ad 3. Affirmative ad primam partem; negative ad secundam, dummodo accedat Episcopi venia.

Ad 4. Negative in omnibus.

1168

Circa facultatem dispensandi cum polygamis conversis.

S. C. S. Officii *15 Sept. 1858* — Kuitceu — S. Sedes R. D. Vicario Ap. huius Missionis Kouytcheou in Sinis facultatem concessit dispensandi cum gentilibus plures uxores habentibus, ut, post conversionem et baptismum, quam maluerint, si ipsa etiam fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti. Si vero nulla ex his uxoribus christiana fieri velit, aut pacifice sine Creatoris contumelia cohabitare, Vicarius Ap. potestne, virtute privilegii ordinarii dispensandi ab imparitate cultus, huic neophyto concedere ut, omnibus uxoribus relictis, aliam paganam ducat? An requiritur S. Sedis specialis facultas ut haec dispensatio concedi valeat? Quia vero in hac Missione Kuytceu plures huiusmodi dispensationes sine speciali facultate concessae fuerunt, praedictus Provicarius oraculum S. V. requirit, humiliter petens (si vere requiritur specialis facultas): 1. Ut S. V. revalidare et in radice sanare dignetur omnia huiusmodi matrimonia invalida dispensatione iam contracta. — 2. Ut Sanctitati Vestrae placeat hanc specialem facultatem dispensandi cum gentilibus plures uxores habentibus quarum nulla christiana fieri velit aut pacifice cohabitare, ut post baptismum, omnibus uxoribus relictis, aliam paganam ducant, ad quindennium benigne concedere.

R. Vicarium Ap. non potuisse dispensare ab impedimento disparitatis cultus: sed quoad matrimonia iam contracta sileat, et coniuges relinquantur in bona fide. In reliquis, recurrat in casibus particularibus.

1169

De mixtis coniugiis.

Instr. Secret. Stat. iussu Pii PP. IX *15 Nov. 1858* (ad omnes episcopos) — Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, . . . tamen idem Summus Pontifex de universi Dominici gregis salute, sibi divinitus commissa, vel maxime sollicitus, pro Apostolici ministerii sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut sanctissima catholicae Ecclesiae de hisce coniugiis documenta integra, et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa catholica Ecclesia de huiusmodi catholicos inter et acatholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum sanctiones, de quibus immortalis memoriae Benedictus XIV loquitur in suis Encyclicis Litteris ad Poloniae Regni Epi-

De cautionibus necessariis et opportunis in mixtis nuptiis.

scopos, atque in celeberrimo opere, quod *de Synodo Dioecesana* inscribitur. Hinc porro evenit ut haec Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super huiusmodi mixtae religionis impedimento, si de canonum severitate aliquid remittens, mixta haec coniugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis, opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum: verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti, seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali, ac divina lege fundentur, quam Ecclesia, et haec Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis, se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis huiusmodi dispensationibus, praeter enunciatas cautiones, quae praemitti semper debent, et super quibus dispensari ullo modo nunquam potest, adiectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta coniugia extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum Canonum, qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere, ac deterrere ab iisdem mixtis coniugiis in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis.

Iam vero quod attinet ad praedictas conditiones, de his nempe mixtis nuptiis extra Ecclesiam, et sine parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum rescriptis clare aperteque fuerint enunciatae, in aliis vero permultis rescriptis haud explicite expressae, quamvis iisdem rescriptis implicite continerentur, idcirco Sanctissimus Dominus Noster, pro summa ac singulari sua prudentia, hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac iussit in posterum, unam eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas haec Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtae religionis impedimento concedere solet. Itaque, rebus omnibus maturo examine perpensis, temporumque ratione habita, et iis consideratis, quae a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius rescripti, quo etiamsi conditione praedicta de mixtis hisce coniugiis extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque mandat, ut cum ipsi in posterum huius rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura, studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus locis sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a coniuge catholico, de conversione acatholici coniugis ab ipso coniuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicae religionis omnino educanda, iudicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra Ecclesiam, et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum, ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem sacrorum Antistites huiusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio et conscientiae omnino commissam, maiori, quo fieri potest, silentio ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint exequuti illa similium dispensationum rescripta, quae ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse iussit, eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exequendis rescriptis.

De observandis in celebratione mixtarum nuptiarum.

Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes sacrorum Antistites ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo catholicos sibi concreditos a mixtis hisce coniugiis avertere, eosque accurate edo-

cere catholicae Ecclesiae doctrinam, legesque ad eadem coniugia pertinentes, atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos sacrorum Antistites prae oculis semper habituros Litteras et Instructiones, quae a suis felicis recordationis Praedecessoribus, ac praesertim a Pio VI (1), Pio VII (2), Pio VIII (3), et Gregorio XVI (4) de hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures catholici Orbis Episcopos scriptae fuerunt.

Haec Amplitudini Tuae erant significanda iussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX, cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut catholicae Ecclesiae doctrina, ac disciplina ubique illibata custodiatur ac servetur.

1170

Circa superstitiosam tormentorum bellicorum explosionem.

S. C. S. Off. *3 Febr. 1859* — CAMBODIAE. — In Cambodia officium est christianorum tormenta bellica explodere, sive in bello, sive in caeremoniis civilibus, et arma deferre in aliis solemnitatibus a rege assignatis. Porro in regia quotannis fit caeremonia superstitiosa quam vocant *Penharac,* id est expulsio diaboli, et christiani iubentur ad statutas horas per totam noctem tormenta bellica explodere ad expellendum diabolum. In hac circumstantia quidam infideles vestibus ridiculis induti, et indumentis subsistentes ipsos diabolos repraesentant, et ad fragorem tormentorum pavorem fingentes huc illuc discurrunt et tremebundi aufugiunt. Porro, anno praecedenti, christiani accersiti a rege ut praedicto officio fungerentur, a missionario aversi sunt ne huius caeremoniae participes fierent; quo audito, rex inflammatus adstantibus dixit: Ergo nunc sunt duo reges in Cambodia, missionarius et ego? Istis verbis timore perculsi, dicti fideles ad regiam se contulerunt ad tormenta explodenda ne verberibus caederentur. — Quaeritur utrum in tali casu christiani possint dicto regis obtemperare, et tormenta explodere, saltem praemissa protestatione quod talem caeremoniam habeant ut vanam, ridiculam et omnino inefficacem ad depellendum diabolum.

R. (*V. n. 1144 p. 610:* Ad primum dubium).

1171

Circa SSmae Eucharistiae delationem.

Litt. encycl. S. C. de Prop. F. *25 Februarii 1859.* — Etsi sancta omnia sancte tractanda sint, propterea quod ad Deum pertineant qui essentialiter sanctus est, attamen augustissimum Eucharistiae Sacramentum, sicut sacris mysteriis omnibus absque ulla comparatione sanctitate praeeminet, ita maxima prae caeteris veneratione est pertractandum; nil itaque mirum, si tot Ecclesia diversis temporibus ediderit decreta, quibus SS. Eucharistiae delatio, pro adiunctorum varietate, vel denegaretur omnino, vel ea qua par esset reverentia admitteretur *(Vide quae in rem proferuntur ad calcem huius Instruct.),* cum nihil antiquius fuerit Ecclesiae Dei quam ut animarum profectum atque aedificationem debito cum honore divinorum omnium divinissimi mysterii consociaret. Haec porro prae oculis habens Sacrum hoc Consilium Christiano Nomini Propagando, cum primum intellexit, in quibusdam.... dioecesibus, consuetudinem seu potius abusum invaluisse, ut sacerdotes SS. Sacramentum a mane usque ad vesperam secum deferrent, ea tantum de causa quod in aliquem forte aegrotum incidere possent, ad Metropolitanos censuit scribendum, tum ut consuetudinem illam ab Ecclesiae praxi omnino abhorrere declararet, tum etiam ut eius extensionem accuratius deprehenderet. Responsa Archiepiscoporum brevi ad Sacram Congr. pervenerunt, ex quibus innotuit, multis in locis de abusu illo gravem admirationem exortam esse, cum aliqua in dioecesi ne credibilis quidem videretur. Verum non defuerunt Antistites qui illius existentiam eiusque causas ingenue confessi sunt. Quare Emis Patribus Sacri huius Consilii, in generalibus comitiis die 23 Septembris elapsi anni habitis, omnia quae ad hanc rem referebantur exhibita sunt perpendenda, ut quid SS. Sacramenti debitus honor ac veneratio postularent, in Domino decerneretur. Omnibus igitur maturo examini subiectis, statuerunt Eminentissimi PP. Litteras encyclicas ad Archiepiscopos atque Episcopos..... dandas esse, quibus constans Ecclesiae rigor circa Eucharistiae delationem commemoratur. Voluit insuper S. C. ut sacrorum Antistites excitarentur, quemadmodum praesentium tenore excitantur, ad communem Ecclesiae disciplinam hac in re custodiendam, quantum temporis ac locorum adiuncta, necnon inductarum consuetudinum ratio patiantur, ita tamen ut sedulam navent operam ad veros abusus corrigendos atque eliminandos. Quam quidem in rem censuerunt Patres Emi apprime conferre frequentem celebrationem Sacrificii Missae, qua videlicet sacerdotes facile necessitati occurrere possunt SS. Eucharistiam secum per multos dies retinendi. Quae cum ita sint, hortor A. T.

---

(1) Epist. ad Archiep. Mechliniensem, Episcoposque Belgii: *Exequendo nunc* die 13 Iulii 1782.

(2) Epist. ad Archiep. Moguntinum *Etsi fraternitatis Tuae* die 8 Oct. 1803.

(3) Epist. ad Archiep. Coloniensem, et Episcopos Treviren., Monasterien. et Paderbonen.: *Litteris altero abhinc anno* die 25 Martii 1830. — Instructio ad eosdem Archiep. et Episc. die 27 Martii 1830. *(V. n. 811).*

(4) Epist. ad Archiepiscopos et Episc. Bavariae: *Summo iugiter studio* die 27 Maii 1832. — Instructio ad eosdem die 12 Septembris 1834.

Epist. ad Archiep., et Episc. Hungariae: *Quas vero* die 30 Aprilis 1841. — Instructio die 30 Apr. 1841. — Instructio ad Archiep. et Episc. Austriacae Ditionis in foederatis Germaniae partibus die 22 Maii 1841.

ut in eum finem rurales aediculas multiplicandas cures, atque talia edas decreta ex quibus delatio SS. Sacramenti ad urgentes tantum causas, atque ad actuale ministerii sacerdotalis exercitium coarctetur, iniuncta vero presbyteris stricta obligatione semper in hisce casibus Sanctam Hostiam super pectus deferendi. Denique decreverunt EE. PP., ut de negotio isto gravissimo in provincialibus Conciliis agatur, quo nimirum Episcopi eam in suis dioecesibus communem normam inducere satagant, quam augustissimum Eucharistiae mysterium decere existimaverint. Tandem A. Tuae significare non praetermitto omnia et singula quae superius decreta sunt, SS. D. N. Pio PP. IX... relata fuisse in audientia diei 3 Octobris elapsi anni, atque Apostolica auctoritate confirmata.

Notanda : Ex dubiis propositis pro Christianis sinensibus. — Ad propositum dubium : *An sacerdotibus sinensibus liceat in itineribus quae longissima sunt secum deferre Eucharistiam, ne ea priventur?* Responderunt *Non licere* qualificatores S. O. die 27 Martii 1665 ; et Emi approbarunt die 15 Aprilis 1665.

2. Pro gubernatoribus navium Lusitaniae, qui singulis annis in Indias orientales navigant, petentibus licentiam deferendi Sacramentum Eucharistiae, ne nautae et rectores sine Viatico decedant, lecto memoriali, et auditis votis, SSmus supradictam petitionem omnino reiecit, ita quod nec in posterum ullo modo de ea tractetur. — S. C. S. O., die 13 Iulii 1660.

3. Bened. XIV in Const. *Inter omnigenas* pro incolis regni Serviae et finitarum regionum : *At ubi* (sicuti ibidem legitur) *turcarum vis praevalet et iniquitas, sacerdos stolam semper habeat coopertam vestibus ; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat, et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur.*

4. Honorius III. in cap. *Sane, De celebratione Miss.*, expresse habet de delatione Eucharistiae, quod si *in partibus infidelium, ob necessitatem S. Viatici, permittitur, tamen extra necessitatem permittenda non est, cum hodie ecclesiastica lege absolute prohibitum sit ut occulte deferatur. Occulte deferre in itinere, nequit moraliter fieri absque irreverentia tanti Sacramenti.*

5. Verricelli *De apostolicis Missionibus*, tit. 8, p. 136, expendit *an liceat in novo Orbe missionariis S. Eucharistiam collo appensam secum in itinere occulte deferre*, etc.; et, quidquid sit de veteri disciplina, concludit : *Hodie, universalis Ecclesiae consuetudine et plurimorum Conciliorum decretis, prohibitum est deferre occulte SS. Eucharistiam in itinere nisi pro communicando infirmo, ubi esset timor et periculum infidelium, et dummodo ad infirmum non sit nimis longum iter, sed modicum et unius diei.*

6. Thomas a Iesu *De procur. salut. omnium gentium*, lib. 7 : *Non auderem Evangelii ministros qui in illis regionibus aut aliis infidelium provinciis conversantur, si, imminente mortis periculo, secum Viaticum, occulte tamen, deferrent, condemnare.*

1172

S. R. C. *6 Martii 1859* — Pekin. Sept. — 1. In missionibus aut in exercitiis spiritualibus, vel in diebus primae Communionis aut Communionis generalis, vel numerosae, expeditne conservare usum quorumdam missionariorum, tum intra Missam immediate ante Communionem, vel immediate post, praedicandi circa receptionem Panis Eucharistici et gratiarum actionis illius receptionis? De usu praedicandi in Missa immediate ante vel post fidelium Communionem.

2. In Missa sine cantu v. g. diebus festivis aut dominicis, aut quotidie in Missa communi alumnorum, mos invaluit habere duos ministros sive clericos cum superpelliceo, sive laicos cum veste decenti. Rectusne est ille mos vel eliminandus? De duobus ministris in Missa sine cantu.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Servandum decretum in Molinen. diei 12 Sept. 1857 ad dub. vii. — *En decretum :* « Utrum tolerandus sit ut mos non geratur decretis S. Congregationis duos ministros in « Missa lecta prohibentibus, eo sub praetextu « quod hi ministri non introducantur ratione « dignitatis celebrantis, sed ratione celebritatis « aut frequentioris assistentiae, ex gr. si Missa « sit parochialis aut alicuius communitatis. — « R. Servanda esse quidem decreta quoad Missas « scricte privatas; sed quoad Missas parochiales vel similes diebus solemnioribus, et quoad « Missas quae celebrantur loco solemnis atque « cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis, tolerari posse duos « ministros Missae inservientes, servatis ordinationibus S. Congregationis in una Tuden. diei « 7 Septembris 1816 ad dubia xi et xii (1).

1173

S. C. S. Officii *30 Martii 1859* — Vienn. — Utrum acatholici ratione vinculi consanguinitatis, seu matrimonii, inferri licite possint in sepulchro gentilitio familiarum catholicarum. De humandis acatholicis in sepulchris catholicorum.

(1) Propositis dubiis : « 5. An in Missis privatis permitti possit ministro aperire Missale et invenire Missam? », et 6. « An in iisdem Missis privatis permitti possit ministro, si fuerit sacerdos, diaconus, vel subdiaconus, ut praeparet Calicem, et ipsum extergat in fine post ablutionem, sicut in Missa solemni? » S. C. respondit : Ad 5 « Negative; et serventur rubricae ». — Ad 6. « Ut ad proximum (*anteced.*) ».

R. Curent Episcopi totis viribus ut cuncta fiant ad normam sacrorum canonum ; quatenus vero absque scandalo et periculo id obtineri non possit, tolerari posse (1).

1174

Qui intelligantur nomine *haeretici* in Declaratione Benedicti XIV. circa matrimonia in Hollandia.

Litt. S. C. S. Off. *6 April. 1859.* (AD EP. HARLEMEN). — Primum dubium circa matrimonia mixta volvebatur, nimirum an pro intelligentia celebris Declarationis Benedicti XIV pro Hollandia comprehendi possint sub nomine *haeretici* quinque sequentes classes : 1. Illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali, in haeresi educantur, ac haeresim profitentur ; — 2. Qui non tam in haeresi, quam ab haereticis educantur, nulla scilicet, vel vix nulla haereticae doctrinae instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato ; — 3. Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes, haereticae sectae adiunguntur ; — 4. Apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes ; — 5. Qui nati et baptizati ab haereticis, adoleverunt quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis. — Igitur quid sentiendum sciscitatur Episcopus de istorum matrimoniis cum parte catholica initis. Addit vero illic praxim vigere partem catholicam non inquietandi. — S. Congregatio respondit : ad effectum matrimonii supranominatos comprehendi in laudata Benedicti XIV Declaratione, adeoque acquiescere debet, uti iam se fecisse affirmat ipsemet Episcopus.

An baptizati ab haereticis sint sub conditione baptizandi.

Secundum dubium de haereticorum baptismate cietur : 1. An baptizati ab haereticis promiscue sint sub conditione baptizandi ; — 2. An saltem illi quos non constat in particulari valide baptizatos fuisse. — Ad utrumque ac alia similia fit satis per resolutionem S. Congregationis Concilii, cui obsequendum esse probat Bened. XIV (*De Synod. lib. VI* c. 6. n. 7.) : — *Die 29 Martii 1683. An et in quibus casibus baptizati ab haereticis debeant sub conditione rebaptizari si ad fidem catholicam converturtur.* Respondit : *non esse rebaptizandos nisi adsit dubium invaliditatis baptismi.* Itaque luculenter patet non praeceps, nec temere baptismum iterandum esse, sed in singulis casibus diligenter instituto examine a testibus fide dignis si repertum fuerit eo loci valide baptizari consuevisse, acquiescendum erit ; si vero adhuc probabile dubitandi motivum supererit, tunc conversus rebaptizabitur sub conditione. Ast huius negotii iudicium cuinam committendum ? Ad hoc quod tertio loco proponebatur dicendum est : posse Episcopum, regulariter loquendo, in casibus ubi non urgeat necessitas, et alias iure non definitis, sibi reservare tale iudicium ; quin imo quandoque, ob graviores difficultates, ad S. Sedem tum in quaestionibus de Baptismo, cum in quolibet alio catholicae doctrinae themate recurrendum esse iura ipsa decernunt.

De baptismo infantibus ab obstetricibus aliisque conlato.

Tertium quaesitum de baptismo infantium cietur, domi ab obstetricibus aliisque conlato. Quoad hoc plura verba congerere supervacaneum foret cum a Summo Pont. Bened. XIV copiosam solidamque pro more eruditionem regulamque practicam expositam reperire poterit A. Tua *De Synod. lib. VII. cap. 6 et Instit. 8 ac 84.*

De benedictione nuptiali post contractum matrimonium mixtum, si pars acatholica ad fidem convertatur.

Demum ex pastorali sollicitudine A. T. inquirit : « Utrum concedi possit benedictio nu« ptialis privatim extra Missam, et praesertim « annuli, quando post contractum matrimo« nium pars acatholica ad fidem convertitur, « et utrique contrahentium gratissimum foret « benedictionem accipere ». S. C. respondit : « Facta declaratione super validitate matrimo« nii, iuxta decretum superius allatum (2), re« mittitur arbitrio Episcopi, et, si fieri potest, be« nedictio illa detur in Missa ». Ex quibus probe colligitur hanc benedictionem unice in favorem fidei pietatisque impertiendam esse, minime ex necessitate aut ex praecepto. Immo declaratio de validitate matrimonii praemittitur ne scandali, aut dissidii, aut dubii exoriatur occasio. Quapropter prudentiae Episcopi committitur ut, pensitatis rerum adiunctis, hac facultate utatur, prout magis ad bonum gregis christiani ordinari in Domino iudicaverit.

1175

De interpellatione coniugis infidelis facienda post baptismum.

S. C. S. Off. *13 April. 1859.* — TCHELY ORIENT. — Interpellationem faciendam esse post baptismum ; et in casibus difficilioribus recurrat (Vic. Ap.) ad S. Sedem cum omnibus facti circumstantiis.

1176

De communicatione in divinis cum haereticis.

Instr. S. C. S. Off. *22 Iunii 1859.* — Communicatio cum haereticis esse potest vel in reproba doctrina vel in ritibus aliisve signis

---

(1) Eadem S. C. S. Officii die 4 Ianuarii 1888 declaravit nonnisi iuxta huiusmodi responsionem esse intelligendum decretum 389 Concilii II Plenarii Baltimorensis ita se habens : « Ex mente Sedis Apostolicae « *toleratur* ut in sepulchris gentilitiis, quae privata et « particularia pro catholicis laicorum familiis aedifi« cantur, cognatorum et affinium etiam acatholicorum « corpora tumulentur » : adeo ut *tolerantia* de qua agitur sit tolerantia mere passiva ad *praecavenda maiora mala.*

(2) Id est decretum 4 Maii 1809 quo statutum « est : Iansenistas non esse inquietandos obtentu matri« monii bona fide contracti, non servata forma Con« cilii Tridentini ; et pastores catholicos monendos ut « abstineant a movenda disputatione super validitate vel « nullitate matrimoniorum de quibus agitur ».

falsae sectae protestativis cum scandalo fidelium, quibus ideo ab Ecclesia communio interdicitur cum illis, ne fides aut amitti aut periclitari intelligatur. Unde S. Ioannes Evangelista sic severe praecipit: *Si quis venit ad vos et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec* ave *dixeritis ei, qui enim dicit illi* ave *communicat operibus eius malignis* (Ioan. 2. 10). Evidentissime ex his verbis prohibitum iri infertur quidquid huiusmodi *ave* exprimit, prout sunt actiones liturgicae quae ad ecclesiasticam unitatem significandam institutae fuere. Quapropter a PP. Concilii Carthaginensis sancitum legimus *cum haereticis nec orandum nec psallendum,* prout refert Benedictus XIV (de Synod. c. V. lib. VI.). Illicitum est ergo in sacris functionibus haereticos in chorum invitare, alternis psallere, dare iis pacem, sacros cineres, candelas et palmas benedictas, aliaque id genus externi cultus, quae interioris vinculi ac consensionis indicia iure meritoque existimantur, tam in sensu activo, nimirum similia eis dando, quam passivo, ab iis in eorum sacris accipiendo. Idem enim in utraque hypotesi esset ac *ave* illis dicere, eorumque operibus malignis communicare. Sed quaedam (nunc) proponuntur quae ex se, prout ieiune ac nude exhibentur, communicationem in sacris haud praeseferre videntur. Nam quae circa patrinos in matrimoniis, et circa iurantes in ecclesiis nostris obiiciuntur, nullam declarant cooperationem prohibitam quoad catholicos. Patrini siquidem dicuntur ii qui solummodo desponsati lateri adstant, nihil agentes aut dicentes quod vetitae participationis signum referre iudicetur, et ita si, in ista materiali praesentia nullum pertimescendum sit scandalum, non erit cur anceps fluctuet missionarii animus. Multo minus angi debet si, nemine catholicorum invitante aut cooperante, haeretici templa nostra cuilibet patentia ingrediantur sua iuramenta pronunciaturi. Quid ad nos si tota actio haereticorum sit fidelium cooperationi remota?

Quoad funera demum iam feria V die vigesima Maii 1755 responsum fuisse noverint missionarii, tolerandos esse haereticos vel schismaticos, quatenus meram praesentiam materialem exhibeant, causa honoris civilis erga defunctos, non se immiscentes precibus ac ritibus catholicis. In hoc enim nulla est proprie dicta participatio in sacris ex parte catholicorum, qua exclusa, in reliquis sese gerant ad tramitem Constitutionis Martini V « *Ad evitanda* ».

1177

Circa benedictionem post partum.

S. C. Concilii *18 Iulii 1859* — Ad benedictionem post partum ius tantummodo habere mulieres quae ex legitimo matrimonio pepererunt.

1178

Quid agendum in conversione haereticorum: et de eorum professione fidei et absolutione.

S. C. S. Off. *20 Iulii 1859* — Proposito dubio R. P. D. Episcopi Philadelphiae circa professionem fidei ac absolutionem haereticorum dum convertuntur, feria IV die 20 Iulii 1859 Emi DD. decreverunt dandam esse instructionem prout sequitur:

In conversione haereticorum inquirendum est 1. de validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem investigatione peracta adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei. Triplex igitur in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus:

1. Si Baptismus absolute conferatur, nulla requiritur abiuratio nec absolutio eo quod omnia abluit Sacramentum regenerationis.

2. Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit:

a) Abiuratio seu fidei professio.

b) Baptismus conditionatus.

c) Confessio sacramentalis cum absolutione conditionata.

3. Quando denique validum iudicatum fuerit baptisma, sola recipitur abiuratio seu fidei professio quam absolutio a censuris sequitur.

(Notandum vero abiurationem seu professionem fidei aliam esse ab ea quae habetur in Bulla Pii IV. Nam a Suprema S. C. S. Officii praescripta fuit illa, quae adnectitur, pro conversione haereticorum). Si tamen nonnunquam eiusmodi neo-conversus valde desideret ut ritus in eius baptismo olim omissi, hac occasione suppleantur, sacerdos huic pio eius voto morem gerere utique liberum habet. Debet tamen in tali casu adhibere ordinem baptismi adultorum, et mutare mutanda ob baptismum iam valide susceptum.

Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus sedet in cornu Epistolae, si SS. Sacramentum asservetur in tabernaculo, sin minus in medio altaris, et coram illo genuflectit neoconversus, qui codicem Evangelii dextra manu tangens, emittit professionem fidei, prout inferius habetur: vel, si nesciat legere, sacerdos praelegit eidem tarde professionem, ut conversus eamdem intelligere, et cum sacerdote distinctis verbis pronuntiare possit.

Professione di fede

Io N. N. avendo avanti gli occhi miei i sacrosanti Evangelî che tocco colle proprie mani, e sapendo che niuno può salvarsi fuori di quella fede, che tiene, crede, predica, ed insegna la

S. Cattolica ed Apostolica Romana Chiesa, contro la quale mi dolgo di aver gravemente errato, perchè, nato fuori di essa Chiesa, ho avute e credute dottrine contrarie all'insegnamento della medesima.

Ora illuminato dalla divina grazia professo di credere che la S. Chiesa Cattolica Apostolica Romana è l'unica e vera Chiesa stabilita da Gesù Cristo su questa terra, a cui di tutto cuore mi sottometto. Credo tutti gli articoli che essa mi propone a credere; riprovo e condanno tutto ciò che essa riprova e condanna, e sono pronto ad osservare tutto ciò che essa mi comanda, e specialmente professo di credere:

Un solo Iddio in tre divine persone distinte, ed uguali, cioè Padre, Figliuolo, e Spirito Santo.

La dottrina cattolica sull'Incarnazione, Passione, Morte, e Risurrezione di Nostro Signor Gesù Cristo, e la unione ipostatica delle due nature, divina ed umana; la divina maternità di Maria Santissima unita alla di Lei integerrima verginità ed immacolata Concezione.

La presenza vera, reale, e sostanziale del corpo insieme coll'anima e divinità di Nostro Signore Gesù Cristo nel Santissimo Sagramento dell'Eucaristia.

I sette Sacramenti istituiti da Gesù Cristo per la salute dell'uman genere, cioè Battesimo Cresima, Eucaristia, Penitenza, Estrema Unzione, Ordine, e Matrimonio.

Il Purgatorio, la risurrezione de' morti, la vita eterna.

Il Primato non solo di onore, ma anche di giurisdizione del Romano Pontefice, successore di S. Pietro Principe degli Apostoli, e Vicario di Gesù Cristo infallibile.

Il culto de' Santi, e delle loro immagini.

L'autorità delle apostoliche, ed ecclesiastiche tradizioni, e delle Sacre Scritture, da non doversi interpretare, ed intendere, se non nel senso, che ha tenuto, e tiene la S. Madre Chiesa Cattolica.

Ed ogni altra cosa che dai SS. Canoni, e dai Concilii Ecumenici, specialmente dal sacrosanto Concilio Tridentino e dal Concilio Vaticano è stata definita e dichiarata.

Quindi con cuor sincero, e fede non finta detesto, ed abiuro ogni errore, eresia, e setta contraria alla detta S. Cattolica ed Apostolica Romana Chiesa. Così Dio mi aiuti, e questi suoi santi Evangelî che tocco colle proprie mani.

Postea neo-converso genuflexo manente, sacerdos sedens dicit psalmum Miserere, *sive psalmum* De profundis *cum* Gloria Patri *in fine. Quo finito, sacerdos stans dicit:*

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster *secreto;*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (vel ancillam tuam).

℟. Deus meus sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam) quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde sacerdos sedet, et ad profitentem genuflexum versus, eum ab haeresi absolvit dicens:

Auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis quam (1) incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiae sacramentis, communioni et unitati fidelium in nomine Patris et Fi✠lii et Spiritus sancti. R. Amen.

Denique abiuranti aliquam poenitentiam salutarem iniungat, e. g. aliquas preces, visitare ecclesiam, aut similia.

1179

Circa tempus et sacerdotum assistentiam in oleorum consecratione.

Litt. S. C. S. Officii *3 Augusti 1859* — Al primo quesito (del Vic. Ap. della Mongolia) circa l'assistenza dei sacerdoti al Vescovo consagratore degli Olî, e se gli Olî possano consagrarsi in giorno diverso dal Giovedì Santo, hanno provveduto (gli Emi PP.) ordinando che si desse comunicazione dei decreti del 21 Settembre 1719 e 14 Febbr. 1704 *(V. n. 263).* Nella Congregazione 21 Settembre 1719 fra gli altri dubbî fu discusso il seguente:

1. An Episcopi Vicarii Apostolici in Regno Sinarum quibus inter alia concessa fuit facultas conficiendi Olea Sacra cum sacerdotibus quos potuerint habere, si nullum sacerdotem habere possint, vel quia distant uno vel altero mense, quos accedere vel vocare difficile est, vel propter persecutiones vel in religionem vel in personas, vel quia probabile est valde ut vel vocati vel invitati renuant accedere; an possit Episcopus sine sacerdote vel sacerdotibus Olea sacra conficere: et quatenus non, suppli-

(1) In dubio gravi aut levi utrum poenitens in excommunicationem incurrerit per haeresim professam, sacerdos hic inserat vocabulum *forsan*.

cat ut, si sit locus dispensationi, SSmus indulgeat, cum de facto habeatur in Sinis casus expositus.

R. SSmus, auditis votis Emorum, decrevit quoad primum dubium satis provisum in formula prima facultatum concedi solitarum Episcopis et Vicariis Ap. in partibus Sinarum sub n. 12.

Ora le facoltà accordate ai Vicarî Apostolici della Cina sotto il n. 12 della Formola I. permettono ai medesimi di poter fare gli Olî Santi anche fuori della Feria V in Coena Domini, e sono del seguente tenore: « Confi- « ciendi Olea Sacra cum sacerdotibus quos po- « tuerint habere et, si necessitas urgeat, etiam « extra diem Coenae Domini ». Come poi abbiasi ad intendere quella parte della riferita concessione cioè *cum sacerdotibus quos potuerint habere,* chiaramente apparisce dal seguente biglietto di Mons. Assessore del S. O. diretto al Segretario della S. C. di Propaganda a cui venne rimessa la risposta della Suprema:

« Dal S. O. li 22 Sett. 1719. — Monsignor Assessore manda a V. S. la risoluzione ossia risposta ai due dubbî proposti dal P. Cerù missionario Ap. nella Cina, ed anco aggiunge d'ordine del S. P. che V. S. può nella lettera di risposta significare che, avendo facoltà i Vescovi e Vicarî Apostolici della Cina di far gli Olî Santi *cum sacerdotibus quos potuerint habere,* basta l'intervento di due sacerdoti, e che più ampia facoltà e dispensa Sua Santità non stima conveniente concedere, tanto più che hanno anco la facoltà di consecrare gli Olî *extra diem Coenae Domini* ».

1180

An aliquando interpellatio coniugis infidelis praetermitti possit.

S. C. S. Off. *11 Aug. 1859* — An praetermitti possit interpellatio facienda coniugi infideli quando adest certitudo quod infidelis nec converti, nec cohabitare velit pacifice cum coniuge ad fidem converso.

R. Quoties coniugem infidelem nec Christi fidem amplecti, nec sine contumelia Creatoris cum coniuge converso velle cohabitare certo constet, Episcopi tamquam Apostolicae Sedis delegati, et Vicarii Apostolici, dispensare poterunt super interpellatione, dummodo urgeat necessitas, nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem.

1181

Quale sit periculum vel articulus mortis quoad absolutionem.

Circa absolutionem a casibus occultis S. Sedi reservatis.

S. C. S. Off. *13 Sept. 1859.* — Cincinnat. — 1. In quali casi possa dirsi che i penitenti siano in pericolo od in articolo di morte, sicchè possano essere assoluti sopra ogni censura e peccato da qualunque sacerdote.

2. Se i Vescovi in virtù del Capo *Liceat* possano assolvere dai casi occulti riservati alla S. Sede dopo il Concilio di Trento, e nominatamente un confessore che abbia attentato di assolvere il complice nel peccato turpe.

De absolvendo sacerdote sollicitante.

3. Se possa ciascun confessore assolvere il sacerdote che abbia sollecitato nell'atto o luogo della sagramental confessione.

Circa complicis absolutionem.

4. Quando debba reputarsi reo di peccato turpe un confessore, sicchè se abbia assoluto il complice, sia incorso nelle pene e censure inflitte dalle Costituzioni di Benedetto XIV che cominciano l'una *Sacramentum Poenitentiae,* e l'altra *Apostolici muneris.*

R. Ad 1. A probatis auctoribus iudicandi normam sumat (Archiepiscopus) quibus in casibus revera dici possint poenitentes versari in articulo vel periculo mortis, adeo ut quilibet sacerdos a quibusvis peccatis et censuris eos absolvere valeat, et sub quibus cautionibus, si agatur praesertim de censuris summo Pontifici reservatis, et consulat decretal. Clementis III relat. in Cap. XV *Cum desideres,* et C. 26. *Quod de his,* de sententia Excommunicat.

Ad 2. Non posse, iuxta resolutiones S. Congregationis Concilii Tridentini decretis interpretandis praepositae, quae mense Ianuario anni 1589 Archiepiscopo Mediolanensi ita respondit: *Reservationes casuum de novo post Concilium non comprehenduntur in Cap. VI Sess. 24 De reform., et praesertim super clausura monialium;* et quae item 2 Martii 1595 Episcopo Nucerino respondit: *Nosse debet Episcopus facultatem absolvendi sibi tributam decreto c. VI sess. 24 non extendi ad casus qui novis Summorum Pontificum Constitutionibus post Concilium Tridentinum fuerint Apostolicae Sedi reservati.*

Ad 3. Cum sollicitatio dummodo fuerit simplex, nullo iure S. Sedi reservetur, nihil obstat quominus sacerdos sollicitans, aliunde rite dispositus, a quovis confessario absolvi possit.

Ad 4. Ad dignoscendum quando confessarius censeri debeat reus peccati turpis externi et in genere suo gravis, ita ut si attentaverit complicem absolvere, poenis et censuris per Constitutiones Benedicti XIV inflictis innodatus censeri debeat, consulat probatos auctores et praesertim S. Alphonsum de Ligorio.

1182

Circa pileoli sinici usum in Missae celebratione.

Litt. S. C. de Prop. Fide *6 Dec. 1859* (ad Provicarium Kuytceu) — Ad sinici vero pileoli quaestionem quod attinet, eam revera S. Congregationis mentem fuisse, quam innuis, declaramus, ut nimirum, si facile usus aboleri posset, neque graves adhuc illum retinendi causae, ut antea, suaderent, sensim universalis Ecclesiae praxis Missam celebrandi capite detecto instauraretur. Votum eiusmodi Sacra C. haud retractavit, quamvis alicuius forte momenti ra-

tiones ab uno vel altero ex Praesulibus Missionum Sinensium ad tuendum pileoli usum afferrentur. Attamen, in ea sententiarum discrepantia, haud omnino praecipiendam vel urgendam esse censuit pileoli abolitionem, quam porro in aliquibus Missionibus pacifice et absque ulla fidelium aversione aut admiratione peractam, haud iniucundum accidit percipere. Cum itaque, in ista provincia, quemadmodum et in plerisque aliis Missionibus novimus, rite ac sine ullo religionis detrimento absoluta res fuerit, uti narras, ac fideles iamdiu pileoli abolitioni acquieverint et assueverint, ut consuetudo abrogata iterum instauretur, quamvis id a conterminis Kuy-Tceu regionibus factum fuerit, nec probandum nec suadendum ducimus.

1183

Circa Ordinationem Regularium novitiorum.

S. C. super statu Regul. *20 Ian. 1860.* — Archiepiscopus Mexicanus humillime exponit, quod S. V. decreto S. Congreg. super statu Regularium die 19 Martii 1857 praecepit, ut novitii, iam sexdecim annorum, etiam expleto novitiatus anno ad normam Tridentini, non alia vota nisi simplicia valeant emittere, dilata emissione solemnium post triennium, si digni tunc reperti fuerint, qui ad professionem admittantur, dummodo ultra 25 annum eorumdem aetatis non protendatur.

Ex expositis sequentia dubia suborta sunt, quorum solutionem a S. V. obsequiosissime expostulat.

1. Possunt ne novitii post emissa vota simplicia, ante emissionem solemnium ad Sacros Ordines promoveri titulo paupertatis, non obstante Constitutione *Romanus* S. Pii V die 12 Novembris anni 1508 in lucem edita?

2. Possunt Provinciales dispensare cum novitiis defectu natalium laborantibus ante emissionem votorum solemnium, ad hoc ut his ordines conferantur?

3. Qui forte habitum religionis induerint, maiores iam 25 annorum, aut huic proximi aetati, possunt, expleto iam novitiatus anno, ad vota solemnia et professionem admitti, an etiam cum similibus expectandum est ulterioris probationis triennium?

4. Si novitii post emissa vota simplicia aut dimittantur e religione, aut haec ab ipsis mobilitate animi relinquatur; quid cum eis agere debet Ordinarius, si aut ad sacros Ordines, aut ad matrimonium forsitan adspirent?

Ex audientia SSmi habita a D. Secretario S. Congreg. super Statu Regularium sub die 20 Ianuarii SSmus ad proposita dubia rescribendum mandavit, ut sequitur.

R. Ad 1. Negative quoad Ordines sacros.

Ad 2. Affirmative pro prima tonsura, et Ordines minores, quatenus Provinciales ex Apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate, eaque revocata non fuerit.

Ad 3. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 4. Si professi votorum simplicium sive per dimissionem ab Ordine, sive per Apostolicam dispensationem ab emissis votis soluti fuerint, se gerat cum illis prout cum ceteris suis dioecesanis sese gerere debet.

1184

Reprobatur in missionariis mercaturae exercitium.

Litt. S. C. de Prop. F. *4 Febr. 1860* — (ad Vic. Ap. Lahassae) — Cum nuper a Suprema Inquisitione, ad quam solvendas remisimus quaestiones ab A. T. propositas quoad mercaturae exercitium (1), responsionem tibi communicandam acceperimus, eam sine mora transcribentes pandimus, quae est ut sequitur:

« Exposuisti S. C. de Prop. Fide, vetitum omnino esse, sub poena expulsionis, omnibus alienigenis, et praesertim europaeis, ingressum in istas Thibeti regiones, sive regi, sive magno Lamae subiectas, nisi ex causa negotiationis. Id intelligens A. Tua, verens ne apostolicum quod suscepisti mandatum, evangelizandi nempe efferatam et superstitiosam istam gentem, in tenebris et umbra mortis hactenus sedentem, incompletum remaneret, cum nullum aliud, ut asseris, suppeteret medium, opportunum putasti istius regni oras pervadere tanquam negotiator, quo praetextu fidem catholicam facilius tutiusque propagaturum contendis. Quocirca, ad omnem de vero Ampl. Tuae caeterorumque sociorum statu et conditione ab infidelium animis suspicionem avertendam, non solum dictis, eisdem demonstrare studes vos omnes non aliud esse nisi quaedam mercatorum societas lucris terrenis addicta, sed, ut in huiusmodi opinione ultro confirmentur, nonnulla promptuaria seu officinas ad merces servandas et vendendas huc illucque stabilire tibi placuit, et, quod mirum est, haec omnia perfecisse inconsulta Sede Apostolica, ad quam demum recursum habuisti, ut super liceitate praefatae

(1) Quaesierat Vic. Ap. « 1. Se sia lecito avere delle « farmacie per vendere le medicine, e dei fondachi per « depositare le altre merci, e venderle ugualmente agli « avventori.

« 2. Se nelle terre soggette al gran Lama possano « lecitamente i missionari commutare almeno merci con « merci, come fanno gl'indigeni coi negozianti cinesi, « onde ritenendo sempre i missionari il nome di negozianti, non vengano espulsi.

« 3. Se i secolari detti *battisti* che i missionari sogliono spedire da una stazione all'altra, sia per l'e- « pistolare corrispondenza fra di loro, sia per trasportare sacri arredi, possano, viaggio facendo, esercitar « la mercatura per non essere conosciuti.

« 4. Se ciò sia lecito anche ai missionari che si trovassero nelle medesime circostanze nell'intraprendere « dei viaggi nell'interno ».

negotiationis instruereris. EE. ac RR. PP. Supremae huius Sacrae Congregationis postulatis tuis serio ac mature perpensis responderunt: *non licere quovis titulo missionarios mercaturam exercere*, tibique respondendum esse per instructionem decreverunt.

Et sane, quanquam Emis PP. compertum sit, ex zelo quo ad fidem catholicam propagandam flagraris, A. T. permotam fuisse; tamen perspicuum tibi esse debet ss. canonum sanctiones, Conciliorum etiam generalium decreta, Apostolicas Constitutiones, et SS. Congregationum responsiones ad Vicariorum Ap. postulata, contrarias omnino esse praefatae tuae agendi rationi; neque bonitas finis illicita media ad eumdem consequendum legitimare potest, non enim sunt facienda mala ut veniant bona. Caeterum, divina Christi religio propagari non debet fictionibus et simulationibus, quemadmodum haeretici sua venenata dogmata propagare conantur. Dominus enim Salvator noster conversurus humanum genus, Apostolos et discipulos suos mittens, dixit illis: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae.* Haec sunt divina monita, ad quae fideliter exequenda Evangelii praecones conatus omnes adhibere debent. Praetextus mercaturae, quamquam tibi videtur aptissimus ad fidem propagandam, nunquam tamen in conversionem animarum adhibenda est, ut indecens et valde indecora viris apostolicis exemplo Christi et Apostolorum, qui nunquam his fictionibus usi sunt, quibus Deo simul et mammonae obsequi viderentur. Non enim desunt exempla in quibus infideles ut primum vident eos, qui summi Dei se dicunt ministros et legatos, negotiis temporalibus addictos, eosdem spernunt, putantes illos uti religionis praetextu ut ex egestatis angustiis emergant. Hoc pacto, venerationem illam atque amorem, quibus ad animas Deo lucrifaciendas prae caeteris indigent, ubique amittent et mercatorum potius pecuniarum, quam animarum curatorum, ignobile nomen sibi acquirent.

Ne igitur non solum ss. canonum sanctionibus, sed etiam Apostolicis Constitutionibus Urbani VIII *Ex debito pastoralis officii* 22 Febr. 1633; Clementis IX *Sollicitudo Pastoralis officii* 17 Iunii 1669; Benedicti XIV *Apostolicae servitutis* 23 Febr. 1751; Clementis XIII, in sua Encyclica *Cum primum* 16 Sept. 1759: et Pii VI, in responsione ad Archiepiscopum Theodosiopolitanum 18 Martii 1782, contravenire videaris, necesse est ut ab exercitio mercaturae, sive per te sive per alios, directe vel indirecte, aut quovis titulo vel colore, in posterum abstinearis, ne gravissimis poenis in SS. Canonibus et praesertim in praecitatis Constitutionibus latis, irretitus maneas.

Hisce praehabitis, ne mireris si aliquando intelligas S. C. plerumque dispensasse cum nonnullis ab huiusmodi negotiationis prohibitione. Omnes enim a praefata S. C. de Prop. Fide concessiones alicui Vic. Ap., vel presbyteris sinensibus ecclesiastico patrimonio carentibus factae, nonnisi quosdam casus particulares, et quidem urgentissimos, respiciunt. Nunquam vero huiusmodi concessiones factae fuere ut missionarii exercitio mercaturae uti possent tanquam medio ad fidem catholicam propagandam, prout A. T. obtinere peroptat.

Seclusa ergo quacumque negotiatione, species medicinales dumtaxat, ad infirmorum usum gratuito, vel saltem absque ullo lucro a missionariis in hac arte peritis exhibendas permittere vales. In reliquo satage ut, prudentiori et meliori modo quo potes, evangelizentur pauperes qui circa missionariorum hospitia domicilium sibi elegerunt, eorumque pueri qui praefatorum missionariorum scholis intersunt; cura ut cum humanis litteris religionis quoque catholicae rudimentis imbuantur. Hisce praeiactis fundamentis, religionis aedificium, Deo adiuvante, ad suprema consurget; nam *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus* ».

1185

Circa inscriptionem fidelium in ethnicorum catalogis.

Litt. S. C. de Prop. F. *11 Febr. 1860.* (Ad Vic. Ap. Tunk. Occid.) — Ut primum, ineunte anno 1858, litteras Ampl. Tuae die 7 Iunii anni 1857 datas, accepimus, queis petitas a Suprema Inquisitione enucleationes quoad propositas alias quaestiones *circa inscriptionem fidelium in pagorum catalogo* exhibendas curasti, illas eidem S. Tribunali subiecimus expendendas (1). Iterum porro super memoratis quaestionibus, cum per negotiorum copiam licuit, examine instituto, matureque

(1) Litterae Vicarii Ap., (7 Iunii 1857), de quibus agitur, ita se habent: « Responsa data feria IV, die 27 « Iunii 1855 *(V. n. 1112)* ad quinque dubia a me pro- « posita, iam recepi, et multas Eminentiis Vestris gra- « tias ago: et ad maiorem claritatem respondebo dua- « bus Eminentiarum Vestrarum quaestionibus quae sic « se habent: 1. *Utrum inscriptio in catalogo, de quo « sermo, coactiva sit nec ne?* Ad hoc: haec inscriptio « non est proprie coactiva; qui enim vult inscribi in- « scribitur; sed qui non inscribitur est quasi domesticus « totius pagi in operibus superstitiosis communibus sed « aliquantulum facilius potest illa vitare: vel debebit « dare pago bonam pecuniae summam, vel migrare ad « alium pagum, ubi alieno illi inserviet sicut et proprio: « quod durum est pauperibus et divitibus. 2. *Utrum, « ea despecta vel praetermissa, gravia exinde transgres- « sori damna metuenda sint?* Damna metuenda sunt « propter despecta opera necessario facienda ob hanc

perpensis omnibus, quae ab A. T. adnotata in thesate fuere, uberiusque explanata, nuper, nempe feria IV die 1 vertentis Februarii, Emi Patres ea de re A. Tuae rescribendum decreverunt ut sequitur: « Ex deductis, si agatur de « iis, qui nondum sunt inscripti, sed cum animo « se inscribendi, absolvi nequeunt, dum in tali « perseverant indispositione. Si vero agatur de « iis, qui iam inscripti sunt, et eorum nomina « deleri nequeunt ex catalogo, confessarii se « gerant iuxta regulas theologiae moralis a « probatis auctoribus traditas ».

1186

Circa decreti *Tametsi* extensionem ad novas paroecias territorii ubi observatur.

Ex Instr. S. C. S. Off. *29 Febr. 1860* — (ad Archiep. S. Francisci) — Lex Tridentina de clandestinis matrimoniis debet sane in unaquaque paroecia promulgari iuxta illius censuram; sed facta semel promulgatione, eiusque observantia permanente, lex territorium afficit, et adaequate loquendo localem et personalem esse in confesso est apud omnes; quatenus localis, afficit territorium, eosque qui ibi matrimonio iungendi sunt obligat; quatenus vero personalis, eos obligat qui domicilium, vel quasi (domicilium) habentes in loco ubi tridentinum decretum publicatum est et viget, in altero ubi illud non viget contrahere vellent. Neque ex facta in posterum praedicti territorii divisione, vel in eodem aliarum paroeciarum erectione, partes divisae, vel recens erectae paroeciae, a lege iam territorium possidente liberae renunciari possent. Item ex continuata observantia decreti tridentini iustissime argui legitimam illius promulgationem communis similiter sententia est.

Publicatio (igitur) per Tridentini censuram in unaquaque paroecia praescripta paroecias afficit huiusmodi publicationi praeexistentes, vel in territorio fundandas, quod lex ista iam possidet; alias necesse foret toties eamdem iterare, quoties paroeciae iam huic legi subiectae dismembratio, vel nova in eodem territorio erectio fieret, quod inauditum in praxi est. Neque implicat quod missio vel ecclesia primitiva, quae paroeciarum speciem redoleat, in immensum portendatur, dummodo illius totum sit territorium, certisque limitibus definitum: facta namque decreti tridentini publicatio in illa, facta intelligitur in toto eiusdem territorio; et successivae aliarum missionum seu paroeciarum erectiones intra praefati territorii fines eodem iure essent censendae.

Casus forsan excipi posset quo deficientibus lapsu temporis missionariis et fidelibus in territorio praedicto, alii advenissent, praesertim si acatholici, et scienter vel ignoranter matrimonia contrahere, non servata forma Concilii, coepissent, praeteritam publicatamque legem in desuetudinem adducentes; cum lex tridentina, licet territorialis, homines tamen afficit, et ubi vel desint, vel eam in desuetudinem per generalem inobservantiam adducant, incassum eiusdem sanctio urgeretur.

1187

De contractu retrovenditionis.

Litt. S. C. de Prop. F. *5 Martii 1860* (ad Pro-Vic. Ap. Kuitceu) — Litteris iam datis anno 1857 de contractu valde apud sinenses usitato agebas, quo pecunia indigentes domum aut agrum alteri vendunt cum clausula quod post statutum tempus ipsi poterunt, pretio emptori integre restituto, domum vel agrum recuperare, ordinarie post triennium, sexennium aut decennium, non raro etiam nullo determinato tempore. Interea emptores domo vel agro uti, perinde ac si sua essent, et fructus redditusque omnes percipere, imo posse alteri cupienti eodem vel maiori pretio vendere. Sed per successivas huiusmodi venditiones prioris domini iura nullatenus violari, eumque posse semper illa a priore emptore exigere: cum per leges civiles talis possessio, quantumvis longa, nunquam generat praescriptionem, ita ut, pluribus transactis generationibus, venditoris heredes domum aut agrum venditum repetere possunt, et sicut venditor potest, restituto pretio, rem suam recuperare, ita emptor si, expleto tempore, rem amplius servare nolit, potest coram iudice urgere resolutionem contractus, qui, licet frequens ac quasi quotidianus dici possit, raro tamen lites gignit, et ubi, statuto tempore, venditor pretium non restituat, censetur iisdem conditionibus renovatus. Communius autem emptor emptionem perficit alia summa priori addita, et sic verum dominium in re acquirit.

Re ad supremum S. Officii tribunal delata, omnibusque mature perpensis, et praesertim antiqua Vicariorum App. praxi a temet asserta, contractum hunc utpote usurarium damnante et severe fidelibus prohibente, licet successu

---

« inscriptionem: v. gr. mactare victimas, coquere car- « nes, praeparare mensas, easque asportare ad locum « sacrificii, non vero propter ipsam inscriptionem prae- « termissam. Pauperibus metuendae virgae infamantes; « divitibus plura plus minusve gravia damna, utrisque « salutatio idoli in reparatione iniuriae; si recusent « una vel altera vice, inde oriuntur odia, lites, iurgia « et etiam migratio ad alium pagum; ubi eadem dura « invenient; quia talis est fere omnium pagorum con- « suetudo quae vim legis habet. Qui inscribuntur in hoc « catalogo superstitionibus pago communibus omnes « contribuere debent pecunia, oriza, et manducatione; « adolescentes contribuunt adhuc opere, homines qui « quamdam auctoritatem habent et seniores salutant « idolum et manducant de idolothytis. Ideoque chris- « tiani qui mixti sunt cum idololatris; semper emunt « multa pecunia separationem ab eis ».

temporis per Episcopum Surensem uti legitimum habitum atque permissum, vicinis Vicariatibus in priori sententia etiam nunc perseverantibus, dubium exortum est de exacta contractus expositione, vel saltem de omissione licet involuntaria circumstantiarum, eo magis quod in tuis litteris nullum verbum de oneribus, et a quo, durante contractu, supportandis apparet, et, quando de perfectione eius per alterius summae priori additionem mentionem faciebas, phrasi utebaris qua in illud temporis nondum dominium rei venditae translatum fuisse argui posset; scribebas enim: *et sic verum dominium in re acquiritur,* dummodo pro vero dominio plenum non intellexeris asserere. Cum itaque iuxta exposita tuto responderi non possit quaestionibus quas enodandas proponis, ut dubium penitus solvatur, et regula certa pro futuro habeatur, nempe, an liceat fidelibus hunc contractum, quem theologi retrovenditionem vulgo appellant, inire, et, in casu negativo, quid agendum pro sic initis ac praeteritis huiusmodi contractibus, ne in exquirenda praedictarum difficultatum enucleatione, longum tempus ulterius insumeretur, visum est satius futurum, si una cum decretis ac instructionibus alias in rem datis, tibi nonnulla in mentem revocarentur, quae in quotidianis, quibus angeris pro vinea tibi commissa sollicitudinibus, te quasi manu ducere valeant in eorumdem applicatione casui quem pro manibus habes.

Iam vero pactum retrovendendi, seu conventionem ut emptor vel possit vel debeat rem emptam revendere venditori, vel in gratiam solius venditoris, vel in gratiam solius emptoris, vel utriusque, praescripto frequentissime etiam tempore, fieri posse, atque ex se esse licitum in confesso est apud omnes: nam, sicut venditor potestatem habet rem suam absolute vendendi, ita etiam vendendi cum certo modo et pacto; et similiter emptor, cum vel sine tali pacto liber est ad emendum, modo aequalitas utrinque servetur. Ad vitandam autem larvatae usurae iniquitatem, ponuntur communiter a theologis conditiones quaedam, nempe: — 1. Ut nihil fiat in fraudem usurariam, et adsit intentio vere emendi et vendendi, alioquin iam esset mutuum implicitum seu larvatum, et lucrum inde proveniens esset usura, Hinc pretium vile ab emptore oblatum pro re diutius retinenda; item si emptor aliis usuris assuetus nolit mutuum dare, sed rem emere cum pacto retrovendendi, dubium fundatum ingereret et diligenter attentionem excitare deberet. — 2. Ut onus impositum compensetur; nam onus omne contractui extrinsecum et pretio aestimabile compensari debet, alias non servaretur aequalitas et iustitia: ac proinde minui debet pretium, si emptor teneatur rem emptam revendere venditori; talis enim obligatio est onus pretio aestimabile, cum privet emptorem facultate eam retinendi aut aliter alienandi; augeri vero, si venditor obligetur rem venditam redimere uti emptor voluerit, cum hoc onus sit etiam pretio aestimabile ac extrinsecum venditioni. Hinc emptio rei frugiferae, facta ea lege ut venditor teneatur postea rem suam recipere, et totum pretium pro ea acceptum reddere emptori retinenti sibi fructus, posset, saltem in praxi, usurae velatae suspicionem ingerere; nam reipsa mutuum virtuale cum lucro respectu illius redolet qui, nolens mutuari alteri pecuniam quaerenti, emit ab illo vineam aut domum, ea lege ut post biennium vel triennium redimatur eodem pretio quo empta fuerit, retentis fructibus ex ea perceptis: talis namque non habet intentionem sinceram emendi, verum tantummodo intendit dare pecuniam praefatam, ut totam postea recipiat cum lucro quod est usurarium. — 3. Ut res non redimatur maiori pretio quo prius vendita fuit, nisi melior industria vel opera emptoris facta sit; nam vis pacti retrovenditionis in eo est, ut emptor restituat rem, restituto pretio pro ea dato; perinde enim est cum eo pacto contrahere, ac cum pacto ut liceat post aliquod tempus contractum dissolvere. — 4. Ut emptor fiat vere dominus rei emptae, eius periculum subeat, onera sustineat, fructus ac commoda percipiat; hoc siquidem exigit natura contractus. — Hisce circumseptum conditionibus pactum retrovenditionis ex communi sententia licitum est, cum non repugnet substantiae contractus, et aliunde onus impositum compensetur. Exinde clare patet discrimen inter huiusmodi contractum et alium oppignerationis, seu antichresis, qui etiam ab antiquo iuxta mores istius gentis inter christianos invaluit, et aliquando tanquam usurarius et illicitus reprobatus est, uti edicitur in Synodo Sutchuensi, cap. X, § 34; aliquando, in concursu tituli extrinseci, fideles ea de causa inquietandos non esse rescriptum est, dummodo in casibus particularibus inter datum et acceptum aequitas naturalis servetur iuxta aequalitatis regulas a doctoribus traditas quemadmodum videre est in Instructionibus annorum 1778 ad Vic. Ap. Sutchuen. *(V. n. 531)* 9 Decembris 1784 ad Vic. Ap. Fochiensem in Imperio Sinarum *(V. n. 570)*, et in responso dato Administratori Pekinensi 21 Septembr. 1843 (1), quae hisce inclusa litteris reperies, ut exinde videas, quanta solertia, diligentia et maturitate omnia rimari debeant,

(1) In hoc responso enunciatur Sacram Congregationem, discussis omnibus quae de quodam contractu oppignerationis a praefato Administratore relata sunt, censuisse christifideles ea de causa non esse inquietandos, dummodo in casibus particularibus aequitas naturalis servetur.

contractus a contractibus secerni, uniscuiusque natura, circumstantiae pactae perpendi ut non uni tribuatur quod ad alterum spectat, nec facile de casu ad casum illatio fiat: praesertim quando ipsamet implexa atque involuta contractus ineundi formula illum suspectum reddit. Quod si, post haec, dubia adhuc supersint, facillimum tibi erit ea ulterius producere quae naturam contractus penitius exponant, quae rationum momenta referant quibus ab aliis vel defenditur vel impugnatur, omnia ea denique quae ad rem facere videntur, ut exinde, pleniori qua fieri possit causae cognitione, decerni de eo valeat.

1188

De polygamia simultanea, et de polygamorum tum infidelium tum haereticorum conversione.

Instr. S. C. S. Officii *28 Martii 1860* — (ad Vic. Ap. Gallas) — 1. Cum dubia exposita praesertim circa polygamiam simultaneam volvantur, et circa dispositiones ad susceptionem Baptismi, praemittenda erit doctrina Ecclesiae, ex qua, veluti corollaria, quaesita ipsa solutum iri (A. T.) facillime deducet. — Certissimum est polygamiam simultaneam iure evangelico esse omnino illicitam, unde postquam Iesus Christus (Matth. 19) matrimonium ad pristinam reduxit sanctitatem, unitatem et indissolubilitatem addita pro baptizatis Sacramenti dignitate, nec fidelibus, nec iudaeis, nec ulli mortalium licuit plures sibi copulare uxores. Consequenter divinitus sic restituta monogamia, nonnisi unam uni legitimo validoque coniugio devinciri posse inconcussum fidei dogma habetur.

2. Quoad populos vero ubi illa vetita uxorum pluralitas reperitur, diligentissime inquirendum erit an in tanta morum corruptione quidpiam matrimonialis foederis teneant. Inveniuntur siquidem adeo perditi, apud quos nulla coniux propria est, sed ut cuique libitum fuerit, pecudum more lasciviunt, ut refert S. Heronymus (advers. Iovinian. lib. 2. n. 7), qua in hypotesi perperam de iure matrimonii institueretur quaestio, sed in conversione huiusmodi ad fidem polygami, aut eiusdem mulierum, conceditur missionariis ut in particularibus casibus pro sua prudentia et zelo id sequantur quod pro bono religionis ac partis conversae favore magis consentaneum esse iudicaverint, utpote qui vel quae nullo vero proprioque vinculo maritali vinciuntur.

3. Sed etsi in particulari operabili, ob malam consuetudinem ita foedari contingat humanum genus, tamen, ut ait S. Thomas (1. 2. q. 94. n. 4), quantum ad prima principia lex naturae immutabilis homines ad bonum speciei et societatis matrimonii officio consequendum, docet et ordinat (S. Thom. contra gent. l. 4. c. 78); quod ex Apostolo (ad Rom. 2. 14) colligitur: *cum enim gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis,* ideoque bonum naturae cum non totaliter extinguatur (S. Th. 1. 2. q. 85 n. 1) apud gentes utut feroces et corruptas, aliquid circa connubia iuris constitutum invenitur, quo fit ut veri matrimonii ratio decernatur.

4. Et ita iudicandum esse quoad Gallas plurimis indiciis demonstrat epistola A. Tuae; descripta enim miserrima ac lugenda illarum mulierum conditione, scribis tot sibi posse quemquam copulare, quot alendis potis erit: agnoscunt ergo obligationem alendae uxoris. Traduntur filiae a parentibus quandoque insciae vel renuentes: ergo ibi auctoritas paterna filiorumque subiectio exprimitur. Affirmas haud dubitari posse de earumdem amore ad unitatem maritalem, quo certe praetensam renuentiam deposuisse feruntur. Sed insuper sacrum et solemne est apud Gallas hereditare uxorem defuncti fratris, quae idcirco ita erit fratris quod non alterius. Et quare non dicitur ius hereditandi *uxores* fratris, qui utique polygamus fuit, sed in singulari tantum *uxorem?* Quod si uxores hereditet, erit eadem ratio quae de pluribus iam dicta est. Ex hoc coniicitur non solum esse apud Gallas verum matrimonium, sed praeterea innuitur esse unam inter illas mulieres polygami quae proprie *uxor* dicitur. Quod si constiterit apud illos populos verum contrahi matrimonium, investigandum sedulo erit quaenam habeatur tamquam vera uxor, utrum quae prima fuerit desponsata, an alia quae praestet ceteris aliqua dignitate.

5. Regulariter sacri canones primam non in ordine ad baptismum, sed ad tempus desponsationis legitimam denunciant (nullo interveniente naturali impedimento) eo quod in primis nuptiis liber supponitur vir. Quod verum est si idem nuptiarum modus, consensus, eaedemque caeremoniae serventur in omnibus. Prima itaque tempore declarata pro legitima uxore, ceterae uti concubinae iudicabuntur. Si vero esset inter illas differens desponsandi genus, ordo, praestantia, superioritas, ita ut prima dicatur non temporis prioritate, sed quae speciali connubii excellentia ac gentis existimatione aliis praecelleret, tunc A. Tua mores nuptiales ac consuetudines nationis profundius scrutando referet, adnotatis accuratissime rerum adiunctis, quo definiri posset quid iuris statuendum fuerit praesertim in particularibus casibus.

6. Hisce igitur ecclesiasticae scientiae praemissis theoriis, ad applicationem descendamus per quaedam corollaria ultro fluentia. Sequitur enim in polygamia tam infidelis quam haeretici regulariter primam habendam esse pro legitima, nisi ob aliquod dirimens impedimentum vitientur nuptiae. Quoad infideles pensitanda sunt impedimenta legis naturae: pro haeretico vero etiam impedimenta Ecclesiae ca-

tholicae cui subiicitur. Consideranda est etiam et forma nubendi, an in pactum redigatur matrimonii solubilitas, aliudve essentiae matrimonii contrarium. Demum si convertitur polygamus haereticus, remanere debet cum legitima uxore, dimissis reliquis, nulla facta interpellatione eo quod paulino privilegio uti nequit. Supponuntur etiam mulieres haereticae, alioquin adesset impedimentum disparitatis cultus irritans matrimonium. In eo tantum casu posset ex concubinis haereticis unam eligere si nec cum priori nec cum alia legitimo vinculo uniretur, renovato consensu : curandum tamen esset ut et ipsa catholica fiat, nisi videatur concedenda dispensatio ab impedimento mixtae religionis, quae iustis de causis tribuitur. Sed in casu quod omnes verae concubinae probarentur, melius eligenda sibi esset aliqua catholica. Hoc committitur zelo et prudentiae missionarii.

7. Infidelis vero si frui velit dicto privilegio post baptisma, si unam tantum eamque legitimam habuerit uxorem, eam interpellare tenetur: 1. An velit converti; – 2. an saltem cohabitare pacifice absque iniuria Creatoris. Utrique aut alteri assentientem accipiet prout iura statuunt. Idipsum dicendum de muliere quae converti vellet ; et in hoc ad paria iudicantur coniuges infideles.

8. Sed pro polygamis infidelibus specialis concessio facta fuit in favorem fidei, nimirum quod illa interpellatio fieri debet quoad primam partem, scilicet *an velit converti* tantum. Renuente prima uxore poterit quamlibet ex aliis eligere, dummodo et illa fidelis fiat, renovato consensu. Hisce enim verbis exprimitur praefata facultas missionariis elargita: « *dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti* ». Itaque huic priori uxori tribuitur plenius ius nuptiale, quae idcirco, si convertatur, remanere poterit in legitimo coniugio dummodo absque iniuria Creatoris : at si velit frui paulino indulto, interpellationem faciet prout supra notatur, nec ab hac regula possunt missionarii pro lubito deflectere, sed si quid notatu in contrarium dignum repererint, S. Congregationi fidelissime referent.

9. Ex his patet etiam responsio ad ea quae de iure hereditandi viduam fratris exponuntur. Siquidem si haec primo loco desponsata fuit in infidelitate, certissime pro legitima habebitur: si de concubinis fuerit, idem dicendum quod de illis: poterit enim si prima noluerit converti, eam accipere, si fidelis fiat renovato consensu, data illi post baptismum dispensatione super impedimento ab Ecclesia inducto quae equidem dispensatio iustis de causis concedi debet.

10. Explicatis iis quae matrimoniale vinculum respiciunt, ad dispositiones pro rite suscipiendo Baptismate gradum facimus.

Circa dispositiones in baptizandis necessarias.

Cum Apostolis ita Evangelium praedicandum erit *(Act. cap. 2. v. 57)*: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Pro adultis itaque (baptizandis) necessaria est poenitentia non quidem sacramentaliter sumpta sed virtualiter, quatenus a statu peccati omnino recedere debeat suscepturus Baptismum, ut gratiam consequatur. Si enim baptizari vellet quis cum voluntate persistendi in peccato, non est ei sacramentum Baptismi conferendum, ut docet S. Thomas (3 p. q. 68. a. 4), primo quidem quia per Baptismum homines Christo incorporantur, secundum illud (Galat. 3): « qui« cumque in Christo baptizati estis Christum « induistis ». Quamdiu autem aliquis habet voluntatem peccandi, non potest esse Christo coniunctus, secundum illud (2 Cor. 6): « quae « participatio iustitiae cum iniquitate? » Unde Augustinus dicit *(Lib. de poenit.)* quod nullus suae voluntatis arbiter constitutus potest novam vitam inchoare nisi eum vitae veteris poeniteat. Ergo sive polygamus, sive concubinae omnino a statu fornicationis recedere debent, si velint digne disponi ad baptismum, et quoad hoc fides catholica flecti nescia nemini blanditur ; nec umquam lucem cum tenebris, Christumque cum belial coniungi sinet.

Haec itaque aliaque similia doctrinae catholicae dogmata missionarios docere studebit A. Tua, ne circa necessaria ad salutem quidpiam erroris in missionibus subrepat, quandoquidem non a prudentia carnis, sed a zelo secundum scientiam Dei cui omnia possibilia sunt, apostolatus fructus uberrimi oriantur.

1189

De omissione nonnullarum caeremoniarum Feriae VI in Parasceve.

S. C. de Prop. F. *29 Martii 1860* (*Ex Aud. SSmi*) – Corean – 1. Quum in Corea ob defectum oratoriorum, missionarii in domibus privatis, et de nocte celebrare cogantur, nec proinde fieri possit ut caeremonias omnes in Missali praescriptas pro feria VI in Parasceve observent, usus invaluit ut, caeteris omissis, habita prius de Domini Passione concione, sola Crucis adoratio locum habeat. Quaeritur ergo an huic praxi standum sit?

Circa Missae privatae celebrationem Sabbato Sancto.

2. Propter periculum ab infidelibus imminens, nequeunt missionarii, tempore administrationis, plusquam una nocte, in singulis christianorum communitatibus commorari, unde licet Sabbato ante Pascha Missae privatae prohibeantur, attamen celebrare privatim coguntur, ne multi neophyti annua Communione priventur. Quum autem non eadem urgeat necessitas pro missionario qui alumnis in Collegio praeest, hinc quaeritur an nihilominus et ipse Sabbato Sancto Missam privatam celebrare possit.

R. Attentis extraordinariis christianae religionis in coreano Regno conditionibus, de speciali gratia (SSmus) benigne indulsit:

1. Ut praxis ibi enunciata continuari valeat in casu.

2. Ut Missa privata Sabbato Sancto etiam a missionario Collegii Praeside dici queat, dummodo Missa solemnis cum reliquo eiusdem Sabbati Officio ibidem celebrari non possit.

1190

De scholis et collegiis nationalibus in Hibernia.

Instr. S. C. de Prop. F. *7 April. 1860* (AD ARCHIEPP. HIBERN.)— Nell' anno 1839 venne subordinato da alcuni Vescovi Irlandesi alla decisione della S. Sede il dubbio: « Se consi« derata la natura e la forma del sistema « di educazione nazionale d'Irlanda potesse « tollerarsi che i cattolici ne fossero partecipi ». Questo sistema riguardava solo le scuole secondarie o per le classi inferiori, non già l'istruzione scientifica, ed era stato promosso dal governo inglese per la gioventù a qualunque comunione cristiana ella appartenesse; e a questo fine per conciliare le diverse parti, tra i membri del Comitato o Consiglio, cui era stata data l'autorità di sopraintendere all'andamento di questa istituzione di educazione, vennero annoverati, oltre sette protestanti, anche tre personaggi cattolici, tra i quali un Vescovo. Sebbene questo sistema introdotto fino dal 1831 e, per cura del Comitato, in breve tempo propagato in tutto quel Regno, non avesse suscitata per varii anni controversia alcuna tra i cattolici, pur tuttavia avendo nel 1839 manifestato alcuni Vescovi opinione contraria al sistema, il Sommo Pontefice Gregorio XVI di gl. m. volle che fosse presa la cosa in accurato esame dalla S. Congregazione di Propaganda, tanto più che non tutti i Vescovi convenivano nella stessa opinione, e quelli stessi, che affermavano pericoloso l'Istituto, temevano insieme le conseguenze che potevano derivare dal dichiarare illecito il profittarne. Fu quindi discussa la vertenza in varie Congregazioni di Propaganda e, dopo maturo esame, nel generale consesso de'22 Decembre 1840, la Sacra Congregazione, in vista delle ragioni ch'ella stessa espose nella risposta data, non credè emanare sulla cosa un giudizio definitivo, ma prescrisse soltanto alcune cautele, che, approvate dal Sommo Pontefice, fu sollecita di comunicare all'Episcopato Irlandese con lettera diretta a ciascuno de' Metropolitani in data dei 16 Gennaio 1841, la quale è del tenore seguente: « Quantam negotii gravitatem afferret excitata « in Hibernia controversia de recenti nationali « ut vocant, erudiendae iuventutis systemate, « exploratum adeo A. Tuae est, ut mirum tibi « esse non debuerit S. Congregationis de Pro« paganda Fide responsum de ea re tamdiu « fuisse dilatum. Plenam enim totius rei A. « Tua habet notitiam, penitusque cognita Tibi « sunt gravia omnia rationum momenta, quae « controversiae illius excitandae occasionem at« tulerunt, quaeque diuturnam prorsus rei de« liberationem postularunt. Nam S. Congrega« tionem magnopere sollicitam habere debue« runt, cum diu multumque pro sui instituti « munere quaestionem propositam consideraret, « catholicae religionis tutela, puerilis aetatis in« stituendae commoditas, grati animi officium « erga britannici Imperii senatum, qui magnam « pecuniae summam popularibus Hiberniae scho« lis decrevit, concordiae inter Episcopos catho« licos retinendae necessitas, quietis publicae « fovendae debitum, metus denique ne ad he« terodoxos forte magistros pecunia tota, et au« ctoritas devolvatur.

« Omnibus ergo rei periculis et utilitatibus « accurate perpensis, auditis partium disceptan« tium rationibus, habitaque praesertim felici « notitia, quod per decennium, ex quo id sy« stema studiorum susceptum fuit, religio ca« tholica nihil detrimenti passa videatur, Sa« cra Congregatio, SSmo Dño Nostro Gregorio « PP. XVI probante, censuit nullum esse de« finite iudicium hac super re proferendum, « atque id genus eruditionis in Episcoporum « singulorum prudenti arbitrio, et religiosa con« scientia esse relinquendum; quandoquidem « eius successum a vigili Pastorum cura, a cau« telis variis adhibendis, a futura demum per « temporis tractum experientia pendere necesse « est. Ne tamen sine idoneis consiliis, ac pro« videntiis tanta res dimittatur, Sacra Congre« gatio sequentia interim monenda esse iudi« cavit, scilicet: – 1. Libros omnes, cui no« xium aliquid sive adversus sacrorum Biblio« rum canonem aut puritatem, sive contra « catholicae Ecclesiae doctrinam vel mores con« tinent, a scholis removeri debere. Hoc autem « eo facilius effici potest, quia nulla memorati « systematis lex obstat. 2. Dandam esse pro « viribus operam, ut praeceptor normalis pae« dagogorum catholicorum, in classe religio« sa morali et historica, vel catholicus, vel « nullus sit: nam catholicum ab acatholico « religionis tradendae methodum, vel religio« sam historiam doceri, indecorum est. 3. Tu« tius multo esse ut literarum tantummodo hu« manarum magisterium fiat in scholis *pro« miscuis*, quam ut fundamentales, uti aiunt, « et communes religionis christianae articuli « restricte tradantur, reservata singulis sectis « peculiari seorsum eruditione; ita enim cum « pueris agere periculosum valde videtur. 4. Ge« neratim Episcopos, et parochos advigilare « oportere, ne ex hoc systemate nationalis in« stitutionis pueris catholicis quamlibet ob cau« sam labes obveniat, eorumdem etiam esse « enixe curare ut a supremis moderatoribus

« meliorem in dies rerum ordinem, et condi-
« tionem aequiores impetrent. Illud quoque per-
« utile fore censet S. Congregatio, si loca ipsa
« scholarum in Episcoporum, vel parochorum
« potestate ac proprio iure maneant. Existimat
« simul permagnae futurum esse utilitatis, Epi-
« scopos de tam gravi negotio in provincialibus synodis invicem saepe conferre. Si autem
« quid adversum accidet, Sedes Apostolica cer-
« tior facienda sedulo est, ut ipsa simul pro-
« videat.

« Denique optat S. Congregatio ut deinceps
« Episcopi aliique viri ecclesiastici abstineant a
« contendendo super hac controversia in pu-
« blicis ephemeridibus, vel eiusmodi aliis libel-
« lis, ne religionis honor, mutua fama, et chri-
« stiana charitas cum populi offensione lae-
« datur.

« Haec A. Tuae S. Congregationis nomine
« erant significanda, ut per Te RR. PP. Epi-
« scopis Metropolitanae Provinciae Tuae suf-
« fraganeis communicentur. Quae vero supe-
« rius significavi, talia esse A. Tua quoque fa-
« cile intelliget, ut iisdem diligenter servatis
« ista in re tantae gravitatis, interea religioni
« satis tranquillitati, ac iuvenilis aetatis bono
« consultum esse concludendum sit ».

Ma oltre alle scuole d'istruzione secondaria il governo inglese che vide frequentate queste anche dai cattolici, volle fare un passo ulteriore, ed istituire sullo stesso piede le scuole universitarie, o i collegii misti per la istruzione scientifica della gioventù. La novella istituzione però fu giudicata ben diversa dalle scuole secondarie anche da molti degli stessi fautori di queste, perchè di maggior pericolo per la religione. Ma non essendo unanime il sentimento del clero, i Vescovi Irlandesi si rivolsero nuovamente alla S. Sede per consultarne l'oracolo, e per ordine del Papa fu commessa parimenti la discussione dell'affare alla S. Congregazione di Propaganda, la quale lo prese in maturo esame in due generali adunanze tenute negli anni 1846 e 1847. La risoluzione della medesima, approvata dal Sommo Pontefice Pio IX. fel. regn. venne manifestata ai Vescovi Irlandesi con la lettera che siegue de' 9 Ottobre 1847:

« Mirum fortasse videbitur quod Sacrae
« Congregationis responsum de collegiis aca-
« demicis tamdiu dilatum fuerit: verum et ne-
« gotii ipsius de quo agitur gravitas, et rerum
« pertractandarum copia effecerunt ut diutur-
« num tempus effluerit antequam documentis,
« et rationibus pro utraque sententia rite per-
« pensis iudicium tuto edi posset. Illud vero
« ante omnia significare debemus, ne cogitasse
« quidem S. C. aliquid minus rectum sibi pro-
« posuisse Antistites illos, qui collegiorum in-
« stitutioni favere visi sunt: diuturna siquidem
« experientia illorum probitatem compertam
« habet, eosdemque in eam fuisse mentem im-
« pulsos existimat spe tantummodo maioris
« boni assequendi, utque religionis prosperitati
« in Hibernia consulerent.

« Attamen re mature, et, quolibet sub re-
« spectu, penitus considerata, fructus huiusmodi
« ex ea collegiorum erectione S. C. haud sibi
« audet polliceri: grave imo periculum fidei
« catholicae inde obventurum timet; uno verbo
« religioni institutionem huiusmodi detrimento
« existere arbitratur.

« Monitos proinde voluit Archiepiscopos, et
« Episcopos Hiberniae ne ullam in eiusdem
« executione partem habeant: quemadmodum
« vero exoptasset ut, antequam ex iis nonnulli
« apud gubernium agerent ad legis praefata
« collegia respicientis mitigationem, aliaque in
« eorumdem favorem obtinenda, Sedis Aposto-
« licae sententiam postulassent: ita pro summo
« obsequio quod erga eamdem Hiberniae Anti-
« stites iugiter prae se tulerunt, haud dubitat,
« quin iidem ea, quae in contrarium praestite-
« rint, sint retractaturi. Haec vero omnia haud
« officiunt, quominus, si aliqui ex vobis non-
« nulla gravioris momenti ulterius notanda ha-
« beant, S. Congregationi libere patefaciant, ut
« de omnibus rite diiudicari valeat.

« Ceterum S. C. probe noscit quanti in-
« tersit adolescentium, civilioris praesertim coe-
« tus, scientificae instructioni consulere; pro-
« inde Amplitudinem Tuam, et suffraganeos
« simul Episcopos hortatur ut media omnia
« legitima, quae in vestra sint potestate ad eam-
« dem promovendam adhibeatis. Curandum erit
« ut collegia catholica quae iam constituta re-
« periantur, magis magisque floreant, iis ad-
« ditis in philosophica praesertim facultate uti-
« lioribus cathedris, quae fortasse desiderentur,
« atque ita ea collegia disponantur ut maiori
« adolescentium numero, prout regionum ad-
« iuncta exigant, patere possint. Imprimis vero
« opportunum S. C. fore duceret si, collatis vi-
« ribus, catholicam academiam ad illius instar,
« quae per Belgii Antistites in civitate Lova-
« niensi fundata est, in Hibernia quoque eri-
« gendam Episcopi curarent.

« Haec vero omnia, ut ex votis feliciter
« contingant, S. C. Episcopos hortatur quate-
« nus mutuam unionem maximamque concor-
« diam perpetuo servent: neque se partium
« studio abripi sinant ob negotia quae sacrum
« ministerium ipsis creditum haud attingant;
« cunctisque pateat Dei cultum, religionis bo-
« num, animarum demum salutem eosdem
« tantummodo quaerere.

« Haec vero eo maiore studio vos praesti-
« turos, arbitramur, cum eadem in omnibus
« SSmi D. N. Pii IX sententia extiterit: post-
« quam enim accuratam de universo hoc ne-
« gotio notitiam sibi comparasset, S. Congre-
« gationis consilium probandum censuit, eique
« supremum auctoritatis suae robur adiecit ».

Ulteriori rappresentanze venute dai fautori del sistema del governo inglese indussero la Propaganda ad esaminare nuovamente la cosa in una Congregazione generale tenuta nel 1848, ove anche si esposero varii degli statuti sul sistema stesso d'insegnamento sanzionati dal governo, il quale in quel frattempo ne avea modificati alcuni per calmare i concepiti timori. Ma la S. Congregazione, non ostanti le nuove rappresentanze, fu dello stesso parere; e la mente, munita anche questa volta della pontificia conferma, venne communicata all'Episcopato Irlandese con la seguente lettera degli 11 Ottobre 1848: « Excerpta nonnulla a statutis, quae « pro novis Hiberniae collegiis rediguntur, ac « suffragia super iisdem ab Episcopis data, occa- « sionem S. C. praebuerunt, ut, eo potissimum « sub respectu, de praefatis collegiis iterum « pertractaret, quidque pro spirituali bono ca- « tholicae gentis hibernensis esset rescribendum « sedulo ac mature perpenderet. Licet vero « praefata statuta ea sub forma consistant, ut « diiudicari non valeat quantae auctoritatis, at- « tenta anglicani regni constitutione, sint fu- « tura, omnibus tamen mature pensatis, S. C. « adduci non potuit, ob gravia et intrinseca « eorumdem collegiorum pericula ad emol- « liendam sententiam de illis prolatam, ac pro- « bante SSmo Dño Nostro, quatuor Metropolita- « nis expositam nonis Octobris anni superioris.

« Cum autem innotescat quanto studio cle- « rus et integra natio pro iis adlaborent, quae « ad bonum Ecclesiae promovendum referuntur, « de universitate catholica erigenda Emi Pa- « tres haud desperandum censuerunt, immo « consilium huiusmodi iterum iterumque com- « mendarunt, ut in eiusdem executionem omnes « pro viribus operam suam conferant, sicque « pleniori catholicorum instructioni satis fiat, « quin ullum exinde eorumdem religio detri- « mentum patiatur.

« Quam S. C. sententiam SSmus D. N. « omni maturitate ac prudentia perpensam, « auctoritatis suae pondere probandam, con- « firmandamque esse duxit, voluitque eam qua- « tuor Archiepiscopis remitti, respectivis per « eos suffraganeis communicandam ».

Tornò poi a parlarsi nel 1857 delle scuole secondarie o delle classi inferiori, sulle quali eransi già date istruzioni nella riportata lettera del 1841, e ciò nella Congregazione generale di Propaganda de' 9 Febbraio di quell'anno, ove all'occasione dell'esame d'un Sinodo tenuto dall'Episcopato Irlandese nel 1856, si riferì un passo ulteriore fatto dal Consiglio detto d'Insegnamento nazionale per istabilire nella città delle scuole più alte sotto l'esclusiva giurisdizione del Consiglio medesimo, il che veniva rappresentato dall'Arciv. di Dublino (Delegato Apostolico in quel Sinodo) come cosa piena di pericolo pel carattere protestante che presentavano coteste scuole, e per l'intento che attribuivasi al governo di pervertire i cattolici. Quindi a forma della risoluzione della S. C., nella lettera, che si spedì all'Arcivescovo sud. in data de' 20 Febbraio 1857 relativa al Sinodo, gli si aggiunse anche il seguente brano sulle scuole nazionali: « Quae autem in actis continentur « circa novas scholas a Consilio nationali sub « ea exclusiva ipsius auctoritate instituendas, « Emorum Patrum attentionem sibi peculiariter « vindicarunt. Cumque exinde adolescentium « fidei non mediocre immineat periculum, S. C. « sane non potest quin Episcoporum sollicitu- « dinem caritatemque ad oves sibi commissas « tuendas excitet vehementer. Porro Antistites « hibernenses nunc praesertim ante oculos ha- « beant necesse est quaecumque iam cauta ac « praescripta fuerunt a S. Sede Apostolica su- « per instructione nationali, ut videlicet maiori « cura ac sedulitate pervigilent quo animarum « salus in gravius discrimen ex novo systemate « adducitur, utque opportunis monitis, concio- « nibus, pastoralibus literis fidei puritas ab er- « rorum contagio praeservetur. Quod quidem « facilius ut obtineatur atque efficacius, A. T. « ac caeteris Hiberniae Archiepiscopis etiam « atque etiam commendat in Domino S. C., « ut quae ad eum finem conferre videantur, « ea unanimiter, atque uniformi ratione, quan- « tum fieri possit, promoveantur ».

1191

S. C. S. Officii *18 April. 1860* — Litaniae omnes praeter antiquissimas et communes, quae in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus, et Ritualibus continentur, et praeter Litanias de B. M. V. quae in S. Aede Lauretana decantari solent, non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii, nec publice in ecclesiis, publicis oratoriis et processionibus recitentur absque licentia et approbatione S. Rituum Congregationis. Circa Litanias.

1192

S. C. S. Off. *7 Maii 1860* — Hong-Kong — Se contratto un matrimonio misto alla presenza del ministro cattolico secondo le regole della Chiesa, e considerato valido dalla legge civile, sia lecito alla parte cattolica di presentarsi dipoi coll'altra parte al ministro protestante. Mixto matrimonio coniuncti nequeunt acatholicum ministrum adire.

R. Negative, et detur rescriptum S. O. diei 29 Novembris 1672 *(V. n. 205)* et Praefectus Apostolicus consulat Benedictum XIV *De Syn. dioec. lib. VI. c. 7.*

1193

Instr. S. C. de Prop. Fide *15 Iunii 1860* (ad Ep. Sirae) — Secondo la disciplina universale invalsa in tutta la Chiesa cattolica, De modo quo presbyteri iuramentum emittunt.

osservata costantemente anche in Roma, allorchè i preti col consenso de' rispettivi Ordinarii prestano il giuramento nei tribunali laici, non toccano la S. Scrittura, ma bensì il loro petto: e questa disciplina ha il suo fondamento nel Cap. fin. 7 *de iuram. calumn.*, sul capo VI *Si quis presbyter* 2. q. 4, e principalmente nella consuetudine universale di tutte le curie attestata da tutti i canonisti cattolici che hanno trattato di tale argomento. Che se per alcune particolari specie di giuramento è stato permesso dalla S. Sede che i preti, e talvolta anche i Vescovi prestino il giuramento toccando la Sacra Scrittura, ciò non venne permesso allorchè trattavasi di prestarlo avanti i tribunali laici, od almeno non fu mai abrogata la legge, nè la consuetudine universale che garantisce ai preti l'accennato privilegio. Così, per esempio, coll'essersi permesso ai Vescovi ed ai preti di toccare la S. Scrittura nel prestare il giuramento di fedeltà ai principi secolari, secondo che scorgesi nei recenti concordati, non può inferirsi che per ciò i Vescovi ed i preti, anche quando prestano il giuramento giuridico, debbano toccare la S. Scrittura. Infatti l'immortale Pontefice Benedetto XIV, a cui non può negarsi la cognizione della disciplina della Chiesa Romana, allorchè riferisce nella sua opera *De Servorum Dei Beatif. et Sanctorum Canoniz.* lib. 2. cap. 48. n. 7, essere prescritto ai preti di toccare gli Evangeli quando prestano il giuramento nelle cause di beatificazione e canonizzazione, stabilisce per massima che d'ordinario i Vescovi per diritto, ed i preti per consuetudine giurano *propositis, non autem tactis, ss. Dei Evangeliis.*

1194

Circa facultatem Missam bis die celebrandi.

S. C. S. Officii *20 Iunii 1860.* — Corear — 1. Se la facoltà di celebrare due Messe nello stesso giorno possa usarsi nello stesso luogo od in luoghi quasi continui fra di loro.

2. Se il desiderio dei neofiti di ricevere due o tre volte all'anno la SSma Comunione sia una causa urgentissima per usare della predetta facoltà.

R. Ad 1. Missam ab eodem sacerdote, facultatem S. Sedis habente bis in die celebrandi, gravissima causa urgente, in eodem vel in diverso loco et in quacumque distantia celebrari posse, dummodo eiusdem celebratio non protrahatur ultra horam post meridiem.

Ad 2. Desiderium neophytorum bis aut ter in anno SSmam Communionem sumere volentium per se non esse urgentissimam causam in casu de quo agitur; sed pensatis omnibus locorum et personarum circumstantiis, relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii Apostolici.

1195

An matrimoni caeremoniae su plendae coniug bus qui in in delitate contr xerunt.

S. C. S. Officii *26 Iunii 1860.* – Corear – 1. Quaeritur utrum coniugibus qui, postquam in infidelitate nupserunt, ad fidem convertuntur, supplendae sint caeremoniae matrimonii.

2. Quid insuper agendum si, alterutro in paganismo perseverante, expostulent ambo coniuges ut suppleantur praedictae caeremoniae?

R. Ad 1. Coniuges infideles, si fideles facti sint, optime facere si Ecclesiae benedictiones recipiant; adstringi tamen ad id non debere.

Ad 2. Negative.

1196

Circa facultater delegandi pres byterum ad mi nistrandam Co firmationem.

S. C. de Prop. F. *5 Iulii 1860* — Corear — Missionario Confirmationis Sacramentum administrandi facultatem gaudenti potestne permittere Vicarius Ap., ut in districtu proprio ipsius Vicarii Ap. facultate utatur in absentia Episcopi? Si autem Vicarius Ap., aliis negotiis impeditus, missionario committat ut christianis civitatis, in qua residet et adest, sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae conferat, potestne etiam permittere ut Confirmationem praesentibus administret? Ratio dubii est quod si hac vice non confirmentur, per unum annum expectare tenebuntur.

R. Emi PP., perpensis expositis, decreverunt supplicandum SSmo, pro facultate (Tibi Vicario Ap.) indulgenda, qua sacerdotem simplicem delegare valeas ad ministrandum Sacramentum Confirmationis, etiam in loco ubi commoraris, dummodo vel sis absens, aut legitime impeditus. Quam facultatem a S. S. benigne Ampl. Tuae tributam fuisse, servatis ceteroquin pernotis Instructionibus alias datis pro simplici sacerdote Confirmationis Sacramentum administrante, necnon tenore ac forma indulti eiusmodi delegationum, scias volumus.

1197

Circa Episcop facultatem absol vendi qui com plicem absolve runt.

S. C. S. Off. *18 Iulii 1860.* — Briocen. — 1. Utrum habeat Episcopus in sua dioecesi, extra Italiam, facultatem sive per se, sive per delegatum specialem, absolvendi ab excommunicatione occulta quam confessarius contraxit absolvendo, extra articulum mortis, complicem in crimine turpi.

2. Utrum saltem habeat praefatam facultatem in casu quo, propter imminens periculum scandali, aut alterius gravis mali, recursus ad S. Sedem fieri nequit opportuno tempore.

3. Utrum in iisdem circumstantiis habeat facultatem absolvendi presbyterum qui non esset suae dioecesis.

4. Utrum absolvendo a praefata excommu-

nicatione propter urgentem causam, debeat imponere poenitenti onus recurrendi, cessante impedimento, ad S. Sedem, sub poena reincidentiae.

5. Utrum praefatam facultatem valeat ad tempus praefixum, vel ad praefixum casuum numerum, an tantum pro casu exposito delegare.

R. Ad 1. Negative, et dentur decreta Sacrae Congregationis Concilii Tridentini Decret. Interpr., quorum unum sub anno 1589, videlicet: « *Reservationes casuum de novo post Concilium non comprehenduntur in Cap. 6, Sess. 24 de Reform., et praesertim super clausura monialium.* Et alterum sub anno 1595, nempe: *Nosse debet Episcopus facultatem absolvendi sibi tributam decreto C. 6. Sess. 24 non extendi ad casus qui novis Summorum Pontificum constitutionibus post Concilium Tridentinum fuerint Sedi Apostolicae reservati.*

Ad 2. 3. 4. et 5. Consulat Decretales Clementis III relat. c. 15 *Cum desideres,* et cap. 26 *Quod de his* de sent. excom., et probatos auctores, inter quos S. Alphonsum de Ligorio L. 7. c. 1. dub. 5 *De censuris* a n. 84 ad 92.

1198

Circa baptizandos adultos moribundos dubie dispositos.

Instr. S. C. S. Officii *3 Aug. 1860* — (AD VIC. AP. TCHE-KIANG) — In foliis ab A. Tua ad S. C. de Propaganda Fide transmissis exponebatur quemdam missionarium saepius appellari ad conferendum baptismum adultis moribundis, qui licet profiteantur propositum sibi baptismum se libenter recepturos, se vere renuntiare diabolo, credere in Deum, et anteactae vitae poenitere, attamen ex circumstantiis maximum relinquunt dubium circa sinceritatem huiusmodi dispositionum: supradictum vero missionarium consulere volentem ex una parte reverentiae Sacramenti, et ex altera parte saluti aeternae infirmi iam iam morituri, conferre baptismum sub hac conditione « si tu es vere dispositus » expresse intendens se non baptizare, sepositis bonis dispositionibus. Hinc quaerebatur: 1. Utrum talis modus conferendi baptismum licitus sit vel non.

Exponebatur praeterea nonnullos ex illis infirmis, recepto sub huiusmodi conditione baptismo, postea supervivere, imo et aliquoties e sua infirmitate penitus convalescere, et posse rectius disponi, et quaerebatur: 2. Utrum ipsi superviventes, et rectius dispositi debeant indiscriminatim omnes rursus baptizari saltem sub hac conditione « si non fuisti baptizatus ».

S. Congregatio Supremae et Universalis Inquisitionis, cuius iudicio haec dubia delata fuerunt, maturo super iisdem adhibito examine, sub feria IV 1 Augusti 1860 respondendum mandavit praesenti instructione.

Explorata res est tres in adulto requiri dispositiones ad Baptismum rite suscipiendum: fidem nempe, poenitentiam et intentionem illum percipiendi. Fides profecto necessaria est qua adultus debet esse sufficienter instructus, iuxta propriae intelligentiae mensuram, de mysteriis christianae religionis, et ea firmiter credere; et necessaria item est poenitentia qua debet peccata sua dolere, et actum elicere vel contritionis, vel attritionis: ac tertio necessario requiritur intentio seu voluntas suscipiendi hoc sacramentum, eaque deficiente, non imprimitur in adulto baptismatis character. At enim vero fides et poenitentia in adulto requiruntur, ut licite sacramentum suscipiat, et fructum sacramenti consequatur: intentio vero necessaria est ad illud valide consequendum, adeo ut qui baptizatur adultus sine fide ac poenitentia, illicite quidem at valide baptizatur; et contra qui baptizatur absque voluntate sacramentum suscipiendi, nec licite nec valide baptizatur. Hisce praemissis facile erit dignoscere missionarium in proposito casu non bene se gessisse, quando Baptismum administrans adulto moribundo, eodem calculo habuit dispositiones requisitas ad baptismum licite administrandum, et eas quae ad illum valide percipiendum necessario requiruntur. In dubio enim utrum adultus morti proximus sufficienter instructus sit de fidei mysteriis, et ea sufficienter crediderit, atque in dubio utrum ipsum anteactae vitae sincere poeniteat, quum mortis necessitas urgeat, sacramentum absolute administrare ei debet absque ulla conditione. In dubio vero utrum ipse vere intendat baptismum suscipere, si praevio diligenti examine de hac intentione adhuc dubitetur, baptismus conferri debet sub conditione dummodo sit capax baptismi. Ne tamen norma quaedam desit huiusmodi missionario, hic adnexum A. Tuae transmittitur decretum eiusdem Congregationis Supremae et Universalis Inquisitionis latum feria V coram SSmo die 23 Augusti 1703 super quaestione ab Episcopo Quebec. proposita. Praeterea nec bene se gessit missionarius quando baptismum conferens sub conditione intendit se non baptizare sepositis bonis dispositionibus in suscipiente baptismum: nam in casu missionarius debet tantum intendere se baptizare quatenus suscipiens sit capax baptismi, idest illum sincere percipere velit (1).

(1) Mens fuit Emorum PP. in praedicta Feria IV. *1 Aug. 1860* ut in transmittenda hac instructione ad Vic. Ap. Sacra Congr. de Prop. F. eum moneret etiam: « Che nell'esaminarsi coloro che furono battezzati prossimi a morte, sotto condizione che non sarebbero battezzati se non avessero nè l'intenzione, nè la fede, « nè il pentimento dei peccati, debba investigarsi se in « quell'atto avevano tutte siffatte disposizioni; ed in « caso negativo, questi debbono battezzarsi di nuovo; « ed in caso di dubbio, *sub conditione* ».

Tandem quoad secundum dubium animadvertendum est baptismum ne sub conditione quidem passim ac temere esse iterandum, et tunc solum conditione uti licere cum prudens et probans subest dubitatio an quis fuerit valide baptizatus, quemadmodum traditur in Catechismo Romano *P. 2 De Sacramento Baptismi n. 57.*

Ceterum si praedicta dubietatibus missionariorum diluendis non sufficiant, eas A. Tua S. Congregationi exponere curabit ut omnibus perpensis circumstantiis removeantur.

Dubia proposita ab Episcopo Quebec tenoris videlicet. — « Quaeritur an missionarius possit conferre baptisma aliaque sacramenta infirmo barbaro, cui explicata sunt religionis mysteria, quique pollicitus est se observaturum (mandata) hoc tantum motivo scilicet quod nolit ei contradicere.

Multae ipsi supersunt rationes dubitandi num moribundus sit bene instructus, quia missionarius linguae barbarae rudis fere atque imperitus, non potuit nisi obiter explicare mysteria sublimia excedentia captum barbarorum, et quando moribundus affirmet se omnia capere, exteriora tamen, et exiguitas devotionis persuadent id moribundum dicere ex complacentia, ita ut si alius ad eum accederet qui diceret quod omnia quae dicta sunt ei nihil sint nisi merae fabulae, *etiam, sunt fabulae* responderet barbarus complacendi gratia. Hoc autem oriri potest ex duobus principiis: primum quia non capit quae ei dicuntur; secundum ex animi levitate, ita ut eo ipso momento quo dicit *credo* et *faciam* credat revera et exequi velit, sed minima ratione contraria sententiam mutabit. Quod tamen constat quod barbarus nollet uri in inferno, et sic affirmatio eius possit esse vera et ex intimo cordis, *hinc:*

Feria V die 25 Ianuarii 1703 in generali conventu habito coram SSmo proposita supradicta quaestione, et auditis suffragiis Eminentissimorum et Rmorum Cardinalium Inquisitorum generalium, SSmus rescribi mandavit: « Non licere, si missionarius sit moraliter certus, prout in dubio asseritur, barbarum infirmum non sufficienter iuxta proprii captus mensuram intellexisse mysteria christianae religionis, aut ea sufficienter non credere, et ex solo motivo non contradicendi promittere se servaturum mandata eius religionis.

Si vero missionarius prudenter credat infirmum barbarum, quando dicit *credo* et *faciam* revera tunc sufficienter credere serioque promittere se servaturum, ut supra, debere babtizari. Si autem de praedictis missionarius dubitet, et tempus non suppetat illum melius instruendi, immineatque periculum mortis, debere itidem baptizari sub conditione ».

1199

An Vicarii Ap et missionarii Missam *pro p pulo* celebra dam teneantu

Litt. encycl. S. C. de Prop. F. *5 Augusti 1860.* Cum perlectis iis, quae in Epistola encyclica Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia PP. IX diei 3 Maii anno 1858 incipiente *Amantissimi Redemptoris* etc. habentur, de obligatione parochorum, aliorumque animarum curam actu gerentium, celebrandi, et applicandi Missam *pro populo* omnibus Dominicis, festisque aliis diebus, haud exceptis iis, qui ex Apostolicae Sedis indulgentia e dierum de praecepto festorum numero sublati, vel translati sunt, a nonnullis ex Vicariis ac missionariis Apostolicis huic S. Congregationi de Propaganda Fide quaestio proposita fuerit, utrum per laudatam Encyclicam prioribus aliis eiusdem S. Sedis declarationibus derogatum esset, queis in Missionum locis, ubi neque parochi, neque paroeciae rite adhuc institutae inveniuntur, laudatos Vicarios, et operarios apostolicos, licet animarum curam exercentes, *tantummodo titulo charitatis, non vero ex iustitia* supradictae obligationi implendae obstringi nunciatum dudum eis fuit; Sacra eadem Congregatio, quamvis ex accurata ipsius Epistolae Encyclicae inspectione *negative* rescribendum esse videretur, ad omnes tamen praecidendas ambiguitates, et amovendas anxietates, ut mentem suam ea de re benigne aperire dignaretur, Sanctitati Suae supplicandum censuit. Petitis porro Sanctissimus Dominus clementer annuens, in Audientia diei 9 Iulii vertentis Anni 1860 per R. P. D. Sacrae Congregationis Tridentinae Synodi interpretis a Secretis, facultatem tribuit, indulsitque, ut Praesules, et operarios evangelicos Missionum certiores faceremus, per Encyclicam, de qua supra, haud irrogatum quidpiam voluisse antedictae declarationi. Id quod per hocce monitum ipsis patefacimus.

1200

Circa Missar eleemosynas.

S. C. Concilii *20 Aug. 1860.* — Potestne sacerdos curare ut Missae manuales, quas a fidelibus undique celebrandas accipit, per alios celebrentur, retenta parte stipendii pro bono opere? Semper intelligitur sacerdotes substitutos certiores fieri de partis retentione, et consensum libere dedisse. Orator arbitratur non licere, et casum comprehendi in prohibitione Const. Benedicti XIV *Quanta cura (V. n. 327),* aliorumque Pontificiorum Decretorum. Sed cum aliquibus aliis secus videatur ex eo quod de pio opere agatur, quaerit:

1. Utrum sacerdos, qui stipendio solito pinguius accepit, possit, in gratiam pii operis, alteri sacerdoti ordinarium stipendium dare

(quo substitutus cum omnimoda libertate contentus est), retinendo partem taxa ordinaria maiorem. — 2. Utrum sacerdos possit sibi alium sacerdotem substituere, ea lege ut aliquam partem stipendii ordinarii in gratiam pii operis determinati remittat. — 3. Et quatenus negative in utroque casu, utrum sacerdos ita agens ad restitutionem teneatur. — 4. Utrum sacerdos petens huiusmodi donationem debeat prius illi totum stipendium tradere. — 5. Et quatenus affirmative, utrum sacerdos aliter agens ad restitutionem teneatur.

R. Consulat theologos, praesertim S. Alphonsum Tract. 3. *De Sacramento Eucharistiae,* cap. 3; et Benedictum XIV *de Syn. Dioecesana* lib. 5, cap. 9, et eius Constit., *Quanta cura*, eorumque sententiis se conformet.

1201

Circa modum exprimendi consensum in matrimonio.

S. C. S. Officii *22 Augusti 1860.* — Matrimonium firmum ac validum consistere quoties nutus, vel caeremoniae coram testibus praestitae, iuxta communem regionis existimationem, mutuum sponsorum de praesenti consensum sufficienter exprimunt; et aliunde (si sermo sit de locis in quibus tridentina lex publicata est) missionarius commode haberi nequeat. Quod si contrahentes, vel eorum alter, in caeremoniis patrio more habitis, intentionem seu voluntatem contrahendi de praesenti vere non habuerint, matrimonium esse nullum.

1202

Circa amissionem privilegiorum clericorum.

S. C. Immunitatis *20 Sept. 1860.* — Clericus qui nondum maiores suscepit Ordines, sive coniugatus sit, sive non, cum, quod ea quae S. Concilium Tridentinum Sess. 23 Cap. 6 De Reform. disposuit, diligenter non observaverit, privilegium fori amittit, habendus est uti destitutus atque ipso iure et ipso facto destitui omnibus clericorum privilegiis, ita ut haberi tractarique debeat tamquam persona vere laica, etiam in causis criminalibus, et ad effectus poenales, quin iam nunc, ac deinceps, triplex admonitio, sive peculiaris declaratio incidentiae in hanc poenam sit necessaria.

1203

De communicatione facultatum sacerdotibus in *insigni oppido* degentibus.

S. C. de Prop. F. *18 Nov. 1860 (Ex Aud. SSmi).* – Ep. Kildarien. et Leighlien. — Facultates omnes quas vi concessionis Formulae VI communicare valeo, nostro Vicario Generali impertiebar, et ex his facultatibus quasdam Vicariis foraneis et aliis duobus ac tribus sacerdotibus scientia et pietate conspicuis communicamus, prout bonum fidelium ac religionis postulare nobis videtur, sive Vicarii aut alii sacerdotes laudati degant in oppido quod ex numero incolarum dici possit insigne, sive non. Attamen oppidum, quod ex mero numero incolarum dici nequit insigne, dici debet quandoque insigne ex ratione loci, sacerdotis et fidelium. Revera in nostra dioecesi vix est ulla urbs quae merito appellari possit magna ecc.

R. SSmus sententiam Episcopi ac praxim approbavit, ac eius prudenti iudicio eamdem remisit (1).

1204

Circa omissionem clausularum in facultatum formulis appositarum.

S. C. de Prop. F. *22 Nov. 1860 (Ex Aud. SSmi.)* — Quoad clausularum omissionem *(V. n. 677)* moneatur (Vicarius Ap. Tunk. Centr.) eam, dummodo revera mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat, concessionum validitati non officere: nihilominus, quantum rerum temporumque adiuncta ferre poterunt, praedictas clausulas omnino esse exprimendas.

1205

De modo se gerendi parochorum cum nupturis censura ligatis.

S. Poenit. Ap. *10 Dec. 1860* — Quomodo se gerere debeant parochi in celebratione matrimoniorum illorum qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint?

R. Curandum pro viribus ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur: at si reconciliari recusent, et, nisi matrimonium celebretur, gravia inde mala imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis quae a probatis auctoribus et praesertim a S. Alphonso lib. 6, tract. 1, cap. 2, n. 54 traduntur (2), ea declaret quae magis expedire in Domino iudicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione.

---

(1) In Litt. S. C. de Prop. F. ad Archiep. Armacan. *1 Decemb. 1832* haec habentur: « Quod spectat ad dubium propositum circa modum quo intelligi debeat locus Form. VI (n. 24) quo dicitur facultates de quibus in ea Formula agitur communicari posse sacerdotibus in aliquo *insigni oppido* degentibus, respondeo in facultatum concessione non agi de oppidorum splendore ac dignitate sed maxime de populi catholici bono atque utilitate. Ubi igitur talis ac tanta sit populi catholici copia commorantis in ruralibus districtibus, de quibus A. T. loquitur, poterunt sacerdotibus ibi degentibus facultates subdelegari, licet iis districtibus non conveniat titulus *insignium oppidorum* ».

(2) Ita S. Doctor l. c.: « Quaeritur an parochus possit assistere matrimonio eorum qui sunt publici peccatores. Certum est teneri parochos arcere a matrimonio eos qui nesciunt doctrinam christianam, uti constat ex Ritual. Roman. *De matrim.* sub initio, ubi praescribitur: *Parochus cognoscat utrum uterque* (sponsus) *sciat rudimenta fidei, cum ea deinde filios docere suos debeat.* Item s. congreg. habita coram Innoc. XII ann. 1697, ut refert Sum. Pont. Bened. XIV. (De Syn. l. 8, c. 14) decrevit parochos non debere procedere ad proclamationes nisi repererint contrahentes sufficienter instructos in rudimentis fidei; et hoc decretum confirmatum fuit a Clemente XI, ut in suo Bullario, ac a

1206

De forma adhibenda in erigendis et aggregandis piis Sodalitatibus.

Decr. S. C. Indulg. *8 Ian. 1861 (Ex Aud. SSmi).* — Ad Religionis et pietatis incrementum, ad mutuam charitatem inflammandam, Apostolica Sedes pluribus sive Ordinibus Regularibus, Religionibus et Institutis, sive etiam christifidelium saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus potestatem fecit alias Confraternitates et Congregationes erigendi et instituendi, nec non etiam sibi aggregandi, ac Indulgentias, privilegia, aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi.

Cum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset, quae in huiusmodi institutionibus et erectionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Clemens VIII. fel. rec. Constitutione quae incipit *Quaecumque a S. Sede Apostolica,* data sub die 7 Decembris 1604 modum praecepit servandum in his peragendis, formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit Indulgentias, privilegia etc. tantummodo communicari posse, quae nominatim et expresse Societati aggreganti concessa sunt, non tamen ea quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et quidem communicari non sub generali verborum forma, vel ad instar sed expresse et in specie, atque per dictam formulam ab ipso Pontifice approbatam; quae quidem omnia in eadem Constitutione reperiuntur praecepta sub nullitatis poena, ut clarius patet ex laudata Constitutione.

Compertum tamen est progressu temporis non ab omnibus adhibitam fuisse hanc formulam, neque privilegia neque Indulgentias adamussim communicatas quamadmodum Pontifex praeceperat.

Cum insuper statutum fuisset in eadem Constitutione ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent, et tantummodo per Decretum Congregationis Cardinalium sub Paulo V. Indulgentiarum moderationi praepositae latum die 6 Martii 1608, titulo expensarum permissum fuisset instituentibus, vel aggregantibus scutum unum aureum recipere, et quidem sub poena, inter caetera, nullitatis, prout clarius innotescit ex eodem Decreto, attamen cognitum similiter est neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse.

Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate harum institutionum seu aggregationum, Sanctitas Sua benigne sanavit institutiones et aggregationes hucusque factas in quibus aliquid ex praedictis desideretur quod perficiendum erat per Constitutionem enunciatam, aut decretum superius expressum, vel contra in iisdem praescripta peractum sit, simulque mandavit ut in posterum formula in huiusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda, concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII, cuius Constitutionis ad minus praecipua capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab eadem Sanctitate Sua approbatis (1), cuius quidem formulae exemplar, iis

---

nostro Papa Benedicto in litt. encyclic. Utrum autem, praeter hanc ignorantiam, possit parochus peccatoribus negare suam assistentiam ad matrimonium: Si contrahentes publice peterent, et essent indigni ratione peccati vel censurae occultae, recte dicunt Lugo *dist. 8, sect. 13* et Croix *n. 147* cum Arriaga et communi, parochum teneri assistere, iuxta dicta n. 47. Dubium est an assistere possit et teneatur si contrahentes sint publice indigni. Affirmant Layman *l. 5, tr. 10, p. 2, c. 4, n. 8;* Croix *l. c.* et Lugo *n. 205* cum Praepos., modo tamen parochus prius conatus fuerit disponere sponsos ad digne contrahendum. Ratio, ut dicunt, quia parochus non est minister matrimonii, sed tantum testis, unde ex una parte, cum sit publicus minister, non potest suam negare assistentiam; et ex altera licite potest assistere, cum sua cooperatio sit mere materialis. Negant vero alii auctores qui sentiunt parochum esse verum ministrum matrimonii; sed haec ratio non subsistit; nam, ut probabimus *infra de matrim.* ex *n. 897* ministri matrimonii sunt ipsi contrahentes, et parochus non est nisi merus testis. Hoc tamen non obstante, minime acquiescimus primae sententiae, et dicimus parochum non teneri nec posse assistere tali matrimonio. Favetque nobis auctoritas Summ. Pont. Benedicti XIV. *De Syn. l. 8, c. 14,* qui sic docet: *Quamvis iuxta communiorem magisque receptam sententiam non sit* (parochus) *Sacram. Matrimonii minister, tamen in multis comparatur ministro, nec licite sua praesentia et auctoritate firmare potest contractum, quem scit a contrahentibus sacrilege iniri.* Ratio nostrae sententiae est, tum quia de iure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi alter peccatum interne consummaverit, prout diximus de caritate lib. 2, n. 47, ita nec parochus in nostro casu: tum quia parochus tenetur ex iustitia, ex contractu inito cum communitate a qua stipendium accipit, incumbere saluti spirituali suarum ovium, eas avertendo a peccatis. Nec valet dicere quod contrahentes habent ius ut parochus eorum matrimonio assistat. Nam respondetur 1. quod nemo potest habere ius ad actionem in qua committitur peccatum; resp. 2. quod sponsi in tantum habent ius ad assistentiam parochi, in quantum hic tenetur ex officio incumbere eorum bono spirituali; unde cum in hoc parochi assistentia non conferret ad bonum, sed ad ipsorum ruinam, idcirco nec sponsi ius habent, neque parochus tenetur assistere: imo debet suam assistentiam negare, cum praecipua eius obligatio sit impedire peccata ovium suarum. Et quod dicimus de parocho, dicendum est etiam de testibus; qui tamen satis excusarentur a peccato, si assisterent coacti metu gravi, cum ipsi non teneantur, nisi ex caritate, impedire peccatum. Parochus autem etiam excusari potest ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato ».

(1) Praecipua capita dictae Constitutionis cum variationibus etc. haec sunt: 1. Quod unica tantum Confraternitas eiusdem Instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium quam regularium. — 2. Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem. — 3. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero

praesertim quorum interest communicandum, in Actis S. Congregationis servari praecepit, et ut Societati aggregatae ab Ordine, Instituto, seu Archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula, ac etiam typis impressus elenchus Indulgentiarum et privilegiorum ab Ordinario tamen loci recognitus; cuius impressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi Indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus etc. non obstante decreto S. C. Indicis, et altero decreto S. Congregationis Indulgentiarum explicante et moderante praedictum decretum Indicis diei 22 Ianuarii 1858.

Atque hoc decretum absque ulla Brevis expeditione publicari iussit, derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium, etiam specialis memoriae dignae.

1207

Circa piarum Sodalitatum rectores seu moderatores eligendos.

Decr. S. C. Indulg. *8 Ian. 1861 (Ex Aud. SSmi.)* — Cum plures Confraternitates, Sodalitates, Piae Uniones etc. fidelium canonice erectae reperiantur, in quibus loci Ordinarius designaverit parochum qui ratione muneris quod exercet, et pro tempore quo munere fungitur, sit constitutus Confraternitatis, Sodalitatis etc. Rector, Moderator seu quocumque titulo appelletur, proindeque facultate polleat ea gerendi, quae ad Rectores spectant, et etiam, quatenus in respectiva sodalitate id Rectori tribuatur, fideles adscribendi, habitus benedicendi et scapularia, illaque imponendi, coronas etc. pariter benedicendi, iuxta facultates ad quamlibet Sodalitatem spectantes pro similibus impositionibus, benedictionibus etc., atque dubium exortum sit circa huiusmodi designationem parochi libere et auctoritate propria peractam ab Ordinariis, facta fuit relatio SSmo D. N. Pio PP. IX in Audientia praedicta, et Sanctitas Sua derogando omnibus hucusque circa hanc designationem, quavis auctoritate et quovis modo aliter praescriptis, benigne sanavit, quatenus opus sit, tales designationes parochorum, nec non acta per ipsos tamquam Rectores, et adscriptos per eosdem parochos, quatenus Rectoris munus, quo funguntur in respectiva Sodalitate, fideles adscribendi sit, valide adscriptos habendos esse declaravit, nec non benedictiones habituum, scapularium etc. coronarum etc. et impositiones etc. ab eisdem factas, prout Rectoribus in respectiva Sodalitate tribuitur, ratas habendas esse concessit. Quoad futurum vero eadem Sanctitas Sua benigne impertiri dignata est ut Ordinarii locorum libere designare possint, si ita in Domino expedire iudicaverint, parochos pro tempore in Rectores, Moderatores etc. Confraternitatum etc. non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

1208

De electione Episcoporum statuum foederatorum Americae Septentrionalis.

Decr. S. C. de Prop. F. *21 Ian. 1861* — Quum ad catholicae Ecclesiae utilitatem atque ad animarum salutem promovendam nil magis conferre compertum sit, quam ut Dominico gregi sacrorum Antistites doctrina ac prudentia insignes praeficiantur, idcirco S. Sedes peculiare quovis tempore studium in negotio electionis Episcoporum adhibendum curavit. Quam utique in rem sapientissimae extant canonicae sanctiones, variae quidem pro varietate temporum ac regionum, at specialibus semper et temporum et locorum adiunctis accommodatae. Nil igitur mirum si pro foederatis Statibus Americae Borealis, ubi novae passim efformantur civitates novaeque proinde tractu temporis dioeceses ac Provinciae ecclesiasticae instituuntur, Sacrum Concilium Christiano Nomini Propagando opportuna haud multis ab hinc annis ediderit decreta, quibus tales eligerentur pro vacantibus sedibus Episcopi, quales inibi catholicae religionis status eiusque in dies progressus ac dilatatio postularent. Et sane laudatum S. Consilium die 18 Martii 1834 decretum edidit *super methodo servanda in Episcoporum dioecesium foederatarum Americae Sept. provinciarum electione* quod sic se habet:

« Cum ad Religionis incrementum in foe-
« deratis Americae regionibus stabilius procu-
« randum in primis conferat, ut Episcoporum
« dioecesum ibi statutarum electionis gravis-
« simum negotium rite sancteque absolvatur:
« S. C. de Propaganda Fide valde opportunum

---

ea quibus per privilegium communicationis gaudet. — 4. Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci, et ab eodem corrigi possint. — 5. Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. — 6. Quod confraternitas eleemosynas excipiat et eroget iuxta formam ab Ordinario praescribendam. — 7. Quod litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta expediri et concedi possint; et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, cordulis, cera, secretarii notariique labore vel mercede, aliisque omnibus eam quantitatem quae non excedat summam scutorum sex monetae romanae in Italia, et extra non excedat summam libellarum vulgo *francs* triginta pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat. — 8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum et indulgentiarum nullius sint roboris vel momenti, et quilibet superiorum atque officialium privationis officiorum quae obtinent, atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

« esse ad hoc consequendum existimans, ut « certa methodus ubique in illis dioecesibus « servanda statuatur, qua fiat, ut Sedes Apostolica exploratam notitiam habere possit meritorum sacerdotum pro quibus commendationes afferuntur, in generali conventu die 18 Martii anno 1834 habito, et referente Emo et Rmo D. I. Antonio S. R. E. Cardinali Sala, « censuit ac decrevit in ea re esse servanda quae « sequuntur.

« Cum aliqua Sedes Episcopalis vacaverit, « requirendum est Episcoporum omnium provinciae ecclesiasticae suffragium de sacerdotibus singulis, qui Sedi Apostolicae commendandi esse videntur pro nova Episcopi electione. Quoniam vero id in Concilio provinciali facillime et accurate fieri potest, si intra tres menses ab obitu Episcopi Concilium « provinciale habendum est, expectanda erit « Concilii celebratio antequam ad commendandos sacerdotes, qui Episcopatu digni censentur, ad S. Congregationem scribatur. In Concilio autem, collatis inter se sententiis, Episcopi statuant, quos sacerdotes S. Sedi commendent vere idoneos, et de Ecclesia benemeritos qui Sedes vacantes obtineant, vel « coadiutoris officium suscipiant illius Episcopi « qui auxilio coadiutoris indigere censeatur.

« Quod spectat vero ad casus quibus, prout « superius statutum est, Concilii provincialis celebratio non ita proxima sit, ne Sedes Episcopalis aliqua diu vacet, primum hoc magnopere opportunum factu est, ut singuli Episcopi litteras subscriptas, et sigillo munitas « duplici exemplo apud se habeant quibus « contineantur nomina trium saltem sacerdotum quos idoneos arbitrentur ad dioecesim « regendam ; hae autem litterae ita exterius obsignari debent, ut, adveniente Episcopi morte, « Vicario generali tradendae esse intelligantur: « Vicarius vero generalis alterum earum litterarum exemplum ad Archiepiscopum, alterum ad propinquiorem, vel ad seniorem duobus Episcopis propinquioribus deferendum « curet. Eo litterarum exemplo accepto Episcopus propinquior ad Archiepiscopum scribet suasque animadversiones adiiciet. Epistola Episcopi propinquioris ad Archiepiscopum delata, vel, si neglexerit is scribere, rationabili elapso temporis spatio, Archiepiscopus ad omnes Episcopos ne propinquiori quidem excepto scribet, et nomina illa cum suis « animadversionibus communicabit, aliorum « etiam nominibus additis, si illi quos Episcopus designaverat Archiepiscopo idonei minime videantur. Post acceptas Archiepiscopi « litteras, omnes Episcopi ad S. C. sine mora « scribent, suas sententias et suffragia de tribus illis vel sex commendatis exposituri. Vacante « Sede Metropolitana, litterae Archiepiscopi demortui nomina trium sacerdotum designantes « a Vicario generali ad Episcopum propinquiorem, et ad suffraganeum Episcopum seniorem, mittendae sunt. Episcopus autem senior « suffraganeus faciet ea omnia quae de Archiepiscopo superius statuta sunt, ubi agitur de « Episcopi electione. Quod si apud Episcopum « vel Archiepiscopum demortuum litterae memoratae de trium sacerdotum designatione « non reperiantur, Vicarius generalis Episcopum propinquiorem, vel seniorem ex duobus « propinquioribus, de ea re certiorem statim « faciet, ut Episcopus propinquior tria designet « sacerdotum nomina epistola ad Archiepiscopum mittenda. Archiepiscopus, ea accepta, ad « omnes Episcopos scribet, et ea omnia fient « quae iam indicata sunt circa agendi rationem tenendam ubi litterae Episcopi aut Archiepiscopi sacerdotum nomina ante mortem « designantis fuerint repertae. Si Episcopus « propinquior ad Archiepiscopum scribere neglexerit, Archiepiscopus ipse tria nomina sacerdotum suffraganeis omnibus, propinquiori non excepto, designabit. Si agatur de Archiepiscopi electione, senior Episcopus suffraganeus faciet omnia, quae in Episcopi electione, ab Archiepiscopo facienda esse decretum est.

« Quod pertinet ad electionem Coadiutorum, « excepto casu quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit, Episcopus, qui « coadiutorem petit, nomina trium sacerdotum « Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit, supplicem libellum de ea re ad S. C. mittet, et Archiepiscopus et Episcopi S. Congregationi mentem suam de coadiutore eligendo « communicabunt. Haec sunt quae in commendandis Sedi Apostolicae sacerdotibus pro Foederatae Americae Episcoporum electione S. C. « servanda praescripsit. Ea vero decernens notum omnibus esse voluit in litteris de hac « pertractantibus ad S. Sedem transmittendis « nihil inveniri debere, quod electionem aut « nominationem praeseferat, ita ut etiam ex « litterarum forma pateat nullam in S. Sedem « inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illaesa « Sedis Apostolicae libertas in eligendis Episcopis; commendationes vero lumen tantum « et cognitionem S. Congregationi non autem obligationem afferent.

« Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 14 Iunii 1834 ».

Huic autem Decreto Emi ac Rmi Patres Sacrae Congregationis in conventu generali habito die 10 Augusti 1850 et aliud addendum consuerunt sequentis tenoris:

« Sacra Congregatio de Propaganda Fide « die 14 Iunii an. 1834 decretum edidit, quod « incipit: *Cum ad religionis incrementum*, inscribitur vero: *De methodo servanda in Epi- « scoporum dioecesum foederatarum Ameri-*

« *cae Septentrionalis provinciarum electione.* « Cum vero deinde, Deo favente, dioecesum « numero per illam regionem aucto, Ecclesias « quae antea uni Metrópolitae suberant, inter « plures partiri necesse fuerit: aliquid supradicto « decreto seu instructioni addendum visum est « ut commendatio sacerdotum pro vacanti- « bus Ecclesiis ea ratione fiat, quae cum nova « illarum partitione, ac Provinciarum statu co- « haereat. Proinde S. C. in generali conventu « die 10 mensis Iunii anni huius habito, re- « ferente infrascripto eiusdem Praefecto, omnibus « mature perpensis, ratione quoque voti habita « ea de re ab Episcopis exhibiti ex Concilio VII « Baltimorensi; decrevit ut in posterum, ser- « vatis quoad reliqua iis quae in supradicto « decreto continentur, Archiepiscopus Provin- « ciae ad quam pertinet Ecclesia de novo Pa- « store providenda, commendationem sacerdo- « tum, qui proponuntur, ad ceteros Archiepisco- « pos transmittat, qui S. Sedi suam sententiam « de sacerdotibus sic commendatis aperiant. « Datum etc. »

Mense tamen Augusti anni 1856 idem Sacrum Consilium Provinciis ecclesiasticis Baltimorensi, S. Ludovici, Neo-Aurelianensi ac Concinnatensi indulsit ut de commendandis candidatis pro sedibus vacantibus agatur in coetibus Episcoporum comprovincialium addita tantum obligatione scribendi ad Metropolitanum vel Episcopum non comprovincialem quum res sit de candidatis a Provincia extraneis. In Comitiis vero generalibus die 7 Augusti 1859 et illud decretum fuit, ut cum novus Archiepiscopus vel Archiepiscopi coadiutor eligendus sit, omnes circa eiusmodi electionem Foederatorum statuum Metropolitani consulantur.

Porro etsi eiusmodi normas opportunissimas esse ac religiose ab Episcopis foederatorum Statuum in praxim deductas fuisse constaret, nihilominus cum hinc adiuncta Sept. Americae graviora quotidie efficerentur, seduliorem-que Pastorum Ecclesiae vigilantiam exquirerent, inde vero quae humana sunt mutari semper in melius valeant ac perfici ulterius, propterea Emi ac Rmi Patres S. Congregationis de Prop. Fide, et alia quaedam supradictis decretis addi opportune posse censuerunt, ex quibus sacerdotum ad Episcopatum in iis regionibus promotiones, quantum humana fragilitas patitur, omni prorsus exceptione maiores ac sub quolibet respectu optimae obtineantur.

Quamobrem factum est ut Sacra haec Congregatio datis sub die 25 Maii 1859 literis ad omnes Foederatorum Statuum Archiepiscopos, ab iisdem petierit, ut quaecumque in sua sententia prodesse possent ad perficiendam hactenus vigentem in America Sept. rationem eligendi sacrorum Antistites, ea diligenter atque ingenue patefacerent.

Quandoquidem vero omnes ad unum memorati Archiepiscopi, prout singulis in Domino visum fuerat, responderint, Emi ac Rmi Patres praelaudatae S. Congregationis in generalibus comitiis habitis die 21 Ian. huius anni diligens responsionum examen instituerunt, pluraque in eis sapienter dicta atque ad intentum finem non parum utilia invenerunt. Quibus omnibus mature perpensis, censuerunt quidem haud recedendum esse a Decretis supra relatis dierum 14 Iunii 1834 nec non 10 Aug. 1850, ac posterioribus declarationibus, quibus vigens per Americam electionum systema innititur, verum illis quae sequuntur adiicienda putarunt atque ab omnibus ad quos spectat S. Sedi proponere viros ecclesiasticos pro vacantibus dioecesibus Foederatorum Statuum, stricte servanda mandarunt.

1. Omnes ac singuli Foederatorum Statuum Antistites tertio quoque anno tum Metropolitano Provinciae suae, tum S. Congregationi de Prop. Fide nomina sacerdotum exhibebunt, quos dignos atque idoneos ad munus episcopale obeundum existimaverint. Id vero secretissime praestabunt, ne forte cuiuspiam ambitio excitetur.

2. In notulis eiusmodi conficiendis maxima pro viribus utentur cura, ut de qualitatibus eorum qui commendantur certiores fiant.

3. Quum aliqua Sedes vacaverit sive episcopalis sive metropolitana, Antistites omnes ad quos pertinebit summo Pontifici commendare viros ecclestiasticos, ut eorum unus vacanti Ecclesiae praeponatur, in synodum aut in specialem coetum convenient, ut proponendorum qualitates discutiant ad tramitem quaestionum quae hanc in rem typis impressae praesentibus litteris apponuntur (1).

4. Antequam vero praedictus conventus convocetur, ad Archiepiscopum vel seniorem pro-

---

(1) Dictae quaestiones ita se habent: *Notiones ac quaestiones circa qualitates quae necessariae sunt in promovendis ad episcopale munus ac dignitatem.*

1. Nomen, cognomen, aetas, patria candidati, *(indicetur ubinam, et quo die sit natus)*. — 2. Dioecesis originis, et cui sit in praesens addictus. — 3. Ubinam studiis theologicis vacaverit, et quo profectu. — 4. An gradus assecutus fuerit, et quos. — 5. An professor extiterit, et cuius facultatis. — 6. An et ubi missiones sacras obierit, et quam in eis experientiam obtinuerit. — 7. Quot linguas calleat, et quas. — 8. Quibus officiis sit perfunctus, et quo successu. — 9. Quam prudentiam exhibuerit in deliberationibus et agendi ratione. — 10. An sit corpore sanus, frugi, patiens, atque in administratione rerum temporalium versatus. — 11. Utrum sit propositi tenax, an ingenio mutabilis. — 12. Num gaudeat fama honestatis, et an fuerit unquam in eo quid contra mores. — 13. An in exercendis sacerdotalibus muniis sit attentus, compositus cum aedificatione, rubricarum studiosus observator. — 14. An habitu, gestu, incessu, sermone aliisque omnibus gravitatem ac religionem praeseferat.

vinciae Episcopum eorum nomina transmittentur, quos singuli Antistites commendandos esse putaverint.

5. Qualitates candidatorum publice in coetu Episcoporum discutientur, praesidente Archiepicopo vel seniore provinciae Antistite: suffragia vero secreto in urnam immittentur.

6. Acta denique conventus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Archiepiscopo, vel Episcopo provinciae seniore deferentur (1).

Notandum: *In Concilio Plenario Baltimorensi III quod a S. C. de Prop. Fide recognitum est decreto 21 Septemb. 1885 haec statuta sunt:* 1. Quando ob sedem vacantem proponenda sunt S. Sedi nomina eorum qui commendandi videantur pro dioecesi vacante, convocentur consultores et rectores inamovibiles praedictae dioecesis. Horum erit tria nomina eorum quos dignos iudicaverint Episcopis provinciae indicare, ut hi prae oculis habeant haec nomina in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

2. Consultoribus et rectoribus ita congregatis praesideat Archiepiscopus, vel si impeditus est, Episcopus suffraganeus eiusdem provinciae ab ipso delegandus; si vero de sede metropolitana vacante agatur, congregatis praesideat suffraganeus antiquior ratione ordinationis, vel eo impedito, alius Episcopus ab ipso delegandus.

3. Antequam ad suffragia ventum fuerit, consultores et rectores praedicti iurent se neque gratia neque favore induci ad suffragium ferendum. Huiusmodi autem suffragium erit secretum et consultivum tantum.

4. Praeses mittet verbale huius conventus, secretarii subscriptione signatum, ad ceteros Episcopos et ad S. Congregationem.

5. Die constituta convenient Episcopi, et nomina sic proposita, vel alia ab ipsis proponenda, iuxta Instructionem S. Congregationis die 21 Ianuarii 1861 datam discutient, et notulam trium candidatorum Sanctae Sedi exhibendam conficient. Quod si iudicaverint nomina a clero proposita esse reiicienda, rationes suas Sacrae Congregationi exponere non omittant.

6. In reliquis omnibus praedictam Instructionem sequantur.

Quum vero agitur de designando Episcopo coadiutore cum iure successionis, omnino serventur quae in regulis 1, 3, 4, 5, et 6 supra citatis enumerantur. Regula autem 2 sic immutabitur: Consultoribus et rectoribus ita congregatis praesidebit Archiepiscopus sive Episcopus pro quo coadiutor eligendus est; aut, si impeditus sit, Vicarius Generalis, vel alius sacerdos ab ipso delegandus. Episcopus autem hoc in casu poterit, si velit, suggerere aut designare nomina eorum, qui ipsi pro hoc munere maxime accepti forent.

In electione Episcopi pro dioecesi noviter erecta observentur quae in regulis 1, 2, 3, 4, 5, 6 supra praescribuntur. Regula autem 1. erit sequens: Quando S. Sedi proponenda sunt nomina eorum qui commendandi videntur pro dioecesi noviter erecta, convocentur consultores dioecesis vel dioecesum, e quibus nova dioecesis formata est, et rectores inamovibiles novae dioecesis. Horum erit tria nomina eorum, quos dignos iudicaverint, Episcopis provinciae exhibere, ut ii prae oculis habeant haec nomina in proponendis Sedi Ap. candidatis.

1209

Circa vinum pro Missae sacrificio.

Litt. encycl. S. C. de Prop. F. *10 Martii 1861.* — Ex novis humani ingenii inventis quibus aetas haec nostra ceteris antecellit, etsi commoda plus quam mediocria percipiantur, eorum tamen occasione abusus non pauci, iique in rebus gravissimis occurrere deprehenduntur. Cum igitur ex chymicae progressibus eo ventum sit, ut multa in naturae similitudinem componantur aut conficiantur, contingit frequentissime, ut in regionibus praesertim uvarum penuria laborantibus vina quaedam fabricentur, quae musto ex uvis expresso minime constant. Hinc vero plures per Ecclesiam Antistites talia recenter edere decreta debuerunt, quibus vini artefacti usus prohiberetur omnino ab altaris ministerio, quo videlicet, Divini Sacrificii securitati, ut par erat, consuleretur. Quam quidem in rem sicut in ipsa Urbe Emus Sanctitatis Suae Vicarius quaedam adsignavit loca, ubi vinum de vite tamquam tale recognitum ab ecclesiarum rectoribus aliisque sacerdotibus emi posset, ita aliis in locis ea Episcopi in eumdem finem statuerunt quae pro sua prudentia expedire iudicarunt. Porro vel in ipsa America res tanti momenti Episcoporum vigilantiam non effugit, ideoque notum est Sacrae huic Congregationi decreta quaedam in Provincialibus Conciliis fuisse condita, ut caveretur ne quis vinum artefactum in Missae Sacrificio adhiberet. Quandoquidem vero hisce non obstantibus nuper a SSmo Domino nostro petitae fuerint sanationes super obligationibus Missarum in quibus bona fide vinum arte confectum fuerat adhibitum, idcirco comperuit Sanctitas Sua Antistitum curas aut decreta finem intentum haud plene atque ubique locorum fuisse consecuta.

Quae cum ita sint iussit Beatissimus Pater, ut vigilantia omnium ac singulorum Antistitum

(1) Huiusmodi norma pro electione Episcoporum extensa fuit ad dioeceses Canadenses in Congr. Gen. 2 Dec. 1862.

et Vicariorum Apostolicorum a S. Congregatione christiano nomini propagando praeposita dependentium, (praesertim illorum locorum in quibus vites vel parum vel nullo modo coluntur) suo nomine excitaretur ad eas edendas praescriptiones vel cautiones sacerdotibus praescribendas,, quibus omne nullitatis periculum a Sacrificio Altaris, quod supremus est religionis actus, penitus arceatur.

1210

De nova altaris consecratione ob remotionem lapidis sepulchri Reliquiarum.

S. R. C. *14 Martii 1861* — Newport. — Dum innotuit Rmo Episcopo Newporten. quod, in quodam altari fixo suae dioecesis, lapis pro sigillo sepulchri Reliquiarum inserviens, ob defectum calcis qua conglutinabatur, amplius sepulchro non haerebat, ipse, ut rem melius exploraret, lapidem ipsum manu sua movit, et cum reipsa solutus esset, de situ sublevavit, Reliquias tamen nullo modo tetigit vel dimovit, deinde lapidem reposuit. Quibus expositis, a S. Sede declarari humillime postulavit: 1. An altare de quo supra, consecrationem amiserit. — 2. An debeat denuo consecrari, vel sufficiat sigillum denuo conglutinare et claudere? — 3. In casu quo sigillum tantum debeat iterum reponi, an calx qua conglutinatur, debeat benedici prout in consecratione altaris.

R. Altare, de quo in precibus, nova consecratione indigere.

1211

De Baptismi administratione in sacristia Cathedralis.

S. R. C. *14 Martii 1861* — S. Iacobi de Cile — 1. An, ubi viget consuetudo, liceat Baptismi sacramentum solemniter administrare in sacristia Cathedralis.

De asservatione SS. Eucharistiae in pluribus altaribus.

2. Utrum ferri possit consuetudo plurium ecclesiarum... asservandi SS. Eucharistiam in duobus aut tribus altaribus; et nonnunquam occasione novemdialis, aut alicuius festivitatis transferendi etiam in aliud altare diversum ab illis, in quibus ordinarie asservatur.

De expositione SSmi Sacramenti sine Ordinarii venia.

3. Utrum servanda sit consuetudo exponendi publicae adorationi SS. Sacramentum, tum in ecclesiis Regularium tam in iis in quibus adest indultum Apostolicum asservandi Eucharistiam, sine Ordinarii licentia.

R. Ad 1. Negative; nisi adsit rationabilis causa ab Archiepiscopo approbanda.

Ad 2. et 3. Negative.

1212

An parocho bis celebranti aliqua permitti queat pro altera Missa remuneratio intuitu laboris.

S. C. Concilii *23 Martii 1861* — 1. Utrum parochi qui, ut menti fundatorum fiat satis, diebus dominicis et festis binam, obtenta facultate, dicunt Missam, et pro fundatoribus *primissariarum* (quae ob exiguitatem redituum et penuriam sacerdotum plerumque proprio carent sacerdote) applicant, salarium ex fundo *primissariarum* pro peculiari labore percipere possint.

2. Utrum parochi qui pro necessitate circumstantiarum diebus dominicis et festis bis celebrant, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium annuum a parochianis oblatum percipere valeant.

R. Posse permitti prudenti arbitrio Episcopi aliquam remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae.

1213

De administratione Baptismi adultis periculos decumbentibus (sive idiotis, sive edoctis et dispositis) in templun non deferendis.

S. C. S. Officii *10 Apr. 1861.* — Tchely Meridio–Orientalis — An adultis infirmis, quando ad capellam publicam nunquam posse deferri praevideatur, solemnis Baptismus conferri possit et debeat: aut, quando a christianis baptizati sunt, an iisdem baptismi caeremoniae possint et debeant suppleri domi. Duplex plerumque occurrit casus: 1. Sunt quidam adulti qui in morbo periculoso baptizari petunt: verum isti, vetulae plerumque atque plebaeii adeo rudes sunt, et aliquando senio morboque confecti, ut nihil addiscere, nihil memoria retinere queant. Se credere, se velle ascendere caelum, se timere infernum profitentur. Si mors imminere videatur, missionarius eos domi baptizat sine solemnitate; nec alia sacramenta eis conferre audet ratione huiusmodi ignorantiae, ob ipsorum sacramentorum venerationem, et ad vitandam quamdam christianorum admirationem. — 2. Sunt vero alii adulti bene edocti et dispositi qui periculose decumbentes, vel absente sacerdote, a christianis iam baptisati sunt, vel a sacerdote praesente baptizari, aut sibi baptismi caeremonias suppleri, aliaque sacramenta administrari petunt, quique, propter infirmitatem et periculum, ante mortem nunquam deferri posse ad templum probabilissime praevidentur. Quaeritur:

1. An in primo casu bene se gerat missionarius.

2. An, iuxta exposita in secundo casu, huiusmodi adultis infirmis domi solemnis Baptismus dari, aut caeremoniae suppleri possint et debeant.

3. An extra casum urgentissimae necessitatis alia sacramenta, etiam Poenitentiae, nondum domi vel in templo suppletis Baptismi caeremoniis, administrare liceat.

4. An in Baptismo solemni domi collato, vel in eius supplendis caeremoniis, servandi sint omnes ritus, qui in Rituali Romano praescribuntur.

R. Ad 1. Adultos qui in morbo periculoso baptizari petunt, quique christianae religionis mysteriis iuxta proprii captus mensuram intellectis credunt, et actum contritionis vel attritionis eliciunt, serioque promittunt se servatu-

ros mandata eiusdem religionis, baptizari debere. Et pariter licere conferre baptismum adultis in mortis periculo constitutis qui peccata sua dolentes, et baptismum suscipere cupientes, nequeunt temporis defectu in fidei mysteriis instrui, dummodo iisdem fidei mysteriis vel simplici oris affirmatione, vel nutibus saltem, ostendant se consensum praebere. In baptismo autem domi conferendo ob imminens mortis periculum, omissis caeremoniis quae baptismum praecedunt, iuxta rubricam Ritualis, illae poterunt adhiberi quae baptismum subsequuntur. Praeterea hisce neophytis moribundis non esse administrandum Viaticum nisi saltem discernant cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in Sacra Hostia praesentiam Christi Domini. Nec conferendum Sacramentum Confirmationis, nec Extremae Unctionis illis neophytis moribundis, quos missionarius capaces Baptismi credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem percipiendi Confirmationem ad robur animae suae adiiciendum, et recipiendi S. Unctionem in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam. Curandum tamen ut, si huiusmodi adulti convaluerint, opportunis instructionibus circa fidei mysteria, et naturam atque effectus sacramentorum diligenter edoceantur, et omissa omnia in baptismi susceptione suppleantur.

Ad 2. et 3. Affirmative.

Ad 4. Posse et teneri uti illis caeremoniis quibus possunt uti.

1214

Circa dispensationes oretenus datas.

Litt. S. C. de Prop. F. *24 Apr. 1861* (AD ARCHIEP. DUBLINEN.) — Nel n. 7 della Formola (VI) si dice: *tenor huiusmodi facultatum (videl. 3, 4, 5 et 6) inseratur cum temporis ad quod fuerint concessae:* dalle quali espressioni Ella è stata condotta a credere che le dispense debbano darsi in iscritto, mentre altri opinano in questo diversamente. In realtà il S. Offizio e questa S. C. hanno più volte dichiarato esser mente della S. Sede che, quando non vi siano veri ostacoli, debba osservarsi la suddetta clausola nel senso inteso da V. S. Ove però per qualunque causa non si dia la dispensa in iscritto, ma *oretenus,* si trova dichiarato che ciò non la rende invalida, giacchè nella Formola non si contiene alcuna clausola irritante.

1215

De decretis circa pastorum animarum residentiam.

Litt. encycl. S. C. de Prop. Fide *24 Apr. 1861.* — Quandoquidem divino praecepto animarum rectoribus mandatum sit oves suas agnoscere, easque pascere verbo Dei, Sacramentis, atque exemplo bonorum operum, idcirco ii ad personalem in suis dioecesibus vel Ecclesiis residentiam obligantur, sine qua iniuncto sibi officio defungi per se ipsos minime possent. Porro pastoralis residentiae debitum quovis tempore Ecclesia Dei asserere atque urgere non destitit; cuius sollicitudinis luculenta exhibent testimonia non modo veteres canones, sed et sacrosancta Tridentina Synodus Sess. VI, cap. 1. de Reform. et Sess. XXIII de Ref. cap. 1, ac novissime Summus Pontifex Benedictus XIV qui Constitutione *Ad universae christianae reipublicae statum* edita die 3 Septembris 1746 residentiae obligationem et inculcavit sedulo, et disertissime explicavit.

'Quod si ubique locorum pastores animarum, pro officii sui ratione, continenter in medio gregis vivere oportet, ad id potiori etiam titulo illi tenentur quibus animarum cura demandata est in locis Missionum. Cum enim fideles in Missionibus graviora passim subire cogantur pericula, dum minora ut plurimum iis praesto sunt adiumenta virtutum, peculiari ac praesentissima indigent vigilantia atque ope pastorum. Haud igitur mirum si sacro Consilio Christiano Nomini Propagando nil fuerit antiquius quam datis etiam decretis curare ut a se dependentes Episcopi Vicariique Apostolici, in suis Missionibus, quoad fieri posset, absque ulla interruptione residerent. Quam quidem in rem eo usque pervenit Sancta Sedes, ut laudatis Praesulibus sub gravissimis poenis prohibuerit, ne pontificalia munia in aliena dioecesi vel districtu etiam de consensu Ordinarii ullo modo peragerent.

At quoniam, hisce non obstantibus, haud raro contingit ut Praelati Missionum, inconsulta Sede Apostolica, et absque vera necessitate aut causa canonica perlonga suscipiant itinera, ex quo non mediocria commissae illis Missiones pati possunt detrimenta, propterea Emi ac Rmi Patres Sacrae huius Congregationis in generalibus comitiis habitis die 21 Ianuarii huius anni expedire censuerunt, ut in memoriam revocarentur praedictorum Praesulum canonicae sanctiones circa Pastorum residentiam, nec non decreta quae circa eiusdem obligationem edita sunt pro locis Missionum, ne quis videlicet in posterum dioecesim aut districtum, cui praeest, vel ad tempus relinquat absque praevia licentia eiusdem S. Congregationis (1). Quod quidem dum Paternitati tuae significo ex mente Emorum Patrum, decreta, de quibus supra, addere non praetermitto (Num. I).

(1) In Litt. S. C. de Prop. F. *14 Aug. 1861* declaratur: « Inhibitionem, quae pro animarum pastoribus « continetur in epistola encyclica diei 24 Aprilis huius « anni, recedendi scilicet e suis dioecesibus vel missionibus (etsi ageretur de itinere in Urbem ineundo) « intelligendam esse non absolute, sed de omnibus casibus in quibus nulla sit causa canonica discedendi ».

De relatione circa Missionum statum exhibenda.

Praeterea Emi ac Rmi Patres in iisdem generalibus comitiis statuerunt, ut universis Episcopis, Vicariis, ac Praefectis Apostolicis Missionum *Quaestiones* transmittantur pro relatione exhibenda Sacrae Congregationi de statu dioecesum vel Missionum queis praesunt. Cum enim ii omnes qui Missionibus praeficiuntur praedictam relationem statis temporibus subiicere S. Sedi teneantur, voluit Sacrum Consilium ut eam in posterum exigendam curent ad normam 55 quaestionum quae in adiecto folio continentur (Num II), utque in iis praesertim accuratiores se praebeant, quae ad vitam, honestatem ac scientiam sacerdotum referuntur.

Num. I. — *Decreta et declarationes S. C. de Prop. F. super residentia Praesulum in locis Missionum:* — 1. In Congreg. Gen. 28 Martii 1651 *(coram SSmo)* « Sanctitas Sua decrevit « quod Episcopi S. Congregationi de Prop. Fide « subordinati non possint exercere pontificalia « in aliis praeterquam in propriis Ecclesiis, « etiamsi esset de consensu Ordinariorum sub « poena suspensionis ipso facto incurrendae, « ac eidem Pontifici reservatae, dummodo a « praefata S. Congregatione non sint in certo « loco destinati Vicarii Apostolici, seu Admi- « nistratores alicuius Ecclesiae deputati ». Similia decreta prodierunt ab eadem Sacra Congregatione die 26 Iulii 1662 et 17 Iulii 1715. 2. In Congr. particulari 7 Maii 1669: — Cum iteratis per S. C. decretis exercitium pontificalium extra dioeceses Episcopis eiusdem S. C. assignatas prohiberetur, quaesivit Episcopus Heliopolitanus: « An dicta decreta intelligenda « essent vim suam habere intra fines Europae « tantum, an vero extenderentur etiam ad alia « loca, per quae transeundum esset, cum ad « suas Ecclesias proficisceretur. S. C. respon- « dit decreta prohibentia dictum exercitium « pontificalium extendi ad omnia loca, etiam « extra fines Europae » (1). — 3. In Congr. Gen. 10 Iulii 1668 Emi ac Rmi Patres S. Consilii Christiano Nom. Propag., attentis expositis contra Episcopos ab eodem S. Consilio dependentes, qui cum detrimento suarum dioecesium eas deserebant ut Romam vel alia loca peterent, statuendum censuerunt: « Inhibeatur Episcopis « S. Congregationi subiectis ne Romam sub « quovis praetextu veniant, absque licentia Sa- « crae Congregationis. Decretum editum a. 1626 « renovarunt » *(V. n. 24).*

Num. II. — *Quaestiones pro relatione dioecesis ad Sacram Congreg. de Propaganda Fide.* — 1. Exprimantur nomen, aetas, patria Episcopi, et etiam Institutum, si sit Regularis.

2. Amplitudo et qualitas dioecesis.

3. In qua provincia sit, vel quot provincias contineat.

4. Si Ecclesia sit Archiepiscopalis, quot et quales habeat suffraganeos; si vero Episcopalis, cuius Archiepiscopi sit suffraganea.

5. An habeat Cathedralem, et propriam residentiam, et in qua civitate.

6. An Episcopus habeat facultates speciales a S. Sede et quas.

7. An habeat reditus proprios, quot, et in quo consistunt.

8. Enumerentur loca dioecesis, et eorum respective distantia.

9. Quando visitatio dioecesis fuerit peracta; num ad tramites praescriptionum canonicarum.

10. Quando provinciales ac dioecesanae Synodi fuerint habitae.

11. An pro exercitio iurisdictionis aliqua inferatur molestia ab Episcopis finitimis.

12. An habeat Capitulum, et ex quot canonicis constet;

13. An adsint praebendae, et quae.

14. Quale servitium praestent canonici Cathedrali: et an etiam fungantur munere parochi in locis dioecesis.

15. An resideant intra fines parochiae.

16. An se immisceant in regimine Ecclesiae, impediant liberam iurisdictionem Episcopi.

17. An habeat Seminarium et ubi: quot iuvenes ibidem alantur, et quibus studiis vacent.

18. Num Concilii Trid. regulae circa Seminaria serventur.

19. An ibi adsint parochi, vel tantummodo simplices missionarii.

20. An parochi sint perpetui, vel ad nutum amovibiles, et an Missam celebrent festis diebus pro populo.

21. An eligantur ab Episcopo.

22. Quot sint parochiae: an in eis servetur Sacrosancta Eucharistia, et qua decentia.

23. An habeant fines certos, et propriam ecclesiam: et quot capellae inveniantur in districtu uniuscuiusque parochiae.

24. An aliquae parochiae sint addictae Ordinibus Regularibus et quibus.

25. An parochi habeant sacerdotes, qui eos adiuvent in cura animarum.

---

(1) S. C. de Prop. Fide cum comperisset generalem inhibitionem quae continetur in superioribus decretis non mediocri quandoque incommodo esse, praesertim quum Antistites ob adversam valetudinem, ad ea peragenda quae episcopalis sunt potestatis, vicinum aliquem Praesulem accersere coguntur, in Gen. Conventu habito 2 Augusti 1819 censuit supplicandum SSmo pro eorumdem decretorum moderatione, ita ut *quando rationabili causa vel urgente necessitate, Episcopi seu Vicarii Apostolici ad alienas Dioeceses vel Vicariatus se conferunt, possint sibi invicem communicare facultatem pontificalia exercendi, dummodo tamen semper accedat Episcopi seu Vicarii loci consensus, inviolatumque de cetero maneat residentiae praeceptum.* Id autem Summus Pontifex Pius PP. VII in Aud. diei 8 Augusti eiusdem anni ratum habuit ac probavit.

26. Exprimatur numerus et qualitas catholicorum in singulis quibusque locis degentium.

27. An sint et quo numero scholae catholicae, et quot in iis instituantur.

28. An adsit Doctrina Christiana in lingua vernacula expurgata ab omni errore.

29. An sint et quo numero scholae acatholicorum, et num catholici, et quo numero illas adeant.

30. Exprimatur numerus sacerdotum indigenarum et exterorum.

31. Eorum patria, mores, munera in quibus se exercent, et cuius utilitatis sint pro servitio Ecclesiae.

32. An huiusmodi sacerdotes facultates habeant a Sede Apostolica, et cuius expensis vivant.

33. An inter istos inveniantur alumni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide: quinam sint: et an satisfaciant muneri suo.

34. Exprimantur etiam nomen, aetas, et qualitates sacerdotum indigenarum, qui sunt extra dioecesim: tum etiam adnotentur loca in quibus morantur: quid ibi peragant: et an ex aliquo peculiari titulo teneantur inservire propriae Ecclesiae.

35. An sint etiam clerici, et quot: quomodo, et ad quem titulum ordinentur; ubi resideant; et quid ab illis exigatur, ut ad sacros Ordines promoveri possint.

36. An adsint missionarii Regulares, quot, cuius Ordinis, et cuius regionis.

37. An cuilibet Ordini sint assignati certi districtus; et qua auctoritate.

38. Ubi resideant, quibus Superioribs subsint, et quot habeant domos.

39. An habeant conventus formatos, vel dumtaxat hospitia: et in iis seryetur clausura.

40. An in communi vivant, et cum regulari observantia, vel habitent soli et in domibus privatis cum saecularibus: et praecipue cum mulieribus.

41. In quo habitu incedant.

42. An admittant ad habitum et professionem sui Ordinis indigenas, et qua auctoritate.

43. An Regulares habeant facultates speciales, et an eas exhibeant Episcopo, antequam exerceant.

44. In quibus dependeant ab Episcopis.

45. Quibus mediis sustententur: an aliquid pro sacramentorum administratione percipiant, et quae sit illorum fama.

46. An, et in quibus utile opus praestent pro salute animarum, et pro incremento religionis.

47. An sit aliquis monialium conventus; cuius Instituti; qua auctoritate fundatus; et cuius curae et ministerio subsit.

48. An ibidem observetur vita communis, et an moniales obstringantur votis solemnibus paupertatis, castitatis, obedientiae: et clausura.

49. An sint in dioecesi piae aliquae fundationes, seu legata pia.

50. An reditus pro huiusmodi legatis rite administrentur, et canones de re serventur.

51. Enumerentur omnes abusus, qui forte irrepserunt, etiam inter catholicos, sive circa fidem, et ritus, sive circa mores, vel administrationem sacramentorum, divini verbi praedicationem, et cuiusque alterius generis sint.

52. Exprimantur principales causae huiusmodi abusûum, et quomodo possint eradicari.

53. Num matrimonia rite contrahantur.

54. An a viginti circiter annis status fidei catholicae augeatur, vel potius decrescat: et qua de causa.

55. Tandem attente perpendat spirituales christianitatis illius necessitates: eas distincte referat: mediaque proponat idonea ad praeteritos errores evellendos, ad maiorem religionis profectum inducendum.

1216

De baptismo administrato per tactum digiti aqua infusi.

S. C. S. Officii *12 Iunii 1861.* — POLI ARTICI. — La question posée à la Congrégation du Saint Office, relativement au baptême administré, sans qu'il y ait *infusion avec écoulement proprement dit de l'eau,* c'est à dire, par l'application simple du doigt ou de la main *mouillés d'eau* sur la tête, ou le front de la personne, que l'on baptise, a pour but de savoir s'il est permis de conférer le baptême sous condition dans le cas, et de la manière qui suivent: — Un adulte né et baptisé dans l'hérésie reputée pour administrer invalidement le baptême, se trouve *in extremis* et veut mourir dans l'Eglise catholique; mais son entourage, mal disposé, ne permet l'entrée au prêtre catholique, que comme ami ou comme medecin. Celui qui connait la bonne disposition et le desir du malade, et qui doute de la validité du baptême dans la secte, le rebaptise sous condition de la manière suivante, pour eviter le conflit et le tapage, s'il fait la cérémonie ostensiblement: — 1. Il a une pharmacie portative, de poche, dans la quelle se trouve une fiole à eau, dont il mouille son doigt, puis l'applique sur le front du malade, en faisant un signe de croix, et en prononçant la formule ordinaire du baptême. — 2. Si les circonstances extérieures ne paraissaient pas permettre de faire l'application sur le front, mais seulement sur une autre partie de la face, cela serait-il permis?

R. EE. PP. decreverunt: In casibus ordinariis stet Rituali Romano. In casibus extremae et urgentissimae necessitatis agat eo meliori modo quo fieri potest; et ad mentem:

Mens est quod Emus Card. Praefectus S. Congregationis de Prop. Fide ex se instruat missionarium de necessitate qua curandum ut aqua sit tantae quantitatis ut fluat.

1217

De catholicis iudaeorum famulis.

S. C. S. Officii *12 Iun. 1861.* — Propositis nonnullis dubiis Archiepiscopi Leopolitani circa communionem catholicorum cum iudaeis in operibus servitii et famulatus, EE. DD. decreverunt: — Prudenter dissimulandum, dummodo non adsit periculum perversionis; curandum tamen ab eodem Archiepiscopo ut, si fieri commode poterit, fideles nullum praestent famulatum iudaeis, nequidem separata mensa atque habitatione, nisi praevia permissione eiusdem Ordinarii, vel etiam respectivi parochi. —

1218

Circa facultatem dispensandi in 3 et 4 gradu simplici et mixto.

S. C. S. Officii *19 Iunii 1861* — SSmus D. N. Pius PP. IX de consilio Emorum ac Rmorum Patrum Generalium Inquisitorum dignatus est declarare Episcopos qui facultatibus gaudent Formulae VI, atque ideo facultate dispensandi in 3 et 4 simplici et mixto tantum in contrahendis, posse dispensare in 3 et 3, in 4 et 4, nec non in 3 mixto cum 4, sive gradus ab uno, sive a duplici stipite proveniant.

1219

De assistentia matrimoniis *liberorum muratorum.*

S. C. S. Officii *21 Aug. 1861* — Marysville. — 1. Anne licitum est matrimoniis eorum assistere qui non solum sint e secta protestantium, sed etiam e societate *muratorum liberorum,* si huiusmodi ducere velint catholicos?

2. Si petentes matrimonium fuerint equidem catholici, sed obliti omnino expertes religionis per varios annos, tandem socios se iunxerint *liberis muratoribus;* si huiusmodi velint matrimonium contrahere cum catholicis quin prius *liberis muratoribus* renunciaverint, num licite talibus matrimoniis assistendum est?

R. Quoad assistentiam matrimoniis eorum qui pertinent ad societatem *liberorum muratorum* parochi et missionarii se gerant uti cum agitur de praestanda assistentia matrimoniis eorum qui tamquam publici peccatores habentur. Cum vero usque adhuc Apostolica Sedes nullum generale decretum super hac re tulerit, oportet ut Pastores caute ac prudenter se gerant: et debent potius in casibus particularibus ea statuere quae magis expedire in Domino iudicaverint, quam generali regula aliquid decernere. Certe boni pastoris partes erunt, quantum sine clamoribus ac scandalis fieri poterit, huiusmodi connubia impedire. Confessarii praesertim in sacramento Poenitentiae, qua instructione ac consiliis, qua adhortatione, debent poenitentes graviter admonere, ne tali periculo se ac futuram sobolem temere exponant, cum nil boni faustique expectari possit ab eo qui Dei eiusque Ecclesiae leges tam inique contemnit. Quoniam vero, denegata facultate contrahendi huiusmodi matrimonia, nonnulli passione forsan abrepti, parochi ac testium praesentiam negligerent, initoque tantum contractu civili, vitam in concubinatu degerent (quod ubi viget decretum *Tametsi* Concilii Tridentini verissimum est) ideo, urgente necessitate pro casibus, ut dictum est, particularibus, poterunt ea decerni quae magis in Domino expedire fuerint iudicaturi.

1220

De Indulgentia concessa iuvantibus infirmos in xenodochiis.

S. C. Indulg. *23 Augusti 1861* – Urbis et Orbis — Cum fel. rec. Pius VI per edictum Emi sui in Urbe Vicarii sub die 28 Febr. 1778 Indulgentiam centum dierum elargitus esset omnibus christifidelibus qui ad publica xenonochia se conferunt ad charitatis actus erga infirmos exercendos, dubium ortum est, utrum haec Indulgentia pro Urbe tantum sit elargita vel pro Orbe universo; hinc SSmus D. N. Pius PP. IX benigne declaravit, hanc concessionem non ad Urbem tantum, sed ad omnes totius catholici Orbis christifideles extendi.

1221

Circa facultatem absolvendi ab haeresi, apostasia et schismate.

S. C. S. Officii *28 Aug. 1861.* — Mysur — In folio facultatum Formulae I. n. 15. datur illa absolvendi ab haeresi, apostasia et schismate etc. in foro tantum conscientiae. Unde sequi videtur Episcopum non fuisse delegatum a S. Sede ad absolvendum neo–conversum ab excommunicatione in foro externo; a fortiori missionarios non voluisse subdelegare ad hoc. Fateor (ego Vic. Ap.) huc usque circa talem restrictionem me numquam expertum fuisse dubium, et talem dedisse absolutionem in foro externo secundum modum excipiendi professionem fidei a neo–conversis qui reperitur in corpore Ritualis Romani Lugduni typis dati. Talis formula non reperitur in Rituali Propagandae typis dato; unde quaero: Potestne Vicarius Ap. absolvere (et delegare ad hoc missionarios suos) ab haeresi, apostasia et schismate in foro externo? Si negative, pro facultate tali deprecor.

R. Transmittendum R. P. D. Vicario Ap. oratori decretum latum in fer. V. die 23 Aprilis anni 1777, ad cuius normam idem Vic. Ap. se gerere debeat in casibus ab ipso expositis. Decretum vero supradictum est tenoris sequentis; « Praefectus Missionum in Regno Thibetano ex « Ordine Capuccinorum dubium proposuit hac « forma conceptum: *Nella facoltà che dalla « S. Sede si concede al n. 10 (Formola IV)*

« *si concede ai missionarî di poter assolvere* « *dall'eresia, dall'apostasia dalla fede, e dallo* « *scisma; ma non si sa se, occorrendo il caso,* « *debbano i delinquenti, secondo la forma pre-* « *scritta nel Rituale assolversi con quelli atti* « *esteriori prescritti, oppure assolverli nel solo* « *foro interiore della coscienza, quantunque* « *il loro delitto fosse stato di pubblico scan-* « *dalo agli altri. Quello che causa il dubbio* « *sono le ultime parole di detta facoltà*: et hos « in foro conscientiae tantum, *le quali parole* « *non si sa distinguere se si riferiscano a* « *quelle descritte nella seconda parte del de-* « *creto* – non tamen eos – *oppure a tutti.* — Su- « per ista dubitatione Sanctitas Sua sensum « suum benigne aperiendo, quem mandavit « per S. C. de Prop. Fide significari, statuit: « Clausulam – *et hos in foro conscientiae tan-* « *tum* – contentam in n. 10. formulae IV. « (quae apprime respondet n. 15. Form. I.) « ad omnes referri personas ibi nominatas, ac « sensum praefatae clausulae hunc esse, quod « absolutio valeat tantum quoad conscientiam, « non autem prosit delinquentibus quoad forum « externum iudiciale, si contingat praefata cri- « mina in iudicium deduci. Neophytos vero « thibetanos pro publica apostasia a fide cum « ad Ecclesiae gremium redierint, praevia ab- « iuratione coram christifidelibus, absolvendos « esse ab excommunicatione in forma Ecclesiae « consueta quae in Rituali Romano tit. 3. « cap. 3. descripta est, ac postea admittendos « esse ad sacramentales confessiones gravibus « iniunctis poenitentiis salutaribus arbitrio con- « fessarii ». Ceterum R. P. D. Vicarius Ap. ùtatur ea absolutionis forma quae habetur in Rituali Romano S. Congregationis de Prop. Fide typis dato.

1222

Contrahentibus matrimonium et in diversis locis commorantibus sufficit dispensatio unius Ordinarii.

Litt. S. C. de Prop. Fide *9 Sept. 1861* — (AD VIC. AP. MADUREN.) – Haud necesse est ut, quando contrahentes (matrimonium) diversis commorantur in locis, ab utroque Ordinario, mulieris nempe atque viri, dispensandi sint, sed ab alterutro tantum, quemadmodum S. Poenit. (15 Nov. 1835) declaravit. Eiusmodi responsum ea de re, quod hisce adiicimus, pro opportunitate innotescat congruum ducimus. — *Responsum S. Poenitent.*: « Quilibet Ordinarius agendo « cum facultate non ordinaria, sed a S. Sede « absolute, simpliciter, et absque ulla conditio- « ne delegata, dispensandi cum suis dioecesa- « nis, potest (facta in singulis actis expressa « mentione delegationis) dispensare super ali- « quo canonico impedimento, etiam in casu « in quo una persona, ab impedimento ligata, « est suae dioecesis, altera vero alienae; quia « facultas procedit a Papa, et, sublato impe- « dimento ex una parte cum qua dispensare « valet, etiam pars altera libera evadit, cum li- « gamen non amplius inter utramque partem « existat ». Et die 13 Martii 1836 Episcopo Cameracensi declarabat: « Episcopum posse « dispensationem matrimonialem in foro ex- « terno, et a S. Sede commissam exequi, etiamsi « alter ex iis, quibus dispensatio concessa est, « pendente eius expeditione, ab eius dioecesi « discedens, alio fixerit domicilium, dummodo « alter in ea remanserit.

1223

De erectione *S. Congregat. de Prop. Fide pro negotiis ritus orientalis.*

Constit. Pii PP. IX. *6 Ianuarii 1862* — Romani Pontifices, quibus ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Apostolorum Principis fuit commissa suprema cura et potestas universam regendi ac moderandi Ecclesiam, nunquam intermiserunt indefessis consiliis et laboribus sanctissimam Christi fidem, religionemque diffundere per omnes terras, et secundum Domini praeceptum confirmare fratres, et homines nutantes sustinere, et imperitos docere, et laborantes erigere, et devios revocare, et incertos ducere, ac vel haeresis, vel schismatis contagione infectos ad catholicae unitatis centrum reducere, et spirituali omnium populorum bono consulere, et omnia peragere, quae maiori Ecclesiae utilitati quovis modo conducere possent. Cum autem Ecclesia a Christo Domino fundata una omnino sit, eaque ex occidentis et orientis populis constet, tum iidem Romani Pontifices suas omnes paternas curas cogitationesque in orientalis quoque Ecclesiae gentes assidue contulerunt, quae tot habuit viros ingenio, consilio, sacraque praesertim doctrina, eruditione, eloquentia, ac sapientissimis scriptis magnorumque recte factorum et sanctitatis gloria insignes.

Et sane ut in oriente integrum inviolatumque catholicae fidei, servaretur depositum, utque ecclesiastica disciplina prospere procederet, et sacra liturgia omni sanctitate ac splendore fulgeret, iidem Pontifices, ubi primum Ecclesiae pax fuit donata, et plura convocarunt Concilia, et varias edidere Constitutiones, decreta, nihilque intentatum reliquere, ut orientalium utilitatem promoverent. Quod quidem singulare Romanorum Pontificum, et huius Sanctae Sedis erga orientales populos studium et amor semper viguit, ac vel maxime enituit, cum aliqua praesertim oborta est haeresis aut schisma excitatum, quandoquidem iidem Pontifices nullis sibi curis parandum esse duxerunt, ut in oriente catholica servaretur, et magis in dies propagaretur unitas. Atque haec fidei unitas cum legitimorum rituum varietate, optime consistit, ex quibus immo maior in Ecclesiam ipsam splendor et maiestas mirifice redundat. Hinc ipsi Decessores Nostri non solum in animo numquam habuere orientales gentes

ad ritum latinum ducere, verum etiam quoties opportunum esse existimarunt, luculentissimis verbis clare aperteque declararunt, se nolle proprios orientalium Ecclesiarum ritus, utpote venerabili suae originis antiquitate, et sanctorum Patrum auctoritate commendatos, destruere vel immutare, sed unice velle ne quid in ritus ipsos forsitan induceretur, quod fidei catholicae adversetur, vel periculum generet animarum, vel ecclesiasticae deroget honestati, quemadmodum immortalis memoriae Benedictus XIV Decessor Noster copiose demonstravit suis Encyclicis Litteris ad orientales missionarios die 16 Iulii anno 1755 datis, quarum initium « *Allatae sunt* ». Quod si orientales ritus alicuius arbitrio aliquando immutati fuerint, id numquam Apostolicae huic Sedi est tribuendum.

Maiores vero ac potissimae post funestissimum et nunquam satis lugendum Photii schisma curae et sollicitudines pro orientalibus a Romanis Pontificibus, et ab hac Apostolica Sede adhibitae fuere, quae optatissimum in Florentino Concilio assequutae sunt exitum, cum in eodem Concilio sancta catholica unio, iamdiu tam vehementer expetita, fuerit restituta. Cum vero Marcus Archiepiscopus Ephesinus tamquam novus Photius huiusmodi unionem insigni prorsus audacia convellere et labefactare est conatus, Romani Pontifices omnem dederunt operam, ut graecos ad catholicam unitatem reducerent, ac spiritualibus omnium orientalium necessitatibus studiosissime occurrerent. Quocirca eorumdem Pontificum cura, et missionarii ad orientales gentes missi, et orientalium rituum libri recogniti, et peculiaria S. R. E. Cardinalium Consilia instituta, quae eorum negotia sedulo examinarent ac definirent. Et quidem pluribus annis ante Clementis VIII Pontificatum specialis instituta fuit Congregatio *de rebus graecorum* ac alia deinde sub eodem Pontifice erecta *super negotiis fidei et religionis catholicae,* paulo post appellata *de Propaganda Fide,* quae tum graecorum, aliorumque orientalium negotia, tum fidei propagationem in occidentalibus regionibus curaret. Atque haec Congregatio eumdem habebat finem, quem deinde habuit, et in praesentia habet Congregatio generalis eodem titulo *Propagandae Fidei* insignita, et a Gregorio XV Apostolicis Litteris die 23 Maii anno 1622 datis et incipientibus « *Inscrutabili* » erecta cum munere *praesidendi Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum Evangelium et catholicam doctrinam.*

Institutionis, de qua agitur, causae.

At vero inspecta orientalium cum ritus tum disciplinae varietate, vel facile fuit statim agnoscere, etiam post praedictae Congregationis generalis De Propaganda Fide institutionem, necesse esse ut quemadmodum occidentalium, ita orientalium graviora negotia, quae maiori examine et studio indigerent, peculiariter a nonnullis eiusdem Congregationis generalis Cardinalibus tractarentur. Quocirca, Urbano VIII Pontifice, qui in locum Gregorii XV fuit suffectus, duae speciales ex ipsius generalis Congregationis de Propaganda Fide gremio Congregationes constitutae fuere, quarum altera appellata *super dubiis orientalium,* altera *super correctione Euchologii graecorum.* Ut vero opus ab hac postrema Congregatione inceptum ad finem perduceretur, et studia eidem pro Euchologio graecorum commissa omnes orientalium libros complecterentur, nova Congregatio uti stabilis et distincta a Congregatione de Propaganda Fide erecta fuit a Clemente XI *super correctione librorum orientalium* proprium habens Praefectum et Secretarium, et constans ex quinque Cardinalibus, pluribus theologis virisque orientalium rituum et linguarum peritis. Ex ipsius autem Congregationis Christianae Fidei Propagandae actis apparet quomodo fere semper, ubi de aliquibus summi momenti orientalium negotiis erat peragendum, eorum cura et examen fuerit demandatum peculiaribus Consiliis, seu Congregationibus S. R. E. Cardinalium eiusdem Congregationis de Propaganda Fide, quemadmodum praestitum fuit de rebus quae graecos melchitas, armenios, cophtos, maronitas, ruthenos, aliasque orientales nationes respiciebant.

Haec autem agendi ratio, quam ipsa rerum natura et indoles exposcit, Nobis viam munivit ad ea deliberanda, quae Nostris hisce Litteris constituere existimavimus. Cum enim arcano divinae providentiae consilio in hac Petri Cathedra licet immerentes collocati, pastoralis Nostrae vigilantiae, sollicitudinis et caritatis curas cogitationesque ad universum humanum genus indesinenter debeamus extendere, ac simul omni contentione eniti et efficere, ut omnes homines cognoscant solum Deum verum, et quem misit Iesum Christum, et omnes, occurrentes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei vitam habeant, et abundantius habeant, idcirco vel ab ipso Nostri Pontificatus exordio curas Nostras ad orientales studiosissime aeque ac amantissime convertimus, clementissimum misericordiarum Patrem sine intermissione orantes et obsecrantes, ut qui in fidei unitate cum hac veritatis Cathedra sunt consociati, magis in dies stabiles et immoti persistant, et crescentes in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Iesu Christi per bona opera certam eorum vocationem et electionem faciant; qui vero ab unico Christi ovili, extra quod salus esse non potest, misere aberrant, ad illud redire properent, atque festinent. Ea porro spe sustentamur fore ut dives in misericordia Deus hisce Nostris humillimis et ferventissimis precibus propitius annuere velit. Interim vero prae oculis habentes praesentem orientalium conditionem, et noscentes, in aliquibus locis quaedam impedimenta, Deo auxiliante, ita fuisse

remota, ut orientalis ritus gentes possint cum hac Apostolica Sede libere communicare et iccirco facilius Nobis sit gravibus illarum indigentiis occurrere, Apostolici Nostri ministerii esse duximus, Nostras paternas curas et sollicitudines ingeminatis studiis adhibere, ut spirituali eorumdem orientalium bono et necessitatibus maiorem in modum prospicere valeamus. Itaque selectae S. R. E. de Propaganda Fide Cardinalium et Romanae Curiae Praesulum Congregationi commisimus, ut, rebus sedulo perpensis, Nobis proponeret quae potiora essent suscipienda consilia ad orientalium utilitatem magis magisque procurandam. Qui quidem Cadinales et Praesules ex una parte apprime noscentes quam multiplices gravesque sint orientalium indigentiae, et quam necesse sit, ut illorum negotia propter linguae, ritus, disciplinaeque varietatem peculiari ratione quotidie magis dirigantur, ex altera vero animadvertentes quae quantaeque sint curae et occupationes eiusdem Congregationis Fidei Propagandae ob mirum sanctissimae nostrae religionis progressum, hoc potissimum ineunte saeculo, divina adspirante gratia, in America Septentrionali in Indiis orientalibus, in Sinis, in Oceania, aliisque Europae locis singulari eiusdem Congregationis opera studioque effectum, et ob auctum Sedium Episcopalium et Apostolicorum Vicariatuum, et sacraram expeditionum seu Missionum numerum, vel facile sibi persuaserunt, eamdem Congregationem novis indigere auxiliis, ut sine gravibus difficultatibus orientalium negotiis speciali modo providere queat. Quamobrem sensere opportunum omnino esse ad huiusmodi assequendum finem, ut ex ipsius Congregationis Fidei Propagandae more, formandi scilicet speciales Congregationes pro rerum ac temporum gravitate, institueretur peculiaris Congregatio, quae stabili modo omnia tum ritus, tum disciplinae orientalium Ecclesiarum negotia tractanda ac dirigenda unice curaret. Quamobrem Nobis proposuere consilium formandi ex ipsa Congregatione Fidei Propagandae specialem et stabilem Congregationem, quae orientalium libris corrigendis, omnibusque et singulis cuiusque generis orientalium negotiis tractandis unice operam navet, quaeque constet ex nonnullis eiusdem Congregationis Fidei Propagandae Cardinalibus, atque a Generali ipsius Congregationis Cardinali Praefecto pendeat, et proprium habeat Secretarium, proprios consultores, ac proprios officiales. Nos igitur de maiori orientalium bono summopere solliciti, et ea omnia peragere vehementer cupientes, quae spirituali eorumdem prosperitati magis in dies conducere queant, de eorumdem Venerab. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio ac sententia, hisce Litteris, Auctoritate Nostra Apostolica praedictam specialem Congregationem pro omnibus orientalium Ecclesiarum negotiis unice tractandis ac dirigendis perpetuum in modum erigimus et constituimus, iis tamen legibus et conditionibus, quas hisce Nostris Litteris statuimus, et quas perpetuo servandas esse praecipimus.

Novae Congregationis, de qua agitur, erectio.

Omnia itaque negotia quae ex commemoratis Decessoris Nostri Gregorii XV Litteris « *Inscrutabili* » aliorumque Romanorum Pontificum Constitutionibus ad eamdem Congregationem de Propaganda Fide pertinent, erunt in posterum in duas plane distinctas classes divisa nempe in negotia latini ritus, et negotia orientalis ritus. Nova Congregatio a Nobis instituta omnia orientalium negotia, etiamsi mixta, quae scilicet sive rei, sive personarum ratione latinos attingant, tractare debebit, nisi eadem Congregatio negotia ipsa ad generalem Propagandae Fidei Congregationem deferenda esse interdum existimaverit. Atque haec Congregatio pro negotiis Ecclesiarum ritus orientalis, cui praeerit Cardinalis Praefectus Congregationis Propagandae Fidei, constabit ex sufficienti numero Cardinalium ipsius Congregationis Fidei Propagandae, et proprios habebit consultores, ac distinctum Secretarium, et secretariam cum suis propriis officialibus. Ut autem huic Congregationi a Nobis statutae presto sint viri, qui Ecclesiarum orientalium linguas, ritum ac disciplinam calleant, in hanc almam Urbem nostram nonnullos arcessivimus ecclesiasticos viros doctrina, et orientalium rerum peritia spectatos, qui suis studiis et scientia eidem Congregationi a Nobis erectae auxilio sint in iis praesertim, quae orientalium Ecclesiarum ritus ac disciplinam, et orientalium librorum emendationem respiciunt.

Leges et conditiones novae Congr. statuuntur.

Haec autem Congregatio retinebit titulum *De Propaganda Fide* cum hac tantum accessione *Pro negotiis ritus orientalis*, et eodem utetur sigillo, quo Congregatio Fidei Propagandae utitur. Cum autem inter omnia orientalia negotia huic Congregationi a Nobis commissa contineatur etiam quidquid ad eiusdem ritus librorum emendationem spectat, iccirco declaramus iam nunc extinctam Congregationem hac de causa a Clemente XI institutam, veluti per has Litteras Auctoritate Nostra Apostolica plane supprimimus et abolemus. Volumus tamen, ut in eadem Congregatione hisce nostris Litteris constituta existat Cardinalis *Ponens* a Nobis, et a Nostris Successoribus stabili modo semper eligendus, qui munere fungatur sedulo dirigendi studia, quae necessaria sunt ad colligendos Ecclesiae orientalis canones, et ad examinandos, ubi opus fuerit, omnes orientales libros cuiusque generis sint, sive huiusmodi libri respiciant sacrorum Bibliorum versiones, sive catechesim, sive disciplinam.

Praeterea volumus, ut Cardinales huiusce novae Congregationis a Nobis hisce Litteris delecti in primo conventu dividant inter se propria cu-

iusque orientalium nationis negotia. Atque huiusmodi divisio ita efficiatur, ut unusquisque Cardinalis stabili modo penes se habeat negotia unius vel plurium orientalium nationum, prout ei in divisione contigerit. Cum vero eveniat, ut aliquis Cardinalis suscepto munere perfungi non amplius queat, volumus, ut huius novae Congregationis Cardinales in ipsius Congregationis conventu praesentes optionis iure potiantur, ita ut ultimus ex praedictis Cardinalibus post peractam optionem, illius orientalis nationis negotia procuranda suscipiat, quae Cardinalis curatione vacaverint, quo omnes orientales nationes suum semper habeant Cardinalem relatorem, qui Congregationem accuratissime certiorem faciat de iis negotiis, in quae ipse incumbit.

Facultates et privilegia novae Congregationis.

Iam vero cum haec Congregatio praescripto modo a Nobis excitata, pars sit Congregationis Fidei Propagandae, tum eidem novae Congregationi, eiusque omnibus Officialibus concedimus et impertimur omnes facultates et privilegia Congregationi Fidei Propagandae a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris attributa ea plane ratione, qua eadem privilegia et facultates in praesentia vigent. Huius autem Congregationis, cui praeerit pro munere, quo fungitur, Praefecti generalis Congregationis de Propaganda Fide, Dilectus Filius Noster Alexander Presbyter Cardinalis Barnabò, Cardinales eligimus et nominamus Venerabiles Fratres Nostros Constantinum Portuensem et S. Rufinae Patrizi, Ludovicum Albanensem Episcopos Altieri, Camillum S. Ioannis ante Portam Latinam Di Pietro, Carolum S. Caeciliae Reisach, Antonium Mariam SS. XII Apostolorum Titulorum Presbyteros Panebianco, Petrum S. Nicolai in Carcere Tulliano Marini, Iacobum S. Agathae ad Suburram Antonelli, Prosperum S. Mariae de Scala Caterini ecclesiarum diaconos Cardinales nuncupatos, ex quibus destinamus *Ponentem* pro cognoscendis orientalium Ecclesiarum libris, earumque canonibus colligendis, veluti supra constituimus, Cardinalem Carolum Reisach.

Cardinalium eiusdem Sacrae Congregationis electio.

De consultoribus novae Congregationis.

Quod si quaelibet ecclesiastica Congregatio semper habuit consultores doctrina praestantes qui graviora ac difficiliora negotia sedulo perpenderent, eaque prudenti sapientique Cardinalium examini, consilio, iudicioque exponerent ac subiicerent, id vel maxime memoratae Congregationis a Nobis pro orientalium negotiis institutae est necessarium ob idiomatum praesertim, ac rituum varietatem, sine quarum rerum cognitione nec accuratum iudicium, nec opportuna consilia suscipi possunt. Atque iccirco volumus, ut huic Congregationi semper praesto sint sufficienti numero consultores non solum theologica scientia, verum etiam rerum orientalium peritia instructi, aliisque dotibus ornati, quibus eidem Congregationi utilitati et auxilio esse valeant. Cum vero inter negotia Congregationis latini ritus, et illa orientalis ritus mutua communicatio et vinculum intercedere interdum possit, tum statuimus ac decernimus, ut alterius Congregationis Secretarius sit alterius Congregationis consultor. Ut autem praedictae Congregationi nunquam desint viri, qui orientalium linguarum rerumque scientia praediti, consultoris munus exerceant, eidemque Congregationi quovis modo utilem operam praebeant, Cardinalis Praefectus Congregationis Fidei Propagandae Nobis, Nostrisque Successoribus proponet eo, quo fieri potest, numero ecclesiasticos viros delectos seu ex illis qui Urbaniani Collegii fuerunt alumni, sive ex variis Religiosis Familiis, ut Romam venientes omnia eorum studia commemoratum in finem sedulo conferant. Interim vero huius novae Congregationis Consultores nominamus Venerabiles Fratres Alexandrum Franchi Archiepiscopum Thessalonicensem S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae Secretarium, Iosephum Cardoni Episcopum Caristensem, ac dilectos Filios Aloisium Ferrari pontificiarum caeremoniarum Praefectum, Dominicum Bartolini S. Rituum Congregationis Secretarium, Iosephum Fessler iuris canonici in Universitate Vindobonensi professorem Antistites domesticos et Bonifacium Haneberg Ordinis S. Benedicti Abbatem monasterii S. Bonifacii ac professorem S. Scripturae in Universitate Monacensi, Aloisium Vincenzi linguae hebraicae, Paulum Scapaticci linguae siro-chaldaicae, Philippum De-Angelis iuris canonici in hac Romana Universitate professores, Carolum Vercellone Procuratorem Generalem Congregationis CC. RR. Sanctorum Pauli et Barnabae Apostolorum, Io. Baptistam Franzelin S. I. sacrae theologiae in Collegio Romano professore, Augustinum Theiner presbyterum Oratorii S. Philippi Nerii, Io. Baptistam Pitra, Pium Zingerle, Bernardum Smith sodales Ordinis S. Benedicti. Volumus etiam, ut nonnulli ex romano clero iuvenes, qui eorum ingenio, et studiorum curriculo cum laude exacto maiorem felicis exitus spem ostendunt, in ecclesiasticarum orientalium rerum studia, aliquo consultore duce, naviter incumbant, quo ipsi consultoris munus in tempore sustinere possint; itemque volumus, ut qui ex eisdem ecclesiasticis cum progressu huiusmodi studiis vacaverint, praeferantur, cum ecclesiastica beneficia erunt conferenda.

De Secretario et officialibus.

In eadem Congregatione, uti constituimus, proprius Secretarius existere debet, qui omnia eiusdem Congregationis munia exerceat eo prorsus modo, quo alter Secretarius Congregationis latini ritus exercet, et eadem omnino tum in tractandis orientalis ritus negotiis, tum in novae Congregationis conventibus habendis, methodo servata, quae in praesentia a Congregatione Fidei Propagandae adhibetur. Ad hoc au-

tem Secretarii officium deligimus et nominamus dilectum Filium Ioannem Simeoni Protonotarium Apostolicum. Ut autem uterque Secretarius probe noscat omnia tum latini, tum orientalis ritus negotia, iubemus, ambos Secretarios interesse conventibus utriusque Congregationis, ita tamen ut Secretarius Congregationis generalis Fidei Propagandae alterum Congregationis pro negotiis ritus orientalis ratione officii praecedat, et Protonotarius Apostolicus post utrumque Secretarium sedeat. Quod autem attinet ad novae secretariae officiales volumus ut in ea sufficienti numero officiales existant, prout opus fuerit temporis decursu. Ambae Congregationes eodem Tabulario, eademque typographia omnino utentur. Cum vero ex huius novae Congregationis institutione impendia augeantur Congregationis Fidei Propagandae, iccirco congruos assignavimus fundos.

Conclusio.

Atque hic levantes oculos Nostros ad miserationum Dominum, ab ipso humiliter enixeque exposcimus, ut divinae suae gratiae divitias super orientales nationes copiose effundens, efficiat, ut tot olim illustres in oriente episcopales cathedrae Apostolorum auctoritate constitutae, quae nunc, heu miserum ! a Petra cui Ecclesia innititur, seiunctae et collapsae iacent, denuo pristino exornatae splendore reviviscant, atque uti antea vigeant, floreant, fideliter custodientes fidei depositum, morumque disciplinam.

In eam profecto spem erigimur fore, ut bonorum omnium auctor et largitor Deus Nostris hisce curis propitius benedicere velit, utque omnes orientales qui catholicam veritatem profiteri gloriantur, hisce paternis Nostris studiis magis in dies respondeant, nihilque antiquius habeant, quam ut arctiori usque amoris et obsequii vinculo huic Petri Cathedrae firmiter constanterque adhaereant, ac miseros errantes ad catholicam unitatem reducere contendant.

Haec volumus, statuimus, praecipimus et mandamus decernentes has Nostras Litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes vel habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quolibet etiam substantiali defectu notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti aut iustitiae remedium impetrari posse, sed semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari, ac praedictae novae Congregationi pro negotiis ritus orientalis, nec non personis, quarum favorem praesentes Nostrae Litterae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum unquam teneri, nec ad id in iudicio, vel extra, cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum ac inane esse ac fore volumus et declaramus.

Non obstantibus commemoratis Apostolicis Litteris Gregorii XV incipientibus « *Inscrutabili* » itemque Clementis XI aliisque omnibus Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, nec non de iure quaesito non tollendo, alisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, itemque Congregationis Propagandae Fidei etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus, quamvis expressa, specifica et individua mentione dignis: quibus omnibus et singulis, eorum totis tenoribus et formis, praesentibus pro insertis habentes, ad praemissorum dumtaxat effectum latissime et plenissime, ac specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Datum *etc.*

1224

Circa admissionem regulariu ad professione votorum sole mnium post vo simplicia.

S. C. super statu Regul. *7 Febr. 1862* — Magister Generalis Ordinis FF. Praedicatorum exponit, occasione nuperrimi Decreti a S. Congregatione super statu Regularium die 12 Iunii 1858 Apostolica auctoritate editi, nova quaedam in quibusdam sui Ordinis Conventibus exorta fuisse dubia, quorum solutionem ab eadem S. Congreg. enixe et humillime exposcit.

1. Cum ex praefati decreti tenore professi votorum simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui Conventus quatenus et prout habent solemniter professi; quaeritur an inter huiusmodi actus Capitulares recenseantur etiam actus receptionis ad votorum solemnium professionem; nam praeterquamquod votorum simplicium professi non sint de corpore professorum solemniter, contingere potest quod professi simplices numero excedant professos solemnes, et inter eos periculum collusionis enascatur, cum alii post alios, vel simul, vel post breve tempus ad solemnem professionem admittendi sint.

2. Utrum reiectio alicuius professi simplices a maiori parte Patrum in Consilio, vel totius conventus in Capitulo per suffragia secreta prolata, ab Ordinis Generali Magistro, nulla alia intercedente inquisitione aut informatione, haberi possit tamquam legitima et iusta causa, aut prudens iudicium, ad hoc ut eiusdem pro-

fessi votorum solutio ab ipso cum suo generali Consilio decerni et declarari possit.

3. Et quatenus negative, quaeritur tertio quid agendum, si Patres conventus ad excludendum novitium a professione solemni perseverent, nec ulterius eamdem differri possit eo quod vigintiquinque aetatis suae annos novitius expleverit.

SSmus D. N. Pius PP. IX... rescribendum mandavit:

R. Ad 1. et 2. Negative.

Ad 3. Pro admissione ad vota solemnia post expletum triennium votorum simplicium, audiri quidem debet Capitulum conventuale ad instructionem animi Superiorum; minime vero a Superiori Generali vel ab eius subdelegato standum erit resolutioni eiusdem Capituli. Quod si aliunde habeantur legitimae causae ad dimittendos professos votorum simplicium, hoc in casu servanda erunt, quae in articulis IV. et V. declarationum praescripta sunt.

Insuper Sanctitas Sua ea quae in hoc responso continentur, etiam ad alios Ordines, et Instituta extendit, et extensa esse declaravit.

1225

Circa modum aspergendi populum aqua benedicta post Missam conventualem.

S. R. C. 22 *Martii 1862* — MINNESOTA — 1. An tolerari possit mos in multis ecclesiis existens, quo sacerdos ante Missam conventualem graditur per ecclesiam, incipiens a parte Epistolae et rediens per partem Evangelii, interim aspergens populum cum aqua benedicta, an potius aspersio aquae benedictae facienda omnino sit per sacerdotem stantem in aditu sanctuarii, et inde ter populum in medio, a dextris et a sinistris aspergentem.

De Missa pontificali absque diaconis assistentibus.

2. Ob clericorum paucitatem impossibile evadit, ut iuxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum, diaconi assistentes adhibeantur in Missa pontificaliter ab Episcopo celebranda. Insuper decet, ut in solemnioribus festis Episcopus ita celebret; et contrarium populo in scandalum foret. Quaeritur inde: An iis in adiunctis liceat diacono et subdiacono Missae locum supplere diaconorum assistentium.

De Oleorum consecratione cum exiguo sacerdotum numero.

3. Etsi a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX potestas facta fuerit Episcopo Sancti Pauli de Minnesota Feria V in Coena Domini sacra Olea conficiendi cum sacerdotibus qui haberi poterunt, evenit interdum, ut duo tantum vel tres ad summum haberi possint sacerdotes, qui etiam Episcopo solemniter celebranti in diaconali et subdiaconali officiis inserviunt; ceteris, ob longitudinem itineris et necessitatem populorum pro festis paschalibus rite et devote celebrandis praeparandorum, Cathedrali assistere omnino impeditis. Quaeritur ergo: An, stante supra enunciata Pontificia dispensatione, cum tam exiguo sacerdotum numero eadem Feria olea consecrari possint.

An necessarium ut olea consecranda sint recentia.

4. Estne omnino necessarium ut olea Feria V in Coena Domini consecranda debeant esse recentia ex. gr. ultimi anni?

R. Ad 1. In casu servandam consuetudinem.

Ad 2. Affirmative, attenta necessitate.

Ad 3. Stante exposita necessitate, posse.

Ad 4. Negative; seu non esse necessarium.

1226

De ritibus orientalibus.

Litt. encycl. Pii PP. IX. *8 Apr. 1862* (AD EPP. ORIENTALIS RITUS). — Amantissimus humani generis Redemptor Christus Dominus Unigenitus Dei Filius volens, ut optime nostis, Venerabiles Fratres, omnes homines a daemonis captivitate, et a peccati iugo vindicare, eosque de tenebris in admirabile lumen suum vocare et salvos facere, cum delesset, quod adversus nos erat, chirographum decreti, affigens illud cruci, catholicam Ecclesiam suo sanguine acquisitam tamquam unam *domum Dei vivi* (1), unumque *regnum coelorum* (2), vel unam *civitatem supra montem positam* (3), aut *unum ovile* (4) et *unum corpus uno spiritu* consistens vigensque, et una fide, spe, caritate, et unis eisdemque sacramentorum, religionis, doctrinaeque vinculis compactum et coagmentatum (5) conformavit, constituit, et rectoribus a se nominatis ac delectis instruxit, eamque ita a se conformatam et constitutam, quamdiu mundus ipse non intereat et concidat, permanere, et omnes universi terrarum orbis populos, nationes complecti decrevit, ut cuiusvis gentis homines divinam suam religionem et gratiam acciperent, quam ad extremum usque spiritum retinentes aeternam adipiscerentur salutem et gloriam. Ut autem haec fidei, doctrinaeque unitas semper in sua servaretur Ecclesia, Petrum ex omnibus selegit unum, quem Apostolorum Principem, suumque in terris Vicarium, et inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum et caput constituit, ut cum honoris gradu, tum omni praecipuae auctoritatis, potestatis et iurisdictionis amplitudine ceteris omnibus quam maxime praestans pasceret oves et agnos, confirmaret Fratres, atque universam regeret et gubernaret Ecclesiam. Cum autem Christus hanc suam Ecclesiam unam, et immaculatam usque ad consummationem saeculi permansuram voluerit, et unam fidem, unam doctrinam, ac regiminis formam servandam

Ecclesiae unitas.

Romani Pontificis primatus.

(1) I. ad Timoth. III.
(2) Matth. XIII, ac saepe alias.
(3) Matth. V.
(4) Ioan. X.
(5) Ephes. IV, tum alibi.

esse mandaverit, tum quae Petro dignitatis, potestatis ac iurisdictionis amplitudo, fideique integritas, ac stabilitas data, eadem prorsus eiusdem Petri successoribus Romanis Pontificibus est tradita, qui in hac Romana ipsius Petri Cathedra collocantur, et quibus in persona Beatissimi Principis Apostolorum ab ipso Christo Domino suprema totius Dominici gregis cura divinitus est commissa, ac supremum universalis Ecclesiae regimen demandatum. Ac Vobis apprime compertum exploratumque est, Venn. Fr., quomodo hoc divinae nostrae religionis dogma unanimi ac perenni Synodorum Patrumque mente ac voce fuerit semper praedicatum, defensum, et inculcatum. Siquidem ipsi nunquam cessarunt edocere « unum esse Deum, « unum Christum, unam Ecclesiam, et cathe- « dram unam super Petrum Domini voce fun- « datam (1), cui tamquam petrae, lapidique « firmissimo tota quanta quanta est christianae « reipublicae moles divinitus est superinstru- « cta (2). Enimvero haec Petri Cathedra et dicta « semper et habita, quae unica est et prima de « dotibus (3), quae per totum terrarum orbem « primatum obtinens lucet (4), quaeque radix et « matrix unde unitas sacerdotalis exorta (5), « quae omnium Ecclesiarum non modo caput « sed mater et magistra (6), ac pietatis metro- « polis, in qua est integra christianae religionis, « ac perfecta stabilitas (7), et in qua semper « Apostolicae Cathedrae viguit principatus (8), « quaeque illi inmixa est petrae, quam superbae « non vincunt inferorum portae (9), et cui totam « doctrinam Apostoli cum sanguine profude- « runt (10), ex qua in omnes venerandae com- « munionis iura dimanant (11), ad quam omnis « obedientia et honor est deferendus (12), quam « qui deserit in Ecclesia frustra esse confidit (13), « extra quam qui comederit agnum profanus « est (14). Atque insuper Petrus, qui in propria « Sede et vivit et praesidet, praestat quaeren- « tibus fidei veritatem (15), Petrus, qui ad hoc « usque tempus, et semper in suis successori- « bus vivit, et iudicium exercet (16), ipse per « Leonem loquutus est (17) Romanus Pontifex, « qui in universum orbem tenet primatum, « Successor est Beati Petri Apostolorum Prin- « cipis, et verus Christi Vicarius, totiusque « Ecclesiae caput, et omnium christianorum « pater et doctor existit (18) », et alia fere innumera ex luculentissimis testibus deprompta, quae clare aperteque edocent, ac declarant quanta fide, religione, observantia et obedientia hanc Apostolicam Sedem, Romanumque Pontificem ii omnes prosequi omnino debent, qui ad veram, unicam, sanctamque Christi Ecclesiam pertinere volunt, ut aeternam assequantur salutem.

Sanctae Sedis erga ritus orientales favor.

Iam vero catholicae Ecclesiae unitati nihil plane adversatur multiplex sacrorum, legitimorumque rituum varietas, quin immo ad ipsius Ecclesiae dignitatem, maiestatem, decus ac splendorem augendum maxime conducit. Neminem autem Vestrum latet, Venn. Fr. quomodo nonnulli incautos praesertim et imperitos decipere, et in errorem inducere nitantur, hanc Sanctam calumniantes Sedem, perinde ac si ipsa dissidentes orientales ad catholicam fidem excipiens velit, ut ii proprium deserant ritum, ac illum latinae Ecclesiae amplectantur. Quod quidem quam falsum sit, et a veritate alienum evidentissime ostendunt, ac testantur tot Decessorum Nostrorum Constitutiones et Apostolicae Litterae ad ecclesiastica orientalium negotia spectantes, quibus iidem Praedecessores Nostri non solum constanter declararunt, id sibi in animo nunquam fuisse, verum etiam professi sunt, se omnino velle, ut orientalium Ecclesiarum ritus, in quos nullus circa catholicam fidem, vel morum honestatem irrepsisset error, sarti ac tecti haberentur. Quibus repetitis clarissimisque Decessorum Nostrorum declarationibus plane respondent tum vetera, tum recentia facta, cum dici nunquam possit, hanc Apostolicam Sedem vel Sacrorum Antistitibus, vel ecclesiasticis viris, vel populis Orientalibus ad catholicam unitatem reversis praecepisse, ut suum legitimum ritum mutarent. Atque universa Constantinopolitana civitas nuper vidit, quomodo Ven. Fr. Meletius Archiep. Dramensis, qui cum summa animi Nostri consolatione, et omnium bonorum gaudio ad catholicae Ecclesiae gremium rediit, proprio ritu, ac solemnibus caeremoniis et pompa rem divinam magna populi frequentia peregerit. Itaque, Venn. Fr., pro eximia vestra episcopali sollicitudine ne desinatis vestrarum dioecesium Clero etiam atque etiam inculcare, ut opportunis quibusque modis detegere ac refellere studeat calumniam, qua malevoli homines imperitorum animos in errorem inducere, et invidiam odiumque contra hanc Apostolicam Sedem excitare conantur.

---

(1) S. Cyprian. Epist. 40.
(2) S. Cyrill. Alexand. in Ioan. lib. II, c. 42.
(3) S. Optat. Milevit. lib. II cont. Parmen.
(4) Synod. Nicaen. II, Act. 2.
(5) S. Cyprian. Epist. 15 et 55.
(6) Pelag. II, Epist. I ad Episcop. Oriental. et Syn. Tridentin. Sess. VII de Baptism. can. 3.
(7) Litter. synodic. Ioan. Constantinopolit. ad Hormisd. Pont. et Sozom. Histor. lib. III, cap. 8.
(8) S. Aug. Epist. 162.
(9) S. Aug. in psalm. contra part. Donat.
(10) Tertull. de praescript. c. 36.
(11) S. Ambros Epist. 12 ad Damas.
(12) Conc. Ephes. Act. IV.
(13) S. Cyprian. de unit. Ecclesiae.
(14) S. Hieronym. Epist. 51 ad Damas.
(15) S. Petrus Chrysol. Epist. ad Eutich.
(16) Synod. Ephes. Act. 3.
(17) Synod. Chalced. Act. 2.
(18) Concil. Florentin. in Decreto union. Graecorum.

Nos porro cum in hac Petri Cathedra arcano divinae providentiae consilio collocati ad supremum universae Christi Ecclesiae regimen evecti simus Nostram omnem spem et fiduciam in Christo Iesu habentes Apostolici Nostri ministerii partes implere contendimus, veluti a Nobis postulat instantia quotidiana et sollicitudo omnium Ecclesiarum. Siquidem divino Illius auxilio freti, cuius vicariam hic in terris licet immerentes gerimus operam, et qui dixit ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi, et confirmavit, inferi portas contra Ecclesiam suam nunquam esse praevalituras, nihil metuimus tot nefarias sacrilegasque molitiones, conatus et impetus, quibus in hac tanta temporum iniquitate inimici homines catholicam religionem, si fieri unquam posset, funditus evertere connituntur, sed spirituali omnium gentium bono et saluti consulere non desistimus. Etenim charitas Christi urget Nos, ac nihil Nobis potius esse potest, quam ut omnes curas, labores, consilia libentissime suscipiamus, quo omnes populi occurrant in unitatem fidei, et crescant in scientia Dei, et cognitione Domini Nostri Iesu Christi, « qui est via et veritas et vita, via scilicet « conversationis sanctae, veritas doctrinae di« vinae, et vita beatitudinis sempiternae (1) ». Neque vero Vos ignoratis, Venn. Fr., quo singulari amore, et assiduo studio paternas Nostras curas ad istam electam dominici gregis partem vestrae vigilantiae commissam, vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus initio contulerimus, atque ex recentissimis Nostris Litteris annulo Piscatoris obsignatis, et VIII Idus proximi mensis Ianuarii editis magis magisque intelligere potuistis, quam vehementer Nobis cordi sit istarum orientalium Ecclesiarum bonum, utilitas ac prosperitas. Namque iisdem Litteris peculiarem ex Congregatione Fidei propagandae conflatam Congregationem constituimus, quae eidem Congregationi Fidei propagandae tot assiduis gravissimisque occupationibus pene obrutae maiori sit auxilio, quaeque operam ab ipsa Fidei propagandae Congregatione hactenus omni studio, ac summa cum laude praestitam ita exerceat, ut omnia orientalium Ecclesiarum negotia unice tractanda et expedienda curet. Ea profecto spe sustentamur fore, ut, Deo bene iuvante, ex huiusmodi Nostro consilio et sollicitudine in omnes orientales nationes spiritualis utilitas quotidie magis redundet. Etenim plane confidimus, hanc novam specialem Congregationem nuper a Nobis institutam nihil unquam iuxta Nostra desideria intentatum esse relicturam, quod in vestris tractandis negotiis ad catholicam unionem magis in dies promovendam, ad vestrarum Ecclesiarum felicitatem augendam, ac vestrorum legitimorum rituum integritatem tuendam, atque ad maiorem fidelium spiritualem utilitatem procurandam quovis modo possit pertinere.

Relatio ab orientalibus Episcopis de suis dioecesibus exhibenda.

Verum ut haec Congregatio omni cura et industria demandatum sibi a Nobis munus exercere, suosque labores et studia in maiorem istarum Ecclesiarum prosperitatem conferre possit, opus omnino est, ut optime noscat spirituales orientalium nationum indigentias, quibus opportune ac provide sit consulendum. Et quoniam Vobis, Venn. Fr. apprime nota est conditio et status gregis curae vestrae traditi, iccirco pro vestra sapientia probe nostis, maxime oportere, ut de rebus omnibus, quae vestras ecclesias vestrumque gregem respiciunt, maiore, qua fieri potest, celeritate Nos diligentissime certiores facere velitis, et accuratam de vestrarum dioecesium statu relationem mittatis, in qua sedulo exponatur quidquid ad ipsas dioeceses spectet, quo fidelium in eisdem dioecesibus degentium necessitatibus omni cura prospicere possimus. Summa certe erit Nostra consolatio, si quisque Vestrum, Venn. Fr. omnes suae propriae dioecesis res sedulo ad Nos referens significaverit, quot fideles in ipsa versentur dioecesi, quot sint ecclesiastici viri, qui proprii ministerii munia obeuntes ipsis fidelibus adsistant, quae eorumdem fidelium agendi ratio, tum quoad fidem, tum quoad morum honestatem, qua doctrina clerus sit praeditus, quaeque ipsius cleri educatio, et quomodo populus ad sanctissimam nostram religionem, morumque disciplinam instituatur, et qua ratione populus idem ad pietatem, morumque probitatem quotidie magis conformari et excitari queat. Optamus etiam summopere agnoscere qualis sit vestrarum scholarum conditio, et qua frequentia illas iuventus adire soleat. Cum vero probe sciatis, Venn. Fr., omnes rei cum sacrae, tum publicae spes positas esse in recta, salutari ac religiosa puerorum educatione, iccirco maxime interest, ipsos vel a teneris annis catholicas celebrare scholas, quo divinae nostrae religionis veritatem, ac praeceptiones sedulo discentes a periculo amoveantur, ne tenerae eorum mentes pravis imbuantur principiis. Neque omittatis Nobis manifestare si libris indigeatis, ac simul exponere qui potissimum libri ex vestra sententia et cleri doctrinae curandae, et populi institutioni promovendae, et acatholicorum placitis confutandis, et fidelium pietati fovendae magis opportuni esse possint. Insuper cum acceperimus, in aliquibus locis liturgicos, ac rituales adhiberi libros, in quos vel aliquis irrepsit error, vel aliqua ad arbitrium invecta immutatio, Vestrum erit Nobis patefacere qui libri apud Vos adhibeantur, itemque dicere, si huiusmodi libri aliquo tem-

(1) S. Leo Serm. II de Resurrect. Domini.

pore fuerint ab hac S. Sede approbati, vel si ex vestro iudicio errores corrigendos contineant, atque etiam si quae dubia dirimenda habeatis, vel si adsint abusiones tollendae. Atque etiam praecipue expetimus a Vobis accipere quos in vestris dioecesibus progressus habeat sancta catholica unio, quae impedimenta eidem obstent, quibusque opportunioribus modis huiusmodi impedimenta amoveri possint, ut ipsa unio magis in dies promoveatur et augeatur.

Adhortatio.

Videtis profecto, Venn. Fr., quanto amore, quantoque studio istas orientales prosequamur Ecclesias, et quam vehementer optemus, ut in orientalibus populis sanctissima nostra fides, religio, pietas maiora in dies incrementa suscipiat, ac vigeat et efflorescat. Ac certi sumus, Vos pro episcopalis vestri ministerii munere, et pastorali zelo vestras omnes curas cogitationesque in divina nostra religione tuenda et propaganda, atque in vestri gregis salute curanda studiosissime impendere. Cum vero inimicus homo hisce praesertim luctuosissimis temporibus non cesset in Dominico agro superseminare zizania tum pestiferis libris et ephemeridibus, tum monstruosis quibusque opinionum portentis, quae catholicae fidei ac doctrinae plane adversantur, idcirco probe intelligitis quanta sollicitudine, vigilantia, et constantia Vobis sit allaborandum et excubandum, ut fideles Vobis commissos ab hisce venenatis pascuis arceatis, et ad salutaria propellatis, eosque catholicae Ecclesiae doctrina maiorem in modum imbuatis. Ut autem id facilius assequi valeatis, animarum curatorum praesertim zelum assidue excitare ne intermittatis, Venn. Fr., ut ipsi suo munere diligenter fungentes nunquam desinant evangelizare Dei evangelium sapientibus et insipientibus, et omni sacrorum ope christianam plebem sibi commendatam iuvare, ac pueros praesertim, et rudes homines catholicae fidei documenta, morumque disciplinam patienter, amanterque docere, omnesque continenter exhortari in doctrina sana, ne circumferantur omni vento doctrinae. Omnes quoque vestrarum dioecesium presbyteros semper monete, ut animo serio reputantes ministerium, quod acceperunt in Domino, illud sedulo implendum curent, ut virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, orationi instent, ac sacras praesertim disciplinas assidue excolant, et in sempiternam fidelium salutem procurandam totis viribus incumbant. Atque ut facilius navos et industrios operarios habere possitis, qui in vinea Domini excolenda auxiliariam Vobis operam in tempore exhibere valeant, nullis parcite curis, nullisque consiliis, Venn. Fr., ut adolescentes clerici vel ab ineunte aetate per lectissimos magistros ad pietatem, verumque ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac litteris et disciplinis praecipue sacris ab omni cuiusque erroris periculo omnino alienis diligentissime erudiantur. Equidem haud ignoramus, Venn. Fr., quae quantaeque sint difficultates, quibus in episcopali vestro ministerio exercendo obnoxii estis. Sed confortamini in Domino et in potentia virtutis eius memoria repetentes, Vos pro Christo legatione fungi, qui tradidit animam suam pro ovibus suis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius.

Nemo vero ignorat quanto usui et ornamento catholicae Ecclesiae in oriente fuerint religiosae monachorum Familiae. Namque ipsae vitae integritate, morumque gravitate, ac religiosae disciplinae laude spectatae, et bonorum operum exempla fidelibus exhibere, et iuventutem instituere, et litteras ac disciplinas excolere, et auxiliariam utilemque Sacrorum Antistitibus operam navare studebant. Tristissimis autem rerum ac temporum vicibus hae sacrae Familiae de christiana et civili republica egregie meritae in aliquibus locis vel a proprii Ordinis disciplina declinarunt, vel omnino extinctae fuerunt. Cum autem magnum emolumentum sanctissimae nostrae afferretur religioni, si hae sacrae Familiae, ubi praesertim interierunt, denuo reviviscerent, et inter orientales nationes pristino fulgerent splendore, iccirco a Vobis exposcimus, ut Nobis significetis quid de hac re sentiatis, et qua ratione huiusmodi sacrarum Familiarum instauratio effici possit.

Persuasissimum Nobis est, Vos, Venn. Fr., non solum hisce Nostris desideriis ac postulationibus alacri ac libentissimo animo esse satisfacturos, verum etiam singulari diligentia exposituros alia omnia, quae ex vestra sententia ad maiorem in istis regionibus sanctissimae nostrae religionis, ac tum cleri, tum populi fidelis utilitatem procurandam sint peragenda. Cum autem ex encyclica Cardinalis Praefecti Nostrae Concilii Congregationis epistola noveritis, gratissimum Nobis fore Venn. Fratrum sacrorum Antistitum praesentia frui in solemni plurium Sanctorum canonizatione, quam proximo Pentecostes die, Deo favente celebraturi sumus, tum ea spe nitimur fore, ut hac occasione, si vestrarum dioecesium rationes permittant, vos praesentes intueri, amanterque complecti, et a Vobis ipsis earumdem dioecesium relationes accipere possimus. Interim vero pro eximia vestra pietate, et episcopali zelo pergite, Venn. Fr., maiore usque alacritate et contentione ministerium vestrum implere, et omni studio vestrorum fidelium saluti prospicere, eosque etiam atque etiam monere et exhortari, ut in catholicae religionis professione magis in dies stabiles et immoti persistant, et omnia Dei, eiusque sanctae Ecclesiae mandata religiose custodiant, et ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Consueta autem vestra benignitate eos paterno affectu excipite, qui cum ingenti animi

Nostri laetitia ad catholicae Ecclesiae gremium redeunt, et omnem impendite curam, ut illi magis in dies amanter enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati in sancta vocatione immobiles permaneant, et alacriori usque pede incedant per semitas Domini, atque instent viam, quae ducit ad vitam. Ac pro egregia vestra religione nunquam desinite omnia conari, ut in omni bonitate, patientia, doctrina, mansuetudine, lenitate miseros errantes Christo lucrifacere, atque ad unicum eius ovile reducere, et in spem aeternae haereditatis restituere possitis. Inter angustias vero et difficultates, quae hisce potissimum asperrimis temporibus ab episcopali vestro munere abesse non possunt, confidite in gratia Domini Nostri Iesu Christi prae oculis habentes, quod qui ad iustitiam erudiunt multos fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Denique, Venn. Fr., pro certo habeatis velimus, praecipuam esse, qua Vos in Domino prosequimur, benevolentiam. Atque interim haud omittimus in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione a Deo Optimo Maximo humiliter enixeque petere, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves vigilantiae vestrae commissas copiose descendant. Atque horum auspicem, et propensissimae Nostrae in Vos voluntatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venn. Fr., cunctisque clericis, laicisque fidelibus cuiusque Vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

1227

De catholicorum sepultura in coemeterio acatholicorum.

Litt. S. C. de Prop. F. *16 Aprilis 1862.* (AD EP. ROSEN.). — Delatum est ad S. C. S. Officii quod in relatione de statu dioecesis innuebas in paroecia S. Crucis proprium catholicorum coemeterium non existere, et catholicorum cadavera deferri debere ad coemeterium lutheranorum; atque eadem S. C. S. Officii feria IV die 12 Febr. 1862 hoc dedisse responsum: « Curandum est Episcopo ut catholici coemeterium habeant a coemeterio acatholicorum distinctum. 2. Si id effici non possit, experiendum est utrum saltem in eodem coemeterio distinctus locus pro tumulatione catholicorum haberi possit. 3. Si neque id possibile sit, usquedum praedicta facultas non obtineatur, singulis vicibus, cum catholici cadaver ad sepulchrum deferatur, sepulturae locus debet benedici ».

1228

De accessu orientalium ad ecclesias latinorum.

Instr. S. C. de Prop. F. *30 April. 1862* — (AD DELEG. AP. AEGYPTI) — Circa il dubbio riguardante la frequenza degli orientali alle chiese dei latini due massime possono notarsi; la prima garantisce la libertà e la devozione degli individui; la seconda favorisce il rito senza ledere la prima. L'una stabilisce non essere proibito nè potersi proibire ai fedeli di rito orientale di frequentare le chiese dei latini, anzi anche quelle di altro qualunque rito orientale cattolico. L'altra inculca che non solo non debbono gli orientali distrarsi dalle chiese del proprio rito, ma che anzi debbono esortarsi dagli stessi missionarî latini a frequentarle, specialmente nelle feste. In questo senso appunto si è espressa sempre la S. C. la quale mentre ha fatto sentire ai Vescovi orientali che essi non potevano proibire ai fedeli del loro rito di frequentare le chiese de' latini, ed ha deciso che per soddisfare il precetto di ascoltare la s. Messa non sono obbligati i fedeli di ascoltarla nel proprio rito, non ha tralasciato di eccitare i missionarî europei a ricordare agli orientali di frequentare le loro chiese, specialmente nelle feste.

De orientalibus sacramenta in latinorum ecclesiis percipientibus.

Il 2° dubbio riguarda la percezione dei sagramenti che fanno gli orientali nelle chiese latine, cioè della Penitenza e della Eucaristia. Quanto alla Penitenza la S. Sede ha ritenuto sempre la massima che non si deve vincolare in alcun modo la libertà dei cristiani in un punto così delicato qual è la sagramentale confessione, ed ha voluto sempre che fosse lecito a ciascuno di manifestare le sue colpe a quello fra i sagri ministri approvati che gli fosse più a grado. Non ha ugualmente mai proibito ad un confessore approvato di ascoltare la confessione di qualunque siasi cattolico che a lui si presentasse nel s. tribunale. Così non è proibito ai cristiani di una diocesi di passare ad un'altra per ivi confessarsi. Inoltre sebbene per l'adempimento del precetto pasquale deve ogni cristiano fare la Comunione nella propria parrocchia, non ha però alcuna obligazione di confessarsi neppure in tale occasione dal proprio parroco. Nè si è fatta mai su questo punto alcuna restrizione di rito, giacchè l'amministrazione di tal sagramento non porta seco alcun cambiamento nel rito. E se qualche dubbio alle volte si è mosso su tal particolare, la S. Sede ha dichiarato che non devesi fare in tal genere alcuna limitazione (1). — Rapporto al sagramento della

(1) Circa sacerdotes latinos confessiones orientalium excipientes quaesitum est: « Utrum missionarii (in partibus orientis) teneantur interrogare graecos, ad Poenitentiae sacramentum accedentes, de eorum fide, v. g. de Summo Pontifice, de processione Spiritus Sancti, de glorificatione Sanctorum, de consecratione in azymo, de Purgatorio, in quibus vulgo errant graeci. Interrogandi videntur ne in dictis erroribus remaneant; si autem interrogentur, periculum esset ne aversionem in Ecclesiam Romanam concipiant, confessionemque apud illos effugiant, existimantes illos de ipsorum fide dubitare, ritumque aliquo modo reprobare. Praeterea quod accedentes implicite videntur recognoscere summum Pontificem et eius fidei veritatem ». Respondit S. C. S. Off. (22 Ian. 1688): « Nisi prudens confessarius probabiliter dubitet, non tenetur interrogare graecos unitos de eorum fide circa praedicta ».

Eucaristia convien distinguere gli orientali che fanno uso, secondo il proprio rito, dell'azimo da quelli che fanno uso del fermentato. Pei primi non vi è alcun divieto, nè possono i Vescovi orientali inibire ai proprî sudditi di ricevere l'Eucaristia dai missionarî latini nelle loro chiese (ben inteso nei casi in cui non entra il diritto parrocchiale). Per gli altri poi, cioè per quelli che nella materia eucaristica fanno uso del fermentato, è a notarsi primamente che possono essi anche nelle chiese latine ricevere la S. Comunione, purchè la ricevano secondo il proprio rito, e dai sacerdoti nazionali, come insegna Benedetto XIV nell'Enciclica *Allatae sunt* ai numeri 33, 35, e 36. Anzi alle volte è questa una necessità per quei luoghi ove gli orientali non hanno le chiese del proprio rito. Altra cosa però è se gli utenti del fermentato volessero dai latini ricevere la Comunione in azimo. Due regole sonosi stabilite per gli utenti del fermentato: la 1. è che non possono ad arbitrio comunicarsi in azimo quando abbiano la opportunità di farlo nel proprio rito; la 2. è che quando si verifichi la difficoltà di comunicarsi in fermentato, lo possono fare anche in azimo non solo in articolo di morte e per adempire al precetto pasquale, ma anche in altri casi come si stabilisce nella istruzione pastorale di Benedetto XIV. *Eo quamvis tempore* § *Neque etiam* (1).

Nel 3. dubbio si tratta dei latini ossia degli utenti dell'azimo. Questi possono comunicarsi nelle chiese orientali nel proprio rito dai sacerdoti utenti dell'azimo, ma non possono senza dispensa pontificia comunicarsi in fermentato, ancorchè si verifichi la difficoltà di comunicarsi in azimo. La massima si trova stabilita nella Costituz. *Etsi pastoralis* di Bened. XIV n. 12 del § VI., ove si dice assolutamente: « ne laici autem latini Communionem a graecis « presbyteris sub specie fermentati recipiant pro« hibemus omnino et interdicimus ». Coerentemente il S. O. e la S. C. di Propaganda hanno sempre proibito agli utenti dell'azimo il comunicarsi nel fermentato, e solo nei casi in cui si è verificata la deficienza totale di sacerdoti del proprio rito, e di quelli di altro rito in cui si consacri in azimo, hanno per essi implorata la pontificia dispensa la quale peraltro non è stata accordata se non pei due casi di vera necessità, cioè del Viatico e del precetto pasquale.

Quoad munia et iura parochialia missionariorum in orientales.

Il 4. dubbio o quesito è relativo all'officio ed ai diritti parrocchiali sugli orientali. Prima di rispondere a questo dubbio è da notarsi 1. che i fedeli di ciascun rito debbono essere nei parrocchiali assistiti dai preti nazionali quando ve ne siano abili e non impediti; 2. che i missionarii, come più volte si è espressa la S. Sede, non essendo che *in subsidium* dei preti relativamente agli orientali, l'opera loro sussidiaria deve considerarsi e come suppletiva alla deficienza di detti parrochi, e come accessoria e adiutrice dell'opera dei parrochi del rito, anche nei parrocchiali, quando non vi sia mutazione e promiscuità di rito, e vi sia la licenza dei parrochi stessi orientali. Ora considerando ciò che riguarda l'officio parrocchiale sugli orientali, è da osservarsi che si possono dare 3 casi: 1. quando nel luogo ove sta il missionario latino vi sia presente un prete, e sopragiunga un prete del rito benchè non parroco; 2. quando un prete del rito deputato all'ufficio di parroco faccia delle escursioni al luogo di cui si tratta; 3. quando nel luogo stesso siavi o sopravvenga il parroco orientale di uno dei riti, v. g. il cofto, ed i fedeli di altri riti manchino del proprio parroco. La soluzione del 1. caso si ha nella decretale *Demandatam* e nella Istruzione *Eo quamvis tempore* di Benedetto XIV, non che nelle formole facoltative che autorizzano i missionarî ai sagramenti parrocchiali *in parochiis ubi non erunt parochi.* Coerentemente la S. C. ha sempre inculcato non potere i missionarii amministrare quei sagramenti quando vi sia un sacerdote del rito *deputatus ad parochialia;* poterlo ove gli orientali manchino di proprî pastori. Ciascuno poi vede quanto sia ragionevole una tale disposizione la quale è diretta ad impedire i cambiamenti cui di continuo soggiacerebbero i fedeli in un diverso sistema. La presenza dunque di un prete non parroco non osta all'esercizio parrochiale dei missionari. Nel 2. caso, di preti cioè deputati ai parrocchiali che facciano delle escursioni nel luogo ove si trova il missionario, si verifica che non vi è all'assistenza degli orientali *sacerdos approbatus ad parochialia pro illo districtu.* Infatti i parrochi dei rispettivi distretti non possono considerarsi come legittimi parrochi degli altri distretti loro non assegnati, nè possono portarsi ad amministrare i sagramenti parrocchiali fuori dei limiti della loro giurisdizione. In questo caso pertanto i missionarî, i quali in forza delle loro facoltà devono assistere gli orientali in mancanza del

(1) In Instructione *Eo quamvis tempore* (4 Maii 1745) pro cophtis l. c. haec habentur: « Neque etiam perpe« ram timeant missionarii sibi in vinea Domini tam« quam operariis tota die otiosis, et a bono opere tor« pentibus, nullam vel exiguam occasionem impendendi « laboris esse relictam. Praedicandum est ab illis san« ctum Christi Evangelium, et docenda mysteria chri« stiano homini necessaria ad aeternam salutem; ex« plicanda vitia quae declinare, virtutes quas sequi « oporteat; adhibenda medela sauciatis per sacramen« tum Poenitentiae; tum alia quoque administranda « sunt sacramenta in subsidium presbyterorum ritus « cophti; nihil demum derelinquendum est quod ad « animarum salutem et religionis incrementum perti« nere possit ».

parroco nazionale, hanno il diritto di amministrare ai medesimi i sagramenti parrocchiali. Il 3. caso è quando in un luogo siavi o sopragiunga il parroco orientale di un rito, e non l'abbiano gli orientali di altro rito. Nella detta decretale di Benedetto XIV. « *Demandatam* » § *Et quoniam* viene stabilito, come di sopra si è fatto osservare, che i missionarî latini hanno la giurisdizione sopra gli orientali *in subsidium, quando deficit parochus aut Episcopus eiusdem ritus.* Ora nel caso di cui si parla si verifica per gli orientali rispettivamente la deficienza del proprio parroco. E però tal presenza di preti orientali che o non sono deputati alla cura parrocchiale, o non lo sono in quel distretto, non impedisce che i missionarii assumano l'officio di parrochi degli orientali. Resta a parlare degli emolumenti parrocchiali. Quando i missionarî sono chiamati legittimamente all'ufficio di parrochi degli orientali non può recarsi in dubbio che ad essi spettino gli emolumenti di quell'officio. Infatti quante volte la S. C. ha deciso che la presenza di un prete del rito non parroco non esclude che i missionarî amministrino agli orientali i sagramenti, ha dichiarato ancora che i missionarî possono in questo caso lecitamente percepire gli emolumenti che per diritto si devono ai parrochi. E Benedetto XIV nella detta Decretale *Demandatam* dopo di aver deciso « licere *ai PP. di Terra Santa* parochialia munia obire in graecos melchitas, « eisque sacramenta administrare » quando questi manchino di proprio parroco, soggiunge: « quo casu praedicti Fratres emolumenta le« gitimo iure debita percipere licite valent ». Una sola eccezione deve farsi in proposito, ed è che se i parrochi orientali non possono esercitare il loro officio per timore delle persecuzioni, o per altro legittimo motivo, ed i missionarî latini devono fare le loro veci nell'amministrazione dei sagramenti, i proventi dell'esercizio della stola appartengono tutti ai parrochi orientali, ed i missionarî latini devono versarli nelle loro mani, essendone stata caricata la loro coscienza dalla S. C. Se bene si scorge però questa forse non è che una conferma della massima generale che cioè gli emolumenti spettano ai proprî parrochi, quando vi siano legittimi, benchè talora impediti di esercitare il proprio officio.

1229

Quandonam regulares professi votorum simplicium rerum dominium a se abdicent.

S. C. super statu Regular. *1 Aug. 1862* — Lata lege de praemittendis votis simplicibus professioni votorum solemnium per encyclicam epistolam huius Sacrae Congregationis super statu Regularium die 19 Martii 1857, nonnullae deinde editae fuerunt declarationes quoad ipsa vota simplicia; et relate ad votum simplex paupertatis constitutum fuit « *Professi votorum simplicium dominium radicale, uti aiunt, suorum bonorum retinere poterunt, sed eis omnino interdicta est eorum administratio, et redituum erogatio, atque usus. Debent propterea ante professionem votorum simplicium cedere pro tempore, quo in eadem votorum simplicium professione permanserint, administrationem, et usumfructum, et usum, quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, si ita pro eorum libitu existimaverint* ».

Nuper vero dubium exortum est, quandonam professi votorum simplicum emittere possint renunciationem, de qua Sacrosanctum Concilium Tridentinum sess. XXV *de Regularibus* cap. XVI agit, quaque ipsi suarum rerum dominium a se abdicent. Dubio ad SSmum D. N. Pium PP. IX relato ab infrascripto Secretario Sacrae Congreg. super Statu Regularium in audientia habita die 1 Augusti 1862, Sanctitas Sua apostolica auctoritate statuit, atque constituit, renunciationem, quam in citato capite XVI sess. XXV. *de Regularibus* Concilium Tridentinum respicit, pro professis votorum simplicium locum habere infra duos menses proximos ante professionem votorum solemnium. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

1230

De hora comestionis diebus ieiunii.

S. C. S. Officii *17 Sept. 1862* — Proposito quaesito utrum in diebus ieiunii possit inverti tempus comestionis sumendo serotinam refectiunculam infra horam X et XI matutinam, prandium vero differendo ad IV vel V horam vespertinam, S. Poenitentiaria die 10 Ianuarii 1834 respondendum censuit: « Si inversionis supra« dictae rationabilis aliqua extet causa, poeni« tentes qui hoc more utuntur non esse inquie« tandos ».

1231

Indultum pro infirmis ut plenarias Indulgentias lucrari valeant.

S. C. Indulg. *18 Sept. 1862* — Est hoc in more positum, quod ab animarum pastoribus SS. Eucharistiae Sacramentum in aliquibus tantum infra annum praecipuis festivitatibus ad fideles habitualiter infirmos chronicos, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes, solemniter deferatur; proindeque huiusmodi fideles tot plenariis Indulgentiis privantur, quas consequerentur si, conditionibus iniunctis adimpletis, ad sacram Eucharisticam mensam frequentius possent accedere. Itaque quamplures animarum curatores aliique permulti ecclesiastici viri humillimas preces porrexerunt SS. D. N. Pio PP. IX, ut de Apostolica benignitate super hoc providere dignaretur; factaque per me infrascriptum Secretariae S. C. Indulg. Substitutum Eidem SSmo de his omnibus fideli relatione, in audientia ha-

bita die 18 Sept. 1862, Sanctitas Sua, spirituali gregis sibi crediti utilitati prospiciens, clementer indulsit ut praefati christifideles, exceptis tamen illis qui in communitate morantur, acquirere possint omnes et singulas Indulgentias plenarias iam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit sacra Communio et visitatio alicuius ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes, confessi ac caeteris omnibus absolutis conditionibus, si quae iniunctae fuerint, loco S. Communionis et visitationis, alia pia opera a respectivo confessario iniungenda fideliter adimpleant.

1232

Circa benedictionem matrimoniis mixtis denegatam.

Litt. S. C. S. Off. *26 Nov. 1862* — (AD VIC. AP. MYSURIEN.) Quid intelligendum sit, sciscitaris, per verba quibus in laudata instructione *(15 Nov. 1858)* innititur, et quasi ligatur facultas seu tolerantia benedicendi mixta matrimonia, scilicet ad vitanda graviora mala et damna. — Procul dubio graviora inde oriuntur mala et damna — 1. quotiescumque ob denegatam matrimoniis mixtis benedictionem facile excitarentur haereticorum querimoniae et odia adversus fideles, legesque ecclesiasticas; — 2. quotiescumque denegata a parocho catholico benedictione, sponsi ante vel post coram illo celebratum matrimonium ministellum adeant vel etiam in haeterodoxorum templum conveniant ad sacrilegam benedictionem obtinendam, parocho catholico omnino posthabito; — 3. quotiescumque insuper timendum esset quod recusata ab ipsis expetita benedictione, aut non servarentur necessariae cautiones de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et de universa prole in catholica religione educanda, aut, quod detestabilius foret, ne pars catholica ad haereticorum castra in sui et futurae prolis aeternam perniciem transiret. Evidenter, Illme ac Rme Praesul, haec et similia sunt gravia illa damna ac mala ad quae vitanda Summus Pontifex indulgere seu tolerari posse declaravit ut in matrimoniis mixtis nuptialis impertiretur benedictio. Per haec igitur facilis Vicariis Apostolicis omnibus, ac recta sese offert instructionis interpretatio et praxis. — Unde etiam ex dictis patet responsio ad secundum. Statim enim ad supradicta attendendo anxietates et dubia evanescunt circa non rectam ac inde discrepantem instructionis interpretationem, et ad practicos casus seu eventus applicationem. Quandocumque autem ob notabilem locorum distantiam Praesules per se causarum et circumstantiarum gravitatem et veritatem cognoscere nequeant circa mixta matrimonia sacerdotali benedictione honestanda, poterunt per missionarios sibi subditos haec eadem implere, qui tamen sint circa praedictas causas et instructionem optime edocti, prudentia et zelo secundum scientiam praediti. Quae tertio loco te anxium reddebant circa silentium ac secretum in laudata instructione quoad posse inculcatum, non ita presse intelligenda videntur, ut nemini innotescat haec S. Sedis indulgentia, seu potius tolerantia in benedicendis mixtis nuptiis. Etenim scias oportet quod Sanctitas Sua monitos esse voluit Praesules ut non passim et absque delectu matrimoniis mixtis benedictio impertiatur, nec per publicas instructiones, veluti etiam per modum regulae, tali utantur facultate, sed prudenter admodum et caute, ut oblivioni non tradantur saluberrimae Ecclesiae conditiones, quae semper implicite talibus dispensationibus adiunctae intelliguntur. Sane non aliam esse Summi Pontificis mentem Ampl. Tuae ceterisque Apostolicis Vicariis perspectum erit si attendas ad ea, quae in Apostolicis Litteris in forma Brevis Episcopo Trevirensi die 3 Octobris 1853 hac super re datis habentur. Summus Pontifex Pius IX postquam Trevirensi Ordinario indulsit ut, concurrentibus causis iam supra commemoratis, matrimoniis mixtis impertiri posset benedictio, hunc in modum prosequitur: « Quae sane conditiones (extra ecclesiam et absque parochi benedictione) eo potissimum spectant, ut in animis catholicorum nunquam obliteretur memoria canonum, qui haec detestantur connubia, et constantissimi illius studii, quo S. Mater Ecclesia suos filios avertere consuevit ab iisdem nuptiis in eorum futurae prolis perniciem contrahendis ».

Ex dictis igitur Tibi ceterisque Vicariis Apostolicis certa proponitur norma ad recte interpretanda et ad praxim reducenda ea quae de benedictione mixtis nuptiis danda traduntur in instructione Card. Antonelli. *(V. n. 1169).*

Ad quaestiones tandem quae veluti consectarias, solvendas etiam proposuit A. Tua, ita S. Congregatio respondendum censuit. Improbandam minime esse missionariorum praxim, qua ad detegendam haereticorum fraudem, qui relicta propria uxore cum catholica muliere copulari praesumerent, inter alias investigationes, banna illorum publicantur, nulla tamen facta mentione religionis illorum, qui nuptias sint contracturi.

Quoad dubium autem: – Num sacramenta dari possint catholicae parti mente paratae ad ineundum coram ministro protestante, sive ante sive post, catholicum matrimonium? Attendendum erit, an sponsi adeant ministrum protestantem ut legi tantum civili satisfaciant, an vero ut in sacris comunicent. Si hoc secundum, cum minister heterodoxus adsistat ut addictus sacris, et pars catholica in sua prava intentione persistat, non potest admitti ad sacramentorum participationem usque dum a pravo resiliendo pro-

posito vere resipiscat. Qua de re opportunum erit consulere Benedictum XIV *de Synod. Dioec. Lib. VI cap. VII § 2.* — Postremo sciscitabatur: An admittenda sit pars catholica, quae matrimonium cum haeretico, et coram ministello contraxit (valide tamen vigore extensionis Benedictinae pro Hollandia) ad renovationem mutui consensus coram parocho seu missionario catholico, qui possit etiam recitare formulam « ego vos coniungo » insuper an ad eamdem consensus renovationem admitti possint coniuges ab haeresi conversi, qui id instanter petunt? — In locis in quibus matrimonia haereticorum inter se, sive inter unam partem catholicam, aliamque heterodoxam contracta, etiam non servata Tridentini forma, sunt valida (dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum) nequeunt coniuges admitti ad matrimonium (iam per se indissolubile) quasi denuo contrahendum per verba mutuum de praesenti consensum exprimentia, nec formula « ego vos coniungo in matrimonium » a sacerdote recitanda erit. Attamen si agatur de matrimoniis mixtis coram haeretico ministro iam contractis, quatenus cautiones a iure necessariae praestitae fuerint, et pars catholica facti poenitens benedictionem petat, poterit ei, praevia absolutione a censuris, impositisque salutaribus poenitentiis, benedictio impertiri, exclusa tamen semper Missae celebratione. Pariter etiam coniugibus ab haeresi conversis, dummodo petant, impertienda erit nuptialis benedictio in Missa. Parochus vero quovis in casu coniuges condocefaciat eiusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere coniugii.

1233

Circa praesentiam canonicorum in choro ad lucrandas distributiones.

S. C. S. Off. *20 Dec. 1862.* — 1. An et quomodo canonici, tempore Divinorum Officiorum audientes confessiones, censeri debeant praesentes in choro ad effectum lucrandi distributiones in casu.

2. An et quomodo iidem canonici Missam celebrantes tempore Divinorum Officiorum tamquam praesentes haberi debeant in choro ad eumdem effectum in casu.

3. An et quomodo canonici assistentes Archiepiscopo in Pontificalibus aliisque functionibus, vel Missam privatam celebranti, absentes a choro lucrentur distributiones in casu.

4. An et quomodo lucrentur distributiones iidem canonici Archiepiscopo assistentes in pertractandis negotiis, vel ipsum in dioecesi extra residentiam comitantes in casu.

5. An et quomodo lucrentur distributiones canonici absentes a choro, ad expendendas rationes massae capitularis in casu.

6. An et quomodo lucrentur distributiones canonici absentes a choro ministerio praedicationis vacantes in casu.

7. An et quomodo canonici lucrentur distributiones, dum absunt a choro pro examine ordinandorum vel confessariorum in casu.

8. An et quomodo canonici, Rectoris, Administratoris, Professorum et Examinatorum munus exercentes in Seminario, a choro absentes lucrentur distributiones in casu.

9. An et quomodo lucrentur distributiones canonici absentes a choro, ut Provicarii Generalis, Cancellarii et Actuarii, aliaque munera in curia archiepiscopali exerceant in casu.

10. An et quomodo lucrentur distributiones canonici absentes a choro, rerum capitularium vel mensae archiepiscopalis administrationi vacantes in casu.

11. An et quomodo canonicus cancellarius Capituli lucretur distributiones, pro negotiis capitularibus in archivio distentus in casu.

Et quatenus negative:

12. An consulendum SSmo pro absolutione et condonatione perceptarum distributionum in casu.

R. Ad 1. Negative in omnibus, excepto Poenitentiario.

Ad 2. Negative, nisi de Praefecti licentia et in populi commodum.

Ad 3. Affirmative ad primam partem prout in Lycien. 17 Augusti 1641; ad secundam partem, Negative.

Ad 4. Negative in omnibus.

Ad 5. Affirmative per tempus ab Ordinario praefiniendum.

Ad 6. 7. 8. et 9. Negative in omnibus.

Ad 10. Quoad canonicum Administratorem rerum capitularium, Affirmative pro diebus et horis quibus reapse incumbit in administrationem; in reliquis, Negative.

Ad 11. Negative, nisi in casu urgentiae.

Ad 12. Affirmative, celebrata unica Missa cum cantu, adstante universo Capitulo.

In causa Lycien. 17 Aug. 1641, quam S. C. C. indicavit in dubii tertii resolutione, haec habentur: Cum quaesitum fuisset a S. C. C. « An Decretum Concilii cap. 12, sess. 24, de Reform., vers. *Omnes vero* (1), locum habeat quando Episcopus in aliis ecclesiis sibi subiectis in civitate existentibus pontificaliter celebrat, vel paratus adsistit cum pluviali et mitra aut cum cappa divinis Officiis, et Missae solemnia vel alia pontificalia exercet.... si numerus sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia cathedrali remaneat ». S. C. respondit: *habere locum.*

(1) Haec ibi: « Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia, et Episcopo celebranti, aut alia pontificalia exercenti, adsistere et inservire; atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare ».

1234

De Cingulis laneis pro Missa.

S. R. C. *23 Dec. 1862.* — Quum in quibusdam Ecclesiis, in Gallia praesertim, inter sacerdotalia paramenta pro Missa celebranda Cingula lanea adhibeantur, Procurator Generalis Ordinis Carthusianorum a Sancta Sede declarari petiit, num Cingula ex lana adhiberi licite valeant in celebratione sacrosancti Missae sacrificii.

R. Nil obstare, quominus Cingula in precibus enunciata adhiberi possint.

1235

Circa cruces a paganis in viis exculptas ut christianorum pedibus calcentur.

Instr. S. C. S. Officii *1863* — (AD VIC. AP. HUN-NAN) — Delatae sunt ad S. C. quaestiones quae primum a R. D. Francisco Dien missionario, deinde ab A. Tua propositae sunt circa difficultates in quibus versantur fideles in Hunnanensi provincia. Narrabas enim paganos regionis illius actos in rabiem ob libertatem christianae religioni decretam ex publica conventione inter Gallorum ac Sinarum imperatores inita, eo procurrisse insaniae ut venerandae Crucis signum pedibus ultro citroque euntium calcandum in publicis viis, in pontibus, in portarum urbium limine insculpserint, aut quomodocumque descripserint, idque tanta alicubi frequentia et continuitate ut abstinere ab ea iniuria (modo prosequi iter firmum sit) ne volentes quidem possint. Quod quidem ad christianos praesertim in angustias coniiciendos factum fuisse scribis, ut nimirum vel tota urbe carendum iis sit, negotiisque omnibus plane desertis, inedia fere ac tristitia intra domos pereundum, vel, cruce calcata, indicium, ut illi arbitrantur, eiuratae religionis dare cogantur: qua de re addis, quosdam tibi videri ex paganis primis diebus in excubiis fuisse ut christianorum agendi rationem taciti explorarent. Quibus expositis postulasti an liceat christianis super eiusmodi cruces incedere, non quidem contemptus, sed necessitatis causa, idque eo etiam in casu in quo adstant exploratores qui taciti christianos observant: quodque inde consequitur, an qui ita se gesserunt recte egerint; sin vero male, an relinquendi sint in bona fide, an monendi, an etiam ut apostatae habendi. Quibus quaestionibus alias addidit missionarius Tien, nimirum utrum, in incedendo aliquam diligentiam, eamque mediocremne an summam adhibere debeant christiani ne super cruces vestigium ponant: an imo iis liceat etiam voluntarie eas calcare, non quidem ad religionis, sed ad eorum contemptum qui absque ulla auctoritate eas descripserunt. Itaque si christiani a nemine moneantur de aliquo Crucis signo quod ante pedes forte habeant, S. C. praestare censuit ut libere incedant nihil examinantes. Quando enim ea constant quae ab A. Tua exposita sunt, duoque illa praesertim sunt evidentia et publice nota, necessitas ita agendi ad negotia propria gerenda vitamque ipsam sustentandam, et intima christianorum voluntas in sua religione retinenda, et in iis omnibus quae contraria eidem sunt excludendis, facile quisque intelligit neque ex fine, neque ex obiecto, neque ex circumstantiis (quae tria sunt elementa quibus actionis moralitas constituitur) eiusmodi agendi rationem posse redargui. Finis enim qui non ad religionis contemptum, sed ad consulendum necessitatibus propriis dirigitur manifeste honestus est; eiusmodi autem fine proposito, actum quoque materialem incedendi super cruces (quo in actu actionis obiectum situm heic est) si in se consideretur, nihilque pravitatis a circumstantiis accipiat, culpa omni vacare non est dubitandum. Cum enim incedere ac vestigia ponere sit actus natura sua indifferens, necessario sequitur quod, si finis inhonestus excluditur, honestus autem rationique conformis proponitur, ipse quoque actus et honestus et rationi conformis sit habendus. Itaque nosti non modo inter scrupulos recenseri si quis religioni sibi vertat quod paleas in crucis formam connexas inter ambulandum calcavit, verum etiam passim libereque in templis super lapides sepulchorum fideles incedere, ubi summum Iesu nomen eiusque monogramma, et cruces saepissime insculptae sunt. Restat igitur ut a circumstantiis nihil accedat pravitatis, ex quibus una in casu proposito occurrit quae speciem aliquam difficultatis portendere videtur, quod in praedictis crucibus describendis laqueum christianis iniicere pagani sibi proposuerunt, ut nimirum, si necessitate coacti eas calcaverint, eiurasse religionem videantur: cui alteram addit A. Tua, qua nonnihil videtur commoveri, quod scilicet primis diebus etiam in excubiis pagani fuisse visi sunt, ut christianorum agendi rationem observarent: quam tamen circumstantiam nihil momenti afferre facile perspicies. Cum enim dicas eosdem omnino tacitos, nihilque prorsus audentes adstitisse, plane intelligis perinde eos esse habendos, ac qui fortuito christianos transeuntes viderent. Quapropter unum quaerendum heic est tum quoad eos, tum quoad alios qui fortuito adsint, tum etiam quoad ceteros qui absentes factum cognoscunt, utrum quod malo illo animo cruces pagani insculpserint, scandalum apud illos merito oriatur si christiani super eas incedant, quasi nimirum eiuratae religionis indicium edidisse videantur. Cum in omnium oculos duo illa quae diximus insiliant publiceque nota sint, christianorum scilicet voluntas quae religioni suae palam firmiterque adhaeret, parique ratione ab iis quae contraria sunt abhorret, et vera ratio quae eosdem adigit ad urbis vias frequentandas, quae est necessitas sua negotia gerendi suaeque vitae

sustentandae, illud sane consequitur quod si quis malitiæ sua voluntarie obcaecatus haec nolit videre, quod omnes vident, ut apostasiam per calumniam christianis attribuat, is profecto non pusillorum scandalum patitur, neque ex infirmitate natum, sed pharisaeorum et ex malitia productum. Pharisaeorum autem scandalum nosti esse spernendum, ac proinde vides neque ex fine, neque ex actionis obiecto, neque ex circustantiis redargui posse christianos quod nihil examinantes libere per urbem incedant. Id tamen S. C. in eo tantum casu retinendum esse censuit cum nemo christianos admonet de cruce aliqua quam iuxta pedes habeant. Si enim ab aliquo ii moneantur, eadem S. C. respondit diligenter eos curare debere, ne Crucem pedibus premant, quandoquidem, si moniti eamdem libere calcarent, cum tamen vitare id possent, merito pusillis atque infirmis viderentur religionis sanctitatem violasse. Quapropter non potuerunt Emi Patres non mirari de dubio illo quod subiectum fuit, utrum nimirum christifideles possint etiam voluntarie cruces calcare ad contemptum illorum qui fecerunt, sine contemptu autem religionis. Quis enim non videat contemptum Crucis a contemptu eorum qui eas descripserunt eo in casu separari non posse? eaque excusatio si admittatur, non absimili defensione eum quoque posse uti qui veram Crucem sub pedes proiiciat, aiens se non Christi neque istius Crucis eontemptu, sed iudaeorum, qui eam Christo statuerunt, id fecisse? Quod si etiam huiusmodi abstractio fieri posset, manifestum tamen est pusillorum saltem ratione qui scandalum inde caperent, eadem uti non licere. Ut enim in simili casu animadvertit Chrysostomus (Hom. XXV, n. 2, in 1, Cor.) de iis nimirum agens qui existimabant fas esse christianis de immolatitiis, etiamsi moniti essent, absque ulla necessitate edere, dummodo iure libertatis suae se id facere profiterentur, non autem ut idololatriae consentirent, eiusmodi remedio pusillorum vulnus minime sanatur, quia nimirum cum videant vitari illud potuisse suspicionemque omnem violatae religionis ea ratione removeri, neque tamen id esse factum, nunquam ait S. Doctor sibi sinunt persuaderi malum animum in ea re abfuisse, etiamsi millies id repetatur : infirmi enim sunt. Quapropter cum Germaniae Apostolus S. Bonifacius a Gregorio II postulasset « utrum de immolatitiis, si « a fidelibus superductum fuerit vivificae crucis « signum, edi liceret an non? » S. Gregorius (ep. XIII § 6) rescripsit: « Illud (de hac re) « sufficit respondere quod B. Paulus Apostolus « dicit: si quis dixerit quia hoc immolatitium « est, nolite edere propter eum qui indicavit, « et propter conscientiam ». Pari igitur ratione si christiani ab aliquo moneantur se crucem ante pedes habere, curare omnino debent, ne illam conculcent. Quod si ita praeclusum sit iter ut nonnisi per descriptas cruces transire liceat, eo in casu cum sit manifestum non ex aliqua irreverentia, sed ex mera necessitate per illas incedi, fieri quidem id posse S. C. respondit, sed ad omnem scandali rationem amovendam, duplicem conditionem servari oportere. Prima est ut coram monente et audientibus expresse christiani profiteantur voluntatem inferendi Cruci iniuriam omnino a se abesse; altera est ut in actu ipso transeundi modum teneant, quantum fieri potest, decentem, ut aliquod reverentiae signum ex eo ipso appareat. Haec enim si fiant cum de necessitate ita agendi, et de voluntate a violanda religione aliena aperte constat, si quis scandalum id sumere velit, is pharisaeorum mores plane sequeretur, adeoque despicienda eius calumnia esset, praesertim cum, si hisce paganorum iniuriis plus aequo terreri christiani se sinant, ansa illis praeberetur ad difficiliorem in dies faciendam christianae religionis conditionem, eamque facile hisce artibus extinguendam. Summa igitur responsi quod postulationibus tuis S. C. dandum censuit eiusmodi est: 1. Si a nemine christiani moneantur de aliquo crucis signo quod ante pedes forte habeant, oportere eos libere incedere nihil examinantes iuxta monitum S. Pauli (1. Cor. X. 22. 27). 2. Si moneantur, curandum ab iis esse ne vestigia supra crucem inferant. 3. Si moniti adesse crucem, adeo praeclusum iter reperiunt ut nonnisi per eam transire liceat, ita eos transire debere, ut primum expresse profiteantur nullam sibi esse mentem Crucis violandae, deinde, in actu ipso transeundi, modum quantum fieri potest decentem servent, ut indicium aliquod reverentiae ex eo ipso appareat. Quae quidem abunde vides sufficere ut certa norma christianis praescribatur, qua simul possint, et necessitatibus suis consulere, et religionis sanctitatem inviolatam tenere.

1236

Cavenda et servanda in mixtis coniugiis.

S. C. S. Off. *21 Ian. 1863.* — Helvetiae — 1. Nei luoghi ov' è il costume di contrarre il matrimonio innanzi al ministro eretico, i parrochi istruiscano i cattolici sul grave peccato che commettono nel seguire questo costume, e sulle gravi pene ecclesiastiche che sono perciò comminate, e le infliggano pure all'occorrenza i Vescovi, ove credano che ciò sia espediente; e che nel darsi le dispense si ponga l'espressa condizione che nè prima nè dopo il matrimonio i contraenti vadano avanti al ministro eretico.

2. Che per contrapporre un argine all'indifferentismo derivante dai matrimonî misti, i Vescovi insistano acciocchè i parrochi non tralascino mai d'invigilare sulla educazione dei figli nati da tali matrimonî, specialmente quando siano nati da una donna eretica.

3. Che i parrochi tutte le volte che muore

la parte cattolica, invigilino attentamente perchè i figli non siano pervertiti.

4. Che nei luoghi ove esiste la legge che i figli debbano seguire la religione del padre, nel caso che questi sia eretico, non si accordi mai la dispensa, se non consta moralmente almeno che la parte cattolica sinceramente voglia, ed efficacemente possa adempire le obbligazioni e cauzioni. Intanto Mons. Incaricato suggerisca in qual modo potrebbe ottenersi anche in via diplomatica l'abrogazione di questa legge.

1237

Circa poenam, in sollicitantes, inhabilitationis ad Missam celebrandam.

S. C. S. Off. *18 Martii 1863* — Esaminato se la pena d'inabilitazione alla celebrazione della s. Messa prescritta contro i rei di sollecitazione nel Decr. di Bened. XIV sotto i 5 Agosto 1745 sia *latae sententiae,* o soltanto *ferendae:* inerendo alle precedenti risoluzioni di questa S. C. Suprema, ed a dichiarazioni della S. Penitenzieria, gli Emi Inquisitori Generali ritennero che la pena suddetta è soltanto *ferendae sententiae.* Fattasi di ciò relazione al S. P. dall'Assessore del S. Off., S. Santità si degnò confermare questa dichiarazione, ed ordinare che essa sia notificata alla S. C. di Propaganda, e quindi la comunichi ai Vicarî Apostolici e Superiori delle Missioni, avvertendoli ad osservarla in pratica, non ostante qualunque altra risposta contraria che sia stata data in proposito.

1238

De applicatione Missae *pro populo* apud orientales.

S. C. de Prop. F. *23 Martii 1863.* (C. G.) — 1. Se l'obbligo di applicare la Messa *pro populo* che secondo il diritto della Chiesa occidentale viene imposto ai Vescovi ed ai parrochi abbia egualmente luogo per le stesse persone di rito orientale.

Quatenus affirmative:

2. In quanto alla determinazione di giorni se debbano osservarsi le leggi e consuetudini ragionevoli che trovinsi in vigore in alcune diocesi del detto rito.

3. In mancanza di simili leggi o consuetudini, se tale determinazione debba farsi a norma ed in tutta la estensione delle leggi occidentali.

4. Se per gravi ragioni e circostanze possa farsi luogo a qualche riduzione dei giorni fissati dalle leggi occidentali, ed anche ad una totale dispensa, coll'obbligo però di pregare pel popolo in quelle Messe stesse che dovrebbero applicarsi per esso.

Ad 1. et 2. Affirmative.

Ad 3. Negative.

Ad 4. Provisum in tertio et ad mentem. La mente è che all'opportunità si faccia sentire ai Vescovi della chiesa orientale l'obbligo che anche in essa incombe ai pastori di anime di applicare qualche volta la Messa pel popolo, e per ciò che concerne la determinazione dei giorni si esponga loro la disciplina della chiesa occidentale onde ne abbiano lume per vedere fino a qual punto potrebbe essa convenire alle loro diocesi, e per proporre in ogni caso alla S. Sede quei temperamenti che fossero per credere necessarî.

1239

De Missa *pro populo* in casu Episcopi qui est parochus.

S. C. de Prop. F. *23 Martii 1863.* (C. G.) — Se il Vescovo di Dromore in Irlanda, essendo parroco di Newry nella sua diocesi, applicando nelle Domeniche e nell'altre feste la Messa per tutti i fedeli della sua diocesi, soddisfa anche all'obbligo che gl'incombe come parroco.

R. Iuxta exposita, negative et ad mentem. La mente è che, se il detto Vescovo non tiene nella città di Newry un vicario per amministrare quella parrocchia, debba porvelo, e per mezzo di esso debba altresì soddisfare all'obbligo della Messa *pro populo,* avvertendo bensì, conforme al § 4 della Costituz. di Benedetto XIV *Cum semper oblatas,* che nel fissargli la congrua debba aver riguardo all'anzidetto peso.

1240

De matrimonii celebratione absque praesentia parochi.

S. C. S. Off. *1 Iulii 1863* — Quando difficilis, nec tutus est accessus ad parochum, et ignoratur quandonam parochus haberi possit, et praevidetur spatio saltem unius mensis a loco abfuturus, nullusque alius sit qui vices parochi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata in eo, quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus.

1241

De Episcopo cogente parochum ad assumendum sibi vicarium.

S. C. Concilii *14 Aug. 1863.* — 1. An possit Episcopus cogere parochum ad assumendum sibi unum aut plures vicarios, prout id necessarium iudicaverit.

De matrimonio contracto coram presbytero ab Episcopo specialiter deputato.

2. An invalidum sit matrimonium contractum coram presbytero ab Episcopo specialiter deputato, ob congruentem causam, v. g. quia ille presbyter est amicus aut propinquus alterutrius sponsorum, morose renuente parocho.

De parochorum iuribus circa parochianos in hospitali defunctos.

3. An diversi parochi ius habeant reclamare suos quisque parochianos, qui decedunt in hospitali ubi est capellanus licentiam habens ab Episcopo tumulandi ibi defunctos.

4. An funeralia exequiarum, quae fiunt a capellano, pertineant ad parochum loci ubi situm est hospitale, sive defuncti sint eius parochiani, sive aliorum.

5. An ius habeat parochus exigendi taxam exequiarum, quibus functus est capellanus hospitalis, quasi peractae fuerint ab ipso in ecclesia parochiali.

R. Ad 1. Affirmative, ad tramitem tamen cap. IV sess. 21. *De Reform.* Conc. Tridentini.

Ad 2. Esse validum: ceterum curandum ne ob leves quaslibet causas huiusmodi deputationes fiant; salvis semper favore parochi emolumentis, si quae matrimonii occasione dari soleant.

Ad 3. Negative, quatenus hospitalis exemptus fuerit legitime declaratus a iurisdictione parochiali.

Ad 4. Spectare ad proprium cuiusque defuncti parochum nisi constet de exemptione, ut supra, hospitalis.

Ad. 5. Affirmative, nisi constet, ut supra, de exemptione hospitalis.

1242

Eucharistia a sacerdote iuxta proprium ritum administranda.

Litt. S. C. de Prop. F. *24 Septembris 1863* (AD ARCHIEP. SMYRNEN.) — È massima generale enunciata nella Costituz. *Etsi pastoralis* di Benedetto XIV che ciascun sacerdote debba amministrare ai fedeli la SS. Eucaristia conforme il proprio rito. Questa massima parimenti si ravvisa nella Enciclica *Allatae sunt* dello stesso Pontefice dove dice (§ 23) « Iure « canonico illud quidem statutum habetur ri- « tum orientalem et graecum cum latino haud « esse miscendum, ut videre est ex integra De- « cretali Caelestini III apud Gonzal. cap. *Cum « secundum, De temporibus Ordinationum;* « atque in Decretali Innoc. III *Quanto, De « consuetudine;* Cap. *Quoniam, De officio « Iudic. ordin.* et in Decret. Honorii III Cap. « *Litteras, De celebrat. Missae* ».

1243

De *concordia* seu conventione inter latini et rutheni ritus fideles.

Decr. S. C. de Prop. F. *6 Oct. 1863.* — Ad graves et diuturnas controversias dirimendas, quae in ecclesiastica provincia Leopoliensi ob disciplinae varietatem nec non ratione mutuarum relationum inter ecclesiasticos viros latini et graeci ritus inde promanantium, non absque christianae charitatis dispendio atque animarum detrimento, agitabantur, optimo sane consilio utriusque ritus Antistites conventionem seu concordiam sub die 23 Decembris 1853 ineundam censuerunt, quam deinde S. Sedis placito subiiciendam curarunt..... Antedictam conventionem per hoc S. C. decretum approbari mandavit (SSmus) iuxta sequentem tenorem: — *A. Sub respectu transitus ab uno ad alterum ritum:*

Circa transitum ab altero ritu ad alterum.

a) Quilibet in suo nativo ritu permanere tenetur, et arbitrarius iam permultis tum ad missionarios et fideles orientis, tum ad oras nostras directis constitutionibus et decretis reprobatus transitus, denuo ac severissime prohibetur, et quocumque modo ad effectum deductus, irritus ac nullus esse declaratur. Quare nemini absque obtenta Sedis Apostolicae facultate ex uno ad alterum ritum transire liceat. Attamen quoniam aliquando urgens necessitas forsitan expostulat, vel rationabiles causae suadere possunt transitum de uno ritu ad alium, idcirco in hisce casibus ritus mutationi fiet locus, sequenti tamen methodo religiose servata. Ille qui ex uno ad alium ritum transire cupit, preces proprio Ordinario dioecesano porriget, causas, quae ritus mutationem suadent, accurate et fideliter exponens. Ordinarius scripto tenus sententiam suam super petitione et causis aperiet: hoc autem documentum exhibebitur Ordinario alterius ritus, ad quem transitus expostulatur; atque hic etiam suam sententiam scripto significabit, et omnia transmittet ad S. Sedem, quae vel per se, vel per suum delegatum decernet utrum transitus permittendus sit nec ne. In casibus autem urgentibus, qui moram non patiuntur, Ordinarius illius ritus, ad quem transitus exposcitur, audito, methodo superius enunciata, Ordinario alterius ritus a quo dimitttendus est orator, transitum admittet provisorie, et sub conditione *si a S. Sede transitus hic confirmabitur.*

b) A die publicationis initae Concordiae, in unaquaque dioecesi utriusque ritus faciendae, terminus sex mensium praefigitur, intra quem licitum erit partibus, quae arbitrario ritum mutarunt, ad ritum suum redire, atque hoc desiderium Episcopo utriusque ritus partes eaedem insinuabunt. Praedicto autem termino elapso, illi qui hac facultate usi non fuerint, si laici sint, in ritu illegaliter assumpto ex Apostolico indulto perpetuo manebunt; si vero sint ecclesiastici, ad S. Sedem singillatim recurrant, ut provideat.

c) Ab eodem die publicationis Concordiae, si sacerdos, sive latini sive rutheni ritus, quempiam illegitime transeuntem sciens et volens ad suum aggregaverit ritum, aggregatio talis sit nulla et irrita; et insuper sacerdos, qui hoc grave piaculum admiserit, si regularis sit, obnoxius erit poenis statutis in Constitutione Benedicti XIV, quae incipit *Demandatam coelitus* (1);

(1) In hac Constitutione (24 Dec. 1743) qua nonnulla statuuntur circa ritus graecorum melchitarum, haec habentur: « Curent praeterea (missionarii) ut « omnia laudabilia Ecclesiae graecae instituta ab an- « tiqua Patrum traditione derivata, et Apostolica com- « probatione firmata, in suo vigore permaneant, atque « a fidelibus istius nationis integre executioni tradan- « tur; neque aliquid iisdem suggerere aut suadere au- « deant quod illorum contemptum atque imminutionem « inducere possit; multoque minus auctoritate propria « aliquid circa illa innovare, aut etiam super iisdem ali- « quam dispensationem concedere vel admittere praesu- « mant. Alioquin praeter districtam, quam Deo, Nobis, « suisque superioribus (quos de urgenda huius decreti « observantia peculiariter oneramus) rationem reddent, « sciant se harum Litterarum vigore privationem vocis « activae et passivae, et inhabilitationem ad quem- « cumque gradum et officium in suis respective Or- « dinibus, Institutis et Congregationibus ipso facto in- « cursuros ».

si vero sit e clero saeculari, sive parochus sive operarius, prima vice spiritus recollectionibus octo dierum, secunda vice quatuordecim dierum, tertia demum vice suspensione a divinis ipso facto incurrenda, et pro casus gravitate etiam beneficii privatione, si parochus est, praevio processu iudiciali: si operarius, inhabilitatione per triennium ad curatum beneficium obtinendum puniatur. Quod si quispiam, celato nativo ritu, fidelibus alterius ritus se iungeret, et a sacerdote alterius arbitrario assumpti ritus obsequia spiritualia expeteret et obtineret, subdolus ille actus, licet post decursum plurium annorum in lucem demum prodierit, sit nullus et irritus; sacerdos tamen qui advenam suis ovibus inscius adnumerabat, insons declaretur, et nonnisi eumdem ad ritum nativum relegare teneatur. Si vero etiam indubitata de nativo advenae ritu obtenta notitia, obsequia spiritualia eidem praestare pergeret, iam sciens et volens talem advenam suo gregi adnumerare nititur; hinc poenis superius positis subiiciendus est.

Circa liturgicas functiones.

B. Sub respectu functionum sacrarum, sive liturgico:

a) Utriusque ritus sacerdotes, qui censuris ligati nón sunt, in ecclesiis mutuis, cum facultate rectoris ecclesiae, licite super altaribus sive consecratis, sive portatilibus, sive super antimensiis, ut in Ecclesia graeca moris est, singuli tamen suo ritu et sua lingua liturgica ex Apostolico indulto Missas celebrare possunt.

b) Pari modo offerre possunt sacrificium Missae in oratoriis privatis canonice erectis, aut sacellis cum licentia Episcoporum in pagis et coemeteriis reperibilibus, sacerdotes utriusque ritus, ast semper praevia licentia parochi, in cuius iurisdictione sacellum situm est. In oratoriis latinorum sacerdotes latini ritus (iuxta Bullam Benedicti XIV, quae incipit *Imposito nobis*), tantum super consecrato altari, vel super lapidea pariter consecrata tabula, non autem super antimensiis Missas celebrare tenentur.

c) Si localis ecclesiae rector censuerit devotioni et aedificationi fidelium id profuturum, ut in maiori populi concursu persolvatur devotio, nonnisi in altero usitata ritu, e. g. parastasis, aut decantatio Evangeliorum tempore comitationis funerum, aut alia similia, nil obest quatenus devotiones tales peragantur. Peragi autem debent nonnisi ab illis sacerdotibus, in quorum ritu devotiones illae usitantur, et remuneratio, quae a populo pro tali devotione offertur, non rectori Ecclesiae sed sacerdoti functionem peragenti cedat.

d) Non licet sacerdotibus unius ritus in ecclesia alterius ritus (nisi a respectivo parocho expresse invitati fuerint) benedictiones salis, aquae, frugum, thuris etc. peragere.

e) Visitare loca thaumaturga (sive sub regimine latinorum, sive rutheno-catholicorum sacerdotum existant) cuilibet liberum maneat, sintque imagines aliaeque res in uno ritu venerabiles aequaliter etiam in altero ritu aestimatae.

Circa sacramentorum administrationem.

C. Sub respectu administrationis Sacramentorum:

a) Nullus sacerdos proles alterius ritus baptizare praesumat, nisi necessitas ob periculum mortis infantis, aut hyemis inclementia, locorum distantia, itineris difficultas obstent, quominus baptisma a proprio sacerdote administrari possit. Baptismus autem in hisce rerum adiunctis collatus nullo modo ritus mutationem involvit, neque ad huiusmodi mutationem ullum praetextum aut colorem praebere poterit. Quilibet baptismum in praedictis necessitatis aut gravis difficultatis circumstantiis peragens sacerdos, utatur Rituali sui ritus. Sacerdotes vero rutheno-catholici proli ad latinum ritum spectanti sacramentum Baptismi in iisdem commemoratis casibus administrantes, etiam Confirmationis sacramentum conferre nullatenus audeant, sub poena suspensionis a divinis ipso facto incurrendae, salvis aliis poenis arbitrio Episcopi infligendis. Actus autem baptismi in necessitate vel gravi difficultate, ut supra, collati inscribatur in libro separato pro baptismate prolium alterius ritus, atque in eo adnotetur quod baptizata proles ad alium ritum pertineat. Demum de collatione huius baptismi respectivus parochus via officiosa irremore informetur.

b) Fideles utriusque ritus apud sacerdotem latini vel rutheni ritus a suo Episcopo Ordinario adprobatum peccata sua confiteri et beneficium sacramentalis absolutionis valide ac licite obtinere possunt. Sacram vero Communionem nemo aliter ac in suo ritu sumat, scilicet latini sub una specie ac in pane azymo, rutheno-catholici sub utraque specie, et in pane fermentato. Curent autem Episcopi, ut in locis thaumaturgis seu latinis seu ruthenis tot alterius ritus sacerdotes a parochis invitentur, quot sufficere possint ad Missam celebrandam, et sacram Communionem distribuendam iuxta proprium fidelium sive ruthenorum sive latinorum ritum.

c) Matrimonio benedicit secundum antiquissimam in dioecesibus nostris vigentem consuetudinem parochus sponsae. Idem quoque in matrimoniis mixti ritus, ubi sponsorum unus est ritus latini et alter rutheni, servandum, et talia matrimonia a parocho sponsae benedicenda sunt nisi ambo sponsi contrarium petierint. In benedicendis talibus matrimoniis tempus sacratum quod in utroque ritu diversum est, observari debet, et ne conscientia alterutrius sponsi laedatur, et aliis fidelibus scandalum praebeatur, cavendum quoque est, ne benedictio matrimonii in diem ieiunii in hoc vel in altero ritu praescripti incidat.

d) Si ad infirmum sacramentis providendum, proprii ritus sacerdos haberi nequit, pot-

est illi etiam alterius ritus sacerdos Extremam Unctionem oleo sacro in suo ritu usitato administrare: sacrum vero Viaticum etiam infirmis nonnisi iuxta eorum ritum a proprii ritus sacerdote porrigi debet. Deficiente autem sacerdote proprii ritus, valeat ex Apostolico indulto latinus a presbytero rutheno in fermentato, et ruthenus infirmus a presbytero latino in azymo sacrum Viaticum accipere.

Nec Baptismus a sacerdote alterius ritus, urgente necessitate, vel in gravi difficultate, ut supra dictum est, collatus, nec confessio peccatorum coram tali sacerdote facta, nec sacra Communio ex ignorantia, sive inadvertentia, aut consilio ritum mutandi, iuxta alterum ritum sumpta, nec denique sacramentum Extremae Unctionis ab alterius ritus sacerdote in articulo mortis obtentum, transitum ab uno ad alterum ritum producere possunt.

Circa nuptiarum celebrationem et prolis educationem.

D. Sub respectu ineundorum matrimoniorum, et educationis prolium:

a) Matrimonia inter rutheno et latino-catholicos praepedire non licet. De talibus vero matrimoniis ineundis proclamationes in ecclesiis utriusque ritus omnino instituendae, nonnisi tunc promulgari incipiant, cum sponsi utriusque ritus conditiones lege praescriptas impleverunt. Eo fine sponsus a suo parocho scripto exaratam contestationem expetat, qua confirmetur omnes praescriptas conditiones ex parte sponsi esse adimpletas, et inchoandis proclamationibus intenti matrimonii nil obstare. Hanc contestationem parocho sponsae admanuabit, et similem contestationem intuitu sponsae ab eodem obtentam, parocho suo adferendam habet. Adquisita hoc modo certitudine de adimpletis conditionibus, uterque parochus ad inchoandas proclamationes procedat. Graviter reprehendatur sacerdos proclamationes ideo protrahens aut impediens, quod pars ad eius ritum spectans, alterius ritus sponsum sive sponsam sibi elegerit, aut qui ex hac caussa testimonium bannorum sine mora extradere, aut demum tali testimonio non producto, matrimonio benedicere praesumeret.

b) Iuxta antiquam praxim, prout iam superius notatum, benedicit matrimonio parochus sponsae.

c) In posterum ubique proles e matrimoniis mixti ritus progenitae educabuntur in ritu parentum iuxta sexum. Ad evitanda autem gravia incommoda in familiis mixti ritus, per dispensationem ab Ordinariis impetrandam facultas fiat dies festos et ieiunia observandi iuxta unum eumdemque ritum, si ita parentes inter se conveniant, quin exinde ritus ipsius mutatio ullo modo deduci valeat. In matrimoniis tamen clericorum ruthenorum abhinc universa proles sequi debebit ritum patris, atque uxor latina per dispensationem ab Ordinario impetrandam facultatem obtineat festos dies et ieiunia servandi iuxta ritum ruthenum. Episcopi pariter dispensare poterunt cum famulitio in familiis mixti ritus sustentato, ut circa ieiunia et festos dies sese accommodent conventioni inter coniuges, ut supra dictum est, initae; ast diebus dominicis et festis in utroque ritu in eamdem diem incidentibus, devotiones in ecclesia sui nativi ritus tam coniuges ac filii quam famuli peragere possunt. Praedictas vero dispensationes Ordinarii concedent tamquam Apostolicae Sedis delegati.

d) Quia vero lex retro non agit, idcirco si certo constiterit alicubi matrimonia ea lege contracta fuisse, ut universa proles ritum patris sequatur, subsistens usus ad evitandas in familiis et actis parochialibus confusiones, impertita sanatione a Summo Pontifice, ultro servetur.

e) Illegitimae proles sequantur matris ritum.

Circa mutuum inter diversi ritus sacerdotes adiutorium.

E. Sub respectu mutui adiutorii:

a) In baptizando adiutorium non feratur, nisi in casu urgentis necessitatis aut gravis difficultatis, prouti iam superius notatum est,

b) Omnis sacerdos a suo Ordinario adprobatus, et a respectivo ecclesiae rectore requisitus, absque ritus discrimine, fidelium confessionem audire, et eosdem a peccatis licite et valide absolvere potest. In assignandis satisfactionis operibus ratio diversitatis ritus habeatur, et nonnisi talia eligantur opera, quae in ritu poenitentis sunt usitata. Nulli sacerdoti ad hoc non auctorizato, absolvere a reservatis ab Ordinariis licebit. Hoc fine omnes Ordinariatus casus a se reservatos, informandi cleri causa, sibi invicem communicabunt.

c) Absque proprii parochi requisitione nullus sacerdos mortuos alterius ritus sepelire praesumat. Si fideles mortuos suos in coemeterio alterius ritus sepelire optant, sepulturae non impediantur. Si ad sepulturam talem proprius parochus advenerit, proni sint sacerdotes alterius ritus usum campanarum, luminarium, feretri etc. concedere erga iustam remunerationem ei, ad quem pertinet, praestandam. Funebralem devotionem aut catechizationem iuventutis in ecclesia alterius ritus peracturus sacerdos, de secuturo suo adventu rectorem huius ecclesiae praevie informare tenetur, qui curare obligatur ut et ecclesia patefiat, et peragendae devotiones parochiales ita ordinentur, ut cum secutura devotione alterius ritus non coincidant, et se invicem turbent.

d) In solemnibus processionibus pulsus campanarum mutuo et gratis concedatur.

e) Generatim iura parochialia e. g. circa domorum, esculentorum, paschalium etc. benedictionem nemo involare praesumat.

f) Episcopis suas dioeceses canonice visitantibus, etiam sacerdotes alterius ritus honorem et obsequia spiritualia prompte praestent.

g) Ne inter sacerdotes latini et rutheni ritus in processionibus, sessionibus et aliis solemnitatibus ecclesiasticis simul peragendis, de praecedentiae ordine controversiae oriantur, quibus charitas et mutua animorum concordia turbetur, decretum S. Congregationis Rituum datum 16 Februarii 1630, quo in causis praecedentiae inter Episcopos latini et episcopos graeci ritus uniti statuitur, nullam aliam rationem, ceteris paribus, inter illos habendam esse, quam antiquitatis eorum promotionis ad Episcopatum, permittente Sanctitate Sua, pro norma in posterum habebitur ab universo utriusque ritus clero, ita ut ad designandam prioritatem in eiusmodi solemnitatibus simultanee peragendis non ritus diversitas, sed tempus ordinationis aut qualitas ecclesiasticae dignitatis consideretur.

1244

An Missionariis bis eadem die celebrantibus duplicem liceat eleemosynam percipere.

Litt. encycl. S. C. de Prop. Fide *15 Octobr. 1863.* — A Sacra Congregatione Christiano Nomini propagando non semel per sacrorum Antistites in locis Missionum degentes quaesitum est, an duplex stipendium percipere liceat sacerdotibus, qui duas in eadem die Missas celebrare iustis de causis permittuntur. Ut igitur in eiusmodi re omnis dubitationi locus a Missionibus auferatur, visum est expedire eam promulgare regulam, quam constanter tenuit Sacra Congregatio Eminentissimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum, videlicet ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur qui, parochiali munere instructi, ideo stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam *pro populo* applicare teneantur. Porro huiusmodi regula recentem obtinuit confirmationem a SSmo D. N. Pio PP. IX in una *Cameracensi* die 25 Septembris 1858. Etsi vero Sacri Consilii mens ea sit, ut norma praedicta omnibus locorum Ordinariis innotescat, ac generatim servetur in praxi, quo videlicet a ministerio sacerdotali quodlibet periculum, aut species simoniae turpisve quaestus arceatur; cum tamen specialia sint in nonnullis Missionibus rerum ac personarum adiuncta, cumque difficultates non paucae oriri possent si regula, de qua agitur, nullam omnino exceptionem pateretur: SSmus D. N. Papa benigne decernere dignatus est, ut Ordinariis Missionum facultas impertiatur, quemadmodum per praesentes literas eisdem tribuitur, indulgendi ut, iusta et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi, etiam pro secunda Missa in eadem die celebranda, stipendium percipere possint ac valeant.

1245

De phialis vitreis, sanguine tinctis, in sacris coemeteriis.

Decret. S. R. C. *10 Dec. 1863.* — Postquam saeculo XVI laboribus praesertim et studiis Antonii Bosi, iterum sacra suburbana patuere coemeteria, quae a saeculo VIII exeunte, Summorum Pontificum cura, penitus interclusa remanserant, ne barbari romanum solum devastantes, ibi aliquam inferrent profanationem, in iis conquiri coeperunt Martyrum corpora quae adhuc ibidem permanebant in loculis abscondita. Tutissimum dignoscendi sacra haec pignora signum, a maiorum traditione receptum, erant phialae vitreae, vel figulinae, cruore tinctae, aut crustas saltem sanguineas occludentes, quae vel intra vel extra loculos sepultorum affixae manebant. Attamen aliquibus visum fuit viris eruditis alias praeter sanguinem admittere notas, quibus ipsi Martyres distingui autumabant. Verum ut in re tanti momenti inoffenso procederetur pede, placuit Clementi IX. Summo Pontifici singularem deligere Congregationem, quae ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aliisque doctissimis viris constaret, eique hac super re gravissimum commisit examen. Haec Congregatio, quae postea a Sacris Reliquiis et Indulgentiis nomen habuit, argumentis omnibus perpensis, die 10 Aprilis anni 1668 decretum hoc tulit: « *Cum in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita de notis disceptaretur, ex quibus verae sanctorum Martyrum Reliquiae a falsis et dubiis dignosci possint; eadem Sacra Congregatio, re diligenter examinata, censuit, palmam et vas illorum sanguine tinctum pro signis certissimis habenda esse: aliorum vero signorum examen in aliud tempus reiecit* ». Decretum huiusmodi duorum fere saeculorum decursu fideliter servatum est, quamvis praeterito vertente saeculo nonnulli selecti scriptores de phialae sanguineae signo diversimode dubitaverint; quibus praecipue gravissima Benedicti XIV auctoritas obstitit, quum in Literis Apostolicis ad Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Bononiensis de S. Proco Martyre ex coemeterio Thrasonis cum vase sanguinis effosso edoceret: « *Ipsi debetur cultus et titulus Sancti, quia procul dubio nulli unquam venit in mentem quantumvis acuto ingenio is fuerit, et cupidus quaerendi, ut aiunt, nodum in scirpo, nulli, inquam, venit in mentem dubitatio, quod corpus in catacumbis romanis inventum cum vasculo sanguinis, aut pleno aut tincto, non sit corpus alicuius qui mortem pro Christo sustinuerit* ». At nostris hisce diebus alii supervenere viri eruditione aeque pollentes, et in sacrae archeologiae studiis valde periti, qui vel scriptis, vel etiam voluminibus editis, adversus phialam sanguineam utpote indubium martyrii signum decertarunt. Sanctissimus autem Dominus Noster Pius Papa IX de decreti illius robore et auctoritate haud haesitans, quum videret tamen eruditorum difficultates in ephemeridibus tum catholicis, tum heterodoxis divulgari, ad praecavendum quodlibet inter fideles

scandalum, sapientissime censuit, ut huiusmodi difficultates in quadam peculiari Sacrorum Rituum Congregatione severo subiicerentur examini. Peculiaris vero Congregatio haec nonnullis ex eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalibus, Praelatis, officialibus, ac selectis ecclesiasticis viris pietate, doctrina, prudentia, rerumque usu eximie praeditis constituta, prae oculis habens universam argumentorum seriem, nec non fidelem eiusdem Secretarii relationem, quum omnia accuratissima ponderaverit disquisitione, die 27 Novembris vertentis anni duobus his propositis dubiis: — I. *An phialae vitreae, aut figulinae sanguine tinctae quae ad loculos sepultorum in sacris coemeteriis, vel intus vel extra ipsos reperiuntur, censeri debeant martyrii signum?* — II. *An ideo sit standum vel recedendum a Decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum diei 10 Aprilis 1668?* — Respondit ad primum: « *Affirmative* ». Respondit ad secundum: « *Provisnm in primo* ». Ideoque declaravit confirmandum esse decretum anni 1668.

Facta autem de praemissis SSmo D. N. Pio PP. IX accurata omnium expositione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, atque praesens decretum expediri praecepit.

1246

De absolvendis sub conditione moribundis acatholicis.

S. C. S. Officii *13 Ian. 1864.* — HIEROSOLIMAE — An sit probandus usus inductus in aliqua hospitali domo absolvendi sacramentaliter sub conditione moribundos haereticos et schismaticos, idque iuxta naturam conditionatae absolutionis, et ob praesumptam bonam fidem multorum qui in haeresi vel schismate educati fuere, nulloque praevio actu quo possint, saltem implicite, reconciliati catholicae Ecclesiae iudicari: silentio super hoc servato vel ob impossibilitatem, vel ne turbetur moribundi conscientia.

R. Usum de quo quaeritur, prout exponitur, esse improbandum; et ad mentem: La mente è di accennare a Mons. Patriarca di Gerusalemme che, qualora il moribondo eretico o scismatico avesse dato un qualche segno su cui fondare un ragionevole dubbio che quegli aderisca alla santa Chiesa cattolica, in tal caso i preti di quella delegazione dovranno seguire le norme dettate da accreditati autori.

1247

De matrimonii celebratione coram ministro haeretico.

S. C. S. Officii *17 Febr. 1864* — AD EP. OSNABRUGEN. (HANNOVER) — Non latet, quibusdam in locis haereticum ministrum agere personam magistratus mere civilis, coram quo se sistere solent coniuges, aut etiam debent, ob finem politicum, nempe ut habeantur civiliter honesti coniuges, prolesque censeatur legitima. Tunc vero urgentibus haereticis, aut lege civili imperante, non improbatur quod pars catholica una cum haeretica se sistat, ante vel post contractum ad formam Tridentini matrimonium, etiam coram ministro haeresi addicto ad actum civilem dumtaxat implendum. Etenim ad dubium olim sic expressum: « Utrum catholicus « coram proprio catholico parocho cum hae« retica contrahens, licite possit, urgentibus « haereticis, matrimonium hoc ratificare coram « ministro haeretico, si nulla hinc ritus haeretici « professio habeatur, aut colligatur, et, quid« quid minister haereticus in casu peragit, ci« vilis dumtaxat et politica gratulatio sit et « censeatur »; per S. Congregationem responsum fuit: *Affirmative.*

Verum enim vero quotiescumque minister haereticus censeatur veluti sacris addictus, et quasi parochi munere fungens, non licet catholicae parti una cum haeretica matrimonialem consensum coram tali ministello praestare, eo quia adhiberetur ad quamdam religiosam caeremoniam complendam, et pars catholica ritui haeretico re consociaret; unde oriretur quaedam implicita haeresi adhaesio, ac proinde illicita omnino haberetur cum haereticis in divinis communicatio. Ea propter etsi perniciosa haec consuetudo inoleverit ita ut a clero de facili corrigi non possit, nihilo tamen secius, omni adhibito studio ac zelo evellenda erit. Et sane Benedictus XIV aperte docet non licere contrahentibus se sistere coram ministro haeretico, quatenus assistat ut minister addictus sacris, et contrahentes peccare mortaliter et esse monendos. Opportune itaque ab Te instructi et commoniti parochi ac missionarii, edoceant fideles, qua publicis in ecclesiis catechesibus, qua privatis instructionibus, circa constantem Ecclesiae doctrinam et praxim, ita ut a mixtis contrahendis nuptiis, quoad fieri possit, salubriter avertantur; sin autem, abhorreant prorsus a celebrando matrimonio coram haeretico ministro sacris addicto, id quod omnimode illicitum et sacrilegum est. Ita responsum fuit Ordinario Treviren. sub fer. IV die 21 Aprilis 1847.

Sciant insuper parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, se silere non posse; sed monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de censuris in quas incurrunt.

Verumtamen ad gravia praecavenda mala, si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis, an liceat nec ne adire ministrum haereticum, et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum con-

sensum, ac insuper ex adiunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam, immo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum, tunc sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones, atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, nec non de universa prole in religione catholica educanda. Quod si tandem consensus coram parocho velit renovari, postquam praestitus iam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis parocho notificetur: parochus huic matrimonio non intererit, nisi servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit.

Sacra igitur Congregatio plurimum in Domino confidit Te, praemissis prudenter ac firmiter inhaerentem, effecturum, ut inviolabilis doctrinae sartum tectum servetur depositum, catholicorum mores fidei respondeant, damna apprehensa arceantur, et fideles doctrina atque exemplo roborati incedant per semitas iustitiae.

1248

De lucrandis una eademque die pluribus plenariis Indulgentiis.

S. C. Indulg. *29 Febr. 1864* – Cum ex diversis decretis S. C. Indulg. iam liceat plures plenarias indulgentias eadem die lucrari, solutis scilicet conditionibus, quaeritur an dictum decretum respiciat solas indulgentias in una die occurrentes propter festivitatem, vel potius etiam illas quas unusquisque ob suam devotionem tali per hebdomadam, aut mensem, diei adfixerit? — 2. Qui decreto ipso uti voluerit, an teneatur ecclesiam vel publicum oratorium visitare (quando nempe requiritur talis visitatio) totidem vicibus quot sunt indulgentiae lucrifaciendae? Et quatenus affirmative: — 3. An sufficiat ut in una eademque ecclesia tot preces seu visitationes repetantur quot sunt indulgentiae lucrandae, quin de ecclesia post quamlibet quis egrediatur, et denuo in eam ingrediatur.

R. Ad 1. et 2. Affirmative.

Ad 3. Negative.

1249

De forma adhibenda pro coronarum benedictione.

S. C. Indulg. *29 Febr. 1864* — Quamvis ex pluribus recentioribus decretis huius S. C. Indulg. praesertim dierum 11 Aprilis 1840 et 7 Ianuarii 1843, facile eruatur quod in coronarum benedictione, quibus ab habentibus facultatem illae applicantur Indulgentiae dumtaxat, quas Romanus Pontifex solet impertiri, nec ulla recitationis formula, nec aquae benedictae aspersio, nec alius ritus exigatur praeter signum crucis, quando in indulto dicatur: *in forma Ecclesiae consueta,* dubitarunt tamen nonnulli Vicarii Generales in Gallia: *An per praefatas declarationes comprehendatur etiam benedictio tum coronarum seu rosariorum S. Dominici, quae a PP. Ordinis Praedicatorum, tum coronarum Septem Dolorum, quae a PP. Ordinis Servorum Mariae benedicuntur; ita ut sacerdotes qui vel a Superioribus praefatorum Ordinum, vel immediate ab Ap. Sede facultatem impetrant praememoratas coronas benedicendi, id solo crucis signo perficere possint, an vero pro actus valore formula benedictionis simulque aspersio cum aqua benedicta omnino sit adhibenda.* Proposito itaque dubio in Sacra Cong. Indulg. quae in Aedibus Vaticanis die 29 Febr. habita fuit, EE. PP., postquam Consultorum vota audissent, responderunt:

Pro coronis Rosarii et Septem Dolorum servandam esse formulam, cum responsa Sacrae Cong. dierum 11 Aprilis 1840, et 7 Ianuarii 1843 non comprehendant casus de quibus agitur in proposito dubio.

Cum vero eiusdem dubii conclusio ea sit, ut in casu quo formula sit adhibenda, ipsis Vicariis Gen. dispensatio ea utendi concedatur, iidem EE. PP. respondendum esse duxerunt: *Quoad dispensationem non expedire.*

1250

An indulgentia altaris privilegiati pluribus simul defunctis applicari queat.

S. C. Indulg. *29 Febr. 1864* — Utrum privilegium altaris sive proprie dictum, sive personale, applicari possit pluribus defunctorum animabus in cuiuscumque diei Missa (servatis servandis), sicut expresse, sed speciatim, declaratum fuit a S. C. die 19 Maii 1761 pro Missa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum die 2 Novembris.

R. Negative (1).

1251

Circa erectionem Sodalitatis ss. Rosarii.

Decr. S. C. Indulg. *11 April. 1864.* — Cum Sacra Congregatio Indulgentiis, sacrisque Reliquiis praeposita declarasset per Decretum diei 19 Augusti 1747 approbatum et confirmatum sub die 26 praedicti mensis a san. mem. Benedicto XIV, Sodalitates SSmi Rosarii erectas inscio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum Indulgentiis in Brevi Apostolico expressis non gaudere, tamen plures Episcopi in propriis dioecesibus etiam nunc Sodalitates instituunt sub titulo SSmi Rosarii vigore Apostolicarum

(1) Anno 1880 proposita sunt dubia: « 1. Num apud « Trappenses, in Missa quae quotidie celebratur pro plu- « ribus (fratribus scilicet et benefactoribus) indulgentia « altaris ad unum ex iis limitetur. — 2. Num privilegium « nullum evaserit ex eo quod uni ex iis determinatae « animae non consueverit applicari ». S. C. Indulg. respondit: *Ad 1. Affirmative. — Ad 2. Negative.*

facultatum, quae ab ipsis impetrantur in genere, erigendi nempe Sodalitates cuiuscumque tituli et invocationis; itaque modernus Magister Generalis eiusdem Ordinis Praedicatorum, eidem Sacrae Indulgentiarum Congregationi dubium solvendum proposuit: « Utrum absque « expressa mentione derogationis privilegii Or« dini praefato concessi, et sola vi generalis « communicationis indulgentiarum Archicon« fraternitatum Urbis, tributae confraternitati« bus, quae in aliqua dioecesi sub iisdem ti« tulis ab Ordinario eriguntur, etiam Socie« tates sub titulo Sanctissimi Rosarii inscio Ma« gistro Ordinis Praedicatorum institutae, in« dulgentiis huic Societati elargitis, frui possint « et valeant ». Cum autem praefatum dubium in Congregatione habita die 29 Februarii 1864 in Palatio Apostolico Vaticano ab Emis Patribus fuerit rite discussum, respondendum esse duxerunt: *Provisum per responsum ab hac S. Congregatione die 19 Augusti 1747, confirmatum a Benedicto XIV die 26 praedicti mensis, facto verbo cum SSmo.*

Facta deinde per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione, in audientia diei 11 Aprilis eiusdem anni, Sanctitas Sua votum Emorum Patrum benigne confirmavit. Etsi autem per praefatum Benedicti XIV decretum cautum sit, ne in posterum virtute Brevis Apostolici in genere impetrati, erigantur Confraternitates SSmi Rosarii, inconsulto Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, tamen ne devotionis fervor tepescat, sed potius sodalium pietas magis augeatur et florescat, Sanctitas Sua confraternitates tali modo hactenus erectas, dummodo nihil aliud obstet, motu proprio, ac de plenitudine potestatis sanavit, et validas esse declaravit, contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. Idem vero SSmus D. N. de plenitudine pariter potestatis voluit, et expresse mandavit, ut in posterum Confraternitates SSmi Rosarii, nonnisi ad formam decreti Benedicti XIV erigantur, servatis insuper ceteris de iure servandis.

1252

Circa privilegium altaris celebratione Missae non *de Requie*.

S. C. Indulg. *11 April. 1864.* — URBIS ET ORBIS. — Utrum sacerdos celebrans in altari privilegiato, legendo Missam de festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, sive ratione expositionis SS. Sacramenti, sive Stationis ecclesiae, vel alterius solemnitatis, aut ex rationabili motivo, fruatur privilegio ac si legeret Missam *de Requie* per rubricas eo die permissam.

R. Affirmative deletis tamen verbis *aut ex rationabili motivo*, et facto verbo cum SSmo. — Sanctitas Sua Emorum PP. sententiam benigne confirmavit.

1253

De Episcopi Regularis obligatione observandi Regulam quam professus est.

S. C. EE. et RR. *6 Maii 1864.* — An et quomodo Episcopus Regularis teneatur ad regulam servandam quam professus est.

R. Affirmative, ad praescriptum Constitutionis Benedicti XIII incipientis *Custodes;* nempe Episcopus Regularis tenetur observare regulas suae Religionis quae materiam voti determinant: item tenetur alias regulas et observantias dignitati et officio episcopali non repugnantes eadem obligatione gravi vel levi observare qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem episcopalem: ita tamen ut in peculiaribus casibus iudicium ferre possit utrum cum dignitate et officio episcopali illae conveniant.

1254

De iurisdictione Episcopi in Institutorum alumnos ad Ordines promovendos et promotos.

S. C. EE. et RR. *6 Maii 1864.* — 1. An et quomodo Episcopus *N.* ad sacram Ordinationem admittere possit alumnos Instituti *N.* ex fide Superioris domus declarantis eosdem alumnos adscriptos esse eidem domui; vel potius necessariae sint litterae dimissoriae et testimoniales Episcopi originis, seu domicilii, iuxta formam Constitutionis Innocentii XII quae incipit *Speculatores.*

2. An et quomodo idem dici debeat quoad alumnos iam promotos ad tonsuram, vel ad aliquem Ordinem.

3. An et quomodo, haud obstante promissione obedientiae Episcopo facta in sacra Ordinatione, liceat Superioribus Instituti (praedicti) transferre eosdem alumnos in aliam provinciam quin venia a dicto Episcopo petatur.

4. An in casu egressus ab Instituto per dimissionem aut dispensationem, iidem alumni subiiciantur iurisdictioni Episcopi dioecesis in qua sita est domus cui adscripti sunt; vel potius illi Episcopo cui subiecti erant priusquam Instituto adscriberentur.

R. Ad 1. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

Ad 2. Affirmative in omnibus.

Ad 3. Superiorem provincialem posse libere uti facultate transferendi alumnos provinciae iuxta Constitutiones a S. Sede approbatas.

Ad 4. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.

1255

De renovatione consensus matrimonialis coram haeretico ministro.

Litt. S. C. de Prop. Fide *13 Iunii 1864* — AD ARCHIEP. WESTMONASTERIEN. — L'abuso denunziato alla S. Sede aver luogo in Inghilterra che cioè nei matrimoni misti la parte cattolica suole essere trascinata a rinnovare il consenso innanzi al ministro eretico, fu comu-

nicato alla Suprema Congregazione del S. Offizio in un cogli schiarimenti che l'E. V. si compiacque porgere ultimamente su tale argomento. Ora gli Emi Inquisitori generali, presolo ad esame nella fer. IV 8 corrente hanno risoluto: « Tollendum esse abusum de quo est sermo, praesertim ob scandalum quod inde oritur ; opportune instruendos esse fideles, quando se offert occasio, de peccato quod committitur, et de censuris quae contrahuntur ob renovationem consensus coram ministro haeretico ut sacris addicto. Pro casibus vero particularibus communicetur Episcopis Angliae instructio data sub fer. IV die 17 Februarii huius anni Episcopis Regni Hannoveriani ». *(V. n. 1246).*

1256

An Episc. et clerus acatholicum regem ad catholicum templum comitari possint.

S. C. S. Offici *22 Iun. 1864* — SANCTORIEN. — Se possa tollerarsi che il Vescovo ed il clero cattolico accompagnino sotto il baldacchino il re acattolico della Grecia fino alla chiesa, come sogliono praticare i greci scismatici ; e ciò affine di evitare gravi inconvenienti a danno dei cattolici.

R. Si notifichi al Vescovo la risposta data dalla S. C. degli Affari Ecclesiastici Straordinarii nella sessione dei 27 Luglio 1815 al seguente quesito di Mons. Vescovo di Tournay nel Belgio: « *Con quali formalità il principe eterodosso si debba ricevere, se voglia assistere alle cerimonie religiose* ». Fu risposto secondo l'Istruzione data dal S. O. il dì 10 Maggio 1753; *Quatenus meram praesentiam materialem exhibeat causa honoris civilis, nec se immisceat precibus ac ritibus catholicis, tolerari posse: quatenus vero in religiosis functionibus proprios ritus adhibeat vel nostris se immisceat, nec licere nec esse permittendum.*

Inoltre si richiami alla memoria di Mons. Vescovo di Santorino l'Istruzione data dal S. O. al predecessore di lui nella fer. IV 25 Ag. 1841 e trasmessagli col mezzo della S. C. di Propaganda dove specialmente sotto i nn. 3 e 4 si contengono alcune prescrizioni che fanno a proposito della presente domanda (1).

Finalmente si faccia conoscere a quel Vescovo che la cerimonia di cui egli parla nel suo quesito si potrà tollerare quando una mera necessità lo richiegga, e purchè il Vescovo ed il clero non usino la cotta, nè altro abito sacro, e purchè si adoperi un baldacchino di forma diversa da quella solita ad adoperarsi nelle sagre funzioni, e sia portato da secolari.

1257

Circa communicationem in divinis cum acatholicis.

S. C. S. Off. *30 Iunii et 7 Iulii 1864.* — SMYRN. — 1. Si può permettere a cattolici di accompagnare i funerali degli eretici sino alla porta della chiesa ?

2. Si possono gli eretici far cantare nelle nostre chiese ed assistere all'altare per servire la Messa ?

3. Un cattolico può permettere ad un eretico o scismatico di contrarre matrimonio nella propria casa (facendo per lo più i greci i matrimonî in casa ove si reca il loro prete) ?

4. È proibito ad un eterodosso di far da patrino ad un fanciullo cattolico. Si può permettere ad un cattolico di tenere al sagro Fonte un figliuolo scismatico eretico, amministrandosi il sagramento, s'intende già, da un ministro eretico ?

5. È permesso a cattolici di mettersi in ginocchio, o almeno dare alcun segno di venerazione al SS. Sagramento recato dagli scismatici ?

6. In pericolo di morte, mancando un sacerdote cattolico, si può cercare l'assoluzione da un sacerdote scismatico?

7. I greci sogliono nei loro funerali dispensare a vicini ed amici del grano e del pane detto *coliva;* e chi lo riceve debbe rispondere, intendendo del defunto: *il Signore lo perdoni;* è permesso ai cattolici di riceverlo? (I *coliva* prima che sian distribuiti vengono posti sui sepolcri dei defunti eretici, e qualche volta si offrono in onore di un santo).

De cooperatione ad haereticorum templa aedificanda.

8. Si può concorrere con denaro alla fabbrica di chiese eretiche? Si fa una questua all'uopo: si può permettere che i cattolici contribuiscano allorchè sono ricercati?

9. Gli operai cattolici, lavorando nella fabbrica di chiese eretiche, possono rimettere qualche loro giornata a benefizio delle medesime?

10. È poi permesso di lavorare per tali edifizi sacri?

R. Ad 1. Dummodo catholici comitantes funera haereticorum aut schismaticorum usque ad ianuam coemeterii, meram praesentiam materialem exhibeant, civilis honoris causa erga defunctos, nec se immisceant ritibus haereticorum, nec luminaria deferant, nec pro defuncti anima suffragia persolvant, tolerari posse.

Ad 2. Ad utramque partem: Negative.

Ad 3. Iuxta exposita non esse permittendum (2).

---

(1) *V. n. 921.* (Dies *25 Aug.* est dies qua huiusmodi Instructio a Sanctitate Sua est adprobata).

(2) Relatum fuerat nullam adesse in casu necessitatem; sponsos schismaticos habere paratam propriam domum; posse alio modo demonstrari benevolentiam erga ipsos; adesse scandalum catholicorum, et periculum adsistentiae actui religioso acatholicorum.

Ad 4. Negative in omnibus, et detur decretum latum sub fer. V, die 10 Maii 1770 quod est huiusmodi: — Proposito dubio a Vic. Apostolico Smyrnensi: *An liceat catholicis interesse baptismis graecorum, in quibus per se vel per alios aliquando etiam officio patrini funguntur;* SSmus auditis Emorum suffragiis decrevit: *Catholicis absolute non licere vel per se vel per alios fungi officio patrini in baptismis qui haereticorum filiis ab haereticis ministrantur.*

Ad 5. Detur decretum latum die 15 Aprilis 1672 sequentis tenoris: — Proposito dubio Nuncii Apostolici apud Venetos: *An Eucharistiae Sacramentum delatum ad infirmum a presbytero graeco schismatico adorari debeat a viro catholico;* responsum fuit: — *Scribatur quod occasione qua non possit evitare delationem Sacramenti, illud adoret, sed non prosequatur deferentem, nec ingrediatur ecclesiam graecorum.*

Ad 6. Licere, dummodo tamen et aliis fidelibus non praebeatur scandalum, nec sit alius sacerdos catholicus, nec sit periculum ut fidelis ab haeretico pervertatur, et tandem probabiliter credatur sacerdotem haereticum administraturum hoc sacramentum secundum ritus Ecclesiae.

Ad 7. Prout exponitur, non licere.

Ad 8. Non licere.

Ad 9. Non licere.

Ad 10. Detur Instructio iam data sub feria IV die 14 Ianuarii 1818. Vicario Apostolico Kentuchiensi, cui postulanti: *An permissum sit haereticorum ecclesias seu synagogas aedificare;* responsum fuit: *Non esse inquietandos dummodo non adsit scandalum nec sit in contemptum religionis. Curet autem Episcopus ut artifices per missionarios et confessarios opportunè instruantur, quando a propria praestanda opera in ecclesiis haereticorum seu synagogis aedificandis se abstinere debeant. Tenentur scilicet ab opere se abstinere: 1. Ubi huiusmodi opus communiter habeatur pro signo protestativo falsae religionis; 2. vel aliquid in ipso contineatur quod per se directe ac unice exprimat reprobationem catholici cultus, et approbationem damnati cultus haereticorum; 3. aut constet artifices catholicos ad opus adigi vel vocari ab haereticis in contemptum catholicae religionis. — Ceterum quamvis extra hos casus relinquendi sint in bona fide, semper tamen monendi sunt ne haereticorum cultui cooperari intendant.*

1258

De pausa servanda in recitatione horarum canonicarum in choro.

S. R. C. *9 Iulii 1864.* — S. Iacobi de Cile — 1. An in recitatione horarum canonicarum in choro sine cantu teneantur chorales ad asteriscum pausam servare; et quatenus affirmative.

2. An consuetudo in contrarium retinenda sit, prout obligatoria in casu.

R. Ad 1. et 2. Ad asteriscum in recitatione horarum canonicarum pausam omnino servandam; non obstante quacumque in contrarium consuetudine.

1259

De oleo pro lampadibus eucharisticis adhibendo.

Decr. S. R. C. *14 Iulii 1864.* — Nonnulli Rmi Galliarum Antistites, serio perpendentes in multis suarum dioecesium ecclesiis difficile admodum et nonnisi magnis sumptibus comparari posse oleum olivarum ad nutriendam diu noctuque saltem unam lampadem ante Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ab Apostolica Sede declarari petierunt utrum in casu, attentis difficultatibus et ecclesiarum paupertate, oleo olivarum substitui possint alia olea quae ex vegetabilibus habentur, ipso non excluso petroleo. Sacra porro Rituum Congregatio etsi semper sollicita ut etiam in hac parte quod usque ab Ecclesiae primordiis circa usum olei ex olivis inductum est, ob mysticas significationes retineatur; attamen silentio praeterire minime censuit rationes ab iisdem Episcopis prolatas; ac proinde exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, subscriptus Cardinalis Praefectus eiusdem Sacrae Congregationis rem omnem proposuit in ordinariis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis. Emi autem et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis ac diligentissime examinatis, rescribendum censuerunt (die 9 Iulii 1864): « *Generatim utendum esse oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum prudentiae Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis quantum fieri possit vegetabilibus* ». — Facta postmodum de praemissis SSmo D. N. Pio PP. IX fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit.

1260

De Ecclesiae auctoritate quoad iuventutis institutionem.

Ex Litt. Ap. Pii PP. IX. *14 Iulii 1864* (ad Archiep. Friburgen.) — Nemo certe ignorare potest, tristissimam ac deplorandam conditionem, in quam hodierna societas magis in dies prolabitur, derivare ex tot funestissimis machinationibus, quae adhibentur, ut a publicis Institutionibus ac domesticis familiis quotidie magis sanctissima Christi fides, religio, eiusque salutaris doctrina amoveatur, et saluberrima eius vis coangustetur, ac praepediatur. Quae perniciosissimae machinationes ex tot pravis doctrinis necessario originem habent, quas hac miserrima nostra aetate cum maximo christianae civilisque reipublicae damno undique maiorem in modum invalescere, et caput altius extollere vehementer dolemus. Et sane cum

veritates a Deo revelatae impudenter denegentur, vel humanae rationis examini subiiciantur, evenit, ut illa naturalium rerum plane tollatur subiectio, quae supernaturali ordini omnino debetur, utque homines ab aeterno suo fine arceantur, eorumque cogitationes, actionesque ad materialium, fugaciumque huius mundi rerum limites redigantur. Et quoniam Ecclesia, quae columna et firmamentum veritatis a Divino suo Auctore fuit constituta, ut omnes homines divinam edoceat fidem, eiusque depositum sibi traditum integrum inviolatumque custodiat, ac homines, eorumque consortia et actiones ad morum honestatem, vitaeque integritatem iuxta revelatae doctrinae normam dirigat et fingat, iccirco pravarum doctrinarum fautores et propagatores omnia conantur, ut ecclesiasticam potestatem sua erga humanam societatem auctoritate spolient. Quamobrem nihil intentatum, nihilque inexpertum relinquunt, ut omnem Ecclesiae potestatem, eiusque salutarem vim, quam ipsa Ecclesia ex divina sua institutione semper exercuit, et in humanae societatis Instituta exercere debet, vel magis in dies coarctent, vel ab eisdem Institutis arceant, et ipsa Instituta pleno civilis, politicaeque auctoritatis arbitrio subiiciant ad imperantium placita, et ad volubilium aetatis opinionum rationem.

Nihil vero mirum si huiusmodi funestissimi sane conatus in publicam iuventutis institutionem educationemque in primis comparentur, nihilque dubitandum, quin humana societas gravissimis repleatur et vexetur damnis, ubi a publica et privata iuventutis institutione, qua rei cum sacrae, tum publicae felicitas tantopere continetur, fuerit moderatrix Ecclesiae auctoritas, eiusque salutifera vis amota. Hoc enim modo humana societas vero illo christiano spiritu sensim privatur, qui unus potest et publici ordinis, tranquillitatisque fundamenta stabiliter servare, ac verum utilemque civilitatis progressum efficere ac moderari, et ea omnia hominibus praebere subsidia, quae ad ultimum suum post mortalis huiusce vitae stationem finem assequendum, scilicet ad aeternam salutem obtinendam sunt necessaria. Et sane institutio, quae non solum rerum dumtaxat naturalium scientiam, ac terrenae socialis vitae fines spectat, verum etiam a veritatibus a Deo revelatis decedit, in erroris, mendaciique spiritum prolabatur oportet, et educatio, quae sine christianae doctrinae, morumque disciplinae auxilio teneras adolescentium mentes, eorumque cerea in vitium flecti corda informat, non potest non parere progeniem, quae pravis cupiditatibus propriisque rationibus tantum permota et impulsa, maximas tum privatis familiis, tum reipublicae affert calamitates. At vero cum huiusmodi perniciosissima docendi ratio seiuncta a catholica fide, et ab Ecclesiae potestate, maximo sit hominibus, et societati damno, dum agitur de litteris severioribusque disciplinis tradendis, ac de educatione curanda in scholis publicisque Institutis, quae honestioribus societatis classibus sunt destinata, ecquis non videt, multo graviora mala et damna ex hac methodo derivare, si eadem in populares inducatur scholas? Etenim in hisce potissimum scholis omnes cuiusque e populo classis pueri vel a teneris annis sanctissimae nostrae religionis mysteriis, ac praeceptionibus sedulo sunt erudiendi, et ad pietatem, morumque honestatem, et ad religionem, civilemque vivendi rationem accurate formandi. Atque in eisdem scholis religiosa praesertim doctrina ita primarium in institutione et educatione locum habere, ac dominari debet, ut aliarum rerum cognitiones, quibus iuventus ibi imbuitur, veluti adventiciae appareant. Quapropter iuventus maximis exponitur periculis, nisi eius in memoratis scholis institutio arctissimo cum religiosa doctrina vinculo consocietur. Cum igitur populares scholae ad populum religiose formandum, eiusque pietatem, et christianam morum disciplinam fovendam sint praesertim statutae, iccirco omnem Ecclesiae curam, sollicitudinem, et vigilantiam prae ceteris educationis Institutis sibi merito, atque optimo iure semper vindicarunt. Ac propterea consilia conatusque arcendi a popularibus scholis Ecclesiae potestatem proficiscuntur ex animo eidem Ecclesiae summopere adverso, atque ex studio extinguendi in populis divinum sanctissimae fidei nostrae lumen. Quocirca Ecclesia, quae easdem fundavit scholas, summa cura studioque eas semper est prosequuta, illasque veluti potiorem ecclesiasticae suae auctoritatis ac regiminis partem consideravit, et quaecumque earum ab Ecclesia seiunctio maximum eidem Ecclesiae, ipsisque scholis affert detrimentum. Ii autem omnes, qui perperam contendunt, Ecclesiam debere salutarem suam moderatricem vim erga populares scholas deponere, aut intermittere, iidem nihil aliud profecto vellent, quam ut Ecclesia contra divini sui Auctoris mandata ageret, et gravissimo officio curandi omnium hominum salutem sibi divinitus commisso, deesset. Certe quidem ubi in quibusque locis, regionibusque perniciosissimum huiusmodi vel susciperetur, vel ad exitum perduceretur consilium expellendi a scholis Ecclesiae auctoritatem, et iuventus misere exponeretur damno circa fidem, tunc Ecclesia non solum deberet intentissimo studio omnia conari, nullisque curis unquam parcere, ut eadem iuventus necessariam christianam institutionem, educationem habeat, verum etiam cogeretur, omnes fideles monere, eisque declarare, eiusmodi scholas catholicae Ecclesiae adversas haud posse in conscientia frequentari.

Tibi autem, Venerabilis Frater, summopere

gratulamur, quod catholicae Ecclesiae doctrinae, quoad iuventutis institutionem, educationemque firmiter inhaerens, Tuo commentario omnibus opinionibus, ordinationibusque sapienter et constanter obstitisti, quae ab isto Magno Badarum Ducatu propositae fuere circa populariorum scholarum reformationem, quaeque maximam christianae educationi perniciem afferunt, et veneranda Ecclesiae in tanto negotio iura omnino destruunt. Ac persuasissimum Nobis est, Te nihil unquam inexpertum esse relicturum, ut eiusdem Ecclesiae iura impavide defendas, utque ab adolescentium institutione et educatione diligentissime removeas quidquid fidei firmitatem vel leviter turbare, labefactare, aut religiosam eorumdem conscientiam corrumpere, morumque honestatem contaminare possit, quae unice a fide nostra sanctissima producitur, alitur, et augetur.

1261

Episcoporum zelus adversus pravos libros excitatur.

Litt. encycl. S. C. Indicis *24 Aug. 1864.* — Inter multiplices calamitates quibus Ecclesia Dei luctuosis hisce temporibus undique premitur, recensenda profecto est pravorum librorum colluvies, universum pene orbem inundans, qua per nefarios ac perditos homines divina Christi religio, quae ab omnibus in honore est habenda, despicitur, boni mores incautae praesertim iuventutis penitus labefactantur, et socialis quoque consuetudinis iura et ordo susque deque vertitur, et omnimode perturbatur. Neque, ut vetus ipsorum mos erat, id praestare tantum nituntur libris magno apparatu scientiae elaboratis, sed et parvis, qui minimi veneunt, libellis, et per publicas atque ad hoc confectas ephemerides, ut non litteratis modo et scientibus virus illud insinuent, sed rudioris cuiusque et infimi populi fidem simplicitatemque corrumpant.

Qui autem super gregem Christi vigilias agunt legitimi Pastores, ut hanc perniciem a populis sibi commissis avertant, ad Sacram Indicis Congregationem quoscumque ex iis libris de more deferunt, zelo adlaborantes ut Romanae Sedis habito iudicio et proscriptione, a vetita lectione talium librorum fideles deterreant. Neque iis difficilem se praebuit et praebet S. Congregatio, quae quotidianam operam studiumque impendit, ut officio sibi a Romanis Pontificibus demandato satisfaciat. Quia tamen ex toto christiano orbe increbrescentibus denuntiationibus praegravatur, non id praestare perpetuo valet, ut promptum et expeditum super quavis causa ferat iudicium: ex quo fit, ut aliquando serotina nimis sit provisio, et inefficax remedium, cum iam ex lectione istorum librorum enormia damna processere.

Ad hoc incommodum avertendum non semel Romani Pontifices prospexerunt, et, ut aliarum aetatum exempla taceamus, aevo nostro per ss. me. Leonem XII mandatum editum est sub die 26 Martii 1825, ad calcem Regularum Indicis insertum, et hisce litteris adiunctum, vi cuius Ordinariis locorum praecipitur ut libros omnes noxios in sua dioecesi editos, vel diffusos, propria auctoritate proscribere, et e manibus fidelium avellere studeant.

Cum autem huius Apostolici mandati provida constitutio praesentibus fidelium necessitatibus, et tuendae doctrinae morumque incolumitati optime respondeat, SSmo Domino Nostro Pio Papae IX placuit eius memoriam esse recolendam, tenorem iterum vulgandum, et ab Ordinariis locorum observantiam exigendam, quod excitatoriis hisce nostris litteris, nomine et auctoritate Apostolicae Sedis sollicite praestamus. Queis si debita obedientia respondeat (sicuti pro certo habemus), gravissima mala removebuntur in iis praesertim dioecesibus, in quibus promptae coercitionis urgeat necessitas. Ne vero quis praetextu defectus iurisdictionis, aut alio quaesito colore, Ordinariorum sententias et proscriptiones ausu temerario spernere, vel pro non latis habere praesumat, eis Sanctitas Sua concessit, sicut nomine et auctoritate Eius praesentibus conceditur, ut in hac re etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati, contrariis quibuscumque non obstantibus, procedant. Ad Apostolicum autem iudicium ea deferantur opera vel scripta, quae profundius examen exigant, vel in quibus ad salutarem effectum consequendum, supremae auctoritatis sententia requiratur.

Mandatum s. m. Leonis XII additum Decreto Sacrae Congreg. (Indicis) die Sabbati 26 Martii 1825.

« Sanctitas Sua mandavit in memoriam revocanda esse universis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque in Ecclesiarum regimen praepositis ea quae in Regulis Indicis Sacrosanctae Synodi Tridentinae iussu editis, atque in observationibus, Instructione, Additione, et generalibus Decretis Summorum Pontificum Clementis VIII, Alexandri VII, et Benedicti XIV auctoritate ad pravos libros proscribendos abolendosque Indici Librorum Prohibitorum praeposita sunt, ut nimirum, quia prorsus impossibile est, libros omnes noxios incessanter prodeuntes in Indicem referre, propria auctoritate illos e manibus fidelium evellere studeant, ac per eos ipsimet fideles edoceantur quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant, ne ulla in eo suscipiendo capiantur specie, ac pervertantur illecebra ».

Monitum S. C. (Indicis) editum feria III die 4 Martii 1828.

« Sacra Congregatio in mentem revocat omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Ordinariis, et Inquisitoribus locorum id quod

praescribitur in Regula, inter editas iussu S. Concilii Tridentini N. II., his verbis: *Haereticorum libri, qui de religione ex professo tractant, omnino damnantur;* et ea quae mandavit sa. me. Clemens VIII in instructione de prohibendis libris, sequentibus verbis § VI: *In universum autem de malis et perniciosis libris id declaratur atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, et deinde prohibiti ac damnati a Sede Apostolica sunt, iidem quoque in quamcumque postea vertantur linguam, censeantur ab eadem Sede ubique gentium, sub eisdem poenis interdicti et damnati* ».

Monitum S. C. (Indicis) editum Fer. V die VII Ianuarii 1836.

« Cum ad S. Congregationem certo relatum fuerit sacratissimos Bibliorum Libros vulgari sermone nonnullis in locis typis edi, quin saluberrimae de ea re leges serventur, cumque inde pertimescendum sit, ne, quae hominum nequam hisce praesertim temporibus conspiratio est, errores, sanctiore divini Eloquii apparatu obvoluti perperam insinuentur, censuit eadem S. Congregatio revocanda iterum esse in omnium memoriam, quae alias decreta sunt, vernaculas nimirum bibliorum versiones non esse permittendas, *nisi quae fuerint ab Apostolica Sede adprobatae, aut editae cum adnotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris* (ex decr. S. C. Ind. 15 Iunii 1757 in addit. ad Reg. Ind.): iis praeterea omnino insistendum, quae per Regulam quartam Indicis, et deinceps ex mandato sa. me. Clementis VIII, in eam causam praestituta fuerunt.

1262

Circa quandam societatem anglicam *ad procurandam christianitatis unitatem.*

Litt. encycl. S. C. S. Officii *16 Septembr. 1864* (AD EPISCOPOS ANGLIAE) — Apostolicae Sedi nuntiatum est, catholicos nonnullos et ecclesiasticos quoque viros societati *ad procurandam,* ut aiunt, *christianitatis unitatem* Londini anno 1857 erectae nomen dedisse, et iam plures evulgatos esse ephemeridum articulos, qui catholicorum huic societati plaudentium nomine inscribuntur, vel ab ecclesiasticis viris eandem societatem commendantibus exarati perhibentur. Et sane quaenam sit huius societatis indoles vel quo ea spectet, nedum ex articulis ephemeridis cui titulus *The union review,* sed ex ipso folio quo socii invitantur et adscribuntur facile intelligitur. A protestantibus quippe efformata et directa, eo excitata est spiritu, quem expresse profitetur, tres videlicet christianas communiones romano-catholicam, graeco-schismaticam et anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare. Aditus igitur in illam patet omnibus ubique locorum degentibus tum catholicis, tum graeco-schismaticis, tum anglicanis, ea tamen lege ut nemini liceat de variis doctrinae capitibus, in quibus dissentiunt, quaestionem movere, et singulis fas sit propriae religiosae confessionis placita tranquillo animo sectari. Sociis vero omnibus preces ipsa recitandas, et sacerdotibus sacrificia celebranda indicit iuxta suam intentionem; ut nempe tres memoratae christianae communiones, utpote quae, prout supponitur, Ecclesiam catholicam omnes simul iam constituunt, ad unum corpus efformandum tandem aliquando coeant.

Suprema S. O. Congregatio, ad cuius examen hoc negotium de more delatum est, re mature perpensa, necessarium iudicavit sedulam ponendam esse operam, ut edoceantur fideles ne haereticorum ductu hanc cum iisdem haereticis et schismaticis societatem ineant. Non dubitant profecto Emi Patres Cardinales praepositi Sacrae Inquisitioni, quin istius regionis Episcopi pro ea, qua eminent charitate et doctrina, omnem iam adhibeant diligentiam ad vitia demonstranda, quibus ista societas scatet, et ad propulsanda quae secum affert pericula: nihilominus muneri suo deesse viderentur, si pastoralem eorumdem Episcoporum zelum in re adeo gravi vehementius non inflammarent: eo enim periculosior est haec novitas, quo ad speciem pia, et de christianae societatis unitate admodum sollicita videtur.

Fundamentum cui ipsa innititur huiusmodi est, quod divinam Ecclesiae constitutionem susque deque vertit. Tota enim in eo est ut supponat veram Iesu Christi Ecclesiam constare partim ex Romana Ecclesia per universum orbem diffusa et propagata, partim vero ex schismate photiano, et ex anglicana haeresi, quibus aeque ac Ecclesiae romanae unus sit Dominus, una fides et unum baptisma. Ad removendas vero dissensiones, quibus hae tres christianae communiones cum gravi scandalo, et cum veritatis et caritatis dispendio divexantur, preces et sacrificia indicit, ut a Deo gratia unitatis impetretur. Nihil certe viro catholico potius esse debet, quam ut inter christianos schismata et dissensiones a radice evellantur, et christiani omnes sint *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (Ephes. 4). Quapropter Ecclesia Catholica preces Deo O. M. fundit, et christifideles ad orandum excitat, ut ad veram fidem convertantur, et in gratiam cum Sancta Romana Ecclesia, extra quam non est salus, eiuratis erroribus, restituantur quicumque omnes ab eadem Ecclesia recesserunt: immo ut omnes ad agnitionem veritatis, Deo bene iuvante, perveniant. At quod christifideles et ecclesiastici viri, haereticorum ductu, et quod peius est, iuxta intentionem haeresi quam maxime pollutam et infectam, pro christiana unitate orent, tolerari nullo modo potest. Vera Iesu Christi Ecclesia quadruplici nota, quam in symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur et di-

gnoscitur: et quaelibet ex hisce notis ita cum aliis cohaeret, ut ab iis nequeat seiungi; hinc fit, ut quae vere est et dicitur catholica, unitatis simul, sanctitatis et apostolicae successionis praerogativa debeat effulgere. Ecclesia igitur catholica una est unitate conspicua perfectaque orbis terrae et omnium gentium, ea profecto unitate, cuius principium radix et origo indefectibilis est beati Petri Apostolorum Principis, eiusque in Cathedra Romana Successorum suprema auctoritas et potior principalitas. Nec alia est Ecclesia catholica nisi quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit: quod beatus Cyprianus in ep. 45 sincere professus est, dum Cornelium Papam in hunc modum alloquebatur; *ut Te collegae nostri et communionem tuam, idest catholicae Ecclesiae unitatem pariter et caritatem probarent firmiter ac tenerent.* Et id ipsum quoque Hormisdas Pontifex ab Episcopis acacianum schisma eiurantibus assertum voluit in formula totius christianae antiquitatis suffragio comprobata, ubi *sequestrati a communione Ecclesiae catholicae* ii dicuntur, qui sunt non consentientes *in omnibus Sedi Apostolicae.* Et tantum abest quin communiones a Romana Sede separatae iure suo catholicae nominari et haberi possint, ut potius ex hac ipsa separatione et discordia dignoscatur quaenam societates et quinam christiani nec veram fidem teneant nec veram Christi doctrinam; quemadmodum iam inde a secundo Ecclesiae saeculo luculentissime demonstrabat S. Irenaeus lib. 3 contra haeres. cap. 3. Caveant igitur summo studio christifideles ne hisce societatibus coniungantur, quibus salva fidei integritate nequeunt adhaerere; et audiant Sanctum Augustinum docentem, nec veritatem nec pietatem esse posse ubi christiana unitas et Sancti Spiritus charitas deest.

Praeterea inde quoque a Londinensi Societate fideles abhorrere summopere debent, quod conspirantes in eam et *indifferentismo* favent et scandalum ingerunt. Societas illa, vel saltem eiusdem conditores et rectores profitentur photianismum et anglicanismum duas esse eiusdem verae christianae religionis formas, in quibus aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum sit: et dissensionibus utique christianas huiusmodi communiones invicem urgeri, sed citra fidei violationem, propterea quia una eademque manet earumdem fides. Haec tamen est summa pestilentissimae indifferentiae in negotio religionis, quae hac potissimum aetate in maximam serpit animarum perniciem. Quare non est cur demonstretur catholicos huic societati adhaerentes spiritualis ruinae catholicis iuxta atque acatholicis occasionem praebere, praesertim quum ex vana expectatione ut tres memoratae communiones integrae et in sua quaeque persuasione persistentes simul in unum coeant, societas illa, acatholicorum conversiones ad fidem aversetur, et per ephemerides a se evulgatas impedire conetur.

Maxima igitur sollicitudine curandum est, ne catholici vel specie pietatis, vel mala sententia decepti, societati, de qua hic habitus est sermo, aliisque similibus adscribantur, vel quoquomodo faveant, et ne fallaci novae christianae unitatis desiderio abrepti, ab ea desciscant unitate perfecta, quae mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consistit.

1263

De votis monialium in Statibus Foederatis Americae.

Litt. Sacrae Cong. Epp. et Reg. *30 Septemb. 1864* (AD ARCHIEP. BALTIMOREN.) — Pluribus abhinc annis, ut optime novit Amplitudo Tua, nonnulla Sacrae huic Congregationi EE. et RR. proposita fuere dubia quoad votorum naturam, quae ab istarum regionum monialibus emittuntur. Cum vero nihil super iisdem S. Congregatio decernendum ante putaverit quam locorum Episcopos sententiam rogasset, acceptis tandem illorum responsionibus, minime distulit de universa rei ratione SSmo D. N. referre. Porro Sanctitas Sua, praevio rei examine ab aliquibus Emis ac Rmis huius S. C. Patribus habito, auditoque eorum voto, haec quae sequuntur statuit ac declaravit:

1. Vota quae a monialibus a Visitatione B. M. V. nuncupatis emittuntur in monasteriis locorum Georgestoren., Mobile, Kaskiaskias, S. Aloysii et Baltimorae, vi rescriptorum a S. Sede ab eisdem iam obtentorum, esse solemnia.

2. Quoad clausuram, praedictas moniales uti posse facultatibus sibi in variis rescriptis a S. Sede concessis.

3. Ratione habita ad temporum, locorumque circumstantias, in posterum ab eisdem monialibus Visitationis, post expletum novitiatum emittenda esse vota simplicia: exactisque quinque annis a votorum simplicium professione, admitti eas posse ad vota solemnia nuncupanda, praeviis spiritualibus Exercitiis per decem dies; professas autem votorum simplicium frui et gaudere omnibus et singulis gratiis et favoribus spiritualibus quibus professae votorum solemnium fruuntur et gaudent.

4. Vota, quae ab aliis monialibus in monasteriis iam erectis emittuntur, esse simplicia, excepto casu quo rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apostolica Sede obtinuerint.

5. Tandem in monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus Unitis, vota a monialibus emittenda esse simplicia.

Itaque de mandato Sanctitatis Suae declaratio haec ad A. Tuam per praesentes transmittitur, ut eam cum ceteris istorum locorum Ordinariis communicare velis ad rectum monasteriorum regimen ac disciplinam.

1264

Circa facultatem dispensandi ab irregularitate.

S. C. de Prop. Fide *13 Nov. 1864 (Ex Aud. SSmi).* — Il Vicario Capitolare di Cuzco nel Perù, espone che molte volte accade che il governo civile presenta per le dignità ecclesiastiche sacerdoti che sono irregolari per difetto di nascita, ma virtuosi e di approvata dottrina, e le loro persone necessarie per tali dignità per bene e decoro della Chiesa: quindi è che domanda di poter dispensare i figli naturali, spurî, incestuosi, sacrileghi ed adulterini qualora la facoltà concessagli (Form. I. n. 2) non comprenda tal sorta di dispense (1).

R. SSmus respondit *non indigere,* cauto tamen ut orator tradita sibi facultate nonnisi ex gravi causa, et cum personis vere dignis utatur.

1265

Circa missionariorum adsistentiam matrimoniis acatholicorum.

S. C. S. Off. *1 Dec. 1864.* — 1. Incolae infideles insularum Samoa, quando volunt verum ac firmum matrimonium contrahere, necessarium putant pactum nuptiale inire praesente aliquo ministro religionis, vel consule, ut appellari solet, alicuius nationis. Neque tamen huiusmodi testis praesentia ullius legis praescripto exigitur, sed solum ipsi incolae opinione sua eam ad matrimonii firmitatem requiri sibi persuaserunt. Quaeritur iam utrum liceat missionariis catholicis tamquam testibus rogatis adesse celebrationi huiusmodi foederum nuptiarum.

Nota. Dum infideles illi postulant assistentiam missionariorum, ostendunt se bene affectos esse erga religionem catholicam, spemque faciunt non minimam futurae conversionis. Repulsam vero passi a catholicis, adibunt ministrum protestantem qui libentissime assistet celebrationi matrimonii; sicque spes fere omnis conversionis ad fidem catholicam praecidetur. Eo pluris interest curare ne per repulsam animi avertantur a catholicis, quod plerumque duces sunt et homines praecipuae auctoritatis inter suos, qui hanc contractus matrimonialis solemnitatem postulant.

2. In Archipelago Tonga lex civilis non agnoscit matrimonia, nisi inita sint coram aliquo ministro religionis. Pro moribus regionis parentes et amici conantur impedire matrimonia suorum, adeo ut consilium contrahendi, si pluribus diebus ante conclusionem innotescat, fere numquam exequutioni mandari possit: missionarii vicissim catholici ad honestatem morum et profectum religionis necessarium existimant promovere conclusionem matrimoniorum quantum possunt. Iam vero propter illam iniustam oppositionem parentum, et inde natam necessitatem occultandi consilium, aliquando haeretici sed iam postulantes admissionem in gremium Ecclesiae catholicae, desiderant matrimonio coniungi priusquam adhuc satis praeparati sint ad absolutionem sacramentalem vel ad baptismum sub conditione suscipiendum.

3. Quaeritur utrum missionario catholico in tali rerum conditione liceat assistere matrimonio duorum protestantium. Si id licet, oritur alia quaestio pro hypothesi quod duo illi haeretici obstricti sint impedimento dirimente a quo missionarius facultatem habet dispensandi. Quomodo tum sunt absolvendi a censuris, ut idonei reddantur ad recipiendam dispensationem?

R. Ad 1. Missionarios in casu proposito propter graves causas, si bonum religionis catholicae id postulet, posse exhibere suam praesentiam matrimoniis inter infideles, dummodo 1°. ex omnibus adiunctis appareant, vel etiam declarent expresse, se assistere nullatenus tamquam fungentes munere sacro, sed mere ut testes et spectatores contractus naturalis: dummodo 2°. sufficienter constet nullum impedimentum et nullum pactum intervenire quod reddat matrimonium invalidum, nihilque admisceatur superstitiosum, aut quod falsum cultum redoleat: et dummodo 3°. absit omnis ratio scandali.

Ad 2. Missionarii ordinarie se abstineant ab assistendo contractui matrimoniali de quo in casu, et solum in aliquo casu singulari non esse inquietandos, sub his conditionibus: 1°. Si matrimonii conclusio vere sit continuo necessaria et moram non patiatur, nec sine periculo, ut refertur, differri possit usque ad reconciliationem sponsorum cum Ecclesia catholica. 2°. Si in illis regionibus ex hac re nullum sit periculum scandali, nec ex opinione sive catholicorum sive haereticorum ulla species conniventiae erga ipsam falsam religionem et sectam haereticam. 3°. Si constet sufficienter, nihil subesse quo matrimonium redderetur invalidum. 4°. Ita ut nulla adhibeatur caeremonia religiosa, adeoque sine vestibus sacris aut ornatu ecclesiastico, in loco non sacro, sine precibus aut benedictionibus Missionarius sicut testes alii adsit ipsa forma et ipso modo assistentiae, declarans illos contrahentes nondum pertinere ad veram Ecclesiam. 5°. Per se patet sponsos esse relinquendos in bona fide quoad celebrationem matrimonii in statu peccati ac censurae, ne

(1) Il n. 2 della Formola I di facoltà è così espresso: « Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exce« ptis illis quae bigamia vera, vel ex homicidio volun« tario proveniunt; et in his duobus casibus, si prae« cisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen, quoad « homicidium voluntarium, ex huiusmodi dispensatione « scandalum non oriatur ».

peccatum materiale reddatur formale. Quoniam agitur de re valde gravi, considerent missionarii etiam atque etiam, utrum bonum religionis catholicae, bonum spirituale contrahentium in singulis casibus hanc epicheiam exigat, et utrum vel sponsi non iam tum possint cum Ecclesia reconciliari differendo pleniorem institutionem in aliud tempus, vel vere dilatio matrimonii sine malis gravioribus fieri nequeat.

Et SSmus D. N. ad 1. et 2. suffragium Emorum PP. confirmavit, et ad 3. rescribi mandavit: Non expedire concedere dispensationes matrimoniales haereticis in casu.

1266

De versionibus precum quibus indulgentiae sunt adnexae.

S. C. Indulg. *29 Dec. 1864* — SSmus D. N. Pius PP. IX benigne declaravit, indulgentias adnexas precibus valere quocumque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles. Licet autem pro lucranda indulgentia requiratur versionis fidelitas, nihilominus ut constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio S. Congregationis Indulg. per Emum Praefectum, vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio, cuius recitationi primitus indulgentia concessa fuit (1).

1267

De litteris testimonialibus status liberi sponsorum; de testibus, et de iuramento suppletorio.

S. Cong. S. Officii *1 Februarii 1865.* — 1. Se il Vescovo sia obbligato di accertare la libertà degli sposi, che contraggono matrimonio nella sua diocesi, prima delle pubblicazioni, col processo dei testimoni, ancorchè essi abbiano sempre avuto domicilio nella diocesi stessa.

2. Qual maggiore ampiezza di significato si possa dare alla denominazione di vaghi, e se sia lecito al Vescovo ammettere al giuramento, in luogo delle testimoniali delle curie e del processo sui testimonî pei matrimonî da celebrarsi nella propria diocesi, quelle persone che non essendo veramente vaghi, furono contuttociò in parecchi luoghi diversi, e dichiarano di non poter somministrare testimonî alle curie per le fedi di stato libero; ed in generale se si possano trattare come i vaghi in quanto non se ne possono ottenere le richieste testimoniali di libertà, ammettendoli al giuramento in riguardo a quei luoghi dai quali non si possono le testimoniali ottenere.

3. Se la testimoniale dello stato libero deve sempre esser fatta, oltrechè sull'esame de' testimonî, anche sulle pubblicazioni?

4. Se la parte dell'istruzione (Instruct. 21 Augusti 1670 *V. n. 192*): *Si contrahentes sint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fidem Ordinariorum suorum esse liberos etc.* rimanga senza vigore per la facoltà che la S. Sede concede per ammettere al giuramento suppletorio i vaghi ed i militi, e se per gli uni e per gli altri tuttavia oltre il giuramento suppletorio si esigano le pubblicazioni nei luoghi, in cui vagarono od esercitarono la milizia.

5. Se, quando mancano i testimonî, o essendo quelli difettosi nella conoscenza delle persone, cosicchè non valgano a rispondere alle interrogazioni prescritte dal sopracitato decreto, ed in particolare a quelle che sono espresse sotto i nn. 9 e 13, come accade ordinariamente, possa il Vescovo permettere il matrimonio contentandosi delle pubblicazioni in quei luoghi, nei quali si possono far eseguire, ed in mancanza anche di queste o totali

---

(1) Notanda hic quae a S. C. Indulgentiarum declarata sunt die 13 Septembris 1888: « 1. An chri« stifideles recitantes Officium parvum B. Mariae Vir« ginis, quod est precatio stricto sensu liturgica, in « quodvis vulgare idioma versum, etiam cum appro« batione Ordinariorum, lucrentur indulgentias a Sum« mis Pontificibus adnexas recitationi eiusdem parvi « Officii, uti innuere videntur plura decreta S. Con« gregationis Indulgentiarum, et illa praesertim edita « sub die 30 Aprilis 1852, et sub die 29 Decembris 1864.

« Et quatenus negative:

« 2. An expediat praefatas Indulgentias extendere « etiam ad recitationem eiusdem parvi Officii in quod« cumque vulgare idioma versi.

« R. Negative ad utrumque ».

Ex decreto Sacrae eiusdem Cong. Indulg. *17 Novembris 1877* constat summum Pont. Leonem XIII recitantibus Officium parvum B. M. V. Indulgentias, uti sequitur, largitum esse: « *Plenariam* lucrandam quo« libet anni mense, diei uniuscuiusque arbitrio eligendo, « ab omnibus utriusque sexus christifidelibus qui mense « integro quotidie totum parvum Officium B. Mariae « Virginis, idest Matutinum, quod uno tantum constat « nocturno diei currentis, cum reliquis horis usque ad « Completorium inclusive, devote recitaverint, dum« modo praefato die vere poenitentes, confessi, ad sa« cram Synaxim accesserint, piasque ad Deum preces « aliquo temporis spatio ad mentem Sanctitatis Suae « effuderint; 2. *Septem annorum totidemque quadrage« narum,* semel in die acquirendam ab iis christifide« libus qui praefatum parvum Officium devote pariter « et corde saltem contrito persolverint; 3. *Tercentum* de« mum *dierum* ab aliis similiter semel in die lucrandam, « qui Matutinum tantum, uti supra, cum Laudibus de« vote ac corde item contrito recitaverint. Quas omnes « Indulgentias eadem Sanctitas Sua animabus quoque « christifidelium in purgatorio detentis fore applicabiles « benigne declaravit. Praesenti *in perpetuum* valituro « absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibus« cumque non obstantibus ».

Tandem eadem S. C. Indulg. sequens postulatum denuo examinandum duxit: « An non obstante decreto « in una Sebericen. die 13 Sept. 1888, expediat Indul« gentias a Romanis Pontificibus concessas christifide« libus recitantibus parvum Officium B. M. V., ut ex« tat in fine Breviarii Romani, extendere ad illos qui « idem Officium recitaverint in aliam linguam trans« latum, praevia recognitione et approbatione Ordinarii « loci ubi vulgaris est lingua ». Et responsum est *(18 Aug. 1903): Affirmative pro privata tantum recitatione.* — SSmus approbavit et Indulgentiarum petitam extensionem benigne concessit.

o parziali, se possa ammettersi al giuramento ed assumer questo come prova totale di libertà, o come parziale per riguardo ai paesi, in cui non si possono fare le pubblicazioni nè il processo dei testimonî?

R. Ad 1. Generatim loquendo, affirmative.

Ad 2. Affirmative, durante indulto admittendi ad iuramentum suppletorium, et servatis omnibus clausulis in eodem indulto contentis, et dummodo mora in unoquoque vagationis loco non excesserit annum.

Ad 3. Regulariter loquendo affirmative, quando mora contrahentium non fuit continua per plures annos in loco in quo contrahitur matrimonium.

Ad 4. Indultum admittendi ad iuramentum suppletorium locum dumtaxat habere quando libertas status aliter legitime probari non potest.

Ad 5. Urgendam observantiam instructionis s. m. Clementis X sub feria V 21 Augusti 1670 cum adnexis declarationibus datis feria IV 24 Febr. 1847, et instandum ut parochi diligenter inquirant a contrahentibus testes fide dignos in respectivis locis examinandos. Si tamen id difficulter admodum fieri possit, admitti poterunt in curia loci ubi contrahitur matrimonium testes fide digni, qui status libertatem tempore vagationis concludenter probent: et, si Ordinario opportunum videatur, admitti etiam potest sponsus ad iuramentum suppletorium, constito tamen ipsum esse fide dignum. In casibus vero particularibus et difficilioribus R. P. D. Episcopus recurrat ad Sacram Congregationem. Quod si matrimonium adeo urgeat, ut tempus recurrendi non adsit, Episcopus curet concludentes probationes super status libertate, prout expediens iudicaverit, aliter colligere.

1268

Circa facultatem Ordinariorum, qui non sunt Episcopi, haereticos reconciliandi.

S. C. S. Off. *1 Febr. 1865.* — Utrum Ordinarii dioecesium qui non sunt Episcopi, uti Vicarii capitulares, Administratores Apostolici Ecclesiarum cathedralium, et etiam Vicarii generales, nec non utrum Praefecti missionum possint resipiscentem haereticum, aut coram se comparentem, aut ad forum externum quoquomodo deductum, aeque ac Episcopi, Ecclesiae reconciliare, et pro utroque foro absolvere a censura, in quam propter haeresim incidit.

R. Quoad Vicarios capitulares, Affirmative quoad subditos, etiam cum potestate delegandi; quod vero attinet ad exemptos, regulariter indigere facultate Sedis Apostolicae. — Quoad Administratores Apostolicos Ecclesiarum cathedralium, Affirmative, etiam cum potestate subdelegandi. — Quoad Vicarios generales, Non posse vi muneris sui: posse tamen delegatione proprii Ordinarii. – Quoad Praefectos, Negative.

1269

De matrimonio apostatarum coram civili magistratu.

S. C. S. Off. *15 Febr. 1865.* — 1. Quid dicendum de matrimonio coram magistratu civili contracto inter duas personas in catholica Ecclesia baptizatas, sed quarum una vel ambae hic et nunc profitentur sectam protestantem aut affirmant se non esse amplius catholicas?

2. Quid quando ambae partes sunt catholicae, sed vir pertinet ad societatem *liberorum muratorum* aut alterius societatis secretae ab Ecclesia damnatae?

R. Matrimonia de quibus agitur in primo quaesito habenda esse uti valida quando una vel ambae partes ante matrimonium sectam haereticam professae fuerint, aut aliquo modo publice constet eam vel eas religionem catholicam deseruisse; matrimonia vero *liberorum muratorum* de quibus agitur in 2. quaesito generatim habenda esse uti nulla, quando contracta fuerint coram magistratu civili, non servata forma Concilii; sed quatenus occurrat gravis difficultas, R. P. D. Episcopus recurrat in casibus particularibus, accurate expositis omnibus cuiusque casus adiunctis.

1270

Facultates a S. Sede acceptas Vicarii App. missionariis communicantes coarctare nequeunt.

Litt. S. C. de Prop. F. *16 Martii 1865* — AD VIC. AP. TUNK. OCCID. — De facultatibus pro dispensationibus matrimonialibus ea lege a Vic. Ap. suis missionariis communicatis, ut debeant ipsi, sub poena nullitatis concessae dispensationis, schedulam tradere sponsis declarativam dispensationis elargitae, et dispensationem ipsam adnotare in regesto parochi, observandum occurrit, quod notissimi iuris est, non posse inferiorem coarctare absque venia superioris concessionem istius. Igitur quas in foliis facultates habent Vicarii Ap. communicabiles suis missionariis, vel in totum, vel in partem, possunt quidem eas communicare vel non communicare, iuxtam datam sibi a Summo Pontifice auctoritatem, sed minime possunt novas apponere conditiones et irritantes clausulas in iisdem communicandis, quando ad sic agendum specialem non obtinuerint facultatem a S. Sede. Quapropter recurrendum esset ad Summum Pontificem in casu; sed nescio utrum id expediens sit facere pro uno tantum Vicariatu, verendumque esset ne maior generaretur confusio. Quibus positis, cum ceteroquin rationum momenta a te exposita admodum gravia sint ad persuadendam providentiam aliquam, ne de plurimorum matrimoniorum valore dubitari occurrat, propter defectum probationis traditae dispensationis: modis omnibus, iuxta datam tibi a Dño prudentiam, insistendum erit in hoc ut missionarii non omittant schedulam

dare sponsis, dispensationemque signare in regesto seu folio, statis anni temporibus transmittendo ad Vicarium, idque iniungere etiam sub comminatione poenarum ecclesiasticarum.

1271

De scholis et collegiis acatholicis inter orientales.

Litt. encycl. S. C. de Prop. F. *20 Martii 1865.* (AD EPP. ORIENTALES) — Venne recentemente partecipato alla Propaganda che da parte de' protestanti e scismatici allo scopo di propagare maggiormente i loro errori si faccia ogni sforzo onde fondar de' collegii ed aprire delle scuole nelle principali città d'oriente: anzi a rendere siffatte istituzioni più popolari ed insieme più favorite dal governo ottomano non si tralasci di adoperare l'elemento indigeno, rivestendo le medesime di un carattere nazionale. Così fu eretto in Beyrouth sotto il nome e la direzione di ben conosciuto apostata un sedicente collegio nazionale per la Siria, disgraziatamente omai troppo numeroso e frequentato anche da buon numero di giovani cattolici di rito orientale. Anche i greci scismatici parimenti a Beyrouth, oltre una scuola esterna che già esisteva hanno aperto a poche ore dalla città altro sedicente collegio *ortodosso libanese* che similmente affetta nella maniera d'insegnare un carattere nazionale. Non v'è chi non vegga quanto pericolose siano le conseguenze che possono derivare da tal nuovo sistema d'insegnamento, ed insieme quanto grave sia il danno che minaccia ai cattolici di Oriente, ove non si accorra con opportuni provvedimenti. Quindi è che questa S. C. adempiendo agli ordini ricevuti in proposito dalla Santità di N. S. si reca a doverosa premura di eccitar lo zelo pastorale di V. S. perchè voglia senza indugio interporre tutta l'influenza ed autorità di che gode, allo scopo di distogliere i fedeli soggetti alla sua giurisdizione dal collocare i proprî figli nelle summenzionate scuole protestanti o scismatiche, imponendo, se facesse d'uopo, ancora delle pene ecclesiastiche a quei genitori, che non volessero desistere dall'inviare alle suddette scuole i loro fanciulli. Essendo poi grandissimi i vantaggi religiosi che possono ottenersi da un buon sistema d'istruzione, brama perciò la S. C. che anche presso le nazioni orientali unite alla Chiesa Romana vengano eretti stabilimenti della medesima natura, massime nei luoghi ove più si sviluppa l'azione degli acattolici.

1272

Circa necessitatem status liberi nupturientium.

S. C. S. Officii *22 Martii 1865* — NANKIN. — 1. Titio capto a rebellibus, eoque frustra per duos aut tres annos desiderato, Martha eius uxor sine assistentia proprii sacerdotis, quae ad valorem ibi necessaria non est, et contra monitum missionariorum, contraxit cum Marco. Marcus autem graviter reprehensus a missionariis, vult quidem dimittere Martham, sed petit ad alias transire nuptias. Quid agendum?

2. Caecilia, marito a rebellibus capto, nec post tres annos amplius comparente, eum habuit pro mortuo, et, absente proprio sacerdote, nupsit Petro rei conscio, sed similiter de morte prioris viri persuaso. Missionarius, cum impossibile sit scire vel inquirere utrum Paulus vir prior vivat, censet eos non esse inquietandos, et relinquendos esse in matrimonio donec non habeatur certus nuntius de vita Pauli. An bene?

R. Ad 1. Separandos esse coniuges, et virum non posse secundas inire nuptias, usque dum moraliter sit certum, quo tempore ipse matrimonium iniit cum muliere de qua agitur, primum virum eiusdem mulieris non obiisse.

Ad 2. Relinquendos esse in bona fide.

1273

An legis civilis provisiones de absentibus coniugibus valeant ad eorum obitum probandum.

S. C. S. Off. *28 Iunii 1865.* — PONDICHERY — Quaedam mulier ex protestantium secta declarat se undecim annos natam matrimonio iunctam fuisse cum quodam viro eiusdem communionis, atque cum illo per aliquot annos habitasse, deinde ab eodem derelictam fuisse. Lege anglica in Indiis statutum est absentiam per septem annos fugitivi coniugis aequivalere morali certitudini de eius morte, si ipse, post eiusmodi spatium per publicas ephemerides invitatus, haud se manifestet. Cum id in casu evenisset, dicta mulier voluit cuidam catholico nubere. At cum catholicus presbyter eorum coniugium benedicere renuisset, eo quod de prioris viri morte minime constaret, illi coram ministro acatholico matrimonium contraxerunt: quod matrimonium, iuxta S. Sedis indultum pro Indiis esset validum, si nullum aliud obstaret impedimentum. Hinc quaeritur:

1. Utrum provisiones legis civilis de absentibus coniugibus, locum certitudinis moralis de eorum morte tenere possint, ac consequenter utrum derelicti coniuges, perfectis et impletis istis provisionibus, aliud matrimonium legitime contrahere valeant.

2. In praesenti saltem casu, cum illae duae personae, civili lege nixae, aliqua cum bona fide contraxerunt, ac prius mulieris matrimonium defectu aetatis fortasse invalidum fuerit, possuntne ad sacramenta admitti?

R. 1. Iuxta expositum, Negative, et expendendos esse casus particulares ab ipso Vic. Ap. iuxta Instructionem quae eidem communicetur (1).

(1) Haec Instructio quae incipiebat « *Ingentes bellorum clades* » subrogata fuit ampliori Instr. S. C. S. Off. a. 1868.

2. Quoad defectum aetatis, praevia advertentia quod admodum difficulter ex hoc capite iuxta exposita probari posset nullitas matrimonii in casu, nihilominus, si Vicario Ap. ita videbitur, fiant acta opportuna ad probandum:

1. Mulierem primum matrimonium contraxisse ante completum annum aetatis suae duodecimum. 2. Eo tempore malitiam non supplevisse aetatem. 3. Nec post adeptam pubertatem habuisse copulam cum viro.

Quoad praetensam mortem primi viri, fiant acta opportuna iuxta Instructionem superius memoratam. Sponsos tamen non posse admitti ad Sacramentorum participationem, nisi praevia eorumdem separatione.

1274

An liceat Missam celebrare iuxta infidelium intentionem.

S. C. S. Off. *12 Iulii 1865* — Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro turcarum aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro Missae applicatione accipere.

R. Affirmative, dummodo non adsit scandalum, ac nihil in Missa specialiter addatur, et, quoad intentionem, constet nihil mali, aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse.

Instructio — Può dirsi col Bellarmino *(De Missa lib. VI Cap. VI): certum est, etiam ex natura rei,* si nulla sit prohibitio Ecclesiae, *licere offerre pro eiusmodi hominibus (qui extra Ecclesiam sunt).* Ora questa proibizione esiste *pro excommunicatis, et consequenter pro haereticis qui sunt omnes excommunicati,* ma non per gl'infedeli e conseguentemente può per essi offerirsi il s. Sacrificio della Messa, *nam haec traditio, imo et Apostolica constitutio est...., neque extat, quod sciam, ulla Ecclesiae manifesta prohibitio;* e sebbene a questi infedeli, come osserva il Tamburino *(Method. celebr. Miss. lib. 2 Cap. 2 § 2)* « non prosit « Missa quoad meritum, siquidem infidelis qui « propter privationem gratiae est Dei inimicus, « non est in statu meriti; nequè prosit quoad « satisfactionem, quia satisfacere poenae quis « non potest, dum est in peccato mortali, ne- « que poena ulla remittitur ei, cui actu debe- « tur poena aeterna: prodest tamen quoad im- « petrationem.... quatenus ei impetrari possunt « mediante Sacrificio aliqua bona temporalia, « immo et spiritualia, ut sunt aliquae bonae « inspirationes, et auxilia »; nè perciò fassi ingiuria all'offerente la elemosina, poichè si presume *velle interpretative quod rationabiliter potest.* Vuolsi peraltro qui cautamente avvertire che, siccome sogliono talora questi infedeli richiedere speciali preghiere da inserirsi nella sacra liturgia, o vengono mossi a ciò da false idee o da superstizione: ove certamente constasse, o si avesse, dallo assieme delle circostanze, fondato dubbio *aliquid mali, aut erroris, aut superstitionis subesse,* ovvero si esigesse apertamente *ut aliquid in Missa addatur* contro le canoniche prescrizioni, non si potrebbe offerire la Messa per tali richiedenti, nè accettarne la elemosina, perchè si farebbe cosa illecita, e si terrebbe mano a simili pregiudizî ed errori, ed in questo senso appunto si trovano date più volte dal S. Offizio risposte negative.

1275

Qua forma et lingua uti debeant confessarii cum poenitentibus diversi ritus.

S. C. S. Officii *6 Sept. 1865* — Sacerdotes confessarios orientales in excipiendis sacramentalibus confessionibus fidelium latini ritus uti debere forma et lingua proprii adprobati ritus, nisi aliter ab Apostolica Sede indultum vel decretum fuerit.

1276

Contra quosdam coetus acatholicorum *sacerdotii et catholici nominis hereditatem* se habere iactantes.

Litt. E.mi Secr. S. C. S. Officii *8 Nov. 1865* — Ad quosdam puseistas anglicos. — Quod vos litteris datis, *corde sincero et voce non ficta* hoc tantum optare profiteamini, ut secundum Domini Iesu Christi verba, unum ovile fiat, et unus pastor, id spem affert huic Sacrae Congregationi iucundissimam, vos tandem divina eiusdem Iesu Christi gratia ad veram unitatem esse perventuros. Cavendum tamen vobis est, ne ipsam quaerentes deflectatis a via. Id porro Sacra Congregatio vobis contigisse vehementer dolet existimantibus, ad veram Iesu Christi Ecclesiam pertinere, tamquam partes, christianos illos coetus, qui *sacerdotii et catholici nominis hereditatem* habere se iactant, licet sint ab Apostolica Petri Sede divisi ac separati. Qua opinione nihil est, quod magis a genuina catholicae Ecclesiae notione abhorreat. Catholica enim Ecclesia, ut in meis ad Episcopos Angliae litteris monetur, ea est quae super unum Petrum aedificata, in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit (1). Equidem hanc fidei et caritatis seu communionis unitatem ex irreformabili Christi institutione, non modo praecipuam esse ac fundamentalem verae Ecclesiae proprietatem, sed certissimam quoque semperque visibilem notam, qua ipsa Ecclesia ab omnibus sectis tuto ac facile distinguatur, evidentissime vobis, si rem sedulo inspicere pacatoque animo considerare volueritis, demonstrabunt tum Sacrarum Scripturarum diserta testimonia insignesque metaphorae, parabolae et imagines, quibus delineatur ac veluti repraesentatur Ecclesia, tum praeclarissima sanctorum Patrum antiquissimarumque synodorum documenta, tum

(1) S. Ambrosius de offic. ministr. lib. III, cap. 3, num. 19.

constans agendi ratio, quam Ecclesia a suis usque primordiis sequi consuevit adversus cuiusque generis haereticos et schismaticos, tametsi ex iis complures sacerdotii et catholici nominis hereditatem sibi arrogarent. Quemadmodum igitur Ecclesia Christi propter summam, quam per omnes gentes et in omne tempus diffusa firmissime retinet, fidei communionisque unitatem catholica est et dicitur, ita propter unitatem eamdem sancta et apostolica praedicatur ; et quemadmodum absque tali unitate desineret et iure et facto esse catholica, ita sanctitatis etiam et apostolicae successionis insignibus continuo privaretur.

At Christi Ecclesia suam unitatem nunquam amisit, nunquam ne brevissimo quidem temporis intervallo amittet; quippe quae perenniter, iuxta divina oracula, duratura sit. Quomodo vero Ecclesia perenniter duratura credatur, si in essentialem eius statum aetas aetati succedens non secus atque fit in mundanarum rerum mutabilitate, novam induceret speciem et formam, et ipsa adeo Ecclesia ab illa fidei et communionis unitate desciscere aliquando posset, qua et a Iesu Christo fundata est, et ab Apostolis deinde propagata ? Ideo enim, ait s. Ambrosius, regnum Ecclesiae manebit in aeternum, quia individua fides, corpus est unum (1). Quod si Ecclesia Christi indefectibilis prorsus est, sponte sequitur, eam infallibilem quoque dici et credi debere in evangelica doctrina tradenda ; quam infallibilitatis praerogativam Christum Dominum Ecclesiae suae, cuius ipse est caput, sponsus et lapis angularis, mirabili munere contulisse, inconcussum est catholicae fidei dogma. Et profecto quis sanus sibi persuadeat, errorem subesse posse publico ac solemni Ecclesiae magisterio, quod Christus eo consilio instituit, ut iam non simus parvuli fluctuantes et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris (2); quod sui praesentia nunquam deserendum, atque a Spiritu Sancto de omni veritate edocendum pollicitus est ; a quo voluit universas gentes ad obedientiam fidei vocari, et rerum credendarum agendarumque doctrinam ita accipere, ut qui Apostolis legitimisque eorum successoribus praedicantibus non credidisset, condemnaretur ; cui munus auctoritatemque attribuit sanorum verborum formae praescribendae, in qua omnes docibiles Dei convenirent ? Hinc Paulus Ecclesiam appellat columnam et firmamentum veritatis (3). Sed quo pacto Ecclesia esset firmamentum veritatis, nisi tuto ab ea veritas peteretur ? Sanctissimi quoque Patres una voce loquuntur ac praedicant, in unitate Ecclesiae unitatem fidei ac doctrinae Christi sic defixam esse, ut una disiungi ab alia non valeat ; quo spectat aurea illa s. Cypriani sententia, Ecclesiam esse unitatis ac veritatis domicilium (4). Neque catholica Ecclesia dubitavit unquam de hac praerogativa sibi promissa, et per iugem Christi praesentiam Sanctique Spiritus afflatum communicata; quoties subortas fidei controversias dirimere, sacrarum Scripturarum sensum interpretari, erroresque commisso revelationis deposito adversos profligare aggressa est; suas enim dogmaticas definitiones edidit semper ac proposuit tamquam certam et immutabilem fidei regulam : quibus, ut fidei regulae, intimum quisque assensum sine ulla dubitatione, suspicione, haesitatione praestare deberet ; qui vero iisdem definitionibus contumaciter obsisterent, hoc ipso circa fidem saluti consequendae necessariam naufragavisse, nec amplius ad Christi ovile pertinere censerentur. Atque haec magis magisque absurditatem produnt illius commenti de catholica Ecclesia ex tribus communionibus coalescente, cuius commenti fautores infallibilitatem Ecclesiae necessario inficiari coguntur.

Iam non minus certum atque exploratum est, Christum Iesum, ut fidei communionisque unitas in Ecclesia gigneretur ac perpetuo servaretur, utque capite constituto, schismatis tolleretur occasio (5), beatissimum Petrum praeceteris Apostolis, tamquam illorum principem et eiusdem unitatis centrum et vinculum conspicuum, singulari providentia elegisse; super quem Ecclesiam suam aedificavit, et cui totius gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque contulit in successores omni aevo prorogandam. Catholicum dogma hoc est quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores Summorum Pontificum Conciliorumque decretis confirmavit. Quare catholica Ecclesia illa solum semper credita est, quae fide et communione cum Sede Romanorum Pontificum Petri successorum cohaeret, quam propterea Sedem s. Cyprianus nuncupat catholicae Ecclesiae radicem et matricem (6); quam unam Patres et Concilia per antonomasticam appellationem *Apostolicae Sedis* nomine designant e qua sacerdotalis unitas exorta est (7) et in omnes venerandae communionis iura dimanant (8); in qua Petrus iugiter vivit et praesidet et praestat quaerentibus fidei veritatem (9). Certe s. Augustinus, ut schismatis convictos

(1) In Luc. lib. VII, n. 91.
(2) Ephes. IV, 14.
(3) 1. Timoth. III, 15.
(4) Epist. VIII ad Corn. ap. Coustant, n. 1.
(5) S. Hieronym. lib. I. adv. Iovin. n. 26.
(6) Epist. IV, ad Cornelium ap. Coustant, n. 3.
(7) S. Cypr. epist. XII, ad Corn. ap. Coustant, num. 14.
(8) Epist. Concilii Aquileiensis ad Gratianum Imp. an. 381 inter epistolas s. Ambrosii.
(9) S. Petrus Chrysol. epist. ad Eutych. Act. III, Concilii Ephes. ap. Harduin. I, 1478.

Donatistas ad radicem et vitem, unde discesserant, revocaret, argumento utitur ab antiquioribus Patribus frequentato: « Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videmus praecisos ita iacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae » (1). Quo uno satis ostendit, in catholica Ecclesia eum non esse qui non inhaereat illi petrae, in qua fundamentum positum est unitatis catholicae. Neque aliter sensit s. Hieronymus, cui profanus erat quisquis non Cathedrae Petri et Pontifici in ea sedenti communione consociaretur: « Nullum primum (sic ille ad Damasum) nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, idest cathedrae Petri communione consocior; super illam petram aedificatam esse Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicumque tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est » (2). Neque aliter s. Optatus Milevitanus. qui singularem illam cathedram celebrat, omnibus notam, Romae constitutam, in qua unitas ab omnibus ita servari debet ut schismaticus et haereticus sit qui contra illam singularem cathedram alium collocet (3). Et merito quidem; in Romanorum enim Pontificum ordinatione et successione, uti denunciat aperte omnibus s. Irenaeus, ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos; et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate (4).

Itaque si proprium est ac perpetuum verae Christi Ecclesiae insigne, ut summa fidei caritatisque socialis unitate contineatur, efflorescat ac veluti civitas supra montem posita omnibus hominibus omni tempore patefiat; et si, alia ex parte eiusdem unitatis originem, centrum ac vinculum Christus esse voluit Apostolicam Petri Sedem, consequens fit, coetus prorsus omnes ab externa visibilique communione et obedientia Romani Pontificis separatos, esse non posse Ecclesiam Christi, neque ad Ecclesiam Christi quomodolibet pertinere, ad illam scilicet Ecclesiam, quae in symbolo post Trinitatis commendationem credenda proponitur Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica (5); quae catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis (6), sicque ipsum catholicae nomen sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere (7); per quam Christus veluti per corpus sibi penitissime coniunctum beneficia redemptionis impertit, et a qua quisque fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod a Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum (8): eiusmodi proinde coetibus catholicum nomen tum iure minime competere, tum facto attribui nullatenus posse citra manifestam haeresim. Inde autem perspicietis, honorabiles ac dilectissimi Domini, quare sacra haec Congregatio tanta sollicitudine caverit, ne Christifideles societati a vobis recens institutae ad promovendam, ut dicitis, christianitatis unitatem cooptari paterentur aut quoquomodo faverent. Perspicietis etiam in irritum necessario cadere quamcumque conciliandae concordiae molitionem, nisi ad ea principia exigatur, quibus Ecclesia et ab initio est a Christo stabilita et deinceps omni consequenti aetate per Apostolos eorumque successores una eademque in universum orbem propagata; quaeque in celeberrima Hormisdae formula, quam certum est a tota catholica Ecclesia comprobatam esse, dilucide exponuntur. Perspicietis denique, oecumenicam illam quam memoratis, *intercommunionem* ante schisma photianum, ideo viguisse quia orientales ecclesiae nondum a debito Apostolicae Cathedrae obsequio desciverant; neque ad optatissimam hanc intercommunionem restaurandam satis esse, simultates et odia in Romanam Ecclesiam deponere, sed omnino, ex praecepto et instituto Christi, oportere Romanae Ecclesiae fidem ac communionem amplecti; quandoquidem, ut ait venerabilis Beda splendidissimum vestrae gentis ornamentum: « Quicumque ab unitate fidei vel societate illius (beati Petri) quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possint regni caelestis ingredi (9) ».

Atque utinam, honorabiles et dilectissimi domini, quoniam *Ecclesia catholica una esse nec scindi nec dividi posse monstrata est* (10), non amplius dubitetis, vos eiusdem Ecclesiae condere gremio quae usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit (11). Utinam quod in vobis per inditam benevolentiam erga hanc Ecclesiam Spiritus Sanctus coepit,

(1) Psalm. in part. Donati.
(2) Epist. 14 al. 57 ad Damas. n. 2.
(3) De Schism. Donatist. lib. II, n. 2.
(4) Lib. III, contra haeres. cap. 3, n. 3, ex vet. interpr.
(5) S. Aug. de Symb. ad catech. cap. VI.
(6) S. Aug. de vera Relig. cap. VII.
(7) S. Aug. contr. epist. fundam. cap. IV. n. 5.
(8) S. Aug. ep. 141, al. 152, n. 5.
(9) S. Aug. Hom. in natali ss. Petri et Pauli.
(10) S. Cypr. ep. VIII ad Corn. apud Coustant, num. 2.
(11) S. Aug. de util. credendi c. XVII, n. 35.

ipse complere et perficere sine mora dignetur. Id vobis una cum hac Sacra Congregatione toto ominatur animo, et a Deo misericordiarum et luminum Patre enixe adprecatur Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX, ut vos tandem omnes ab exheredata praecisione fugientes in hereditatem Christi, in veram catholicam Ecclesiam, ad quam certe spectarunt maiores vestri ante lugendam saeculi sextidecimi separationem, accipere feliciter mereamini radicem caritatis in vinculo pacis et in societate unitatis (1).

1277

Circa clausulam in formulis facultatum: *nullo modo iis uti possit extra fines suae dioecesis.*

S. C. S. Off. *22 Nov. 1865.* — SOUTHWARK — 1. In Form. II (facultatum) edicitur ut Episcopus, qui his a Pontifice facultatibus donatus est, *nullo modo iis uti possit extra fines suae dioecesis:* sed idem alias facultates solet a Sancta Sede obtinere quibus haec non apponitur limitatio, v. g., ut possit in matrimoniis mixtis contrahendis dispensare. Mihi videtur, quoties alicuius rei facultatem Romanus Pontifex rogatus cuilibet facit, haec limitatio implicite apponi, ita ut duobus Southwarcensis dioecesis subditis, qui forte Plymuthi commorantur, ut ibi mixtum matrimonium inire queant concedere per dispensationem non possim. Quaeso Te, S. Pater, ut edisseras utrum haec sententia vera sit: id est, quoties Indultum ea verba *nullo modo uti* etc., minime praefert, haec semper in eadem subaudienda esse.

2. Cum, in dispensando super matrimoniis mixtis, Ecclesia catholico viro aut mulieri cum anglicana muliere aut viro (in quo directe cadere Ecclesiae beneficia non debent) inire nuptias permittere soleat, a quonam Episcopo concedi dispensatio potest, cum catholicus vel catholica venit ad matrimonium extra suam dioecesim ineundum?

R. Ad 1. Clausulam *nullo modo uti possit extra fines suae dioecesis* ita intelligi debere ut facultates sub ipsa comprehensae exerceri tantummodo possint cum propriis subditis in dioecesi existentibus actu quo conceditur gratia. Eamdem tamen clausulam non subintelligi in facultatibus quae Episcopis ab Apostolica Sede conceduntur, nisi fuerit expressa, vel aliter constet de mente Summi Pontificis, vel nisi subiecta materia eam requirat. Facultatem vero dispensandi super impedimento mixtae Religionis concedi cum clausula *dispensare valeat intra fines suae dioecesis;* eam proinde exerceri non posse nisi cum subditis actu existentibus intra fines propriae dioecesis, servatis caeteroquin iis quae traduntur in responsione ad 2.

Ad 2. Catholicos viros vel mulieres dispensari posse, iustis accedentibus causis, super impedimento mixtae religionis ab Episcopo hanc facultatem habente, cuius sunt subditi ob domicilium vel quasi-domicilium in eius dioecesi acquisitum, dummodo in eadem dioecesi actu existant quando dispensationem recipiunt; dispensationem vero ita obtentam executioni tradi posse ubicumque mixta connubia contrahi permittuntur, nisi aliquid aliud obstet, iudicio Ordinarii loci in quo contrahitur matrimonium: secus, pro dispensatione ad Apostolicam Sedem recurrendum esse.

1278

De dispensationibus matrimonialibus cum dubitatur de existentia impedimenti ecclesiastici.

S. C. S. Off. *14 Dec. 1865.* — MYSUR — Quaeritur abrogatio impedimentorum tertii et quarti gradus consanguinitatis et affinitatis pro indigenis istarum regionum, vel saltem facultas dispensandi ad cautelam super impedimentis consanguinitatis vel affinitatis quae in matrimoniis indigenarum eorumdem intercedunt, quaeque saepissime ignota manent, propter difficultatem ea detegendi, diligenti licet examine instituto, attentis nimirum castarum usibus ibi locum habentibus,

R. 1. Quoad generalem dispensationem pro Missionibus indicis super impedimento tertii et quarti gradus consanguinitatis vel affinitatis: Negative. — 2. Quoad facultatem vero dispensandi ad cautelam in casu exposito, non esse necessariam, quando dubitatio de existentia ecclesiastici impedimenti oritur dumtaxat ex motivo generali. Dispensationem huiusmodi posse a Vicariis Apostolicis eorumque delegatis impertiri, absque nova Sedis Apostolicae venia, quando dubitatio prudenter oritur ex motivo particulari, et agitur de impedimentis super quibus, si certo cognoscerentur, Vicarius Apostolicus absolute dispensare posset. — 3. Non esse cur missionarii tanta anxietate laborent de impedimentis ob consanguinitatem vel affinitatem ecclesiastico iure inductis, quae post diligentem inquisitionem ignota remanere possunt.

1279

Quandonam ex diuturna Capitis *Tametsi* observatione praesumenda sit eius publicatio.

S. C. S. Off. *10 Ian. 1866.* — WAYNE-CASTR. — Quanto tempo si richiede perchè dalla osservanza del Cap. *Tametsi* in un luogo se ne possa presumere la pubblicazione?

R. Decretum Concilii Tridentini *De reformat. matrim. sess. 24* diu dicitur observatum tamquam eiusdem Concilii decretum quando a tempore quod excedit hominum memoriam in parochia vim legis obtinuisse compertum est, ita ut matrimonia contracta praeter formam a Tridentino praescriptam irrita semper habita fuerint.

(1) S. Aug. ep. 61 (al. 223) n. 2, ep. 69 (al. 238) num. 1.

1280

De *civili* matrimonii contractu.

Instr. S. Poenit. *15 Ianuarii 1866.* — 1. Quod iamdiu timebatur, quodque Episcopi cum singillatim, tum una omnes, protestationibus, zelo ac doctrina plenis, virique plurimi cuiusque Ordinis eruditis suis scriptis, et ipsemet Summus Pontifex vocis suae auctoritate avertere conati sunt, id, proh dolor! videmus in Italia constitutum. Quem vocant civilem matrimonii contractum, eiusmodi malum haud amplius est quod Iesu Christi Ecclesia debeat trans Alpes deflere, sed et quod in hisce Italiae regionibus consitum, pestiferis suis fructibus christianam familiam societatemque minitatur inficere. Atque hosce funestos effectus Episcopi et locorum Ordinarii animadverterunt, quorum quidem alii opportunis instructionibus munitum ac vigilem fecerunt gregem suum; alii vero ad hanc Apostolicam Sedem mature confugerunt, ut normas inde haurirent, quibus in tam trepida re ac tanti momenti, tuto dirigerent sese. Quamvis autem hoc Sacrum Tribunal haud pauca responsa atque instructiones particularibus petitionibus, Summi Pontificis iussu, dederit, attamen ut postulationibus quae in dies augentur satisfiat, mandavit Sanctus Pater ut per hoc Tribunal ad omnes locorum Ordinarios, ubi infausta haec lex promulgata fuit, Instructio mitteretur, quae normae cuiusdam loco cuique eorum inserviret, ut et fideles dirigant, et ad morum puritatem, sanctitatemque matrimonii christiani sartam tectam servandam, uno animo procedant.

2. At vero in exequendis S. Patris mandatis haec S. Poenitentiaria superfluum putat in memoriam cuiusque revocare quod est sanctissimae religionis nostrae notissimum dogma: nimirum matrimonium unum esse ex septem sacramentis a Christo Domino institutis, proindeque ad Ecclesiam ipsam, cui idem Christus divinorum suorum mysteriorum dispensationem commisit, illius directionem unice pertinere; tum etiam superfluum putat in cuiusque memoriam revocare formam a S. Tridentina Synodo praescriptam, sess. 24, c. 1 *De reform. matrim.* sine cuius observantia, in locis ubi illa promulgata fuit, valide contrahi matrimonium nequaquam posset.

3. Sed ex hisce aliisque axiomatibus et catholicis doctrinis debent animarum Pastores practicas instructiones conficere, quibus etiam fidelibus id persuadeant, quod SS. Dominus Noster in Consistorio secreto, die 27 Septembris anni 1852, proclamabat, id est: *Inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum; atque idcirco quamlibet aliam, inter christianos, viri et mulieris, praeter Sacramentum, coniunctionem etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum.*

4. Atque hinc facile deducere poterunt civilem actum, coram Deo eiusque Ecclesia, nedum ut sacramentum, verum nec ut contractum haberi ullo modo posse; et quemadmodum civilis potestas ligandi quemquam fidelium in matrimonio incapax est, ita et solvendi incapacem esse; ideoque, sicut haec S. Poenitentiaria iam alias in nonnullis responsionibus ad dubia particularia declaravit, sententiam omnem de separatione coniugum legitimo matrimonio coram Ecclesia coniunctorum a laica potestate latam, nullius valoris esse: et coniugem, qui eiusmodi sententia abutens alii se personae coniungere auderet, fore verum adulterum: quemadmodum esset verus concubinarius, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret; atque utrumque absolutione indignum esse donec haud resipiscat, ac praescriptionibus Ecclesiae se subiiciens ad poenitentiam convertatur.

5. Quamvis autem verum fidelium matrimonium tum solum contrahatur quum vir et mulier, impedimentorum expertes, mutuum consensum patefaciunt coram parocho et testibus, iuxta citatam S. Concilii Tridentini formam, atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat, nec opus sit ut a civili potestate ratum habeatur aut confirmetur: attamen, ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant, actum lege decretum executuri, ea tamen intentione (uti Benedictus XIV docet in Brevi diei 17 Septembris anni 1746 « *Redditae sunt Nobis* » *§ Exposuistis; V. n. 359*) ut sistendo se Gubernii officiali nil aliud faciant, quam ut civilem caeremoniam exequantur.

6. Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legis executioni cooperentur, parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles qui, quoniam lege arcentur, ad civilem actum dein non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis ne sit ad annuendum, sed in gravioribus casibus hoc Sacrum Tribunal consulat.

7. Quod si opportunum est ac expedit ut fideles, sistentes se ad actum civilem peragendum, se probent legitimos coniuges coram lege, hunc tamen actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio, aut absoluta necessitas, quae facile admittenda non est, eius-

modi ordinis invertendi causa esset, tunc omni diligentia utendum erit ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes seiuncti consistant. Hac super re unumquemque hortatur haec S. Poenitentiaria ut doctrinam sequatur ac teneat a Benedicto XIV expositam in Brevi, cuius supra mentio facta est, ad quod tum Pius VI in suo Brevi ad Galliae Episcopos *Laudabilem maiorum suorum*, dato die 20 Septembris anni 1791, tum Pius VII in suis Litteris datis die 11 Iunii anni 1808 ad Episcopos Piceni, eosdem Episcopos instructionis gratia remittebant, qui normas expostularunt quibus in simili civilis actus contingentia fideles dirigerent. Post haec omnia facile est videre praxim hactenus observatam circa matrimonium, et speciatim circa paroeciales libros, sponsalia et matrimonialia impedimenta cuiusvis naturae ab Ecclesia sive constituta sive admissa, nullo modo variari.

8. Et hae sunt generales normae quas huic S. Poenitentiariae, Sancti Patris mandatis obsequenti, tradere visum fuit, et iuxta quas eadem videns plures Episcopos et Ordinarios suas iam instructiones adamussim confecisse, maximopere laetatur, speratque fore ut et caeteri omnes idem faciant: qui ita se Pastores vigiles ostendentes, meritum ac praemium a Iesu Christo Pastorum omnium Pastore consequentur.

1281

Circa indultum condimentorum *ex adipe*.

S. Poenitentiaria *30 Ianuarii 1866* — Se possa usarsi minestra col brodo di carne nei venerdì e sabbati nei quali vi è l'indulto dei condimenti di grasso.

R. Sub terminis *condimenti di grasso* non comprehendi iusculum carnis coctae.

1282

Circa observantiam Constitutionis Bened. XIV. *Sacramentum Poenitentiae* contra sollicitantes.

Instr. S. C. S. Off. *20 Febr. 1866* — Quae supremus Pontifex gl. mem. Bened. XIV in Constitutione die 1 Iunii anno 1741 edita cuius initium est *Sacramentum Poenitentiae* confirmavit ac decrevit, ea ad haec quatuor maxime capita reducuntur. In primis, quemadmodum iam antea sancitum fuerat, praesertim a Gregorio XV Constitutione quae, sub die 30 Augusti anno 1622 data, incipit *Universi*, omnes locorum Ordinarii aeque ac Inquisitores deputantur iudices ad inquirendum et procedendum et condignis poenis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in Confessione, quamvis ab ordinaria iurisdictione quomodolibet exemptos. Itidem omnes sacerdotes ad audiendas sacras confessiones constituti, sicut antea quoque praescriptum erat, obligantur monere suos poenitentes, ut sollicitantes huiusmodi, quamprimum poterunt, Inquisitoribus aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque poenitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Praeterea tertio loco Apostolicae Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos iudices falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant ut id ab aliis fiat. Quarto denique sacerdoti cuilibet omnis facultas et iurisdictio ad sacramentales confessiones personae complicis in peccato turpi contra sextum decalogi praeceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit, qui confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat (1). Et Apostolicae Sedi reservatur eorum confessariorum casus, qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint.

Nullum sane dubium est, quin hae praescriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulae in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum *inconcusse ac inviolabiliter* observandae sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV et Benedicti XIV Constitutiones evidentissime patet; et idipsum consequentium Pontificum suffragio, prout se dedit occasio, ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera Vicario Apostolico Cocincinae sciscitanti: 1. *An Constitutio Bened. XIV adversus sollicitantes obliget etiam missionarios franciscanos, qui ministerium exercent in Cocincina.* 2. *An eadem Constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessariorum penuriam in eodem regno Cocincinae;* iussu Pii VI anno 1775 opportuna instructione responsum fuit: *Ad 1. affirmative. Ad 2. negative.* Et proxime SSmus D. N. Pius Papa IX. decreto huius supremae Inquisitionis sub feria IV. die 27 iunii anno 1866 edixit, *in facultatibus quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in bulla Benedicti XIV. quae incipit « Sacramentum Poenitentiae »*. Hoc decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis praedicta absolvendi facultate donatis absque ulla exceptione significandum mandavit.

Quamobrem omnibus locorum Ordinariis enitendum summopere est, ne eorum vigor, quae in praedicta Constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elangueat. At Emi PP. Cardinales supremi Inquisitores nuper cognoverunt, eamdem Constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi, atque in ali-

(1) Const. eiusdem S. P. Bened. XIV *Apostolici muneris* die 8 Februarii 1745.

quibus locis nonnullos tum in denunciationis onere adimplendo, tum in iudicio contra sollicitantes instituendo, irrepsisse abusus, qui sine iustitiae ac providae severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum, neque ipsis locorum Ordinariis ingratum fore iudicarunt, si quae contra eosdem abusus ab hac suprema Congregatione ad tramites sacrorum canonum decreta fuerunt, in unum collecta prae oculis habeantur. Ad quem effectum praesentem instructionem edi mandarunt.

1. Personae sive mares sive feminae, quaecumque illae sint, ad turpia sollicitatae in Confessione vel occasione aut praetextu Confessionis, quemadmodum enucleate in memorata Constitutione praecipitur, rem ad Sanctam Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

2. Denunciare oportet quemcumque sacerdotem etiam iurisdictione carentem, sollicitantem in confessione, vel etiam poenitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem, et non praebentem absolutionem poenitenti (1).

3. Huiusmodi denunciationes a nemine absque culpa letali omitti possunt. Qua de re poenitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat.

4. Sacerdotes ad sacras audiendas confessiones constituti, qui de hac obligatione poenitentes suos non admonent, debent puniri (2).

5. Poenitentes admoniti, et omnino renuentes nequeunt absolvi; qui vero ob iustam causam denunciationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

6. Denunciationes anonymae contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent: denunciationes enim fieri debent in iudicio, nempe coram Episcopo eiusve delegato cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes teneat, et cum iuramento, et cum expressione et subscriptione sui nominis; nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris (3). Ceterum prohibetur, ne in recipiendis denunciationibus praeter iudicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata Episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denunciantibus quaeratur, num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret, si de huiusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis (4).

7. Denunciationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum si gravissimis difficultatibus impediatur, quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam, vel per aliam personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium, vel sanctam Sedem per sacram Poenitentiariam, vel etiam per hanc supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat iuxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denunciationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis, laudandus est confessarius, qui operam suam poenitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel Sanctam Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen poenitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli consult. 104, Carena, Albitius, etc.

8. Non infrequenter occurrit casus, ut confessarius aliusve ecclesiasticus vir ab Episcopis (quorum utique haec potestas est) deputetur ad denunciationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante absque interventu notarii. Huic instructioni folium adiicitur circa modum, quo hisce in casibus confici denunciatio debet *. Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denunciationis iudiciaria ratione assumendo instrui debent, ac moneri, ut statim a recepta denunciatione eam continuo ad ipsum Episcopum, a quo fuerunt deputati, caute transmittant, neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denunciandi munus adimpletur. Profecto a locorum Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suae iurisdictioni subiecta applicare oporteat quod pro Missionibus Pernambuci in America die 22 Ianuarii an. 1627 declaratum fuit: *Mulieres* videlicet *sollicitatas non teneri ad denunciationem si ministri Inquisitionis et vicarii Episcopi, in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adire nequeant.*

9. Si in denunciationibus, quod non raro contingit, aliae indicantur personae forte pariter sollicitatae, vel quae de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hae quoque omnes et seorsim iudiciaria forma superius enunciata examinandae sunt: et primo per *generalia,* deinde per gradus, quoad ita res ferat, ad *particularia* deveniendo, interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsae sollicitatae, vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint.

10. Accepta denunciatione, non illico proceditur, sed a superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuncians sit fide

(1) Ex declar. diei 11 Februar. 1661 confirmata in Const. *Sacramentum Poenitentiae.*

(2) Ex declar. sub diebus 20 Martii 1624 et 1 Octobris 1626 penes Albit. *De inconst. in fide* cap. 35 n. 17.

(3) Albit. loc. cit. n. 21.

(4) Ex declar. Urbani VIII sub fer. V die 17 Aprilis 1624.

(*) V. recentiorem Instruct. *20 Iulii 1890 (n. 950)*

digna. Sollicitationis crimen ut plurimum secreto perpetratur; hinc privilegium est, ut in causis quod contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestationes etiam singulares admittantur. At in memoratis summorum Pontificum Constitutionibus praescribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi praesumptiones, indicia et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cuiusque denunciationis, qualitates et circumstantiae serio accurateque perpendendae sunt, et, antequam contra denunciatum procedatur, perspectum exploratumque iudici esse debet, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim, ut testes huiusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit (1).

11. Ea est huius supremae Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denunciationem rescribatur, quod denunciatus *observetur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut quum primum per novas denunciationes res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi a tertia denuntiatione procedi solet. Ad formale examen vocantur parochi, vel probatae fidei spectataeque virtutis viri praesertim ecclesiastici, qui cum iuramento de veritate dicenda et de secreto servando super qualitatibus denunciantium et denunciati, et super mutuis eorum odiis et inimicitiis examinentur. Hisce peractis diligentiis reus in iudicium adducitur, et coram iudice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, super singulis cuiusque denunciationis et examinis adiunctis, iuramento dicendae veritatis obstrictus respondere debet. Cavetur solertissime, ne denunciantium nomina reo manifestentur et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur.

12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem, prout iura exposcunt, admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum, ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsa sancta Sede impertitas. Huiusmodi sententiam Episcopus ipse, et non alius ab eo delegatus, proferat: et pro modo culpae, atque omnibus attentis circumstantiis caeteras quoque poenas reo irroget quae in supradictis pontificiis Constitutionibus decernuntur. Praeterea si reus in iudicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abiurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit, haeresis suspicione: et hac quoque poena in ipsa sententia mulctetur. Notandum est, poenas huiusmodi omnes, et ipsam inhabilitatem ad sacrosanctum Missae sacrificium celebrandum in decreto Benedicti XIV die 5 augusti an. 1745 praescriptam, esse tantum *ferendae sententiae*. Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio saeculari. Id nimirum a Gregorio XV statutum fuit: ceterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet quam ut executioni mandetur (2).

13. Qui nullis omnino super hoc crimine praeventi denunciationibus, conscientia victi, Ordinario loci eiusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur, et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abiuratione et poenitentiis dumtaxat salutaribus, adiecto consilio vel praecepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris confessionibus se abstineant: nec coeteris poenis antea dictis, accedentibus licet postmodum denunciationibus, afficiantur. Qui vero iudiciaria forma iam praeventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt; et ii pariter, quos veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denunciationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniantur.

14. Quod in hisce causis vel ex commissione Apostolica, vel ex iure Episcoporum proprio, tractandis maiorem in modum curari et observari debet illud est, ut eaedem causae, utpote ad fidem attinentes, secretissime peragantur, et postquam fuerint definitae et executioni iam traditae, perpetuo silentio omnino premantur. Omnes curiae ecclesiasticae administri, et quicumque alii ad has pertractandas, vel patroni ad defendendas causas assumuntur, iusiurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur, prout in iure cautum est cap. *Statuta* fin. de haeret. in 6, et in Clementina *Multorum § Porro* de haereticis. Qui vero denunciationis oneri satisfaciunt, quippe in hisce causis examini subiiciuntur, iuramentum ab initio de veritate dicenda, et, actu expleto, de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, etiamsi sint sacerdotes, praestare tenentur. Haec si caute sancteque teneantur, nullum invidiae infamiaeque vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes iudices ab investigando et condignis poenis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

15. Indultum fuit a Pio VI in instructione, de qua antea dictum est, anno 1775 ad Vica-

(1) Ex Instruct. iussu Pii VI anno 1773 ad Vicar. Ap. Cocincinae data. *(V. n. 949)*.

(2) Albit. op. cit. cap. 15, n. 13, et Benedict. XIV in privata epistola die 11 Novembr. anno 1743 data ad Emmanuelem de Azevedo S. I. presbyterum.

rium Apostolicum Cocincinae data, ut cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quae in hisce causis servanda sunt; et cum si aliqua ex his omittantur, iustitia non patiatur, ut poenae infligantur adversus reos, de quorum crimine iudiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra iudicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus Vicarii Apostolici prudentia cum animarum zelo coniuncta suggeret. Iam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis, ac disparatis factam, neque omnibus esse communem, neque absque Apostolicae Sedis auctoritate iure posse ubivis induci.

16. Ceterum si locorum Ordinarii in conficiendis processibus, vel etiam, confecto processu, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in confessione gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc supremam Congregationem, quae peculiares instructiones singulis casibus accommodatas, ut saepe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet.

Haec sunt quae ad praedictam pontificiam Constitutionem caute recteque exequendam conducunt, quaeque, utpote ubique locorum observatu facilia, sacra haec Congregatio supremae et universalis Inquisitionis pastorali Ordinariorum zelo ac sollicitudini vehementer commendat.

1283

De supplendis probationibus status liberi detentorum in carceribus.

S. C. S. Off. *28 Febr. 1866.* — Postulante Vicario Capitulari senogallien. instructionem circa modum, quo suppleri possint probationes status liberi pro iis, qui in carcere detenti sunt; EE. PP. dixerunt respondendum Vicario Capituli Senogallien., ut ad supplendas probationes status liberi eorum, qui detenti fuerunt in carceribus, admitti possint documenta directoris carcerum, vel parochi in cuius paroecia situs est carcer, vel etiam capellani carceris; et quatenus id obtineri nequeat, et contrahens matrimonium mereatur fidem, admitti ipse possit ad iuramentum suppletorium, et quod hoc iuramentum exigi omnino debet quoties habeantur probationes dumtaxat suppletivae. — Et SSmus Emorum PP. suffragium confirmavit.

1284

Circa facultatem Regularium excipiendi saecularium confessiones.

S. C. EE. et RR. *2 Martii 1866.* — 1. An Religiosus non approbatus iuxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, cum sola facultate Ordinarii, valide excipiat confessiones saecularium.

2. An Superiores Regulares iurisdictionem habentes possint suos subditos suspendere ab audiendis confessionibus saecularium etiam ex informata conscientia. Et quatenus *affirmative,*

3. An valeat suspensio oretenus et absque scripto enunciata.

4. An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus, sit valida. Et quatenus *negative,*

5. An qui huiusmodi absolutionem attentat irregularitatem incurrat.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative, ita tamen ut religiosus suspensus illicite non vero invalide confessiones excipiat.

Ad 3. Affirmative, cum feratur per modum praecepti particularis.

Ad 4. Affirmative.

Ad 5. Provisum in praecedentibus.

1285

Nequit consecrari ecclesia absque altaris consecratione.

S. R. C. *3 Martii 1866* — Augustodunen. — 1. An ad alicuius Ecclesiae consecrationem procedi possit, in qua omnia altaria sint consecrata, omittendo ea quae altaris consecrationem respiciunt.

2. An ad ecclesiae consecrationem procedi possit a duobus Episcopis, quorum unus ecclesiae, et alter altaris eiusdem ecclesiae consecrationem peragat.

Ad 1. Negative.

Ad 2. Opponi ritui consecrationis Ecclesiae.

1286

De scholis mixtis.

Instr. S. C. S. Off. *21 Martii 1866* — Iampridem ad Sacram hanc Congregationem quaestio de scholis mixtis, quae per totam fere Helvetiam perniciem rei catholicae minitantur, delata est, tribus propositis dubiis, quorum duo omnibus communia haberi possunt: — 1. An sacerdoti liceat scholarum, de quibus agitur, alumnis catholicis, sive intra earum septa, sive alio, uti in ecclesiam, ad id convocatis fidei christianae documenta speciatim tradere, aut pro eis Capellani (aumônier) quovis munere fungi.

2. An parentibus liceat liberos suos huiusmodi scholis instituendos committere.

Tertium ad Iurae incolas Bernensi Reipublicae addictos pertinet, nimirum:

3. An catholicis Iurassensibus liceat nuntium remittere iuri suo pactis publicis innixo, vi cuius nefas est quemquam in publicis eorum scholis docendi munus obire qui religionem catholicam non profiteatur.

Quemadmodum in re gravissima oportuit, tum diligentem circa rei veritatem ac statum ab Episcopis notitiam conquiri, tum mature agitari conferrique consilia, Sacra Congregatio

curavit. Quibus rebus praemissis de eadem denique dirimenda egit feria IV die 17 Ianuarii huius anni.

An adolescentes scholis mixtis instituendos committere liceat.

Porro praecipuum et capitale dubium quod secundo loco proponebatur visum est: « An li-« ceat parentibus liberos suos huiusmodi scho-« lis instituendos committere » quo in excutiendo vehementer Emos PP. commoverunt tum intrinsecum rei periculum, tum ea quae ad eos ab ipsis Episcopis relata sunt. Itaque omni ope curandum esse censuerunt, ut omnibus patribusfamilias persuadeatur se nihil peius de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri posse, quam ut natos suos in extremam hanc aleam immittant. Cum enim puerilis aetas, pro sua ipsa ingenuitate ac simplicitate, vafrorum hominum seductionibus, nisi diligenter custodiatur, tota pateat, tum vero maxime si iis implicetur rerum adiunctis in quibus eam versari in eiusmodi scholis necesse est. Auctoritas quippe praeceptorum, quae maxime in adolescentium animis valet, ad ea omnia approbanda, quae in iis vident, ex iisve audiunt, naturali quadam vi eos rapit; quo fit ut illorum erga religionem indifferentia, errores ipsi haereticales, catholicaeque religionis contemptus, venenato quodam alitu, tenella pectora inficiat, extinctoque calore omni pietatis, penitus corrumpat. Cui pesti haud minus lethifera accedit haereticorum condiscipulorum contagio, quorum corrupti mores, indita ex sectario dogmate indocilitas, quaeque pueriles animos vehementissime movet, in catholicam fidem atque Ecclesiae praecepta mordax dicacitas, si quid incorruptum, aut firmum in ipsis manserit, labefactent ac perdant necesse est. Quae sane per se gravissima graviorem etiam in molem assurgere Emi Patres perspiciebant, ea considerantes quae ab Episcopis aperiebantur, eo consilio eiusmodi scholas institutas esse ut catholica religio ex istis regionibus extirpetur; eo enim praefixo scopo, nihil industriae, nihil fraudum, nihil adversarum virium praetermissum iri ad contraditam ipsis iuventutem pervertendam nemo non videt.

Neque vero illud quispiam sibi persuadeat immunes ab hac pernicie scholas illas fore quae materiam a religione discretam atque profanam habent. Etenim praeterquam quod eadem in illis ab haereticorum, sive praeceptorum, sive discipulorum, vitae ratione ac familiaritate scandala impendent, novus profecto in humanis rebus sit oportet qui non sentiat etiam in eiusmodi scholis aditum haereticis magistris undequaque aperiri, ut puerilem simplicitatem opportune et importune, data et non data occasione circumveniat, et in laqueos inducat, cuius quo magis inopinae atque occultae sunt artes, eo magis sunt ad perdendum efficaces. Itaque non tantum quae sacris, sed etiam quae profanis disciplinis, non tantum quae metaphysicae aut ethicae, sed etiam quae mathesi aut physicae, aut historiae, aut humanis litteris, aut linguis, aut artibus quibusvis tradendis institutae sunt, periculi atque exitii plenas eiusmodi scholas esse nulla ratione est dubitandum.

Quae sane cum ita se habere apprime nossent Emi Patres, non illud tamen eos praeteribat, peculiaria quaedam rerum adiuncta id efficere posse, ut easdem adire aliquando cogat necessitas; ubi scilicet ea tyrannide opprimantur catholici, ut ad scholas proprias, id est catholicas, adeundas, nulla iam illis aut pateat via, aut suppetat facultas, ideoque in ea sint optione, ut vel necessaria domui suae studiorum subsidia deserant, publicumque ipsum regimen heterodoxis totum relinquant, aut scholas mixtas utut invitissimi subeant. At vero licet id Patribus persuaserit non posse absoluto atque indefinito iudicio aditum ad scholas mixtas omnino improbari, remque potius singulorum Episcoporum prudenti arbitrio religiosaeque conscientiae esse relinquendam, nihilominus ne in re gravissima quisque sese decipiat, duo voluerunt serio moneri quae, cum agitur de subeunda occasione proxima peccandi quae necessaria sit, omnes monent theologi: primo, ut videant Episcopi, ne fucata aut proprie talis non sit ea quae obiicitur necessitas; secundo, ut ab iis ad quorum officium id spectat, remedia omnia studiose adhibeantur, quae ad avertendum perversionis periculum efficacia sint. Et ad primum quod attinet, animadverterunt frustra quempiam necessitatem causari, si ad alias scholas, quae sint mere catholicae, licet in extraneis regionibus sitae, possit liberos suos sine notabili damno mittere. Ad alterum vero quod pertinet, moneri voluerunt plurimum ad hanc rem conferre, planeque esse necessariam unanimem sinceramque concordiam sive laicorum cum clero, sive minoris cleri cum Episcopis, sive omnium inter se, ut dum Episcopi, sive coniuncti de opportunis adhibendis remediis in Synodis provincialibus agunt, sive singuli gregem suum qua voce, qua litteris pastoralibus instruunt et confirmant, a supremis vero reipublicae moderatoribus sive per se, sive gravibus interpositis viris, ut meliorem in dies rerum ordinem et conditiones aequiores impetrent, constanter studioseque curant, dum clerus minor, ac praesertim parochi in catechesibus ac praecipue in his exponendis veritatibus sive fidei sive morum, quae magis ab incredulis atque heterodoxis impetuntur, diligentem operam ponunt, expositamque tot periculis iuventutem magis magisque, qua frequenti Sacramentorum usu, qua pietate in B. Virginem communire student, et ad religionem firmiter tenendam excitant, in omnibus vero iustum ac vehemens desiderium ut eiusmodi religionis ac pietatis offendicula, cuiusmodi certe scholae mixtae sunt, removeantur, prudenter quidem

sed assidue alunt, dum singuli genitores, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilant, ac vel ipsi per se, vel si minus idonei ipsi sint, per alios de lectionibus auditis eos interrogant, libros iisdem traditos recognoscunt, et, si quid noxium in illis deprehenderint, antidota praebent, a familiaritate vero et consortio haereticorum discipulorum omnino arcent et prohibent, omnium simul ac ratione coniunctae et consociatae vires facilius efficaciusque adolescentium salutem tueantur omnemque pestem ab eorum animis avertant. Itaque ad dictum dubium: *An liceat parentibus liberos suos huiusmodi scholis instituendos committere*, responderunt: « Gene- « ratim loquendo non licere, sed in casibus « particularibus iudicio et conscientiae Ordinarii « id esse relinquendum, cuius tamen erit officii « diligenter curare ut non modo a se et a pa- « rochis, verum etiam a singulis genitoribus « opportuna remedia adhibeantur, quibus peri- « culum perversionis ab alumnis removeatur, « simulque eniti apud magistratus ac praesides « ne vis inferatur conscientiae catholicorum, « adhibendo libros qui religioni catholicae sint « infensi, ac denique assidue et instanter mo- « nere et hortari omnes, atque eos praesertim, « quibus facultas est ut liberos suos in alias « regiones mittant ubi catholice educentur ».

An liceat sacerdoti spiritualem catholicorum mixtarum scholarum alumnorum curam sumere.

Ex hisce autem quae de hoc dubio considerata sunt facile ad alterum patuit responsio quod primo loco hisce verbis proponebatur: « *An sacerdoti liceat scholarum, de quibus agitur, alumnis catholicis sive intra earum septa, sive alio, ut in ecclesiam, ad id convocatis fidei christianae documenta spectatim tradere, aut pro eis capellani (aumônier) quovis munere fungi* ». Ex quo enim constat gravissima ac plane extrema iuventuti catholicae in eiusmodi scholis versanti instare pericula, neque profecto cuipiam dubitare licet in extremo gregis periculo teneri vi muneris proprii Episcopos in subsidium accurrere, et sacerdotes ab eo evocatos, ac praesertim parochos, omni studio opem suam conferre, cui tandem veniat in mentem infelices illos adolescentulos in mortis faucibus haerentes negligi ac deseri posse? Qui sane, si culpa propria eo devenissent, eripiendi tamen essent; nunc autem cum non sua sed aliorum culpa eo fuerint perducti, quanto magis aequum est ut sacerdotali cura suscipiantur? Neque vero quidquam movit Emos PP. aut obiecta desperatio fructus, aut concepta spes ex desertione eorum qui eas scholas adeunt ceteros ab iis deterrendi, aut formidata scandali species ne, si populus videat docendi munus in eisdem scholis a sacerdotibus suscipi, eas ab Ecclesia approbari, liciteque ac libere adiri posse existimet. Cum enim agatur de obligatione quae officio sacerdotali inest, palam est non in ea exequenda scandalum timendum esse, quod sane pharisaicum foret, sed potius in eadem negligenda, neque bonum quodvis (pro quo obtinendo facienda mala non sunt) ex eius violatione esse quaerendum, neque denique ob desperationem fructus, quem divinae bonitati committere decet, deseri illum debere. Quicumque enim speculatores domui Israel dati sunt, retinere non sine metu in auribus debent quae Dominus per Ezechielem monuit, nimirum: Si loquuti ipsi non fuerint, ut se custodiat impius a via sua, fore ut impius in iniquitate sua moriatur: at simul sanguis eius de manu eorum requiratur: quod si, curantibus illis impii salutem, nullus ex eorum labore fructus succedat, impium quidem in iniquitate sua periturum, sed illos animam suam omnino liberasse. Itaque praedicto dubio: *An liceat sacerdoti in praedictis scholis fidei christianae documenta tradere aut capellani munere fungi:* respondendum censuerunt: « Affirmative, et ad « mentem: mens est ut non modo fidei christia- « nae tradendae, verum etiam aliarum disciplinarum scholis quotquot fieri potest praefici sa- « cerdotes, aut honestos perspectaeque religionis « laicos curandum sit; quo vero omnis cesset « scandali formido, monendum esse populum « id fieri ut mala quae ex huiusmodi scholis « dimanant, quantum fieri potest avertantur; « idque proinde nemini excusationi esse debere, « quominus liberos suos mittant ad scholas « mere catholicas, in quibus eorum fides ac « mores nullo modo periclitentur ».

Iuri suo in bonum religionis quoad scholas mixtas acquisito nequeunt catholici nuntium remittere.

Restat tertium dubium quod pertinet ad incolas Montis Iurae Bernensi reipublicae addictos quodque ita propositum fuit: *Etiamsi illae (scholae mixtae) utcumque possint tolerari, an catholicis iurassensibus liceat nuntium remittere iuri suo pactis publicis innixo, vi cuius nefas est quemquam in publicis eorum scholis docendi munus obire, qui religionem catholicam non profiteatur.* Cui dubio absque ulla haesitatione Emi Patres respondendum esse censuerunt: « Ne- « gative, sive agatur de expressa, sive etiam « de tacita cessione ex silentio, ac tolerantia « culpabili ». — Itaque licet cavendum sit, ne quid imprudenter agatur quo ad graviora mala inferenda adversariorum excitetur ferocitas, nihil tamen de industria deque constantia remittendum est, quo minus media omnia legitima, quae in catholicorum potestate sint, adhibeantur, ad praedictum ius una cum foederis sanctitate et catholicae religionis indemnitate recuperandum. Qua in re cum de zelo sive Antistitis, cuius iurisdictioni regio illa subiecta est, sive utriusque ordinis, clericalis scilicet et laicalis, Emi Patres minime dubitent, quippe qui praeclara de eodem monumenta habent, tum illud commendare non desinunt ut mutua concordia quam maxime retineatur, quae nisi vigeat, nihil unquam succedere feliciter poterit.

1287

Tabernaculum SS. Sacramenti conopeo tegendum.

S. R. C. *28 Apr. 1866.* — Archiepiscopus Sancti Iacobi de Cile exponens in ecclesiis suae archidioeceseos usum ab antiquo tempore vigere non cooperiendi conopeo tabernaculum, in quo asservatur SSmum Eucharistiae Sacramentum, sed intus tantum velo pulchriori serico, saepe etiam argento aut auro intexto ornari, a S. R. C. humillime declarari petiit: Num talis usus tolerandus sit, vel potius exigendum ut conopeum, ultra praedictum velum, vel sine eo, apponatur iuxta praescriptum in Rituali Romano.

R. Usum veli praedicti tolerari posse, sed Tabernaculum tegendum est conopeo, iuxta praescriptum Ritualis Romani.

1288

De ritus promiscuitate in susceptione Eucharistiae et in celebratione Missae solemnis.

S. C. de Prop. F. *30 Apr. 1866* (C. G.) — 1. Se i fanciulli di rito orientale, ove si consacra in fermentato, pel tempo che dimorano negli stabilimenti di educazione, nei quali in vigore di rescritto pontificio tutti usano dell' azimo, possano qualche volta venir condotti alla propria chiesa per ricevervi la S. Comunione in fermentato.

2. Se un sacerdote maronita od armeno (che usano dell' azimo) possa amministrare il Sacramento dell' Eucaristia... consacrato secondo il rito latino, e viceversa.

3. Se un sacerdote o diacono del rito orientale, particolarmente di quelli che consacrano in azimo, conoscendo la lingua latina possa assumersi in qualità di diacono o suddiacono nella Messa solenne celebrata in rito latino.

R. Ad 1. Affirmative (1).

Ad 2. Affirmative, dummodo sacerdos linguam et caeremonias proprii ritus adhibeat, et dummodo, quoad armenos, de iis locis agatur in quibus servatur apud ipsos usus communicandi sub una tantum specie.

Ad 3. Negative.

1289

Baptismi collatio a praescriptis caeremoniis haud seiungenda.

S. C. S. Officii *2 Maii 1866* — Hu-nan — 1. Nel conferire il Battesimo nell' Hu-nan a quegli adulti sui quali nel Sutchuen sono stati già praticati gli esorcismi e le cerimonie fino all' ammissione del sale nella bocca, debbono sopra di essi ripetersi i detti esorcismi e cerimonie?

2. Se possano coabitare e dormire insieme i fanciulli ammogliati prima della pubertà nel paganesimo secondo il costume cinese, e convertiti dipoi con tutta la famiglia al cristianesimo.

De cohabitatione christianorum impuberum qui in infidelitate matrimonium contraxerunt.

3. Se nelle feste cinesi che hanno luogo nel quinto giorno del quinto anno cinese, e nella fine di ciascun anno si possono ricambiare i donativi coi pagani per non sembrare di violare le leggi della civiltà.

Circa quaedam obsequia inter christianos et ethnicos.

R. Ad 1. Collationem baptismi adultorum, de quibus in casu, non posse nec debere seiungi a caeremoniis praescriptis iuxta Rituale Romanum.

Ad 2. Christianos impuberes, qui in infidelitate matrimonium contraxerunt, nisi in iisdem malitia, id est potentia, suppleat aetatem, separandos esse quoad torum, et, si prudenter fieri poterit, a missionariis curandum ut etiam separentur quoad habitationem, iniuncto tamen onere vivendi maritaliter cum ad aetatem pubertatis pervenerint, dummodo huiusmodi matrimonia non probentur irrita ob aliquod impedimentum iuris naturalis vel divini, et praesertim ob defectum veri consensus.

Ad 3. Obsequia, de quibus in casu, dummodo sint mere politica, et nullum adsit scandalum, tolerari posse.

1290

Circa sepulturam et exequias pro iis qui seipsos occiderunt.

S. C. S. Off. *16 Maii 1866.* — Constantinop. — Se sia lecito di dare sepoltura ecclesiastica, e celebrare solenni esequie e Messa pei suicidî.

R. Moneantur parochi et missionarii ut in singulis casibus, quibus praesens dubium refertur, recurrant, quoad fieri potest, ad Ordinarium. Regula (autem) est, non licere dare ecclesiasticam sepulturam seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem signa dederint poenitentiae. Propterea quando certo constat de iracundia vel desperatione negari debet ecclesiastica sepultura, et vitari debent pompae et solemnitates exequiarum. Quando autem certo constet de insania, detur ecclesiastica sepultura cum solemnitatibus exequiarum. Quando tandem dubium superest utrum mortem quis sibi dederit ob desperationem vel ob insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum.

---

(1) In litteris ad Vic. Ap. Constantinop. (19 Iunii 1866) notatur quod sequitur: « È mente del S. Padre che la determinazione dei giorni in cui potranno « i fanciulli orientali venir condotti alla chiesa del loro « rito per ricevere la S. Comunione, debba rimettersi « al prudente arbitrio dei superiori degli stabilimenti « di educazione contemplati nel primo dei surriferiti « dubbi ».

1291

De electione Episcoporum Australiae.

Decr. S. C. de Prop. F. *19 Maii 1866* (PRO ELECT. EPISCOPORUM AUSTRALIAE) — Quum ad Catholicae Ecclesiae utilitatem atque ad animarum salutem promovendam nil magis conferre compertum sit, quam ut Dominico gregi sacrorum Antistites doctrina ac prudentia insignes praeficiantur, idcirco S. Sedes peculiare quovis tempore studium in negotio electionis Episcoporum adhibendum curavit. Quam utique in rem sapientissimae extant canonicae sanctiones, variae quidem pro varietate temporum ac regionum, ac specialibus semper et temporum et locorum adiunctis accommodatae. Nil igitur mirum si pro regionibus, ubi novae passim efformantur civitates, novaeque proinde dioeceses institutae sunt, atque in posterum instituendae praevidentur, Sacrum Consilium Christiano Nomini Propagando, certam methodum ac peculiaribus locorum conditionibus cohaerentem servari statuerit, qua Sedes Apostolica exploratam notitiam sacerdotum ad episcopale officium ac dignitatem promovendorum assequi valeat. In hunc porro finem a Sacro Consilio Chr. Nom. Prop. sub die 24 Ianuarii anni 1861 ad universos foederatorum Americae statuum Episcopos datae sunt literae, quibus optima methodus pro commendatione candidatorum ad episcopale munus eligendorum decernitur atque sancitur. Quandoquidem vero magna Australiae regio in iisdem fere versatur adiunctis, quibus Status Borealis Americae inveniuntur, idcirco Emi ac Rmi Patres laudati Sacri Consilii in comitiis generalibus habitis die 20 Martii 1866 easdem normas ad Australiam extenderunt; quae quidem ad sequentia capita reducuntur.

1. Omnes ac singuli Australiae sacrorum Antistites, tertio quoque anno, tum Metropolitano provinciae suae, tum Sacrae Congr. de Prop. Fide nomina sacerdotum exhibebunt, quos dignos atque idoneos ad munus episcopale obeundum existimaverint. Id vero secretissime praestabunt, ne forte cuiuspiam ambitio excitetur.

2. In notulis eiusmodi conficiendis maxima pro viribus utentur cura, ut de qualitatibus eorum qui commendantur, certiores fiant.

3. Quum aliqua Sedes vacaverit sive Episcopalis sive Metropolitana, Antistites omnes, ad quos pertinebit summo Pontifici commendare viros ecclesiasticos, ut eorum unus vacanti Ecclesiae praeponatur, in Synodum, si intra tres menses locum habeat, aut in specialem coetum convenient, ut trium saltem proponendorum qualitates discutiant ad tramitem quaestionum quae hanc in rem typis impressae praesentibus literis apponuntur. *(V. pag. 661 in Nota).*

4. Antequam vero praedictus conventus convocetur, ad Archiepiscopum vel seniorem provinciae Episcopum eorum nomina transmittentur, quos singuli Antistites commendandos esse putaverint.

5. Qualitates candidatorum publice in coetu Episcoporum discutientur, praesidente Archiepiscopo vel seniore provinciae Antistite: suffragia vero secreto in urnam immittentur.

6. Acta conventus ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide ab Archiepiscopo, vel Episcopo provinciae seniore deferentur.

7. Quod pertinet ad electionem Coadiutorum, excepto casu, quo Sedes Apostolica alia ratione agendum esse statuerit, Episcopus, qui coadiutorem petit, supplicem libellum de ea re ad S. C. mittet, eiusque habita venia, nomina trium sacerdotum Archiepiscopo et Episcopis suffraganeis significabit, qui eidem S. Congregationi mentem suam de coadiutore eligendo communicabunt.

8. Cum in Australia provincias ecclesiasticas multiplicari contigerit, de commendandis candidatis pro sedibus vacantibus agetur in coetibus Episcoporum comprovincialium, addita tantum obligatione scribendi ad Metropolitanum vel Episcopum non comprovincialem quum de canditatis a provincia extraneis res erit.

9. Ubi vero novus Archiepiscopus vel Archiepiscopi coadiutor eligendus fuerit, omnes circa eiusmodi electionem Australiae Metropolitani consulentur.

10. Omnibus denique notum esse debet in literis de supradictis rebus pertractantibus ad S. Sedem transmittendis, nihil inveniri debere quod electionem, nominationem, postulationem innuat, sed tantum proprie dictam commendationem, ita ut etiam ex litterarum forma pateat nullam in S. Sedem inferri obligationem eligendi aliquem ex commendatis: salva enim manere debet et illaesa Sedis Apostolicae libertas in eligendis Episcopis; commendationes vero lumen tantum et cognitionem S. Congregationi non autem obligationem afferent.

Notandum: *In Concilio Plenario Australasiae, quod a S. C. de Prop. Fide recognitum est decreto 1 Maii 1887, haec statuta sunt:*

1. Episcopus iuxta facultatem a Sancta Sede acceptam non omittet, durante vita, scripto designare sacerdotem dioecesanum qui sede vacante eam administret. Si vero Episcopus in hoc negligens fuerit, Archiepiscopi metropolitani erit pro suffraganeis sedibus Administratorem deputare, senioris vero suffraganei pro archiepiscopali sede. Hic autem Administrator eligatur ex consultoribus vel rectoribus parochialibus vacantis dioecesis.

2. Administratore convocante convenient ad cathedralem ecclesiam intra quindecim dies consultores dioecesani et rectores inamovibiles va-

cantis dioecesis qui secreto suffragio in scriptis tria nomina proponent ecclesiasticorum quos digniores et magis idoneos iudicaverint ad episcopale munus gerendum, ut Episcopi provinciae ea nomina prae oculis habeant in proponendis Sedi Apostolicae candidatis.

3. Consultoribus et parochialibus rectoribus ita congregatis praesideat Archiepiscopus, vel aliquis Episcopus suffraganeus ab ipso delegandus; si vero de Sede Metropolitana vacante agatur, congregatis praesideat suffraganeus consecratione antiquior, vel eo impedito, alius Episcopus suffraganeus ab ipso delegandus.

4. Antequam ad suffragia ventum fuerit, consultores et parochiales rectores iuramentum emittant se neque gratia neque favore induci ad suffragium ferendum.

5. Verbale huius conventus, propria, et secretarii subscriptione signatum statim mittet Praeses ad Provinciae Episcopos et debito tempore etiam ad S. C. de Prop. Fide.

6. Die constituta Episcopi provinciae convenient et nomina a clero sic proposita vel alia ab ipsis proponenda, iuxta Instructionem S. Congregationis die 19 Maii 1866 datam discutient, et notulam trium candidatorum Sanctae Sedi exhibendam conficient. Quod si nomina a clero proposita haud probanda esse iudicaverint, rationes suas seu motiva S. Congregationi exponere non omittant.

7. Quoad cetera, praedicta Instructio S. C. in omnibus accurate servetur.

8. Si vero agatur de designando Episcopo coadiutore cum iure successionis, die ab Archiepiscopo statuta convenient consultores et parochiales Rectores; praesidebit Archiepiscopus vel, illo deputante, Episcopus, pro quo Coadiutor eligendus est, vel utroque impedito, alius suffraganeus ab Archiepiscopo deputatus. Quoad cetera norma supra tradita pro Episcopi electione vacante Sede observetur.

9. In electione Episcopi pro dioecesi noviter erecta, convocantur ab Archiepiscopo consultores dioecesis vel dioecesium e quibus nova dioecesis formata est, et rectores parochiales si qui sint in nova dioecesi. Quoad reliqua normam iam traditam sequantur.

1292

De servandis in admissione puellarum schismaticarum in collegia catholica.

S. C. S. Off. *11 Iunii 1866* — LEOPOLIS — Domus Religiosarum SS. Cordis D. N. I. C. fundata est Leopoli anno 1844, et a quatuordecim annis puellae schismaticae ex Moldavia una cum catholicis in eadem non solum in scientiis profanis sed etiam in religione catholica educantur, cum parentes earum schismatici id diserte petierint et petant. Proportio inter numerum puellarum catholicarum et schismaticarum non semper fuit eadem: nunc vero a quinque iam annis schismaticae tertiam circiter partem omnium illius domus alumnarum efficiunt. Praeter institutionem catholicam, communem quoque habent praefatae puellae schismaticae cum catholicis lectionem piam et communia exercitia spiritualia; atque simul cum illis sacrificio Missae quotidie intersunt; communiter quoque omnes orabant, sed ego (Archiep.) praedisposui, ut separatae a catholicis puellis orent (hae) lingua polonica, schismaticae vero gallica. Iuxta petitionem parentum schismaticorum aliae puellae, sub inspectione personae fide dignae, semel vel bis in anno ad ecclesiam schismaticam ducuntur, ut sacramenta secundum suam confessionem percipiant; aliae vero ab iisdem percipiendis abstinent. Haec praxis in instituto Sororum SS. Cordis non fuit quidem ab Ordinariis loci approbata, quia Religiosae nunquam Ordinariatui officiosam de ea exhibuerunt relationem; sed tamen privatim ad Ordinariorum loci notitiam pervenit, qui eam tolerarunt *etc.*

R. Tolerari posse ut puellae schismaticae in collegium admittantur quod Leopoli Sorores a SSmo Corde D. N. I. C. nuncupatae dirigunt, dummodo bonam praeseferant indolem, iuxta exposita instituantur, nec tamen obligentur ad assistendum Missae Sacrificio aliisque functionibus ecclesiasticis, verum id earum arbitrio relinquatur, vetito quidem ne unquam disputationes cum puellis catholicis habeant de rebus ad religionem spectantibus; ne templum adeant schismaticum a ministris schismaticis sacramenta recepturae: quod si in aliquo casu id impediri nullo modo possit, Sorores passive se habeant; et pariter vetito, ne puellae ab amicis et coniunctis, exceptis parentibus et tutoribus, absque licentia Ordinarii visitentur; de quibus omnibus clare et explicite instructi fiant, et in iis consentiant parentes vel tutores earumdem puellarum antequam ipsae ad collegium admittantur. Idque scribatur R. P. D. Archiepiscopo Leopoliensi Latinorum cum advertentia ut curet omnium horum executionem, et bonum spirituale puellarum quoad fieri poterit etiam post egressum e collegio; *et instruantur Sorores quod si aliqua ad fidem catholicam converti petat, res ad ipsum Archiepiscopum erit deferenda, qui iuxta casus adiuncta prudenter providebit,* et sedulo caveat, ne ex admissione schismaticarum ullum ne minimum quidem perversionis vel indifferentismi periculum puellis catholicis subsit.

1293

Circa polygamiam, nuptias, baptismum, servos, inimicitias, superstitiones etc.

Instr. S. C. S. Off. *20 Iunii 1866* — PRO VIC. AP. AD GALLAS. — Delata sunt ad hanc S. C. Supremae Inquisitionis plurima dubia quae proposuit R. P. D. Guillelmus Massaia Vicarius

Apostolicus apud Gallas in Africa, quaeque in octo diversas classes distingui commode possunt. Prima classis respicit polygamiam simultaneam tam ex parte viri, quam ex parte uxorum ; altera modum quo filiaefamilias nuptui traduntur ; tertia baptismum eorum qui perversionis periculo praevidentur obnoxii ; quarta emptionem, venditionem, fugam, coercitionem, matrimonia servorum ; quinta inimicitias, communis vindictae nomine, inter gallarum independentium tribus exerceri solitas ; sexta rationem agendi missionariorum cum hominibus e casta *mangiò* sive *vojto ;* septima ritus complures de superstitione suspectos, qui vigent in regione gallarum ; octava tandem nonnulla decreta ab ipso Vic. Ap. lata, quae nunc S. Sedis iudicio subiiciuntur. Quibus omnibus dubiis mature perpensis, Emi Inquisitores Generales per sequentem instructionem respondendum esse censuerunt.

De viris polygamis convertendis.

I. *Prima dubiorum classis.* — « 1. Utrum « viro polygamo se ad fidem convertere volenti « concedi possit libera electio inter plures uxo- « res quas habet, quasque omnes iisdem sole- « mnitatibus duxit : an vero obligationem ha- « beat retinendi primam plerumque aetate pro- « vectiorem, minusque ab eo dilectam.

« 2. Quatenus vir polygamus obligetur ad « retinendam primam uxorem, reliquis aliis « dimissis, nec tamen huic obligationi satis- « facere velit, an hac una de causa negandus « ei sit absolute baptismus, quem ipse sincere « desiderat, etiam eo casu quo ex eius conver- « sione sperari probabiliter posset multorum « aliorum conversio.

« 3. An saltem locum habere queat antiqua « ecclesiastica disciplina admittendi hos polyga- « mos in numerum catechumenorum, ut tempus « habeant ad considerandum, et expectentur in « articulo mortis quando omnes cessabunt dif- « ficultates.

« 4. Utrum quaecumque ex uxoribus poly- « gami in sua infidelitate obstinati, qui bapti- « zari desideret, frui valeat privilegio quod « Apostolus Paulus concedit mulieri fideli ma- « nendi cum viro infideli pacificae cohabitationi « consentiente ; an vero eiusmodi privilegium « pertineat dumtaxat ad primam omnium uxo- « rum cum caeterarum exclusione.

« 5. Quatenus impossibilis sit pacifica coha- « bitatio cum marito in sua infidelitate obsti- « nato, an missionarius debeat exigere separa- « tionem, etiamsi adsit periculum mortis, et « mulier nondum fuerit baptizata.

« 6. Quatenus privilegium Pauli Apostoli « ad primam uxorem tantummodo spectet cum « exclusione reliquarum posteriorum, utrum si « qua ex his uxoribus posterioribus cupiat fieri « christiana, possit baptizari remanens passiva « in sua uxoris vel potius veri mancipii con- « ditione, et praeseferens dispositionem cedendi « dumtaxat violentiae, sed nunquam quaerendi « debitum coniugale ; an exigi omnino debeat « separatio etiam cum probabili mortis pe- « riculo ».

Porro in hisce omnibus nullum vero dubio locum dari Emis PP. visum est. Exploratissimum principium est, matrimonium infidelitatis tempore a viro cum femina celebratum, vivente alia cum qua anteriori se coniugio obstrinxerat, nullum et irritum esse tum lege divina tum naturali. Hinc ubi constet virum infidelem voluisse verum matrimonium, non simplex contubernium inire cum prima, quam accepit, muliere, nec ullum huic matrimonio obstitisse iuris naturalis impedimentum, prima illa mulier habenda est pro iusta ac legitima uxore ; omnes autem aliae quibus, illa non adhuc morte sublata, vir postea nupserit, pro adulteris et concubinis. Debet igitur polygamus uxorem tempore priorem, quae sola iusta ac legitima uxor est, retinere ; ceterasque tamquam adulteras et concubinas dimittere. Atque haec obligatio a lege divina et naturali dimanans, nedum per polygami conversionem relaxetur, magis e contrario magisque urget ; ita ut nullo modo liceat baptizare polygamum qui ad praedictam obligationem implendam minime promptum ac paratum se exhibeat. Uno tantum casu cessat haec obligatio, et liberum fit polygamo ad christianam religionem converso vinculum coniugale dissolvere prioris soliusque legitimae uxoris, et alias contrahere nuptias cum femina christiana quam ipse maluerit, quando nimirum locus esse potest privilegio in favorem fidei a Christo Domino concesso et a Paulo Apostolo promulgato. Ea vero est privilegii Paulini vis ut matrimonium ab infidelibus in statu infidelitatis initum et consummatum solvatur cum, altero coniugum ad fidem converso, alter neque converti vult, neque sine contumelia Creatoris cohabitare consentit. Patet proinde 1. hoc privilegium competere dumtaxat vero legitimoque marito erga veram legitimamque uxorem, et viceversa ; patet 2. non posse coniugem conversum hoc privilegio frui nisi post susceptum baptisma, et post interpellationem alteri coniugi rite factam de evangelica veritate amplectenda, et pacifica cohabitatione permittenda ; patet 3. nullum huic privilegio esse posse locum, si ambo simul legitimi coniuges ad fidem convertentur. Quod autem pertinet ad interpellationem, duo praeterea adnotanda sunt : primum, polygamis infidelibus christianam religionem amplectentibus simul cum una ex concubinis suis concedi ab Apostolica Sede ut tantummodo circa conversionis propositum interpellare teneantur ; alterum, cum infidelibus quibuscumque ad fidem conversis posse ex eiusdem Apostolicae Sedis auctoritate dispensari ut interpellationem utramque omittant, quoties haec aut fieri reipsa ne-

queat, aut, si fieret, nullius utilitatis fore reputetur, iuxta ea quae a s. m. Bened. XIV. lib. 13 cap. 21 *de Synodo dioecesana* traduntur.

Ex doctrinis hactenus declaratis aperte fluit responsio ad proposita dubia. Etenim in *primo dubio* plures illae mulieres, quas habet polygamus, uxoris nomine omnes indicantur omnesque ductae fuisse dicuntur iisdem solemnitatibus. Cum igitur regulariter loquendo prima tantum ex eis sit iusta et legitima uxor, hanc polygamus post conversionem suam retinere certissime debet, si et ipsa converti velit, vel saltem pacifice cohabitare. Quod si nolit converti, tunc sane poterit vir uti privilegio paulino, et eligere inter alias quam maluerit, dummodo et ipsa fidelis fiat, et renovetur consensus per verba de praesenti. Sed in hypothesi *secundo dubio* expressa, quod nimirum vir debeat retinere priorem uxorem, et tamen id exequi obstinate recuset, omnino arcendus est a baptismo, quem perperam sincero animo desiderare asseritur, quandoquidem voluntas persistendi in peccato conciliari nequeat cum sincero conversionis et baptismi desiderio. Absurdum autem est quaerere an saltem ob speratam multorum aliorum conversionem baptizari possit monente per Apostolum Paulum Spiritu Sancto non esse facienda mala ut eveniant bona. Propterea nec in catechumenorum numerum (quod *tertio dubio* postulatur) pertinax huiusmodi polygamus recipiendus est; id enim et christiano nomini, baptizatis atque cathecumenis olim communi, dedecus aspergeret, et refragaretur sanctissimae disciplinae Ecclesiae, quae abusum differendi baptismatis usque ad exitum vitae gravissime semper improbavit et detestata est. Non tamen missionarii desistere debent a miseris hisce hominibus in omni patientia et doctrina instruendis, et maiori qua poterunt, efficacia ad perfectam conversionem excitandis: neque vetitum est quominus iidem possint in articulo mortis baptizari, si vere dispositi fuerint. *Quartum dubium* oritur ex falsa privilegii paulini interpretatione, quod profecto non servandi, sed contra dissolvendi vinculi coniugalis facultatem impertit, nec cuicumque ex polygami uxoribus competit, sed uni dumtaxat legitimae, quae prima esse solet. Reliquae autem utpote in turpi concubinatu versantes, debent omnino, etiam cum periculo mortis adulterinum commercium abrumpere. Quoad *quintum dubium* examinari accurate debent casus particulares, et investigari dispositiones animi mulieris baptismum petentis, et si qua gravis occurrat difficultas ad S. Sedem recurrendum erit. Neque ad baptismum concubinae regulariter admittendae sunt, quemadmodum petitur in *sexto dubio*, nisi prius sese reipsa a polygamo separaverint; quod plenius et enucleatius in instructione diei 28 Martii anni 1860 declaratur *(V. n. 1188)*.

II. *Secunda dubiorum classis:* — « Filiae- « familias in regione tam Gallarum quam Si- « damarum traduntur in matrimonium incon- « sultae, saepe etiam invitae, aliquando iussu « principis sine ullo ipsorum parentum con- « sensu, plerumque nulla habita ratione diver- « sae religionis, quam vir et mulier profiten- « tur. Quaeritur proinde:

De puellis quae in matrimonium viris etiam infidelibus inconsultae et invitae traduntur.

« 7. An filiafamilias sic data in matrimo- « nium debet esse disposita potius ad morien- « dum quam ad consentiendum, etiamsi solum « passive, ut tradatur marito musulmano, aut « idololatrae, aut polygamo.

« 8. Quatenus tradita sit per vim marito « adhuc libero, quem tamen absolute ipsa non « amat et non vult, utrum missionarius possit « eam exhortari ut faciat de necessitate virtu- « tem, suumque praestet assensum ad legiti- « mandum et convalidandum matrimonium vi « contractum; an satius sit eamdem relinquere « in statu concubinatus passivi, expectando pos- « sibilem eius libertatem futuram.

« 9. Utrum dum infelix haec puella in statu « passivo continuae violentiae detinetur, possint « ei administrari sacramenta, an debeant ne- « gari sicut illis qui versantur in occasione « peccati ».

Certum est unumquemque hominem sic animo comparatum esse debere, ut potius eligat mori, quam vel uno peccato foedari. Certum quoque est gravissimum committi peccatum si matrimonium contrahatur scienter cum impedimento aliquo dirimente. Certum tandem est matrimonio inter puellam christianam et virum musulmanum aut idololatram aut polygamum obstare impedimentum dirimens ligaminis, vel disparitatis cultus, vel utrumque simul. Quapropter ambigi nullatenus potest, quin filiafamilias, de qua sermo fit in dubio 7, quaeque supponitur christiana, debeat esse disposita potius ad moriendum quam ad consentiendum quomodocumque ut tradatur in matrimonium viro musulmano, aut idololatrae, aut polygamo. Poterunt tamen missionarii providere per legitimam dispensationem, iuxta facultates, siquas habent, dummodo concurrant debitae conditiones.

Sed praecipue assiduam atque indefessam curam impendant, ut iniquissimam consuetudinem, qua filiaefamilias christianae, non inconsultae modo et invitae, verum etiam polygamis et infidelibus viris nubere coguntur, e radicibus evellant, docendo, admonendo, et a sacramentorum etiam participatione repellendo christianos illos parentes qui divinam, naturalem et ecclesiasticam legem tam enormiter tamque ingenti filiarum suarum iniuria ac discrimine proculcare nequaquam horrescunt. In casu autem, qui *octavo* et *nono* dubio exponitur, potest certe femina suaderi ut consensum suum adiungat, ubi nihil desideretur

aliud ad matrimonium convalidandum, sed cogi nequaquam potest, quia matrimonium iure naturali liberum esse debet. At si consensum praestare detrectet, Vicarius Apostolicus et missionarii se gerant iuxta regulas apud probatos auctores traditas.

De baptizandis puellis quae forsan viris infidelibus vel polygamis in matrimonium tradentur.

III. *Tertia dubiorum classis:* — « 10. Utrum « propter periculum ne filia tradatur in matri- « monium viro musulmano, vel ethnico, vel sim- « plici polygamo christiano, possit sine impru- « dentiae nota administrari baptismus puellis « sive infantibus sive adultis, quando ceteroquin « necessarias habeant dispositiones ad eum su- « scipiendum, antequam determinetur vir, cui « tradentur in matrimonium ; an expectandum « sit donec stabilitum fuerit matrimonium.

« 11. An propter periculum ne servi heris « musulmanis vel ethnicis cum fidei discrimine « vendantur, possit illi conferri baptismus in in- « fantia aut etiam in aetate adulta, quamdiu « eiusmodi periculum perseverat, eorumque « dominus non iurat contrarium ».

Ad 10. dubium quod attinet distinguendum est inter puellas infantes et puellas adultas. Illae, ubi nihil aliud obstet praeter futurarum nuptiarum periculum, admitti tutissime possunt ac debent ad baptismum, non enim aequum est ut pro incerto multumque adhuc remoto eventu a certo consequendae baptismatis gratiae beneficio repellantur. Puellae vero adultae, vel nondum nubiles sunt, vel iam quidem nubiles sed nondum in matrimonium promissae, vel iam desponsatae viris infidelibus aut polygamis. In primo et in altero casu non est cur denegetur aut differatur baptismus, modo puellae supradictae necessarias habeant dispositiones; quandoquidem periculum ineundi irritas cum infidelibus nuptias, in iisque postea violenter permanendi, certo proximeque non imminet, et potest aliunde pluribus modis amoveri. At in tertio casu nullatenus expedit eas ante matrimonium baptizare, tum propter difficultatem non minimam legitimae dispensationis obtinendae, tum ob gravissimum periculum ne transeant ad nuptias, etiam non dato dispensationi loco, quae certe indulgeri nequit super impedimentis iuris naturalis. Satius igitur erit baptismum differre, quam proximae profanationi exponere. Si qua autem ob peculiares circumstantias gravesque causas baptizanda iudicetur, omnino requiritur talis eius animi dispositio, ut, si dispensari nequeat, potius mori velit, quam sacrilegum irritumque matrimonium contrahere (1).

Undecimum dubium maiorem continet difficultatem circa infantes, quam circa adultos. Nam praevisum perversionis periculum eatenus baptismus ne conferatur impedit, quatenus per opportunas instructiones removeri nullo modo potest. Quo constituto principio, sequitur servos utriusque sexus adultos, qui rite dispositi sunt, et christiana instructione praemuniri queunt, baptizandos esse, etiamsi eorum dominus promittere neget se nunquam id commissurum ut eos infidelibus divendat. De servis adhuc infantibus considerare oportet num ipsi obnoxii sint periculo transeundi in potestatem infidelium post adeptam adolescentiam, vel ante superatam infantiae aetatem. In priori hypothesi, quoties nihil aliud eorum baptismo obstet praeter supradictum periculum, et spes aliqua effulgeat christianae eorum educationis, sacro lavacro licite abluuntur; quod item licite eis administratur in posteriori hypothesi, si vel a parentibus christianis offerantur, vel morti proximi reperiantur. Ceteris vero in casibus consulant missionarii, et fideliter observent sapientissimas praeceptiones quas s. m. Benedictus XIV tradit super hoc argumento in sua ad Archiepiscopum Tarsensem epistola quae hic adiungitur *(V. n. 360)*.

De servorum emptione et venditione.

IV. *Quarta dubiorum classis, de servorum emptione et venditione.* — « Servitutis proprie « dictae conditio apud Gallas et Sydamas tam « stricte cohaeret cum sociali eorum statu, ut « impossibile fere sit domum inter eos sine « mancipiis figere et retinere. Illic enim repe- « rire non est servos conducticios, et quilibet « paterfamilias omnia prorsus sibi suaeque do- « mui comparare debet, sive quae e terra gi- « gnuntur, sive quae hominum industria fiunt. « Praeterea mancipia habentur veluti principalis « commercii materia, immo valent quadam- « tenus pro numerata pecunia, eademque saepe « ad solutionem debiti vel principis iussu, vel « legum ipsarum praescripto creditores acce- « ptare tenentur. Quae cum ita se habeant, « quaeritur :

« 12. An liceat christianis apud Gallas et « Sidamas mancipia emere, et in debiti solu- « tionem, aut in donum recipere, quotiescum- « que id agant propter domus vel familiae suae « necessitates, sine animo eadem mancipia re- « vendendi.

« 13. An familia aliqua christiana non « lucri faciendi consilio, sed tantum ob gravem « victus comparandi, vel debitorum solvendo- « rum necessitatem, possit licite aut tradere in « pretium, aut vendere servum quem possidet.

« 14. An liceat admittere ad sacramento- « rum participationem christianum quemdam « negotiatorem, qui a servis quaestus causa « emendis et vendendis abhorrere quidem so- « let, sed ne detrimentum rei familiaris patia- « tur, servos aliquos revendere vult, quos olim « nobilium emptorum praepotentia recipere co- « actus est pro mercium suarum pretio.

« 15. An christiani, ipsique adeo missio-

(1) Synodus Sutchuensis Cap. II de Baptismi Sacramento n. 7.

« narii licite possint interesse tamquam testes, « vel sequestres, vel alio nomine contractibus, « iudiciis, aut aliis id genus publicis actibus, « qui secundum gentium illarum leges fiunt « circa servos ».

Etsi Romani Pontifices nihil intentatum reliquerint quo servitutem ubique gentium abolerent, iisdemque praecipue acceptum referri debeat quod iam a pluribus saeculis nulli apud plurimas christianorum gentes servi habeantur; tamen servitus ipsa per se et absolute considerata iuri naturali et divino minime repugnat, pluresque adesse possunt iusti servitutis tituli quos videre est apud probatos theologos sacrorumque canonum interpretes. Dominium enim illud, quod domino in servum competit non aliud esse intelligitur quam ius perpetuum de servi operis in proprium commodum disponendi, quas quidem homini ab homine praestari fas est. Inde autem consequitur iuri naturali et divino non repugnare quod servus vendatur, ematur, commutetur, donetur, modo in hac venditione, emptione, commutatione, donatione, debitae conditiones accurate serventur quas itidem probati auctores late persequuntur et explicant. Quas inter conditiones illa praecipuum sibi vindicat locum, ut emptor diligenter examinet, num servus qui venum exponitur iuste an iniuste libertate sua privatus fuerit, et venditor nihil committat, quo servi ad alium possessorem transferendi vita, honestas, aut catholica fides in discrimen adducatur. Christiani igitur, de quibus in dubio primo sermo fit, licite possunt servos emere atque in debiti solutionem, vel in donum recipere, quoties moraliter certi sint servos illos neque legitimo eorum domino sublatos, neque iniuste in servitutem fuisse abstractos. Si enim servi qui ad emendum offeruntur, legitimo eorum domino ablati fuerunt, non licet eos emere, quia nefas est alienas res furto ablatas emere invito domino. Si autem iniuste in servitutem redacti fuerunt, distinguendum est num se christianis venum ire aut donari detrectent, vel consentiant. Si detrectant, emi aut recipi nequaquam possunt, ipsi enim captivi domini sunt propriae libertatis, quamvis iniuste iis ereptae. Si vero postquam plene edocti fuerint iure sibi libertatem competere, a qua nonnisi aliorum iniuria exciderunt, ultro et sponte sua, et ex libera et propria voluntate tamquam rerum suarum domini se exhibeant christianis ut ab eis recipiantur et detineantur in servitutem, eo prudenti consilio ut a dura servitute praesenti, a qua ipsis datum non fuerit alio modo se emancipare, mitiorem apud dominos christianos servitutem sortiantur, penes quos etiam facile sibi persuadere poterunt, venire posse in cognitionem veri Dei cultus, eumque inaestimabili animarum suarum compendio profiteri, in his sane circumstantiis permitti poterit christianis, habito etiam respectu ad favorem fidei, ut possint eiusmodi captivos iusto pretio aut alio iusto titulo acquirere, et in propriam servitutem redigere et retinere, dummodo eo animo sint ut eos tractent secundum praecepta charitatis christianae, et curent etiam rudimentis fidei illos imbuere, adeo ut, si fieri poterit, in libertatem filiorum Dei, quae in sola catholica ecclesia est, nulla tamen coactione facta, sed tantummodo opportunis suasionibus et hortationibus, libere et feliciter traducantur per eorum conversionem ad veram fidem. Et hac de re prae oculis habeatur instructio s. m. Pii VI *(12 Sept. 1776)* quae adnectitur. *(V. n. 515).*

Quemadmodum vero servi licite emi, ita licite quoque vendi possunt, sed necessarium omnino est ut qui vendit legitimus sit servi possessor, nihilque in venditione committat quo servi alienandi vitae, honestati, aut catholicae fidei noceatur. Quare illicitum est servum vendere, aut quomodocumque in proprietatem cedere alicui domino, qui certo aut probabili iudicio praevideatur servum eumdem inhumaniter habiturus, vel ad peccatum pertracturus vel eodem abusurus ad iniquissimum illud commercium exercendum, quod Apostolicis Romanorum Pontificum, ac praesertim s. m. Gregorii XVI constitutionibus reprobatur districteque prohibetur. Illicitum pariter est servum alienare, nulla prorsus habita ratione iurium et officiorum matrimonialium ipsius servi. Multo magis illicitum est servum christianum vendere domino infideli, aut etiam, ubi perversionis periculum prudenter timendum sit, domino haeretico vel schismatico. Haec si Vicarius Ap. probe teneat, aperte videbit, quid respondendum sit ad 13, 14 et 15 dubium. Nihil enim impedit quominus familia christiana, de qua agitur in dubio 13, servos suos vendere tuta conscientia queat, si ipsos legitime possideat, et cautiones supra descriptas in venditione observet. Sic etiam negotiator in dubio 14 memoratus poterit ad sacramenta admitti, si constet, servos, qui ei pro mercium pretio obtigerunt, neque per furtum legitimo eorum domino subductos, neque iniuste in captivitatem redactos fuisse, ac praeterea spondeat, se eos honestis conditionibus ita venditurum esse, ut nihil ex eiusmodi venditione laedantur vel periclitentur iura et officia, quae illis tamquam hominibus, et, si christianam fidem amplexi fuerint, tamquam fidelibus competunt. Tandem de dubio 15 statuendum est christianos ipsos, etiam missionarios, interesse posse ut testes et sequestres aliove nomine per sacros canones non prohibito, contractibus, iudiciis, aliisque id genus publicis actibus servorum causa fieri solitis, qui tamen et in se liciti sint, et nulla prava circumstantia vitientur.

Circa servos fugitivos.

V. Sequitur *quarta dubiorum classis, de servis fugitivis.* — Mancipium iuxta leges Galla-

rum et Sidamarum in rerum utilium numero censetur, de quibus verum propriumque dominium habetur, et fiunt contractus, quaeque deperditae conquiruntur, raptae aut usurpatae apud iudices repetuntur. Hinc quaeritur :

« 16. An liceat christianis ipsisque missionariis servos suos fugitivos persequi, atque « ad redeundum cogere, vel saltem permittere « ut eosdem persequantur, et vi etiam adhibita « reducant publicus magistratus aut amici.

« 17. An servi ius habeant ad fugam, et « an debeant resarcire damna ex eorum fuga « domino illata.

« 18. An ad damnorum restitutionem teneantur servi illi qui in herili domo nati « sunt vel educati, quique fugam arripuerunt « antequam suis laboribus vel alia ratione com- « pensaverint domino expensas in eorum infantia factas.

« 19. An fructus omnes ex servorum labo- « ribus et industria provenientes ita ad domi- « num pertineant, ut tamquam fures existimari « debeant servi qui invito domino illos sibi « attribuunt, de iisque pro libito disponunt ».

Quemadmodum adnotatum est in responsione ad postulata proxime superiora, sunt iuxti aliqui tituli seu causae, ex quibus potest servus libertate sua legitime privari, legitimeque a domino retineri. Porro cum manifeste repugnet, hinc quidem ius domino competere possidendi ac retinendi servum, inde autem ius servo inesse ne a domino possideatur ac retineatur, nemo non videt christianos et missionarios de quibus agitur in dubio 16, posse tuta conscientia servos suos fugitivos persequi, et ad redeundum cogere, siquidem eos iuste in servitutem redactos iusto ex titulo possideant.

Non ita expedita est ad 17 et 18 dubium responsio. Regulariter fugere iure suo possunt servi qui iniuste fuerint in servitutem redacti; non possunt servi qui iustam subeant servitutem, nisi forte a domino sollicitentur ad aliquod peccatum, vel inhumaniter tractentur. Ex hac distinctione pendet solutio alterius quaestionis, an scilicet servi fugitivi teneantur resarcire damna ex fuga sua domino illata. Cum enim ad inducendam restituendi damni obligationem tria haec simul et coniunctim requirantur, culpa theologica, damnum secutum, et causa efficax, patet profecto ad reficienda damna ex fuga sua domino illata, tenere servos illos quorum fuga fuit graviter illicita, non teneri servos illos quorum fuga omni caruit culpa; sed de liceitate fugae, deque obligatione resarciendi damna ex fuga illata consulat Vic. Ap. probatos auctores et cum illis distinguat varios casus, variosque servitutis titulos.

Latissime similiter patet dubium 19 ac proinde, uti conceptum est, nonnisi generalem responsionem admittit, pluribus tamen exceptionibus obnoxiam, quas Vicarius Ap. ex probatis auctoribus discere curabit. Itaque regulariter quando servitus iusta est, servusque iuste et legitime a domino possidetur, atque ex aequitatis praescripto sustentatur, omnia lucra et emolumenta ex servi ipsius laboribus et industria provenientia domino acquiruntur, ideoque furti reus est servus qui eadem lucra et emolumenta sibi attribuit, de iisque inscio et rationabiliter invito domino disponit.

Circa servorum coercitionem.

VI. Sequitur *quarta dubiorum classis, de servorum coercitione.* — « Lege Gallarum sta- « tutum est ut quidquid committit servus fu- « gitivus vel expulsus, domino suo imputetur, « qui proinde nulla alia ratione potest se ab « improbo perniciosoque mancipio expedire, « quam vel illud adoptando quadamtenus in « filium, assignata eidem ex herilibus bonis « congrua dotatione, vel per venditionem aut « donationem transferendo in alterius dominium, « vel tandem morti tradendo; quippe dominus « apud Gallas independentes potitur iure vitae « et necis in proprios servos. Hinc relative ad « dominos christianos quaeritur :

« 20. An domini christiani, ipsique adeo « missionarii, possint, herili iure utentes, man- « cipium improbum, sibique perniciosum ad « mortem propria auctoritate damnare. Ratio « dubitandi est quia ex una parte non potest « dominus tale mancipium simpliciter expel- « lere, vel per adoptionem in filium emancipa- « re, ex alia vero parte quaecumque servorum « venditio aut donatio dominis christianis pro- « hibetur :

« 21. Quatenus dominus christianus mediis « destituatur ad improbum, noxiumque servum « coercendum necessariis, an saltem possit il- « lum donationis titulo transferre in alium do- « minum, licet cum periculo ne ab eodem « postea divendatur ».

Duo haec dubia 20 et 21 inde nascuntur quod Vicarius Apostolicus existimet venditionem mancipii esse quocumque casu illicitam. Sed ex iis quae superius explicata sunt comperiet idem Vic. Ap. non esse inquietandos dominos christianos, qui servos suos, iustae servituti addictos, venditione, donatione aut permutatione distrahere volunt dummodo praescriptae conditiones serventur, eaque praesertim, ut mancipium, si baptizatum sit, non tradatur hero infideli. Possunt igitur domini christiani hoc pacto sese liberare ab improbo perniciosoque mancipio, quin illud capitali poena afficiant, quod nefas omnino est dominis christianis. Quod autem pertinet ad missionarios, mirum profecto est hoc in mentem venire potuisse, ut poena mortis in servos utut criminosos decerni ab iisdem queat, adversus notissimos canones, qui etiam irregularitate multant quicumque ex clericis iudicio sanguinis sese immiscuerint.

De servorum coniugiis.

VII. Sequitur *quarta dubiorum classis, de servorum coniugiis.* — « Mancipia penes Gallas « concubinis utuntur, rarissime uxoribus certa « aliqua solemnitate nuptis, unde veri nominis « matrimonium arguatur ; quia cum in tota sua « existentia domino subiiciantur, possintque adeo « quolibet die divendi, nullum inter ea per- « petuum matrimonialis societatis vinculum « supponitur esse. Idcirco postulatur :

« 22. Utrum dominus christianus tolerare « possit ut duo servi adhuc infideles, qui, cum « primum eius sub potestatem venerunt, iam « in eiusmodi concubinatu vivebant, pergant « ita vivere; an vero illos separare teneatur, « donec fiant christiani, et legitimo matrimo- « nio coniungantur.

« 23. An dominus christianus qui plures « possidet servos sic viventes in vero concubi- « natu, etsi matrimonii appellatione honestato, « quique ad regulam exigere desiderat eiusmodi « matrimonia, simul ac praedicti servi sese « dispositos exhibeant ab baptismum recipien- « dum, et matrimonium legitime ineundum, « possit in nova, quam meditatur, matrimonii « christiani ordinatione illos ex utroque sexu « seligere qui plus christiani spiritus demon- « strent, maioremque spem faciant unitatis at- « que indissolubilitatis custodiendae, nulla ha- « bita ratione priorum vinculorum matrimonii, « sive (ut magis nuncupare placeat) concubi- « natus, dummodo tamen novi contrahentes « mutua afficiantur sympathia; an possit pro- « inde tuta conscientia eosdem vi separare a « suis concubinis, nisi forte concubinarii ipsi « malint secum invicem contrahere matrimo- « nium christianum.

« 24. An saltem violenta concubinariorum « separatio locum habere queat, quando alter « ex ipsis, sive masculus sive foemina probe « dispositus est ad fidem amplectendam, et ma- « trimonium christiane celebrandum. Hoc du- « bium idcirco movetur quia violenta illa se- « paratio posset excitare administrationem, et « querimonias apud homines parum instructos, « perinde ac si quaedam fieret iniuria parti « renitenti, quae christianam religionem am- « plecti detrectat.

« 25. Matrimonium sive servorum sive li- « berorum, iuxta Gallarum morem, dissolubile « est saltem ex parte viri. Si igitur convertan- « tur duo coniuges sive servi, sive liberi, qui « eiusmodi matrimonium in infidelitate con- « traxerunt, debentne ante baptismum edoceri « de indissolubilitate matrimonii statimque « christiano matrimonio iterum coniungi ipso « baptismatis die ; an vero possunt etiam post « baptismum relinqui in suo statu saltem per « aliquod tempus, donec pares effecti fuerint « intelligendo, sicut oportet, evangelico prae- « cepto super indissolubilitate matrimonii? »

Arbitratur Vic. Ap. omnes generatim coniunctiones servorum infidelium apud Gallas non veri propriique nominis matrimonia, sed meros esse concubinatus. Persuasionem hanc ex triplici potissimum ratione hausisse videtur, quia nimirum eiusmodi coniunctiones, quamquam patrio more permissae, nulla adhibita *solemnitate* ineuntur ; deinde quia cum servi toto vitae suae tempore sint in domini potestate, haud *supponuntur* esse inter eos perpetua matrimonialis societatis vincula, tandem quia matrimonium servorum omniumque universim Gallarum patrio item more *dissolubile* est, saltem ex parte viri. Sed ipse facile perspiciet quam infirmae sint hae rationes : solemnitates enim per se, maxime apud barbaros et infideles, ad essentiam non pertinent matrimonii, quod, una naturali lege inspecta, etiam sine illis consistere potest. Neque hypothesibus et praesumptionibus, sed certis evidentibusque probationum momentis inniti debet iudicium, quo nullum fuisse pronuncietur matrimonium, cuius validitati minime obstat ipsum divortium quoad vinculum lege vel moribus permissum, nisi in pactum conditionemque expresse deducatur. Caveat igitur Vic. Ap. ne vera matrimonia pro contuberniis imprudenter traducat, praesertim cum eaedem servorum infidelium coniunctiones, quas ipse concubinarias existimat, vulgo matrimonii nomine honestentur, et violenta partium separatio, eodem Vicario Ap. fatente, quamdam iniuriae speciem habere apud homines illos videatur. Meminerit, matrimonium verum inter infideles existere, nec proinde requiri ut infideles christiana religione initientur, quo verum legitimumque matrimonium contrahere valeant. Meminerit etiam admonere dominos christianos, ne in servorum matrimoniis ineundis aliquam vim adhibeant, vel coniugem iisdem invisum obtrudant: matrimonia enim libera esse debent, et coactiones quae in iis forte adhibeantur, difficiles solent exitus frequenter habere. Nunc ut dubiis 22, 23 et 24 satisfiat, nefas profecto est domino christiano tolerare servorum suorum, licet infidelium, concubinatum; etenim concubinatus lege naturali prohibetur, qua non tantum fideles, verum etiam infideles obstringuntur, et cuius observantiam dominus, utpote domesticae societatis ordinator, a suis subditis exigere tenetur. Sed primum diligentissime investigare debet num illicito revera contubernio, an legitimo coniugio servi utantur. Quod si de illicito contubernio constiterit, neque fieri possit legitimum matrimonium inter concubinarios ipsos (quod quidem semper optandum est, maxime si prolem ex fornicario commercio susceptam haberent), tunc demum eosdem, vi etiam adhibita, separet, non impediendo tamen quominus se cum aliis legitimo matrimonio coniungant, etiamsi christianam fidem profiteri detrectent, nullasque ad eam amplectendam

dispositiones praeseferant. Ceterum quam viam rationemqne dominos christianos sequi oporteat in permittendis vel inhibendis servorum infidelium coniugiis comperiet Vic. Ap. ex alia instructione quae huic adnexa ad eum transmittitur (1).

Reliquum est dubium 25 quo supponitur matrimonia Gallarum, utpote secundum patrias leges dissolubilia saltem ex parte viri, minime valere, ac proinde esse renovanda si coniuges convertantur ; tum *postulatur* an liceat hos coniuges etiam post baptismum relinquere, saltem per aliquod temporis spatium, in suo errore circa dissolubilitatem matrimonii. De suppositione sive hypothesi supra dictum est, pravam contrahentium opinionem, licet patriis legibus sive moribus confirmatam, quod nimirum matrimonii vinculum dissolvi possit, nequaquam per se officere matrimonii validitati, nisi haec opinio deducatur in pactum tamquam conditio in actu ineundi matrimonii ; tunc enim matrimonium nullum irritumque evadit, uti semper accidit cum matrimonio est apposita conditio substantiae ipsius repugnans. Quod vero ad postulatum attinet, non tantum nefas est coniuges in illo errore post eorum baptismum relinquere, sed ne ad baptismum quidem admitti debent, nisi antea probe instruantur de matrimonii indissolubilitate, et parati sint divinum hoc praeceptum observare.

De inimicitii et vindictis.

VIII. *Quinta dubiorum classis* — « Mos est « apud Gallas independentes, ut si quis occi- « datur, aut gravi vulnere laedatur, ab eo ipso « temporis momento omnes et singuli eius « propinqui et contribules teneantur mortale « odium iurare adversus omnes et singulos in- « terfectoris propinquos et contribules, eosque « ad internecionem persequi, nemoque se possit « hac obligatione eximere quin iura socialia in « propria tribu amittat, ab eaque tamquam « hostis expellatur. Hoc autem ulciscendi san- « guinis ius et officium tamdiu durat, donec « certa pecuniae summa, arbitrorum iudicio de- « finienda, luatur homicidium, et sic tribus, « ad quam pertinebat interfectus, satisfactionem « recipiat. Quae satisfactio frustra speraretur, « sublata eiusmodi obligatione suscipiendi prae- « dictam inimicitiam sive vindictam, quoniam « apud Gallas independentes omnino deside- « rantur publici magistratus qui criminibus pu-

---

(1) Instructio S. C. S. Officii (31 Maii 1865), de qua agitur, data fuit Superiori Missionis Dahomey in Africa, atque ita se habet : « Quaestio a te proposita circa obligationem dominorum christianorum permittendi vel impediendi servorum infidelium coniugia, qui, ante captivitatem, mulierum conturberniis usi fuisse comperiuntur, delata est ad Emos Supremos Inquisitores feria IV. die 31 Maii labentis anni, prout apertius a te eodem hoc anno ineunte iuxta mandatum eorumdem Emorum Cardd., litteris datis die 7 Ianuarii, expressa fuerat his, qui heic adscribuntur, distinctis casibus. Primus casus est cuiusdam servi qui a domino christiano uxorem petit, quique interrogatus num unquam fuerit matrimonio vinculatus, respondit : *se quidem cum mulieribus uxorie vixisse, sed ignorare quid sit vinculum matrimoniale; in suis regionibus viros cum mulieribus habitare quae pro libito dimittuntur, vel quae sponte discedunt, ut cum aliis viris habitent, quin praecedentia vincula obstent; talem esse regionis consuetudinem.* Dominus autem certiores notitias habere volens, nihil praeter supradicta dignoscere potest. — Secundus casus est cuiusdam servi qui a domino suo uxorem petit, quique interrogatus respondet : *se iuxta morem suae gentis ante servitutem mulieres habuisse; inter eas unam ceteris praelatam fuisse, sed eam non esse quam in uxorum numero priorem tempore habuit: quam autem priorem tempore uxorem habuit, cum ea non ita esse vinculatum ut, quando libuerit, dimittere non possit; ea enim conditione assumuntur mulieres; talem in suis regionibus morem vigere.* — Tertius casus est servi cuiusdam qui a domino suo uxorem petit, quique interrogatus circa priora vincula matrimonialia, respondet : *se quidem ante servitutem uxorem legitimam habuisse, sed quid de illa evenerit impossibile esse certo scire: eam vel cum fugientibus in excidio patriae evasisse, forsitan in aliis regionibus venumdatam, vel in Americam translatam, vel in maritimo itinere, ut saepe fit, obiisse : certo autem de ea nullum unquam nuntium habiturum. Se autem enixe postulare ut alia sibi detur uxor, tamquam per divortium a prima disiuncto.* Quartus casus est servi cuiusdam iam matrimonio ante servitutem vinculati, sed, servitute superveniente, ita ab uxore prima disiuncti, ut nulla unquam spes affulgeat suam uxorem possidendi. Enixe autem postulare ut alia detur uxor, vel tamquam a prima divortio facto, vel quia, ut asserit, *a Deo, gentilibus saltem, in gravioribus casibus, plures uxores etiam simultanee possidere permissum est; sibi autem a fortiori permittendum, qui, priore amissa, aliam in eius loco habere postulat.* — Quintus casus est servi cuiusdam uxorem petentis, quique interrogatus circa mores suae gentis, respondet : *in suis regionibus mulierem adhuc puerulam viro a parentibus desponderi; in parentum potestate usque ad pubertatem custodiri: tum sponso traditur; sed hoc non impedit quominus vir plures hoc modo receptas uxores habeat; in moribus autem esse, si viro libuerit, quod mulier dimitti possit; si autem ipsa sponte discedere velit, consentiente viro, ad alium transit; vel etiam viro invito, coram arbitris re pertractata, et impensis pro tali muliere habenda a viro exactis, restitutis, ad alias nuptias convolat; et hoc iure factum indicatur, tamquam de quocumque contractu. Se hoc modo mulieres possedisse, a quibus nunc servitute divisus, aliam dari quaerit.* Sextus casus est mulieris cuiusdam in servitutem redactae quae viro in matrimonium iungi vult : dicit se iampridem ante servitutem cum viro fuisse, sed ignorare num fuerit legitima uxor ; cum pluribus enim, asserit, aliis uxoribus in eadem domo sub uno viro vixisse, nec bene scire si tamquam uxor, vel ut concubina haberetur. Enixe autem postulare ut viro tradatur in matrimonium. — Septimus casus est mulieris gentilis quae a legitimo viro ita fuit servitute distracta, ut nunquam spes affulgeat cum illo posse coniungi. Dominus autem volens eam in matrimonio cum alio coniungi, quaerit num id liceat tamquam divortio a primo viro facto ita, ut in quarto casu.

Quibus casibus rite matureque perpensis, ita de illis Emi Patres iudicandum censuerunt. Quum in primo, secundo, quinto et sexto casu serio dubitari possit connubia de quibus ibidem agitur non vera fuisse matrimonia, sed iuxta exposita, et, nisi melioris notitiae haberi possint, conturbernia tantummodo ex libidine cum mulieribus inita, abhorrere ab aequitate existimarunt, infelices illos paganos ad perpetuum coelibatum adigi, eoque privari concupiscentiae remedio quod iure natu-

« niendis iuribusque tutandis invigilent. Quo-
« circa postulatur:

« 26. An inimicitiae praedicto modo exer-
« citae haberi possint veluti iustum bellum
« unius tribus adversus alteram.

« 27. An possit admitti ad sacramenta qui
« ex una parte protestatur se nullum prorsus
« odium vel simultatem animo fovere adversus
« homines inimicae tribus, quin imo paratum
« se esse cupidumque exhibendi eis consueta
« amicitiae signa, statim ac iuri suo fuerit sa-
« tisfactum: ex altera vero parte promittit se
« nunquam quaesiturum occasionem rixandi
« cum hostibus, sed eorum occursum declina-
« turum, ne in discrimen coniiciatur, aut ac-
« ceptandae pugnae, aut, si recuset, incurrendi
« in suorum offensionem ».

Ex tribus quae ad iustitiam belli requiruntur conditionibus, legitima nimirum auctoritate, iusta causa, et convenienti modo, manifestum est tertiam omnino desiderari in facti specie quam dubium 26 attingit. Modus enim conveniens id maxime postulat ut bellum non ulciscendi crudelitate, neque nocendi cupiditate geratur, sed recta intentione obtinendi debitam satisfactionem, utque innocentibus quantum fieri potest nequaquam noceatur. At Gallae simul ac aliquis ex eorum familia vel tribu fuerit interfectus, mortale iurant odium adversus omnes et singulos interfectoris agnatos, eosdemque sine delectu, si obvios habeant, aggrediuntur, feriunt, trucidant, id unum spectantes ut barbaro ritu sanguinem sanguine expient, donec consueta inter eos satisfactio praestetur. Neque vindictam sumunt publicae auctoritatis ductu, cuius tantum est denunciare ac dirigere bellum, sed privati in privatos ferarum more insurgunt; neque in antecessum examinant utrum casu, vel licitae defensionis necessitate, nec culpabiliter admissum fuerit homicidium; neque priusquam ruant ad arma, vias omnes sive per se, sive per communes amicos pertentant, quibus debitam sibi satisfactionem pacifice valeant obtinere, sed ut refert in alia epistola idem Vic. Ap. ab eo ipso temporis momento quo homicidium aliquod aut lethalis vulneratio accidit, cuncti interfectoris interfectique agnati ita statim se separant, ut non modo quodcumque locutionis vitaeque commercium secum invicem abrumpere, verum

---

rali iisdem datum est, praesertim cum agatur de matrimoniis infidelium quae, cum non sint sacramenta, non eodem profecto gaudent favore quo christiana gaudere constat. Itaque in praedictis casibus, *primo* scilicet, *secundo*, *quinto* et *sexto* Emi PP. responderunt, dominos christianos permissivo modo se habere oportere, ideoque non debere mancipia sua impedire quominus matrimonio se iungant; hoc tamen circa secundum et circa sextum adiecto modo. Circa secundum, cum ibidem duo haec simul narrata sint: 1. omnes mulieres ea conditione viris adiungi ut, quandocumque libuerit, dimitti possint; 2. inter illas unam prae ceteris anteferri consuevisse: decreverunt Emi PP. praedictum responsum eatenus locum habere, quatenus omnino constet eam quoque, quae ceteris praefertur, eadem conditione fuisse in contubernium admissam. Quod vero attinet ad sextum, licet dubium contra matrimonii veritatem satis fundatum videatur, quod mulier, de qua ibidem agitur, nescire se profitetur matrimoniine an concubinatus nomine a suo viro suscepta fuerit, quod quidem cum essentia veri matrimonii certum ac reciprocum consensum exigentis haud facile componi potest, nihilominus cum absque ulla difficultate res possit melius declarari, si duo haec a muliere requirantur: 1. utrum eo tempore, quo ad suum virum accessit, alias repererit mulieres eidem ante se maritali more coniunctas; 2. utrum vir ille soleret pro suo lubitu susceptas mulieres dimittere, et alias assumere: has quoque interrogationes non inopportune pro maiori diligentia fieri posse Emi PP. iudicarunt. Utrumque enim praedicto dubio gravissimum pondus adiiciet, et concubinatum potius quam verum matrimonium initum fuisse magis magisque suadebit.

At vero *tertii* et *quarti* et *septimi* casus diversam omnino esse rationem Emi PP. censuerunt. Nam tertius *uxorem legitimam, cum captivus ductus est, habuisse* fatetur, itemque mulier de qua sermo est in septimo casu *legitimum virum habuisse* narrat; atque is de quo in quarto agitur, *matrimonio se fuisse vinculatum* asserit: quae quidem omnia verum proprieque dictum matrimonium clare exprimunt; quo fit ut novum matrimonium adulterinum esset concubinatus; neque enim dubitare fas est polygamiam simultaneam, atque ipsum adeo divortium, non modo christianis, verum etiam infidelibus divino iure prohiberi, expresse id docente Innocentio III in cap. *Gaudemus, De divortiis*. Quod autem ab eo, de quo agitur in tertio casu, additur sibi iam impossibile esse certo scire an uxor sua superstes mortuane sit, id ei ad novum matrimonium minime prodesse iudicarunt. Cum enim vinculi matrimonialis obligatio certa in eo sit, eiusdem autem per mortem solutio nullo pacto sit probata, quandoquidem simplex ignorantia non magis mortem quam vitam suadet, quae imo in dubio praesumenda prae morte est, hinc sequitur impedimenti vim adhuc integram manere, iuxta expressam doctrinam capitis *In praesentia, De sponsalibus*, in infidelium aeque ac christianorum matrimoniis, retinendam, quippe quae in qualitate utrisque communi, quae est indissolubilitas, fundatur. Quapropter non minus in hoc tertio quam in quarto et septimo casu Emi PP. responderunt, dominos christianos teneri huiusmodi servos a novo matrimonio prohibere, nisi forte, ex pluribus saltem coniecturis (quae sin minus singulae, at certe simul coniunctae certitudinem moralem pariant) demonstrari possit legitimum eorum coniugem mortem vere obiisse.

Ceterum latere te non potest certissimam eamdemque facillimam viam eiusmodi nodos recidendi eam esse, si infideles, de quibus agitur, ad christianam fidem convertantur. Hoc enim si fiat, et ipsi privilegio Paulino cum alia catholica muliere nubendi, et tu dispensatione uti poteris ab interpellatione primae coniugis, quoties aut fieri reipsa illa nequeat, aut si fieret, nullius utilitatis fore summarie saltem atque extraiudicialiter certo constet. Denique ne illud quidem S. C. praetermittendum esse voluit, nimirum ut, occasione data, dominos christianos memineris admonere ne in hisce servorum matrimoniis ineundis aliquam vim adhibeant, vel coniugem iisdem invisum obtrudant. Matrimonia enim libera esse debent, et coactiones quae in iis forte adhibeantur, difficiles solent exitus frequenter habere. In casibus autem difficilioribus recurras, expositis omnibus adiunctis ».

etiam, si fiant obvii, ad internecionem usque confligere teneantur. Quae omnia quantum a convenienti belli gerendi modo, imo ab ipsa veri belli notione abhorreant nemo profecto non intelligit. Curet igitur Vicarius Ap., curent missionarii omnes in regionibus illis commorantes, ut tam barbaram et perniciosam consuetudinem ex qua incredibiles hominum strages ac bonorum devastationes oriuntur, de medio radicitus tollant. Sed interea admittine poterit ad sacramentorum participationem qui ita animo sit comparatus, ut in dubio 27 exponitur? Responsio pendet a notissimis theologiae moralis principiis circa dilectionem inimicorum, restitutionem ex causa homicidii, et dispositiones ad suscipiendum Poenitentiae sacramentum necessarias. Quibus principiis minime refragatur regula illa quam Vic. Ap. tradidisse se narrat missionariis sibi subditis, ut nimirum sacramenta ei non denegentur qui protestatur se nullum odium personale in animo habere, et nihil aliud velle per externam inimicitiam nisi quod de iure sibi competit iuxta patrias leges, simulque promittit se omni pacto effecturum ut a caede cuiusque ex inimicis abstineat. Hanc igitur regulam sequi poterunt missionarii quoad eos qui pertinent ad familiam vel tribum interfecti. At si agatur de iis qui sunt e familia vel tribu iniusti interfectoris, requiritur praeterea ut quantum in ipsis est, prompti ac parati sint debitam satisfactionem praestare, atque subire potius suae ipsius tribus offensionem, quam aggredi et laedere quempiam ex adversa tribu si forte obvium habeant, excepto iure propriae defensionis cum moderamine inculpatae tutelae.

De religiosa institutione hominum abiectissimae castae vulgo *mangiò*.

IX. *Sexta dubiorum classis* — « Sunt in oppido Kafa quidam abiectissimae sortis seu « *castae* homines vulgo *mangiò*, in Abyssinia « *woito* nuncupati. Hi censentur non tantum « ipsi esse immundi verum etiam immundi- « tiam communicare personis quibuscum agunt, « et rebus quas forte contrectant. Nondum « coeptum est eosdem de christiana religione « instruere, quia si missionarius cum iis con- « versaretur, evaderet et ipse immundus, ipsum- « que nemo amplius alloqueretur; praeterquam- « quod si vel semel aliquis *mangiò* ecclesiam « intraret, haec illico pro immunda haberetur. « Quapropter postulatur:

« 28. An memoratae difficultates praebeant « sufficiens motivum, ne missionarius hanc *ca-* « *stam* instruere quaerat.

« 29. An eo casu quo aliquis huius *ca-* « *stae* homo instructionem sponte sua petat a « missionario, is possit tali se ministerio de- « negare.

« 30. Quaedam huius *castae* familia est sub « dominio Missionis, eidemque inservit. Pecca- « retne missionarius si ob praedictas difficulta- « tes omitteret illam familiam instruere? »

Catholica Ecclesia in mysteriorum Dei dispensatione non modo nihil unquam discrevit inter divites et pauperes, inter nobiles et abiectos, verum etiam quadam veluti peculiari charitate ac materna sollicitudine pauperes et abiectos semper complexa est, qui, sicut luculenta experientia testatur, facilius ad fidem accedere solent prae mundi nobilibus et divitibus. Imitatur enim Ecclesia Iesum Christum D. N. apud quem nulla est personarum acceptio, quique se ad evangelizandum pauperibus missum esse dicebat, et cum publicanis et peccatoribus manducabat, licet iniquissimum inde scandalum sumerent pharisaei. Quod igitur spectat ad tria postulata 28, 29 et 30 nullatenus ambigendum est quin missionarii pro suo munere debeant hominum quoque *mangiò* nuncupatorum instructioni et conversioni solertissime, quantum poterunt, adlaborare, multoque magis si ipsi *mangiò* divina gratia permoti instrui petant, vel iustam subeuntes missionariorum servitutem, eorumdem domestici effecti fuerint. Neque tantum propter adductas rationes illicitum est ab instruendis *mangiò* prorsus abstinere, sed etiam ne missionarii auctoritate sua confirmare videantur superstitiosam consuetudinem a iudaicis traditionibus probabiliter profectam, refugiendi nimirum contactum hominum *mangiò*, imo cum eos tangentibus nullam habendi communicationem; quam quidem consuetudinem christianae charitati perinde ac rectae rationi tantopere adversantem missionarii penitus extirpare omni diligentia studeant. Interea tamen, ut aeternae saluti *mangiò* quam citissime provideatur censuerunt Emi PP. unum e missionariis deputandum esse absque mora ad spiritualem eorum curam. Christiani vero qui illam consuetudinem servant admitti poterunt ad Sacramenta, dummodo id unice faciant ne a commercio aliorum civium segregentur, non autem sponte sua, atque ex erronea opinione quod homines *mangiò* sint immundi, labemque et immunditiem vel solo tactu affricent personis quibuscum agunt aut conversantur, rebus quas adhibent, et ipsis ecclesiis in quas ingrediuntur. Haec enim opinio nullatenus toleranda est in viro catholico, postquam Deus Beato Petro ostendit neminem communem aut immundum dicere hominem (Act. X. 28).

De usu infantes circumcidendi.

X. *Septima dubiorum classis, de circumcisione* — « Viget apud Gallas usus circum- « cisionis, quae infantibus adhiberi solet prius- « quam deferantur ad Baptismum. Hunc ritum « pertinacissime Gallae observant velut unum e « primis fidei christianae signaculis; pollutam « existimant ecclesiam quam forte incircumci- « sus aliquis fuerit ingressus; christianos euro- « paeos, eo quod circumcisi non sint, despi- « catui habent, neque ullo pacto filios suos ba- « ptizari sinunt nisi antea circumcidantur, adeo « ut gravis olim in quodam Gallarum oppido

« exarserit seditio quia missionarius iusserat sibi « ad baptizandum deferri pueros etiam incir- « cumcisos. Presbyteri indigenae etiam catholici « usum circumcisionis tolerant, innixi, ut ipsi « dictitant, antiquis decisionibus Sanctae Sedis « quae circumcisionem ab Abissinis frequenta- « tam minime reprobavit, utpote civilem re- « gionis illius praxim. Vicarius Ap. opinatur « (licet id certo affirmare non audeat) circum- « cisionem etiam penes Gallas habendam esse « potius pro ritu mere civili, quam pro ritu « sacro et religioso, maxime quia in privatis « domibus fit, neque per manus ecclesiastici « ministri ; tamen cum videat ex illa pusillo- « rum scandalum oriri, quaerit :

« 31. An tolerari possit usus circumcisionis « vigens apud christianos gallas ».

Monendus in primis est Vic. Ap. falsum esse quod presbyteri indigenae asserunt circumcisionem in Abissinia fuisse antiquitus ab Ap. Sede permissam aut toleratam veluti civilem quamdam gentis illius praxim. Catholico enim Abissinorum Patriarchae Alfonso Mendez, qui iam inde ab ineunte saeculo decimo septimo postulaverat, an tolerari posset in abissinis circumcisio, S. C. de Prop. Fide, approbante Pontifice, respondit die 28 Augusti anno 1637 non esse quocumque praetextu tolerandam circumcisionem; Pastores debere corrigere subditos quantum possunt, contumacesque arcendos esse a Communione. Cumque anno 1839 idem postulatum instaurasset quidam Abissiniae missionarius, Emi Inquisitores Generales die 17 Iunii eiusdem anni ita censuerunt: « Detur decretum « die 28 Augusti anni 1637 ; tamen missionarii « id praestent adhibita omni christiana pruden- « tia ». Tantum igitur abest ut Apostolica Sedes circumcisionem in abissinis permiserit unquam aut toleraverit, quin potius eamdem expresse improbavit districteque inhibuit. Et iure quidem atque merito; nam licet abissini modo hanc, modo illam adhibendae circumcisionis causam praetexerent, constabat tamen tum ex laudati Patriarchae accuratissima relatione, tum ex indubiis aliis argumentis circumcisionem ab abissinis servari tamquam ritum sacrum ac religiosum. Porro ea quae nunc de populis Gallis exponit Vic. Ap. luculenter ostendunt atque persuadent hos quoque populos circumcisione uti ex aliqua sive explicita, sive saltem implicita cultus intentione. Quid enim aliud significant pertinacissima observantia circumcisionis tamquam unius e principalibus fidei christianae tesseris, contemptus europaeorum incircumcisorum, opinio tandem quod ecclesia per solum incircumcisi ingressum polluatur, et quod Baptismus administrari nequaquam debeat nisi circumcisio praecesserit? Nec sane contrarium evincit quod circumcisio adhibeatur in privatis domibus, nullo interveniente Ecclesiae ministro; nam et apud hebraeos circumcisio a quocumque fiebat etiam in privatis domibus. Quare Emi PP. communicari mandarunt Apostolico Gallarum Vicario decretum die 28 Augusti an. 1637, adiecta monitione ut missionarii id praestent adhibita omni christiana prudentia. Quamvis autem iuxta hoc decretum contumaces arcendi sint a Communione, caveant tamen missionarii ne denegent baptismum infantibus circumcisis, quippe qui non sua, sed parentum culpa iniuriam istam patiuntur. Praeterea quoniam Vic. Ap. meminit in suis litteris de quibusdam aliis vanis observantiis quae apud eosdem Gallas sunt in usu, et iudaismum redolent, qualis est observantia sabbati et distinctio inter munda et immunda animalia, idcirco iusseruut Emi PP. ut Vic. Ap. et reliqui missionarii omnem operam ponant ad vanas eiusmodi observantias prudenter eradicandas, nam sacrosancta Romana Ecclesia, ut in Oecumenico Concilio Florentino ab Eugenio IV declaratum est, omnes, post promulgatum Evangelium, circumcisionis, et sabbati, reliquorumque legalium observatores alienos a Christi fide denunciat, et salutis aeternae minime posse esse participes, nisi aliquando ab iis erroribus resipiscant.

De superstitiosis *kafinorum* ritibus.

XI. Sequitur *septima dubiorum classis, de religiosis Kafinorum ritibus.* — « Incolae re- « gionis Kafae, licet christiano nomine glorien- « tur, et servent ecclesiastica ieiunia, amentque « a presbyteris obviam factis benedicta aqua « aspergi, longissime tamen absunt a profes- « sione christiana, et plerumque ne sunt qui- « dem baptizati. Colunt praesertim SS. Geor- « gium, Michaelem, et Gabrielem, eisque vota « etiam nuncupare solent. Qui votum alicui « ex his sanctis per annum voverunt, festo « eiusdem die ad ecclesiam pergentes offerunt « presbytero candelam, thus et vaccam vel ovem. « Presbyter haec omnia nomine Sancti acceptat, « candelas quidem accendendo super altari, et « thus adolendo, vaccam autem, vel ovem manu « tangendo. Deinde vaccae, vel oves sic oblatae « trahuntur ad locum ecclesiae proximum, ibi- « que in honorem Sancti coram populi multi- « tudine immolantur. Immolari autem debent « per manus diaconorum qui caelibes sint. Adeps « animalium immolatorum totus plerumque ad « quandam holocausti speciem comburitur. Car- « nes convivio apponuntur, cui accumbunt of- « ferentes, curatores fabricae ecclesiae et presby- « teri. Tantam vero virtutem et efficaciam huic « candelae, thuris et animalium oblationi attri- « buunt, ut sese hac una oblatione iustificari « et sanctificari firmissime persuasum habeant, « quidquid contra declamet catholicus missiona- « rius. Quando eorum aliquis moritur, propin- « qui, die ut plurimum duodecimo ab obitu, pre- « sbyterum adeunt eique candelam et cervisiam « offerunt, rogantes ut exequias defuncto per- « solvat. Cui postulationi antequam presbyter « consentiat, quoddam a propinquis tributum

« pro sui muneris functione paciscitur cautio-
« nemque exigit. Tum candelam accendit, cer-
« tas aliquas preces e libro recitat, cervisiam
« bibit. Simili modo instaurantur exequiae die
« vigesimo, trigesimo ac quadragesimo. Quo
« postremo die habetur solemne convivium fu-
« nebre quod appellant *teẓkar*. Presbyter nimi-
« rum accedit ad domum defuncti, factisque
« super ipso sepulchro exequiis, benedicit con-
« vivio, solidam diem laetissime cum defuncti
« propinquis transigit, suique laboris satis am-
« plam mercedem, aliquas nempe vaccas, quo-
« dam veluti decimarum iure reportat. Convi-
« vium *leẓkar* tam abissinis, quam kafinis sum-
« mopere cordi est. Kafini illud habent pro
« eximio religionis officio, in eoque magnam
« collocant fiduciam; abissini, si convivium hoc
« omitterent, arbitrarentur se in paradisum in-
« gredi non posse. Neque pretereundum est ka-
« finos addictissimos esse magicae superstitioni.
« Et sane magi apud eos opibus et potentia
« plurimum valent, coalescentes in quoddam
« veluti sodalitium cui rex ipse praeest. Spiri-
« tum vero magiae quo se magi pervasos exi-
« stimant, appellant *deocce*, quod vocabulum
« e lusitano idiomate derivatum esse videtur.
« Porro tanta est kafinorum observantia erga
« spiritum magiae *deocce* ut ipsi christiani obte-
« stari et iurare teneantur per eundem *deocce*
« idque non tantum vi consuetudinis, sed qua-
« dam etiam necessitate legali. Quibus prae-
« missis, quaeritur »:

« 32. An presbyter catholicus ex quodam to-
« lerantiae spiritu, ut sibi catholicaeque missioni
« plebem conciliet, licite possit accedere tanquam
« presbyter catholicus omnibus notus, ad eccle-
« sias illas quo supradicti oblatores conveniunt,
« atque acceptare candelas et adolere incensum
« sicque cooperari religiosae functioni hominum
« nonnisi solo nomine christianorum, qui in hac
« etiam functione peragenda multas praeseferunt
« superstitiones traditionalibus suis ideis com-
« mixtas.

« 33. An presbyter catholicus possit acceptare
« animalia sacrificiis destinata, protestando con-
« tra haec eadem sacrificia, atque ea tantum de
« causa ministerium suum non recusando, ut
« arrepta peculiaris conventus occasione praedi-
« care queat adversus hasce superstitiones.

« 34. An presbyter catholicus possit memo-
« ratos christianos lustrali aqua aspergere, iu-
« xta antiquam eorum consuetudinem, illosque
« praesertim, qui vel catholicum ministrum re-
« iiciunt, vel de baptismo aut alia re nihil cu-
« rant. Idque postulatur propter periculum con-
« firmandi eos in suis vanis spebus.

« 35. An presbyter catholicus possit persol-
« vere usitatas exequias pro hominibus minime
« baptizatis soloque nomine christianis; quae
« exequiae consistunt in accendenda candela et
« recitandis quibusdam arbitrariis precibus; id-
« que ut presbyter occasione popularis conven-
« tus praedicare valeat.

« 36. Quatenus presbyter catholicus nequeat
« licite tales exequias persolvere, an saltem reci-
« pere possit stipendium pro iisdem exequiis
« reddi solitum, omittendo quamcumque fun-
« ctionem religiosam. Ratio dubitandi est, quia
« si presbyter stipendium eiusmodi acciperet,
« etiam cum protestatione se illud decimarum
« dumtaxat nomine accipere, semper tamen
« verum adesset periculum, ne exequiae tam-
« quam persolutae existimarentur.

« 37. An christiani Kafam incolentes licite
« iurare possint per nomen *deocce* ».

R. Ad 32. Difficultas quae Vicarium Apostolicum movit ad proponendum dubium 32 duplici ex capite orta esse videtur, tum ex communicatione in sacris cum hominibus minime baptizatis soloque nomine christianis, tum multo magis ex pluribus superstitionibus quas homines iidem secundum maiorum suorum traditionem functioni supra descriptae intermiscent. Haec enim sunt ipsissima Vicarii Apostolici verba: « Se il prete cattolico.... possa ricevere « le candele, bruciare l'incenso come funzione « religiosa fatta da gente che non è cristiana « se non di nome, tanto più che anche in questo « non mancano di avere molte superstizioni « miste nelle loro idee tradizionali ». Verum cum eiusmodi superstitiones locum quidem habere dicantur, sed minime explicentur, idcirco Emi Patres dilata praesentis dubii resolutione iusserunt, ut laudatus Vicarius Apostolicus clare distincteque referat, in quo consistant multae illae superstitiones candelarum, thurisque oblationem comitantes, et quae sint ideae traditionales, unde multae illae superstitiones emanant.

Ad 33. Quoad functionem in dubio 33 memoratam, qua scilicet animalia quaedam in honorem SS. Georgii, Michaelis aut Gabrielis offeruntur, Sancti nomine a presbyteris acceptantur, et postea a diacono coelibe prope ecclesiam immolantur, ea certe, prout exponitur, non licet, neque ullo pacto in christifidelibus toleranda est, nisi removeantur omnia superstitiosa vel superstitionis speciem praeseferentia, potissimum vero quaecumque sacrificii intentio, mactatio per diaconum caelibem, et adipis combustio ad instar holocausti. Quod enim animalium mactatio nulli alii demandetur quam diacono eidemque caelibi, et quod totus adeps holocausti instar comburatur, id manifestam continet superstitionem; ad quam proinde quomodocumque concurrere nefas est presbytero catholico. Atqui concurreret si animalia sacrificiis destinata acceptaret. Neque eum excusat aut protestatio adversus impia animalium oblatorum sacrificia, aut quaesita opportunitas praedicandi in has superstitiones. Nam et talis protestatio nihil prodest utpote contraria facto, quum presbyter sponte sua, nulla cogente neces-

sitate, cooperetur; et absurdissimum est communicare quempiam posse in ritu superstitioso, ut nanciscatur occasionem improbandi ritum eumdem coram populi multitudine; siquidem, monente S. Augustino, ea quae constant esse peccata nullo bonae causae obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt *(Lib. contr. mendac. Cap. VII)*.

Ad 34. Negative pariter respondendum est ad dubium 34 si aspersio vel petatur cum intentione superstitiosa, vel afferat periculum confirmandi aut fovendi vanam perniciosamque fiduciam ex eadem aspersione conceptam. At si constet illam intentionem et hoc periculum prorsus abesse, neque scandalum timeatur, nihil vetat quominus lustrari possint aqua benedicta homines solo licet nomine christiani: quandoquidem ipsae irrationales et inanimae creaturae simili modo lustrantur.

Ad 35. Sed responsionem absolute negativam efflagitat dubium 35. Cum enim agatur de hominibus solo nomine christianis, qui ab hac vita sine baptismo decesserunt, omnino non licet ecclesiasticas quascumque exequias pro iisdem celebrare; quod vel ex ipso Rituali Romano aperte colligitur. Et sane exequiarum ceremoniae et ritus adhibentur tamquam vera religionis mysteria, christianae pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia. His igitur ceremoniis et ritibus, veluti candelarum incensione, et precum recitatione, honestare funus hominum absque baptismo, ideoque extra catholicam Ecclesiam mortuorum, perinde est ac ipso facto profiteri quod homines isti possint esse in loco salutis. Alio insuper ex capite improbantur eiusmodi exequiae a presbytero catholico celebratae, quia nimirum important communicationem in divinis cum infidelibus vel haereticis manifestis. Cum vero convivium, quod nuncupant *tezkar* habeatur tamquam pars exequiarum ipsarum, sequitur nequaquam licere interesse, multoque minus benedicere eidem convivio, si celebretur pro defuncto notorie haeretico, vel non baptizato, vel alias indigno ecclesiasticis exequiis.

Ad 36. Quod si illicitum est sacras exequias hominum extra catholicam Ecclesiam demortuorum celebrare, illicitum quoque est praestationem illam quocumque nomine exigere vel recipere, de qua instituitur dubium 36. Profecto vetat naturalis ipsa iustitia, ne presbyter catholicus stipendium exigat, vel tamquam sibi debitum recipiat pro religiosa functione, cui se denegavit, quamque proinde minime exequutus est. Sed praeterea graviter peccaret ratione scandali cum, recipiendo stipendium, censeatur ex vulgi opinione persolvisse exequias, tametsi eas revera non persolverit.

Ad 37. Non minus illicitum est christianis obtestari et iurare per nomen *deocce,* de quo iuramento dubium 37 movetur. Quodcumque enim sit etymon vocabuli *deocce,* certum atque exploratum est vocabulum hoc in communi loquendi usu significare spiritum magiae, nempe diabolum mendacii patrem. Unde consequens fit illos qui per nomen *deocce* iurant, cultum latriae diabolo adhibere. Nam, ut ait Angelicus Doctor, cultus latriae adhibetur ei cuius testimonium iurando invocatur. Et ideo praecipitur Exodi 23: « Per nomen externorum deorum non iurabitis ». Intentio autem qua christiani hoc vocabulum ad Deum verum forte referrent, eos a peccato nullatenus eximere potest. In primis enim indecens prorsus est eo nomine Deum verum nuncupare quo ab impiissimis magis spiritus magiae seu diabolus adoratur. Deinde cum iusiurandum praestetur respectu habito ad intentionem exigentis, christiani per nomen *deocce* iurantes censebuntur, publica hominum opinione, illum ipsum magiae spiritum invocare, et sic actum ponent falsae religionis protestativum, et magos etiam atque etiam in sua superstitione confirmabunt. Quaecumque igitur sit interna christianorum intentio, nefas prorsus est illos per nomen *deocce* iurare.

De esu animalium ab infidelibus occisorum et de caeremonia vulgo *buttà*.

XII. Sequitur *septima dubiorum classis, de esu animalium a musulmanis vel ethnicis occisorum deque caeremonia* buttà. — « In Abissinia musulmani animalia pro hominum victu caedunt, quamdam suae superstitionis formulam pronunciando, christiani vero caedunt dicentes: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Hinc si quis christianus comederet carnes a musulmanis mactatas, persuasum ipse haberet se eiusmodi facto abnegasse christianam fidem, et pro apostata reputaretur apud omnes tam christianos quam musulmanos. Item si quis musulmanus carnes ederet a christianis mactatas, sua et aliorum sive musulmanorum sive christianorum opinione existimaretur transisse a musulmana superstitione ad religionem christianam. Persuasio haec communis est omnibus catholicis etiam in regione Gallarum, ubi christiani omnino abstinent ab edendis carnibus animalium quae occiderint musulmani vel ethnici gallae. Verum ethnici vero gallae indifferenter comedunt carnes tam a christianis, quam a musulmanis mactatas. Eadem consuetudo viget in regione Sydamarum: christiani enim carnes a musulmanis et ab ethnicis sydamis mactatas nequaquam comedunt licet ethnici sydamae recusent quidem vesci carnibus musulmanorum, sed absque ulla difficultate comedant carnes a christianis mactatas. Praemissa huius consuetudinis notitia, dicendum nunc est de ritibus sive caeremoniis quas adhibent Gallae, quoties extraneum quempiam civitate sua donare volunt cum iure acquirendi fundorum dominium, et publicum magistratum obtinendi. Tres sunt eiusmodi caeremoniae. Prima dicitur *sabbà,*

« et consistit in mactatione caprae certo die fa-
« cienda ; qui mactarunt debent se invicem vi-
« sitare, et comedere ex caprae ipsius carnibus,
« qua comestione censentur profiteri quadamte-
« nus fidem Gallarum, penes quos edere carnes
« ab aliquo alio mactatas tantumdem valet ac
« religiosam eiusdem fidem profiteri. Aliae su-
« perstitiones, saltem alicuius momenti, in prae-
« dicta mactatione locum habere non videntur.
« Succedit altera caeremonia *daggagà* nuncu-
« pata, certoque item die peragenda ; qui ni-
« mirum mactarunt *sabbà* mactare debent et
« *daggagà,* quo nomine compellant vaccam cor-
« nibus reduncis sive deorsum inflexis, et sic
« certum aliquem honoris gradum in populo
« consequuntur. Tertia caeremonia est *buttà*
« quem qui mactant inter nobiles Gallas coo-
« ptantur, et potiuntur iure percipiendi vectiga-
« lia ab alienigenis, stipulandi contractus, fun-
« gendi iudicis officio in sua tribu, politicos-
« que conventus adeundi. Itaque postulatur :

« 38. An liceat christianis comedere ex car-
« nibus animalium a musulmanis et ab ethnicis
« occisorum.

« 39. An caeremoniae *sabbà, daggagà* et
« *buttà* permitti possint christianis, saltem si ipsi
« polliceantur, nullis se superstitionibus usuros,
« veluti invocatione diaboli atque id genus aliis ;
« an vero prohibendae sint, propterea quod im-
« portent quamdam professionis fidei speciem et
« obligationem vescendi illis carnibus ».

R. De cibis Christus D. N. universaliter pro-
nunciat, dicens : « Nihil est extra hominem in-
troiens in eum quod possit eum coinquinare »
(Marci VII 15, 19) ; subiuncta hac certissima
ratione, quia non intrat in cor eius, idest, ani-
mum ac voluntatem eius afficere non potest.
Hinc idolothytorum esum, extra certos casus,
licitum christianis esse luculentissime docet
Paulus Apostolus qui cap. octavo et decimo
primae ad Corinthios epistolae rem istam per se
ac simpliciter facit adiaphoram, nec aliter pro-
hibet quam ratione scandali, vel sacrilegae com-
munionis in sacris idololatricis. Qua posita do-
ctrina facilis est dubii 38 resolutio. Nam quoad
carnes a musulmanis mactatas, earum esus, re-
ferente Vicario Apostolico, habetur tamquam
signum musulmanae superstitionis protestati-
vum, nedum apud musulmanos ipsos, sed etiam
apud christianos. Ergo ratione scandali haud
licet christianis eas comedere, maxime quia mu-
sulmani et solertissime cavent ab edendis chri-
stianorum carnibus ne christianae religioni hoc
ipso participare appareant, et nihil intentatum
relinquunt, quo christianos pertrahant ad carnes
musulmanorum edendas in fidei contemptum ;
nunquam enim licet facere aliquid quod legiti-
mam inducat suspicionem profitendi falsam re-
ligionem. Equidem in simili casu Sanctus Ni-
colaus I. Romanus Pontifex neutiquam licere
definivit Bulgaris christianis comedere carnes
animalium a paganis occisorum, ne videlicet, in-
quiens, fidelis cum infideli saltem in modico
communicasse videatur : *quae enim pars fidelis
cum infideli?* (II. Cor. VI) ; et rursus propter
conscientiam, non fidelis utique, sed infidelis,
gloriantis scilicet se quod sibi a christiano fuerit
communicatum, ac per hoc autumantis, eo quod
non fuerit a fideli spretus, quod vanitas erroris
sui a christiano extiterit approbata. Cum vero
ethnici gallae et sydamae carnes animalium a
christianis occisorum indifferenter manducent,
quin manducationem eiusmodi reputare videan-
tur protestativum fidei signum, poterunt etiam
christiani edere carnes ab ethnicis gallis et
sydamis in usum vitae mactatas, dummodo
certo constet nullum adesse periculum scanda-
lizandi christianos vel ethnicos ipsos.

Resolutionem dubii 39 Emi Patres distule-
runt, eo quod multa alia scitu necessaria sint
ad illarum caeremoniarum naturam prudenti
iudicio definiendam. Itaque iusserunt ut Vicarius
Apostolicus accuratiores transmittat informatio-
nes, potissimum vero ut clare distincteque re-
ferat, an animalium mactatio penes Gallas re-
tineatur pro ritu religioso, an fiat in loco sacro,
an cum explicita, vel implicita Numinis invo-
catione, cur certorum quorumdam animalium
et non aliorum, certisque item diebus et non
aliis facienda praescribatur ; quid significet illa
professionis fidei species in animalium occisione
consistens ; quae qualesque sint superstitiones
illae exigui momenti de quibus Vicarius Apo-
stolicus parum curare videtur, inquiens : « Altre
« superstizioni nello ammazzare pare che non
« ci sieno gran cosa » ; quomodo autem Gallae
dicantur habere esum carnium veluti signum
protestativum religionis eiusdem quam lanio
colit, cum Vicarius Apostolicus in expositione
dubii proxime superioris narraverit Gallas in-
differenter comedere carnes quascumque sive a
christianis sive a musulmanis mactatas.

De administratione Baptismi et Confirmationis sub conditione.

XIII. *Octava dubiorum classis.* — « Re-
« fert Vicarius Apostolicus se die 11 Martii
« anno 1861 decretum provisorio modo tulisse
« ut nimirum omnes ex Abissinia provenientes,
« qui se dicunt christianos, non exclusis sa-
« cerdotibus etiam catholico ritu ordinatis, sed
« non baptizatis sub conditioue, rebaptizandi
« sub conditione sint. Huius decreti varias ad-
« ducit causas, quae exprimuntur partim in
« ipso decreti prologo, partim in supplici li-
« bello quo sacerdos quidam abissinus Michael
« Haylu petiit a Vicario Apostolico iterum sub
« conditione baptizari, confirmari, et Sacris Or-
« dinibus initiari. Quem, sicut et alium sacer-
« dotem de valore sui baptismatis in Abissinia
« suscepti pariter ambigentem, voti compotem
« effecit Vicarius Apostolicus. Quoad laicos au-
« tem, qui baptizati fuerunt in Abissinia a
« presbyteris schismaticis, vult quidem Vicarius
« Apostolicus eos indiscriminatim omnes sub

« conditione baptizari, sed nondum iussit ut « iisdem sub conditione administretur etiam « Confirmatio utpote sacramentum non abso- « lute necessarium. Quapropter quaerit :

« 40. An non tantum sacerdotibus, verum « etiam laicis ex Abissinia in regionem Galla- « rum provenientibus, et illic apud schismati- « cos baptizatis debeat iterum sub conditione « praeter Baptismum administrari quoque Con- « firmatio ».

Decretum de rebaptizandis sub conditione omnibus indiscriminatim, qui fuere apud schismaticos in Abissinia baptizati, Emi Patres minime probaverunt. Nemo enim ignorat validum esse baptismum ab haeretico vel schismatico ministro collatum, si nihil eorum, quae ab Ecclesia Romana prescribuntur circa materiam, formam atque intentionem fuerit omissum, nec baptismum huiusmodi posse, licet sub conditione, absque gravi piaculo et irregularitatis poena renovari, nisi eo tantum eventu, quo dubium adsit probabile invaliditatis baptismi. Non igitur quaecumque levis in contrarium suspicio vel scrupulus sufficit ad hoc ut sub conditione quis iterum baptizetur, sed omnino requiritur probabilis dubitatio, quae, facta etiam diligenti indagine, discuti nullo modo possit. Iamvero rationes quibus permotum se esse dicit Vicarius Apostolicus, ad ferendum decretum de conditionata baptismi iteratione, non sunt profecto eiusmodi ut parere queant probabilem dubitationem de validitate omnium universim baptismorum qui in Abissinia a presbyteris schismaticis administrantur, praesertim cum libri rituales abissinorum, quod ad Baptismum attinet, reprehensione careant, et nonnulli fide digni missionarii ad hanc S. C. retulerint, se Baptismo a schismaticis abissinis collato non semel interfuisse, nullosque in eo deprehendisse substantiales defectus, tametsi haudquaquam negarent, in aliquibus fortasse abissinis provinciis locum habere posse talem baptizandi praxim, quae merito ac rationabiliter incertam reddat collati Baptismi validitatem. Revocato igitur suo decreto, stet (Vicarius Ap.) instructioni ab hac Suprema Congregatione ad Apostolicum Abissiniae Vicarium datae die 2 Maii anno 1858: qua ex instructione videbit attendendos esse casus particulares, et si quando baptismum conditionata forma repeti oporteat ob prudens dubium de prioris baptismi validitate, iterandam pariter esse sub conditione Confirmationem tam clericis quam laicis; licet enim hoc sacramentum non sit absolute necessarium necessitate medii, tamen, ut docet Sanctus Thomas, omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur.

1294

De speciali reservatione casuum Bullae *Sacramenti Poenitentiae.*

Decr. S. C. S. Officii 27 *Iunii 1866.* — SSmus D. N. Pius Papa IX, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, auditis suffragiis Emorum PP. Cardinalium Inquisitorum generalium, attentis rerum et temporum circumstantiis, decrevit, in facultatibus quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Sanctae Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum, et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Bened. XIV quae incipit *Sacramentum Poenitentiae.* Et Sacrae Congregationi de Propaganda Fide iniunctum voluit, ut in expediendis facultatibus formularum, post verba *absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis etiam in bulla Coenae* (1), addatur *exceptis casibus reservatis in Bulla Bened. XIV quae incipit* « Sacramentum Poenitentiae ».

1295

De privilegio paulino, et de coniugis interpellatione.

S. C. S. Off. *11 Iulii 1866* — Natal — 1. Quaeritur utrum dispensatio a vinculo matrimonii quae dari solet ab Ecclesia (positis ponendis) post baptismum unius partis, possit applicari in casu in quo, post baptismum susceptum unius, duae partes non cessarunt habere connexionem, et consummarunt matrimonium sicuti ante baptismum.

2. Matrimonium valide contractum ante baptismum inter duos infideles potestne dissolvi quando, post baptismum unius, pars infidelis promittit quidem se non inquietare mulierem baptizatam in professione christianitatis, sed ille recusat dimittere alias uxores illegitimas, vel non vult promittere se servaturum leges Evangelii circa monogamiam?

3. In casu praecedenti, si matrimonium dissolvi potest, mulier baptizata teneturne recurrere ad dispensationem pro dissolutione matrimonii?

4. Mulier baptizata potestne recurrere ad dispensationem quando praenoscit quod, facta dissolutione matrimonii, educatio prolis susceptae penitus erit in potestate viri eius infidelis?

5. Si dispensatio dari non potest, mulier legitima quae fit christiana post conversionem, potestne cohabitare cum marito infideli qui simul in eodem domo retinet uxores alias illegitimas?

6. Puella christiana (obtenta dispensatione disparitatis cultus) potestne legitime contrahere matrimonium cum infideli qui non promittit se a polygamia abstinere in futurum?

7. Bertha adhuc infidelis contrahit matri-

(1) In dictis facultatum formulis pro « Bulla *Coenae* » ponitur nunc « Bulla *Apostolicae Sedis moderationi* diei 12 Octobris 1869 ».

monium cum infideli statim ac pervenit ad annos pubertatis, et post duos annos relinquit virum suum, nulla suscepta prole, et ambo currunt ad alias nuptias, imo vir accipit plurimas uxores et fit polygamus. Sed nunc mulier aetate provecta, audito missionario, vult baptizari; potestne illa mulier dispensari a vinculo matrimonii contracti cum primo marito, non postulato consensu eius, et sic remanere cum secundo marito cum quo illa suscepit prolem?

8. Apud quosdam infideles detestabilis viget consuetudo iuxta quam vir post commissum adulterium cum uxore alterius, administrat remedium uxori adulterae, cuius effectus erit inferre mortem super legitimum maritum eo ipso quod postea habiturus sit connexionem cùm uxore sua. Unde postulatur utrum vir legitimus qui nolit cohabitare cum uxore sua post adulterium commissum, si convertitur ad fidem, poterit dispensari a vinculo matrimonii sui contracti in infidelitate, et ducere alteram uxorem, etiamsi infidelis uxor adultera vellet et ipsa baptizari?

R. Emi ac Rmi PP. ad singula postulata responderunt iuxta sequentem modum, hisce tamen praenotatis: *Primo:* Suprascripta postulata intelligi de privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso, et per Apostolum Paulum I ad Corinth. VII, 12 seqq. promulgato. *Secundo:* Hoc privilegium divinum in eo consistere, quod stante matrimonio legitime in infidelitate contracto et consummato, si coniugum alter christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare quidem volente sed non sine contumelia Creatoris, hoc est non sine periculo subversionis coniugis fidelis, vel non sine execratione ssmi Nominis Christi, et christianae religionis despicientia: tunc integrum fit coniugi converso transire ad alia vota, postquam infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum eo cohabitare, aut animum sibi esse ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia. *Tertio:* Iuxta idem divinum privilegium coniugem conversum ad fidem, in ipso conversionis puncto non intelligi solutum a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc, si coniux infidelis renuat, acquirere ius transeundi ad alias nuptias cum tamen coniuge fideli. Ceterum tunc solum coniugii vinculum dissolvi quando coniux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. Hinc:

Ad 1. Si quando evenerit ut, stante duorum infidelium matrimonio, alter coniugum ad fidem conversus baptismum susceperit, atque cum infideli coniuge pacifice, et sine contumelia Creatoris cohabitaverit, si postmodum infidelis (quin tamen pars fidelis rationabile motivum dederit discedendi) ne dum converti recusaverit, sed insuper fracta fide de pacifica cohabitatione, aut odio religionis discesserit, aut sine contumelia Creatoris cohabitare noluerit, vel fidelem ad peccatum mortale, aut ad infidelitatem trahere tentaverit, integrum erit coniugi fideli ad alia vota transire.

Ad 2. Si agatur de uxore pagana alicuius pagani concubinarii, quae convertitur, tunc facta interpellatione, si renuat converti aut cohabitare absque iniuria Creatoris, ac proinde desinere a concubinatu, (qui sine iniuria Creatoris certe haberi nequit) poterit uti privilegio in favorem fidei concesso.

Ad 3. Quando coniux infidelis interpellatus, aut absolute recusaverit cum coniuge ad fidem converso cohabitare, aut animum sibi ostenderit cum illo quidem cohabitandi, sed non sine Creatoris contumelia, vel absque eo quod se a concubinatu abstinere perpetuo velit, tunc coniux conversus, praehabito superioris ecclesiastici iudicio, separari debet ab infideli, et poterit, si velit, uti privilegio seu divina dispensatione in favorem fidei concessa, et sic ad alia vota transire cum persona fideli.

Ad 4. Si coniugi converso impossibile prorsus sit filios e potestate alterius coniugis in infidelitate obdurati subducere: nec fas sit, praemissa iuridica et formali interpellatione, cum eo cohabitare, vel quia ille non vult, vel non sine contumelia Creatoris vult cohabitare, praehabito iudicio superioris ecclesiastici, integrum erit ad alia vota transire; firma tamen manente obligatione, qua semper tenetur curare, si quo modo poterit, catholicam filiorum educationem.

Ad 5. Provisum in praecedentibus.

Ad 6. Negative; et in similibus casibus missionarii qui ex concessione Apostolica pollent facultate dispensandi super disparitate cultus caveant ne dispensationem concedant, nisi remoto polygamiae periculo.

Ad 7. Quum agatur, uti supponitur, de matrimonio legitimo in infidelitate contracto, mulier separetur a secundo viro omnino et cum effectu; et si ob gravissimas causas, et realem impotentiam separari nequeat quoad habitationem, separetur saltem quoad torum, et consuetudinem, nullum amplius habens cum eodem viro tractum, aut carnale commercium. Deinde de more instruatur, ei praecipue notificando quod suscepto baptismo non dispensatur ab obligatione quam habet redeundi ad primum maritum; et quatenus post debitam instructionem constet eam moveri ad accipiendum baptismum ex vero religionis motivo, admittatur statim ad baptismum, eoque collato, interpelletur omnino primus vir, et interrogetur utrum converti velit, aut sine contumelia Creatoris cum ea vitam traducturus sit; et, si id renuat, qua de causa in illam adverso animo sit; et de omnibus resultantibus R. P. D. Vicarius Apostolicus S. Congregationem certiorem faciat.

Quod si vero, summarie saltem et extraiudicialiter, constet coniugem in infidelitate relictum adeo esse absentem, ut moneri legitime non possit, aut monitum infra tempus in monitione praefixum suam voluntatem non significasse; vel si adire quidem possit coniux infidelis, sed de comparte iam facta christiana interpellari nequeat sine evidenti gravis damni ei vel christianis inferendi periculo, et quin huiusmodi damna cum necessaria circumspectione et cautela removeri possint, haec omnia Apostolicae Sedi renunciabit Vicarius Apostolicus, expressis nominibus, et expositis gravissimis causis pro obtinenda dispensatione super impedimento dirimente disparitatis cultus, si praetensus secundus vir adhuc in infidelitate persistat, et narratis omnibus rerum, personarum et facti adiunctis, ut in re tam gravis momenti procedi tuto possit.

Ad 8. Matrimonium etiam in infidelitate contractum natura sua est indissolubile, et tum solum quoad vinculum dissolvi potest, virtute privilegii in favorem fidei a Christo Domino concessi, et per Apostolum Paulum promulgati, quando coniugum alter christianam fidem amplectitur, et alter nedum a fide amplectenda omnino renuit, sed nec vult pacifice cum coniuge converso cohabitare absque iniuria Creatoris; ideoque non esse locum dissolutioni quoad vinculum matrimonii legitime contracti in infidelitate, quando ambo coniuges baptismum susceperunt, vel suscipere intendunt. — SSmus confirmavit.

1296

An Vicarii App. et missionarii teneantur applicare Missam pro populo.

Decr. S. C. de Prop. F. *18 Aug. 1866* — Post datam a SSmo D. N. Pio divina providentia PP. IX, die 3. Maii anni 1858 epistolam encyclicam incip. *Amantissimi Redemptoris,* dubitari coepit an per ea, quae inibi habentur de obligatione parochorum aliorumque curam animarum actu gerentium celebrandi et applicandi Missam *pro populo* omnibus dominicis festisque aliis diebus, haud exceptis iis, qui ex Apostolicae Sedis indulgentia e dierum de praecepto festorum numero sublati vel translati sunt, derogatum fuerit prioribus aliis laudatae Sanctae Sedis declarationibus, quibus nunciatum fuerat in missionum locis, ubi neque parochi neque paroeciae rite adhuc institutae inveniuntur, Vicarios Apostolicos et missionarios, licet animarum curam exercentes, supradictae obligationi implendae *tantummodo titulo charitatis, non vero ex iustitia* obstringi. Porro quamvis annuente Sanctitate Sua, Sacra Congregatio de Propaganda Fide die 5 Augusti anni 1860 *negative* responderit, nonnulli tamen Vicarii et missionarii Apostolici rati non omnem prorsus ambigendi rationem hoc responso amotam fuisse, sequentes proposuerunt quaestiones:

1. An Vicarii Apostolici ac missionarii, qui quovis modo curam animarum in certo aliquo loco assumunt, omnes indistincte obligentur *ex iustitia* ad applicandam Missam pro populo in diebus festivis.

2. An vero de illis, qui ex iustitia non obligantur, dici debeat *decere* ex charitate aut *teneri* ex charitate ad applicandam Missam pro populo in diebus festivis.

Iam vero cum de his quaestionibus actum fuerit in generalibus comitiis eiusdem S. Congregationis habitis die 23 Martii anni 1863 Emi Patres respondendum censuerunt:

Ad 1. Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopales ac paroeciae canonice erectae iam sint, atque ad eas Vicarii Apostolici et missionarii missi sint ut legitimorum Pastorum vices gerant.

Ad 2. Vitandam esse locutionem *teneri ex charitate,* dicendum vero esse *decere ex charitate,* idque ita ut nulla proprie dicta obligationis significatio appareat.

Has autem Sacrae Congregationis resolutiones SSmus D. N. Pius PP. IX referente infrascripto Secretario in audientia diei 29 Martii benigne in omnibus approbavit.

1297

Circa dispensationem super disparitate cultus in casu neophyti qui, priori uxore infideli dimissa, alteram ducit infidelem.

S. C. S. Officii *29 Augusti 1866.* — NANKIN. — Quidam missionarii sentire videntur, partem fidelem, quae ante baptismum, uxore infideli dimissa, aliam infidelem duxerat, posse, iuridice interpellata priori coniuge, eaque renuente converti et redire, posteriori loco ductam infidelem, vel aliam, licet et ipsa converti nolit, dummodo consentiat cohabitare pacifice, mediante dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, retinere, ac cum ea matrimonium inire: quin imo ex iis missionariis unus, ut audio, hanc sententiam ad praxim se tuto reducere posse arbitratus est. Unum quod ad sententiam suam firmandam adducunt argumentum, decisio est quaedam data Vicario Apostolico Siam, quam refert P. Ioannes Perrone in suis *De Matrimonio christiano libris tribus,* Romae Typis S. Congregationis de Propaganda Fide anno 1858 editis, tomo secundo libri secundi cap. 7, art. 2, p. 329 his totidem verbis: « Item a Vicario Apostolico Siam provinciae Sinensis anno 1854 proposita fuerunt haec dubia S. C. S. Officii, nempe: – 1. Utrum Pontifex dispensare possit ab interpellatione infidelis stante *gravi difficultate.* Resp. *Affirmative.* — 2. Utrum neophytus hoc in casu possit contrahere nuptias cum secunda uxore adhuc pagana, mediante dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. Qua in hypothesi, quamvis nati filii fuerint, si secunda uxor spem praebet futurae conversionis, quaesitum ulterius est, an possit illam pariter reti-

nere, data dispensatione a disparitate cultus. Demum, si secunda uxor consentiat conversioni, satisne erit neophyto interpellare primam coniugem an velit converti? Resp. *Iam provisum per Synodum Sutchuensem; Affirmative* ».

Cum horum missionariorum suprarelata sententia maximi quidem momenti, et praxis frequentissimae esse videatur, responsum ad haec duo quaesita supplex postulat orator: nempe:

1. An haec sententia veritate nitatur.

2. Quisnam sit verus sensus istiusce decisionis a p. Io. Perrone loco supra citato relatae.

R. Ad 1. Negative, nempe in casibus de quibus agitur R. P. D. Vicarius Apostolicus, ideoque missionarii ab eo deputati, non possunt dispensare super disparitate cultus vi facultatis III. Formulae *b*. Et quoad matrimonia, si quae contracta iam sint cum huiusmodi dispensatione, sileant, et coniuges relinquantur in bona fide. Quoad futurum vero ipse Vicarius Apostolicus recurrat in casibus particularibus, expositis omnibus cuiusque casus adiunctis.

Ad 2. Detur exemplum Instructionis Fer. IV diei 4 Iulii 1855 hic alligatum *(V. n. 1114)* ex quo R. P. D. Vicarius Apostolicus deprehendet aequivocationem in quam incidit R. P. Ioannes Perrone in loco citato. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

1298

Circa litteras institutionum vel aggregationum Confraternitatum.

S. C. Indulg. *19 Oct. 1866.* — Per decretum huius S. C. Indulg. editum die 8 Ianuarii 1861 confirmata et pristinae observantiae restituta Constitutione Clementis VIII incipiente *Quaecumque,* data sub die 7 Dec. 1604 super institutionibus vel aggregationibus Confraternitatum, inter cetera cautum fuit ut in formula aggregationum, quae *concordare deberet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII,* huius eiusdem Constitutionis *saltem praecipua capita insererentur cum variationibus a Sanctitate Sua approbatis.* Nunc vero SS. DD. N. Pius PP. IX, enixe postulantibus nonnullis tum Superioribus Ordinum Regularium, tum rectoribus Archiconfraternitatum, ut huiusmodi litterae aggregationum commodius exaratae respectivis Confraternitatibus expediantur, in audientia habita ab Emo Card. Praefecto die 19 Oct. 1866 benigne indulsit ut praefata capitum expositio in posterum etiam separatim a litteris aggregationum dari possit, ita tamen ut simul cum praefatis litteris adnexa omnino communicetur, et in eadem formula exprimatur. Servatis et in suo robore permanentibus reliquis omnibus quae tam in laudata Constit. Clementis VIII., quam in praefato decreto describuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

1299

De coniugis obitu comprobando.

S. C. S. Off. *21 Nov. 1866.* — Tchely meridio-occid. — *Casus:* 1. Una neofita abbandonata dal marito, son già 14 anni, la quale non ha guari è passata in altro matrimonio con un cristiano da cui molto difficilmente potrebbe separarsi.

2. Una donna cristiana, il cui marito fu rubato dai ribelli, e non potendolo ritrovare, cerca di contrarre matrimonio con altra persona.

R. Casus expositos et his similes accurate examinandos esse iuxta Instructionem S. Congr. quae transmittatur (1), et iuxta ea quae habentur expresse tradita a iure canonico cap. *Dominus, De secundis nuptiis,* quaeque traduntur a probatis auctoribus super subsistentia matrimonii initi nondum sufficienter probato obitu coniugis absentis. Ea vero quae deducuntur in utroque casu non sufficere ad novas permittendas nuptias: et faciendas ulteriores investigationes iuxta praedictam Instructionem. Et relate ad primum casum, quum neophyta et secundus vir eius sint ambo in mala fide, separandos esse, et monendum etiam virum non posse ad alias transire nuptias, nisi constito virum absentem adhuc vixisse quando secundum matrimonium tentatum fuit.

(1) Est Instructio *Ingentes bellorum clades* quae subrogata fuit ampliori Instructione an. 1868 *(V. n. 1321).*

32434

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BV2150.A5 C001 V001
COLLECTANEA S. CONGREGATIONIS DE PROPAGA

3 0311 00034 5715

3 0311 00034 5715